R. P. ANGELI
MANRIQVE
ANNALES
CISTERCIENSES



CISTERCIENSIVM
SEV VERIVS
ECCLESIASTICORVM
ANNALIVM A CONDITO CISTERCIO,
TOMVS SECVNDVS:

Continens ab Anno. M.C. XLV. vsque ad M.C. LXXIII.

EXCELLENTISSIMO PRINCIPI,
D.D. GASPARI GVSMANIO,
Comiti Oliuarensi, Duci Sant-Lucarensi,
PHILIPPI IV. Achati longè fidissimo.

Auctore FRATRE ANGELO MANRIQVE,
Burgensi, Cisterciensis familiæ, in alma Hispaniarum obseruantia, Generali emerito, PHILIPPI IV. Regis Catholici, à sacris concionibus, & in Salmanticensi Academia, scientiarum omnium principe, sacræ Theologiæ primario Antecessore.

LVGDVNI,
Sumpt. HÆRED. G. BOISSAT, & LAVRENTII ANISSON;

M. D. C. XLII.

Complete set – S.B.N. – 0.576.72863.2
This volume – S.B.N. – 0.576.72044.5

Republished in 1970 by Gregg International Publishers Limited
Westmead, Farnborough, Hants., England

Printed in offset by Anton Hain KG, Meisenheim/Glan
Western Germany

EXCELLENTISSIMO PRINCIPI, VTRIVSQVE ORBIS ADMINISTRO SAPIENTISSIMO, DOMINO

D. GASPARI GVSMANIO, COMITI DVCI, PHILIPPI IV. ACHATI LONGE FIDISSIMO.

POST primum Ciſtercienſium Annalium Tomum, potentiſſimo Regi dicatum, ſecundus ſequitur, ſecundo ab ipſo, & ſub ipſo conſecrandus: ideo debitus tibi, INCLYTE GASPAR, velut vnico Athlanti ſub MAGNO IOVE, cui vniuerſum vtriuſque orbis imperium, ſibi à Deo commiſſum, ſecurus imponit, aut humeris portandum, aut (quod omnino maius) mente regendum. Debitus item duplici alio titulo, ex materia nimirum, & ex authore; hoc, quia tuo; nam empto beneficiis,

& quod emis, poſsis dicere iure tuum:

illa, quia vtramque militiam præſefert, Calatra-

uensem, & Sant-Iulianæam (vulgo DE ALCANTARA) quarum priorem in ætate teneriori, posteriorem grandæuior hodie illustras; Cisterciensi familiæ addictus, atque in eam cooptatus duplici voto: duplici, inquam, solemni professione cui tot aliis vel simplici adhæsisse, pro magno fuit. Ergo, quæ Cæsaris sunt, Cæsari damus. Vtinam digna Cæsare! æternùm perennanda sub tanto nomine. Vade, Excellentissime Princeps, & Regi nostro te Deus seruet incolumem, Regem tibi; atque vtrumque Orbi, & Ecclesiæ. Salmanticæ Idibus Aprilis anno 1640.

LECTOR

LECTORI BENEVOLO.

EN tibi, Lector secundum Annalium Tomum : & quos Ecclesiæ, ex Bernardo, hactenus dixi, quia in Ecclesia nihil magnum sine Bernardo; ex Cistercio deinceps vniuerso, potiori iure Ecclesiasticos appello: quippe, seu Petri attendas successores, tam qui rexerunt, quàm qui recusarunt; siue sub ipsis inferiores Præsules: seu bella mauis, sub vtroque axe suscepta aduersùs infideles; siue firmata inter Principes Christianos concordiæ, & pacis fœdera, siue gentium prouincias ad fidem tractas, siue extirpatas hæreses, & schismata, seu legatias initas per totum orbem; seu tandem alia quæuis illustria quæras; per ducentos, & eis ampliùs annos, Cistercium ferè vniuersa Ecclesia fuit. Ingens haud dubiè patebat nobis campus, si modò expeditioribus; si non aliis studiis implicatis inspiciendum sese magis præberet, quàm peragendum.

Sed nos hoc opus nobis solis cœpimus: nec scribere in principio animus erat, sed colligere tantùm, & collustrare: vt, quæ ex notitia præteritarum rerum in suo cuique statu, prudentia cum ætate venire solet, compensaretur studio; & qua liceret, ætatem anteiret. Aliàs (vt Marcus Tullius scriptum habet [a]) *nescire quid, ante quàm natus sis, acciderit, id, est semper puerum esse.* Et Diodorus [b]: *Seniorum consilia, quos longa ætas prudentiores effecit, laudantur à iunioribus. At hos tantò antecellit historia, quantò plura exempla rerum complectitur diuturnitas temporis, quàm hominis ætas.* Hæc supplementa dierum ad prudentiam, ab ipso tyrocinio, simul & stimulos veræ pietatis per exempla quærentibus; mox inter seuioris æui curas, historiæ diuerticula, veluti laxamenta, suspirantibus; tandem labore assiduo datum est, vt multa nobis suppeteret materia, ex qua structura Annalium, si modò otium daretur, perfici posset.

a Lib. 2. de orat.
b Lib. 1. antiquit.

Verùm crescentibus in dies in immensum aliorum, tùm studiorum, tùm administrationum, obligationibus, quod vnum licuit, ligna, ferrum, lapides, id est euentus, loca, personasque, & verioris historiæ firmas compages, instrumenta, inscriptiones, & epistolas vndequaque collectas, in annos tantum retuli: certè dolare, disponere, coniungere, & (quod vltimum erat) exornare, mihi non tam non libuit, quàm non vacauit. Magnarum rerum aliquando causas pertranseo, res ipsas leuiter, cursimque transcurro; earundem seriem nonnunquam intermitto; interdum etiam ad minima descendendo; prout vel illa ab authoribus omissa, vel hæc notata inuenio; illud, dum nihil dubium scribere audeo, neque Prophetam ago, sed Historicum; hoc, dum nil certum non amplector. Et est religio in sacris his historiis nihil omittere: nam vt ait Philostratus [c] *vbi Deorum conuiuium est, ingens cura ministris esse debet, ne qua etiam minima ambrosiæ particula, si fortè ceciderit, pereat.*

c In vita Apolon.

Quod mendosè olim gentes antiquis vrbibus, id verè Christus indulsit familiis sacris: *vt humana Diuinis miscendo* (ait Liuius [d]) *primordia sua augustiora facere possent.* Adoleuit Cistercium inter miracula, inter reuelationes; atque hæc ipsa in tantum excreuere, vt humanis omninò prætermissis, antiqui Patres (author Exordij, Cæsarius, aliique) sola diuina memoriæ commendarint. Ergo ex his nihil mihi perire volui; non quasi singulis indubitata fides subsit, nam id ingenuè fateor, cum humano nitatur testimonio, quod falli potest etiam cùm non fallit: sed quia non alia certior inter homines: & vt idem, qui supra, ait Philostratus, *indisciplinati animi est maiorem certitudinem in aliqua re quærere, quàm eius natura patiatur.* Esto aliquid horum non sit verum; at cum à veris discerni non potuerit, ne verum taceretur, dicendum fuit.

d In præfatione.

In reliquis, quod ad veritatem attinet, quæ primas semper in historia tenere debet, nihil mihi permisi: quippe ex personis, ex locis, ex temporibus, ex fide dignis testibus discussam, curaui in quantum potui ita producere, vt neque vitia (si quæ irrepserunt nostris) aliis impingerem; neque alienas eis laudes arrogarem, aut aliquid ad veram gloriam adderem, per quod cætera possent suspecta reddi. Non vnquam mihi Vopisci sententia placuit, qui omnes omnium virtutes tantas esse, quantas videri, qui eas scribunt, volunt, Salustio, atque aliis productis testibus, probat. Neque imitandos authores illos censeo, quibus is vnus labor, vt quicquid præclarum in orbe

geſtum eſt, ab illis ſolis, quos ſcribunt, patratum probent. Mendicent alij, quibus deſunt propria merita; Ciſtercium intermittat magis, quæ alij colligant.

Et quidem multa à nobis intermiſſa, quantumcunque inuitis, neceſſe eſt; quæ, ô vtinam! alij ſuperaddant: nam qui ex profeſſo Ciſtercij hiſtoriam ſcribant, inter antiquos, nullus; inter recentes, pauci; hique nulla ratione temporis habita, atque exigua notitia, nec plena fide. Exteri authores ea ſolùm memorant; quæ argumenta concernunt, de quibus ſcribant; & vt multa tradiderint de noſtris, quia vix quid ſine noſtris; manca tamen ea omnia, mutiláque: quippe ab aliud agentibus; neque Ciſtercium, ſed ſua quiſque curantibus, inſinuant magis quàm produnt, quoſcunque narrant. Et nihilominus, aliis deficientibus, ex eorum fragmentis, vtcunque iunctis, Annales Ciſtercienſes texendi erant. Porro ex authorum immenſa multitudine (vt verum fatear) alius alio plures, nemo hactenus omnes videre potuit; ſed neque in his, quos vidit, qui plures vidit, nihil prætetiiſſe facile fuit. Itaque nobis inter inuia ſaxa, & rupes, aperuiſſe viam, ſatis, ſuperque: ſternere, dilatare, atque producere, aliorum linquimus ſtudio perficiendum. O ſi multi idem opus retractarent, corrigerent, augerent! O ſi ad tempora noſtra pertingentes, poſt ortum, & meridiem, quorum nos alterum in his duobus Tomis, alterum totidem aliis proſequemur; veſperam, & occaſum ipſi producant (nam ſenſit etiam occaſum Ciſtercij ſol, & rerum viciſſitudines expertum, nihil firmum in humanis, exemplo fuit.) O ſi, inquam, poſt veſperam, occaſum metientes calamo, & inde ad nouum ortum regyrantes, in quo vtcunque verſamur, qui modò viuimus, omnia inter ſe conferre, nec ſolùm incrementa, & decrementa radiantis huius Lunæ, ſed vtrorumque cauſas palam facere, & demonſtrare valeant, velut in ſpeculo, non illa tantùm, quæ Liuius [c] in Romanis exoptaſſe videtur, ſed quæ deſperat. *Ad illa* (inquit) *mihi acriter intendat, quæ vita, qui mores fuerint, per quos viros, quibúſve artibus, domi, foriſque, & parta, & aucta gloria? Labente mox paulatim diſciplina, quàm diſſidentes mores? Deinde, vt magis, magiſque lapſi ſint? Demùm, vt ire cœperint præcipites; donec ad ea tempora, in quibus nec vitia, nec remedia pati poſſumus, peruentum eſt.* Hæc ille de Romanis: ſed noſtri addant, qualiter morbis remedia præualuerint? Vt poſt longam, & fœdam defectionem, rurſus ad Patrum veſtigia reuerſi ſimus? Atque eò ſaltem progreſſi, vt non magis degeneres à primis, quàm poſteriores præcellere videamur? O faxit Deus! atque hanc ipſam, vtcunque reſtitutam, primitiui Ciſtercij antiquam faciem altè promoueat, & ad ſua principia redire faciat! Hæc pro nunc ſatis admonuiſſe meum lectorem. Reliqua, ſi quæ occurrent, vel in Annalibus, prout occaſio ingruerit, vel in duobus aliis, quos iam abſoluimus, hiſtoriæ eiuſdem Tomis, præloquemur. Vale.

c *Vbi ſupra.*

FACVLTAS

FACVLTAS REVERENDISSIMI GENERALIS.

NOs Magister Frater Michael Belcan, Cisterciensis Ordinis in alma Hispaniarum Obseruantia Generalis, &c. Cum secundus hic CISTERCIENSIVM ANNALIVM Tomus à Reuerendiss. Patre, nobisque in Christo charissimo, Magistro Fratre ANGELO MANRIQVIO, nostræ familiæ Generali emerito, PHILIPPI IV. Hispaniarum Regis Catholici à sacris concionibus, & in Salmanticensi Academia vespertinæ Cathedræ Theologiæ Antecessore, summa cum cura, & ingenij perspicacia, atque omnigenæ eruditionis studio elaboratus existat, & grauissimorum Magistrorum eiusdem Ordinis (vt moris nostri est) cum eximiis encomiis approbatus; non solùm vt in lucem prodeat, quantum in nobis est, facultatem concedimus; sed etiam Authorem eius hortamur, rogamúsque, vt & perfectos, si quos alios habet, Tomos quantocyùs edat; & qui sequuntur, quantum aliæ ipsius occupationes permiserint, perficiat, ad gloriam Dei, & totius nostræ familiæ. Datum in nostro Collegio Salmantino, die Martij 8. anni 1637.

M. Frat. MICHAEL BELCAN, Generalis.

De mandato Reuerendissimi P. nostri Generalis,

Fr. BARNABAS DE VILLA, Secret.

Magistri Fratr. Lupi de Cauañas, Cisterciensis Obseruantiæ in Hispaniæ Regnis Generalis Visitatoris, Censura, & approbatio.

EX commissione Reuerendiss. Patr. Magist. Fratr. Michaelis Belcan, Cisterciensis Obseruantiæ in Hispaniæ Regnis Generalis Reformatoris, vidi *Tomum hunc secundum Annalium Cisterciensium*, per Reuerendiss. Patrem nostrum Magistr. Frat. ANGELVM MANRIQVE Sacræ Theologiæ in Primaria Cathedra Salmanticensis Academiæ professorem, Regiumque pro orationibus sacris Concionatorem, omni, qua potest, elaboratum industria; ingenio, & arte compactum: cuius mira, & inenarrabilis pulchritudo videntium proculdubio rapiet oculos; cuius mellea suauitas, arguta styli breuitas, sententiarum profunditas, conceptuum altitudo, legentium ora intenta stare faciet: promptaque in eo rerum omnium copia, series congeriesque, maximam cunctis voluptatem sine satietate præstabit. Quid enim aliud (vt verum fatear) in Republica nostra, vel ad vtilitatem fructuosius, vel ad dignitatem amplius, vel ad Orbis famam pulchrius, atque omnium gentium, totiusque Ecclesiæ notitiam, maius, illustriúsve, poterit inueniri? Indigesta sanè hæc, & operosa Cistercij moles, vires omnes deprimebat humanas; immensúsque iste tantorum orbis syderum Angelicum præstolabatur spiritum, qui in axe suæ virtutis illum volueret, regeret, & rotaret; qui huius libri signacula aperiret, reuelaret arcana, & præclara, quæ incuria temporum, tenebrosúsque obliuionis turbo, monumenta possederat, à tenebrarum potestate redimeret. Tantum decet artificem palma auctoris. Hic ergo meritò decantet laudes, canat trophæa, Cistercij glorias prædicet; illustriúmque, qui in eo floruere, virorum, magnalia mundo intonet: & eorum, qui in hac carne positi, Angelicam æmulati sunt vitam, Angelus, populis, virtutes annuntiet. Germinauit, ediditque mundo sacer iste Ordo per tot sæcula viros, qui cælestis auctoritate doctrinæ, ac vitæ sanctimonia, & puritate, vniuersam Ecclesiam, totúmque orbem, mirificè condecorarunt. Germinet ergo & ipse sapientem filium, qui gloria Matris sit. Suscitet Deus spiritum ex tot, tantisque huius almæ familiæ alumnis, qui ipsam, splendidissimum sæculorum iubar, apertæ veritatis radiis illuminet; qui, quanta hodie perseueret in orbe, propriæ vitæ demonstret exemplis; quanta semper extiterit, suis faciat manifestum scriptis. Hinc supremam æternitatis gloriam scripta sibi meritò vendicarunt. Sicut enim illius, soliusque propriissimum est, rem, quæ talis est, omni sistere durationi præsentem: eodem propè modo scripta in vna, eademque nouitate, ac perennitate perstantia, & quasi ad præteritum potentiam habentia, res ipsas omni reddunt tempori, & ætati præsentes. Quis nimiè satis commendare sufficiat? absolutissimum opus hoc vndique est, vndequaque perfectum. Quis ardentem authoris animum, Zelúmque, quo ipsum est agressus, dignè valeat admiratione suspicere? Laborem improbum in inuestigando, facundiam in dicendo, ingenium velox, præcelsam mentem, acrem, & (vt ita dicam) volucribus flammis semper accensam; quis vnquam debitis celebrabit præconiis? Spirat operi, quam impressit moribus, maiestatem, suæque omnigenæ sapientiæ vera effigies, hoc opus, hic labor est; quem vulgari ore laudasse penè piaculum etiam putem: Sed in eo, quod in Deorum simulachris facit eloquentia, hoc idem facere necesse agnosco; quorum, vbi capita floribus redimiri non possunt, corona statuitur ad pedes. Cúmque ipse in amplissimo huius orbis theatro tantum inter super eminet omnes, sufficiet solus ipse sibi, qui omnia omnibus scientiis factus est; & Angelico laureatus spiritu scriptis poterit coronari suis. Prodeant ergo veritatis præseferentia lucem, vt luceant omnibus, qui in orbe sunt, glorificentque Deum, qui tanta fecit in Cisterciensi populo suo. Datum Matriti 7. Idus Ianuar. anno 1637.

Frater LVPVS DE CAVANNAS.

APPROBATIO.

IOANNES-CLAVDIVS DE VILLE, in Sacra Theologia Magister, in Ecclesia Sanctæ Crucis Custos, & D.D. ALPHONSI DV PLESSIS DE RICHELIEV, Eminentissimi Cardinalis, ac Reuerendissimi Archiepiscopi Lugdunensis, Vicarius Generalis Substitutus fidem facimus, visum à nobis Librum, qui inscribitur *Annalium Cisterciensium Tomus secundus*, à R. P. ANGELO MANRIQVE, nihilque in eo ab Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ, & Romanæ fidei, Sanctorúmque Patrum sana doctrina alienum contineri, Lugduni die 20. Iulij 1641.

PERMISSIO.

REVERENDI P. ANGELI MANRIQVE, *Annalium Cisterciensium Tomum secundum* typis mandari & in lucem edi hac in vrbe Sumptibus LAVRENTII ANISSON Bibliopolæ Lugdunensis, Ego Regis in Præfectura Lugdunensi Procurator non impedio, die 24. Iulij 1641.

PVGET.

CONSENSVS.

VISO Procuratoris Regis consensu hunc Librum typis mandari LAVRENTIO ANISSON concedimus, & ne quis vltra concessam facultatem denuo excudat prohibemus, Lugduni die 24. Iulij 1641.

SEVE.

INDEX

INDEX ANNORVM ET CAPITVM SECVNDI TOMI.

Iesu Christi annus 1145.
Cisterciij annus 48.

V. 1. Rex

Jesu Christi annus. 1149.
Cistercij annus. 52.

Græcis

Iesus Christi annus. 1154.
Cisterciy annus 57.

naldus Morimundensis Abbas cedit, subrogato Lamberto, viro insigni.

IV. 1. Multiplicata annona per VValleum; 2. & panes fratrum; qui partiti, mox integri inuenti. 3. Dictum de VValtero conuerso Meilrosensi, 4. visitato per Angelum. 5. Mysteria plura reuelata Sancto Abbati. 6. Lucta cum Dæmone: 7. & cælestis gloria visa, 8. qualis illius equus quandiu vixit. 9. Recusatus Archiepiscopatus Santandreanus.

V. 1. Proposita fundatio domus Hyberniæ, 2. & Gilbertus cum aliis missus, cum linguam ignoraret. 3. Oenum militem interpretem accepit; 4. mox professionis socium, & Monachatus. 5. Oeni crimina, & pœnitentia: 6. admirandæ visiones illi ostensæ; 7. & tormenta intentata, 8. deinde Paradisus demonstratus, 9. & totius voluptatis habitationes. 10. Redditus mundo, peregrinus primùm, dein monachus effectus: 11. & conuicti errores, qui nuper irrepserunt eius historiæ.

VI. 1. B. Quardi per Hadrianum Papam canonizatio. 2. Franconis primi Abbatis Alnensis, mors laudésque, tam ipsius, quàm successoris. 3. Fundationes paucæ, & obscuræ præsentis anni; 4. Odornai, seu Kyrieeleyson, de qua aliquid dictum: 5. Deinde Stanleya; & Bonus fons de Taresca; 7. ac tandem Egles.

Iesu Christi annus. 1155.
Cistercij annus. 58.

Cap. I. 1. B. Patris Gozeuini mors, 2. sepulchrum, Sanctitas, 3. Lamberti successio, 4. & sub ipso primum Capitulum: 5. ad quod epistola Friderici Imperatoris, 6. & Cistercio gloriosa, 7. pro se humilis, in fratrem Ordinis admitti postulantis, 8. & gratias referentis, atque referri optantis pro beneficiis. 9. Perpensa in ea quædam notatu digna. 10. Fundata Runa; 11. & Albertus, ex Monacho Cistercij, Cardinalis ab Hadriano creatus.

II. 1. Andreas Virdunensis in ipso tyrocinio multa perpessus, meditatur discessum. 2. Roberti patris pro eo ad Deum oratio, 3. quam miraculum ingens est sequutum. 4. Eiusdem Sancti visio, 5. in obitu cuiusdam ex suis filiis. 6. Henricus, futurus Cardinalis, susceptus ad habitum: 7. atque Gaufridus, qui post Soræ Episcopus. 8. Eiusdem visio in obitu Tiezcelmi, 9. quam multæ sequutæ: 10. recuperata salus per miraculum, 11. reuelatio de morte S. Raynaldi, & quædam alia de eodem Sancto.

III. 1. Raynaldi olim S. Amandi monachi, 2. celebris, & vulgata satis visio, circa fratres metentes in Claraualle, 3. quos B. Virgo, atque Elisabetha, & Maria Magdalena visitarunt. 4. Modus visionis, 5. quid de ea Cæsarius, 6. & quis per eam conuersus. 7. Arnulfi de Maiorica ægritudines subleuatæ diuinitùs, 8. consolatio in ipso mortis articulo. 9. Gloriosa mors, 10. & Authores, qui virum Sanctis annumerant. 11. Bernardi Cardinalis tituli SS. Cosmæ & Damiani, sancta dormitio.

IV. 1. B Petrus fauorem, & venerationem hominum fugiens, 2. in Monasterio quodam Germaniæ latitat: 3. à suis quæritur. 4. S. Idesbaldus in Abbatem Dunis præficitur. 5. Primus Cistercij Episcopus in Hispania. 6. Epistola Adami Ebracensis ad Hildegardem. 7. Eiusdem responsum, 8. & coniectatum de consultatione. 9. Aliæ Abbatum Sancti Anastasij, atque Ebarci 10. Tractatus Sanctæ ad Griseos remissiuè.

V. 1. VVimundus Furnesij quondam Monachus, 2. in Monam Insulam missus, & Episcopus factus, 3. & mox prædo & Dux prædonum, 4. in Dauid Scotiæ Regem debacchatur; 5. Dein diuina gratia præueniente, percussus leuiùs, 6. sed mox, cum ne sic quidem resipisceret à Comprouincialibus comprehensus, & excæcatus. 7. Demùm pro corporalibus amissis, oculis mentis sibi restitutis in Bellamlandam humilis secedit, ibidem, vsque ad mortem permansurus. 8. Mors VValrici, & Conradi subrogatio, 9. Chronologia. 10. Alphonsi priuilegium, Morerolensibus indultum.

Iesu Christi annus. 1156.
Cistercij annus. 59.

Cap. I. 1. Duo illustres euentus istius anni, 2. Hameti patria, parentes, & occupatio: 3. Legatia, & in media via error, salutis ostium. 4. Eiusdem viri accessus ad Populetum. 5. Collatio legum Christi, & Mahometis, 6. & de hac deserenda lucta interior. 7. Baptizatur, 8. & Bernardi nomen assumit: 9. admissus ad habitum; 10. & quod eius votum præcipuum in probatione?

II. 1. Hispania dudum oppressa à Sarracenis. 2. Suerij, & Gomecij votum, 3 & Amandi consilio surgens arx. 4. Firmatum

Iesu Christi annus 1157.
Cistercij annus. 60.

Iesu

Index Annorum, & Capitum.

10. Bernardus

Iesu Christi annus. 1167.
Cisterciј annus. 70.

Iesu Christi annus 1168.
Cistercij annus. 71.

Claraualle

Iesu

INDEX

INDEX TITVLORVM, ET CAPITVM IVRIS CANONICI, QVORVM, SIVE INSCRIPTIONES, SIVE HISTORIA, lucem, aut correctionem accipiunt in his Annalibus.

Ex Decreto.

Ex Decretalibus.

Ex Decretalibus in 6.

Ex Extrauagantibus.

ANNALES CISTERCIENSES.
TOMVS SECVNDVS COMPLECTENS
Ab anno 1145. vsque ad 1173. exclusiuè.

IESV CHRISTI ANN. 1145. | CISTERCII ANN. 48.

1. *Arnaldus redux in Ecclesiam plebem concitans, 2. Mortis Lucij secundi occasio fuit. 3. Eugenij electio, 4. Sanctitas, 5. Et peritia rerum infusa: 6. Consecratio, 7. & constantia in occasionibus. 8. Arnaldistarum rabies; 9. in Dei gloriam, & Eugenij laudem cedens.*

CAPVT PRIMVM.

1. NOVVS, ac mirus Eugenij Pontificatus, noua electio; ille præter spem omnium, hæc præter morem, noui voluminis initia auspicabuntur; & supremæ totius Ecclesiæ infulæ illustrabunt Cistercium hactenus inexpertum tanti fastigij: Sed quod vnicum fulcrum in rebus turbidis: vel ipsa sedes Petri præstolabatur. Prodierat denuò ex latebris Arnaldus Brixianus, ille Abaylardi quondā socius, quem dudum condemnatum ab Innocentio Bernardus Pater vndecumque exagitauerat, litteris datis ad diuersos Ecclesiæ Præsules, quas præcedenti tomo recensuimus. Quippè morte Innocentij sub Cælestino Papa paulò audacior; sed ipso etiam defuncto intra semestre, sub Lucio iam non tantùm audacissimus, verùm impudentissimus erupit. Et vrbem quidem eminùs aggressus, Romanos ciues ad antiquas Senatus leges ad libertatem pristinam, & defectionem à Papa sollicitabat. Extat fragmentum Epistolæ Pontificis ad Imperatorem Contradum apud Othonem [a], ipsum ad suum patrocinium inuitantis, in hunc tenorem.

a lib. 7. c. 31.

2. *Lucius Episcopus seruus seruorum Dei, charissimo filio Conrado, Romanorum Regi illustri, salutem, & Apostolicam benedictionem.*

Omne datum optimum, &c. *Populus enim Romanus nullas insania sua metas ponere volens, Senatoribus, quos ante instituerant, Patricium adiciunt; atque ad hanc dignitatem Iordanem Petri Leonis filium eligentes omnes ei tanquam Principi subiciuntur.* Hactenus Otho ex epistola Pontificis. Subiicit autem, historiam suam continuans. *Deinde Pontificem suum adeunt, ac omnia Regalia eius, tam in vrbe, quàm extra posita, ad ius Pontificis sui reposcunt. Eùmque, more antiquorum Sacerdotum, decimis tantùm, & oblationibus sustentari oportere dicentes. De die in diem animam iusti affligere non timuerunt.*

Hæc Lucij Papæ mortis occasio fuit. *Cùm enim* (ait codex Vaticanus quem refert Cardinalis Baronius [b].) *Romanos ad noua studia concitatos depellere conaretur à Capitolio, incerto lapidis ictu percussus fuit; atque non post multos dies ægrotauit; eóque morbo ex hac vita migrauit.* Hæc Codex ille; Cæteri [c] & mortem, & mortis causam narrant, seditionem tumultuantium ciuium; sed ictum reticent.

b *Ad hunc annum in principio.*

c *Otho vbi supra. & alij communiter.*

Defuncto Lucio non vacauit sedes, sed repentè (vt ait Sanctus Bernardus [d], & nos infrà ex ipso) successor datus, quæsitúsque extra Collegium Cardinalium contra consuetum, Petrus Bernardus, Bernardi Patris discipulus, quem dudum missum ad aliud construendum, Innocentius rapuerat, atque in Sancti Anastasij, Monasterio, quod ipse restaurasset, simul cum suo Conuentu collocauerat, vt tomo præcedenti commemorauimus; Bernardus, inquam, cùm in nullo alio suffragia conuenissent, summo omnium consensu electus est, quippe Deo impellente cunctorum corda. De his sic Platina [e], & alij recentiores [f]. *Cùm non satis inter Cardinales constaret, quem potissimum è numero suo deligerent, Diuino nutu perciti virum sanctissimum Eugenium deligunt*, &c. 3.

d *epist. 236.*

e *In vitis Pontificum.*

f *Chaconius, & alij.*

Industriæ viri delatum, an sanctitati, in dubio est. 4.

est. Baronius rarò incertos auctores sequens ad vtramque respectum haud dubiè tradit: Cæteri solam sanctimoniam hominis, aliàs simplicis, & ad negotia gerenda minus apti; si non vnctione magistra edoceretur. Sed nos eundem Baronium [g] in medium primùm, mox cæteros loquentes proferamus. *Post obitum Lucij, ob tumultuantes Romanos Arnaldistas, conuenerunt vnanimes Cardinales metuentes in Ecclesiam monasterij Sancti Cæsarij, illicque Dei nutu, haud de gremio ex more aliquem eligendum putarunt ex Cardinalibus, in Romanum Pontificem, sed conuertentes oculos in Abbatem monasterij Sancti Anastasij Trium Fontium Ordinis Cisterciensis, eidem haud pridem sub Innocentio Papa secundo, à Sancto Bernardo præfectum, Bernardum itidem nominatum, patria Pisanum, virum probitate insignem, & prudentia in negotiis obeundis locupletem, tempore perditissimo, quo huiusce modi bello ciuili vrbs flagraret, putarunt fore aptissimum: quem, cùm sagacissimum fuissent experti, pari consensu, summâ concordiâ elegerunt.* Hæc Baronius.

g Ad hunc annum in principio.

5. Cæterum alij industriam viri eneruant, & soli sanctitati cuncta adscribunt. *Eugenius* (ait auctor historiæ Hussitarum [h].) *Monachus pridem Sancti Bernardi, Sancti Anastasij Abbas, maiori sanctitatis amore, quàm rerum gerendarum peritia, à Patribus electus, ita tamen se gerebat, vt nemo quereretur*, &c. Consonat item Carolus Sigonius [i], dum, quòd rempublicam bene administraret contra opinionem omnium factum affirmat. *Is enim* (inquit) *vbi primùm est designatus Pontifex, contrà opinionem omnium, ingentem animi indolem præ se tulit.* Denique ante electionem mirè simplici, infusam in electione scientiam, prudentiámque, Diuus Antoninus [k] tradit in hæc verba. *Hunc, cùm antea simplex esset, Deus mirabili gratiâ, & elegantiâ perfudit.* Crediderim hominis aliàs industrij, prudentísque columbinum candorem præcelluisse; nec se voluisse extendere vltra monachum, dum intra eius professionis fines continebatur: Pontificem relaxâsse habenas propriæ industriæ; quæ nihilominus diuinitus afflata, etiam vltra mortalem, præuolauerit; quod multa eius gesta testificantur. Nobis hæc satis dicta de electione electi, meritis, & scientia superaddita.

h lib 9. vbi de Eug 3.

i in hist. regni Italiæ lib 11.

k part. 2 tit. 17. c. 1 §. 7.

6. *Electus* (pergit Codex Vaticanus [l]) *deductus est ad Lateranense Palatium & in Apostolica sede secundùm morem positus est, & nominatus Eugenius Papa Tertius. Qui cùm proxima die Dominica consecrationis munus apud Sanctum Petrum (sicut consuetudinis ordo poscebat, & dispositum fuerat) deberet suscipere: precognito Senatorum peruerso consilio, quo eius electionem violenter retractare disposuerant, nisi eorum voluntatem faceret, & vsurpatum Senatum, eis Apostolica auctoritate confirmaret: noctis silentio vrbem cum paucis fratribus exiit, & ad arcem montis Celinij se in tutum recepit. Congregatis verò alia die cunctis Patribus, qui dispersi fuerant propter metum furentis populi, processit ad Farfense monasterium, in Sabinis positum cum domestica familia, & consecrationis gratiam in sequenti Dominica pro plenitudine sui Apostolatus, secundùm morem Ecclesiæ; Domino auctore, suscepit. Exiit verò rumor iste, sicut vox lætitiæ ad omnes gentes, & de tam Sancta promotione vniuersa Ecclesia exultauit, dicens cũ Psalmista [m]. Benedictus Deus in donis suis, & sanctus in omnibus operibus suis; quoniam ex insperato exaltauit humilem [n], &* sublimauit cornu Christi sui. Hactenus de Petri Bernardi iam dicti Eugenij Tertij consecratione. Sigonius [o] aliam desertæ ab Eugenio Romæ causam assignat vectigalium, quam Romani poscebant indemnitatem. *Is* (ait) *vbi primùm designatus est (Pontifex) contra opinionem omnium ingentem animi indolem præ se tulit. Nam cùm à Romanis ad remittenda vrbis vectigalia vrgeretur, eos ita aspernatus est; vt ne dignos quidem quîscum habitare putarit, sed summa rerum ablata Pontificibus, reliqua etiam auferri conueniens erat.*

l apud Baron. hoc anno.

m Psal. 144.

n 1. Reg. 2.

o de Regno Italiæ l. 11.

Animaduersione prætereа dignum est, quod Baronius omisit, & auctor Chronici Belgici [p] adnotauit; cùm aliqui Cardinales fortè quia electum constantiorem, quàm optassent experiebantur, eius vellent infringere electionem, Sanctum virum nec cecidisse animo, nec sese facilè illis concessisse; quin anathemate indicto in Nouatores testitisse viriliter; ac irritos conatus euacuâsse. *Cùm enim* (ait) *Romæ Cardinales primam eius (Eugenij) electionem vellent irritam haberi. Dixit coram omnibus. Ego excommunico omnes illos, qui tractaturi sunt de electione Papæ, me viuente.* Sic qui electoribus antea vix acquieuerat, refragantibus obstitit; & vt nequaquam eligi ambiuit, sic neque electus deponi passus est; humilis æquè, ac constans; neque minus, à pusillanimitate recedens, quàm à superbia. Nunc ad rebelles ciues reuertamur. 7.

p fol. mihi 168.

Hi cùm in Eugenium, Cardinalésque non possent, quippe in tuto iam factos, debacchari: in eorum se bona conuerterunt; atque cunctorum domos, effractis foribus, prædæ primùm, rapinæque expositas, mox igni etiam, & ferro deuastarunt. Certè Bernardus [q] spoliatos Cardinales non rebus tantùm, sed omnibus affirmat. *Quid enim?* (inquit ad eosdem Romanos scribens) *Patres vestri vbi orbem subiugarunt, vos vrbem properatis orbi facere fabulam: En Petri hæres Petri sede, & vrbe à vobis expulsus est; en rebus & domibus suis, vestris manibus, spoliati sunt Cardinales, atque Episcopi ministri Domini.* Sed clariùs adhuc Otho Phrisingensis, expresśiúsque, qui & Cardinales ipsos, si quos obuios habuerunt, turpiter sauciatos tradit ab Arnaldistis [r]. *In tantum verò* (ait) *huius venenosæ doctrinæ cœpit inualescere malum, vt non solùm nobilium Romanorum* (intellige Ecclesiæ fauentium atque Pontifici) *sed Cardinalium diruerentur domus, & splendida Palatia; verùm etiam de Cardinalibus reuerenda persona inhonestè, sauciatis quibusdam, à furenti plebe tractarentur.* Sed de his plura infrà, latiúsque, dum de ipsius Arnaldi ingressu in vrbem tractauerimus. 8.

q Epist. 242.

r in Friderico lib. 1 c. 20.

Hæc Pontificatus Eugenij fausta, an nefasta initia; certè illustria, siue perfecta in ipsa infirmitate, constantia viri; siue, quem præhabuerat, ostensa. Pannosum hominem, nec Monachum exutum tantis periculis. Opponi, sine periculo, neque resistere tantùm, sed superare; immensam Dei virtutem manifestat; qui iam dudum infirma mundi eligit, vt fortia confundat, sed nihilominus, gloriosum Eugenio fuit ad tantum opus ab ipso Deo assumi, cui adeò par, aut superior comprobaretur. Quippe quos vocat aptos ministeriis, aut inuenit, aut facit; & in Eugenio vtrumque contigisse, & supra diximus, & ipsi etiam euentus manifestabunt. 9.

1. Bernardus

1. Bernardus prior ad Eugenium Papam scribit. 2. De eius post electionem, silentio queritur. 3. Boni Pontificis onus, & munus explicat; 4. Pericula intimat: 5. Pro Archiepiscopo Cantuariensi rogat, 6. ab auaritia eóque in quoscumque malos exoptat liberum, 7. & mortis suæ memorem, 8. in quo tacitè contra Eboracensem intrusum pro Henrico. 9. Demùm ad Cardinales admirans primùm, 10. Mox rem altiùs perpendens, 11. Deinde timens, & suadens, vt sancta illi & salubria consilia suggerant.

CAPVT II.

EFFERATA Arnaldistarum rabies quotidie gliscens, & ingruentia negotia vrbis, & orbis detinuerunt Pontificem, quominus suo olim Patri, sed iam tunc filio, & semper amantissimo Bernardo mutationem in se, & de se factam renunciaret per litteras, vt secum aut doleret, aut gratias ageret. Ast Pater Sanctus, qui filij principatum, dudum vulgante fama, rebellionem in ipsum nondum nouerat: cùm sustinuisset desideratum nuncium, litterásve, quibus Bernardum mutatum in Eugenium (augustius nomen) & se filium vocari gratanter legeret, & aliàs Cantuariensis Archiepiscopi aduersùs Eboracensem litigantis. (Contra quem etiam pro Henrico Murdacensi discipulo Bernardi adhuc stabat) precibus vrgeretur; rupit tandem silentium ipse prior; atque auream hanc epistolam scripsit nouo Pon-
a Epist. 237. tifici [a].

2. *Amantissimo Patri, & Domino, Dei gratia, Summo Pontifici Eugenio, Bernardus Clara-Vallis vocatus Abbas, modicum id, quod est.*

Auditum est in terra nostra, & celebri sermone vulgatum verbum hoc, quod factum est de vobis à Domino. Presseram stylum hactenus, rem tacitus considerabam, Expectabam enim litteras vestras, & praueniri à vobis in benedictionibus dulcedinis. Expectabam virum fidelem, qui veniret à latere tuo, qui diceret cuncta per ordinem, quid, quomodo, & qualiter actum esset. Expectabam si quis forte de filijs meis reuerteretur, qui leniret dolorem pa-
b Genes. 45. *tris, qui diceret* [b]*:* Ioseph filius tuus viuit, & ipse dominatur in tota terra Ægypti. *Hinc est quòd littera ista non sunt voluntatis, sed necessitatis, & amicorum exorta precibus, quibus negare non possum modicum illud, quidquid residuum est vitæ meæ. Quia tamen semel cœpi, loquar ad Dominum meum: iam enim filium dicere non audeo, quia filius in Patrem, pater mutatus est in filium. Qui post me venit, ante me factus est. Sed non inuideo, quia quod mihi deerat, in eo me habere confido; quia non solùm post me sed etiam per me venit. Nam, si dignaris, quodammodo, per Euangelium ego te genui. Quæ est ergo spes nostra, & gaudium nostrum, & corona gloriæ? nonne vos ante Deum? Denique filius sapiens gloria est Patris. A modò tamen non vocaberis filius; Sed vocabitur tibi nomen nouum, quod os*
c Psalm. 76. *Domini nominauit* [c]. Hæc est mutatio dexteræ Excelsi, *& multi in mutatione ista gaudebunt. Nam*
d Genes. 17. *quemadmodum olim Abram in Abraham* [d]*, Iacob in Israël: & , vt de tuis magis prædecessoribus tibi*
e Marci 3. *proponam: Sicut Simon in Cepham* [e]*, Saulus in*
f Actor. 13. *Paulum* [f]*, sic filius meus Bernardus in Patrem meum Eugenium, læta prorsus & vtili, vt speramus, translatione promotus est, digitus Dei est iste* [g]*,* Susci-
g 1. Reg. 2. tans de puluere egenum, & de stercore erigens
h Psal. 112. pauperem, vt [h] sedeat cum Principibus, & solium gloriæ teneat. *Superest, vt facta hac commutatione tui, ipsa quoque, quæ tibi commissa est, Domini tui sponsa mutetur in melius, & iam nequaquam Sarai, sed Sara de cætero nominetur.*

Intellige quæ dico: dabit enim tibi Dominus intel- 3.
lectum. Si amicus sponsi es, ne dixeris dilectam eius principem meam, sed principem; nihil tuum in ea vendicans; nisi quod pro ea si oportuerit, etiam animam dare debes. Si Christus te misit, æstima his te non ministrari, sed ministrare venisse: & ministrare, non solùm substantiam, sed ipsam quoque animam, sicut præfatus sum. Verus successor Pauli di-
cet cum Paulo [i]*:* Non quia dominamur fidei ve- i 2. Cor. 1.
stræ; sed adiutores sumus gaudij vestri. *Petri hæ-*
res, audi & Petrum dicentem [k]*:* Neque vt domi- k 1. Petri 5.
nantes in clero sed forma facti gregis. *Sic enim iam non ancilla sed libera etiam, & formosa speciosissimi sponsi, per te in desideratos adsciscetur amplexus. Alioquin per quem alium hac tam debita libertas sperabitur; si & tu, (quod absit) in Christi hereditate quæras, quæ tua sunt, qui iam & ante didiceras, non dico tua non retinere, sed nec tuus esse? Ergo fiduciam talem habens in te, qualem in nullo prædecessorum tuorum à multis retrò temporibus visa est habuisse, exultat meritò vbique, & gloriatur in Domino omnis Ecclesia Sanctorum: & specialiter illa, cuius vterus te portauit, & cuius vbera tu suxisti. Quid ergo? nónne, & mihi licet gaudere cum gaudentibus? nunquid non ero vnus de numero lætantium? Exultaui, fateor, sed cum tremore. Exultaui, sed in ipso exultationis meæ articulo timor, & tremor venerunt super me. Ego enim, etsi nomen patris deposui, sed non timorem, sed non anxietatem; postremò nec affectum, nec viscera Patris. Considero gradum, & casum vereor: Considero fastigium dignitatis, & intueor faciem abyssi iacentis deorsum. Attendo celsitudinem honoris, & è vicino periculum*
reformido, pro eo quod scriptum est [l]. Homo cùm l Psal. 48.
in honore esset, non intellexit. *Quod quidem ad causam magis, quàm ad tempus arbitror esse referendum, vt sic intelligatur dictum, cum in honore esset non intellexit, ac si diceretur: honor absorbuit intellectum.*

Et quidem elegeras abiectus esse in domo Dei tui, 4.
& recumbere in nouissimo loco in conuiuio eius; sed
placuit dicere ei, qui te inuitauit [m]*:* Amice ascen- m Luc 14.
de superiùs. *Itaque ascendisti in altum, noli altum sapere, sed time: ne fortè contingat serò miserabi-*
lem illam emittere vocem; à facie [o] iræ, & indigna- o Psal 101.
tionis tuæ eleuans allisisti me. *Altiorem quippè locum sortitus es, sed non tutiorem; sublimiorem, non securiorem; Terribilis prorsus, terribilis est locus iste. Locus, inquam, in quo stas, terra Sancta est, locus Petri est, locus Principis Apostolorum, vbi steterunt pedes eius; locus illius est, quem constituit Dominus Dominum domus suæ, & principem omnis possessionis suæ. Si forte declinaueris à via Domini, sepultus est in eodem loco, vt sit tibi contra te in testimonium. Meritò tali pastori, tali nutricio commissa est Ecclesia, cùm adhuc tenera adhuc in cunabulis esset:*

esset: cuius docta magisterio, & exemplo educata, omnia terrena calcaret, vtpote qui excusserat manus suas ab omni munere: qui dicebat de corde puro,& conscientia bona[o], argentum & aurum non est mihi. *Hac Hactenus.*

o Actor. 3.

5. *Cæterum causa, quare antè tempus scripserim vobis, hac est. Vuintoniensis Episcopus,& Eboracensis Archiepiscopus non gradiuntur vno spiritu cum Cantuariensi Archiepiscopo, sed incedunt sibi ex aduerso; & hac vetus est de legatione querela. Verumtamen quis est ille, & qui sunt illi? Nónne Eboracensis ipse est, cui te præsente, cùm adhuc esses quasi vnus ex nobis, fratres tui restiterunt in faciem, eo quòd reprehensibilis erat? Sed sperauit in multitudine diuitiarum suarum, & prævaluit in vanitate sua. Certum est tamen, quod non intrauit per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde. Si pastor fuisset, diligendus erat; si mercenarius, tolerandus. Nunc autem cauendus, & repellendus, vtpote fur, & latro. Quid dicam de Domino Vuintoniensi: opera, quæ ipse facit testimonium perhibent de eo. Porrò Archiepiscopus Cantuariensis, cui aduersantur, vir religiosus est, & suaueolentis opinionis. Pro ipso petimus, vt respondeat ei iustitia sua. Verum illorum iniquitas super eos sit, sicut scriptum est*[p]. Iustitia Iusti super eum erit, & impietas impij erit super eum. *Cùm acceperis tempus, secundum opera manuum illorum retribues illis, vt sciant Prophetam esse in Israel.*

p Ezechiel 18.

6. *Quis mihi det, antequam moriar, videre Ecclesiam Dei sicut in diebus antiquis; quando Apostoli laxabant retia in capturam; non in capturam argenti, vel auri, sed in capturam animarum? quàm cupio illius te hæreditare vocem, cuius adeptus es sedem?* Pecunia *(inquit)* tua tecum sit in perditionem[q]. *O vox tonitrui, ô vox magnificentiæ,& virtutis; ad cuius terrorem confundantur, & conuertantur retrorsum omnes, qui oderunt Sion. Hoc vehementer expectat, & omnino expetit à te mater tua, hoc filij matris tuæ pusilli cum maioribus desiderant, hoc suspirant, vt omnis plantatio, quam non plantauit Pater Cœlestis, tuis manibus eradicetur. Ad hoc enim constitutus es super gentes,& regna; vt euellas & destruas, & ædifices & plantes. Multi audito hoc verbo dixerunt apud se. Iam securis ad radicem arboris posita est. Multi dicunt in corde suo: flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis aduenit, in quo sarmenta sterilia rescindentur, vt ea, quæ prævalent, vberius fructum afferant.*

q Act. 8.

7. *Confortare igitur,& esto robustus, manus tua in ceruicibus inimicorū tuorum. Vendica tibi animi constātia,& vigore Spiritus, partē, quam dedit extra fratres tuos tibi omnipotens Pater, quam, & tulit de manu Amorrhæi in gladio, & arcu suo. In omnibus tamen operibus tuis memēto te esse hominē,& timor eius, qui aufert spiritum Principū, semper sit ante oculos tuos. Quantorum in breui Romanorum Pontificum mortes tuis oculis aspexisti? Ipsi te prædecessores tui, tua certissima, & citissima decessionis admoneant; & modicum tempus dominationis eorum, paucitatem dierum tuorum nunciet tibi. Iugi proinde meditatione inter huius transeuntis gloriæ blandimenta, memorare nouissima tua, quia quibus successisti in sedem ipsos sine dubio sequeris ad mortem.* Hactenus ad Eugenium mellifluus Pater.

8. Cæterùm, quod de Eboracensi intruso ait, ipsum esse, cui Eugenio præsente, eum adhuc esset, quasi vnus ex cæteris, Cistercienses in faciem restiterunt, eo quòd reprehensibilis esset; & rursus certum esse, quod non intrauit per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde: & demùm quod sub finem Epistolæ suggerit, tempus putationis aduenisse, vt sarmenta sterilia rescinderentur; eo ni fallor, respicere coniector, vt ipso amoto, nam causa adhuc pendebat, Murdacensis Henricus ex Claraualle, qui fuerat ritè electus subtitueretur. Nimium in prima Epistola, si peteret; parum, si non innueret. Ergo innuit, in secunda affectuosius rogaturus, quod mox videbimus. Interim ad Romanæ Curiæ Cardinales, qui Eugenium elegerant, has itidem non minus elegantes, neque minus congratulationis, lætitiæque, sed,& timoris Sancti plenas litteras dedit[r].

r Epist 236.

9. *Dominus, & Patribus venerandis Cardinalibus,& Episcopis omnibus, qui sunt de Curia, puer sanctitatis eorum.*

Parcat vobis Deus, quid fecistis? Sepultum hominem reuocastis ad homines; fugitantem curas, & turbas, curis denuò implicuistis, & immiscuistis turbis. Fecistis nouissimum primum; & ecce nouissima illius periculosiora prioribus: Crucifixus mundo, per vos reuixit mundo: & qui elegerat abiectus esse in domo Dei sui, ipsum vos in Dominum omnium elegistis. Cur consilium inopis confudistis? cur pauperis hominis, & mendici,& compuncti corde iudicium perturbastis? Currebat bene. Quid vobis visum est sepire vias eius, auertere semitas, gressus inuoluere? Quasi descenderet de Hierusalem,& non magis ascenderet de Hierico, sic incidit in latrones. Et qui se tanquam violentis Diaboli manibus, carnis illecebris, & gloria sæculi potenter excusserat; non tamen valuit effugere manus vestras. Num idcirco Pisam deseruit, vt reciperet Romam? Num qui in vna Ecclesia non sustinuit Vice dominatum, Dominatum in omni Ecclesia requirebat? Quid igitur rationis seu consilij habuit, defuncto summo Pontifice, repente irruere in hominem rusticanum? latenti inijcere manus,& excussa è manibus securi, & ascia, vel ligone in palatium trahere? leuare in cathedram? induere purpura & bysso? accingere gladio, ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis, ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis? Sic non erat inter illos sapiens, & exercitatus, cui potiùs ista conuenirent?

10. *Ridiculum profectò videtur pannosum homuncionem assumi ad præsidendum Principibus, ad imperandum Episcopis, ad regna,& imperia disponenda. Ridiculum, an miraculum? planè vnum horum. Non ego, non diffido posse fuisse hoc etiam opus Dei, qui facit mirabilia magna solus, præsertim, cùm audiam vsquequaque ex ore multorum, quoniam à Domino factum est istud. Sed nec ego oblitus sum iudiciorum Dei antiquorum, & scripturæ plurimos recensentis, è priuata, seu etiam rusticana vita olim assumptos in voluntate Domini, ad regendum populum eius. Denique nónne (vt vnum è pluribus memorem) tali quodam modo elegit Dauid seruum suum,& suscepit eum de gregibus ouium depostfœtantes accepit eum? ita inquam, ita & de nostro Eugenio in beneplacito Domini potuit contigisse.*

11. *Non securus tamen, quoniam filius delicatus est, & tenera verecundia eius, assueta potius otio, & quieti, quàm tractandis, quæ foris sunt, timendúmque, ne non ea auctoritate, qua oporteret, sui Apostolatus officia exequatur. Quid putatis gerere animi nunc hominem illum, qui de secreto interna contemplationis, & amica solitudine cordis, tanquam infans, è gremio,& sinu matris, subitò perturbatus, tractum se ad medium videt, & quasi ouem ad victimam*

ctimam ductum, ad tam insueta, & insuauia? Nisi Dominus supponat manum suam, heu! necesse est obruatur, & opprimatur onere insueto, & nimio; quod & Gigantinis, (vt aiunt) vel ipsis quoque Angelicis humeris formidabile videatur. Verumtamen, quia sic factum est, & sicut multi dicunt, à Domino factum est, vestra interest, charissimi, vestris feruentibus studiis, fidelibúsque obsequiis sollicitè confouere, quod vestris manibus constat elaboratum. Si qua ergo consolatio in vobis, si qua virtus charitatis in Domino, si qua miseratio pietatis, si qua compassionis viscera, assistite, & collaborate illi, in opere, ad quod assumptus est per vos à Domino. Quacumque sunt vera, quacumque pudica, quacumque iusta, quacumque sancta, quacumque amabilia, quacumque bona fama, hæc ei suggerite, hæc suadete, hæc agite, & Deus pacis erit vobiscum. Hactenus Pater sanctus ad Cardinales, cùm in Pontificem, Eugenium elegissent.

---

1. *Arnaldus Brixianus vrbem ingreditur,* 2. *plebem concitat.* 3. *Eugenius dans locum ira, Viterbium adit:* 4. *ibidémque Armeniorum legatos excipit.* 5. *Publica legationis causa,* 6. *priuataque.* 7. *Qualiter à legatis Armenia visus.* 8. *Comparatus Gregorio.* 9. *Quasitus ex Scotia, Angliáque.* 10. *At non penitus à litigantium surreptione immunis.* 11. *Prima per eum creatio Cardinalium,* 12. *cum præcautione vlterioris subreptionis:* 13. *Non tamen statim, sed post tempus adhibenda.*

Capvt III.

1. DVm Sanctus Pater de electione Eugenij, tam electoribus, quàm electo congratularetur, gnarus Pontificatus, inscius periculi, quod non Pontifici tantùm imminebat, ea rebellione ciuium, sed Sedis etiam excidium comminabatur: Arnaldus populum ad se conuersum videns, Pontificem fugatum, & Cardinales; nec quemquam reliquum, à quo timere posset; vrbem Romanam palam ingressus est, effrænę vulgus stimulis adactis, quacumque industria præcipitaturus. Iam verò antiquam Romanæ gentis gloriam, libertatem ingenuam inculcans plebi, degenerasse sub honesto (in speciem) Ecclesiæ iugo: atque imbecillibus Clericis subesse, quorum patres vel orbi imperauissent; natos regere cunctos, à cunctis regi: neque vllam esse tàm barbaram nationem, cui non pateat accessus ad sedem Petri; adeóque ad subiuganda Romana colla. Se sub Consulibus, plebisque Tribunis, acquisisse prouincias, regnáque, sub Imperatoribus saltem conseruasse. At nunc sub Pontificibus, inermium hominum cupidini expositos; eo tantùm iam posse non amittere, quia nihil retineant. Nihil sibi cum Ecclesia in temporalibus, parum cum regno: floruisse semper Rempublicam Romanam; si restauraretur, denuò florituram.

2. Ergo, vt ait Gunterus [a] Ligurinus.

[a] de gestis Friderici lib. 3.

——titulos vrbis renouaret vetustos,
Patricios recreare viros, priscósque Quirites
Nomine plebeio secernere nomen equestre.
Iura Tribunorum, Sanctum reparare Senatum:
Et senio fessas, mutásque reponere leges.
Lapsa ruinosis, & adhuc pendentia muris
Reddere primæuo Capitolia prisca nitori:
Consiliis, armísque sua moderamina summa
Arbitrio tractare suo. Nil iuris in hac re
Pontifici summo. Modicum concedere Regi.

His & similibus commota Romana plebs eò dementiæ venit, vt teste Othone [b] Episcopo Frisingiæ. *In furorem conuersa præfectura dignitatem abolentes, omnes Principes, ac nobiles ad subiectionem Patricij compulerit, & non solùm quorumdam laicorum turres, sed & Cardinalium, ac Clericorum* (quod supra diximus) *domus subruentes, prædam immensam raperet. Ecclesiam etiam Beati Petri omnium Ecclesiarum caput, sacrilegè, & profanosè incastellare non metuerent: peregrinos causa orationis aduenientes, quæstus gratia, ad oblationem plagis, & verberibus cogerent: ac quosdam ex ipsis offerre nolentes in ipso porticu, ac vestibulo templi, nefario ausu occidere non vererentur.* Hæc facies Romæ post ingressum Arnaldi fuit.

[b] lib. 7. c. 31.

Ast Eugenius insanientium Romanorum ciuium furorem deuitans, secessit Viterbium. Vbi vsque ad finem anni commoratus, non tam cedere, quàm dare locum iræ visus est; cùm efferbuerit, facilius compescendæ: Percussit tamen priùs anathemate Iordanem, & socios; ac Tiburtinos Romanorum antiquos hostes auxiliares adsciuit, per quos vexati faciliùs resipiscerent. Vtrumque narrat Otho [c] Phrisingensis dum ita ait. *Quos* (id est Romanos) *Venerabilis Pontifex, percusso priùs cum quibusdam fratribus suis, anathematis gladio Iordane, adiuncta Tiburtinis Romanorum antiquis hostibus, militia, coërcuit, tandémque pacem petere coëgit.* Sed de his suo tempore dicemus. Interim, quo tristibus lætiora misceantur, atque vtraque se mutuo temperarent. *Accidit* (inquit Baronius hoc ipso anno) *secundùm illud diuinum oraculum, veritatis ore prolatum de prædestinatione Sanctorum* [d]. Venient ab Oriente, & Occidente, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob, & filij regni eiicientur in tenebras exteriores. *Quod dum Romani resiliunt, accurrant populi è longinquo; cùm negant isti, qui propè profiteantur qui longè sunt positi, vt ita saltem erubescant omnes, qui oderunt Sion.* 3

[c] lib. 7. c. 31.

[d] Matth. 8.

Itaque hoc anno pulsum vrbe Pontificem orbis excepit; & remotissimæ etiam regiones Viterbij commorantem visitarunt. Primus, vel inter primos Frisingiæ Præsul illustris ille Otho Leopoldi filius, qui simul cum Eugenio Cistercij iugum, diuersis licèt locis, diu portauerat, nempe Morimundi, dum ille in Claraualle: is legationes ex Syria, Armeniáque, quibus ipse interfuit, ac miracula à Legatis Viterbij visa commendantia Eugenium, cùm sacra Missæ ibidem celebraret, historiæ suæ inseruit in hunc tenorem [e]. *Ea tempestate Armenorum Episcoporum, eorúmque Metropolitani, quem ipsi Catholicon, id est vniuersalem, propter infinitum, id est ampliùs, quàm mille Episcoporum sub se habentem numerum, vocant, Legati ab vltimo penè Oriente, Summum Pontificem Viterbij, laboriosum iter, per annum, & sex menses complentes adeunt;* 4

[e] lib. 7. c. 32.

adeunt; eique ex parte illius Ecclesiæ subiectionem omnimodam, eum consalutando offerentes, causas viæ, nobis, cum aliis multis præsentibus, apud veterem aulam aperiunt. Hæc de Legatis Armenorum ad Eugenium.

5. De causis verò legationis, hæc, quæ sequuntur, *Inter ipsos, & Græcos quadam de ritu sacrificij habitudo est in quibusdam, in aliis verò discrepantia. Ponunt enim fermentatum panem, sicut illi, aquam autem vino non admiscent, sicut nos, & illi. Præterea natiuitatem Domini Epiphaniæ continuantes, duas illas festiuitates vnam faciunt. Pro his, & aliis dum inter se dissentirent, Romanam Ecclesiam iudicem eligentes, consultum veniunt, formámque sacrificij, iuxta consuetudinem eius sibi tradi deposcunt.* Et paulò inferius. *Retulit etiam præfatus Episcopus, quod in confinio Armeniæ quædam gentes essent, quæ fœtus suos, fatentes generarent, eósque statim ad aquas Armenorum lauandos transmitterent. Quos, cùm illi Baptismatis vnda tingentes, innatum eis fœtorem propellerent, mox tamen remissi, ad paganismi ritum, & spurcitiam redibant. Quod virum faciendum esset, item Romanam Ecclesiam consuluerunt.* Tertiam tandem, sed Legati priuatam causam subdit sequenti capite [f], non communem legantium, querimoniam de Antiocheno Patriarcha, & de Principe matre Balduini, Hierosolymitani Regis filia, atque exactionem quarundam decimarum de spoliis bello ablatis à Sarracenis, super quibus Apostolicæ Sedis requirebant auctoritatem.

f lib. 7. c. 33.

6. Actum præterea de periculis Orientalis Ecclesiæ, post captam Edessam; & quot, & quanta mala à Sarracenis, super quibus, Hierosolymitæ, atque Antiocheni fideles perpeterentur: desperatis iam rebus, & penè perditis, ni Rex Francorum, ni Imperator Conradus suppetias eant, quos etiam sibi adeundos pronunciáuit; sed de his suo loco erit dicendum. Hæ legationis, & Legati causæ, priuatæ, & publicæ. Responsa Eugenij prætermisit Otho, nisi quod tantùm pro instruendis viris in Missæ sacrificio celebrando. *Romanus (ait) Antistes gratanter suscipiens* (scilicet Armenorum Legatos) *Missarum solemniis, ac sacrificiis secretis adhibuit, diligentérque ea, quæ fiebant ibidem animaduertere monuit.* Haud aliter Baptistæ interroganti, Christus respondit; Dicite Ioanni, quæ audistis, & vidistis; Eugenius, quæ audirent, & viderent, notare iubet, non verbo tantùm, scriptóve instruendos, sed ipso opere.

7. Porrò qui virum Ecclesiæ præficiendum cordibus electorum altiùs impresserat; exteris etiam, ac per ipsos orbi manifestauit, radiis solis illustrem, coruscúmque ac gemina columba, velut gemina virtute à Deo præuentum, siue mauis, afflatum diuino Spiritu. Nam audi quod sequitur. *Dum* [g] *intenti, sacro altari adstarent* (scilicet Legati Armeniæ) *vnus ex eis Pontificali dignitate præditus, sicut post modum in plena curia retulit, in Beati Martini Octaua, quando Dedicatio Ecclesiæ Beati Petri celebrari solet, summo Pontifici,* (scilicet Eugenio) *diuina mysteria agente, splendido fulgore radium Solis super caput eius coruscare, & in ipso duas columbas ascendentes, & descendentes vidit. Cúmque diligentius hac, illácque oculos circumferret, nullúmque aditum, per quem lux illa transfunderetur, inueniret; Deificum hoc esse agnoscens; ac ad obedientiam Romanæ Sedis ampliùs accensus, cunctis, quæ viderat aperuit.* Hactenus Otho de visione Armeni Episcopi, atque Summi Pontificis Eugenij, diuinitus ostensa commendatione.

g lib. 7. c. 32.

Gregorium Magnum, atque eius aurea scripta inspirata diuinitus vnica tantùm Columba manifestauit; Eugenium duplex; illa in medio aëre; hæ in radio Solis volitabant. Hærebat illa auri penè immota, hæ dum ascendunt simul, descendúntque, frequentes viri ad Deum preces deducunt, frequentia Dei ad eum responsa referunt, denique illa aurem erudiebat, hæ dum caput Eugenij circumuolant, reliquos etiam sensus, æquè illustrant. Nec ideo Eugenium Gregorio magno comparo; sed fauorem fauori, qui sæpè infrà, aut suprà, pro beneplacito diuinæ voluntatis. Certè Eugenius in Armenij Præsulis merito deferebat visionem. *At venerabilis pater* (inquit Otho) *ipsius potiùs fide, cælitus hoc sibi monstratum affirmabat: vt videlicet Ecclesia à qua missus fuerat, Sacramentorum virtutem veritatis luce perfusam cognosceret: ac deinceps quali reuerentia, & forma tractare deberet, addisceret.* Sic ille. 8

Vt ex Armenia, Syriáque Legati, sic ex Anglia, & Scotia: hinc Morauiensis Episcopus Guillelmus, & Nicolaus; à secretis Regi Macolmo: illinc Alexander Lincolniensis: nec dubium aduenisse plures alios, quos, auctores minus fortè curantes, præteriere. Et quidem de aduentu Alexandri; hæc à Rogerio eius temporis auctore [h], & qui Eugenij dotes paucis describit; *Eodem anno Episcopus Lincolniensis Alexander iterum Romam petens, susceptus est honorificè ab Eugenio Papa nouo, viro summa dignitate condigno, cuius mens semper benigna, cuius discretio semper æqua, cuius facies semper non solùm hilaris, sed & iucunda fuit.* At de Legatis à Macolmo Scotiæ, missis, Hectorem Boëtium Scotum audiamus [i]. *Reuerso in Scotiam Macolmo nihil prius visum est agendum, ac vt quamprimum Legationem ad Pontificem Maximum, obedientia consueto more, gratia mitterent. Sedem ea tempestate Petri Eugenius tertius obtinuerat. Eam Legationem Guillelmus Morauiensis Episcopus, & Nicolaus, qui tunc Regi à secretis erat; vir insigni quadam virtute politus, obijcere. Qui postquam benignè à Pontifice maximo excepti, rem ex sententia confecerunt, domum læti reuersi sunt.* Ita Boëtius: At non ex Anglia tantùm, Scotiáque, sed ex Germania, Gallia atque ex Hispaniis concurrere ad Eugenium, qui Pontificem sibi de cœlo datum (sic enim appellabant) adorarent, & de eius electione gratularentur. 9.

h in annalibus.

i lib. 13. de rebus Scotiæ.

Cæterum noluit Deus in tanta gloria hominem obliuisci, quem præfuturum hominibus elegerat, atque eorundem miseraturum casus, ignorantiásque, sed & versutias etiam præcauturum. *Accidit enim* (ait Cardinalis Baronius [k]) *vt in tanta negotiorum frequentia, ac concurrentium ex orbe legationum; ipse Eugenius non potuerit penitus vitare subreptionem litigantium: quo factum est, vt lata ab eo sententia contra Ilerdenses, ab Innocentio tertio post plures annos, re meliùs cognita, fuerit reuocanda. Quæ reuocatio in iure hodiéque extat in cap.* Tum in litteris *de in integrum restitutione, Pontifice inter alia ita dicente. Perspeximus quod primo mense sui Pontificatus* (scilicet Eugenij) *fuerit ab eo sententia promulgata, quando non plenè de meritis ipsius causa videbatur instructus, illa nitens præcipua ratione, quod priuilegium Vrbani secundi ex parte vestra productum, subiectum fuerit falsitati? Cuius tenorem nos in registro eius inuenimus incorruptum. Sic Innocentius?* Constat Eugenio subreptum ab 10.

k ad hunc annum.

Ilerden

Ilerdensibus, quo tempore à Legatis Prouinciarum, atque à Regibus orbis, velut à Deo datus acclamabatur: & quod mireris, ipsismet diebus, quibus Columbæ in radio solis vitæ, illustrationes, suggestionésque ad eum de cœlo missas contestabantur. Vt sciret neminem in hac mortali vita ab errore immunem, indéque disceret & ignorantiis compati, & deceptionibus deinceps præcauere.

11. Idem, qui suprà, Baronius [l] adnotauit, adhibuisse, quam potuit, præcautionem, dum Cardinalem, Cancellariúmque creauit Rolandum, virum vtique industrium, & prudentem, qui post modum in Alexandrum Tertium promotus fuit. Cuius ea erat ingenij perspicacitas, vigilantiáque, vt omnem subreptionem, pro humano saltem captu, propulsaret? Adducit porrò in eiusdem præcautionis confirmationem epistolam Bernardi ad eundem Rolandum, gratulatoriam de eius electione, atque in his ipsis, quæ de eo sperabantur, confirmatoriam, in qua hæc [m] inter alia. *Benedictus Deus, qui secundùm suam misericordiam, Eugenium nostrum, imò suum præuenit in benedictionibus dulcedinis parare scilicet lucernam Christo suo, & præmittere virum fidelem ad adiutorium eius, & nostram quoque plurimam consolationem.* Et paulò inferiùs: *Quamobrem sollicitus sis, charissime, pro eo, cui te consolatorem, & consiliarium ordinauit Deus, & obserua cautè, secundùm tibi datam sapientiam, ne fortè inter tam multiplicium negotiorum tumultus, malignorum fraude circumueniri possit, vt subripiatur ei verbum, quod indignum sit Eugenij Apostolatu.* Hæc & alia Bernardus in ea epistola vt palam fiat Eugenij prouidentiâ, atque ipsius Consiliis, cautum pro viribus contra emergentes litigantium subreptiones. Hæc pluribus Cardinalis Baronius ad hunc annum.

l Ibidem.

m Epist. 134.

12. Ego non dubito Rolandum ab Eugenio Cardinalem creatum, quin potiùs id ex actis statim prodam. Nec rursus ambigo eundem Cardinalem Cancellariæ sub ipso præfectum fuisse; cuius industria, perspicaciáque, fraudibus litigantium obuiaretur. Sed longo vtrumque disiunctum interuallo, nec posse ad hunc euentum, aut huius temporis alios retorqueri. Quippe Cardinalis creatus hoc ipso anno, in quo munere in fraudes vix quicquam posset: Cancellarius post annos fermè octo, in vltimis Eugenij, cùm tres alij ante ipsum præcessissent, priores duo Robertus, atque Guido, qui tales essent, tertius Baro, qui vices exequeretur. Sanè Chaconius [n], ex ipsis instrumentis, queis singuli subscribunt, hæc habet verba.

n In Eugen. 3.

Cancellarij S.R.E. sub Eugenio Papa tertio.

Robertus Presbyter Cardinalis, ab anno Pontificatus primo vsque ad quintum. Guido Moricotus de vico Pisanus Diaconus Cardinalis Sanctorum Cosmæ & Damiani sacræ Romanæ Ecclesiæ Cancellarius post Robertum. Quo mortuo: Baro scriptor Apostolicus pro Cancellario fuit:

Rolandus Paparo Senensis Presbyter Cardinalis tituli sancti Marci, sacræ Romanæ Ecclesiæ Cancellarius anno Pontificatus octauo creatus. Ita Chaconius. Quibus constat Robertum in principio, Guidonem anno Christi M. C. XLIX. Verum Rolandum non ante. M. C. LII. ad Cancellariæ officium ascendisse. Ergo ex Rolandi assumptione in Cancellarium, sera præcautio: sed quæ fortè non antea necessaria ab Eugenio præuisa, aut non potuerit maturiùs adhiberi.

Hoc tamen anno, vt reddam quod promisi, dum Eugenius Viterbij demoraretur, primam Cardinalium creationem fecisse scribitur, ex quibus quatuor hoc ordine recenset Alphonsus Chaconius. *Anno Domini M. C. XLV. Pontificatus sui primo, Eugenius tertius primo creauit Cardinales, inter quos fuerunt.* 13.

Primus D. Bernardus, ex Canonico regulari congregationis Sancti Fridiani, & Priore Monasterij Lateranensis, Presbyter Cardinalis tituli Sancti Clementis, & Archipresbyter Basilicæ Sancti Petri.

Secundus Iordanus Vrsinus Romanus; de quo Sanctus Bernardus epistola 290. quæ est ad Hugonem Episcopum Hostiensem.

Tertius, Rolandus Bandinellus nobilis Senensis, Diaconus Cardinalis Sanctorum Cosmæ, & Damiani, qui postea fuit Alexander Papa Tertius.

Quartus Guido, Diaconus Cardinalis Sanctæ Mariæ in porticu, ad quem vt opinor, Sanctus Bernardus, epistola 235. quæ ei de eius, laudibus, zelo, & religione congratulatur. Hæc ille pluribus. Nobis dicta sufficiant pro instituto.

---

1. Eugenij pro fidelibus Orientis sollicitudo. 2. Ludouici Consilium. 3. Pontificis litteræ, 4. quæ statum rerum pandunt, 5. hortantur fideles: 6. militaturos sub patrocinio Petri ponunt. 7. Priuilegiis, 8. & indulgentiis cumulant. 9. Colloquium Vizeliacum, & cruce signatorum in ipso syllabus. 10 Romani pacem petere coacti. 11. Cum ramis, Hymnísque Eugenium suscipiunt.

CAPVT IV.

1. INTEREA Eugenius in corde suo conferens, atque alta mente voluens, quæ audierat de damnis in Oriente illatis ab infidelibus, populo Christiano; Edessa capta, indéque Antiochia, atque ipsis Hierosolymis in discrimen adductis; quasi nihil sibi Romæ agendum foret, pacatáque, ac quieta cuncta teneret; oblitus sui, & quæ Dei sunt pertractans, non aduersùs Romanos sibi rebelles; sed contra Sarracenos rebelles Christo. & loca ipsius sanguine dicata, in Oriente calcantes, communia arma sumenda esse putauit. A Ludouico præuentus an præueniens in dubio est: Certū vtrumque in eo conuenisse, vt alter expeditionem publicaret, alter subiret: neuter sine Bernardo quidquam faceret: sed nos Othonem auctorem eiusdem temporis, & cunctis ferè assistentem; qua apud omnes pollebat auctoritate, hæc ipsa referentem audiamus.

Ludouicus (ait [a]) *dum occultè Hierusalem eundi desiderium haberet, eo quòd frater suus Philippus eodem voto astrictus, morte præuentus fuerat, diutiùs procelare nolens propositum, quibusdam ex Principibus suis vocatis, quid in mentem volueret, aperuit. Erat in illo tempore in Gallia Cœnobij Clarauallensis* 2.

a in Friderico lib. 1. c. 34.

 Abbas

Abbas quidam, Bernardus dictus, vita, & moribus venerabilis, religionis ordine conspicuus, sapientia, litterarúmque scientia praeditus, signis, & miraculis clarus. Hunc Principes vocandum, ab eóque, quid de hac re fieri oporteret, tanquam à diuino oraculo consulendum decernunt. Vocatur praefatus Abbas, consiliúmque illius super praedicti exposcitur Principis voluntate: Ille de tam grandi negotio, ex propria auctoritatis arbitrio responsum dare friuolum indicans, vt ad Romani Pontificis audientiam, & examen deferatur. Optimum esse respondit. Itaque missâ ad Eugenium legatione totum illi negotium aperitur. Qui antecessorum suorum exempla reuoluens, quod videlicet Vrbanus huiusmodi occasione transmarinam Ecclesiam, duásque Patriarchales sedes id est Antiochiam, & Hierosolymã, ab obedientia Romana sedis scissas in pacis vnitatem receperit; votis praedicti Regis, pro dilatando Christiana religionis ritu, annuit: auctoritate praedicandi, animósque cunctorum ad hoc commouendi praenominato Abbati, qui apud omnes Galliae populos, vt Propheta, vel Apostolus habebatur, concessa. Hactenus Otho. Prima veluti semina iaciens futurae segetis, hoc est ingentis illius expeditionis, quae totum fere Occidentem Orienti dedit, de quâ nos infrà.

3\. Ast Eugenius excitandae deuotioni, & simul promouendo bello, quod parabatur, talem Epistolam Ludouico Regi scripsit [b].

b Otho in Friderico l. 1. cap. 35.

Eugenius Episcopus, seruus seruorum Dei. Charissimo filio Ludouico illustri & glorioso Francorum Regi, & dilectis filiis Principibus, & vniuersis Dei fidelibus per Galliam constitutis, salutem, & Apostolicam benedictionem.

Quantum Praedecessores nostri Romani Pontifices pro libertate Orientalis Ecclesiae laborauerunt, antiquorum relatione didicimus, & in gestis eorum scriptum reperimus. Praedecessor etenim noster felicis memoriae Papa Vrbanus, tanquam tuba intonuit, & ad ipsius deliberationem Sanctae Romanae Ecclesiae filios de diuersis mundi partibus sollicitare curauit. Ad ipsius siquidem vocem Vltramontani, & praecipuè Francorum regni fortissimi, & strenui bellatores, & illi etiam de Italia, charitatis ardore succensi conuenerunt: & maximo congregato exercitu, non sine magna proprij sanguinis effusione, diuino eos auxilio comitante, ciuitatem illam, in qua Saluator noster pro nobis pati voluit, & gloriosum ipsius sepulchrum, Passionis suae memoriale dimisit, & quamplures alias, quas, prolixitatem vitantes, memorare supersedimus, à paganorum spurcitia liberarunt. Quae per gratiam Dei, & Patrum vestrorum studium, qui per internalla temporum eas defendere, & Christianum nomen in partibus illis dilatare pro viribus studuerunt, vsque ad nostra tempora à Christianis detenta sunt, & aliae vrbes infidelium ab ipsis viriliter expugnatae.

4\. *Nunc autem nostris, & ipsius populi peccatis exigentibus, quod sine magno dolore, & gemitu proferre non possumus, Edessa ciuitas, quae nostra lingua Rohais dicitur, quae etiam, vt fertur, cum quondam in Oriente tota terra à paganis detineretur, ipsa sola sub Christianorum potestate Domino seruiebat, ab inimicis crucis Christi capta est, & multa Christianorum Castella ab ipsis occupata; ipsius quoque ciuitatis Archiepiscopus cum clericis suis, & multi alij Christiani ibidem interfecti sunt, & Sanctorum reliquiae in infidelium conculcationem datae sunt, & dispersae. In quo quantum Ecclesiae Dei & toti Christianitati periculũ immineat, & nos cognoscimus, & prudentiã vestram latere non credimus. Maximũ namque nobilitatis, & probitatis indiciũ fore cognoscitur, si ea, quae patrũ strenuitas acquisiuit, à vobis filiis strenuè defendantur. Verumtamen si (quod absit) secus cõtigerit, patrũ fortitudo in filiis imminuta probatur.*

Vniuersitatem itaque vestram in Domino commonemus, rogamus atque praecipimus, & in peccatorum remissionem iniungimus, vt qui Dei sunt, & maximè potentiores, & nobiles viriliter accingantur: & infidelium multitudini, quae se tempus victoriae super nos adeptum laetatur, sic occurrere, & Ecclesiam Orientalem tanta patrum vestrorum, vt diximus, sanguinis effusione, ab eorum tyrannide liberatam, ita defendere, & multa captiuorum millia confratrum nostrorum, de ipsorum manibus eripere studeatis, vt Christiani nominis dignitas vestro tempore augeatur, & vestra fortitudo, quae per vniuersum mundum laudatur, integra, & illibata seruetur. Sit vobis etiam in exemplum bonus ille Mattathias, qui pro paternis legibus conseruandis, se ipsum cum filiis, & parentibus suis morti exponere, & quidquid in mundo possidebat, relinquere nullatenus dubitauit, atque tandem diuino cooperante auxilio, per multos tamen labores, tam ipse, quàm sua progenies de inimicis viriliter triumphauit. 5.

Nos autem vestrorum quieti, & eiusdem Ecclesiae destitutioni paterna sollicitudine prouidentes, illis qui tam Sanctum, támque pernecessarium opus, & laborem deuotionis intuitu suscipere, & perficere decreuerint, illam peccatorum remissionem, quam praedecessor noster Papa Vrbanus instituit auctoritate nobis à Deo concessa concedimus, & confirmamus; atque vxores & filios eorum, bona quoque, & possessiones sub Sancta Ecclesiae Dei protectione manere decernimus. Auctoritate etiam Apostolica prohibemus, vt de omnibus, quae cum crucem acceperint, quietè possederint, nulla deinceps quaestio moueatur donec de ipsorum reditu, vel obitu certissimè cognoscatur. 6.

Praeterea, quoniam illi, qui Domino militant, nequaquam in vestibus preciosis, nec cultu formae, nec canibus, vel accipitribus, vel aliis, quae portendant lasciuiam, debent intendere; prudentiam vestram in Domino commonemus, vt qui tam Sanctum opus incipere decreuerint, ad haec non intendant, sed in armis, equis, & caeteris, quibus infideles expugnent, totis viribus studium, & diligentiam adhibeant. Quicumque verò aere premuntur alieno, & tam Sanctum iter puro corde inceperint, de praeterito vsuras non soluant. Etsi ipsi, vel alij pro eis occasione vsurarum astricti sunt, Sacramento, vel fide, Apostolica eos auctoritate absoluimus. Liceat eis etiam terras, siue caeteras possessiones suas, postquam commoniti propinqui, siue Domini, ad quorum feudum pertinent, pecuniam commodare, aut noluerint, aut non valuerint, Ecclesiis, vel personis Ecclesiasticis, vel aliis fidelibus liberè sine vlla reclamatione impignorare. 7.

Peccatorum remissionem, & absolutionem iuxtà praefati praedecessoris nostri institutionem omnipotentis Dei, & Beati Petri, Apostolorum Principis auctoritate, nobis à Deo concessa, talem concedimus, vt qui tam Sanctum iter deuotè inceperit, & perfecerit, si ibidem mortuus fuerit de omnibus peccatis suis, quibus corde contrito, & humiliato confessionem susceperit, absolutionem obtineat, & sempiternae retributionis fructum ab omnium remuneratore percipiat. Datum Verralla, Kalend. Decembris. Ita Eugenius ad Regem Ludouicum, & ad Principes Galliae: similes prorsus litteras per Europam sparsurus ingenti animo. Qualiter autem Bernardus iniunctum sibi opus pertractauerit & quàm strenuè vniuersum penè orbem primum litteris, 8.

mox

mox prædicatione, demum miraculis innumeris commouerit, Otho pergit scribere in sequentibus; nos suo loco commodiùs referemus. Nunc de Eugenio, cui Deus singulari prouidentia Romam restituit, dum ipse Deo restituere Orientem parat, breuiter, quæ sequuntur, accipiat Lector.

9. His Ludouicus litteris susceptis *apud Vercelliacum* (ait Aimonius [c]) *magnum colloquium tenuit, vbi Archiepiscopos, Episcopos, Abbates plures etiam Optimates, & Barones sui regni congregari fecit; inter quos fuit Bernardus* (Abbas Claræ-Vallensis.) *Itaqueipse* (scilicet Bernard.) *& Pontifices ibidem in consistorio assistentes prædicauerunt de terra, in qua Dominus noster Iesus Christus, corporaliter conuersatus, pro redemptione generis humani passionem crucis sustinuit. Quorum prædicationibus, & admonitionibus Rex Ludouicus diuina inspirante gratia, inflammatus crucem accipit, & post eum Aleonora vxor eius.* Colloquium hoc inter Concilia præsentis anni memorat Seuerinus Vinius, prædicationem Bernardo soli attribuens, in hæc verba [d]. *Concilium Vezelium seu Vercelliacum pro expeditione contra Turcas congregatum in Burgundia præside Eugenio Papa, & præsente Ludouico Rege, cum Aleonora Regina, alijsque regni Principibus, qui post habitam orationem, à Diuo Bernardo, crucem accipiunt, sacram militiam professi:* Præsidente, inquam, Eugenio per suas litteras aliàs intra Alpes morante toto hoc anno, nec vsque ad finem sequentis transcensuro. Pergit, Aimonius [e] de Episcopis, & Principibus in colloquio assistentibus, atque cruce signatis exemplo Regis. *Optimates,* inquit, *ibidem adstantes postea crucem acceperunt* (scilicet post Regem Reginámque) *Simon Nouomiensis Episcopus, Godefridus Lingonēsis Episcopus* (quondā Prior Clareuallis de quo superiùs) *Arnulphus Lexouiensis Episcopus, Hebertus Abbas Sancti Petri viui Senonensis, Theobaldus Abbas Sanctæ Columbæ, Arnulphus Comes Sancti Ægidij, Territus Comes Flandrensis, Henricus filius Comitis Blesensis Palatini Theobaldi, qui tunc temporis viuebat, Vvilhelmus Comes Niuernensis, Reinaldus frater eius, Comes Tornodorensis, Robertus Comes frater Regis; Iuo, Comes Suessionis, Guido Comes de Pontiuo, Vvilhelmus, Comes Garenna. Archembaudus de Borbonio,* &c. Nám plures ibi commemorat. Sed de his iterum sermo, anno sequenti.

c lib. 5 de gestis Francorum, c. 53.

d tom. 3. concil.

e Vbi suprà.

Tiburtes Romanorum antiquos hostes per speciem religionis, adstitisse Pontifici, & propria odia celasse iustitiæ velo, superiùs vidimus. Quin & reliquæ Latij nationes, seu tædio gentis numquam non superbæ, seu honesto restituendi Eugenij titulo, iunctis viribus vrbem inuasere. *Romani verò* (ait Carolus Sigonius [f]) *cùm per aliquot dies acerrimè restitissent, tandem tectorum euersionem, patriæ, & bonorum amissionem extimescentes, pacem petierunt, támque demum his conditionibus impetrarunt.* Ita Sigonius. Sed conditiones præstat ex Othone referre, qui propiùs nouit. *Eugenius* (ait [g]) *cum Romanis hoc tempore pace fecit: vt Patritiatus dignitatē exfestucarent, & Præfectū, (à Pontifice eligendū) in pristinam dignitatem reciperent, Senatores verò ex eius auctoritate tenerent. Sicque in vrbem rediens, natiuitatē Domini ibidem celebrauit, incipiente anno Dominicæ Incarnationis. M.C.XLVI.* His cōditionibus aliam superadditā, quæ reliquas firmaret, Chaconius notat; nempe, vt Arnaldus vrbe pelleretur, qui tot solus malorum causa fuerat. 10.

f de regno Italiæ lib. 11.

g lib. 7. c. 34.

At quanta cum exultatione totius populi, quanto cum iubilo, & communi acclamatione, idem Pontifex Romæ susceptus sit, ex Codice Vaticano M. S. narrat Cæsar Baronius [h], totidem verbis. *Factum est autem, Deo auctore, gaudium magnum in tota vrbe ex inopinato accursu ipsius Pontificis, occurrit ei maxima, frequens populi multitudo, cum ramis, ad eius vestigia continuò accurrentes; post pedum oscula, eleuantur ad oris osculum. Procedebant signiferi cum vandis: Sequebantur scriniarij, & iudices: Iudæi quoque non deerant tantæ lætitiæ, portantes in humeris suis legem Mosaicam, vniuersúsque Romanus chorus psallebat in vnum dicens. Benedictus qui venit in nomine Domini: sic itaque cum magno populi gaudio idem Pontifex Lateranense Palatium conscendere meruit.* Hactenus Codex ille Vaticanus, & ex ipso Baronius: vt videas Deum triumphantem in Eugenio, quo tempore ipse Dei prælia meditabatur. Sed ô curas hominum! ô quantum est in rebus inane! post palmas Christo mundus crucem obtulit; Eugenio Roma lapides; quod anno sequenti latiùs referemus. 11.

h ad hunc annum.

---

1. Bernardus à Theobaldo Cantuariensi sollicitatus, 2. contra Guillelmum Eboracensem scribit. 3. Eugenium ad depositionem eius hortatur. 4. Vafricies hominis, 5. & Bernardi tertia epistola; primùm confirmans in bono, 6. mox etiam prouocans, 7. atque Innocentium à calumnia vendicans. 8. Dein ex sacrilegijs irritatior, irritantiórque, 9. Tandem in sede sublimatum Henricum videt. 10. Præmonstratenses præpositi in Abbates ab Eugenio creati, 11. & priuilegium ad litteram productum.

CAPVT V.

1. INTEREA Bernardus, qua pietate in suos, quo Zelo in publicum bonum agebatur, cùm à Theobaldo Archiepiscopo Cantuariæ, cùm à Primoribus Anglicanæ Ecclesiæ viris, contra Vvillelmum Eboraci intrusum, pro filio Henrico sollicitaretur: Cùm causam diu cœptam, & agitatam, trium Pontificum morte necdum discussam, in pendenti adhuc esse; nec sine graui iustitiæ detrimento, atque ipsius Ecclesiæ, consideraret; secundam Epistolam ad Eugenium Papam scripsit, acrem, & viuidam; ac apertè propalantem, quod in priori latentiùs insinuauerat. Succidendos nimirum ramos inutiles, atque arbores infructuosas euellendas. Exemplar autem epistolæ hoc erat [a].

a Epist. 238.

2. *Ad Dominum Papam Eugenium, de Eboracensi Episcopo.*

Importunus sum, habeo excusationem, Eugenij Apostolatus excusat me. Aiunt non vos esse Papam, sed me; & vndique ad me confluunt, qui habent negotia. Nec desunt in tanta multitudine amicorum, quibus officium negare non possum, non solùm absque scandalo, sed etiam absque peccato. Et nunc est etiam alia excusatio non minus idonea, quia causa honestissima

stissima est. Contra idolum illud Eboracense iterato stylus dirigitur, ea scilicet necessitate, quod sæpenumero hoc telo impetitum à nobis, nec dum confossum est. Cur hoc? quia nihil fortè à nobis tale directum est, qualis fuit gladius Ionathæ, qui nunquam rediit retrorsum. Nec sanè fuit culpa iaculi, sed dirigentis iaculum. Patet enim quòd non in ea, qua oportuit, fortitudine missum est. Nec mirum. Quis enim in manu forti sagittas mittere potest, nisi filius excussorum? Qui locum Petri tenet, potest vno ictu extinguere Ananiam, vno Simonem Magum. Et vt planiùs quod loquimur fiat, peremptoriam dare sententiam ad depositionem Episcoporum, Solius Romani Pontificis noscitur esse, pro eo enim quod etsi multi alij vocati sunt in partem sollicitudinis, solus ipse plenitudinem habeat potestatis. Solus proinde si dicere audeam, in culpa, si culpa non feritur, quæ ferienda est, & eò impetu, quo fuerit ferienda.

3. *Quo autem impetu, non dico ferienda, sed fulminanda fuerit prædicti Eboracensis culpa, vestra conscientia derelinquo. Cæterum quod factum non est, vobis credimus reservatum: vt in eo experiatur Ecclesia Dei, cui ipso auctore præestis, feruorem zeli vestri, potentiam brachij vestri, & animi sapientiam; & timeat omnis populus sacerdotem Domini, audiens sapientiam Dei esse in illo, ad faciendum iudicium.* Hæc Sanctus Pater iustitiæ zelo feruidus, sed nihilominus causam filij agens, cui dispensatio ritè, & rectè credita, per potentiam violenter auferebatur.

4. Eugenius Pontifex, statu causæ cognito, qui integer à morte Innocentij conseruabatur, prædecessoris sui sententiæ deferens, iuramento Decani Eboracensis, quod Guillelmus instantissimè petierat, suis litteris standum confirmauit; vt nisi ille capitulum intrusionis, quod Guillelmo inter alia opponebatur, iuramento amoueret, electio irrita, & nulla declararetur. Decanus primum iudicio se subtrahere, simulare ignorantiam, colloquia fugere; demum, cùm per censuras compelleretur, quamuis Guillelmo ex animo faueret, plus tamen veritati, & religioni tribuens, quàm amicitiæ, tandem virum intrusum iterum pronunciauit, iterum dixit; atque electionem cassam, irritámque electioni Henrici posthabendam. Tunc Vuillelmus iugulatus suo mucrone, & arma propria in se conuersa videns; ad posteriores Innocentij litteras, veras, aut fictas, censuit confugiendum, & facessit negotium Eugenio noua cautela, vt iam exinde ad Bernardum patrem scriberet: Zelare se pro Ecclesia Eboracensi, & velle idolum illud de medio tollere; sed nihilominus dubium adhuc hærere, qua via congruentiùs deiiceretur. Tunc Sanctus Pater constans pro veritate, constans pro filio; sed nihilominus zelans pro Innocentio, qui in suis litteris notaretur duplicitatis; denuò contra Vuillelmum stylum vibrans, & Pontificem roborans, vel ex his bonis, quæ ab ipso facta audierat, talem ad eum epistolam scripsit [b].

b Epist. 239.

5. *Quam cupio semper illa de vobis audire, in quibus glorificetur Deus, honoretur ministerium vestrum, & anima mea lætificetur? Inde est, quòd audita responsione vestra de quibusdam, qui ad officium legationis nimium videbantur, & ambitiosè aspirare, & imprudenter sperare; supraquam dicere possumus, facti sumus lætantes. Non autem nos tantùm, sed omnes, qui diligunt nomen vestrum gauisi sunt gaudio magno. Porrò visis litteris vestris, quas pro causa Rutinensis Ecclesiæ destinastis; tunc prorsus, tunc repletum est gaudio os nostrum, & lingua eius exultatione. Hæc atque huiusmodi digna sunt vestro Apostolatu, summam Sedem nobilitant, decent planè orbis Episcopum. Vnde & flecto genua mea ad ipsum vnicum huius vestri primatus auctorem, vt det vobis sic sapere, & sic agere semper, in euellendo, & plantando, in destruendo, & ædificando. Siquidem in ruinam, & resurrectionem multorum ascendistis hanc Cathedram. Ruant, ruant, qui noxiè stant, erigantur digni. Ponatur securis ad radicem sterilium plantationum; purgentur fructifera, vt fructum plus afferant. Præsidente, inquam, humili Eugenio, deponantur superbi de sede, & exaltentur humiles. Esurientes impleantur bonis, & diuites dimittantur inanes. Nuper nempè exultatione vniuersa terra ita factum est in causa cuiusdam pauperis Episcopi.*

6. *Age ergo, transeat iam sanctus hic pietatis zelus, & ad miseram illam Ecclesiam transmarinam: quia tempus miserendi eius, vinea Domini Sabaoth est, vinea electa, vnica speciosissima: sed (heu!) in desertum penè redacta, quia singularis ferus depascitur eam. Cur dicunt inter gentes, vbi est Deus eius? Vbi, quem posuerunt custodem in vineis? Vbi manus putans, vbi sarculus excolentis? Quousque sarmento inutili occupatur tellus, suffocatur fructus? &, certè tempus putationis aduenit. Siquidem homo pacis eius, in quo sperauit, quod se purgare deberet, non purgatione, sed amputatione opus esse testatur. Extant denique litteræ ipsius de eo, ad Apostolicæ Sedis Legatum: in quibus manifestè manifestam asserit intrusionem, electionem negat. Ita ergo quem sibi parauerat defensorem, accusatorem sustinet. Ad hæc, quæ vbique de eo publica fama concelebrat, etiam virum militarem possent omni iure spoliare cingulo militari. Quomodo iam poteris stare, vbi multiplex vobis subest ratio deiiciendi, & voluntas non deest? Legi siquidem zelum vestrum pro Ecclesia illa in litteris vestris: & iam exigo de manibus vestris. Quænam via procedendum sit, ad eius deiectionem? (neque enim vlla mihi esse videtur) non est meum dictare sapienti. Nec multum nostra interest, in quam partem arbor infructuosa cadat, dummodo cadat.*

Dico tamen. Qui sibi possessionem vindicat furtiuarum commercio litterarum: nónne fur est, & latro? denique vbi asserit habuisse se clandestinas litteras execrationis suæ: aut verum est, aut falsum quod loquitur. Si verum: reus est furti, & summi Pontificis criminator. Si falsum: debet audire: occidisti, & possedisti [c]. Os enim, quod mentitur, occidit animam. *Sed absit, vt tanta de tali viro credatur duplicitas, quanta ab isto ei imponitur. Nempe Innocentius hic erat, cui si pro se respondere liceret, proculdubio diceret huic: quia ego palàm in te dedi sententiam, & in occulto loquutus sum nihil.* Ita Bernardus ad filium, & parentem. Qui causæ meritis, & Bernardi instantia victus, tandem Guillelmum fore destituendum, substituendum Henricum adiudicauit. Quin, & ad se vocatum, sacratúmque; mox etiam pallio ex more cohonestauit; cohonestatum remisit Eboracum, vt pulso cubatore in sede illius Ecclesiæ collocaretur. Res in procinctu, & iam Henrici fratres, cæterique sublimationem eius maturabant. Cùm ecce subito depositi fautores; dubium, an ipso inscio, an instigante; irruerunt in omnes, atque vsque ad sanguinem, nihil tale metuentes, nec resistentes, sacrilegè exturbarunt. Narrat Bernardus ad Eugenium denuo scribens, & altè dolens, litteris, quas non pigeat hîc transcribere [d].

7.

c Sapient. 1.

d Epist. 251.

Sanit

8. *Sæuit frustrata ambitio, imò desperata furit. Currit ad laqueum homo perditionis: & debitam iam olim damnationis sententiam in se accelerat. Vel nunc manifesta peccata eius præcedentia ad iudicium. Anticipat manum succisoris arbor maledicta, & spinosa, & cunctantem securim in semet prouocat. Heu quàm iustiùs illa iam dudum excidisset, quàm sancti illi, quos contra ius, & fas malè stando deiecit! Etenim si non staret, stantes minimè deiecisset. Et illi quidem in innocentia sua, & pro innocentia corruerunt, multò meliùs stantes: sed sanguis innoxius de manu illorum proculdubio requiretur, qui vires furtiuas, tam noxia arbori, ne statim corrueret, ministrauerunt. Clamat contra eorum capita sanguis Sanctorum de terra; quorum animæ in manu Dei sunt, & iam non tanget eos tormentum malitiæ; Verumtamen viscera mea erant: effusa sunt: non recipio de verbis consolationem. Etsi possent esse qualicumque solatio, sine remedio, tamen præ dolore, mœrore præcluduntur, interrumpuntur singultibus. Vnum tamen, ipsúmque extremum, quod vtique magis scribere, quàm proloqui possum, adhuc audite, vel potiùs legite. Si adhuc steterit: proh dolor! Verendum, ne ipsius status, sit vester casus, dum quidquid adiecerit, vtpote* mala arbor [e], *quæ non potest, nisi* malos fructus facere: *non illi iam, sed vobis meritò imputetur.* Hactenus pro iustitia Classicum canens.

e Matthæi 7.

9. At non Eugenium rebelles debellare necesse fuit; Henrico in ipsos anathema vibrante, abiere retrorsum, & pacificè à cunctis susceptus est, non sine populi, & cleri acclamatione. Auctores sceleris Nicolaus Arspheldius prodit, ex antiquis Anglicorum Annalium scriptoribus; quin, & nefandum facinus commissum in Archidiaconum, qui Henrici partes acriùs cæteris aliis promouebat. *Eugenius* (ait [f]) *Henricum à se initiatum, mox pallio de more ornauit. At offensus Stephanus Rex, eum pro Archiepiscopo agnoscere noluit: sed neque populus Eboracensis, qui propensiori in Guillelmum voluntate ferebatur. In quem Henricus Pontificium fulmen vibrauit, & sacris ciuitati interdixit. At Eustachius, Stephani filius eò aduolans, coëgit homines edictum passim violare. Et propinqui, ac fautores Guillelmi, aduersariis eius, multas, vt fit, molestias intulere; adeo, vt Archidiacono illi virilia exsecuerint. Sed lenito, & pacato postea Rege, & ciuitas ad officiũ rediit.* Sic tandem Eboracensis Ecclesia suo pastore, Henricus sua sede potitus est, quam strenuè per septennium, administrauit. *Tradunt verò* (pergit idem auctor [g]) *Henricum munere suo præclarè, tàm concionando, quàm egregia, sincera, & inculpata vita exemplo, publicè perfunctum; quam priuatim duram, & austeram, corpus ieiuniis, ciliciòque premens, transegit.* Hæc de Henrico. At de Guillelmo tandem resipiscente, & ab ipsa repulsa emendatiori; *Qui* (inquit [h]) *post priorem repulsam apud Henricum VVintoniensem auunculum permansit; vbi, licèt ei omnia affluentissimè suppeditarentur, vitam tamen ille penè solitariam inter assidua ieiunia, orationes, & vigilias, rebúsque diuinis meditandis totus deditus, egit.* Sic Eugenius dum iustitiæ incumbit, lucratus hominem, & verum sponsum, Eboracensi Ecclesiæ tradidit; & adulterum nihilominus disposuit, vt ad easdem post nuptias, neque inutilis, neque indignus, promoueretur. Sed de his suo loco erit agendum.

f in Historia Anglic. Ecclesiastica sæculo 12. cap. 41.

g ibidem.

h ibidem.

Hoc ipso anno beneficus in omnes sed in Præmonstratenses idem Eugenius, hæreditario à Bernardo patre affectu longè procliuior, quos superiores præpositorum nomine antea decorauerant, imposterum Abbatiali gaudere titulo, ac dignitate fungi, datis desuper litteris ad omnes Ecclesiarum Antistites, decreuit. Vt & hoc etiam haberent per Cistercium honorificum satis, atque inconcussum hucvsque permansurum. Extat, & legitur exemplar litterarum, quod ita habet. 10.

Eugenius Episcopus seruus seruorum Dei. Venerabilibus fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, ad quos littera ista peruenerint, salutem, & Apostolicam benedictionem. 11.

Ex Biblioth. Præmonstrat. lib. 3.

Religiosi fratres Præmonstratensis Ordinis, per Dei gratiam in religione proficiunt, & sua bona conuersationis exemplo, multos præsentis sæculi voluptatibus, & carnalibus concupiscentiis deditos, ad benè viuendum conuertunt. Vnde dignum est, vt boni Ecclesiarum Prælati eos iuuare, & in tam sancto proposito confouere studeant, & in suis opportunitatibus opẽ eis, & consilium præbeant. Ipsi quidem sicut accepimus, non causa elationis, sed ad maiorem religionis obseruantiam, communi consilio statuerunt, vt locorum suorum præpositos, Abbates constituant. Ideòque per Apostolica scripta mandamus, quatenus, cum per Abbatem Præmonstratensem, vel per litteras suas, & per fratres, quibus præesse debebunt, vobis oblati fuerint, Spiritus sancti gratia inuocata, in Abbates benedicatis. Datum Sutriæ 15. Kalend. Ianuarij Pont. nostri ann. 1. Hactenus litteræ Eugenij pro Præmonstratensibus; quos aliis etiam, (ne quis annum sine fauore) illustrauit sequenti: quo item à nobis dandæ pro more erunt.

---

1. Rualenus ad Eugenij instantiam ipsi suffectus, 2. Bernardo Patre dolente, sed obediente; 3. Qui tamen, ipso pertinacius recalcitrante, 4. Scribit ad Eugenium: 5. Is ad Bernardum seueriùs; 6. Tunc Pater sanctus silentium sibi imponit; 7. Mox Rualeno: 8. Qui nihilominus nòn diù mansit in Præfectura. 9. Gaufredus Claræuallis Prior Episcopatum penitus recusat. 10. Sed in hoc dubitata ratio temporis.

CAPVT VI.

1. HACTENVS quod in vniuersa Ecclesia Cistercium gesserit; nunc priuata, & domestica pendamus. Ordiar autem ab Eugenij successore, quod ipsa historiæ series iam exposcit. Itaque Romæ in Monasterio Sanctorum Vincentij, & Anastasij, Petro Bernardo in Pontificem assumpto, Rualenus successit, moribus, scientia, prudentiáque non impar: Sed qui obsequi paratior, quàm alios regere, priuatam vitam publicæ, & dignitatibus quietem anteponeret. Promotum eum ad instantiam Summi Pontificis, vltra ea, quæ statim ex Bernardo, Nicolaus affirmat, in Epistola ad ipsum recens electum, sub hoc initio, *Suo* [a] *Rualeno, suus; quòd sum. Forsitan quæris,*

a Epist. 43.

quaris,vel quereris,quod cùm nomen tuum præscripserim,non subscripserim Abbatem: Abbatem tanquam Beati Petri manibus exaltatum,& infrà. *Licèt enim custos hominum te vocauerit, & locauerit ad vrbem, quam iuxta Philosophum nouimus fuisse domicilium legum, gymnasium litterarum, curiam dignitatum, verticem mundi, patriam libertatis: ego tamen non agnosco nisi Rualenum meum.* Hæc Nicolaus de eius adsumptione,

2. Ægrè Bernardus charum sibi filium, quem præ aliis teneriùs diligebat, nam Rualenus, (vt idem Nicolaus ait [b].) *Dulcis ad gratiam,suauis ad mores, & cui nihil alienum,nisi quod virtuti incongruũ esset.* Ægrè,inquam,tulit talem filium à se auelli; maximè renitentem,orantémque,vt quiescere in paterno sinu permitteretur. Sed vicit tandem obedientia Summi Pontificis: & Bernardus,seu frequenti filiorum ablegatione, seu altiùs radicata virtute constantior animo; Rualenus post primam auulsionem, cicatrice obducta,in dies firmior;consuetudine facilis, & Eugenij fauore blandiente, tandem lubens, in officio continendus sperabatur. Igitur Romam amandatus est,Abbatis munus,quà posset, impleturus.

b Ibidem.

3. Verum, cùm Romæ in sententia permaneret, segnis,aut humilis; neque animum mutaret simul cum loco: neque blandimentis, siue exteriùs aulæ, (quod satis rarum) seu Præfecturæ interiùs se permitteret; quin instanter per litteras,pernúcios Bernardum Patrem pro missione obtinenda sollicitaret: ipse Sanctus paterno illi affectu de more condolens; sed nihilominus Eugenio Papæ deferens,cuius præcipuè electione illuc aduenerat, talem ad eum Epistolam scripsit, obsequij plenam, reuerentiæque, in Pontificem: pietatis in filium, doctrinæ in omnes: sed in se ipsum etiam acrimoniæ; nam [c] pœnitudinem non audeam appellare.

c Epist. 258.

4. *In veritate comperimus Rualenum nostrum nedum quiescere, in quo positus est; sed nec aliquando requieturum confidimus. Quamobrem opus est maturo remedio, non solùm illi,sed & mihi. Vror dico vobis, quandiu ipse in scandalo est. Nolite mirari hoc,vna anima sumus; nisi quod ego mater, ille filius, nam patris in eo cessi vobis, & nomen, & auctoritatem. Solus,qui transfundi non potuit, mihi remansit affectus, qui me excruciat* [d]. *Mater autem non potest obliuisci filij vteri sui. Id me fuisse quis dixerit; ego adhuc esse sentio. Clamat matrem pectus triste, & continuus dolor cordis mei pro eo. Quæritis de quo querar? De me. De vobis mihi queror, sed vobis. Ego sana, & pia mater propriis visceribus non peperci, vt castificarem cor meum in obedientia charitatis. Immolaui de sinu meo chari pignoris hostiam, & non in angaria,fateor,sed in voluntate mea parũi voluntati, quæ quos vult, angariat. At ille non ita. Retinebatur quamuis frustra planè angariatus tàm à me, quàm à vobis. Numquid ego timere potui tanta obstinatione semper remissurum? Pij cordis est credere importunitati, quæ ad id, quod oportet, adduci non patitur. Alioquin inuitum tenere,ad quod inuitus tractus est, durum pro illo,fructuosum nemini est. Porrò occupare locum,& non facere fructum, nec loco expedit, nec vos decet,nec nos. Nemo* (vt ait Beatus Ambrosius) *inuitus benefacit,etiam si bonum,est quod facit: quia nihil prodest spiritus timoris, vbi non est Spiritus charitatis. Obsecramus itaque per viscera misericordia Dei nostri,exhibete viscera patris, & infantem, dum adhuc viuit, remittite ad vbera matris, cuius fortassis hic totus languor est, quòd sit praeproperè ablactatus. Meliùs enim viuere sinitur,quàm diuiditur. Quæ vtilitas in sanguine eius? Vnum scio, non patris,non matris illa vox erit*; Nec [e] mihi,nec tibi sit: Sed diuidatur. *Hoc vos fortè non timetis, quia non creditis proventurum. Sed scriptitationes, & mussitationes frequentissima venientes in manus nostras,plenæ sunt timore isto, minitantis hominis fugam,& diuisionem,vel potiùs diruptionem,non modò, à vobis,sed & à nobis.*

d Isai.49.

e 3.Reg 3.

5. Hæc S. Pater ad summũ Ecclesiæ Præsulem.Sed qui,seu Rualeni amore tractus,quẽ à se adeò nollet separare; seu renitentiæ,& pusillanimitati eius infensus, quod mihi verius; siue tandem indignum fore reputãs,si cuius nutui Ecclesia omnis pareat, Monachus & amicus eximeretur:non solùm petitionem non admiserit; sed seueriùs scripserit Bernardo,quasi nolenti sibi complacere.Tunc Abbas Sanctus silentium Rualeno, silentium sibi imponens in hoc negotio; & Rualeno,& Eugenio iterum scripsit: huic vt obedientiam voluntariam fuisse monstraret; illi vt faceret.Atque ecce exemplar Epistolæ prioris [f].

f Epist. 259.

6. *Etsi quid aliquando volui,quod velle me noluistis; mansuetudinis vestræ dignatio eò me prouocat, vt quod vultis, non modò velim, sed & auidè velim. Placet vobis,vt frater Rualenus Abbas sit apud Sanctum Anastasium, & mihi placuerat, & ante: Sed quia nimis ille nolebat,placitum in non placitum venit. Porrò vestro beneplacito non conueniente,rursum, vt iustum est,non placitum in placitum redit. Experiri licet. Factum est,quod præcepistis, non quia præcepistis,sed quia voluistis. Ex voluntate ergo, & non quasi ex tristitia, vel ex necessitate; executio maturata mandati,obedientiam probat; de voluntate,stylus interrogetur. Si contemtus non forem, mandatum facere; nónne iuxta verbum Domini* [g]. *Seruus inutilis essem soluens debitum? Nunc autem quia adieci velle,iam non seruus,sed filius.* Hæc ad Eugenium; ad Rualenum autem hæc quæ sequuntur.

g Luc 17.

7. *Satis* [h] *superque affixit nos absentia tua,Rualene charissime; sed longè magis comperta tua tristitia turbati sumus. Etenim iustius te, quàm nostram, de te desolationem, seu destitutionem plangere nobis videmur. Et desolatio quidem non parum damnosa, & non parum molesta; nempe tam dulci filio, tam vtili fratre, tàm necessario adiutore. Verum quò veriùs ista de tua amabilitate memoramus, eò affectuosius compatimur mœrori tuo; pluris multò habentes tuum incommodum, & longè ægriùs ferentes, quàm nostrum damnum. Denique non dissimulauimus,non quieuimus,non siluimus, tentantes super hoc Deum, penè vsque ad irritandum summum, & Sanctum Pontificem: vt quomodocumque, vel cum nostro periculo te reuocaremus. Sed quia adhuc frustrati sumus in cunctis molitionibus, & conatibus nostris; supernis tandem iudiciis vel fatigati cedentes,& stantes potentia manus,quoniam quod volumus non valemus, id velle cogimur, quod possumus. Tu igitur frater charissime,& desideratissime, confortare in Domino, & noli iam contra stimulum calcitrare; ne dum pungeris tu, plurimi,qui te in Domino plurimum amant, pariter compungantur. Parce tibi & nobis, qui tuo amore, nec ipsi nobis pepercimus. Magis autem induere fortitudine confidens,& sciens,quia gaudium Domini fortitudo tua. Induere lætitia salutari,vt & nos de tua iucunditate lætantes hilarem datorem diligenti Deo tùm pro tua pace, tùm pro nostra consolatione laudes & gratias referamus.* Hactenus ex epistolis Bernardi & Nicolai de Rualeno, Eugenij successore, quantum ex eis licuit coniectari. Nam Hugonem,

h Epist. 260.

Hugonem, qui Cardinalis post modum ab eodem Eugenio creatus est, sine fundamento aliqui substituunt, vt suo loco dicemus.

8. Cæterum Rualenum, quantumuis requisitum, quantumuis iussum, in Præfectura non diu permansisse, siue per cessum, siue per decessum, namque id dubium, ex subrogando in ipsius locum Abbate, de quo Eugenius ad Bernardum Patrem scripsit, satis colligitur. Eugenium autem scripsisse de hoc Bernardo, habemus ex rescripto eiusdem Sancti, sic inter alia ad quæsita respondente [i], *de Abbate mittendo ad Sanctum Anastasium, si factum non est, fiat statim, vt factum non esse sciemus.* Sic Sanctus Pater: quippe commissa alteri electione, nondum satis sciebat, quid factum esset. At quis successerit in ea præfectura, diffinire non ausim, cùm nihil certi inueniam apud Auctores.

i Epist. 244.

9. Nunc quia de Claraualle semel cœpimus, quæ gesta in ipsa hoc anno prosequamur. Gaufredus Prior (ille de Penora) cuius suprà meminimus, electus in Episcopum Nannetensis Ecclesiæ (quamuis ad Tornacensem alij dicant [k]) recusauit omnino; neque consiliis (nam mandatis abstinuerunt parcentes viro) Eugenij Papæ, siue Bernardi parentis induci valuit, vt consentiret. De eo in Catalogo Priorum Clareuallensium [l]. *Gaufridus de Perona Thesaurarius Sancti Quintini, vnus de triginta nouitiis venientibus de partibus Flandriæ, cùm esset Prior, eodem anno electus est in Episcopum Nannetensem, sed consentire nolens persuadentibus, consulentibúsque Papa Eugenio, & Sancto Bernardo.* Hactenus ibi. Cæterùm quàm ex conscientia in hoc negotio, vtriusque Patris consilium recusauerit, referemus inferiùs, cùm eius obitum. Multi vtiliter præsunt, præcipiúntque, qui fortassis non benè obtemperarent. Plures quietè securéque obediunt, qui malè præciperent: faciles regi, sed regere inepti, & sibi ipsis relicti, etiam effrænes.

k Verbum abbreuiatum c. 27. tit. contra ambitiosos.

l apud Henriquez.

Interim adnoto hanc ipsam electionem Godefridi, imò & eiusdem mortem, quam sequenti anno recensebo, fortè ante aliquod tempus accidisse. Quippè sub Nicolai aduentum in Claram-Vallem successisse Rainerum, videtur colligi, ex epistola eiusdem, quam infrà dabo; nisi quod tamen mendosæ ex illis aliquæ, frequentiùs in nominibus, non satis firmam fidem Lectori facient. 10.

---

1. Abbate quodam per Rainardum patrem deposito, 2. Conuentus eius Cistercium proficiscitur, restitutionem ipsius impetraturus. 3. Petrus Mauricius pro Abbate, & conuentu scribit. 4. Reliqua in dubio, & coniecturis exposita. 5. Sancti Ioannis Valentini Episcopi obitus, 6. quibus præsentibus? quo etiam anno, & die. 7. Circumstantia notabiles. 8. Miraculum: 9. quod plura alia in breui sunt secuta. 10. Celebritas, & Ioachimi Abbatis natalis hoc ipso anno. 11. Insignis pietate & doctrina Beatus Constantinus, eiúsque Elogium.

CAPVT VII.

1. EISDEM temporibus, quantum ex ordine epistolarum Venerabilis Petri Cluniacensis licet colligere dum Rainardus communis Cistercij pater visitaret Ecclesias sibi subiectas, quo erat feruidus zelo religionis, quandam ex eis Abbate suo orbauit; viro prudenti, religiosóque, & qui aliàs nihil atrox admisisset; sed nihilominus iustè deponendo, quo alij terrerentur, & vel leuiora punienda non dubitarent. Nihil depositus de eo conquestus est, nihil pro se, aut respondit, aut allegauit: soli filij, viuente parente orphani, quem diligebant, amissum deplorabant. Illum fortasse culpam admisisse, pro qua dignè puniendus adueniret: sed se innocuos, pœnæ subiacere: qua nihil possent acerbiùs tolerare. Nam cur tutorem, parente viuo, quærerent? cur alieno exponantur, cum proprium habeant? cur nota deserant, ignotis adhæsuri, & certis dubia, incertáque anteponant? vnica via gradientes vel tardos progredi; per plures quantumcumque agiles distrahi; & dum variant, non solùm retardari, sed retrocedere. An sub secundo Abbate nunc dediscant, quæ sub primo didicerant; quæ nunc doceantur, sub tertio dedisciturі? ob bonum publicum innocentes sæpè damnari: quid si absoluatur nocens, ne cuncti pereant?

2. Ergo his stimulis inuicem accedentes, accensi inuicem, insigne satis pietatis specimen sibi, siue in remedium, siue in solatium; cæteris in exemplum præ se tulere, quod nefas ducerem silentio præteriisse. De Rainaldo ad Rainaldum appellarunt; nec virum Dei per procuratores aggressi sunt; non per vnum, vel duos ex ipsis monachis; sed integro conuentu ad eum transmisso, qualis prodire solebat ad fundationes: eóque pedite, atque ab ipsa via supplici, cui adeò nihil posset denegari. Monasterium ignotum adhuc nobis: nisi quod in Albernia constitutum, ex statim dicendis coniectamur. Sed & exemplum adhuc delituisset, si non Monachi Cluniaci hospitati, & litteris donati cõmendatitiis inter Epistolas Petri Venerabilis, calamo eius descripti conseruaretur. Cæterum ipsum ad Rainaldum scribentem, atque pro filiis & patre intercedentem, & rem totam narrantem audiamus [a].

a lib. 4. epist. 26.

3. *Venerabili & in Christo plurimum amplectendo, Domino Rainardo Cisterciensi Abbati, frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, salutem, & plenum charitatis affectum.*

Grex Domini, & oues pascuæ eius, destituta pastore, per alta montium, per deuexa vallium, per aspera viarum, multo sudore pastorem requirentes, in solemni sancti Spiritus die nuper ad nos Cluniacum venerunt, compassi sumus, vt iustum erat, religiosa peregrinationi: & multo fatigatos itinere, triduo apud nos hospitari coëgimus. Vidi eos, quod paucorum est, monastici Ordinis virorum, non equis, non mulabus, non ipsis saltem asinis vectos, sed pedites, & peregrinos, summa animi deuotione, pro dando, imò si fieri potest, pro restituendo sibi amisso Pastore ad vos tendere: eáque de causa nullum laborem refugere; nulla pericula deuitare. Non sufficit eis vnum vel duos de suis hoc animo vestræ reuerentiæ, mittere: Sed eum, qui contemni non possit, Apostolicum

cum numerum praeferentes, cui nihil negari: maximè cùm non nisi iusta postulent, credunt. Suscipiendi ergo sunt, si places, benignè à vobis: & prout mihi videtur, audiendi & exaudiendi sunt; quia iuxta Domini verba, alienum pastorem non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia nesciunt vocem alienorum: Ago quidem ego, & intercedo pro eis tractus eorum sancto studio: sed specialiter ad hoc me compellit singularis, quam habeo erga ipsos, & locum in quo morantur, dilectio. Nam fratres, nepotes, & tota consanguinitatis mea linea, locum illum à primo fundationis lapide, multo affectu coluerunt; nonnulla etiam de suis, ne dicam multa, vestri ordinis, ac Religionis intuitu contulerunt. Prosequor ego eorum deuotionem, etsi non beneficiis, tamen sincera dilectionis affectu. Fuerit in remouendo Abbate ipsorum, seuera, & caeteris, terrorem incutiens austeritatis vestra sententia: sit si graue non est, in restituendo discreta prouidentia. Nam nec capitale, nec peremptorium fuit, vnde accusatus est; nec tot in ipso, quae ex parte benè noui, bona, quod amicabiliter suggero, condemnanda sunt. Restituatur ergo, si placet, bonis ouibus bonus Pastor; & quia iustitia satisfactum est, misericordia quoque satisfiat; vt quae multo cum labore, & humilitate vos adeunt, multo cum gaudio, atque in Paracliti solemnibus diebus, ad ouile proprium plena cum consolatione redeant. Hactenus ad Rainaldum Petrus Mauricius, non minùs affectuosè quàm eleganter.

4. Quid à Rainaldo in eo negotio factum, in dubio est: & credendum Abbatem restitutum maximè ab homine piissimo, & dulcissimo; & qui eò tantùm puniret, vt terreret; hoc est, vt puniendi materiam traheret. Caeterum; quod venerabilis Petrus ait, fratres, nepotes, & ferè totam consanguinitatis suae lineam, eam domum, tunc Abbate destitutam, à primo fundationis suae lapide, multo affectu coluisse; argumento est, in Albernia sitam esse. Namque ipsum natione Albernum, atque ex prima totius Alberniae nobilitate, testantur omnes, qui eius vitam scripsere [b]. Vnde vlteriùs licet coniectari, Montem Petrosum Bonaevallis Viennensis filiam, quae in Albernia, & de linea Cistercij hactenus sola, huic narrationi materiam praebuisse. Nisi quod tamen annuae visitationes per matres tantùm ex more fieri, non per matrum parentes consueuere. Et duodenarius Monachorum numerus missus, conuenientiùs ad matrem, vt vel ex ipsa egressus sui memoria, materna viscera vehementiùs sollicitarent.

b *Chronicon Cluniacense. Chronologia Abbatum Cluni. Papirius, Massonius & alij.*

5. Hic idem annus Valentinae Ecclesiae Praesulis, quondam Bonaevallis Abbatis, Beati Ioannis, glorioso obitu, & frequentibus miraculis, vniuerso Cistercio illustris fuit. Migrauit, ille in sacra Sanctissimi Patris nostri Benedicti solemnitate; assistentibus Archiepiscopo Viennensi, Episcopis Diensi, & Viuariensi; necnon & multis viris religiosis, ex propriis filiis, quos precibus eorum muniendus Praesul sanctus vocauerat. De his Anonimus auctor vitae illius [c]. *Abbates & Episcopos conuocari iubet, quibus obitus sui diem instare denuncians, viaticum salutis expetiit; & expansis in caelum manibus, suscipe me (inquit) Domine secundùm eloquium tuum, & viuam, & non confundas me ab expectatione mea. Libera me à calumniis hominum, & fac mecum signum in bonum. Tunc Biariensi Episcopo, & Diensi, caeterisque suadet in Psalmis, & Hymnis, & Canticis spiritualibus psallere, & anima migranti à corpore, suis orationibus subuenire.*

c *cap. 10.*

6. Inter haec deposuerunt eum de lecto, ciliciòque atque cineri imposuerunt. Caeterùm (pergit auctor non multò pòst [d]. *Cùm ei in cilicio, & cinere posito assisterent; & postremum vale dixisset, vt iam defuncto, sed de benedictione non deposcita causarentur,* (scilicet Episcopi, & reliqui qui aderant) *& se infelices ideò praedicarent; tunc ille misericordiae manum iam eneruem & fatiscentem erexit, vt potuit, ac votis praesentium satisfecit: sicque sancta illa anima à corpore soluta est.* Haec de glorioso viri Dei obitu; at de die & anno haec, quae sequuntur. *Beatus verò Ioannes Beati Patris Benedicti disciplinis instructus, ac regula; eo die, quo & magister, discipulus à mundi huius tenebris ad Patrem luminum migrauit, duodecimo Kalend. April. anno ab Incarnatione Domini nostri Iesu Christi. M.C.XLV. Sub Papa Eugenio, Imperatore Conrado, Praesulante Vienna Humberto, dicta quoque ciuitate Hugone, & Vvillelmo Viuarij.*

d *Anonimus cap. 11.*

7. Haesit corpori adhuc color viuidus: non exangue cadauer, non cutis arida, serena & laeta facies; aperti oculi; denique *lineamenta totius hominis* (pergit auctor [e], qui suprà) *pristinam continentiam retinebant, vt de gemina stola certi fierent praesentes, quae post iam tunc glorificatam animam, corpus etiam in gloria indueretur.* Nec tacendum quod idem auctor [f] ait. *Beato viro in pheretro iacente, senex quidam coloris splendidi, & aspectus grauissimi illuc in peregrino habitu venit, qui manus, & faciem eius deosculans, mora facta breuissima, gratulabundus abscessit, nec postea vltra comparuit.*

e *Idem ibid.*

f *Idem ibid.*

8. His vrbis incolae moti atque commoti pheretrum circumstabant, & inter eos, *Bertrandus* (ipsissima coëui auctoris [g] verba transcribo) *Ecclesiae illius Canonicus, ex longo febricitans candelam accensam ante sacrum corpus exhibuit, & morbum sibi meritis eius auferri cum lachrymis postulauit. Itaque homini tàm deuotè pulsanti confessoris sui precibus sanitatis ostium Christus aperuit, sanùmque, & hilarem versa vice remisit. Tunc vniuersa incurrit vicinia mente consternati, quia viuens illis vlucrat, quem sic Dei virtus defunctum magnificabat; quorum corda contrita, & humiliata Deus non despiciens ad Sancti Ioannis inuocationem variis detentos languoribus curauit. Et in regiones longinquas Sanctum suum breui in tempore mirificauit. Peractis denique celeberrimis ex more exequiis corpus illud sacratissimum in marmoreo condignè Mausoleo reponitur; cùm ingenti acclamatione Cleri, ac populi, virum sanctum, iustum, mansuetum, ac pium, hominibus ignotum, Deo cognitum, nimis repentè ex oculis sublatum, morte Pastoris gregem luporum manibus datum, sepeliitur in vrbe Gallicana Valentia ad portam Aquilonarem Matris Ecclesiae: in claustro miris caelaturis, & arte plumaria sculpturato: Vbi tanquam in arcu triumphali Regis summi potentia iugiter declaratur.* Haec de pretiosa morte, & sepultura viri sanctissimi.

g *cap. 13.*

9. Caeterùm de frequentibus miraculis ad sancti viri corpus multa subiungit [h], & visum caecis: claudis gressum [i]: surdis auditum [k]: captiuis libertatem concessam ipsius meritis [l]; extincta incendia [m]; & multa alia beneficia collata latè recenset, in libro virorum illustrium Cistercium minus distinctè. *Assumptus autem ad Episcopatum vrbis Valentiae, quem per plures annos strenuè regens, multas ibidem aduersitates pro defensione iustitiae tolerauit. Qui virtutibus, & sanctis operibus clarus obiit; & post gloriosum ab hac vita discessum, miraculis claruit, quàm*

h *cap. 18. & 13.*
i *cap. 14. & 19.*
k *cap. 15. & 16.*
l *cap. 10 & 15.*
m *cap. 14.*

quàm multiplicibus, & immensis. In Catalogo autem Episcoporum Valentinorum hæc de Beato Ioanne scripta accepimus. *Ioannes mira sanctitatis Episcopus, cuius anniuersarium honorificè celebramus, non orando pro ipso defuncto sed tanquam pro eo, qui possit, etiam pro viuis, ac defunctis apud Deum intercedere.* Consonat Ioannes Chenu, Arnoldus Vvionius, Hugo Menardus, & alij recentiores.

10. Id tamen adhuc in hoc capite adnotabo. Quo anno Sanctus Ioannes in Gallia defunctus est, Ioachimum in Calabria luci datum, virum vtique magnum, sanctúmque, & quo vix alius celebrior suo sæculo: Sed ponendum in signum cunctis populis, pro quo & in quem studia hominum varia, penè vsque ad hunc diem perseuerent. Nunc sufficit notasse eius natalem; cætera ex more dicemus, cùm tempus venerit.

11. Hoc ipso anno ad superos transmissus legitur sexto Idus Decembris insignis pietate & doctrina vir, Beatus Constantinus, quem ex Clarauallle prius ad Tres fontes, inde in primum Abbatem Aureæ vallis promotum diximus. Ipsius dictum simul, laudésque testantur Aureæ vallis monumenta, quæ Henriquez adducit, his planè verbis. *Constantinus autem* (inquiunt) *non degener à Sanctissimo Patre Bernardo filius, vt nomine sic reipsa constans, ea, qua apud Deum & homines praecellebat, gratia, adeo in vultu potentium amabilis fuit, vt non modò à diuersis Episcopis, & Principibus diuersa beneficia consecutus, verùm etiam à summo Ecclesiæ Principe Innocentio II. quaterno diplomate sit honoratus. Eiusdem Constantini diebus Sanctissimus Pater Bernardus pauperculam vallem per semetipsum inuisens deaurato calice donauit: quem patres nostri ipsius armis gentilitiis, in perpetuam rei memoriam, insigniri voluerunt. Lætabatur sub Constantini disciplina sterilis Eremus, & in verbis sapientiæ, quæ procedebant de ore eius, germinans germinabat. Posuit si quidem Pater Venerabilis desertum suæ vallis, delicias, & solitudinem in viam florente virtutum gratiâ, quasi hortum Domini, ex quo plenus dierum, & meritorum, plures è suis discipulis relinquens sui Magisterij successores, decimoquarto sui regiminis anno ad cœlestem assumptus est Paradisum.* Hactenus ibi. Constantinum inter illustres Cistercij viros Menologium recenset, Decembris octauo, quo die in Martyrologio Aureæ vallis obitus eius notatus inuenitur. Successorem habuit Theodoricum dictum de Viuei qui septem annos rexit eandem domum.

---

1. *Beati viri Humberti gloriosus obitus,* 2. *in quo Bernardus sermonem ad fratres habet,* 3. *Modestiam viri, humilitatémque;* 4. *Sed & Zelum,* 5. *prudentiámque collaudans,* 6. *atque ipsum Christo comparans,* 7. *deinde alloquens,* 8. *& dolens de eius morte.* 9. *Sepulchrum, & memoria sanctitatis.* 10. *Explicatus à Bernardo Psalmus,* Qui habitat, 11. *& frater quidam turbatus astutia Dæmonis.*

CAPVT VIII.

1. Hoc fermè anno (nam nec triginta expleuit in Clarauallle) Venerabilis Humbertus, quondam Prior, mox Abbas, demum sub Sancto Patre Bernardo Monachus, septuagenarius circiter, fractus vigiliis ieiuniisque, fælici obitu vitam consummauit, præsente Beato Abbate, dolentéque, & sanctitatem viri celebrante. De obitu hæc pauca Exordium magnum [a]. *Cum verò iam senuisset, & fatiscentibus membris vigor corporis defecisset, insuper quoque variis aduersa valetudinis incommoditatibus vrgeretur: erat tamen animus vigens, & feruens in opere Dei. Ita vt arduos ordinis labores, quos robusta iuuenum ætas tolerare poterat, ipse senex, & vix decrepitus patienter, immò alacriter percurreret. Remissiones verò, & indulgentias misericordiæ, quæ senibus, causa compassionis, impenduntur, non solùm minimè appeteret, verùm etiam concedere volentibus, nequaquam acquiesceret. Peractis autem in Clarauallle triginta circiter annis, salutis agone consummatus, mortem lætus subit, non ab ipsa consumendus, sed de ipsa in assumptione nouæ vitæ ex tunc in anima, & post modum in corpore gloriosissimè triumphaturus. De cuius transitu Beatus Bernardus vehementer turbatus, quid de eius excellentissima conuersatione sentiret, in conuentu fratrum quodam sermone declarauit.* Hactenus Exordium. Verùm quid Pater Sanctus de ipso senserit, ex his, quæ (ad Fratres prius declamatis) scripta reliquit, lector faciliùs, exactiúsque percipiet.

a lib. 3. c 4.

2. *De cætero fratres factitium vobis sermonem in omni forma sanctitatis iste Dei seruus* (Humbertus) *exhibuit, quem & longum fecit, & magnum. Longum quantum ad longinquitatem vitæ; magnum quantum ad vitæ sublimitatem. Non oportet me amplius aperire os meum, si bene retinuistis sermonem eius; si vestris illum cordibus impressistis. Quinquaginta annos, & eò ampliùs vixit in seruitio illius, cui seruire regnare est, quia à puerilibus annis locatus est in sanctuario Dei. Nobiscum triginta annis ab ipso penè principio monasterij huius conuersatus est, non solùm sine querela, sed & cum gratia: cuius ex hoc memoria in benedictione erit nobis, & generationi, quæ ventura est. Sicut aduena, & peregrinus pertransiit viam, & vitam istam, quantum minus potuit de mundi rebus accipiens, vt pote sciens, quia non erat de hoc mundo. Non habebat hic manentem ciuitatem, sicut nec patres sui: sed in anteriora extentus, sequebatur ad palmam supernæ vocationis. Nihil habet mundus, quod iure clamet in eo, vel de eo: quia nec mundus ei placuit, nec ipse mundo. Quantum parcius potuit de substantia eius accepit, & minus accepisset, si non obedientia coëgisset. Victum, & vestitum habens, his contentus fuit; non ad superfluitatem, sed ad necessitatem: nisi quod ipsam quoque necessitatem, superfluitatem esse sæpiùs causabatur.*

3. *Ante hos paucos dies (si bene memini) dum colloqueremur ad inuicem, dicebat, se monasterij huius prabendarium esse, & tamquam nullius vtilitatis hominem pasci in domo Dei. Erat enim verè mitis, & humilis corde. Et cum cæteris floreret virtutibus, gratiam tamen mansuetudinis specialiter obtinebat. Ideo se amabilem, & affabilem omnibus exhibebat,* sicut

sicut erat amabilis valde. Veruntamen in his omnibus, quàm circumcisum fuerit Os eius, & lingua, omnes vos plenissimè cognouistis, qui tamdiu vidistis eius conuersationem, & sermonem eius audistis. Quis vnquam ex ore eius verbum detractionis, sonum scurrilitatis, sermonem gloriæ, inuidiæ vocem audiuit? Quis eum, vel alios iudicantē, vel iudicanti consentientem aliquando deprehendit? Quis eum loquentem inania audire potuit? immò quis non ab eo timuit, si talia fortè loqueretur, audiri? nimirum sollicitè custodiebat [b] vias suas, vt non delinqueret in lingua sua sciens, quia [c] qui in verbo non offendit, hic perfectus est vir. Longè à te Humberto væ illud Euangelicū [d]: væ vobis, qui ridetis nunc, quia flebitis. Numquid aliquis vestrum eum ridentem etiam inter multos ridentes inuenit? Serenabat quidem vultum suum assidentium gratia, ne fieret onerosus: sed risum integrum, si bene recolitis, non admisit.

b Psalm. 38.
c Iacob. 3.
d Luc. 6.

4. Porrò quanti feruoris in opere Dei, diebus, & noctibus fuerit, non solum vidistis, sed etiam admirati estis vsque ad diem mortis suæ. Cùm enim ferè iam ad decrepitam peruenisset ætatem, præter incommoda senectutis, etiam tot, & tantis infirmitatibus, quas multi vestrum non ignorant, lassatus, atque quassatus, erat tamen vt dicitur, animus victor annorum, & cedere nesciens, & descendens iuuenum laborem prosequebatur. Ita vt admirationi esset omnibus, & stupori. Si eum, quandoque propter multitudinem negotiorum, consilij gratia retinuissem, tristis perseuerabat, & nubilus, donec vestro consortio redderetur. Rarissimè vnquam solemnibus vigiliis, quas non rarò anticipabat, rarissimè cæteris horis psallentem in choro inuentus est defuisse: nec nisi ea necessitate, vt ex instanti responsum mortis habens infirmitas sequeretur. Porrò in refectorio vix communibus vtens cibis, si quid fortè aliud apponeretur, aut non accipiebat, aut tam molestè accipiebat, vt super hoc vniuersitatem nostram sæpius molestaret. Decreuerat aquam bibere semper, si non totis viribus restitissem. Vinum, si quandóque bibere cogeretur; erat vinum colore potius quàm sapore: adeò illud aquis nimiis obruebat. Vix vnquam, obedientia compellente, infirmitorium introiuit: Vix cùm intrasset, teneri potuit. Fateor minùs obediens in hac parte, quod auctoritatis suæ mole me premeret. Laudo eum, in hoc non laudo: quia sicut vos scitis, non parum in huiusmodi perstitit obstinatus. Credo, quia si quid triste sensit, propter hoc sensit, quod minùs nobis consensit de necessitate corporis sui.

5. Sed qualis erat in consiliis? purus vtique, & discretus. Quod ego tanto melius noui, quanto sæpiùs tetigi pectus eius. Non solus autem noui hoc, nouit & vniuersitas vestra. Quis denique multitudine, vel magnitudine tentationum percussus, non audiuit ab ore eius, & radicem tentationis, & curationis remedium? Ita enim percurrebat omnes angulos conscientiæ infirmantis, vt credere posset, qui confitebatur eum vidisse omnia, omnibus interfuisse. Quanta autem charitatis erat? Sic se induerat viscera pietatis, vt omnes excusaret, pro omnibus intercederet, nescientibus illis pro quibus loquebatur; non personarum acceptator, sed necessitatum. Erat ergo humilis corde, dulcis sermone, strenuus opere, feruens charitate, in commisso fidelis, in consilio circumspectus, & prudens. Compositus erat super omnes homines, quos viderim in diebus istis; vnus & idem perseuerans omni tempore, & omni hora.

6. Planè in semitis Domini Iesu posuit vestigia, nec retraxit pedem, donec cursum itineris consummaret. Ille fuit pauper; pauper etiam iste fuit. Vixit ille in laboribus, & hic in laboribus multis. Crucifixus est ille; & iste multis, & magnis crucibus affixus, stigmata Iesu tulit in corpore suo, adimplens ea, quæ deerant passionum Christi etiam in carne sua. Resurrexit ille, iste resurget. Ille ascendit in cœlum, iste creditur ascensurus. Ascensurus planè, cùm Rex gloriæ propter nos descendet, sicut priùs ascenderat, vt notam faciat potentiam suam: cùm non minoris excellentiæ sit descendere per aëra, quàm per aërem ascendisse.

Ecce iam coram te est, Pater dulcissime, fons ille puritatis, quem tanto ardore animi sitiebas. Ecce immersus es in illam diuinæ pietatis abyssum, cuius memoriam abundantiæ suauitatis tam deuotè eructare solebas. Quis enim tàm deuotus Prædicator pietatis diuinæ? quis humanæ puritatis commendator tam studiosus? Quis vtriusque rei tam affectuosus amator erat? aut cui aliquando quinque verba loquutus est in quibus non vera puritas resonaret? in quibus non sancta Dei pietas audiretur? Non ergo super te doleo, cui desiderium animæ tuæ tribuit Deus. Mihi potiùs ademptum doleo fidele consilium, auxilium grande, virum vnanimem, hominem secundùm cor meum. Non ploro Humbertum, (neque enim ille plorandus est, qui vocatus est ad mensam diuitis) sed super me, & super vos ploro, & super domum istam, super cæteros fratres nostros, qui omnes ab eius ore consilium expectabant. 7.

Temporalia fuerunt, quæ in Humberti morte conspeximus, Sed iam obtinet gaudium, & lætitiam in perpetuas æternitates. Non est ergo lugendus nobis, cui nec luctus, nec dolor est. Sed nec pro nobis, quibus ille sublatus est, murmurandum est. Magis gratias agamus, quòd tandiu datus est nobis. Si quidem (vt ego arbitror decennium iam decursum est, quod non vixit nisi nobis, & pro nobis: atque hic timor meus est, ne ideo translatus sit, quia non eramus iam digni consortio illius. Quis scit tamen, si idcirco sublatus fuerit, vt nos suis intercessionibus protegat apud Patrem? Vtinam ita sit. Si enim tanta charitatis erat, dum esset nobiscum, vt omnia, quæ ad necessitatem corporeæm spectant libentiùs mihi, quàm sibi cederet; quantò magis nunc, cum illi summæ charitati, quæ Deus est, inhæret, maiorem habet in me gratiam, & charitatem? Hactenus Sanctus Bernardus de Humberto. 8.

Corpus viri sepulturæ traditum tunc primum, sed post translatum, ac leuatum est, vt ait auctor Exordij, cum aliis Sanctorum sacris exuuiis, sub arcu claustri prope Capitulum, cum titulo nomen eius præferente, vt perinde (ait [e]) fratres in claustro sedentes, & ex lectione feruentissima, sancta religionis eius studia cognoscentes (quæ tanta, ac tam magnifica fuerunt, vt ea litterarum monumentis tradere Beatissimus Pater Bernardus non dubitaret.) Simul etiam tumbam sacrorum cinerum eius præ oculis habentes, incalescant animo, obliuionem fugiant, torporémque, & negligentiam procul à se repellant; nec omnino nisi per arduos claustralis disciplinæ labores, coram monachis propositam se adepturos esse præsumant. Hic ibi dies obitus notatus perseuerat in libro sepulchrorum Claræuallis, qui fuit septimus mensis Decembris, vigiliæ conceptionis Beatæ Virginis. De eo [f], Martyrologium Monasticum, atque item [g] Cistercienſe Menologium: Neutrum ex fide, quippe alterum ex vno duos facit, alterum cum Humberto alio confundit, longè antiquiori, cuius vitam Surius adducit mense Septembri. Humbertum nostrum, vltra ea, Sanctis numerant [h] Aloysius Lippo- 9.

e l. 1. 3. c. 5.
f Decemb. 10.
g Septemb 7.
h in vitis Sanctorum lib. 4.

i in Catalogo sanctorum Ordinis. Lippomanus. Ioannes [i] Abbas, atque ex ipsis alij plures.

10. Hoc ipso anno, quantum ex serie Scriptorum & vitæ ipsius licet colligere Bernardus Pater interruptis sermonibus in Cantica in gratiam monachorum in Quadragesima, explicandum suscepit Psalmum, *Qui habitat*; quem decem, & septem Sermonibus absoluit. Opus haud dubiè Bernardo Patre dignum, & Quadragesimali ieiunio satis aptum; vt à quo in ieiunio Christi Domini communis hostis occasionem assumpsit tentationis; quod idem Sanctus testatur in præfatione. *Propterea* (ait [k]) *vt sit vobis in verbo Domini consolatio, maximè his diebus, quibus (sicut omnino dignum est) aliquatenus maior est labor vester non erit inutile tractare vobiscum aliquid de Scripturis sanctis, quod etiam aliqui vestrum rogauerunt, vnde nobis eligendus est Psalmus ipse, de quo tentationis occasionem inimicus assumpsit, vt inde confringantur arma maligni, vnde sibi vsurpare præsumpsit.* Ita Bernardus.

k in Præfatione ad Psalm. Qui habitat.

11. Porrò in hac eadem quadragesima illud euenit, vt frater quidam, primum quidem dormiens, mox etiam vigilans, tam grauiter diabolica illusione perturbaretur, vt vix tota illa die rationis compos, cæteros etiam longè conturbauerit; quod Sanctus Pater in exemplum adducit, & cautelam. *Denique* (ait [l]) *ante hos paucos dies (ipsi scitis) vnum quemdam ex vobis, & prius dormientem, & postea excitatum, tam grauiter phantasia nocturna perturbare permissa est, vt vix illa die rationis compos, vix potuerit esse securus; Etiam omnes vos pariter expauistis, cum territus ille terribilem nimis exclamasset in vocem. Erubescendum sanè quod vsque adeo fides in vobis, vel dormientibus, visa fuerit obdormisse, sed ad nostram sine dubio factum est admonitionem, vt tota solicitudine meminerimus aduersum quos nobis sit colluctatio, ne quando scilicet aut ignari hostilis inuidiæ, aut protectionis diuinæ inueniamur ingrati.* Hæc Sanctus Pater omnia ad profectum trahens, sed nihilominus filiis in tantum deferens, vt fidem vigilem requirat, vel in dormientibus.

l Serm. 7. sup. Psalm. Qui habitat.

---

1. Nicolaus ambit admitti in Claraualle; 2. qua occasione. 3. Conuentum primùm, & per eum Bernardum decipit; 4. scribit senioribus, 5. affectum suum perpendens, 6. & Claramuallem ad cælum vsque extollens, 7. se ibidem admitti supplex exposcit. 8. Theobaldum Priorem secum trahit. 9. Nec retardatur ab Arremarensibus. 10. Theobaldi retrocessio: 11. Burchardi ad Nicolaum congratulatio. 12. Nicolai fastus. 13. & deducta ex epistolis ipsius ratio temporis.

CAPVT IX.

1. INTER hæc Nicolaus Arremarensis ætate Iuuenis, aspectu decorus, moribus aut compositus, aut fictus; sed ingenio, & eloquentia penè vsque ad miraculum; quem propter hæc Venerabilis Petrus Mauricius in deliciis, reliqui in admiratione etiam haberent, quod multis infrà indiciis comprobabimus; Cùm Eugenium in summa Ecclesiæ Sede, Bernardum Patrem in summa æstimatione, Claræuallenses vbicumque in honore, atque omnibus acceptos conspexisset; Claramuallem adeundam sibi proposuit; at non virtutem ex consortio bonorum quærens, sed claritudinem. Bernardum Patrem iam senio & morbis grauem, ac supra vires implicitum negotiis (quæ ad virũ Dei ex toto orbe conflueret) indigere Notario, qui phrasim grauem, qui sacrorum librorum inuersa loca, qui dulcem eius stylum imitaretur: se si quem alium, aptum ad hoc munus, elocutionis æmulum; &, vt non comparem, saltem subæqualem; certè fictum transire in varias formas, & nunc his, nunc illis conformari. Huic ministerio, si semel admittatur, ex quotidiano vsu habiliorem; ex maiori notitia, vtiliorem, & penè necessarium; breui consequuturum, quod exoptabat: innotescere orbi per Sanctum Patrem, qui non deinceps sine Nicolao & secretorum conscio, & negotiorum ministro, & epistolarum non solùm exceptore sed, si succederet, etiam dictatore, memoraretur.

2. Hæc Nicolao fingendæ conuersionis occasio vnica, hic simulandi perfectioris vitæ ardoris scopus fuit. Sed timuit detectorem Bernardum ficta deuotio, & melius se putauit posse latere, si ad filios eius primò, vt simpliciores; dein per ipsos ad sanctum referretur. Ergo quæsito colore videndi socios, nam socios plures habebat in Claraualle; seu visitandi sanctam illam domum, quam Principes, quam Reges, quam Pontifices, quam totus orbis Christianus veneraretur, (solus, an cum Theobaldo Priore, dubium) illuc aduenit, dum Bernardus, abesset; Cæteros omnes faciliùs decepturus. Ibi quasi qui subitò incaluisset, sancta seruorum Dei conuersatione attractus, mirari vitam, collaudare viros, puritatem extollere, obseruantiæ rigorem magnificare; reliquos monachos præuaricatores; Claraeuallenses verè religiosos: & se infælicem, qui tanto bono careat; si admitteretur Sanctorum societati, vel in vita beatum prædicabat. Auderet vtinam sperare, vtinam petere! non vltra preces, non vota dilaturus. Nec aduenirer inutilis omninò, quem aliqualis ingenij disciplina ætatis firmum robur, & promptus animus ad bona commendarent.

Hæc, & similia per Conuentum primo sparsa, dein Priori, senioribúsque dicta, adeò gratanter cuncti suscepere, vt quominus petentis votis annuerent, sola Bernardi absentia detinerentur; consensuri, si adesset, proculdubio; quin, & quod difficilius videbatur, Abbatis sui (nam quid illis negaret?) necessarium consensum impetraturi. Et quæsitus admissioni hominis color: Verùm cùm nullus idoneus (maximè ob Petro Abbati Cluniacensi debitam reuerentiam) inueniretur; illud tandem consilium omnium fuit, vt interim Arremacum reuersus, in prima vocatione sua perseueraret, quoad vsque per Claræuallenses Bernardo reduci, & per Bernardum Venerabili Petro, vocatione insinuata, probatáque, conuenirent suffragia; & sic d mum indemnis, & sine alicuius scandali periculo aduenirer, amantissimè à cunctis suscipiendus. 3.

piendus. Itaque à Claraualle discessit non sino lachrymis, veris, an fictis, quis audeat iudicare? At cùm Bernardum negotia detinerent vltra consuetum; quietis impatiens, atque clarioris, quàm strictioris vitæ appetens, homo vafer, & callidus, per speciem religionis vitia dissimulans, primùm quidem Venerabili Theobaldo Arremarensi Priori persuasit, vt idem peteret: dein cùm ipsum & propositi socium, & precum haberet coadiutorem, hanc ad Seniores Claræuallis scripsit epistolam; captandos ex stylo; siue quia ad ipsos efficax, & acer; siue quia leuando parenti vtilis foret.

4. *Dominis* [a], *& patribus reuerendis Priori, R. & Consilio suo, Frater Nicolaus, facere misericordiam in illum* [b], *qui* incidit in latrones.

[a] Epist. 7. [b] Lucæ 10.

Hac vice, sustinete modicum quid insipientiæ meæ [c], sed & supportate me; *omnem enim mihi fiduciam suggerit, & humilitas vestra, & necessitas nostra: & illud tertium; in quo mihi spem dedistis, nostræ pusillitatis susceptio.* Suscepimus [d] Deus misericordiam tuam, *cùm suscepimus societatem illam, socij facti supernarum virtutum, quæ in Claraeuallis locis cumulatiùs immittuntur, propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis. Non est ergo vanitatis occasio, sed affectio veritatis, quia non illa, quæ inflat, sed quæ ædificat, in causa est. Hoc excessu libera est anima mea, licèt, grauioribus se adstrictam diffiteri non possit.*

[c] 1. ad Corinth. 11. [d] Psal 47.

5. *Clauseram quidem me infra memetipsum, vt non esset sermo in lingua mea, sed affectui meo amplius imperare non potui, quin hoc saltem remedio cor meum cordibus vestris communicarem. Impatiens animus meus, & se verbis indicare gestiens, & loqui audet, & veretur: æstuat, vt se aperiat, veretur ne displiceat: Laxo tamen habenas, & largiori voluntate totus in vocem feror. Familiare erit sapientibus tolerare nescientem. Discessi à vobis in gaudio: Sed nolite credere quod gaudium meum plenum sit. Quale enim gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, qui lumen cæli, lumen Claraeuallis non video? O lumen descendens à Patre luminum, vbi lucent luminaria in firmamento cæli, vnde assumptum est, videlicet Eugenius Papa, luminare maius, quod illuminet terram. O fælix regio, vbi vidi filios Israel per ordines, & turmas incedere; omnes negotiosos, otiosum nullum; omnes gladios tenentes, & ad bella Doctissimos; in spiritu fortitudinis terram promissionis intrare, ibi vidi sponsam Christi, quæ ferè vbique rugata est, sine ruga, & macula: illam quæ verè vulnerauit cor sponsi sui, illam quæ in vno capillulo & ocelluli scintillatione sollicitat cælorum Regem, Angelorum Dominum, Filium Dei Patris, & dixi:* Castra Dei sunt hæc: non est hîc aliud [e], nisi domus Dei, & porta cæli, *quam circumuolat, & circumdat legionum Cælestium multitudo in securitatem, &* absconsionem [f] à turbine, & à pluuia.

[e] Gen. 32. [f] Isai. 28.

6. *Hæc videns leuaui me super me, & in mentis excessu raptus, iuraui, & statui pauperem Christum cum pauperibus sequi, vt paupertatis præmium inuenirem, Nec potui, nec volui diutiùs spiritum accensum extinguere: Sed in breui, multa, & multiplici affectuum multitudine subsepulta, veni ad vos sicut de mari ad portum, de promisso ad præmium, de labore ad requiem, ad spem de desperatione: Veni ad locum, quem elegit Dominus ex omnibus locis, vt ibi non alibi sederem ad pedes Domini mei, donec audirem criminum remissionem in pace: locus ille, locus sanctus est, vallis nemorosa, vallis abundans, paradisus deliciarum, gratiarum hortus, in quo si non fuero, & vixero, moriar. Fraudatus grauiter à desiderio meo, coram Deo loquor, quin si conferrentur in me omnia regna mundi, & gloria eorum, nihil esset, si vobiscum, & in loco illo non adesse contingeret: Claraeuallis in affectu, Claraeuallis in sensu, Claraeuallis in præsentia, Claraeuallis in memoria, Claraeuallis in ore, Claraeuallis in corde est, & teneram animam tenerrima meditatione succendit.*

Libenter quidem consilium vestrũ, & sustineo, & sustinebo; sed si qua est pietas, si quis charitatis affectus miseremini mei, miseremini, & educite vinctum de domo carceris; & carcer est vbi sine vobis. Nunquid nõ impetrari poterit à fratribus, imò ab hostibus nostris, vt dimittant nos in loco isto, donec veniat, cõmunis pater, cui repositũ est, qui spiritu oris sui diuidat inter diẽ, & noctem, vel inter diẽ, & diem? Numquid in tanto consilio, tantillum consilium manendi inter vos non poterat inueniri? Recordamini Prioris quem ipsa senectus venerabilem reddit; & iuuenis, quem bona voluntas, & multa vtilitas amabilem facit: qui non habent consolationem, neque consilium, nisi à vobis, & in vobis. Sentio, quia nimis progredior, & egredior vltra modum meæ pusillitatis. Sed excuset compassio, quod oratio ausa est; & prolixitatem charitas tegat; & quia post Deum omnem sollicitudinem meam proieci in vobis, sit in beneplacito, vestræ dignationis, vt mittatis nobis Dominum Gaucherium, quia multa vobis habeo dicere, quæ scribere ausus non fui: ne fortè Epistola in curiosorum manus incideret. Renunciate nobis dignationem vestram, & liberetis nos à circuitu isto, vt vos liberet ab omni malo, qui solus fuit inter mortuos liber sponsus Ecclesiæ, filius Mariæ Dominus Deus noster. Hactenus Nicolaus ad Priorem, & seniores Claræuallenses. 7.

Erat Theobaldus, vt idem Nicolaus alibi ait [g], *Ordine Prior, honore magister, ætate prouectus, canicie reuerendus.* Et qui, si quam suspicionem leuitatis iuuenilis ipsius ardor præferret; maturitate morum, prudentiáque abundè, aut aboleret, aut compensaret.

[g] Epist. 8.

Ergo cùm his, & similibus vterque Claræuallenses senes, illi rursus Bernardum fortè iam reducem, atque omnes simul Venerabilem Petrum Cluniacensem Abbatem solicitarent; & neque is aliquid denegare Bernardo patri, neque Bernardus filiis, aut vellent, aut scirent; facilè de consensu omnium indultum est, vt Nicolaus simul, Theobaldúsque senex, & iuuenis, ac quidam alij socij ad Claramuallem possent transitum facere; vbi mutatis cum loco, veste, & moribus, inter filios Bernardi computarentur. Non latuit intentata profectio Arremarensem Præsulem, & cognitam impedire curauit in quantum potuit; sed semel obfirmatis filiorum animis, atque obtento consensu Petri Bernardíque dolere illi longè, quàm retardare facilius fuit. Extat Epistola eiusdem Nicolai, ex Claraualle, ad eundem Abbatem scripta, *quando fecit concordiam cum eo.* Sic enim habet titulus: id est cùm tandem cessit, concessítque, vt ibidem maneret; in qua inter alia sui transitus processum, occursúsque, & excursus, his verbis narrat, 8.

Interea ait [h] (scilicet dum Claramuallem, & Monachorum eius sanctitatem præsens inuiseret,) *cogitationes meæ transierunt in affectum cordis, vt transirem ad arcem paupertatis huius, & verticem disciplinæ. Diu tamen animo in diuersa versato. Conferebam enim & hominem, & ordinem; huius mollitiem, illius duritiem cogitabam. Sed incaluit, & inualuit timor Dei, igitur iuraui, & statui custodire* 9.

[h] Epist 42.

dire iudicia iustitia tua secundùm Cisterciensium instituta, exiit sermo inter fratres, non potuit latere illum, quem poterat altiori vulnere vulnerare. Exterritus igitur, & me, & socios meos, conuenit, & inuenit verum esse, quòd in ore populi volitabat: statim mutatus est color, & dolor alta suspiria trahens, in lacrymarum fontes ebulliit. Supplicabat precibus, preceptis instabat: Sed iniquitates mea supergressa sunt caput meum, qua duriori potentia fuerant confringenda. Factus sum, sicut homo non audiens, & ruptis grauissimorum affectuum vinculis, propositum meum non distuli, sed contuli me in hanc domum Domini Dei nostri, vbi cùm intrassem, intra me, nihil remanere permisi, sed commisi quidquid me, vel vrebat, vel vrere poterat, homini huic, in quem respiciunt oculi totius Israel. Hactenus Nicolaus de his, quæ intra, & extra se euenerunt, dum transitum ad Bernardi disciplinam, inter Arremarenses meditaretur.

10. Cæterum hanc eamdem mutationem, sinistræ magis alicuius mutationis, quàm dexteræ excelsi opus fuisse, probauit euentus, resiliente Theobaldo non multò post; & cedente imbecilli senecta sarcinæ graui: & Nicolaus obstinatus potiùs, quàm perseuerans, sustinuit onus, sub quo diu lateret: non quod portaret. Decipere ad tempus permissus est, fortè ne alij in Bernardo deciperentur: & scirent tandem hominem, non Angelum, quem ab homine deceptum non dubitarent: Nisi maius, passurum à falsis fratribus, nam & hæc, ei corona erat reposita, cùm à propriis non posset, à quibus vnicè, & syncerè diligebatur, indiguisse extraneo: atque ad hoc solùm venisse Nicolaum, ne eo merito Bernardus frustrari posset. Vtcumque fuerit, Theobaldo resiliente, Nicolaus permansit: & quod in sene matura non fecit charitas, æmula charitatis ambitio (sic enim eam vocat Petrus Chrysologus,) potuit in leui iuuene, nihil non sustinente, vt nomen, ex Bernardi consortio celebre, & gloriosum in orbe consequeretur. Vtriusque euentus, fidele testimonium Nicolai Epistola, ad eumdem Theobaldum sub hoc titulo. *Ad Theobaldum Priorem, qui cum eo ordinem intrauerat, & exierat.* Et infrà in ipso Epistolæ contextu. *Vno, ait, consensu reliquimus omnia, & de veteri testamento, & vmbra Cluniacensium, ad Cisterciensium euolauimus puritatem.* Hæc de Theobaldo. Cæterum de seipso hæc quæ sequuntur. *Quod si ex me, qua circa me sunt scire cupis, dicam breuiter. Nicolaus tuus mortem perdidit; & vitam inuenit. Ad veterum plenitudinem, deest mihi resurrectio tua, quam si videre, & audire contigerit, non sum fraudatus à desiderio meo. Vale. Et memorare nouissima tua.* Hæc Nicolaus ad Theobaldum desertorem, pro animi vafricie, satis seuerè extat epistola Burchardi Balernensis, quem nos suprà, nec semel memorauimus, ad Nicolaum Monachum, gratulatoria de eius conuersione, & nouo vinculo arctioris necessitudinis, quam non pigeat ad litteram transcribere.

11. *Dilecto sibi multùm, & amabili valde Nicolao, frater Burchardus de Balerna, a salute in felicitatem.*

Hac vice prima in simplici stylo recipe me; & sine modo, vt quadam compositione graduum liceat ascendere ad animal primum pennatum implumi bestiola. Si testudo est quomodo loquetur aui pennata? Si talpa est, qualiter cum ceruo saliet? Si cicada quomodo citillabit ad oloris melodiam? Concede, quæso, vt in simplicitate mea tamquam hebes vetulus accedam ad iuuenem chalybatum incidentis aciem persensi, ideo de chalibe à simili mihi fit argumentum: at etiam hebeti, & obtuso, opus est & chalibe. Præfatiuncula hac stet hic. Gratias ago Deo noua facienti omnia, pro nouo mirabili de mutatione noua innouati Nicolai. Qua fecit album de nigro, nouum quid fecit, & mirabile: Sed hoc mirabilius est inter omnia noua, & nouo nouius, quod de tali nigro tale album factum est. Benè, & optime potuit facere, quem fecisse constat, vt Æthiops pellem suam mutaret [l]. *Hac mutatio dextera excelsi. Benedicamus illi conflatorio, in quo sic conflatum est, & purgatum, vt ad albedinis claritatem perueniret cum noua admiratione, & nouo gaudio. Sed quid ad me de hac nouitate? Multùm per omnia. Etenim nouam gratiam nouiter me accepisse glorior in hac nouitate de noua notitia, & noua familiaritate, & noua dilectione; noua inuentio, noui Thesauri de nouo amico nouiter inuento. Huic scriptum est* [m]: *amicus fidelis protectio fortis; qui inuenit illum, inuenit thesaurum, cuius memoria delicias mihi operatur incomparabiles, & recordatio iucunditatem, & consideratio suauitatis abundantiam, & perfruitio gaudij nouitatem. An non ista noua sunt, à noua inuentione decurrentia, & vberrimè redundantia? Hac à te ad me, sed à me quid ad te? Dico, purga, poli, lima, rade, sculpe, innoua, depone, laua, terge, vt album nostrum purgatum, adhuc ibi amplius, quàm septuplum, purgetur.* Hæc Abbas Balernensis ad Nicolaum, quibus vix de Bernardo maiora diceret.

l Psalm. 76.

m Eccl. 6

Ingressum Claramuallem astutum iuuenem vltra perseuerantiam laudabiliorem ex defectione senis, multa alia conciliarunt Sancto Abbati: probi in speciem mores, modestique, ingenium acre, & viuidum, stylus dulcis, & se quacumque vellet facilè flectens; tum quod vel sanctos viros solet allicere, dum grati esse student, iuge obsequium, quæ omnia ab aliis probata, laudataque maximè à Petro Abbate Cluniacensi, cuius iudicio multum deferebat, Nicolaum valde Bernardo commendabant. Et latebat fortassis inter hæc ipsa proprij amoris scintillula, dum vir appetens otij, & solicitudinis inueniebat in ipso, cui ardua etiam negotia posset committere. Hinc patuit via ad eius desiderium, cum Sanctus Pater in multis vteretur calamo Nicolai, atque ipsius exemplo, etiam alij. Ex quibus breui innotuit per totum orbem. Gloriatur ipse ad Gerardum de Perona, & ad Henricum Francorum Regis fratrem, (quorum hortatu Epistolas vulgauit) per speciem excusantis: & voti compos, humilis superbè insufficientiam suam incusat, vel potiùs iactat: sic enim ait. *Nam cùm multitudo diuersorum negotiorum irrueret super me, manum à calamo, mentem ab studio, studiosius abstergebam; nec poteram ad plurima, sicut ad singula vigilare. Ad illud tantummodo vigilans, vt possem patentes citiùs expedire.* Et idem alibi: *A custodia matutina vsque ad noctem, nihil aliud facio, nisi vt stylum, & tabulas voluam. Non illis imputetur, qui mihi hoc oneris imposuerunt, & posuerunt me multa scribere, rescribere multis.* Sic Nicolaus, quod adeo concupierat celebre nomen, & notum per totum orbem acquisiuit in breui; vt mercede in hac vita semel recepta nihil sibi sperandum in alia non dubitaret. Atque latiùs ideo volui scribere, quod multus infrà nobis de illo sermo, nec cum Bernardo veniet terminandus. 12.

Epist. 1.

Epist. 25.

13. Cæterùm quod ad rationem temporis attinet, Nicolai conuersionem, seu potiùs fraudem, incidisse in hunc annum, quem nunc describimus, ex duplici eius epistola colligitur recensita à nobis, altera in hoc capite, in præcedenti altera, quæ tempus supradictum manifestat. Quippe Eugenio in Pontificem promoto nondum susceptus scripsit ad seniores Claræuallis pro sua receptione, sic enim titulus habet eius Epistolæ. Et rursus Rualeno translato Romam, vt Eugenio succederet in Sancti Anastasij præfectura, iam Monachum agebat in Clarauall e: vnde & de eius discessu anxiè queritur, se sibi ablatum dolens, ipso ablato. *Elongasti*, inquit, *à me amicum & proximum, amicum simillima voluntate, proximum vna professione*. Et paulò inferiùs. *Ego tamen vulneratus sum, meam animam gladius pertransiuit, in me hæc omnia mala reciderunt. Sublatus est mihi homo vnanimis secundùm cor meum*, &c. Hactenus ille. Vt ex illis facilè veniat corrigendus. Cardin. Baronius, qui Nicolaum sequenti anno detectum atque delatum ad Eugenium Papam putat; cùm tamen multò posteriùs se prodiderit, vt tota historiæ series palam faciet. De Arræmarensi cœnobio certum est quatuor ab vrbe Tricassina leucis distare: de Abbate coniectari tantùm licet fuisse Guidonem, ad cuius, & totius Conuentus instantiam Bernardus Pater, Sancti Victoris officium concinnauit.

Epist. 41.

---

1. *Chronologia fundationum præsentis anni.* 2. *Abbatia Placensis, & Gradicensis.* 3. *Ottemburg, & Gouornia, siue Vveburnia.* 4. *Cella Misnensis longè ante prophetata.* 5. *Pomucb, seu Nepomungum, & Redages Hausen.* 6. *de Persenia in Gallia.* 7. *Stella & Trisagium.* 8. *Partea.* 9. *Mellerium, & Fons frigidus remissiuè.* 10. *neque aliter Andreouium; & Sanctus Petrus de Aquilis.* 11. *Demum de quodam Monialium Monasterio.* 12. *Item de alio, dotatio loci* 13. *pro Monialibus.* 14. *Aliáque in Hispania propagata.*

CAPVT X.

1. SEQVVNTVR fundationes præsentis anni, quas Chronologia recenset in hunc ordinem.

Anno M. C. XLV. VIII. Kalendas Aprilis Abbatia Placensis.

Et eodem anno & eodem die. Abbatia de Ottemburg.

Eodem anno II. Idus Maij. Abbatia de Gouornia.

Eodem anno VIII. Kalendas Iunij Abbatia Cella, Sancta Maria.

Eodem anno III. Nonas Iunij, Abbatia Pomucensis.

Eodem anno III. Kalendas Iulij Abbatia de Redages Hausen.

Eodem anno XI. Kalendas Augusti Abbatia de Persenia.

Eodem anno VI. Kalendas Augusti Abbatia de Stella.

Eodem anno & eodem die, Abbatia de Trisagio.

Eodem anno V. Kalendas Augusti Abbatia de Melerio.

Eodem anno VI. Idus Nouembris Abbatia de Pratea.

Eodem anno V. Nonas Martij Abbatia Montis Frigidi.

Eodem anno Abbatia de Gradis.

Hactenus ibi fundatæ domus hoc anno; de quibus singulis aliquid dicendum.

2. Placensem domum in Boëmia sitam, & in Pragensi Diœcesi, habemus ex genesi Ecclesiarum Morimundensium. Mater illi Lancheneimium, filia Æbrac, quæ immediatè prodiit ex Morimundo. Filiæ duæ, quas non multò pòst protulit, de Gradis, seu Gradicensis in Noruegia; & iuxta se in Boëmia, & Diœcesi Olomucensi, Bellus-gradus. Cæterùm cum Abbatia de Gradis in Chronologia hoc item anno, cœpta memoretur, ne vix dum natam, matrem confiteamur, necesse est, aut Placensem ante conceptam, aut Gradicensem tardius: ne quid certius audemus diffinire. Memoratur Placensis in litteris Innocentij Papæ quarti ad ipsius Abbatem, semel vt omnes Benedictinos præfectos Olomucensis, & Pragensis Diœcesum congregari ad capitulum procuret, eísque præsideat per annos singulos; iterum vt Olomucensem Episcopum per iniuriam depositum Apostolica auctoritate restitui, atque manu teneri procuret, de quibus suis locis agendum erit.

Ottemburgum in Vbormaciensi Diœcesi Æterbachum produxit, illustri nepte adaugens Claramuallem; de qua Miræus [a]. *Ottemburgensis Abbatia apud Keyserlautem, Palatinatus oppidum, fundata est circa annum Domini. M.C.XLV.* Memoratur Ottemburgum in litteris Honorij Papæ tertij, Pontificatus ipsius anno quarto. Crediderim commissam ab eo causam Abbati tunc Philippo. Insignis pietatis, & eruditionis viro, de cuius conuersione, & scriptis infrà dicemus. Eandem domum superis in cura, manifestant visiones, euentúsque sub ipso Abbate, quas Cæsarius adducit in suis Dialogis [b], ex quibus etiam alij desumpsere. Ignotior nobis Gouornia, siue Vveburnia, nisi quod, quæ hoc anno fundata est, filiã Fontanæ lego, in genesi Ecclesiarum Claræuallis apud Henriquez [c]. Arsfeldius in Bedfordiæ comitatu, Vvoburni inter alias Ecclesias nominat, quam Monachorum alborum fuisse tradit, nisi quod tamen fundationis tempus sub Richardo secundo non satis quadrat [d]. *Vvoburm* (ait) *Titulo Sancta Maria; fundator Hugo de Boilbek, alij Robertus de Vere, Orxfordia Comes, annuente Richardo secundo Rege. Monast. Albi. Monachi*: 3.

a in Chronic. Cistert.

b lib. 4. c. 53. & 55.

c In fasciculo lib. 2.

d in Catalog. Sacrarum ædium Anglia.

Cellam Sanctæ Mariæ filiam Portæ, neptem Vval Kenrode, proneptem Campi constat auxisse lineam Morimundi, in Diœcesi Misnensi, loco à Deo electo, & Sancto Episcopo Bennoni præmonstrato, atque ab eo prædicto ante annos quinquaginta, plus, minúsve, adeóque ante Cistercium 4.

cium mundo exortum. Fundator domus Otto Misnensis Marchio; Prophetiam, ex Actis prophetantis, quæ extant apud [e] Surium, accipiat Lector, *Cùm vir Dei* (scilicet Benno) *longè olim ante cellam conditam, transitum fortè eo loco faceret, videretque columbarum illic turmam gregatim considentium, ad Comites conuersus: En*, ait, *hic locus est. Ad quem paruo post tempore, noua quadam consolabit Religio, cuius precibus mortalium turba magna saluabitur; nec cassum fuit oraculum; orto enim deinde Diuo Cisterciensium ordine; Otto Misnensis Marchio Cellense cœnobium dicto Ordini primus ipsius fundator sacrum fecit; & supra quàm credi potest mirificè nobilitauit.* Hactenus acta sancti illius Pontificis, quem creatum Episcopum anno salutis. M. LXVI. post quadraginta annos præfecturæ obiisse ferunt, anno. M.C.VI. Septennio antè quàm Cistercium inchoaretur. Cæterùm de hoc eodem cœnobio Cellæ Misnensis, quam Cellam veterem alij etiam appellant Hieronymus Ducalis, qui opera Bonifacij Simonetæ Martino Cellæ Abbati dicata in lucem dedit, déque illius tum situ, tum ædificiis, tum Monachorum moribus quod cecinit, Epigramma, proferre libet.

e tom.7.c.30.

Cella vetus magna tangens confinia Misna,
Bernardo, & summo sanctè dicata Deo.
Cella Monasterium, quo non præstantius vllum
Misna habet, & Misnæ terra Thuringa soror.
Est fœcunda solo, piscoso fertilis amne
Irriguis hortis, arboribúsque scatet.
Illinc sylua ferax, hinc edua robora pascit,
Muneribus certant Liber, & alma Ceres.
Ipsa domus cultu est tam ædificata modesto
Vt nec sit risu digna, neque inuidia.
Nam medium seruta locum, nec Regia dici,
Nec priuata potest, nec nisi honesta domus.
Sed nihil in bella tam bellum est vndique Cella;
Quàm fratrum concors, sanctáque vita simul:
Quos nisi diuinis videas incumbere rebus:
Semper habent hymnos, semper in ore preces.
Quin neque Cecropiis maior honor artibus vsquã.
Nec tam nobilibus Bibliotheca libris.

Cellam Misnensem illustrarunt post duo sæcula tot Martyres, quot Monachi ab Hussitis crudeliter occisis, quod suo loco Annales demonstrabunt si Deus dederit.

5. Pomucensis Abbatia ordine sequitur, quam non alibi inuenio sub eo nomine: licèt in genesi Ecclesiarum Morimundensium incerta matre Pomuch scriptam legam, eandémque in Bohemia, in quo multa authographa concordant. Sunt, qui alio vocabulo Nepomungum nominent; quod si ita est, inuenitur inter Ebraci filias, in Diœcesi Olomucensi, quod satis verosimile apparet. Genesis Ecclesiarum Morimundensium apud Henriquez in fasciculo corruptè satis Eueraci filiam dicit, domum bis repetitam pro more suo. Extant litteræ Honorij Papæ IX. Ad Abbatem de Nepomuch Cisterciensis Ordinis, Olomucensis Diœcesis, vt non immeritò eadem Abbatia censeri possit. Notior aliquantulum Rhedages Hausen. Ex litteris Ioannis Papæ XXI. ad Abbatem eius directis semel, & iterum. Vnde eam domum Cisterciensis Ordinis in Diœcesi Alberstadensi sitam constat. Pertinet item ad lineam Morimundi, hoc, si quo alio, anno, eximiè prolificam. Atque inter Ame-longes-bornæ filias connumeratur. Ergo Rhedages Hausen neptis veteris Campi, quæ matri mater, adeóque Morimundi abneptis habenda erit. In litteris Gregorij Papæ IX. commendatur eximiè Prior Rhedages Hausen, atque inter illustriores illius æui Apostolos ab eodem Pontifice non sine dignis encomiis commemoratur.

Persenia Sancti Patris Reinaldi proles inter filias Cistercij connumeratur; de qua Claudius 6.
Robertus hæc habet verba *Persema, vel Persena, vel Piscina Ordinis Cistercij, Diœcesis Cenomanensis fundatur anno. M.C.XLV. à Guillelmo Pontimo, ibi iacent Petrus, & Ioannes Alanconij, vbi quoque Abbas fuit Adam, cuius extant sermones.* De Adamo nos pauca suo tempore. An autem hic fuerit Sanctissimus ille, simúlque eloquentissimus Perseniæ Abbas, de quo [f] Cartipatranus in suis libris boni vniuersalis, & ante ipsum [g] Iacobus de Vitriaco, ibidem expediam. Paulò aliter de Perseniæ fundatoribus Ausbertus Miræus in Chronico Cistercij, idque ex Renato Copino, Gallo auctore. *Abbatia de Persenia*, inquit, *aliàs de Piscina vulgò de* Persegne, *apud Cenomanos fundata, & dotata per Guillelmum Ioannem, & Robertum Comites Cenomanenses, ac Barones de Sinois: teste Choppino Monasticorum lib. 2. titulo 1. §. 3.* In libris Cameræ taxatur florenis. LXXIII. reperitur honorificè notata inter Epistolas Honorij Papæ tertij, priuilegio indulto, Pontificatus ipsius anno quinto, ad Abbatem, & Conuentum de Persenia, quod non vacat ad litteram transcribere. Hæc de Persenia.

f lib.1 cap.7.
g in Historia Occident.c.9.

Stellas ego in Gallia duas inuenio, in Lusitania vnam; ex illis alteram in Cenomanensi Diœcesi, in Pictauiensi alteram, quam vtramque recenset Robertus Claudius, atque hanc vltimam Pontiniaci filiam notat, in quo concordat genesis. Cenomanensis, nec mater, nec linea nota; nam, quam Morimundensem Henriquez tradit, dum in Austria constituit, aut suspectam, aut omnino diuersam facit. Lusitanam Alcobatia matre genitam inferiùs dabimus, nec enim ante matrem potuit erumpere. Certè si Pictauiensis hoc anno cœpit; Pontiniacus intra diem geminam emisit prolem. Nam & Trisagium eodem die natam ipsius filiam, habemus ex genesi Ecclesiarum Pontiniacensium. Ergo septem, quæ hactenus fundauerat, duo alia monasteria adiecit Guicardus pater: Surrexit Trisagium in Diœcesi Lucionensi, vbi, & in libris Cameræ Apostolicæ sex, & sexaginta florenis notandum video; Cætera obscura, nec quamuis meminit, illustrat Robertus Claudius. 7.

Prateæ meminit Robertus Claudius in Catalogo monasteriorum Galliæ, *Pratea*, inquit, La- 8.
preæ, *Ordinis Cisterciensis, Diœcesis Bituricensis: fundatur anno M.C.XLV. quarto Idus Nouembris.* Hinc corrigendus venit idem author in Catalogo Archiepiscoporum Bituricensium, vbi idem Cœnobium tempore Sancti Guillelmi fundatum tradit; cùm tamen constet esse longè antiquius. Quippe Sanctus Guillelmus Archiepiscopus creatus est anno. M.CC. deuixit autem anno M.CC.IX. vt suis locis dicemus. Ergo correcto ex alio ipsius loco tempore fundationis, de fundatoribus hæc habet sub Sancto Præsule. *Eius tempore fundatur ab Andrea de Clunsaco* (de Chauuigni) *Abbatia Pratea Ordinis Cisterciensis, distans sex leucis à Varico in qua olim. 25. Religiosi.* Hactenus ille. Et quidem quod ad monachorum numerum attinet, crediderim respexisse propiora tempora, & statum domus iamiamque

iámque decidentis à primitiuo. Aliàs antiquitus opulentiorem fuisse demonstrant taxæ Cameræ Apostolicæ, in quibus vsque ad sexcentorum florenorum summam pertingit. Hæc vnica huius anni fundatio Sancti Bernardi Conuentu ex Claraualle transmisso in Diœcesim Bituricensem; vt habet linea Ecclesiarum Clareuallensium. Memoratur Pratea in cap. *Cum Apostolica* 7. de his, quæ fiunt à maiori parte capit. De corpore Sanctæ Virginis Faustæ ad Prateam translato; déque variis Cœnobij eiusdem viris sanctitate, doctrináque conspicuis, dicemus in tempore.

Mellerium (Millereyum alij dicunt) in Britania in Nannetensi Diœcesi Pons Oltramij produxit, adaugens ea nepte Cistercij lineam. Nam Pons Oltramij Oratorij filia, quæ patris Stephani nona in Ordine proles commemoratur. Fontem frigidum Grandisilua genitam domum nequaquam immoror: Quippe non ante matrem, Cistercium induit, quamuis fortè antiquior sub nigro habitu, & de vtraque agemus cùm tempus venerit. Fundatores perhibentur Hamon le Bigel, & vxor eius Doa; Alanus Maydo cum sua etiam vxore, dotantibus Dominis de Rouge, & Dominis de Derbal; ex quibus plurimi in eo sepulti iacent. Ecclesiam dedicatam lego anno M. C. LXXXIII. per Robertum Nannetensem Episcopum.

10. His fundatoribus, quos recenset Chronologia, Andreouium illustre Monasterium in Polonia, & Sanctum Petrum ab Aquilis vocatum in Lusitania sunt, qui [h] adiiciant; atque hoc anno alterum exortum, alterum suscepisse Cistercium tradant: verùm cùm nihil constet ex instrumentis, nec ex historiæ serie conuincatur; satius duxi Chronologiæ ordinem sequi, quæ alterum post annos vigintiquinque, alterum post quatuor recenset, vt suis locis videbimus.

[h] *Martinus Crom. hist. lib. 6. Brito lib. 3. c. 13.*

11. Lego & in Bruschio Monialium monasterium fundatum in Sueuia circa hæc tempora. Satis illustre, & quod olim ducentas Deo sacratas Virgines alere consueuisset: atque in eius verba [i]. *Bona cella Germanicè* Gutecell, *siue vt ex vetustis quibusdam diplomatibus colligitur, Dei cella. Germanicè* Gotescell; *Monialium olim ducentarum, nunc duodecim saltem praeclarum Cœnobium in Sueuia, non procul ab Ochsenhusio, quatuor milliaribus ab Vlma, Sueuia metropoli, ordinis Cisterciensis, sub cura, & visitatione Abbatis Salemitani. Fundatum est in honorem sanctorum Cosmæ & Damiani, primum à duabus sororibus, quarum nomina interciderunt, fortassis incendiis, sicuti etiam ipse annus prima fundationis. Donauerunt verò, & locupletauerunt hoc Cœnobium postea nobilissimi Comites arcis Aycham ad Ilerum amnem sita.* Nam nomina benefactorum ad longum ibi prosequitur, quin & Catalogum Abbatissarum, quamuis diminutum, & à longo post tempore incipientem.

[i] *Centur. 1.*

12. Circa idem tempus (neque enim annus certus constare potest) primum, vt credo, in Hispania Cœnobium Virginum ante octuaginta, plus, minúsve, annos conditum, dicitur suscepisse Cistercij leges, quas per Castellam, Galleciámque diffunderet. Dicatum illud Sancto Michaëli in Diœcesi Auriensi, altero ab Episcopali lapide, in loco de Boneda, nobiles coniuges Arias Ferdinandi, & Gudina Oduarij cum filiis construxere: addita iam constructo dote non contemnenda, quam anno DCCCC. LXVIII. instrumento solenni confirmarunt: id haud inelegans pro æui illius more, hîc mihi censui fore transcribendum.

In nomine Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, vnius Deitatis in Persona, ante sæcula, & per omnia sæcula permanentis: & in honore Sanctorum inuictissimorum Martyrum, & Apostolorum Dei, Sancti Saluatoris, & Sancti Michaelis Archangeli, & sociorum eius; & quarum Virginum Basilica fundata est in Monasterio, quod Boneda dicimus, in territorio Bubalensi subtus monte Deiume, Mineo flumine discurrente.

Ego seruus seruorum, & ancillarum Dei, Arias Ferdinandi, & vxor mea Gudina Oduarij, & filij, & filiæ nostræ, videlicet Olearius Ariæ, Ferdinandus Ariæ, Ioannes Ariæ; Marina Ariæ, Bistabala Ariæ, & Acenda Ariæ: indignus peccatorum mole depressus, in spe, & fiducia, quâ Sanctorum meritis respiro, ne vsquequaque desperatione deiicia; qui etiam, teste conscientia reatu, meis criminibus sæpè pauesco. Vt ergo nos, per vos, ô Beatissimi Patroni nostri, & Christi Martyres, quorum reliquias huic domui insertas veneratnur: tandem vt reconciliari Domino merear, sanctorum suffragia fideli supplicatione votis omnibus imploro: & ideo deuotionis nostra steeit, vnà cum Dei adiutorio, vt ipsum suprà nominatum Monasterium sumptibus, & opibus propriis conderem, sicut & condidi. Adiecimus ergo in primis ipsi Monasterio Villam ipsam, quæ apud ipsum propiùs iacet circumquaque cum omnibus terminis, & suis pertinentiis, intùs, & foris. Deinde damus ei Cachim cum omnibus directuris, & suis pertinentiis, & cum omni voce sua, & cum Ecclesia S. Pelagij cum omni iure suo, &c. Nam multas villas, & cassalia ibi recenset, & subiungit.

Damus insuper ad diuina mysteria celebranda supradicto Monasterio, cruces argenteas duas, capsam vnam, coronam vnam, candelabrum vnum, incensale vnum, calices argenteos duos; libros Ecclesiasticos, Antiphonarum vnum, Canonicum vnum, Ordinarium vnum, Orationales duos, Psalteria duo: vestimenta altaris, &c. Nam plurima mobilia (imò omnia necessaria, tàm ad communes, quàm ad priuatos vsus) ibi commemorat, quæ Monialibus possent deseruire. Et tandem subinfert. *Ista omnia iam superiùs nominato Monasterio supradicto in integrum damus, & firmiter concedimus, & in potestate Abbatissæ eiusdem loci, & eius Monialium, quæ ibidem Deo seruierint, & in vita sancta perseuerauerint. Abbatissa verò (si inuenta fuerit idonea) cum consilio Episcopi de genere nostro eligatur: sin autem. Vndecumque inuenta fuerit idonea, ipsa statuatur. Filij nostri, & filiæ, & omne genus nostrum, qui ipsum Monasterium hæreditauerint, vel corpora nostra ibi sepeliuerint, nostris benedictionibus repleantur, & æterna hæreditate in cælo hæreditentur. Si fortè aliquis, tam de nostris, quàm de extraneis, contra hanc donationem ad disrumpendum venerit, sit maledictus, & excommunicatus, & iram Dei omnipotentis, & in nostram maledictionem incurrat; & cum Iuda traditore in inferno perpetuali igne ardeat; & libras ducentas auri ipsi Monasterio pectet; & voci Regiæ libras quingentas auri pariat; & quicquid quæsierit, duplicatum reddat. Et nos omnia, quæ supra nominamus, in potestatem Domini ponimus Regis, & in potestatem Episcopi, atque ad defensionem, quantum ad Ecclesiasticum pertinet. Facta charta Æra. M. VI. VIII. Kalend. Octobris. In die S. Facundi semper nostram celebrent commemorationem.* 13.

Regnante

Regnante Rege Fernando, Episcopo Auriensi Petro, &c.

14. Hæc prima S. Michaëlis de Boueda fundatio, dotatióque, reformati ad Cistercium circa hunc annum; nam post quinquennium Moniales transmisisse, quæ Monasterium Nucalium inchoarunt, Deo dante, dicemus, cùm tempus venerit. Interim noto, quod primum omnium fuit, & ex quo alia in Hispania propagata, in seipso nequaquam permansisse, & vix in filiis. Quippè Monialibus missis ad Nucales, statim reuersis: ipso Cœnobio S. Michaëlis post Monialium ad aliud translationem, vnito Monasterio S. Claudij Monachorum, ad ripas Auriæ domo, sub quâ nunc manet. Quæ omnia suis locis reddenda erunt.

IESV CHRISTI ANN. 1146. CISTERCII ANN. 49.

1. *Petrus Mauricius Eugenium Papam adit*, 2. *in reuerentia ostensionem, & charitatis:* 3. *Bernardus pro eo ad Pontificem scribit* 4. *grauem epistolam.* 5. *Pericula itineris;* 6. *& Petrus ab Eugenio gratè susceptus.* 7. *Dissidia Italiæ*, 8. *& eorum causa latens.* 9. *Legatio Petri ad reformandam pacem:* 10. *Atque eius ad Pontificem recursus conatu irrito.*

CAPVT PRIMVM.

1. INTRABAT annus Millesimus centesimus quadragesimus sextus, qui fuit Cistercio quadragesimus nonus; & Venerabilis Petrus Cluniacensis, qui hactenus, præpedientibus negotiis suæ familiæ, Eugenium visitare non potuerat; statim atque se expeditum vidit, adire Romam, atque eius primum osculari pedes, mox ruere in amplexus, quid charitas non audet? deliberabat: gratulaturus de Pontificatu Claræuallensi Monacho, non secùs, ac si de Ecclesia Cluniacensi, cui ipse præsidebat, assumptus esset. Etenim Petrus, & zelo religionis, & charitate in Bernardum, Rainaldúmque Cistercienses, vt non dicam pressiùs, saltem non infra suos prosequebatur. Sed neque vnquam alienos reputabat, quos Sancti Patris Benedicti filios, quò obseruantiores regulæ, eò & illi chariores existimabat. Igitur Cisterciénsem Summum Pontificem, insalutatum sibi, aut per litteras tantùm salutatum, neque potuit, neque voluit, pertransire. Videre virum placuit, lætarique, quo in Cathedra Petri successisset communis Pater omnium, quem paulò ante, & amici Bernardi filium, & Nouitium vidisset in Claraualle. Erat præterea speciale illi negotium, qualis desiderium, quod Bernardo, sed soli communicasset: in abdicata tandem præfectura, cui dudum subiacuerat; ex onerosa Liæ sollicitudine, ad Rachelis amplexus transire permitteretur. Hoc pro se solùm Eugenium oraturus, pro Ecclesia sua alia sibi vtilia, sed nulli alij iniuriosa meditabatur.

2. Huius itineris, & causæ item illius, meminit idem Petrus Cluniacensis tum libro de Miraculis [a], *in primo*, inquit, *Pontificatus Domini Papæ Eugenij anno, ad visitandum tam ipsum, quàm communem matrem Romanam Ecclesiam, Romam adij*. Tum etiam ad Bernardum Patrem scribens [b]: *Videram eum* (scilicet Eugenium Papam, ait) *primo anno Pontificatus sui Romæ*. Et iterum ad eumdem Eugenium Summum Pontificem [c]. *Nouit hoc*, inquit, *vt arbitror, Sapientia vestra, & in aures maiestatis vestræ, vt puto peruenit, quòd ante quinquennium, quando videndi, & visitandi vos gratia Romam pergebam*, &c. Ita de se ipse Petrus Venerabilis. Vt inde corrigendus veniat Cardinalis Baronius, qui hunc eumdem illius aduentum narrans, & tempus, & causam (prioris huius saltem) inuertisse videtur, leui errore. Quippe tempus ad annum anteponit; & causam aliam tradit, quasi ab eodem Eugenio vocatus venerit, pacem inter Lucenses, & Pisanos, qui inter se dissidebant, reformaturus. Cæterum in hunc annum incidisse, compertum est; quippe Eugenius profugus ab vrbe recens electus, nec ante finem præcedentis anni reuersus, priores tantùm intrantis huius menses (qui intra primum Pontificatus illius annum clauduntur) Romæ fuit. Causam toties ab ipso repetitam, nullus negabit. Et firmandæ inter Lucenses, paci, Pisanósque; postquam iam sese Eugenio præsentasset, destinatum ab ipso, reuersúmque (quod alibi testatur) infrà videbimus.

Vtcumque fuerit, cùm primùm Bernardus pater, Venerabilem virum ad videndum Eugenium ire cognouit, quæcumque eius negotia, propria reputans, nec minùs timens sibi à desiderio, quod Petrus concepisset, vitæ priuatæ, timens Cluniaco, quod adeo refloruisset sub eius vmbra: litteris vltrò prosequutus est abeuntem; quæ, & virum Dei, de Cistercio optimè meritum, Cisterciensi Pontifici (si fortè inter nouas curas excidisset memoria tanti amici) commendarent impensiùs, & beneficia in memoriam reuocarent, quibus gratiam rependeret: Obitérque opportunè prouiderent contra preces eiusdem, si peteret missionem, quæ sine ingenti Cluniaci iactura, imò & totius Ecclesiæ, vix reparabili, ab Eugenio concedi nequaquam posset. Atque ecce exemplar Epistolæ Sancti Patris, non solùm charitatem præ se ferentis, sed reuerentiam [d]. 3.

4. *Stultum videtur scribere ad vos pro Domino Cluniacensi, & ei quasi velle patrocinium ferre, quem omnes sibi patronum habere desiderant. Sed scribo, etsi non necessariè illi, satisfaciens tamen affectui. Affectui, dico, meo non alterius. Ipso enim, quia corpore non possum, prosequor amicum peregrinantem. Quis nos separabit? Nec altitudo Alpium, nec niuium frigora, nec longitudo itineris. Et nunc præsens sum, in litteris his assistens illi. Sine me poterit esse nusquam. Debitor sum dignationi eius, per quam dignus habitus sum assumi in id gratiæ. Sed debito ipsa absoluit gratia, quia necessitas in voluntatem*

[a] lib. 7. c. 13.
[b] lib. 6. epist. 16.
[c] lib. 6. epist. 41.
[d] Epist. 277.

tatem transiit. Honorate virum, vt verè honorabile membrum in Christi corpore. Vas est in honorem (ni fallor) plenum gratia & veritatis, refertum plurimis bonis. Remittite eum cum lætitia, quamplurimos de reditu suo lætificaturum. Dignemini eum ampliori, vt dignum est, gratia, & ita, vt de plenitudine eius omnes, cùm redierit, accipiamus. Sanè, si quid petierit in nomine Domini Iesu, non debet apud vos pati difficultatem. Nam si nescitis, iste est, qui manus suas extendit ad pauperes Ordinis nostri; iste est, qui de possessionibus Ecclesiæ suæ, quantum cum pace potest suorum, libenter, frequentérque largitur ad victum. In nomine Iesu, cur dixerim, audite. Si enim petierit (quod suspicor, veteórque) dimitti à regimine monasterij, quis illum noscens in nomine Iesu petere putet? Fallor, si non solito timoratior, si non se ipso melior factus sit, ex quo vidistis eum. Quamquam penè ab introitu suo in multis ordinem illum meliorasse cognoscitur: Verbi Gratia, in obseruantia ieiuniorum, silentij, indumentorum pretiosorum, & curiosorum. Hactenus ad Eugenium Bernardus Pater.

5. Ægrè tulit inimicus homo tantam concordiam; atque olim æmulas inuicem familias, infensas inuicem, iam tunc se ipsas præuenientes mutuis obsequiis profundè dolens, impedire curauit in quantum potuit. Grassabatur Opizo per Italiam homo audacis potentiæ, & qui nihil sibi putabat indecorum, quod foret vtile. In huius manus Sanctus Abbas incidens, multa in se, plura in suis, plurima in bonis omnium passus est: & nisi Placentini opem tulissent, iam de viatico, iam de equitaturis, forsan, & de salute sociorum actum fuisset. Sed venère opportuni, & officiosi, neque Opizonem abire permisere, donec de cunctis tum damnis, tum iniuriis ad arbitrium Abbatis satisfecisset. Narrat hæc idem Abbas Cluniacensis quinquennio post ad Eugenium Papam scribens pro Placentinis, gratiam reddere volens, cùm de proprij Pontificis repulsa grauiter apud ipsum accusarentur [e]. *Nouit*, inquit, *optimè sapientia vestra, quid ante quinquennium, quando videndi, & visitandi vos gratia Romam pergebam, super iniuria mihi, imò & vobis à Marchione Opizone illata, fecerint, (scilicet Placentini) quantum inde doluerint, quanta vi fugitantem, & latibula quærentem bestiam de fouea sua ad publicum protraxerint, quidquid sorbuerat, totum vsque ad obolum reuomere compulerunt; & satisfacere, tam ipsum, quàm sceleris socios, pro arbitrio meo, vellent, nollent, coëgerunt*, &c. Ita Petrus Mauricius ad Eugenium, cùm gratiam Placentinis reddere vellet.

e lib. 6. epist. 44.

6. Receptis omnibus Romam tandem peruenit Venerabilis Abbas, vbi ab Eugenio non benignè tantùm, sed etiam reuerenter susceptus est, velut quem de vniuersa Ecclesia bene, de Cistercio ab initio optimè meritum etiam Bernardo tacente non ignorabat. Non tantùm Regum, aut Principum Legatis, non Archiepiscopis, aut Patriarchis detulit, quantum Petro Mauricio: quem etsi grauis, minùs tamen dignitas Cluniacensis Ecclesiæ, quàm propriæ animi dotes, atque vtræque virtutes nobilitabant. Nec quidquam denegasse petenti credendus est, præter solam missionem: Satis supérque in hac parte factum reputans, si non super maiora dignum maioribus, atque in altiori gradu constitueret. Sed neque omnino vacuum à negotiis abire permisit; quin virum sanctum, doctum, prudentémque, & venerandæ apud omnes auctoritatis grauissimo præficeret, quod quia non solùm ex Eugenio Papa, sed etiam ex Balduino Cardinali, hos Annales concernit, meritò nobis veniet referendum.

Laborauerat hoc tempore Tuscia intestinis bellis; Pisanis, Lucensibúsque inter se diuisis; & dum his, quædam; illis, aliæ fauent, cæteras omnes vrbes diuidentibus: quod Otho Frisingensis his verbis narrat [f]. *Pisani & Lucenses propter nimiam viciniæ opportunitatem, indefesso furore bellantes, ruina sua omnes Tusciæ vrbes implicuere. Nam, & Florentini vna cum Marchione terræ Vlrico, vsque ad ipsas portas Senensium procedentes, suburbia eius cremauerunt. Senenses verò, in numero, & viribus impares se cognoscentes, Florentinis Lucensium auxilium flagitant. Lucenses tam pro ipsis, quàm pro Comite Guidone Guerra, qui & ipse cum Florentinis atrox bellum gerens, eos adierat, Florentinos hostes pronunciant. Illi autem Pisanis adiuncti non solùm Lucenses bello attentant, sed & Castella, oppida, agros præfati Comitis incendio & rapina deuastant. Senenses etiam, qui ad vastandos agros eorum egressi fuerant, insidiis à tergo positis, vix paucis fuga elapsis, captiuant. Porrò ex Pisanis, & Lucensibus, non tantùm plurimi ferro cæsi, compendio mortis vitam miserabiliter terminauere, sed, & innumerabiles vtrobique comprehensi, ac longa, vt vt ipse vidi, carceris inedia, & squalore macerati omnibus prætereuntibus lacbrymabile humani casus in se spectaculum prabent.* Ita qui vidit Otho Frisingiæ Præsul. 7.

f lib. 7. c. 29.

Tantorum malorum causa latens adhuc, nisi quod tamen à Cistercio ortam, id est à Balduino Cardinali Archiepiscopo Pisano (quis id credere posset?) in ipso Exordio magno notatum video. Quippe septies in die vel iustus cadit: & Balduinus potuit vel nimio zelo, vel surreptione, aut errore aliquo labi; nam consultò non credam de viro sancto, maximè in graui causa, & quæ tot populos erat obruitura. Exordij magni verba accipiat Lector, *Consequutus*, ait [g], (scilicet Balduinus) *ampla huius dignitatis* (scilicet Archiepiscopatus Pisani) *eminentiam, tanta spiritualis sapientiæ luce refulsit, tantáque auctoritate, ac spiritus libertate officium in Pontificali culmine demonstrauit: vt non solùm Cisterciensis Ordo, verùm etiam vniuersi fideles intra Italiam gratularentur vehementer, gratias agentes Deo, qui splendidissimam hanc columnam, & fulcimentum inconcussum Sanctæ Ecclesiæ suæ, temporibus ipsorum concessisset. Sed quoniam in rebus humanis nihil ex omni parte beatum esse plangimus, contigit, instigante Diabolo vt propter ipsum inter Pisanos, atque Lucenses populos grauis, ac periculosa guerra oriretur. Quæ etiam post obitum ipsius contentione partium inflammata, atque protelata, per aliquot annos durauit, & vix tandem ad pacis, concordiæque vinculum reuocari potuit. Cuiusmodi verò fuerit occasio, & causa huius dissensionis ignoramus penitus.* Hæc ex Exordio transcribenda esse putauimus, quo nihil prorsus, quod veritatem illustret, omitteremus. Ne panegyricum canere videamur, intenti solis laudibus; sed texere historiam quæ cuncta pandit, quæ bene, & malè facta æquè describit. 8.

g lib. 3. c. 29.

Peruenere ad audientiam Eugenij publica mala, nec causa publica notitiam eius effugit. Ergo paterna, qua pollebat in omnes populos, sed in Pisanos filiali etiam quodammodo (quia natale illi solum) solicitudine, primum omnium Balduinum Archiepiscopum, quamuis fortè innocentem, Pisis amouer, 9.

amouet, iniuncta illi Sardiniæ legatione, in qua non multò pòst vitam finiuit; fortè tædio rerum, & bellici tumultus, cuius causa extitisset, pœnitudine. Mox cùm Petrum Mauricium haberet Romæ, quem vel absentem ex toto orbe deligeret ad populorum pacem reformandam: deputauit negotio virum Dei, aggressurum vtrósque,& si quos fortè rationibus non posset, pondere authoritatis compesciturum. Meminit huius legatiæ ipse Petrus Mauricius in libro de miraculis. *Septem*, ait, *deinde annis exactis* (scilicet à morte Matthæi Cardinalis Episcopi Albanensis,) *Cùm ad vrbem proficiscerer, causa reformandæ pacis inter Pisanos,& Lucenses*,&c. Ad vrbem,inquam,denuo ex Thuscia rediens,quod ad reformandam pacem Legatus fuerat.

10. Quis fuerit legatiæ huius processus, quídve Petrus Mauricius in ea gesserit, ignotum adhuc: quippè non per epistolam,vt dixi, sed per seipsum reuersus inde Romam, rationem omnium Eugenio Papæ reddidit. Fructus, aut exiguus, aut nullus compertus est. Quippe ad populos ceruicis duræ missus, & qui, dum mutuis odiis inter se flagrant, omnem iam reuerentiam exuissent. Videtur Petrus ad Galliam reuersurus, etiam puluerem, de pedibus suis excussisse: vt notat Baronius [h] contra eosdem, pacem reiicientes, ex his, quæ scripsit ad Rogerium Siciliæ Regem [i]. *Vtinam miserabiles, & infælices Tusciæ partes felici vestro imperio adiungerentur: & res perditissimæ pacifico Regni vestri corpori vnirentur; verè non tunc, sicut nunc res diuina, atque humana nullo seruato Ordine confunderentur; non vrbes, non castra, non burgi, non villæ, non stratæ publicæ, non ipsæ Deo consecratæ Ecclesiæ, homicidis, sacrilegis, raptoribus exponerentur: non pœnitentes, non peregrini, non Clerici, non Monachi, non Abbates, non Presbyteri non ipsi supremi Ordinis Sacerdotes, Episcopi, Archiepiscopi, Primates, Patriarchæ in manus talium traderentur, spoliarentur, distraherentur. Et quid dicam? Verberarentur,occiderentur. Hæc planè vniuersa, multáque his similia,tam nefanda, tam exeeranda iustitiæ gladio succisa cessarent.* Et post pauca. *Sed luit adhuc scelerum pœnas, & gemit misera terra sub flagello diuino, quia in his omnibus non est auersus furor Dei; sed adhuc manus eius extenta.* Irrito ergo conatu Petrus rediit; quod, & auctores Itali [k], quin & Exordium supra à nobis adductum, expressiùs tradunt. Sed non irritis meritis, quippe pace reiecta à filiis iræ, ex Euangelica certa promissione ad Euangelizantem reuertenda.

h *Anno præcedenti ad finem.*
i *lib.4.ep.37.*
k *Carolus Sigonius de regno Italiæ, lib.14 lib.3. cap.24.*

---

1. Balduinus in Sardinia Legatus, 2. sanctè obdormit: 3. sequuta visio 4. cuiusdam Sacerdotis, 5. de ipsius Purgatorio, 6. propria videntis morte comprobata; 7. in qua notata quædam. 8. Delatus Aurelianensis Præsul ad Eugenium, 9. Et quædam alia de ipso, sed remissiuè.

CAPVT II.

1. INTER hæc Balduinus Cardinalis, quem seu pacandis Italorum bellantium animis ex remotione causæ; siue magis vt eum bellis eriperet, Eugenius in Sardiniam Legatum miserat; instaurare collapsam disciplinam, reformare deformia,Clerum, & populum ad antiquos mores componere,subuenire pauperibus, pupillis; coërcere iuuentas; & singulis,seu morbis,seu vulneribus efficacia remedia applicare. Erat in Insula Auorensis iudex,cui libitum,pro iusto; pro æquo, vtile; neque se iudicem populis concessum, sed sibi populos datos velut in prædam; iustitiam pro arbitrio inuertendam existimabat.In hunc,vt malè facta retractaret,ablata restitueret; cùm ex bono,& æquo non potuisset, anathema indixit,infractus animo, neque humanæ potentiæ cedens. Quin & rebellem tandem loco amouit, Turritanum substituens,quem virum probum, & iustitiæ cultorem,etiam qui non amabant contestabantur. Extat epistola ad Eugenium, Bernardi patris post Balduini mortem,in qua vtrumque commemorat, simúlque petit vtrumque conformari [a]. *Quod sanctæ*, ait, *memoriæ Balduinus Archiepiscopus Pisanus fecit, in Sardinia de excommunicatione Auorensis iudicis, quia non,nisi iustè hoc virum bonum fecisse credimus, vestra auctoritate ratum, & inconcussum manere rogamus.* Et paulò inferiùs. *Porrò Turritanus iudex,quia bonus dicitur esse princeps, sit vobis commendatus, & à vobis manuteneatur.* Ita Bernardus: nec de hoc plura Scriptores; quos ego viderim.

a *Epist. 244.*

2. His,& similibus operibus iustitiæ, constantiæque Balduinus intendens, nullum omnino munus omittebat boni Legati. Cùm esset siue senio, & morbis fractus, seu fractior ex mœrore, quem de bellis Italiæ concepisset, quippe qui ex illa in Sardiniam nauigatione, cœlum vt aiunt,non animum mutasset, in febrim incidit, dubium an in prouincia,an in itinere: certè hoc anno, & pendentibus adhuc eius sententiis, sanctæ memoriæ à Bernardo dici potuit, id est, cuius iam nihil in mundo superesset, nisi memoria. Crediderim orasse virum sanctum, ne bellis redderetur, quæ mouere potuisset, non remouere. Maluisséque frustrari natali solo, & terra aliena tegi; quàm pereuntes videre Pisanos ciues, præcipuè sui causa; & populos redemptos sanguine Christi inuicem vulnerantes, quando neutris dabatur opem ferre, neutros à pugna valebat reuocare. Vtcumque fuerit, dum postulat dissolui, & esse cum Christo, suæ patriæ miseriis substractus est, æterna gloria in cælis coronandus. At non sine visione subsequenti; gloriosa sanè, sed non minùs seuera, terrentíque; quippe ostendente, vel in sanctis viris nihil non purgandum, nihil non excoquendum vsque ad purum. Relatam eam ab auctore Exordij magni non pigebit, ad litteram transcribere.

Post dormitionem huius Beati præsulis(Balduini [b]) 3.
aliquanto tempore elapso, fuit in insula Sardinia Sacerdos quidam honestæ conuersationis, qui etiam ibi præerat cuidam Ecclesiæ parochiali. Erat autem eadem Ecclesia extra villam ædificata, atque ab omni hominum habitatione remota. Quadam itaque die cùm Missam celebraret, hora perceptionis inuenit Hostiam sacram super corporale fractam atque in

b *lib.3. c.24.*

in duas partes à se ipsa diuisam, quam anteà consecrauerat integram, & sanam. Quod vbi conspexit turbatus, & anxius, cum metu, & admiratione sacrificium ipsum consummauit. Expleto autem ministerio, cæterisque dimissis solus ibi remansit. Cùmque tristis esset pro signo; quod acciderat, egressus foras, venit & stetit ad Orientalem plagam. Qui dum ita positus ibidem aliquandiu staret, & de re quæ sibi euenerat, timidè, ac sollicitè cogitaret, infremuit spiritu, & inhorruerunt subitò pili carnis eius.

4. *Tunc irruente in eo, nescio, qua virtute externa, ita defigi, atque arctari cœpit, vt nullo modo se posset inde mouere. Et ecce apertis oculis vidit innumeræ multitudinis turbas equestres, & pedestres coram ipso citatis gressibus transeuntes. Erant autem in eis homines promiscui sexus, diuersæ ætatis, & conditionis: in quibus etiam multos deprehendebat, quos viuentes in carne antea cognouerat. Vnus ergo ex eis ipsi Presbytero quondam notus, & charus accessit ad eum, & fixo gradu cœpit familiariter cum eo loqui. Percunctanti verò Presbytero, quænam esset, aut quid ageret tanta infinitas turbarum, respondit. Animæ hominum sunt carne solutæ, quæ omnes pro varietate culparum variis sunt subditæ pœnis. Ita semper cursu reciproco longè, latéque vagantur hinc, inde in Mundo: quædam autem ex eis citiùs, quædam tardiùs liberandæ sunt: quarundam verò pœnæ insolubiles permanent.*

5. *Dum hæc ille loqueretur, respiciens Presbyter vidit supradictum Episcopum demisso vultu coram se prætereuntem; tamquam districti iudicis sententiam patienter ferentem, & inimicæ potestati, quæ illi ad tempus insultabat, cum Propheta dicente. Ne læteris super me inimica mea, quia cecidi: Consurgam cum sedero in tenebris, Dominus lux mea erit. Viso ergo eo, Sacerdos vehementer obstupuit, & cum terrore magnæ admirationis exclamauit dicens. Væ mihi misero peccatori, quid est hoc quod video? Numquid iste est Dominus noster Balduinus Pisanus quondam Archiepiscopus, de Monasterio Claræuallis assumptus? Respondit is, qui loquebatur ad eum. Ipse est verè. Et Presbyter ait. Hiccine ergo tantæ professionis monachus, & tantæ perfectionis Episcopus deputatus est pœnis, quem nos sperabamus iam in cælo gaudere cum Angelis? Ille verò respondens ait. Pro certo scias, & nullatenus dubites, quia ipse est verè sanctus, celsíque meriti Pontifex, & magna erit gloria eius coram Deo. Sed quoniam propter ipsum inter Pisanos, atque Lucenses populos diuturna iam guerra versatur, propterea differtur à requie, donec inter illos ad pacem discordia reuocetur.* Hactenus ibi.

6. Porrò ad visionem vlteriùs confirmandam, subdit inferiùs. *Hæc, & multa alia Sacerdos ille vidit, & audiuit de secretis alterius vitæ. Inter quæ etiam dictum est ei, quòd eodem anno esset moriturus: id quod subsequuta mors eius verum esse comprobauit.* Hæc ad confirmationem visionis. At de visione ipsa ista subiungit. *Sic omnipotens Deus innotescere voluit dilecti sibi Pontificis animam, quamuis iustam, quamuis sanctam, quantulacumque rubigine culpæ fuscatam, non potuisse regnum puritatis intrare, nec fulgorem meridianæ lucis, in qua Cælestis sponsus cubat, intueri; donec ipsius gratia expiata, & pace inter dissidentes reformata, ab eodem sponso mereretur audire* [c]. *Tota pulchra es amica mea, tota pulchra es, & macula non est in te. Veni de Libano, veni coronaberis.* Hactenus auctor Exordij grauis, diligens, & ante quadringentos annos scribens.

c Cantic. 4.

Sardiniæ Clerico ostensa ibidem visio cum legatione Sardiniæ satis cógruit, quæ vitæ Balduini clausit periodum. Verum, quod ait, arcendum à Beatitudine, quoadusque pax inter Lucenses, & Pisanos reformaretur, si non plures visiones præcessissent, plures sequutæ essent omnino similes, non paruam contineret difficultatem. Certè vnusquisque ob peccata propria patitur, nec pœnæ modus ex alienis factis (nisi satisfactoriis) pensandus est, sed ex propria, cũ qua discessit, dispositione. Et Balduinus si sustinuit pacem inter vtrosque ciues componendam (horrendum dictu) vltra triginta annos mansit in Purgatorio; bello vsque ad eos protracto; quod Itali auctores [d] asseuerant. Quamuis nec abnuam fieri potuisse, vt ante id tempus stabilita pax, denuò nouis ex causis perturbaretur. 7.

d Carolus Sigon. de regno Italiæ, lib. 14.

8. Sub idem tempus, quantum ex serie epistolarum Bernardi, & earum contextura liquidò constat, Eugenij zelus constans pro veritate, Aurelianensem Episcopum (Manassen tabulæ videntur indicare) infulis abdicatis, aut proiecit, aut traxit ad Claramuallem. Is genere nobilis, ætate iuuenis, conuersatione profanus, amicitiis validus, & gratia Regis potens, Pontificalis dignitatis insignia leuitate morum; & grauitatem Ecclesiæ Gallicanæ perniciosis exemplis dehonestabat; liuore, an zelo, nam sæpè confunduntur, ad Eugenium delatus, & quod in talibus euenire solet, quò audacior ad crimina, eò ad iustitiam timidior, & pusillanimis, quæ per testes defendere non poterat, per intercessores saltem attenuare, atque exponere veniæ deliberabat: & totam ferè Galliam commouebat, vt flecterent Eugenium, aut conciliarent. Coram Summo Pontifice delatus, (nec satis constant crimina) totam ferè pro se Galliam commouit. Scripsit pro eo Ludouicus Rex, scripsere, & Proceres, scripsit & Venerabilis Petrus Mauricius. Vnus in tota Gallia Bernardus fuit, qui vt scriberet, adduci numquam potuit. Quin cùm Eugenius obduratus aduersùm preces, virum sisti iudicio præcepisset; & gratias egit, & propositum firmauit, litteris tunc demum datis in hunc tenorem [e]. *Ita quæso, ita facite: semper consideretur, non à quo, sed quid petatur. Pro Aurelianensi Episcopo non est exauditus Rex, minimè tamen offensus: quia cor eius in manu Dei est. Quod & si contigisset, sustinendum fuerat, ne Deus offenderetur; qui vtique ex hoc magis propitiabitur, & citiùs respirare faciet à tribulatione malorum, & dolore, si iustitia teneatur, si non relinquatur veritas. Hæc & his similia, quæ de vobis per orbem celebri in dies iucunditate crebrescunt, quanta cor meum suauitate repleant, non est facile dictu.*

e Epist. 244.

His litteris Bernardi firmatus Pontifex, accusatoribus solemnem diem indixit quem accusato non minus intimauit; responsuro, si vellet; neque inaudito, à Sede deponendo. At quid cum ipso, & in ipso factum sit, qualitérque in dicta purgatione facienda per Episcopos, cùm adhuc lis penderet, nec desperata nihilominus ipse Episcopum vltro exuens quem solùm non propitium expertus esset Bernardum sibi elegerit magistrum, parentemque humilis Monachus factus in Claraualle anno M. C. XLIX. quo euasisse constat, lite eo vsque protracta, per exceptiones, & quas legales fraudes vocare solent, more nostro commodiùs referemus. Interim ad Eugenium, Romanósque, hos iterum rebelles, & illum profugum, atque vrbe discedentem reuertamur. 9.

1. Secunda

1. Secunda Eugenij fuga, & eius causa. 2. Monachi Sancti Sabæ verberati, humanissimè ab ipso recipiuntur. 3. Sancti Bernardi Epistola ad Romanos, 4. excusans primùm, 5. mox dolens. 6. inde obiurgans. 7. & deteriora timens, vel ex præteritis 8. demùm consulens, & suadens, vt resipiscant. 9. Alia ad Conradum, 10. vt Pontifici assistat, 11. contra rebelles.

CAPVT III.

1. DVM orbem Pontifex ex vrbe moderatur, & nûc per se, nûc per strenuos Legatos cunctis prouidet; vrbem rebellem iterum expertus, iterum cedit; & qui modò cum ramis, atque Hymnis susceptus fuerat; vix tribus ex tunc mensibus exactis, lapidibus, blasphemiisque impetitus in fugam agitur: Sic tristia lætis, & prosperis aduersa, alternante fortuna; quod satis frequens. Tyburtes in causa, quibus Romani à multis annis infensi, sed tunc ob seruitutem Papæ recèns acceptam, longè infensiores, & parabant excidium, & Eugenium ad id sibi præire, seditione gliscente, postulabant. Ast Sanctus Pontifex indignum esse reputans, restauratæ per eorum auxilium vrbi, contra restauratores associari, nedum præesse; negauit omnimodis. De quo *vsque adeo* (ait Carolus Sigonius [a]) *exasperati sunt Romani, vt se, nisi quod peterent, impetrarent, vim adhibituros ostenderent, itaque Eugenius, Consilio cum Cardinalibus habito, rursum vrbe cedere statuit; ac pedum puluere, ad terrorem incutiendum in eos excusso, trans Tyberim, vnà cum Cardinalibus, populo ipso telis, missibilibúsque eos hostiliter incessente, atque inde Tybur contendit.* [a de Regno Italiæ lib. 11.] Breuius, sed grauius Otho Frisingensis [b]. *A populo Romano, pro excidio Tyburtinorum in tantum de die in diem solicitatur, vt à Lateranensi palatio, improbitatem eorum non sustinens, ad Transtyberinam regionem migrans, animam suam vitæ suæ tædere confiteretur.* [b lib. 7. Chronici, c. 34.] Hactenus ibi.

2. Egressis vrbe Eugenio, & Cardinalibus, ne vltra impeterentur, cupiditas Romana pro muro fuit: reuocatis rebellibus ad prædam, quæ plurima in domibus fugientium sperabatur. Ergo relictis illis, vrbem ingressi, Cardinalium palatia inuadunt, diripiúntque, monasteria deuastant, fugant monachos; & sæculares, si qui fortè resisterent, exulare compellunt, quamuis illustres. Ferunt clarissimam Asburgiorum familiam vrbe tunc pulsam, cùm in Eugenij Papæ defensionem nescio quem occidisse, in Germaniam migrasse: inde mixtam Austriacæ (præmium fidelitatis in Beatum Petrum) cum ea ad culmina rerum promouendam. Ita Ioannes Seifridus Zuuetellensis ex antiquis historicis ad Serenissimum Imperatorem Matthiam scribens [c]. *Pro defensione* (inquit) *Ecclesiæ Romanæ, eiúsque Pontificis Eugenij III. maxima discrimina adire* (scilicet Asburgij) *ac demum causa eiusdem Ecclesiæ, & Pontificis, potentissimo ciue Romano perempto patria extorres, in Germaniam commigrarunt. Quo egregio quidem ex flagrantissimo fidei ardore patrato facinore, fortissimo illi Athletæ, suæque posteritati, cùm in primis totam Dei Ecclesiam, eiúsque vnicum sponsum Christũ, tum singulariter vniuersum sanctum Cisterciensem Ordinem, cuius soboles, & præcipuum lumen, ac decus fuit Eugenius, deuinctissimum reddidere.* [c Epist. nuncupatoria.] Hactenus ille. In eadem, vt credo, seditione, & populi tumultu effectum est, vt Monachos monasterij Sancti Sabæ, qui ex Cluniaco ante breue tempus aduenerant, sacrilegè à Cœnobio suo eiectos, & verberibus, flagrísque petitos Eugenius fouerit. Quod Petrus Cluniacensis Abbas ad eundem Eugenium Papam scribens, recenset, dum gratiam reddit [d]. *Experta* (ait) *iam erga nos; in expulsione fratrum nostrorum, de Sancto Saba, dilectio, & studium vestrum; quos eiectos suscepistis, desolatos aluistis, verberatos confouistis.* [d lib. 4. epist. 25.] Hæc ad Eugenium Petrus, acceptum referens.

3. Dum hæc secunda Romanæ vrbis seditio vulgante fama, & amicorum litteris, Claramuallem ad Bernardi aures venisset (quamuis Baronius ad Priorem refert) accensus, quo solebat iustitiæ zelo, & calamum velut gladium vibrans; primùm ad eos, arguens, rogans, increpans; sed mox etiam ad Conradum Imperatorem scripsit, per quem, si fortè obstinati perseuerarent; nihilominus armis compescerentur. Atque ecce exemplar epistolæ ad Romanos [e]. [e Epist. 242]

Nobilibus, & Optimatibus, atque vniuerso populo Romano, frater Bernardus Claraeuallensis vocatus Abbas, declinare à malo, & facere quod bonum est.

Sermo mihi est ad te, popule sublimis, & illustris, cùm sim vilis, exiguáque persona, ac nullius penè momenti homuncio. Id quidem verecundum, atque onerosum mihi considerans, quis, quibus scribam, simúlque quàm aliter hoc aliis indicare possit, sed leuius reor verecundiæ apud homines periclitari, quàm condemnari apud Deum silentio, veri taciturnitate, & absconsione Iustitiæ ipse enim dicit [f]. Annuncia populo meo scelera eorum. *Erit mihi etiam in testimonium ante faciem Domini si dicere potero* [g]. Iustitiam tuam non abscondi in corde meo, veritatem tuam, & salutare tuum dixi. [f Isaias 58.] [g Psal. 39.] *Pro huiusmodi sanè non vereor quamuis verecundia reluctante, pro mea ignobilitate scribere de longinquo ad populum gloriosum, atque his litteris transmontanis sui ipsorum periculi, atque peccati commonere Romanos, si fortè audiant, & quiescant. Quis scit, si conuertantur ad precem pauperis, qui non cedunt potentiæ minis, non omni armatura fortium?*

4. *Nónne* [h] *quondam in Babylone ad vocem pueri iunioris vnius, omnis ille populus, qui à senibus iniquis iudicibus seductus fuerat, reuersus est ad iudicium, & sic seruatus est sanguis innoxius in die illa? Ita nunc quoque, etsi adolescentibus sum ego, & contemptus, adolescentulus, dico, non annorum paucitate, sed meritorum; potens est tamen Deus dare etiam voci meæ vocem virtutis, per quam fiat, vt & is populus, quem nihilominus constat esse seductum, ad iudicium reuertatur. Mea ergo deffensio ad eos, qui mihi hinc fortè succensendum, indignandúmve putauerint, hæc sit. Si neque hoc satis est, etiam illud adiicio: Communis est causa, & non est distinctio pusilli & magni. Dolor nempe in capite est, ac per hæc minimè alienus, nec à minimis* [h Daniel 13.]

quidem, vel extremis quibúsque corporis partibus.
Nec à me ergo.
5. Peruenit profectò vsque ad me, quamuis omnium
minimum dolor maximus iste, & quia cùm sit capi-
tis, non potest non esse corporis, cuius membrum sum
ego. Numquid non dolente capite clamat lingua pro
omnibus corporis membris, in capite se dolere, &
omnia per ipsam suum caput, suúmque capitis fa-
tentur incommodum? Dimittite proinde, quæso, di-
mittite, vt plangam paululùm apud vos dolorem
meum; nec meum tantùm; sed totius Ecclesiæ?
Nónne ipsius vox est hodie, per vniuersum mundum;
caput meum doleo, caput meum doleo? Quis nam-
que vel nouissimus Christianorum in toto sit orbe, qui
non glorietur hoc capite, quod ambo illi gloriosi
Principes terræ, alter amisso, alter submisso in cru-
ce capite, suo triumpho extulerunt, suo sanguine
ornauerunt? ad omnem itaque spectat Christianum
i Psalm. 18. iniuria Apostolorum; & [i] sicut in omnem terram
exiuit sonus eorum, sic læsio eorumdem ab omni-
bus vsquequaque sentitur, vsquequaque plangitur,
& doletur.
6. Quid vobis visum est, ô Romani, offendere Prin-
cipes mundi, vestros autem speciales patronos? Cur
Regem terræ, cur Dominum cæli furore tam intole-
rabili, quàm irrationabili, in vos pariter prouocatis,
dum sacram, & Apostolicam Sedem diuinis Re-
galibúsque priuilegiis singulariter sublimatam, au-
su sacrilego incessere, suóque minuere honore conten-
ditis, quam vel soli contra omnes, si oportuisset, de-
fendere debuistis? Sic fatui Romani non iudicantes,
neque, quod honestum est, decernentes, caput vestrum,
atque omnium, quod in vobis est, deturpatis, pro quo
magis, nec vestris ipsis ceruicibus parcendum à vo-
bis foret, si necessitas exegisset? Patres vestri vrbi
orbem subiugarunt, vos vrbem properatis orbi facere
fabulam. En Petri hæres, Petri sede, & vrbe à vo-
bis expulsus est. En rebus, & domibus suis, vestris
manibus, spoliati sunt Cardinales, atque Episcopi
k Ose. 7. ministri Domini [k]. O Popule stulte, & insipiens, ô
columba seducta, non habens cor. Nónne ille ca-
put, & illi oculi tui erant? Quid ergo nunc Roma,
nisi sine capite truncum corpus, sine oculis frons ef-
fossa, facies tenebrosa? Aperi gens misera, aperi
oculos tuos, & vide desolationem tuam, iamiámque
imminentem. Quomodo in breui mutatus est color
l Thren. 4. optimus, facta [l] est quasi vidua Domina gentium,
Princeps prouinciarum.
7. Verùm initia malorum sunt hæc, grauiora time-
mus. Numquid non prope interitum es, si persistis?
Reuertere, reuertere Sunamitis, reuertere ad cor
tuum agnosce iam vel serò quæ, quanta, à quibus pa-
tiaris, vel passa sis. Recordare qua causa, quo fine,
per quos, & in quos vsus, non longè ante hos dies,
cunctarum, quæ in te sunt Ecclesiarum ornatus, &
census profligatus est, quidquid in altaribus, & in
altarium vasis, quidquid in ipsis sacris imaginibus
auri, & argenti reperiri tunc potuit, manibus im-
piorum direptum, & asportatum est. Quid ex his
omnibus tu in tuis nunc marsupiis inuenis? Porrò
decor domus Domini irrecuperabiliter periit. Et
nunc quid tibi visum est iterare malitiam, innouare
denuo super te dies malos? Quid modò, vel lucri
amplioris, vel certioris spei arridet tibi? nisi quòd
in eo nouissima tua cernuntur incautiora prioribus,
quod tunc quidem non solùm multi de plebe, sed
etiam de Clero, & Principibus nonnulli, per orbem
in schismate illo fauerunt tibi. Nunc verò sicut
manus tua contra omnes, sic manus omnium contra
te. Mundus est à sanguine tuo Mundus omnis, præ-
ter te solam, & filios tuos, qui in te sunt. Væ ergo
nunc tibi, popule miserande, & væ duplo, quàm antè,
non ab exteris nationibus, nòn à feritate Barbaro-
rum, non à millibus armatorum; væ tantùm à facie
tuorum tibi, væ à domesticis, & amicis, à clade in-
testina, à cruciatu præcordiorum, à torsionibus visce-
rum. Agnoscisne iam, quia non omnes pacifici, qui
domestici, nec omnes amici, qui videntur? Etsi aliàs
noueramus, sed nunc per te manifestiùs edocemur om-
nem veritatem illius sermonis Domini, quem dixit [m]: m Michæ. 7.
quoniam inimici hominis domestici eius. Væ fratri à
fratre in medie tui, & filiis à parentibus. Væ [n], non n Matth. 10.
à gladiis, sed à labiis iniquis, & à lingua dolosa.
Vsquequo malè in malo vos alterutrum confortatis:
O gladiis labiorum inuicem sternitis, inuicem perdi-
tis, vt ab inuicem consumamini?
Congregamini oues dispersæ, redite ad pascua, re- 8.
dite ad pastorem, & Episcopum animarum vestra-
rum; redite, præuaricatores, ad cor. Quod loquor
non quasi hostis conuicians, sed quasi amicus obiur-
gans. Habet vera amicitia nonnumquam obiurga-
tionem. Obsecramus, pro Christo reconciliamini
Deo, reconciliamini Principibus vestris (Petrum lo-
quor, & Paulum) quos vtique in Vicario, & successo-
re suo Eugenio suis sedibus, & ædibus effugastis.
Reconciliamini, inquam, orbis Principibus, ne fortè
incipiat pro eis pugnare orbis terræ contra insensa-
tos. Annescitis, quia, his offensis, nihil omnino va-
letis, his propitiis, nihil omnino timetis? non, in-
quam, non timebis sub horum tutela, millia populi
circumdantis, vrbs inclyta, ciuitas fortium. Recon-
ciliare proinde illis simul, & millibus Martyrum,
qui quidem apud te, sed contra te sunt propter
grande peccatum, quod peccasti, in quo, & persi-
stis. Reconciliare etiam omni Ecclesiæ Sanctorum,
qui vbique terrarum audito hoc verbo scandalizati
sunt. Alioquin pagina ista contra te in testimo-
nium erit; sed, & ipsi Apostoli & Martyres tui [o] o Sapient. 5.
stabunt in magna constantia aduersùs eos, qui se
angustiauerunt, & qui abstulerunt labores eorum.
Sed iam finem loquendi omnes pariter audiamus.
Annunciaui iustitiam, prænunciaui periculum, ve-
ritatem non tacui, hortatus sum ad meliora; supe-
rest, vt aut de vestra citiùs correctione lætemur; aut
de iusta imminenti damnatione certi inconsolabiliter
lugeamus, arescentes, & tabescentes præ timore, & ex-
pectatione, quæ superuenient vniuersæ vrbi. Hæc
Sanctissimus Pater ad populum rebellem. Ve-
rùm, quia posset ab eo non exaudiri, ad Conra-
dum non minùs efficaciter.

Ad Conradum [p] Regem Romanorum. p Epist. 243.

Nec dulciùs, nec amicabiliùs, sed nec arctiùs om- 9.
nino Regnum, sacerdotiúmque coniungi, seu com-
plantari in inuicem potuerunt, quàm vt in persona
Domini ambo hæc pariter conuenirent, vt pote qui
factus est nobis ex vtraque tribu, secundùm carnem
summus, & Sacerdos, & Rex. Non solùm autem,
sed & commiscuit ea nihilominus, ac confœderauit in
suo corpore, quod est populus Christianus ipse ca-
put illius; ita vt hoc genus hominum Apostolica voce
genus [q] electum, Regale sacerdotium appelletur. In q 1. Petri. 2.
alia quoque scriptura [r]: Quotquot sunt prædestina- r Matth. 19.
ti ad vitam, nónne omnes reges, & sacerdotes no-
minantur? Ergo quæ Deus coniunxit, homo non se-
paret. Magis autem quod diuina sanxit aucto-
ritas, humana studeat adimplere voluntas, &
iungant se animis, qui iuncti sunt institutis, in-
uicem se foueant, inuicem se defendant, inuicem
onera sua portent. Ait sapiens. Frater [s] adiuuans s Prov 18.
fratrem, ambo consolabuntur. Quod si alterutrum se
(quod

(quod absit) corroserint, & momorderint, nónne ambo desolabuntur? Non veniat anima mea in consilium eorum, qui dicunt, vel imperio pacem, & libertatem Ecclesiarum, vel Ecclesiis prosperitatem, & exaltationem imperij nocituram. Non enim vtriusque institutor Deus in destructionem ea connexuit, sed in ædificationem.

10. *Si hoc scitis, quousque communem contumeliam, communem dissimulatis iniuriam? Nónne, vt Apostolica Sedes, ita caput imperij Roma est? Vt ergo de Ecclesia taceam, num honor Regis est, truncum in manibus tenere imperium? Et quidem ignoro, quid super hoc vobis consulant sapientes vestri, & Principes Regni; sed ego in insipientia mea loquens, quod sentio, non tacebo. Ecclesia Dei ab exortu sui vsque ad hæc tempora, pluries tribulata est, & pluries liberata est. Denique audite, quid ipsa de se loquatur in Psalmo: ipsius enim vox est [t]. Sæpè expugnauerunt me à iuuentute mea, etenim non potuerunt mihi. Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores prolongauerunt iniquitatem suam. Certus esto, O Rex, quoniam nec nunc quoque relinquet Dominus [u] virgam peccatorum super sortem iustorum. Non est abbreuiata manus Domini, nec facta impotens ad saluandum. Liberauit, & hoc tempore absque dubio sponsam suam, qui suo sanguine redemit eam, suo spiritu donauit, donis Cœlestibus ornauit, ditauit nihilominus, & terrenis. Liberauit, inquam, liberauit, sed si in manus alterius, viderint Regni Principes id, ne honor Regis, regniuè vtilitas sit? Non est vtique,*

t Psal. 128.

u Psal. 124.

Quamobrem [x] accingere gladio tuo super femur tuum potentissime, & restituat sibi Cæsar [y], quæ Cæsaris sunt, & quæ sunt Dei Deo. Vtrumque interesse Cæsaris constat, & propriam tueri coronam, & Ecclesiam defensare. Alterum Regi, alterum conuenit Ecclesiæ Aduocato. Victoria, sicut in Domino confidimus, præ manibus est. Superbia, & arrogantia Romanorum plus, quàm fortitudo eorum. Quid enim? Numquid quispiam magnus, vel potens, Verbi gratia Imperator, aut Rex fœdam rem istam, in imperium pariter, sacerdotiúmque præsumit? Sed populus hic maledictus, & tumultuosus, qui sui nescit metiri vires, cogitare finem, considerare prouentum, in insipientia sua, furore suo ausus est hoc grande sacrilegium attentare. Absit vt vel ad momentum stare possit ante faciem Regis popularis manus, vulgi temeritas. Factus sum insipiens, qui cum similis; ignobilísque persona, tanquam aliquis magnus, consiliis tantæ magnitudinis, tantæque Sapientiæ me ingessi, & de re magna. At quò ignobilior, atque abiectior, tantò liberior sum ad loquendum, quod charitas suggerit. Vnde & adhuc addo in eadem insipientia mea: Si quis aliud, quàm loquutus sum vobis (quod non credimus) suadere conabitur, is profectò, aut non diligit Regem; aut non parum intelligit, quid Regiam deceat Maiestatem: aut certè, quæ sua sunt quærit, & non valde, quæ vel Dei, vel Regis sunt curare, conuincitur. Ita ad Conradum Imperatorem Bernardus, pro filio simul, & pro Christi Ecclesia zelans. 11

x Psal. 44.
y Matth. 22.

---

1. Concilium pro expeditione Hierosolymitana Carnoti indicitur, 2. ad quod Bernardus inuitat Petrum Mauricium, 3. sua præsentia negotium promoturum. 4. Mauricij litteræ rem primùm expendentis, 5. exinde collaudantis zelum Bernardi, 6. demùm excusantis ob comitia Cluniaci celebranda eodem die. 7. Bernardi in Ducem exercitus electio, 8. & Rege coronato, 9. etiam opus. 10. Littera ad Eugenium, 11. eximia fides. 12. demùm quid Sanctus de sua hac electione.

CAPVT IV.

1. AT non interea, quæ Christi essent, oblitus, negotia eius segniùs pertractabat. Quin Hierosolymitanam expeditionem, tanto conatu, & industria promouebat, quasi qui nihil aliud cogitaret, nihil aliud ageret. Cùm enim post Edessam vrbem amissam, cætera omnia in deterius quotidie ruerent; obsessâ Antiochia, milites templi, Rex Hierosolymæ, atque ipsa Crux Dominica in periculo essent, ni breui subuenirent, peritura: ipse Concilium ad Carnotum indici fecit, ad quod Regem, & Principes, acturos de remedio, quin & insignes quosque Galliæ viros, vt conuenirent, instanter solicitauit. Porrò inter alios Petro Cluniacensi per charissimum sibi filium, illi amicum, Fonctanti Abbatem scripsit in hunc tenorem [a]. *Amantissimo patri, Dei gratia, Venerabili Cluniacensi Abbati, Frater Bernardus de Claraualle, salutem, & quas potest orationes in Domino.*

a in Bibliot. Cluniac. lib. 6. ep. 17.

2. *Grauem nimis, ac miserabilem Orientalis Ecclesiæ gemitum ad aures nostras, imò ad ipsa etiam penetralia cordis arbitror peruenisse. Dignum quippe est, vt secundùm magnitudinem vestram, magnum exhibeatis eidem vestræ, & omnium fidelium matri compassionis affectum: præsertim vehementer afflictæ, tam grauiter periclitanti. Dignum, inquam, vt tantò amplius comedat vos zelus domus Dei, quantò ampliorem in ea locum ipso auctore tenetis; Alioquin si duramus viscera, si obduramus corda, si plagam hanc parui pendimus, nec dolemus super contritione: vbi nostra in Deum charitas, vbi dilectio proximorum? Immò verò, si non satagimus, quanta possumus sollicitudine, consilium aliquod, & remedium tãtis malis, tantísque periculis adhibere. Quomodo nõ ingrati esse conuincimur ei, qui abscondit nos in die malorum in tabernaculo suo, iustiùs perinde, & vehementiùs puniendi, vt potè tam diuinæ gloriæ, quàm fraternæ salutis negligentes?*

Hæc vobis tam fiducialiter, quàm familiariter duximus suggerenda: ob gratiam vtique, qua nostram dignitatem excellentia vestra dignatur. Nam & patres nostri Episcopi Franciæ, vna cum Domino Rege, & Principibus tertia Dominica post Pascha apud Carnotum venturi sunt, & de verbo hoc tractaturi: vbi vtinam mereamur habere præsentiam vestram! Quia enim magnis omnino magnorum virorum consiliis hoc verbum constat egere; gratum profectò obsequium præstabitis Deo, si negotium eius à vobis non duxeritis alienum, sed charitatis vestræ zelum probaueritis in opportunitatibus, in tribulatione. Nostis enim, Pater amantissime, nostis, quoniam amicus in necessitate probatur. Confidimus autem, quòd 3.

magnum huic verbo prouentum præsentia vestra præstabit: Tum pro auctoritate Sanctæ Cluniacensis Ecclesiæ, cui Deo disponente præestis: tum maximè pro sapientia, & gratia, quam vobis ipse donauit, ad vtilitatem vtique proximorum, & suum ipsius honorem. Qui vobis etiam nunc inspirare dignetur, vt non grauemini venire: & seruis suis in nomine eius, & pro zelo ipsius nominis congregandis, vestram admodum desiderabilem conferre præsentiam. Talibus sanctum sanctus hortabatur ne Concilio deesset, in quo posset negotium promouere.

4. At non Mauritio datum illuc adire, quippe in dictis Comitiis sui Ordinis in eamdem Dominicam priusquam de Carnotensi Concilio admoneretur. Doluit tamen quod potuit, se impeditum; extulit opus, necessitatem expendit, & Bernardo admirato, & collaudato, promisit se, cum posset, non defuturum.

Porrò hæc omnia litteris mandauit, ad eumdem Sanctum scriptis, quæ ita habent [b]. *Venerabili, & præclaræ Ecclesiæ Dei lucernæ, totisque charitatis brachiis amplectendo, Domno Bernardo Abbati Clareuallis, frater Petrus humilis, Cluniacensis Abbas, salutem, ac se totum.*

b lib. 6. ep. 18.

Litteræ, quas mihi Sanctitas vestra misit, licèt earum materiam priùs, ex parte non ignorarem, mouerunt me, & multum, vt dignum erat, mouerunt. Quem enim Christianum, in Christo suo aliquam spem habentem, fama tàm lamentabilis, non moueret; quæ vt ex litteris etiam Domini Abbatis Sancti Dionysij comperi, iam penè vsque diuulgatum est. Fratres Templi, Regem Hierosolymitanum, ipsam insuper Dominicam, ac saluatricem crucem in vrbe Antiochena cum aliis multis obsessos: ac nisi manus Domini in brachio extento citò succurrat, omnes in breui captiuandos? quem non moueat, ne fortè terra illa sancta, à iugo impiorum, tantis Patrum laboribus, tanto Christicolarum sanguine ante non multum temporis eruta, rursum impiis, & blasphemis subdatur? Quem non moueat, si tam salubris peccatorum pœnitentium via, quæ vt dignum est credere, innumera peregrinantium millia à quinquaginta iam annis, inferis abstulit, cœlo restituit, nequam Sarracenorum obice obstante claudatur? Absit, absit, inquam, quod à Deo in Christianos suos, in populum adquisitionis cœlestis ira deseuiat, vt nouiter inflicto, & adhuc calenti vulneri tam acre denuò vulnus addatur, quod sui magnitudine, iam non videatur esse purgatorium, sed peremptorium.

5. *Non esset verè reputandus inter membra corporis Christi, quem ex intimis præcordiorum visceribus non moueret tantum periculum, immò tanta clades populi Christiani. Non dico, quem non moueret ad compatiendum tantùm, quod omnibus leue est; sed ad subueniendum pro viribus, & ad subeundum etiam quidquid graue est. Sic enim in corpore humano manus manui, pes pedi, membrum quodlibet membro cuilibet, si læsum fuerit, subuenire non dissimulat, eiúsque læsionem, non alienam, sed propriam reputat; quantò magis in sacro corpore Christi, quod est eius Ecclesia, toto nisu, tota virtute, frater fratri, proximus proximo, maximè in maioribus periculis, occurrere, & succurrere debet? Facit hoc in carne humana vnus, vniuersa membra viuificans, spiritus; facit hoc in corpore Ecclesiæ vnus, qui eius vniuersa membra viuificat, Spiritus sanctus, non ergo vegetatur Spiritu Christi, qui non sentit vulnera corporis Christi. Monstratur igitur apertè, esse tam vos, quàm quosdam alios vestrarum partium viros, de præcipuis membris corporis eius: quos adeò mouet, quos adeò angit, læsio corporis eius. Apparet inde maximè verum esse quod dico, quod cùm in vltimo occidente, immò in ipso penè occidui Oceani littore positi sitis, tot interiectis terrarum spatiis, laboranti in Oriente Christiano nomini, summo quantóque potestis studio succurrere festinatis.*

Inde est, quod apud Carnotum cum Domino Rege, & aliis patribus Ecclesiæ, ac Regni maioribus, die indicta conuenire decreuistis, méque sacro illi conuentui interesse rogastis. Fateor, quod verum est, quia & excusare aduentum meum erubesco, & tamen omnino venire non possum. Inter alia enim, quæ obstant, in quibus est, ab ipso natali Domini, ferè cōtinuum corporis mei incommodum, inexitabili de causa, antequam aliquid de istis scirem, in initio penè quadragesimæ eadem die, qua conuentus indictus est apud Carnotum, multos ex Prioribus nostris, nuncio, & litteris venire præceperam Cluniacum. Causam ex parte aduentus eorum dixi secretò, venerando viro Domino Abbati de Fontanel, qui mihi litteras vestras attulerat, quam ab ipso, si placuerit audire poteritis. Rogo ergo & iterum, iterúmque rogo, ne hoc ægrè feratis, vel cogitetis me in corde, & corde loqui: quod non solùm loquens vobis caueo, sed etiam semper cauere soleo. Non enim tantùm vsque Carnotum, hac tanta de causa venirem. Sed neque, vsque ad ipsam, de qua agitur Hierusalem, si necessitates commissæ mihi Ecclesiæ paterentur, ire vllo modo dubitarem. Si tamen contingeret alio tempore conuentum alium, vel in nostris, vel in vestris partibus, celebrari, nisi rursum ineuitabilis causa obstaret, sciat reuerentia vestra me libentissimè iturum: & cum conuentu, & sine conuentu, tantæ rei auxilium pro viribus præbiturum. Hæc ad Bernardum Petrus Venerabilis. 6.

Dum hæc per litteras vndique tractantur, ipsa mysteria nostræ redemptionis anniuersario cultu celebrata, vergente quadragesima, locorum, in quibus Christus passus est, incutiebant reuerentiam, religionem accendebant; atque inter teneras deuotionis lachrymas, bellum, & arma, aduersùs Sarracenos, eadem loca inuadentes, comminabantur. Ergo Dominica tertia designata, Rex Ludouicus, cuncti Galliæ Principes, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, conuenere Carnotum, expeditionem, quamtocius maturaturi. Ibi primum de expensis, & commeatu, id est, de neruis belli; mox de delectu militum faciendo, à quo nullus immunis haberetur; demùm de Duce creando tractatum est, cui omnes obedirent, cuius cuncta auspiciis, & prouida tum cura, tum industria peragerentur. Cæterùm, quod in hoc decretū fuit, quia rarum, siue magis sine exemplo, quo maior fides dictis, authoritásque, non alterius, quàm Cardinalis Baronij verbis, libet prosequi. *Illud in primis* (ait [c]) *planè mirandum, quod obstupefaciet omnes audientes; dum videlicet ibi totius belli dux ipse Sanctus Bernardus, omnium consensu deligitur, qui Principem militiæ agat, cui milites omnes, & Principes subiicerentur. Hoc decretum in Concilio consensu omnium.* Ita Baronius. Cætera alia disposita ex vsu, & assignatus dies cruce signandis, quo Vercellas adirent, per Sanctum Patrem ibidem consecrandi militiæ sacræ. 7.

c Ad hunc annum.

In eodem Concilio Ludouicus, siue auspicandæ expeditionis ergo, seu fortè iuuenili ardore lasciuiens, quod à morte parentis nondum fecerat, 8.

rat, in Regem Galliæ coronatus est, non sine scandalo; quippe in loco interdicto, vt ferebatur, & ab Archiepiscopo Rhemensi, cui ius in dubio, adeóque in præiudicium colligitantium; sed Regi iuueni contrariè periculosum maximè in primo tantæ rei molimine; facilè si exasperaretur, retrocessuro. Potuit cuncta turbare hæc coronatio, vel tunc negata, vel postea punienda, sed

9\. Bernardus cùm se electum videret Ducem, nouitate rei motus, vt par erat nihilominus iam tunc opere ipso, Ducis numeros implens omni studio, ad dilectissimum sibi Eugenium, scripsit: dolens in primis de periculo Orientalium; mox gratulans de litteris datis ad Ludouicum, quas anno præcedenti recensuimus, atque ipsum exhortans ad tantum opus, quo nihil dignius Petri successore: demùm subindicans electionem de se factam, quo prorsus ineptiori, mirandam magis: Oránsque ne exponatur hominum linguis. Quamuis ne in hoc deferri sibi quicquam, sed soli voluntati diuinæ, atque ipsius consilio parendum velit. Verùm nos Sanctum hæc ipsa declamantem ad eundem Eugenium audiamus.

10\. d Bernard. Epist. 256. *Non [d] est leue verbum, quod sonuit, triste satis, & graue est, & cui triste? imò cui non triste? Soli filij iræ iram non sentiunt, nec tristantur tristibus, sed lætantur, & exultant in rebus pessimis. De cætero communis tristitia est, quia communis est causa. Benefecistis iustissimum zelum nostræ Gallicanæ Ecclesiæ collaudando, & corroborando auctoritate litterarum vestrarum. Non est (dico vobis) in causa tam generali, & tam graui tepidè agendum, sed ne timidè quidem. Legi apud quendam Sapientem: non est vir fortis cui non crescit animus in ipsa rerum difficultate. Ego autem dico, fideli homini magis, & inter flagella fidendum. Intrauerunt aquæ vsque ad animam Christi, tacta est pupilla oculi eius; exercendus est nunc vterque gladius in passione Domini, Christo denuò patiente, vbi, & altera vice passus est. Per quem autem nisi per vos; Petri vterque est, alter suo nutu, alter sua manu, quoties necesse est, euaginandus. Et quidem de quo minus videbatur, de ipso ad Petrum dictum est [e]: Conuerte gladium tuum in vaginam.* e Ioann. 16. *Ergo suus erat, & ille: sed non sua manu vtique educendus. Tempus, & opus esse existimo ambos educi, in defensionem Orientalis Ecclesiæ. Cuius locum tenetis, zelum negligere non debetis. Quale est hoc Principatum tenere, & ministerium declinare. Vox clamantis: venio Hierosolymam iterum crucifigi. Ad quam vocem, & si alij tepidi, alij & surdi sint; successori Petri dissimulare non licet. Loquatur & ipse [f]: etsi omnes scandalizati fuerint, sed non ego.* f Matth. 26. *Nec terrebitur damnis prioris exercitus, quibus magis resarciendis operam dabit. Numquid ideo non debet facere homo, quod debet, quia Deus facit, quod vult?*

Ego verò pro tantis malis tamquam Christianus, & fidelis, meliora sperabo, & omne gaudium æstimabo, quod in omnes tentationes incidimus. 11. g Iacob. 1. *Reuera [g] panem doloris comedimus, & potati sumus vino compunctionis. Quid diffidis amice Sponsi quasi non more suo vinum bonum seruauerit vsque adhuc benignus, & sapiens Sponsus [h]? Quis scit, si conuertatur, & ignoscat Deus, & relinquat post se benedictionem?* h Ioel. 2. *Et certè sic operari, sic iudicare superna diuinitas solet: scienti loquor, quando autem magna bona mortalibus prouenerunt, quæ non magna præuenerint mala? Nam, vt cætera taceam, nonne illud vnicum, & singulare beneficium, nostræ salutis, præcessit mors Saluatoris? Tu ergo amice Sponsi amicum te in necessitate probato. Si triplici illo amore, de quo tuus interrogatus est prædecessor, tu [i] quoque toto corde, tota anima, tota virtute Christum diligis,* i 1. Ioan. 21. *vt oportet, nihil reseruabis, nihil dissimulabis, in tanto periculo sponsæ eius, sed quidquid habes virium, quidquid zeli, quidquid sollicitudinis, quidquid auctoritatis, quidquid potestatis, impendes. Singulare periculum singularem exigit operam. Fundamentum concutitur, & tanquam imminenti ruinæ totis est nixibus occurrendum. Et hæc propter vos fidenter quidem, sed fideliter dicta.*

De cætero verbum illud, quod iam, ni fallor, audistis, quomodo videlicet in Carnotensi conuentu, (quonam iudicio, satis miror) me quasi in ducem, & Principem militiæ elegerunt; 12. *certum sit vobis, nec consilij mei, nec voluntatis meæ fuisse, vel esse; sed nec possibilitatis meæ (quantum metior vires meas) peruenire vsque illuc. Quis sum ego, vt disponam castrorum acies, vt egrediar ante facies armatorum? aut quid tam remotum à professione mea, etiamsi vires suppeterent, etiamsi peritia non deesset? Sed neque hoc meum est, vestram docere sapientiam, nostis hæc omnia. Tantum obsecro per illam charitatem, qua mihi specialiter debitor estis, ne me humanis voluntatibus exponatis; sed sicut singulariter vobis incumbit diuinum consilium perquiratis, & operam detis, vt sicut fuerit voluntas in cælo, sic fiat.* Hactenus Sanctus, nec penitùs recusans, neque consentiens; sed solùm orans, vt Consiliis hominum diuinum de se Consilium, vt decebat, anteponatur.

---

1. Eugenij ad Bernardum Patrem mandata, 2. atque ipsius obedientia, tum Vercelliaci, 3. tum per totam Galliam insigni fructu. 4. litteræ ad vniuersos Germaniæ populos, 5. instillantes virtutem, 6. atque animos infundentes ab ipsa laude, 7. Alia eius nomine Nicolai Arremarensis. 8. reformata per sanctum pax Lingonis: 9. & deducta, ex circumstantia famis, ratio temporis.

CAPVT V.

1\. VT primum Eugenius suscepit Bernardi litteras, & bellicos cognouit apparatus qui à Gallia incipientes, si modò promoueantur, facilè sperarentur, alias latè prouincias peruagaturi: prosperis ventis laxanda vela ratus, neque alio vtendum nauta, quàm eo ipso, qui tam fœliciter inchoasset nauigationem: ad eundem Bernardum rescribit alacer. Non sibi ipsius materiali gladio, non ductu bellico, quamuis id etiam Galli Principes poscant, sed spirituali tantùm opus esse, id est gladio Spiritus, qui, Apostolo teste, est verbum Dei: Sacerdotali tuba cieat bellum, prædicet, arguat, exprobret Christianis, loca nostræ salutis in arcto posita, periclitari fratres, hos trucidandos

dos miserè, illa sacrilegè, & impiè profananda, dum ipsi desides per otium luxuriantur, si non succurrant. Ingerat populis fidelibus furorem, seu veriùs zelum aduersùs infideles; & contra crucis contemptores concitet vniuersum Christianum orbem. Hanc legatiam Eugenij quondam filij; nunc amici, nunc Patris, quin & totius Ecclesiæ nomine illi iniungi, subeundam ardenter, viro Dei, qui nullis pro ipsius causa laboribus, nullis periculis vnquam pepercisset. Hæc, & similia ab Eugenio ad Bernardum semel, & iterum, qui cunctis aderat Godefridus, mandata narrat, verbis sequentibus, quibus item Alanus contestatur [a]. *Cùm iam multorum animos commouisset audita necessitas* (scilicet Orientis, & terræ Sanctæ,) *à Rege Francorum semel, & iterum propter hoc expetitus* (Sanctus Bernardus) *Apostolicis etiam litteris monitus, nec sic acquieuit super hoc loqui, vel consilium dare; donec per ipsius tandem Summi Pontificis generalem epistolam iussus est, tamquam Romana Ecclesia lingua exponere populis, atque Principibus. Cuius epistola tenor fuit: vt in pœnitentiam, & remissionem peccatorum iter arriperent, aut liberaturi fratres, aut suas pro illis animas posituri.* Hæc de iniuncta Bernardo legatione Godefridus Alanúsque.

a lib. 3 vitæ c. 4.

2. At Pater Sanctus, cùm primùm iussa accepit, accinctus operi, & neque industriæ parcens, neque labori, prædicare Crucem, signare milites, accendere animos, adornare bellum, nunc sermonibus igneis, & efficacibus, nunc per epistolas, tum patentes, tum clausas sollicitabat. Et primò quidem, ait Otho Frisingensis [b]. *Bernardus Abbas Venerabilis concessa sibi Apostolica Sedis auctoritate non abusus, gladio verbi Dei fortiter accingitur, excitatis ad transmarinam expeditionem multorum animis. Dein curia generalis apud Barcelliacum Galliæ oppidum, vbi Beata Maria Magdalena ossa recondita sunt, indicitur: conuocatis ex diuersis Galliæ prouinciis optimatibus, virísque illustribus. Ibi Ludouicus Francorum Rex crucem à prætaxato Abbate, in multa mentis alacritate suscipiens, militiam transmarinam professus est, cum Theodorico Flandrensi, & Henrico Theobaldi Blesensis filio Comitibus, & aliis de regno suo Baronibus, virísque nobilibus.* Sic Otho: sed eadem luculentiùs ipse Bernardus ad Eugenium Pontificem, atque eius nomine Nicolaus monachus, iam tunc Claraualensis, ad Comitem, & Nobiles Britaniæ litteris datis, quas infrà etiam adducam. Produnt [c] Gallicarum rerum scriptores, tot millia hominum, post Regem, atque Principes à Bernardo insignita vexillo crucis, vt deficiente materia præ multitudine, propriam vestem inscindere, atque ex ea cruces formare compulsus sit, quibus reliquam turbam insigniret. Vt iam tunc illic videretur iacere sacrarum militiarum gloriosa semina, Calatrauæ, Alcantaræ, & aliarum, quæ ab eius morte Cistercium illustrarunt. Sed de his suo loco.

b in Friderie lib. 1. c. 36.

c Franciscus Belforestius.

3. Soluta curia, & Rege, ac Pontificibus reuersis ad propria, vt necessaria ad iter præpararent, Bernardus Pater vicina loca, & vrbes, prædicans per Prouincias non inæquali fructu peragrauit. Et addebant voci eius vocem virtutis miracula frequentia, quibus adeo fideles concitabantur, vt penè vacuas vrbes, deserta oppida vniuersi relinquerent dum Sanctum sequebantur, Christo sub crucis signo militaturi. De miraculis habemus fidum testem, ipsius Patris asseclam, Godefridum, qui cùm præsens fuisset, hæc scribit verba [d]. *Euidenter enim verbum hoc prædicauit Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. Sed quantis, & quàm multiplicibus signis? Quanta vel numerare, nedum narrare difficile foret. Nam & eodem tempore scribi cœperant, sed ipsa demùm numerositas scribendorum, scriptorem, & materia Auctorem superauit: nimirum cùm aliquando vna die viginti, seu etiam plures, ab incommodis variis sanarentur, nec facilè ad huiusmodi dies vlla vacaret.* Hæc de miraculis. De cruce signatorum multitudine eumdem Sanctum Patrem audire præstat in hæc verba scribentem Eugenio tertio [e]. *De cætero mandastis, & obediui: & fœcundauit obedientiam, præcipientis auctoritas. Siquidem annunciaui, & loquutus sum, & multiplicati sunt super numerum. Vacuantur vrbes, & Castella; & penè iam non inuenitur, quem apprehendant septem mulieres virum vnum: adeo vbique vidua, viuis remanent viris*, &c. Hæc ipse Sanctus.

d lib. 3. c. 4.

e Epist. 246.

Atque ista quidem, vbi præsens fuit; nam quo ire, aut tam citò ire non potuit, transmisit epistolas, acres, ardentes, igneas, & facilè accensuras Fidelium corda. Extat exemplar scriptarum per Germaniam, inter alias ipsius, quæ in quibusdam ad Episcopum Spirensem, Clerum, & populum, in aliis sub latiori inscriptione circumferuntur, sunt autem tales [f]. 4.

f Epist. 322.

Dominis, & Patribus charissimis, Archiepiscopis, Episcopis, & vniuerso clero, & populo Orientalis Franciæ, & Baioariæ, Bernardus Clarauallensis vocatus Abbas, spiritu fortitudinis abundare.

Sermo mihi ad vos de negotio Christi, in quo est vtique salus nostra. Hæc dico, vt indignitatem personæ loquentis, auctoritas Domini excuset, & consideratio propriæ vtilitatis. Modicus quidem sum, sed non modicè cupio vos in visceribus Iesu Christi. Ea nunc mihi ratio scribendi ad vos, ea causa, ut vniuersitatem vestram litteris audeam conuenire. Agerem id libentiùs viuâ voce, si vt voluntas non deest, suppeteret & facultas. Ecce nunc, fratres, tempus acceptabile, ecce nunc dies copiosa salutis. Commota est siquidem, & contremuit terra, quia cœpit Deus cæli perdere terram suam. Suam in qua visus est, & annis plúsquam triginta homo cum hominibus conuersatus est. Suam vtique, quam illustrauit, miraculis, quam dedicauit sanguine proprio, in qua primi Resurrectionis flores apparuerunt. Et nunc peccatis nostris exigentibus, crucis aduersarij caput extulêre sacrilegum; depopulantes in ore gladij terram benedictam, terram promissionis. Prope est si non fuerit, qui resistat, vt in ipsam Dei viuentis irruant ciuitatem, vt officinas nostræ redemptionis euertant, vt polluant loca sancta, agni immaculati purpurata cruore. Ad ipsum (proh dolor!) religionis Christianæ sacrarium inhiant ore sacrilego, lectúmque ipsum inuadere, & conculcare conantur, in quo, & propter nos, vita nostra obdormiuit in morte.

Quid facitis, viri fortes? quid facitis serui crucis? Ita ne dabitis sanctum canibus, & margaritas porcis? Quam multi illic peccatores confitentes peccata sua cum lachrymis veniam obtinuere postquam Patrum gladiis eliminata est spurcitia paganorum? Videt hoc malignus, & inuidet, dentibúsque frendet, & tabescit. Excitat vasa iniquitatis suæ, nec vlla quidem tantæ pietatis signa, aut vestigia relicturus; si quando fortè (quod Deus auertat) obtinere valuerit 5.

illa

illa sancta sanctorum, Verùm id quidem omnibus sæculis deinceps inconsolabilis dolor, quia irrecuperabile damnum, specialiter autem generationi huic pessimæ, infinita confusio, & opprobrium sempiternum. Quid tamen arbitramur fratres? Numquid g *abbreuiata est manus Domini, aut impotens facta est ad saluandum, quod ad tuendam, & restituendam sibi hæreditatem suam exiguos vermiculos vocat? Numquid non potest mittere Angelorum plusquam duodecim legiones, aut certè tantùm dicere verbo, & liberabitur terra? omnino subest ei, cùm voluerit, posse. Sed dico vobis, tentat vos Dominus Deus vester. Respicis super filios hominum, vt si fortè sit, qui intelligat, & requirat, & doleat vicem eius. Miseratur enim Dominus populum suum, & lapsis grauiter prouidet remedium salutis. Considerate, quanto ad saluandos vos artificio vtitur, & obstupescite. Intuemini pietatis abyssum, & confidite peccatores. Non vult mortem vestram, sed vt conuertamini, & viuatis, quia sic quærit occasionem, non aduersùm vos, sed pro vobis. Quid est enim, nisi exquisita prorsus, & ineuitabilis soli Deo occasio saluationis, quod homicidas, raptores, adulteros, periuros, cæterísque obligatos criminibus, quasi gentem, quæ iustitiam gesserit, de seruitio suo submonere dignatur omnipotens? Nolite diffidere peccatores, benignus est Dominus. Si vellet punire vos, seruitium vestrum, non modò non expeteret, sed nec susciperet quidem oblatum. Iterum dico, pensate diuitias bonitatis Dei altissimi, consilium miserationis attendite, necessitatem se habere, aut facit, aut simulat, dum vestris cupit necessitatibus subuenire. Teneri vult debitor, vt militantibus sibi stipendia, reddat indulgentiam delictorum, & gloriam sempiternam. Beatam ergo dixerim generationem, quam apprehendit tam vberis indulgentiæ tempus, quam inuenit superstitem annus iste placabilis Domino, & iubilæus. Diffunditur enim hæc benedictio in vniuersum mundum, & ad signum vitæ certatim conuolant vniuersi.*

g Esai. 50.

6. *Quia ergo fœcunda est terra vestra virorum fortium, & robusta noscitur iuuentute referta, sicut laus est vestra in vniuerso mundo, & virtutis vestræ fama repleuit orbem terrarum: accingimini, & vos viriliter, & fælicia arma accipite Christiani nominis zelo. Cesset pristina illa non militia, sed planè malitia, qua soletis inuicem sternere, inuicem perdere, vt ab inuicem consumamini. Quæ miseros tam dira libido excitat, quòd proximi corpus gladio, cuius fortasse, & anima perit, transuerberent? Sed nec effugit, qui glorietur; & ipsius animam pertransiuit gladius, cum solum hostem gaudeat, cecidisse. Illi se dare discrimini, insania est, non virtutis; nec audacia, sed amentiæ potiùs est adscribendum. Habes nunc, fortis miles, habes, vir bellicose, vbi dimices absque periculo; vbi & vincere gloria, & mori lucrum. Si prudens mercator es, si conquisitor huius sæculi, magnas quasdam tibi nundinas indico, vide nè pereant. Suscipe Crucis signum, & omnium pariter, de quibus corde contrito confessionem feceris, indulgentiam obtinebis. Materia ipsa si emitur, parui constat; si deuoto assumitur humero, valet sine dubio Regnum Dei. Bene ergo fecerunt, qui tam cœleste signaculum susceperunt, bene cæteri faciunt; sed nec ad insipientiam eis, si festinent, & ipsi apprehendere, quod & eis in salutem existat.* Pergit Bernardus agere de Iudæis, mox de Pseudo-Apostolis cauendis, quæ nos commodiùs inferius commemorabimus.

7. Extat, & inter Nicolai Claræuallensis epistolas, quæ tomo 12. Bibliothecæ Coloniensis circumferuntur, alia non eius, sed Bernardi nomine scripta, & plerumque eius verbis, quod frequens, etiam cum ex proprio nomine scribit, in hoc Auctore, ad Comitem, & Proceres Britanniæ, super eadem causa, quam ob antiquitatem scribentis, & quia Bernardi nomine de gestis in conuentu Vercelliaco mentionem facit, non pigebit ad litteram transcribere. Est autem talis.

In [h] *persona Domini Claræuallensis, Comiti, & Baronibus Britanniæ, pro negotiis Crucis.* h Epist. 14.

Commota est, & contremuit terra: quia Rex cæli perdidit terram suam: terram, vbi steterunt pedes eius. Inimici Crucis eius vnanimiter simul aduersus eum disposuerunt testamentum [i], *& qui oderunt eum extulerunt caput, dixerunt* [k] *in corde suo, cognatio eorum simul, hæreditate possideamus sanctuarium eius. Officinas redemptionis euertere moliuntur, & loca, Christi sanguine, dedicata, profanare contendunt. Præcipuè autem illud Christianæ religionis insigne; sepulchrum, inquam, in quo sepultus est Dominus maiestatis, vbi facies eius sudario ligata est, omni nixu nituntur euellere* [l]. *Agitauit manus suas super montem filiæ Sion, & nisi Dominus custodierit, prope est, vt irruant in ciuitatem sanctam Hierusalem, in ciuitatem Dei viuentis, super quam inuocatum est nomen eius. Populi Christiani partim coniiciuntur in vincula, partim trucidantur, sicut oues occisionis: videt, & dissimulat ille magnus prouidentiæ oculus* [m], *vt videat, si est intelligens, aut requirens Deum: Si sit, qui doleat vicem eius, qui restituat hæreditatem suam sibi, & cum omnia possit* [n], *cui subest omnia posse, cùm voluerit, vult tamen nomini Christiano Victoriam adscribere, & super tribulantes eos, mittere manum suam. Propterea instantissima postulatione Domini Regis, Apostolico præcepto in Paschali solemnitate ad Vercelliacum celeberrimum locum aduenimus, vbi Dominus Rex cum Principibus Regni, & populo multo ad diem festum conuenerant. Expositus est autem lachrymabilis iste dolor in conspectu omnium, & recitatæ sunt litteræ istæ Domini Papæ, quarum exemplar vniuersitati vestræ transmittimus. Emolliuit autem corda eorum Spiritus sanctus; & statim Rex cum multa multitudine Principum, & innumerabili populo, signo Crucis Christi armatus est. Diffunditur autem benedictio ista per vniuersam terram, & certatim euolant omnes ad suscipiendum signum salutis in frontibus, & in humeris suis. Et quia terra vestra fœcunda est virorum fortium, & militari iuuentute referta, decet vos inter primos, & cum primis ad tam sanctum opus accedere, & armatos ascendere ad seruiendum Deo viuenti. Eia igitur fortissimi milites, accingimini, & qui non habet gladium, emat eum. Nolite deserere solum Regem vestrum, Regem Francorum, imò Regem cælorum: pro quo ipse tantum viæ, & laboris suscipit. Venit ad vos homo Dei Dominus Carnotensis, qui plenius vos doceat, quæ dicta, & facta sunt, & ostendat largissimam veniam, quæ in litteris Domini Papæ super eos, qui cruces susceperunt, continetur. Pro illo, qui pro vobis mori dignatus est, deffendite loca mortis eius, & Redemptionis nostræ: ne quando dicant gentes, vbi est Deus eorum? Vt vos faciat victoriosos in terris, qui in cælis gloriosos, sponsus Ecclesiæ filius Mariæ Dominus Deus noster.* Hactenus Sanctus ad Comitem Britanniæ, Baronésque; seu magis Nicolaus, ipsius nomine.

i Psal. 131.
k Psal. 82.
l Esai. 10.
m Psal. 12.
n Sapient. 12

Cæterùm inter bellicos apparatus, hoc ipso anno Lingonenses Episcopum, & Clerum, inter se diffidentes, paci reddidit. Et intercessit miraculum 8.

culum præuisum, & in miraculo prophetata pax, cum minùs consequenda sperabatur: quæ acta vitæ eius sic describunt [o]. *Anno altero causa extitit, vt vir Sanctus Lingones peteret, inter Episcopum, & Clerum ciuitatis illius orta graui admodum simultate. Vbi cùm prima die inefficaciter laborasset, & mane facto pararet abire; dicebat fratribus, quia vidi per visum noctis, introeunti mihi in Ecclesiam offerri claudam fœminam, & sanari. Post vnam fere horam cùm iterum Clerici conuenissent, præter spem omnium reformata pace, multis precibus coëgerunt illum Beati Mammertis martyris intrare Basilicam; & quia fames inualuerat, populum ad eleemosinam exhortari. Vbi inter loquendum (sicut prædixerat) oblata est ei clauda mulier & erecta: mirantibus quidem omnibus, sed eis amplius, qui sicut videbant factum, ita sese recordabantur audiuisse futurum.* Sic Godefridus.

o lib. 4. vitæ S. Bern. c. 5.

9. Porro quod ait, coactum cunctorum precibus Sancti Mammertis Basilicam intrasse, exhortaturum populum ad eleemosynam, quia fames valida in terra grassabatur; rationem temporis apertè manifestat, nempe huius anni centesimi quadragesimi sexti super millesimum; quo scilicet, vt Robertus Montis ait [p]. *Fames permaxima grassabatur in Gallia; in qua Ecclesiarum Christi enituit liberalis munificentia, quæ in sustentatione pauperum multa expenderunt modiorum millia. Quo tempore* (subiungit idem Auctor memoria dignum) *in Lingonensi Parochia apud Moriandum, vbi pauperes innumeri quotidiana stipe alebantur; quidam, homines occidisse, & eorum carnes coctas vendidisse deprehensus, à pauperibus patibulo est appensus.* Ita Robertus. Nos, Bernardo parum intermisso, iterum ad Eugenium, reuertamur.

p in appendice ad Sigebertum, hoc anno.

---

1 *Eugenius cunctas Christiani orbis nationes contra infideles concitat;* 2. *contra Paganos, Danos,* 3. *& Saxones:* 4. *fœlicius longè Hispanos, & Ianuenses.* 5. *Præmonstratensibus prouisum opportunè,* 6. *Sansonis Archiepiscopi Rhemensis transgressio adhuc incerta.* 7. *Bernardi dolor de censura lata in ipsum.* 8. *Epistola ad Eugenium, excusans factum:* 9. *& periculum imminens exponens, ni retractetur.*

CAPVT VI.

1. IIS nihil adhuc prouisum esse ratus, quandiu quid superesset; neque vllis cœptis vnquam impeditus, quominus alia, & alia pertentaret: cùm non solùm paganos in Oriente; verùm mixtos Christianis in Occidente habitare conspiceret, quorum ceruicibus truces imminerent: cum Danos, ab Slauis, Saxones à Liuonibus, & Prusis; Hispanos, ab Hispanis Sarracenis, videret opprimi; nec Genuenses omnino tutos esse ab insulis Balearibus, quæ exigui ab ipsis interiectu maris diuidebantur: ne vel dum illi in Syriam proficiscuntur, desertas domos hostibus permitterent; vel hi, dum nihil à vicinis timent, conglobati in Oriente, fidelium vires faciliùs eneruarent; *datis* (ait [a], qui paulò post scribebat Saxo Grammaticus) *datis*, inquam, *per Europam epistolis, vniuersos Christianæ credulitatis hostes, ab eius cultoribus impugnari præcepit, singula autem Catholicorum prouincia, confines sibi Barbaros incessere iubebantur.* Ita Grammaticus generatim de cunctis scribens. Neque frustratus à desiderio suo est Pontifex Sanctus. Nulla in orbe Christiano prouincia fuit, quæ non in hostes fidei arma capesseret; quæ non Eugenij litteris obediens, infideles adorta, aut expugnaret, aut saltem impugnaret (nam euentus non idem omnino fuit) quos sibi lacessendos proposuisset.

a Dania lib. 14.

2. Ergo acceptis mandatis Pontificiis Dani, inter primos, qui hactenus, æmulatione Regni, in partes diuisi, dum hi Kanutum, Suenonem illi sequuntur, inuicem in se ipsos debacchabantur. *Ne priuatæ vtilitatis ardore, publicæ religionis officia detractarent* (ait idē qui supra Saxo Grammaticus [b]) *sumptis sacræ peregrinationis insignibus imperium amplecterentur. Et Canutus, ac Sueno inuicem obsidibus datis, depositisque inimicitiarum exercitiis, rei meliùs gerendæ gratia, pacem pro tempore statuunt; reuocatúmque à suis visceribus ferrum, ad sacrorum vindictam conuertunt. Discordiam itaque à Regni æmulatione profectam sacra expeditionis fœdere castigantes, iunctis viribus Slauiam petunt, Germanis, ex condicto, diuersam eius inuadentibus plagam.* Hactenus Saxo de Danis præliaturis aduersùs Paganos confines, Eugenij iussu.

b lib. eodem.

Haud aliter Saxones sumpsisse arma contra vicinos hostes, cruce & ipsos signatos, quamuis non assuta, sed protensa in altum, atque orbi imposita; testem habemus Othonem Frisingensem, qui tunc viuebat, & cunctis, aut multis aderat, vtpote fratrem Conradi Imperatoris. *Saxones verò* (ait [c]) *quia quasdam gentes spurcitiis idolorum deditas vicinas habent; ad Orientem proficisci renuentes, cruces ibidem, easdem gentes bello tentaturi, assumpserunt. Nostris in hoc distantes quod non simpliciter vestibus assuta, sed à rota subter posita, in altum protendebantur.* Hæc Frisingensis. Voluere forsan discerni ex ipsis omnibus, ab his, qui transmarinam militiam profitebantur: non secus ac signatos contra hæreticos, quas Orientales in humeris gestabant, pectoribus assuisse cruces, tomo sequenti dicam, si Deus dederit. Certè qui in Syriam, supponebant humeros crucibus (quod Bernardi epistolâ capite præcedenti expressum vidimus, & frequens in auctoribus) credo, vt se portaturos, ac suaui iugo subdituros colla, profiterentur. Et Saxones fortasse orbe supposito, non solùm ostentabant crucis seruitium, sed quibus vel totus orbis sarcina leuis censendus esset, si modò illum subiiciant imperio Crucis. 3.

c in Frideric. lib. 1. c. 40.

Non minus video commotos in nostris oris Genuenses, & Hispanos, aduersùs Sarracenos sibi confines; fælici vtrosque euentu: hos, Regia vrbe (Vlissis fundatione, si qua fides antiquis) expugnata, receptáque; illos ingenti ab altera Balearium abacta præda; cùm vrbem ipsam totius insulæ caput subdidissent incendio; & profligatis hostibus plurimos letho, quosdam proprio seruitio mancipassent, sed Lusitani vicere sequenti anno, quo à nobis dicendi; nec sine auxilio cruce signatorum, 4.

signatorum, qui in Syriam traiiciebant, cùm illuc appulissent casu, naufragium passi. Quæ Genuensibus hoc anno contigerunt, recens, sed grauis author Sigonius scribit.

d Carol. Sigon. de regno Italia lib. 11. *Eodem anno* [d] (scilicet M.C.XLVI.) *Genuenses ab Eugenio incitati, Sarracenos, qui Minoricam Insulam incolebant, sibi adoriendos duxerunt. Quippe classe omni militari apparatu ornata eò processere; ac tabernaculis in littore positis, Insulam liberius quatriduo percurrere. Reuersis inde cum ingenti præda ad tabernacula, repentè ingens Sarracenorum numerus superuenit, atque insultare Castris Genuensium cœpit. Genuenses autem eorum impetum non solùm acriter sustinuerunt, sed fugatos etiam ad octo vsque millia passuum insequuti, tertiam eorum partem interemerunt; atque vrbe insula populata, onusti spoliis ad classem reuersi abierunt.* Hactenus sumpta ex Carolo Sigonio, & concernentia bellum, armáque, quæ Eugenius commouisset in hostes Fidei.

5. Interea non oblitus, quæ pacis erant, multa benignè in subditos, quædam etiam seuerè pertractabat. Roma recens egressus, Narniæ sistens, cùm cognouisset, quod aliqui Pontifices nouis Præmonstratensibus Abbatibus impedimento essent, aut obtentui, quominus sua capitula ad instar Cisterciensium celebrarent, eorumdem quieti prouidens, &, si quæ fortè irrepebant, fraudibus præcauens, in transgressores animaduertendum decreuit, litteris expeditis in hunc tenorem.

Eugenius Episcopus, seruus seruorum Dei, dilectis filiis Abbatibus, & Præpositis Præmonstratensis Ordinis, salutem, & Apostolicam benedictionem.

Pro stabilitate Ordinis, & Religionis obseruantia, statutum est, vt vniuersi Abbates, & Præpositi Præmonstratensis Ordinis, ad Præmonstratense capitulum semel in anno conueniant, ibique communi fratrum consilio corrigenda corrigant, & quæ statuenda fuerint, authore Domino, statuant. Nunc autem, sicut accepimus, quidam vestrum, Episcoporum suorum prohibitionem prætendentes, ad Sanctum conuentum venire contemnunt: ideóque per Apostolica scripta vobis mandamus, & præcipimus, quod tàm sanctam institutionem nullatenus negligatis; sed sicut statutum est, semel in anno conuenientes, quæ ibidem, vt diximus, pro stabilitate Ordinis statuta fuerint, irrefragabiliter obseruetis; alioquin, sententiam, quam Abbas Præmonstratensis, fratrum suorum consilio, Abbatum videlicet, qui conuenerint in contemptores regulariter promulgauerit; nos, authore Domino, ratam habemus. Datum Narniæ, XI. Idus Martij, Pontificatus nostri anno secundo. Hactenus pro illustri congregatione, quam semper nostri curarunt promouere.

6. Per idem tempus, cùm vulgante fama, fortè, & denuntiatoribus coronationem Ludouici Regis per Archiepiscopum Rhemensem factam intellexisset, eáque calumniæ subesset duplici titulo, altero, quod per eum, ad quem prætendebatur non pertinere; altero quod in loco interdicto celebrata, Ecclesiæ claues cum scandalo Regni contempsisset; grauem in eum sententiam promulgauit quæ Regem iuuenem, nec patientem fræni, aut virgæ, facilè potuit a cœptis reuocare [e]. Matthæus Paris in historia magna Angliæ confunfundens tempora, &, quæ dudum contigissent sub Innoc. referens ad Eugenium; & Ludouicum, quod Petrum non admitteret, quem Biturigibus ipse præfecisset, anathemati obnoxium, & interdictas siue vrbes, siue oppida quæcumque ingrederetur, testificatur, quod triennio integro putat permansisse. Sed Anglo auctori scribenti de rebus Galliæ, lubrica fides: & Petrum Biturigibus præfectum non ab Eugenio, sed ab Innoc. atque ante Eugenij tertij Pontificatum, à Ludouico admissum, in superioribus satis demonstrauimus. Sed neque Regem rebellem in Ecclesiam, atque extra ipsam factum, facilè credam ab Eugenio admittendum (nedum laudandum) vt totius Ecclesiæ, & Christi causam susciperet, crucis in Oriente hostes impugnaturus. Ergo interdicti causa nobis occulta: fortè & ipsi Rhemensi violatori, qui neque in hoc à Bernardo Patre damnatur. Vtcumque fuerit, Eugenius ægrè ferens contemptas Claues, transgressionem, ne iret in exemplum, seuera satis multa plectendum censuit.

e ad anno Chr 1146.

Erat Sanson Rhemorum Archiepiscopus, integræ famæ Præsul, & cuius zelo Religionéque testimonium præbebant quicumque boni, & Ludouico inter charos semper habitus, tunc ab accepta corona charior adhuc; à damnatione, illius causa, incursa, creditor etiam eius reputabatur. Turbauit Regem, Principes, & Populum promulgata sententia, quantumuis iusta, quantumuis ex Dei zelo profecta fuerit; & vniuersam transmarinam expeditionem, quam adeo omnes ardebant, exasperato Rege à cordibus fidelium penè auulsit. Sed Bernardus, cui & tunc debuit Ecclesia in media turbatione sedatos animos, & nunc debemus historiæ huius fragmentum, siue gratia in Sansonem, quem multa charitate prosequebatur, seu reuerentia eximiæ religionis, qua præcellebat inter alios Galliæ Præsules: seu tandem Regi, aut deferens, aut timens; deferens inquã, sancto illius zelo, quo per tot sumptus, tot labores proprios, tot pericula terræ, marísque, Orientalẽ parabat expeditionem, sed & timens ne fortè irritaretur contẽptus à Pontifice, qui in sibi obsequentẽ Archiepiscopum, atq; ipsius obsequij ergo ita excanduisset; & eã iniuriam sibi illatam reputans, à proposito posset reuocari: his atque aliis prouisurus, paterna qua pollebat auctoritate, & libertate, qua semper vtebatur in causis Christi, has ad Eugenium litteras scripsit, non vacuas zelo, sed prudentia plenas, temperantíque, quo plerúmque vtendum aduersùs Reges. 7.

8. *Amantissimo Patri* [f], *& Domino Eugenio Summo Pontifici Bernardus, Claræuallis Abbas, modicum id quod est.* f Epist. 146

Parcat vobis Deus. Quid fecistis? Faciem hominis verecundissimi confudistis, & cui laus est in Ecclesia, ipsum in facie Ecclesiæ humiliastis. Lætificastis omnes inimicos eius, sed quantos vos contristasse putatis? Non est modus condolendi, quia amicorum non est numerus. Dilectus à Deo, & hominibus, grandis criminis luit pœnas, nullius conuictus, nullius confessus. Tenemus, Phinees sentimus zelum: Israëlites perfoditur, sed non cum Madianitide. Imponitur ei, quod Regem coronauit, sed in hoc non existimat excessisse se tenorem priuilegiorum suorum. Obiicitur, quod scienter diuina præsumpserit celebrare in Ecclesia interdicta. Negat. Suo tempore probabitur illud, purgabitur istud. Esto tamen putemus omnia constare quæcumque in absentem aduersariis eius licuit, aut libuit loqui. Debuit nè hoc solo excessu, cuius cætera laudabilia extiterunt, tam durè feriri, tam seuerè animaduerti? Semel excessisse, etiam virtus poterat reputari, si de vestro, non de

de vultu inimicorum eius, iudicium prodiisset. Deinde quid in arcto illo fieri oportebat? Dies celebris, solemnis curia, iuuenis Rex, & quod his maius est, Dei negotium, de Hierosolymitana scilicet expeditione: propter quod omnes conuenerant. Prorsus hac omnia Missarum, & corona Regia solemnis, debitique honoris frustrationem nullatenus admittebant. Sed nec ipsi Bituricensi Archiepiscopo omnino expediebat, vt honor regis per eum impediretur. Quæ cùm ita se habuerint, æstimamus locum misericordiæ non deesse, vbi tanta necessitas typum excusat contumaciæ. Numquid potestatem habetis tantum percutere, & nequaquam sanare? Nostis qui dixerit g *, percutiam, & ego sanabo. Absit, vt cuius tenetis vicem, non vsurpetis, & vocem; vocem, præcipuè pietatis. Ergo sola hac vice redeat sagitta Ionathæ retrorsum, & si necesse fuerit, in me magis mittatur. Tolerabilius fateor, habuissem interdici mihi Missarum celebrationem, quàm Archiepiscopo pallij vsum.*

g Deut. 32.

9. *Est etiam quod non mediocriter vestro pio rigori obiiciat in hac parte, quod filio vestro Regi Ludouico possit hinc non parua offensionis, & irritationis occasio dari, cùm ipse sibi tota mali huius videatur esse occasio: quod planè tempore isto non expedit, ne bonum, quod vestro hortatu bono, & magno animo cœpit, dignum, quod absit, non habeat exitum, si in scandalo, & animi perturbatione hoc egerit.* Pergit dicere de fructu suæ prædicationis, & numero cruce signatorum penè infinito, quæ nuper dedimus. Crediderim exauditum Patrem à filio, Bernardum ab Eugenio, atque Sansonem statim absolutum; maximè Papa in Galliam aduenturo, quod mox videbimus. Interim adnoto, qui modò causa Regis apud Pontificem, non multò post apud Regem pro Sansone indiguisse intercedere: quæ Principum plerumque conditio est in eos, quibus maximè debeant, faciliùs inuehi; & quibus se deuinctiores agnoscunt, infensiores ostendere; debitum aspernantes, aut excussuri. *Cur Domine, ait Bernardus ad Ludouicũ* h *, irascitur furor tuus contra Dei electum, quẽ tua quoque sublimitas suscepit, & prælegit, sibi quidẽ in Patrem, Filio autem tuo in Samuëlem.* Nec alia causa Regiæ indignationis, nisi quod Sanson suffraganeos sibi Episcopos, æstiuo tẽpore, ad prouinciale Conciliũ cõuocasset. Sed de his alias. Nunc sæuam Iudæorũ persecutionem, etiam vsque ad interitum, quam per Germaniam, & Galliam passi sunt, & sub qua, ni Bernardus subuenisset, penitus delerentur, subiiciamus.

h Epist. 255.

---

1. Iudæorum in Anglia flagitium atrox. 2. Petri venerabilis epistola, & 3. prædicatio Rodulphi contra eosdem, 4. querela Episcoporum per litteras insinuata, Bernardo patri, 5. ipsius responsum 6. pium, seuerúmque. 7. Tum ad alios pro Iudæis inserta clausula, 8. & contra Pseudo-Apostolos. 9. Emendata Baronij coniectura.

CAPVT VII.

1. IVDÆIS siue hæreditaria pœna, cunctis infensis, seu propria culpa Christianos infestantibus, addiderat inuidiam atrox facinus recens hoc anno in Anglia perpetratum. *Apud Norwicum enim* (ait a Robertus Montis) *Angliæ ciuitatem crucifixerunt puerum quemdam Christianum Vuillelmum: quin etiam foras ciuitatem ab eis sepultum, diuina lux (vt ferunt) super eum micans declarauit; sicque à fidelibus inuentus, honorabiliter est in Ecclesia positus.* Hinc odia Christianorum in ipsos aucta; atque zelo in vindictam transeunte; & diuitiarum, quibus abundabant, sæua cupidine; multi in eorum perniciem conspirauere: & itæ excandescentis semel in Sarracenos, tamquam in Christi hostes, facilior ad Iudæos transitus fuit. Extat epistola Petri Venerabilis ad Regem Galliæ scripta. Seuera in gentem (Sarracenorum gente deteriorem, perniciosiorémque) & quæ vt non deputet vltimo supplicio, at opibus mulctandos persuadet, quas à Christianis per scelera extorsissent: in qua hæc inter alia b.

a In appendice ad Sigebertum, hoc anno.

b lib. 4 ep. 36.

2. *Sed quid proderit*, ait, *inimicos Christianæ fidei in exteris, aut remotis finibus, insequi, ac persequi: Si nequam blasphemi, longéque Sarracenis deteriores Iudæi, non longè à nobis, sed in medio nostri, tam liberè, tam audacter Christum, cunctáque Christiana Sacramenta impunè blasphemauerint, conculcauerint, deturpauerint? Quomodo zelus Dei comedet filios Dei, si sic prorsus intacti euaserint summi Christi, ac Christianorum inimici Iudæi? An excidit à mente Regis Christianorum, quod olim dictum est à quodam Sancto Rege Iudæorum?* Nónne ait c, qui oderunt te Domine oderam; & super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos. *Si detestandi sunt Sarraceni, quia quamuis Christum de Virgine, vt nos, natum fateantur, multáque de ipso nobiscum sentiant; tamen Deum, Deíque filium, quod maius est, negant; mortémque ipsius, ac resurrectionem, in quibus tota summa salutis nostræ est, diffitentur: quantum execrandi, & odio habendi sunt Iudæi, qui nihil prorsus de Christo vel fide Christiana sentientes, ipsum Virgineum partum, cunctáque redemptionis humanæ Sacramenta abiiciunt, blasphemant, subsannant.* Et paulò inferiùs. *Neque ad hoc ista dico, vt occidantur; sed vt congruenti nequitiæ suæ modo puniantur. Et quis congruentior, quàm ille, quo damnatur iniquitas, adiuuatur charitas? Quid iustius, quàm vt his, quæ fraudulenter lucrati sunt, destituantur? quæ nequiter lucrati sunt; vt furibus (& quod peius est) vt audacibus, & impunitis, auferantur? Vel maxima ex parte imminuatur Iudaicarum diuitiarum malè parta pinguedo: & Christianus exercitus, qui, vt Sarracenos expugnet, pecuniis, vel terris suis Christi Domini sui amore non parcit; Iudæorum thesauris tam pessimè adquisitis non parcat: Reseruetur eis vita, auferatur pecunia, seruient populis Christianis, etiam ipsis inuitis, diuitiæ Iudæorum*, &c. Itaque Petrus, qui mitior, bonis omnibus: cæteri capite plectendos fore clamabant.

c Psal. 138.

Ast inter alios Eremita quidam, Radulphus nomine, seu nimio zelo, seu captandæ plebis auidus; & prædicandi, quasi à Bernardo missus, munus vsurpans, crucem contra Sarracenos Orientales, verùm contra domesticos Iudæos internecionem, & mortem concionabatur. Audi Othonem de eo sic 3.

d in Friderico lib.1.c.37. sic differentem. *Inter hæc* (ait[d]) *Radulphus Monachus, vir quidem religionis habitum habens, religionisque seueritatem solerter imitans, sed litterarum notitia sobriè imbutus; eas partes Galliæ, quæ Rhenum attingunt, ingreditur, multáque populorum millia, ex Agripina, Moguntia, Vvormatia, Spira, Argentina, aliisque vicinis ciuitatibus, oppidis, seu vicis, ad accipiendam crucem accendit. Hoc tamen doctrina sua non vigilanter interferens, quòd Iudæi in ciuitatibus, oppidisque passim manentes, tanquam Christiana religionis hostes, trucidarentur. Quod doctrinæ semen in multis Galliæ Germaniæque ciuitatibus, vel oppidis tam firmiter radicem figens germinauit, vt plurimis ex Iudæis hac tumultuosa seditione necatis, multi sub Principis Romanorum alas, tuitionis causa, confugerent.* Hæc Otho de Radulpho, qui cuncta vidit. Certè auidæ alias ad prædam plebi, per speciem religionis, persuasio facilis; nec durum erat Iudæos interficere, quorum bona occisores locupletabant.

4. Doluere Episcopi sanguinem effusum, ius gentium violatum, desertas vrbes; & se contemptui haberi ab vno Monacho, qui sub prætextu prædicandæ crucis, ex iniuncto Bernardi, ipsis non solùm inconsultis, sed renitentibus, totam ferè Germaniam perturbaret. Vnde & Henricus Moguntinus Præsul, querulas ad Doctorem Sanctum litteras dedit, quod talem hominem sibi substituisset (námque ita credebatur) per quem tam grauia, tam scandalosa per speciem zeli, & iustitiæ, prædicarentur. Tunc Sanctus Pater purgandæ tali calumniæ, & nihilominus reprimendo serpenti malo; primùm ad eumdem Moguntinum; mox ad omnes Episcopos Germaniæ scripsit epistolas, quas ex parte transcriptas in hunc locum absoluendas remittebamus. Porrò exemplar epistolæ
e Epist. 323. ad Henricum hæc habet verba[e].

5. *Venerabili Domino, & charissimo Patri Henrico Moguntino Archiepiscopo, Bernardus Claræuallis Abbas, inuenire gratiam apud Deum.*

Litteras dilectionis vestræ debita veneratione suscepi, sed præ multitudine negotiorum breuis est responsio. Depositum querelæ vestræ apud nos, signum est, & pignus dilectionis; & præcipuè humilitatis indicium. Quis enim ego sum, aut quæ domus patris mei, vt ad me referatur Archiepiscopi contemptus, & Metropolitanæ sedis iniuria? Nónne ego sum puer paruulus, ignorans introitum, & egressum meum? Verumtamen non ignoro verbum veritatis vsquequaque, quod ex ore altissimi procedit[f]. *Necesse est,*
f Matth. 18. *vt veniat scandalum: Væ autem illi, per quem venit: Homo ille de quo agitur in litteris vestris, neque ab homine, neque per hominem, sed neque à Deo missus venit. Quod si se Monachum, aut Eremitam iactat, & ex eo sibi adsumit libertatem, vel officium prædicationis: potest scire, & debet, quòd Monachus, non habet docentis, sed plangentis officium; quippe cui oppidum, carcer esse debet, & solitudo paradisus. Hic verò à contrariis, & solitudinem pro carcere, & oppidum habet pro paradiso. O hominem sine pectore! ô hominem sine fronte! Cuius stultitia eleuata est super candelabrum vt appareat omnibus, qui sunt in domo. Tria sanè sunt in eo reprehensione dignissima. Vsurpatio prædicationis, contemptus Episcoporum, homicidij approbati libertas.*

6. *Nouum genus potentiæ*[g]. *Numquid tu maior es*
g Ioan.10. h Lucæ 22. *patre nostro Abraham, qui eodem prohibente, gladium deposuit, quo iubente, leuauerat*[h]*? Numquid tu maior es Principe Apostolorum, qui quæsiuit à Domino; Domine si percutimus in gladio? Sed instructus es omni Sapientia Ægyptiorum, id est sapientia huius mundi*[i], *quæ stultitia est apud Deum.* i 1.Corint.3.
Aliter soluis quæstionem Petri, quàm ille, qui dicit[k]. k Ioan.18.
Mitte gladium tuum in locum suum. Omnis enim qui acceperit gladium, gladio peribit. Nónne copiosius triumphat Ecclesia de Iudæis per singulos dies, vel conuincens, vel conuertens eos, quàm si semel, & simul consumeret eos in ore gladij? Numquid incassum constituta est illa vniuersalis Ecclesiæ oratio, quæ offertur pro perfidis Iudæis, à Solis ortu vsque ad occasum; vt Deus, & Dominus auferat velamen de cordibus eorum, vt ad lumen veritatis, à suis tenebris eruantur? Nisi enim eos, qui increduli sunt, credituros speraret, superfluum videretur, & vanum orare pro eis. Sed considerat oculo pietatis, quòd Dominus habet respectum gratiæ apud eum, qui reddit bona pro malis, & dilectionem pro odio. Vbi est ergo illud quod dictum est[l]. *Videas* ne occidas eos? l Psal. 58.
Vbi est, cùm[m] plenitudo gentium intrauerit, tunc m Roman. 11.
omnis Israël saluus fiet? *Vbi est*[n], ædificans Hierusalem Dominus, dispersiones Israëlis congregabit? n Psal.146.
Tu ne es ille, qui mendaces facies Prophetas, & euacuabis omnes thesauros pietatis, & misericordiæ Iesu Christi? Tua doctrina non est tua, sed eius, qui misit te patris. Sed credo sufficit tibi, si sis, sicut magister tuus: Ille enim erat homicida ab initio, ille mendax, & pater mendacij. O monstruosa scientia! ô sapientia infernalis contraria Prophetis, & Apostolis inimica; subuersio pietatis, & gratiæ! ô immundissima hæresis! ô meretrix sacrilega, quæ impregnata de Spiritu falsitatis concepit dolorem, & peperit iniquitatem! libet, sed non licet vltra progredi. Ad vltimum, vt omnia quæ sentio, super his breuiter comprehendam: Homo est magnus in oculis suis, plenus spiritu arrogantiæ: verba, & opera eius prætendunt, quod conatur sibi facere nomen iuxta nomen magnorum, qui sunt in terris; sed non habet sumptus ad perficiendum. Vale. Ita Bernardus, & se à calumnia purgans, & damnans hominem, qui non missus à Deo, eius doctrinæ contraria prædicaret.

Cæterùm compescendo gliscenti malo, has in epistolis ad reliquos scribendis inseruit clausulas; alteram pro Iudæis non occidendis; alteram pro vitandis pseudo-Apostolis, siue Prædicatoribus, si qui alij se iactarent ab ipso missos; quas superiùs à nobis prætermissas; in hunc locum tradendas reseruauimus. *De cætero* (inquit[o]) *fratres, moneo vos, non autem ego, sed Apostolus Dei mecum non esse credendum omni spiritui*[p]. *Audiuimus, & gaudemus, vt in vobis ferueat zelus Dei: sed oportet omnino temperamentum scientiæ non deesse. Non sunt persequendi Iudæi, non sunt trucidandi; sed nec effugandi quidem. Interrogate eos diuinas paginas: noui, quod in Psalmo legitur prophetatum de Iudæis*[q]: Deus ostendit mihi (*inquit Ecclesia*) super inimicos meos, ne occidas eos, ne quando obliuiscantur populi mei. *Viui quidem apices nobis sunt, repræsentantes Dominicam Passionem. Propter hoc dispersi sunt in omnes regiones, vt dum iustas tanti facinoris pœnas luunt, testes sint nostræ Redemptionis. Vnde & ait in eodem Psalmo loquens Ecclesia*[r]: Disperge illos in virtute tua, & depone eos, protector meus Domine. *Ita factum est: dispersi sunt, depositi sunt, duram sustinent captiuitatem sub Principibus Christianis. Conuertentur tamen ad vesperam, & in tempore erit respectus eorum. Denique*[s] cùm introierit gentium multitudo, tunc omnis Israël saluus erit, *ait Apostolus. Interim sanè, qui moritur,* 7. o Epist.322. p 1.Ioan.4. q Psal.58. r Ibid. s Rom.11.

manet in morte: Taceo quod sicubi desunt, peius Iudaizare dolemus Christianos fœneratores: si tamen Christianos, & non magis baptizatos Iudæos conuenit appellari. Si Iudæi penitus conterantur, vnde iam prosperabitur, eorum in fine promissa salus, siue conuersio? Planè & gentiles, si essent, similiter expectandi, sustinendi forent potiùs, quàm gladiis expetendi. Nunc autem cùm in nos cœperint esse violenti, oportet vim vi repellere, eos, qui non sine causa gladios portant. Est autem Christianæ pietatis, vt debellare superbos, sic & parcere subiectis, his præsertim, quorum est legislatio repromissa; quorum patres, ex quibus Christus secundum carnem, qui est benedictus in sæcula. Attamen exigendum ab eis iuxta tenorem Apostolici mandati, vt omnes qui crucis signum susceperint ab vsurarum exactione liberos omnino dimittant. Hæc pro Iudæis in spiritu lenitatis, in quibus tamen obiter perpendo, cruce, & ipsos signatos per hoc tempus, vt cum nostris concurrerent, ad locorum sanctorum defensionem. At contra Pseudo-Apostolos mendaces, in spiritu discretionis, ista subiecit [t].

t Epist. 322.

8. *Illud quoque admonitos vos esse necesse est, fratres dilectissimi, vt si quis fortè amans primatum gerere inter vos, expeditione sua Regni voluerit exercitum prauenire, nullatenus audeat: & si à nobis missum se simulet, non est verum: aut si ostendat litteras tanquam à nobis datas; omnino falsas, ne dicam furtiuas, esse dicatis. Viros bellicosos, & gnaros talium duces eligere est; & simul proficisci exercitum Domini, vt vbique habeat robur, & non possit à quibuslibet violentiam sustinere. Fuit enim in priori expeditione antequam Hierosolyma caperetur, vir quidam Petrus nomine, cuius, & vos (nisi fallor) mentionem audistis. Is populum, qui sibi crediderat solùm cum suis incedens tantis periculis dedit, vt, aut nulli, aut paucissimi eorum, euaserint, qui non corruerint, aut fame, aut gladio. Propterea omnino timendum est, si similiter, & vos feceritis, ne contingat, & vobis similiter; quod auertat à vobis Deus, qui est benedictus in sæcula. Amen.* Hactenus Sanctus ad diuersos Germaniæ præsules. Cæterùm qualiter, cùm scriptis minus proficeret, aduentum suum, quamtociùs maturauerit, vtrumque malum efficaciùs repressurus; qualitérque Radulphum tandem coërcitum, & sibi, & Deo semel restitutum, ad id perduxerit, vt monachum profiteretur in Claraualle, sequenti capite latius referemus.

Cardinalis Baronius, dum hæc narrat in ea sententia est, vt putet Sanctum, dum contestatur omnes, ne litteras à se missas acciperent, quas scirent esse falsas; à Nicolao sibi præcauisse; illo nimirum, quem præcedenti anno in Claræuallis Monachum susceptum; hoc scribentem Bernardi patris nomine, ad Comitem, & Proceres Britaniæ superiùs vidimus, quin & eiusdem sigillum, stilúmque in graue ipsius, & aliorum damnum simulare consuetum infra dicemus. Sed non crediderim tàm citò comprehensum à sancto Patre, maximè in eius obsequio permansurum per annos aliquot. Neque est cur ad incerta recurramus, cùm certa habemus. Radulpho prædicante sub eius nomine, quæ fuit querela Henrici Moguntini; præcauet sibi à simili fallacia, & nulli prorsus credendum, vel proferenti litteras decernit; si modò velit exercitum diuidere. Quod quàm nociuum Christianis olim fuerit, Petri illius exemplo manifestat. 9.

1. Bernardi in Germaniam aduentus: 2. tempus præfixum; 3. & fructus ex Radulphi conuersione. 4. Gesta ab eo ad Vuormatiam, 5. & Francofordiam, 6. inde discedens Hildegardem Virginem visitat, 7. & sacra xenia vltrò, citróque donat, & accipit. 8. Epistola Hildegardis ad Bernardum, 9. & responsio Bernardi Patris ad ipsam.

CAPVT VIII.

1. SVB honesto religionis colore furentem plebem, atque vtilitatem captantem ex ipso zelo, ægrè Bernardi litteræ, ægrè Episcopi valuerunt continere. Et iam instabat tempus prædicandi, quo Imperator, quo Germaniæ Principes ad bellum transmarinum accingerentur. Vtrumque Sancti motiuum expressit Otho. *Igitur* (ait [a]) *innumerabilibus in Occidentali Gallia ad transmarinam expeditionem excitatis, Bernardus prædicationis nomine, monendum Orientale Francorum regnum agredi disponit; tam ad hoc, vt animum Principis Romanorum sacra exhortationis verbo ad accipiendam crucem emolliret, quàm vt Radulpho, occasione Iudæorum crebras in ciuitatibus seditiones, & populum contra Dominos suos mouenti, silentium imponeret.* Sic Frisingensis.

a in Friderico lib.1.c.39.

2. Ergo vtriusq; stimulis actus mellifluus Doctor Germaniam adit, vtrumque in breui negotium expediturus. Cardinalis Baronius [b] sub finem huius anni profectum putat; motus, vt credo, historia miraculorum eius [c], quæ à prima Dominica aduentus exordium sumit. Verùm cùm in eadem historia scriptum sit [d] Sanctum Patrem, huiusmodi occasione, exulasse à filiis ferè per annum: & aliàs Claramuallem ingressum, non multò pòst festum Purificationis anni sequentis; cogimur contra eundem Baronium dicere, aut adiisse Tolosam contra Henricum, antequam in Germaniam se conferret; aut Germaniam ante finem anni intrasse, quamuis miracula non à primo eius ingressu, sed ab accessu ad Constantiam scribi cœperint: atque hoc longè probabilius iudico: nec non conformius ipsi narrationi.

b ad hunc ann.
c in Prœmio.
d cap. 15.

Vtcumque fuerit, Germaniam Sanctus intrans vtrumque scopum attentiùs intuebatur; vt & Christianos cieret in Sarracenos, & à Iudæis retraheret; & in illos agendum ferro, & igne, in hos gladio spiritus, verbo nimirum Dei, & orationibus: illos inuasores locorum nostræ salutis per vim arcendos: hos permittendos suæ superstitioni, & iusto Dei iudicio reseruandos. Difficile vtrumque, cuicumque alteri; quippe Sarracenorum expugnatio in labore, & sumptu; Iudæorum cædes in quæstu omnibus erat. Bernardus alterum fœliciter aggressus, ab altero in breui se expediuit: Nam audi Othonem ita differen- 3.

e in Friderico lib. 1. c. 39. differentem eodem loco [e]. *Moguntiam veniens* (scilicet Sanctus Bernardus) *Radulphum in maximo fauore populi morantem inuenit. Quo accersito, præmonitoque, ne contra Monachorum regulam per orbem vagando, propria auctoritate verbum prædicationis assumeret; tandem ad hoc eum, vt sibi promissa obedientia, in cœnobium suum transiret, induxit.* Sic Bernardus, quem non Ecclesiæ præsules, non Principes, robore suæ potentiæ, compescuerant; persuasione compescuit, & citiùs dictu venit, vidit, vicit, peccata submouens, seruans peccatorem. Verum est tamen Moguntinum populum, qui Radulpho adhæserat, discessum eius impatienter tolerasse. *Et nisi ipsius sanctitatis consideratione* (pergit idem Otho) *retardarentur, vix immunes futuros à seditione.* Sed continuit reuerentia illius omnes, & quod semel Bernardus improbasset, approbare non ausis, simplex ipsius verbum pro lege fuit. Atque hæc quidem de prima, & faciliori: Nunc alteram aduentus sancti causam, prædicationem Crucis, & subeundam in Orientem expeditionem, quæ haud dubiè difficilior, prosequamur.

4. Constat in primis sub finem mensis Octobris ad Vvormatiam vrbem commoratum, multos ad bellum sacrum cruce signasse. De ipso namque sub initium Ianuarij anni sequentis, eamdem vrbem rursus adeunte, Philippus tunc Archidiaconus, pòst monachus, qui præsens fuit, scribit in hæc verba [f]. *Transierat enim per Vvormatiam ante duos menses, & sermone habito innumerabilem ibi signauerat populum signaculo militiæ Christianæ.* Dein Francfordiæ conuenit Imperatorem, quædam cum eo negotia tractaturus; ac velut obiter suggesturus de bello sacro, & semina iacturus, quæ post modum Spiræ fœcundarentur. Nec virum, quamuis sui reuerentissimum, obsequentissimúmque, facilem inuenit in hoc negotio. Quin auersantem iter trasmarinum; nec persuasibilem, vt ad illud adduceretur; idem qui supra mihi Philippus auctor, paucis, sed oculatus testis cuncta describens, dum gesta Spiræ pandit in hunc tenorem [g]. *Priùs enim apud Francfordiam, Regem secretò conuenerat vir Beatus, admonens, vt ipse saluti propriæ prouideret in tempore misericordiæ vberis. Cui cùm respondisset, nullum sibi huius militiæ inesse propositum; tacuit vir Beatus dicens, non esse paruitatis suæ importunius instare Regiæ maiestati.* Ita Philippus, nec dubium, Deo ita disponente, quo clarius postmodum, efficacia prædicationis Bernardi comprobaretur.

f De miraculis Sancti cap. 11.

g Ibid cap. 7.

5. Verùm de gestis Francofordiæ à Patre Sancto Helmoldus Presbyter hæc habet in suo Chronico [h]. *Hic itaque (id est Bernardus) ingressus in Theutonicam terram, venit ad celebrem curiam Frankfordiæ, quo tunc fortè Rex Conradus cum omni Principum frequentia festinus occurrebat. Cum ergo Sanctus Vir in Ecclesiis positus, curandis ægrotis in nomine Domini propensius instaret, adstante Rege, & Summis Potestatibus, incertus erat inter tantas populorum cateruas, quod quis pateretur, aut cui fortè subueniretur. Aderat illic Comes noster Adolphus, certius nosse cupiens ex operatione diuina, virtutem viri: inter hæc offertur ei puer cæcus, & claudus, cuius debilitatis nulla potuit esse dubitatio. Cœpit ergo vir sagacissimus intentare solerter, si fortè posset in hoc puero sanctitatis eius experimentum capere: cuius incredulitatis, veluti diuinitus edoctus vir Dei, remedium prouidens, puerum præter morem iussit sibi applicari; cæteros enim verbo tantùm consignauit: Hunc verò exhibitum, manibus excepit, oculisque morosa contrectatione visum restituit: deinde genua contracta corripiens, iussit eum currere ad gradus, manifesta dans indicia recuperati tam visus, quàm gressus.* Ita Helmoldus de gestis ad Francofordiam.

h in Chronico Slauorum cap. 60.

Discedentem Francofordia beatum Virum peruenisse nauigio ad oppidum Bingionum, Trithemius ait, vbi Sanctam Hildegardem visitauit, illustrem Virginem, & innumeris claram reuelationibus, quas postmodum approbauit Eugenius Papa [i]. At quæ contigerint in hac visitatione, verbis eiusdem præstat describamus, *Inde* (ait) & de Francofordia loquitur) *nauigio vectus peruenit ad oppidum Bingionum, vbi in monasterio Sancti Ruperti ducis, ab altera parte Nabi fluminis, Deo dilecta virgo sancta Hildegardis magistra, deuotis præsidebat virginibus sub regula Diui Patris nostri Benedicti, omnipotenti Domino famulantibus, cui antea per litteras verba sanctæ admonitionis transmiserat cum certis munusculis, quæ pro reliquiis in eodem loco seruantur. Veniens autem ad Sanctam Christi sponsam vir Dei Bernardus post mutuam in Christo salutationem, iussit sibi volumina, quæ ipsa Virgo diuinitus inspirata conscripserat, afferri, quibus diligenter reuisis vltra modum admirans ad circumstantes fertur dixisse. Hæc scripta non sunt humanitus adinuenta, sed per sanctum Spiritum diuinitus inspirata: nec poterit ea mortalis homo intelligere, nisi ad Dei similitudinem intus in anima veraciter fuerit informatus. Ad hæc Cappellanus sanctæ Virginis monachus deuotissimæ conuersationis respondit: Reuerende Pater vera quidem sunt, quæ dixisti, sed homines multi non solùm sæculares idiotæ, sed etiam religiosi, & docti, animum famulæ Christi quotidianis oblocutionibus mirabiliter cruciant, dum hæc non diuinitus inspirata, sed aut somnia muliebria, & destructi cerebri deliramenta, aut per dæmones immissa fallaciter, confirmant. Cui vir Dei non miramur, inquit, frater charissime, si dormientes in peccatis diuinas reuelationes existimant somnia, scientes verum, quod Sanctus Apostolus dixit: animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei: stultitia enim est illi, & non potest intelligere; quia spiritualiter examinatur. Omnibus enim in peccatis luxuriæ, auaritiæ, & superbiæ, dormiendo iacentibus, diuinæ admonitiones somnia videri consueuerunt: quoniam si vigilarent in timore Domini, signa diuinarum reuelationum vera proculdubio agnoscerent. Qui autem immitti hæc à dæmonibus dicunt, diuinarum inspirationum occulta, & mystica signa, non nouerunt: similésque illis iudicandi sunt, qui Dominum, & Saluatorem nostrum Iesum Christum eiicere dæmonia in potestate Beelzebub dixerunt.* 6.

i in Chronic. Hirsaugiensi ann. 1148.

Ad sanctam quoque Hildegardem dixit: & tu filia charissima, non metuas opprobria hominum, Deum habens defensorem; quoniam sicut stipula peribunt: veritas autem Domini manet in æternum. Nos quoque ob tui amorem operam dabimus; vt hæc tua scripta per Dominum Apostolicum lecta, & confirmata, securè proferantur in lucem. Obtulit autem sancta Virgo Hildegardis viro Dei postulanti particulam reliquiarum Sancti Ruperti ducis, & confessoris, pro quibus, & ipse postea nonnulla Sanctorum capita ei remisit. Facta sunt hæc in monte Sancti Ruperti, in præsentia Meginhardi Comitis de Spanheim, sub cuius ditione temporali præfatum Cœnobium constructum est; in quo & filiam habuit sanctimonialem, nomine Hiltrudem, Virginem sanctissima 7.

ctissimæ conuersationis, quæ cum Beata Hildegarde sub magisterio Beatæ Iuttæ in amore Dei fuerat instituta. Pergit deinde de aliis tunc præsentibus, & crure integro Sancti Ruperti ducis Bernhelmo Spenheimensi Abbati tradito, Sancti Patris Bernardi intercessione. Et tandem concludit. *Sanctus verò Domini famulus Bernardus Valedicens Virgini Christi Hildegardi, captum iter per descensum Rheni continuat; & in Bopardia paralyticum in medio populi, manu illi imposita curat. Inde per Mosellæ alueum Treuerim conscendit, & tres cæcos, claudum vnum, & surdam mulierem in eadem ciuitate, omni inspectanti populo, curauit.* Hæc ex Trithemio, quod attinet ad tempus, dubia fide; quippe omissa à Philippo, qui ex colloquio Conradi cum Bernardo, ad Francofordiam, gesta Sancti describit per dies singulos. Sed neque sancta, vt ipse Trithemius ait [k], ante annum M. C. XLVIII. Bingionum terram cum conuentu suo occupauerat. Cæterùm, quod de epistola Bernardi ad ipsam, Trithemius ait, quocumque tempore fuerit scripta, legitur adhuc inter alias eiusdem Virginis, hîc conuenienter, ni fallor, transferenda. Si tamen priùs Hildegardis ad Sanctum litteras demus, quibus ipse respondit. Sed en vtrasque. *Bernardo* [l] *Hildegardis.*

k *in Chronico Spanheimensi.*

l *inter epistolas Hildegardis.*

8. *In spiritu mysteriorum tibi dico, ô Venerabilis Pater, qui mirabiliter in magnis honoribus virtutis Dei valde metuendus es illicita stultitia huius mundi, vexillo Sanctæ Crucis, cum excelso studio, in ardenti amore filij Dei, capiens homines ad bella pugnanda in Christiana militia, contra tyrannorum sæuitiam; quod sum valdè constricta in visione, quæ apparet mihi in spiritu mysterij; quam non video exterioribus oculis carnis. Ego misera, & plusquam misera in nomine fœmineo, ab infantia mea vidi mirabilia magna, quæ lingua mea non potest proferre, nisi quod me docet Spiritus Dei, qualiter ea dicam. Sanctissime, & mitissime pater, audi me, in tua bonitate, indignam famulam tuam, quæ numquam ab infantia mea securè vixi, & de tua pietate, & sapientia intellige in anima tua, secundùm quod doctus fueris in Spiritu sancto; quoniam ea, quæ tibi de me dicta sunt, secundùm hunc modum sunt. Scio enim in textu interiorem intelligentiam expositionis Psalterij, Euangelij, & aliorum voluminum, quæ monstrantur mihi in hac visione, quæ pectus meum tangit, & animam meam sicut flamma comburens, docent me hæc profunda expositionis. Sed tamen non docet me litteras in Theutonica lingua, quas nescio. Sed tantùm scio in simplicitate legere, non in abscissione textus, quia homo sum indocta, sine vlla magistratione, cum exteriori materia, sed intus in anima mea sum docta; vnde loquor tibi de te non dubitans, sed de sapientia & pietate tua consolabor pro eo quòd multa schismata sunt in hominibus, sicut audio homines dicere. Nam cuidam Monacho, quem scrutata sum in conuersatione probationis vitæ, hæc primùm dixi; & illi omnia secreta mea monstraui, & consolatus est me; ita quod hæc magna & timenda sunt. Volo pater, vt propter amorem Dei in orationibus tuis, mei recorderis. Ego ante duos annos te in hac visione vidi. Sicut hominem in Solem adspicere, & non timere; sed valde audacem; & plorani, quod ego tantùm erubesco, & inaudax sum. Bone pater, & mitissime, pono me in animam tuam, ora pro me, quia magnos labores in hac visione habeo, quatenus quod video, & audio dicam. Et interdum in magnis infirmitatibus de hac visione, in lectum prosternor, quia taceo, ita quod non possum me erigere. Ergo cum mœrore coram te plango, quia mobilis sum, cum motu in torculari arbore in natura mea, orta de radice, surgente in Adam, qui factus est exul in peregrinum mundum, de suggestione Diaboli. Nunc autem surgens curro ad te. Ego dico tibi. Tu es mobilis, sed semper erigens arborem, & victor in anima tua es, non tantùm te ipsum solum, sed etiam alios homines in saluationem erigens. Tu autem aquila es adspiciens in Solem. Oro te per serenitatem Patris, & per eius verbum admirabile, & per suauem humorem compunctionis, scilicet Spiritum veritatis, & per sanctum sonitum, per quem sonat omnis creatura, & per ipsum verbum, de quo ortus est mundus, & per altitudinem Patris, qui verbum in suaui viriditate in vterum Virginis misit, vnde illud carnem, sicut circumædificatur mel fauo, suxit, vt non otiosè in verbis meis torpeas; sed ea in cor tuum pone, ita vt non cesses, dum transeas per foramen animæ tuæ, ad Deum pro me adspicient, quia ipse te vult. Vale, vale in anima tua, & esto robustus in certamine, in Deo. Amen.* Hactenus Hildegardis ad Bernardum in profunditate sermonis. Sed Bernardus ad eam clariùs, & breuiùs.

Bernardus [m] *Claræuallis Abbas, Hildegardi. Dilectæ in Christo filiæ Hildegardi, Frater Bernardus Claræuallensis vocatus Abbas, si quid potest oratio peccatoris.* 9.

m *Ibid.*

Quod de nostra exiguitate, longè aliter, quàm nostra sese conscientia habeat, quidam sentire videntur, non nostris meritis, sed stultitiæ hominum imputandum est. Ad dulcedinem autem piæ charitatis tuæ scribere properaui, quamuis id breuius omnino, quàm vellem, negotiorum multitudo compellat. Congratulamur gratiæ Dei, quæ in te est, & vt eam tamquam gratiam habeas, & toto ei humilitatis, & deuotionis affectu studeas respondere, admonemus: sciens, quòd [n] *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* [o]. *Quod in nobis est hortamur, & obsecramus: Cæterùm vbi interior eruditio est, & vnctio* [p] *docens de omnibus, quid nos, aut docere possumus, aut monere? Diceris enim cælestia secreta rimari, &, ea, quæ supra homines sunt, Spiritu sancto illustrante, dignoscere. Vnde rogamus magis, & suppliciter postulamus vt nostri memoriam habeas apud Deum, & eorum pariter, qui nobis in spiritali societate iuncti sunt. Nam cùm Spiritus Deo coniungitur, confidimus quòd nobis multum prodesse valeas, & subuenire* [q]. *Multum enim valet deprecatio iusti assidua. Nos etiam pro te assiduè oramus, vt conforteris ad bona, instruaris ad interiora, dirigaris ad permansura, ita vt ne hi, qui spem suam in Deum posuerunt, desperando pro te claudicent: sed vt in profectu benedictionis, quam à Deo accipere cognosceris, bene confortati, in melius, & melius proficiant.* Ita Bernardus Pater ad Sanctam Virginem. Sed nos eumdem, Germaniam peragrantem, dum crucem prædicat, atque prodigiis frequentibus clarentem, pressis gressibus paulatim prosequamur.

n Iacob. 4.

o 1. Petri 5.

p 1. Ioan 2.

q Iacob. 5.

Bernardus

1. Bernardus à Constantiensi Episcopo deductus, 2. & quibus sociis, 3. & qua frequentia miraculorum, 4. Friemburgum primùm; 5. inde ad oppidum aliud, 6. ingenti populorum frequentia: 7. Mox Constantiam venit. 8. Vbi Henricum conuertit, 9. & quo miraculo. 10. Hinc Basilaam, Argentinámque profectus. 11. Magistrum Alexandrum de Colonia, 12. quantumuis renitentem, traxit à sæculo.

CAPVT IX.

1. CONSTANTIAM aduenisse, perspicuum est. Verùm qua occasione illuc aduenerit, & quibus sociis, vnus ex eis Philippus, ad Henricum Ludouici Regis fratrem, postquam in Archiepiscopum Rhemensem assumptus est, totidem verbis legitur scripsisse. *Ibidem*[a] *quoque* (scilicet Francofordiæ cùm ad colloquium venisset Imperatoris) *Constantiensis Episcopus, Hermanus nomine, vir religiosus, adfuit obnixius supplicans; vt ad partes suas ascendere dignaretur. Cuius petitioni multa quidem negotia resistebant, maximè tamen Claraeuallensium suorum intima solicitudo, & præcordialis affectus, ad quos redire omnimodo festinabat: neque enim filiorum mater poterat obliuisci, sed toto ferè anno auelli à se viscera sua grauissimè querebatur. Vicit tamen constantia Domini Constantiensis, cùm opportunè, importunè, modò per se, modò per Regem, & Episcopos supplicaret.* Hæc de occasione aduentus Beati viri ad Constantiensem vrbem.

a *De miraculis Sancti Bernard. c. 3.*

2. At de sociis, qui ipsum comitabantur, in supradicti Episcopi persona subdit inferiùs[b]: *Eramus ergo cum eo Hermanus Constantiensis Episcopus, & Ebreardus Capellanus meus: Abbates duo, Baldoinus, & Frouummus, monachi quoque duo, Girardus, & Gaufridus, Clerici tres, Philippus Leodiensis Archidiaconus, Oco, & Franco, quibus additus est in ipso itinere Alexander Coloniensis, Romam enim proficiscebatur: sed videns opera diuina virtutis, & audiens crebram patris exhortationem compunctus est: & conuersus.* Hi socij viæ.

b *Ibid.*

3. Sed tempus etiam notat, nempe Nouembri Mense iam cadente, quippè *Dominica prima Aduentus Domini (quæ incidit in secundam diem Decembris ingressi sumus* (ait[c]) *fines Episcopatus Constantiensis, & in villa, cui nomen est Kentingem maxima cum deuotione suscepti.* Pergit deinde miracula narrare, quæ Sanctus Pater patrabat per dies singulos, quæ longum esset nobis recensere. Illud apud omnes auctores compertum est, tot cæcos homines, tot debiles, tot claudos, tot surdos, mutósque, visu, auditu, loquela, gressu, & viribus à viro Dei donatos in hoc itinere, vt miracula in ipso minus miranda, ab ipsa multitudine, & frequentia, penè ad leges communes conuerterentur. Legat, qui volet post opera Bernardi Antuerpiæ anno. M.DC.XVI. & deinceps excussa; mutila sanè ex exemplarium vetustate, atque inde proueniente corrosione: sed quæ vel sic lectorem quantumuis auidum, aut impleant, aut satient; Nec sufficiat memoria tot prodigiis, quot virtus suffecit.

c *Ibidem.*

4. Feria tertia post eamdem primam Dominicam Friemburgum peruenit, vbi post habitum ad populum sermonem, & prædicatam crucem, Deo cooperante, & variis signis confirmante sermonem melliflui Patris, cùm multi pauperes cruce signarentur, ac soli diuites recusarent militiam; quippe qui commodis, atque vtilitatibus propriis detinerentur: primum quidem orare pro eis iussit, vt Deus auferret velamen de cordibus eorum; mox ad præceptum eius cunctis orantibus, maius adhuc, ac longè mirabilius virtutis cooperantis signum effulsit: Nam subita mutatione compuncti omnes *ditissimi quippe* (ait Philippus[d]) *etiam perditissimi viri, illius crucem acceperunt.* Et sacram illam militiam professi sunt. Sic nullus poterat efficaciam virtutis fugere; siue visis miraculis compunctus, siue materiam se præbens nouo miraculo.

d *Ibid. c. 4.*

Inde ad oppidum aliud viam capessens (Basilæam per errorem exemplar nominat, in quo Conradus Dux sancto occurrit) minùs rebelles ciues expertus est; quippè ad sermonem eius statim compunctos; atque cruce signatos ante miracula; non tamen ideo destituit beneficiis, remunerans, atque obiter confirmans eorum animos. 5.

Idem qui supra auctor testis existit, secunda die ab ingressu eius in vrbem, ex his, quæ socij viderunt, & quæ ipse nouerat, triginta sex miracula patrata. *Cæci* (inquit[e]) *vndecim illuminati sunt, claudis decem & octo gressus redditus est: Mancis vndecim, manus restituta, surdus vnus audiuit. Si plus in summa veniunt, quàm triginta sex, inde est, quòd prius personas numerauerim, modò signa. Nam erga puellam vnam multa sunt facta, quæ cæca, clauda vtroque pede, & muta erat, & alteram manum aridam habens.* Hæc vna die, nam alias prorsus præterit. Est tamen pro miraculo habendum, quod sancto Viro prædicante, natali lingua, Gallicana nimirum, cuius Theutonici omnino essent expertes, populum nihilominus audientem, sed non intelligentem, vsque ad lachrymas prouocaret ad compunctionem: quod à Cæsario subæquali auctore notatum lego. *Tempore* (ait[f]) *Conradi Imperatoris, cùm Sanctus Bernardus in Alemania, lingua Gallica prædicaret, ita populum accendit, vt vberrimè fleret; & cùm tunc eius verba non intelligeret, postea cùm interpres peritissimus Sancti sermonem exponeret, populus non est motus.* Subdit Cæsarius ignito zelo Sancti id attribuendum, à quo cuncta arderent, & incenderent etiam non intellecta, quæ dicebantur. Cæsario consonat Gaufridus Claræuallis, dum ita ait[g]. *Germanicis etiam populis loquens, miro audiebatur affectu, & ex sermone eius, quem intelligere, vtpotè alterius linguæ, homines non valebant, magis quàm expertissimi cuiuslibet post eum loquentis interpretis intellecta loqutione, ædificari illorum deuotio videbatur, & verborum eius magis sentire virtutem; cuius rei nota, tunsio pectorum erat, & effusio lachrimarum.*

e *De miraculis S. Bernardi, c. 5.*

f *Homil 16. de infantia Christi.*

g *lib. 3. vitæ S. Bernardi, cap. 3.*

Cæterùm illud etiam memoria dignum; tantum fuisse concursum populorum, vt sancto viro 6.

quiescendum à miraculis, ne ab ingruentibus turbis opprimeretur, omnium, qui aderant, prouidentia consuluerit. Nam pergit idem auctor ita scribere [h]. *Tertia feria ······ multa amisimus; quia tumultus intolerabilis erat, & omnino abstinere oportuit Patrem à benedictione infirmorum, & fugere; adeò se populus inuicem comprimebat. Ebreardus, ego ipse ante altare rogabam obnoxius, ne cui manus imponeret, prorsus ignorans, qua ratione posset educi.* Nec tamen ideo cessatum à miraculis, continuo velut fluxu diuinæ gratiæ, quæ nulla humana arte eludi posset.

h De miraculis S. Bernardi, c. 5.

7. Procedens inde, Constantiam tandem peruenit, & paucos dies cum Episcopo faciens, hospitij gratiam prædicatione continua, reuerentiam miraculis, deuotionem oratione compensauit. Tritemius pauca de gestis in hac vrbe. *Cùm esset* (ait [i]) *in vrbe Constantiensi, virtutum fama vndique se diffundente, misit ad eum Abbas Augiensis monasterij cæcum hominem, quem suis eleemosynis sustentabat; & confestim videntem illum recepit. In eadem Diœcesi, cæcam natam illuminauit, surdum quoque, & mutum à natiuitate, auditu, & loquela restitutis, sanauit.* Plura Philippus, illustrioráque, quamuis per turbas vndique irruentes à viro Dei auulsus, nullibi dicat pauciora se vidisse, quàm in hac vrbe; adeóque se de nulla pauciora scribere. *Nulla*, (ait [k]) *sic ignorauimus, sicut ea, quæ Constantiæ facta sunt; quia nemo nostrum se turbis admiscere (aut audebat, aut poterat) & nos hîc nihil, nisi quod vidimus, loqui proposuimus.* Hactenus ille.

i in Chronico Hirsangiensi, ann. 1148.

k vbi suprà, cap. 1.

8. Sed nos priùs, quàm à Constantia discedamus, conuersionem Henrici cognomento Contracti; eo quòd corpore contractus haberetur, viri in sæculo potentis, diuitiísque, & liberè viuentis pro more hominum; sed post modum sanctam vitam agentis in Claraualle, quam per multos annos propagauit; obitérque miraculum illustre à sancto Patre factum, quod Cæsarius [l] narrat proferamus. *Cùm Sanctus Bernardus prædicaret crucem in Diœcesi Constantiensi, contigit eumdem Henricum interesse sermoni; qui cùm esset homo diues, & potens, multa habens castra, & cum diuitiis infinita crimina, sermone viri Dei compunctus, ait ad ipsum: Domine si me non terreret, illa consuetudo, quam intellexi esse in Ordine vestro, scilicet quod venientes ad vos indifferenter ad diuersas emittitis regiones, ego me vobis redderem in continenti. Cui vir sanctus respondit, Ego sub conditione te non recipiam; sed hoc tibi promitto, quod si in Claraualle monachus fueris, ibi morieris. Audito hoc verbo, mox se reddidit, factúsque est interpres Abbatis, eo quòd in vtraque lingua, Gallicana videlicet, & Theutonica, multum foret expeditus. Videns hoc quidam Balistarius, seruus eius, homo crudelis, telum balista imposuit, vt sanctum Abbatem feriret; statimque ab Angelo Domini percussus, retrorsum cecidit, & expirauit. De cuius tam repentina morte Henricus territus, & maximè de perditione animæ contristatus, sciens Abbatis sanctitatem, & in signis potentiam, cecidit ad pedes eius, humiliter cum multa instantia supplicans, quatenus miserum de faucibus inferi suscitando liberaret.*

l lib. 1. c. 16.

9. *Compassus vir Beatus tam vnius dolori, quàm alterius perditioni, flexis genibus Deum cum lachrimis exorauit, & mortuum celeriùs suscitauit. Qui suscitatus ad suscitantis pedes corruit, & vt se in Conuersum susciperet cum multis suspiriis petiuit: cui vir Sanctus respondit: scio quòd naturaliter proteruus sis, ac distortus, nec expedit, vt sis inter religiosos, sed volo vt crucem suscipias, mare transeas, & cum Sarracenis confligendo, citius finiaris. Et fecit sic, crucem suscepit, mare transiuit, cum inimicis crucis dimicauit, & in conflictu necatus ad Deum migrauit.* Pergit Cæsarius narrare aliud miraculum ab eodem Sancto factum, muliere paralytica reddita sanitati, petita, atque impetrata ab eo benedictione, sed vt illustriora, & maiora numquam omittimus, sic hæc communia nequaquam recensemus. Refert hæc eadem, qui cætera Philippus, nisi quòd Balistarium Conradi ducis, non Henrici Contracti fuisse ait. Sed & Germano de gestis in Germania certior fides, maximè antiquo, & qui Henricum viuentem videre potuit; sed nos iter Bernardi prosequamur.

Ex Constantia, Basilæam primùm vir sanctus, mox Argentinam ab Episcopo deductus; illam feria quinta ante Dominicam quartam Aduentus ingressus est; Argentinæ Dominicam ipsam celebrauit; vtrobique concursus populorum, vtrobique arma in inimicos crucis Christi, vtrobique miracula, quæ Dei non hominum opus contestabantur. *In ciuitate Basilaensi* (ait Tritemius [m]) *cùm sermonem haberet ad populum* (scilicet Sanctus Bernardus) *oblata est ei fœmina muta, & orante eo, loqui cœpit perfectè. Cæcum quoque ibidem illuminauit, & claudo restituit gressum.* Plura Philippus, sed ex his, quæ Argentinæ facta sunt, pauca recenset. *Vidimus* (ait [n]) *omnes puellam, quæ Dominica quarta aduentus Argentinæ in Ecclesia post Missarum celebrationem erecta est; de qua sic exultabat pater, sic populus acclamabat. Ipsa die, priusquam nauem ingrederemur, puer claudus erectus est, & coram populo liberè ambulabat, & qui aderant, vociferabantur cum gaudio, sicut omnes audistis.* Sic vir Beatus per Germaniam discurrebat euangelizans, & pertransibat benefaciens, & sanans quoscumque, qui eius virtutem experiebantur. Quæ in Paschate, Spiræ gesta sunt, sequenti capite seorsim declarabimus. Si tamen prius Alexandri Coloniensis insignem conuersionem in Basilæa impetratam à sancto Patre ex certis antiquorum scriptis elucidemus. 10.

m vbi suprà.

n vbi suprà, cap. 7.

Hunc, cùm Romam proficisceretur, Bernardo obuiam factum, superiùs vidimus, quin & videntem diuinæ virtutis opera, siue magis, expertum in seipso, quod statim dicam, tandem dedisse manus Sancti monitis, & se itineris socium adiunxisse, monachum induiturum in Claraualle: Verùm quo loco, & quo ordine hæc acciderint, aliunde nobis venit excipiendum. Et locum quidem habemus ex Godefrido Sancti Patris notario, qui virum ad Basileam conuersum tradit; quippe Sancto egrediente prædictam vrbem, meminit Alexandri, & statim subdit [o]. *Iste est Alexander, qui eisdem diebus, ad viri Dei monita, & ostensionem virtutum conuersus est.* At conuersionis ordinem, & modum, simúlque qualitatem illustris iuuenis, ex auctore Exordij magni accipiat lector. *Apud Coloniam Agrippinam* (ait [p]) *(quæ est insignis Metropolis Germaniæ secundæ) fuit magister quidam Alexander nomine, Canonicus, Doctórque famosissimus in eadem vrbe. Accidit autem, vt Dei famulus B. Bernardus Clarauallensis Abbas, iubente Sancto Papa Eugenio III. Germaniam ingrederetur, Hierosolymitanum iter Conrado Imperatori, & populo terræ illius prædicaturus.* Hæc de Alexandro. 11.

o lib. 4. c. 5.

p lib. 1. c. 19.

Sed de ordine conuersionis eius, interuenientibus 12.

tibus miraculo explorato, atque ipso euentu comprobata reuelatione, paulò inferiùs. *Supra memoratus vir nobilis Alexander, qui eo tempore iuuenis,& secularis scientia typo turgens, diuitiarum quoque, & transitorij honoris infulis adornatus, nihil minus, quàm conuersionem cogitabat. Sed Deus, qui comprehendit sapientes in astutia sua, mirabili hoc ordine sicut sequentia declarabunt, adimpleuit. Cùm enim beltissimus Pater Bernardus ipsum de conuersione monuisset, ille seculari scientia, & opulentia tumens respondit: Se ad præsens nihil minus cogitare, vel velle quàm habitum sumere monachalem. Eadem igitur nocte, cum membra sopori dedisset, apparuit ei in visione idem homo Dei erigens eum de grabato, in quo grauiter languens iacere videbatur, ac restituens sanitati. Deinde tulit habitum suum, quo erat ipse indutus, & ex eo contexit Alexandrum. Qui cùm eundem habitum semel, & secundò reiectum ab humeris indignanti animo repulisset, tertia tandem vice collo eius iniectum, & corpori valenter astrictum, compulsus est retinere. Deinde Pater Sanctus baculum, quem in manu tenebat, ipsius manui tradens, futuræ Prælationis gratiam denotauit, & ita abire præcepit. Euigilans autem Alexander nihil adhuc pro huiusmodi reuelatione mollescere poterat, sed in eadem animi duritia persistebat. Eodem verò die cùm ipse Beatissimus Abbas ad mensam recumberet, oblatus est ei piscis, qui Perca nominatur, vt eo se reficeret. Quo viso, vir Dei, erectis in cælum oculis, super eundem piscem diutiùs orauit; & benedicens illum præfato Alexandro pro pitantia transmisit. Non tam cupiens corpus eius, quod periturum, & mortale est, pisce illo cibare; quàm animam, quæ immortalis est, & in perpetuum victura, sua oratione conuertere. Quem dum ille gustare inciperet, ad primum illico morsum meruit in semetipso fœliciter experiri, quanta virtutis esset oratio famuli Dei. Nam repentè mutatus in virum alterum compunctus est valde, & cœpit super eundem piscem lachrimas fundere. Mirabatur verò seipsum, nesciens, quid haberet, vel cur fleret, tandem recordatus visionis, quam nocte præterita viderat, intellexit à Domino gratuita eius miseratione se esse præuentum. Vnde superna vocationi ex intimo corde gratias agens, beato Dei famulo continuò se reddidit.* Hactenus de Alexandri conuersione, quem Bernardus parentem, magistrúmque vniuerso Cistercio præparabat; sed ille nobis sæpiùs repetendus. Nunc gesta Spiræ à Bernardo prosequamur.

---

1. Bernardus Spiræ natale Christi celebrat, 2. vbi publicè primùm, mox priuatim, 3. sed adhuc renitentem Conradum verbo aggreditur. 4. Concursus populi, 5. Conradi reuerentia, 6. & Sanctus Pater Virginem salutans, cunctis audientibus ab ea resalutatus. 7. Vtriusque verba. 8. Et quid de lacte Virginis. 9. Deuotio populi, 10. & secunda, 11. ac tertia feria miracula; 12. Sed nihilominus multa esse præterita.

CAPVT X.

1. NIHIL MINVS cogitabat Conradus, quàm crucem sumere, & deserto imperio occidentali ad remotas Orientis plagas arma conuertere. Maximè cùm Germania flagraret bellis ciuilibus, quibusdam Principum diuisis inter se, & nisi eius præsentia continerentur, forsisitan ab Imperio diuidendis. Indixerat tamen generalem Curiam Spiræ, cui Bernardus adesset, in die natalis Christi congregandam. Igitur pergunt vlteriùs acta Sancti [a]. *Tertia feria Vigilia fuit Dominica Natiuitatis, & nos venimus Spiram. Ibi eum diem festum celebrauit Rex Conradus, ibi coronatus est, ibi adfuit Episcoporum, Principúmque conuentus. Illuc Sanctus aduenit inter Principes quosdam pacem cupiens reformare, quorum inimicitiis exercitus Christi detinebatur.* Venerat, inquam, reformare pacem inter Principes; sed multò magis ad bellum omnes armare; ipsum etiam Conradum, quantumuis renitentem, vt iam dicemus.

a De miraculis S. Bern. cap. 7.

2. Celebratis mysteriis Natalis Domini, & peracta Conradi coronatione; secunda die Sanctus sermonem coram ipso habuit. *Publicè iam secundò Regem, sicut priùs, peregrinationis admonens ex nomine.* Verùm cùm ne hoc quidem profecisset. *Die tertia* (subdit [b]) *cum B. Ioannis festiuitas ageretur, secretò aggressus eum solita mansuetudine, suggerens prouidendum omnino, ne sic præteriret eum pœnitentia leuis, breuis, honorabilis, salutaris; quam ad saluandos peccatores diuina pietas excogitauerat. A quo hoc tandem responsum obtinuit, quod deliberaret secum, & consuleret suos, sequenti die de hoc responsurus.*

b Ibid.

3. Tum verò Sanctus de hominibus desperans, & in solo Deo ponens omnem spem suam, ad potentiora arma conuersus est, quibus certius res tanta peragerentur. Sed quæ illa fuerint, & qualiter vibrata; ex eodem, qui vidit, auctore, præstat referre. *Exinde* (ait [c]) *intra Missarum solemnia Beati Patris animum cœpit Spiritus stimulare diuinus, vt præter morem, nullo rogante, diceret, non oportere sine sermone præterire diem. Quid multa? loquutus est, & in fine sermonis Regem, non vt Regem, sed vt hominem, tota libertate conuenit. Proponebat enim futurum iudicium, hominem ante tribunal Christi adstantem; imperantem Christum, & dicentem; O homo, quid debui tibi facere, & non feci? ex hoc autem numerans Regni culmen, diuitias, consilia, virilem animum, & corporis robur: His, & huiusmodi verbis commouit hominem, vt in medio sermone, non sine lachrymis exclamaret; agnosco prorsus diuina munera gratiæ, nec deinceps, ipso præstante, ingratus inueniar: paratus sum seruire ei, quando quidem ex parte eius moneor. Dixit, & ecce populus rapiens verbum de ore loquentis, exclamat in laudem Dei, & resonabat terra in voces eorum: continuò signatus est Rex, & vexillum ab altari per manum Patris nostri, quod ipse in exercitu Domini manu propria deportaret accepit. Signatus cum eo, nepos eius Dux Fredericus iunior: signati illi Principes, quorum non est numerus. Ipsa autem die iuxta capellam, vbi Sanctus Pater Missam celebrauit, puer claudus, me præsente gressum recepit.* Hic fructus prædicationis illius subitæ;

c vbi suprà.

Hic zeli,& fidei Bernardi exitus fuit. Cæterum pacis etiam reformatæ inter Germaniæ Principes meminit Otho Frisingensis,dum ita ait [d]. *Repentè tunc totus ferè occidens siluit ; vt non solùm bella mouere (scilicet inter se) sed, & arma quempiam publicè portare , nefas haberetur.*

d in Friderico,lib.1.c.4.

4. *Sequenti die , Sabbatho nimirum,quo festum Sanctorum Innocentium celebrabatur* (pergit idem , qui suprà,auctor [e] scribere.) *Exeunti de hospitio Patri Sancto occurrebam adducens mecum militem , qui signari volebat ; & ecce in media turba puerum cæcum intuens : quid vult , inquit , puer iste ? Cuius verba cùm minùs intellexissem,quod Romana lingua loqueretur : adduc,inquit,puerum ad me ; factum est , vt imperauit, & confestim signatus puer visum recepit. Ego ipse in multis probaui,quod clarè videret...... Post Missa celebrationem in capellam, quæ dormitorio Canonicorum adiacet , inductus vir Dei virum signauit vno cæcum oculo , & visum statim recepit, cuius & cæcitas prima , & illuminatio secunda , diligentissimè probata est.Sic & surdum,dum ab Ecclesia rediret , impresso crucis signaculo fecit audire, immittens digitos in aures eius , & hoc vidimus, & probauimus.* Hæc in die Sanctorum Innocentium.

e Ibidem.

5. *Sequenti*, pergit,*conuentus factus est , vbi manifestè Spiritus ...... adfuit : neque hoc cuiquam dubitare licebat. Conuocauit enim Rex omnes Principes,& milites , qui signati erant ; simúlque,residentibus vniuersis, exhortatus est eos Pater Sanctus, non humanis sermonibus,sed diuinis.Vbi verò egressi fuimus , & Rex ipse cum Principibus Sanctum Domini deducebat, ne comprimerent eum turba, puer claudus oblatus est ei coram Rege ; at ille signo crucis edito puerum erigit , & iubet coram omnibus ambulare. Quanta lætitia , quanta exultatione puer deductus sit,quis loquatur ? Conuersus autem Pater Sanctus ad Regem,propter vos,inquit, factum est hoc , vt noueritis,quia Deus verè vobiscum est , & ei acceptum est quod cœpistis.* Hactenus ille : Verùm quod ait,Conradum,dum exirent,deduxisse Bernardum, nè ab irruente turba comprimeretur , clariùs adhuc expressit Antoninus,atque vtrique sublimius, & gloriosius. *Apud vrbem,enim,Spirensium* [f] (ait) *tantus erat concursus* (ad Bernardum) *vt Conradus Rex Imperator deposita Clamyde , eum in proprias vlnas suscipiens de Basilica asportarit.* Sic Antoninus [g].

f Part.2. tit. 17.c.1.§ 6.

g Volum.2. generatione 39.

6. Ioannes Nauclerus vlteriùs etiam addit ; hoc ipso die iconem Mariæ Virginis, ter à Beato Bernardo salutatam, semel resalutasse,cunctis audientibus , *Concordant autem* [h] , ait , (scilicet antiqui omnes scriptores) *quòd Bernardus Spiram venerit, vbi tunc erat tantus populi concursus ad eum venerandum,vt Imperator , nè populus eum conculcaret, manibus suis illum exportare,sit dignatus.*Et statim *extant circuli in pauimento Ecclesiæ maioris tres, vbi prostratus in terram vir Dei,ter fertur salutasse Virginem Mariam, ad quem eadem , Salue , inquit, Bernarde.* Hactenus ille. Circulis verba ea sculpta sunt,quæ à fidelibus solent decantari, sub Antiphonæ finem , quam à principio appellamus *Salue Regina.* Hanc autem desinenrem in illis verbis , *& Iesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende.* Bernardus Pater recitasse fidenter fertur ; & recitatæ, trinam illam inuocationem addidisse fidentiùs ad quam imago Virginis commota , atque acceptans obsequium, audita est simili modo Sanctum resalutasse ; *Salue Bernarde* ; Ex tunc Ecclesia tres illas voces addidit Antiphonæ prædictæ prorsus mellitas , & tradidit recitandas cunctis fidelibus ; queis nomen Virginis dulciùs inuocarent, fortiùs allicerent , & velut reconuenirent ex attributis.

h lib.4.vita S.c.4.

Non desunt tamen , qui integram Antiphonam Bernardo Patri tribuant , perpendántque , ex quatuor,quas vulgò vocamus orationes, addiscendis fidelibus : duas priores contineri in Euangelio Christi , alteram Archangeli Gabrielis prolatam ore ; Tertiam Apostolorum Symbolum esse: adeóque omnes , à Deo fuisse dictatas. Vnicam tantùm humani esse iudicij , quam à Bernardo Ecclesia mutuauerit, ac proximus post Scripturas sacras habendus sit, cuius Ecclesia vtatur inuentis sacris. Certè seu solus integram compegerit , seu partem addiderit, nullus alius Ecclesiæ Doctor est, quem Ecclesia proponat discendum cunctis. Nam Hermanus Contractus Benedictinus , qui Antiphonæ illius auctor dicitur , multis ignotus ; & aliis inter pios, at non inter Ecclesiæ Patres commemoratur. 7.

Non desunt item auctores , iíque graues , quibus placeat Virgineum illum fauorem haud satis vnquam ab vllo prædicatum , quamuis ab omnibus semper prædicetur, de Bernardo irrorato Mariæ lacte , fore ad hoc idem tempus referendum. Quod à Guillelmo Esimgremio [i] primum traditum : à Canisio, Costeróque approbatum , noster Biuarius [k],&alij [l] confirmauere. Nobis vt fauor ipse certus sit , quem tamen,non defuere , qui [m] negauerint (leui licet , & crasso fundamento) locus, & tempus dubia adhuc existunt ; & de tempore vix aliquid scribi , de loco, si quid certi haberi potest , ad Castellionem censeo referendum; sed de his, aliísque non dissimilibus agendū latiùs sub viri Dei obitum, in quem locum consultò reseruamus. Sic & de eodem rursus resultato à Beata Virgine in celebri Monasterio Affligiensi , anno sequenti,quò euenit,dicemus. 8.

i in Chron. Spirensi

k Biuarius lib.2. Bernardi vendicati. §.10.

l Henriquez in Menologio May 13

m Ioan. Bersetius Dialogo 8.

Interim noto , quòd decurrente in virum Dei populo , vnanimiter omnes adseuerant , non ex concursu tantùm prouenisse , multitudinéque , atque auiditate videndi,quæ patrabantur, sed vt vestium ipsius fragmenta discerperent , de quibus cruces sibi coaptarent. Quandoquidem in Exordio magno lego , infinitam hominum multitudinem sacro bello accinctam Bernardi monitis *ita vt*(ait [n]) *incredibili fidei ardore succensi scissuras,& fimbrias de vestimentis famuli Dei(quæ propter hoc ipsum noua frequēter accipere cogebatur)vndiq; certatim discerperent; séque infelices arbitrarentur,quicumque de vestimentis eius cruces habere non mererentur.* Ergo quod ipse in Gallia sponte fecerat, inter Germanos , vel inuitus, pati coactus est ; sed sponte inuitus , neque obuians populorum deuotioni , per quam negotium Christi promouebatur. Nunc ad historiæ seriem , redeundum , & iterum Philippus transcribendus,cui quamuis multa, carthæ corrosione deesse constat , at nihil dubium inesse compertum est,testi oculato,& fideli, ac religioso, 9.

n lib.1.c.32

Mane (ait [o]) *secunda feria, cùm ad Ecclesiam vir Sanctus proficisceretur , multitudo languentium impediebat nos , & omnes præcedere iussimus. Nec mora claudus, quidam ante altare erectus est; verum esset signatus ignoro. Ambulantem tamen vidi , & ligni pedem in Ecclesia pendentem .... in capella Regis , ipso præsente puer claudus ex vtero gressum recepit ...... Eadem hora alij duo,claudus alter, & alter curuus, erecti , & , me præsente , ad maiorem* 10.

o De miraculis S. Bern. cap.8.

maiorem Ecclesiam ab vniuerso populo sunt deducti. Nam vociferationem, & sonantes campanas omnes audistis. Vix redieram domum, & ecce iterum clamor, iterum compulsatio. Festinaui ad Ecclesiam, & duos iterum claudos adduxerant, qui ipsa hora receperunt gressum ······· *Vespere, dum rediret Pater à curia Regis, multitudo languentium, hospitij ianuas obsidebat; quos in ordinem fecimus residere, & singulos tetigit, ac signauit. Ibi puer claudus ex vtero gressum recepit. Alter cæcus ex vno oculo illuminatus, & vir claudus ab annis decem, erectus. Hos ego vidi statim sanatos sub manu benedicentis. Vnus è fratribus nostris vnum adhuc surdum, qui auditum recepit, se vidisse testatur; & mulierem gratias referentem, quod à dolore capitis conualuisset.* Hæc de miraculis à Beato viro patratis secunda feria.

11. At quæ in vltima die anni contigerint, præsente pluribus duce quodam Græco, qui ab Emanuele Comneno Imperatore Constantinopolitano, ad Conradum legatus, vtriusque imperij negotia pertractabat, pergit scribere. *Feria tertia puer cæcus illuminatus est, quem ego vidi. Philippus. Item vir quidam in præsentia Regis, & Principum vnius oculi visum recepit. In ipso loco factum est, vnde plurimum congratulamur, eo quòd præsens esset Dux quidam Græcus, missus à Rege Constantinopolitano. Hic in capella Regis loquebatur Patri nostro, cùm mulier cæca oblata est: vbi verò signata est, coram statim illuminata est: & homo ille compunctus est, plurimùm in hoc verbo. Sic & circa vesperam adstante Rege, & ipso duce & Principibus multis puer claudus offerebatur. Protinus autem fiducialiter loquens vir fidelis, audientibus omnibus, ait, in nomine Iesu Christi tibi præcipio, surge, & ambula. Sonuit vox virtutis, & sequuta est virtus. Surgénsque puer liberè ambulabat. Et prius quidem trementibus membris,* ······· *ibat; sed paulatim sub oculis omnium roboratur.* Pergit de Anselmo Episcopo sanato, déque aliis pluribus, quæ in præsenti non vacat recensere.

Sed nihilominus dolet de duobus, quæ non licet silentio præterire. Alterum victam suam curiositatem miraculorum frequentia; vnde, & ab eis notandis destitisset; alterum ex eis etiam, quæ notauit multa periisse, amissâ schedulâ cui cuncta commendabat. Sic enim ait, *Nostra quidem schedula, vbi hæc adnotaueramus, negligētia cuiusdā fratris amissa est; Parcat ei Deus.* Ita Philippus, cùm mille ter prodigia recensuit, quæ vir Dei intra mensem perpetrasset. Verùm nos eum Spiræ relinquamus, vsque ad annum sequentem; Reliquos huius euentus, quantò breuiùs, sed dilucidiùs possimus, excepturi. Nunc ad Eugenium. 12.

---

1. Eugenius Papa Tibure discedit. 2. Gilberti Diaconos in ipsum deponentes ad Concilium remittit. 3. Gesta in itinere; 4. restituta Tornaco Cathedra Episcopalis, 5. creati Cardinales, 6. & Nicolaus ad conuertendam Noruegiam missus. 7. Bernardi obitus, 8. & successor præuisus ante septennium. 9. Godefridi prioris fælix mors. 10. Subrogatio Reineri, 11. & coniectatum de illius Episcopatu. 12. Demùm Henricus Episcopus Tracensis assumptus ex Morimundo.

CAPVT XI.

1. SANCTVM Pontificem vrbe Romana profugum, Narniæ primùm, mox Tiburi morantem, atque inde vtrique orbi prouidentem, Orientali, & occiduo superiùs vidimus. Verùm cùm ibi fecisset dies aliquot, tandem *variis consiliis agitatus* (ait Carolus [a] Sigonius) *veterum Pontificum exemplo in Franciam ire constituit; siue vt absentia desiderium sui Romanis efficeret; siue vt Ecclesiæ Gallicanæ multis hæresibus laboranti præsens consuleret.* Hæc de discessu Eugenij à Tyburtinis; ante quem an indixerit Concilium Rhemis, anno sequenti celebrandum, in dubio est; & credibile indictum contra hæreticos.

[a] De Regno Italiæ, lib. 11.

2. Pergit deinde de gestis in itinere, proprium tempus assignans rebus, & locis. *Iter terra aggressus, Senis Diaconos duos Gilberti Porretani Episcopi Pictauiensis offendit, qui Episcopum suum de fide Trinitatis malè sentientem deferebant quibus se in Francia dixit ex Concilij sententia, responsurum.* Ita Sigonius. Verùm qui fuerint Diaconi prædicti, quis Gilbertus, & quæ causa delationis, habemus ex Othone Frisingensi eius sæculi auctore, ita scribente [b]: *Fuit in diebus illis in Aquitania Gallia ciuitate Pictauis, Episcopus Gilbertus nomine, hic ex eadem ciuitate oriundus, ab adolescentia, vsque ad vltimam senectutem in diuersis Galliæ locis Philosophiæ studium colens, ve, & nomine magistri officium administrarat, nouissérque ante hos dies ad culmen Pontificale in præfata ciuitate sublimatus fuerat; consuetus ex ingenij subtilis magnitudine, ac rationum acumine, multa præter communem hominum morem dicere. Is igitur cùm quadam vice conuentum de sua Diœcesi clericorum magnum celebrans, sermoni, quem fortè gratia exhortandi habebat, quædam de fide Sanctæ Trinitatis interfereret; à duobus Archidiaconis suis Arnaldo, & Calone, tamquam contra Catholicæ normam Ecclesiæ, doctrinam instituens, ad Summi Pontificis, Romanæque Sedis examen interposita appellatione vocatur. Sic vtrique viam carpunt, Romanóque Pontifici Eugenio ab vrbe in Gallias tendenti, Senis ciuitate Tusciæ occurrunt.* Sic Otho.

[b] in Friderico, lib. 1. c. 46.

Sed de reliquo itinere, atque gestis in ipso per Eugenium, pergit Sigonius [c] scribere in hunc modum. *Pisas inde ac traiecto Apennino, per mensem Augustum, Brixiam venit. Vnde decimo Kalendas Decembris, litteras ad Gerardum Episcopum Bononiæ, dedit, quibus eum docuit, se Regiensibus, & Parmensibus præcepisse, ne Mutinensibus aduersùs Abbatem Nonantulanum adessent; eósque, quia mandata sua neglexissent, ex consensu Cardinalium, & Patriarchæ Aquileiensis, & plurimorum, qui conuenissent Episcoporum, Episcopi dignitate priuasse. Quamobrem omni studio niteretur, vt Nonantulanos contra Mutinenses, quacumque posset, ope, defenderet. Inde in Franciam progressus, à Ludouico, atque ab omnibus ingenti honore exceptus est, valuítque plurimùm aduentus eius ad profectionis Syriacæ studium inflammandum.* Hactenus 3.

[c] vbi suprà.

Hactenus Carolus Sigonius de gestis per Eugenium in hoc itinere.

4. Cæterùm idem concernere videntur Cardinalium creatio, ex ipsis quos creauit, satis illustris; Noruergiorum conuersio;& restitutio Sedis Tornacensis cùm antea per sexcentos fermè annos sub Nouiomensi posita, proprij Pastoris caruisset consolatione. Hanc ad instantiam Bernardi Patris factam, per litteras haud dubiè solicitati solicitantísque, authores conueniunt [d]. Facili Eugenio ad eius petitiones; sed in hanc etiam prono, quam cedere in obsequium maius Christi, atque ouium sibi ab ipso commissarum spiritualem profectum non dubitaret. Primus Episcopus Anselmus, vir religiosus, ex Abbate Sancti Vincentij Laudunensis, ab Eugenio initiatus, teste Roberto Montis [e], ex quo cæteri alij desumpserunt. At quam paternam pro eo solicitudinem idem Eugenius Pontifex, rursus Anselmus pro Ecclesia sibi commissa, neuter incassùm, gesserint; grauiter ab Authore recenti scriptum, neque aliis quàm ipsius verbis, accipiat Lector [f]. *Hunc (scilicet Anselmum) Eugenius Pontifex, cum sacro liniuisset oleo, ac Episcopum consecrasset; Franciæ Regem Ludouicum per litteras monuit, ne quod eis obstaculum ad capessendam Ecclesiam poneret: aliúsque Comitem Flandriæ Theodoricum adhortatus est, vt congruo venientem honore exciperet. Inuenio, qui putet Franciæ Regem, Comitémque Flandrorum, percepta Summi Pontificis voluntate, Anselmum magna prosequutos pompa, cùm primùm is Tornacum intret. Cæterùm Anselmus, constitutis Tornaci rebus, quæ ad salutem animorum spectabant; & redonatæ Tornacensi Ecclesiæ dignitati congruebant; omnem Flandriam sibi subiectam obiuit diligenter; ibique plurimum laboris pertulit in formandis fidei rebus, virtutúmque studio accendendis indigenarum animis. Quæ res profectò plurimùm Flandris huic Ecclesiæ obnoxiis, voluptatis attulit; quibus equidem graue videbatur ab his Episcopis pendere: quos frequentius Nouiomi, vel loci genius, vel negotia Franciæ detinebant. Iam enim, longo satis animorum dispendio, didicerant, nihil vtilius accidere posse mortalibus, quàm frequenter à propriis Episcopis visitari, percolíque.* Hactenus de Ecclesiæ Tornacensis restitutione.

d Ferreolus, & alij.

e Ad hunc annum.

f Ioan. Buzelinus in Gallo-Flandria ad hunc annum.

5. Quod attinet ad nouos Cardinales, sex in Chaconio hoc anno creatos lego. *Anno*, inquit, *Domini M.C.XLVI. Pontificatus sui secundo. Eugenius III. Papa iterum creauit Cardinales, inter quos hi fuerunt.*

V. Nicolaus Brekspear Anglus ex Canonico Regulari, & Abbate Sancti Ruffi prope Valentiam, Episcopus Cardinalis Albanus.

VI. D. Bernardus Monachus Cassinas Presbyter Cardinalis tituli Sancti ·······

VII. Guido Cremensis Presbyter Cardinalis tituli Sancti Calixti.

VIII. Gaufridus Arturius Anglus ex Cambria Diaconus Cardinalis tituli Sancti ······· *vir tam carmine, quàm prosa eruditus.*

IX. Gregorius Diaconus Cardinalis Sacræ Romanæ Ecclesiæ.

X. Gerardus Diaconus Cardinalis Sacræ Romanæ Ecclesiæ. Ita Chaconius. Porro in his duo mihi notanda veniunt, in fauorem Eugenij, iudicio, non affectu vocantis ad sacram Purpuram. Alterum est, vt in prima creatione designauit Rolandum in Alexandrum tertium promouendum, ita, & in hac secunda Nicolaum, in Adrianum quartum; vt nullo tempore non alios successores Petrus habuerit; quàm ab ipso vocatos: reliquos pietate, & doctrina insignes viros, quibus, tam ipsi, quàm alij Summi Pontifices magno cum fructu Ecclesiæ, vsi leguntur. Alterum est, assumptum immediatè ex Cistercio Summum Pontificem, non vllum Cardinalium Cisterciensem creasse duplici creatione: non quia dignos ex eis non inueniret, quos ferè omnes Ecclesiæ Christiani orbis dignissimos censebant; sed vt præmia inter omnes distribueret, nec electorum merita, ex contubernio recenti suspecta redderet. Sunt qui Hugonem hoc anno creatum dicant [g]: sed non ex fide: Quippe dilatum in annum M.C.L. dum memorauerimus, confirmabimus.

g Arnold. Vbion Ferdin. Vghel. & alij.

Creatis Cardinalibus, Eugenius, cùm Noruegiæ, Sueuiæque Regiones sub idolorum seruitute cæca oppressas, & posse ad fidem conuerti cognouisset, si modò non deesset, qui prædicaret: primum tum ordine creationis à se factæ, tum vitæ meritis, Nicolaum Brexspear instituit Apostolum, qui eas prouincias Christo subiugaret. Extat conuersionis earum, per eumdem Legatum memoria celebris inter omnes authores, ex quibus Panninus pauca excerpsit [h], sed quæ nobis sufficiant pro instituto. *Nicolaus* (ait) *ab Eugenio Papa missus, vir deuotissimus erat. Eloquio facundus, morum honestate conspicuus, & vitæ sanctitate insignis: qui prædicando; gentes easdem barbaras lustralis laticis fonte lauans, ad fidem Christi traduxit. Inde Romam negocio egregiè confecto reuersus est.* Addit Chaconius [i], Paulum Cortesium referens. *Cathechismaticas leges, ab ipso latas perseuerare in eisdem prouinciis hactenus incorrupta traditione,* quod ô vtinam hodie dici posset, neque in hæreticas Nouatorum sectas, & dogmata pudenda degenerassent [k]. Hæc de gestis Eugenij circa hunc annum. 6.

h Arnold. Vbion. Ferd. Vghel.

i in Adriano IV.

k in Adriano.

Eiusdem finem, aut initium sequentis concernere videtur reuelatio de Sancti Patri Bernardi migratione, & successore, quem erat sortiturus; ante septennium, facta Monacho cuidam Sancto, eius discipulo; quam Godefridus historiæ suæ inseruit. *Erant* (inquit [l]) *duo fratres in monasterio Claræuallis, de Sacra Beati Patris vita, & felicibus eius actibus colloquentes: quorum alter ab ineunte adolescentia educatus ibidem, ad alterum ait: Nosti quot annos sit victurus hic beatissimus Pater noster? cui ille: nescio, inquit, & alter: Ego, ait, noui, eum sex, aut septem annos adhuc in carne victurum. Hoc autem vnde sciret, minimè iam scire possumus, quia nec tunc indicauit, & ante Patrem Sanctum ipse decessit. Porrò alterius, hodiéque superstitis relatione hoc verbum nobis innotuit, qui tunc magis miratus est se audisse, quando, vt ab olim audierat, ita vidit. Talis verò ille est, de cuius testimonio nec nos ambigimus, nec cuilibet alteri, qui eum nouerit, credimus dubitandum.* Hæc Godefridus de ostenso Bernardi obitu. 7.

l in vita S. Bern. lib. 5. cap. 3.

Sed de Roberto, tunc Dunensi Abbate, in Claraualle eidem successuro, pergit vlterius. *Neque id solum*, ait, *sed quod non minori dignum admiratione videtur, nomen quoque, & personam successoris ipsius indicante sibi eodem fratre, ex tunc innotuisse testatur. Manifestè enim eadem hora frater ille prædixit, quia Dominus Robertus, qui hodie Abbas est de Dunis, post hunc Beatum Patrem Abbas futurus est Claræuallis.* Hactenus ille. Atque hæc prima reuelatio fuit de morte Sancti Patris quam plures aliæ postea sunt sequutæ, quæ 8.

suis

suis locis venient referendæ. Nihil ex insperato magnum accidere diuina prouidentia orbi concessum, crescente magnitudine signorum, frequentiáque ex futurorum euentuum magnitudine. Bernardus oriens matri præostensus, iam tunc magnus: sed vergens ad occasum, etiam filiis, imò Ecclesiæ, & orbi (cunctis per visum) septennio antè rapiendus demonstratur, repetitis ostentis, vt infrà dicam. Quominus de obitu eius perturbarentur. Cæterùm quoad tempus visionis attinet, notat idem Gaufridus eodem loco, ideo sub disiunctione dictum fuisse sex, vel septem annos victurum Patrem sanctissimum, quod inuentus sit terminus ille vltra sextum annum, intra septimum tamen contineri. Quam etiam ob causam perpensum à nobis est, sub finem huius, aut sequentis anni initium rem præostensam: quippè à vigesima die mensis Augusti incipiente anno, intra quam reuelatio facta commemoratur.

9. Per idem etiam tempus, plus, minúsve, nec satis constat, præsenténe, an absente Beato Patre, Venerabilis Godefridus de Perona Claræuallis Prior, quem anno externo Nannetensem Ecclesiam respuisse commemorauimus, fœlici morte ad Superos translatus, Claræuallensibus desiderium sui reliquit. Verùm cùm aliqui de salute eius timerent, ob nimiam, vt eis videbatur, obstinationem, qua Summo Pontifici, & Bernardo Patri restiterat; respuens, in quem vocabatur, Episcopatum; cuidam eorum in magna gloria apparuit: *Et percunctanti, si aliquid timeret, aut pateretur de illa inobedientia? Non; respondit: & addidit; Quin si consensissem, & Episcopatum illum accepissem, damnatus essem.* Ita verbum abbreuiatum [m] ex M. SS. vt credendum est, antiquioribus. Et fortasse hic idem Monachus est de quo simile quid Cæsarius narrat [n]; nisi quòd tempora indicant diuersos: Quippe Godefridus sub Bernardo vixit, obiitque. At ille alius, de quo Cæsarius scribit, sequenti sæculo (scilicet ipsius Cæsarij) vixisse commemoratur. *In Claraualle* (inquit) *nostris temporibus monachus quidam in Episcopum electus*, &c.

m *cap. 17. tit. contra ambitiosos.*

n *lib. 2. c. 29.*

10. Godefridi de Perona fœlicem obitum recolit Menologium Cisterciense, ad decimam quintam diem mensis Ianuarij. Porrò ad hæc ipsa tempora expectare, duo nobis persuadent argumenta: Alterum sumptum ex eius electione, præcedenti anno facta; quam non longè post mors sequuta dicitur: Alterum ex serie Priorum Claræuallis, quippe eo mortuo, Reinerus suffectus est; cui Philippus successit, priùs quàm Bernardus ad cœlos euolaret. De successore in Catalogo Priorum, hæc pauca lego [o]. *Reinerus de Ternania, id est Morinus hic sicut duo Priores antecedentes, fuerunt de societate nouitiorum, quos adduxit Beatus Bernardus de Flandria, & de partibus illis: & de istis fuerunt Episcopus Alanus, & Dominus Robertus secundus Abbas Clarauallensis.*

o *in Cathal. Priorum Clarauallis.*

Cæterùm quod de Tornacensi Ecclesia, hoc anno restituta, superiùs diximus, cùm electioni Godefridi penè coincidat, quam præcedenti anno commemorauimus; eumdémque non ad Nannetensem Ecclesiam, sed ad Tornacensem vocatum, aliqua antiqua exemplaria præseferant; eò nos impulit, vt coniectaremur, Bernardi Patris interuentu; à Pontifice Eugenio erectam Sedem; oblatam primùm eiusdem Patris filio, imò & Vicario, nimirum Priori Cœnobij Claræuallensis; quam quia ipse accipere renuerit, subrogatus Anselmus acceptauit; non sine ingenti fructu, vt iam ostendimus. Atque hoc ideo validiùs roboratur, quod ab anno centesimo, quadragesimo vsque ad centesimum quadragesimum septimum supra millesimum, Iterio Nannetis præsidente, non ea Sedes Pastore vacua fuit. Verùm hæc coniectantes, non asserentes propinamus lectori; neque ab ipso credenda, sed si vacauerit, altiùs examinanda. 11.

Per idem tempus Henricus Morimundensis, vnus ex Frisingensis Othonis sociis, quos de sæculo traxit, cum ipso in Morimundo Monachum induit, ille nimirum, qui ante duodennium primus Villarij in Diœcesi Metensi Abbas creatus fuerat; cùm eam domum eximiè administrasset, atque in vtrisque bonis promouisset, in Episcopum Trecensem promotus est, non sine populi, & cleri acclamatione. De eo in Catalogo Trecensium Episcoporum. *Henricus Trecensis Episcopus, quinquagesimus septimus, Pontificiis insignibus cohonestatur anno. M. C. XLVI. erat consanguineus Comitis Campaniæ.* Hęc tantùm ibi de persona electi, & tempore electionis. Monachatum habemus constantem satis, ex monumentis Ecclesiæ Morimundensis, quæ Henriquez adducit in prætermissis ad opus Menologij [p], illud mirabile, quod ex tredecim, quos assumptos constat ad dignitates, solius Henrici notitia perseueret; aut saltem non alterius ad nos peruenerit. De Henrico, si quæ maior notitia subest anno. M.C.LXIX. quo constat obiisse, commemorabitur. 12.

p *Martij 11.*

---

1. Chronologia Ecclesiarum præsentis anni. 2. Hesmerith dubia, sed clarior Alderspachium, 3. & dictum de illius Ecclesia consecratione. 4 Columna Tisdaregh, & Lisa. 5. Lapis Sancti Michaëlis, Illariáque, siue Vuillers-Heimium. 6. Boxeleya, Castaneola, & de Pomuch. 7. Alba Spirensis Frinomia, Sedith, & Linda. 8. Sanavallis, siue de Fulina. 9. Tres Beatitudines, 10. omnes in Hybernia. 11. Verola in Hispania, 12. & variæ eius notitiæ.

CAPVT XII.

1. DECEM & octo Ecclesias hoc anno natas hoc ordine recenset Chronologia.

Anno M. C. XLVI. Octauo Kalendas Iunij, fundata est Abbatia de Hesmerith. aliàs de Cisiuuth.

Eodem anno Kalendis Iunij, Abbatia de Arderspach.

Eodem anno VII. Kalendas Iulij, Abbatia de Columna, aliàs de Columina.

Eodem anno III. Kalendas Iulij, Abbatia de Tisdaregh, aliàs Redaashac.

Eodem anno VII. Idus Iulij, Abbatia de Lida Noruegia.

Eodem anno VII. Kalendas Augusti, Abbatia

Sancti Iusti Compostellanensis.

Eodem anno V. Kalendas Augusti, Abbatia lapidis Sancti Michaëlis.

Eodem anno II. Kalendas Octobris, Abbatia de Illaria.

Eodem anno V. Kalendas Nouembris Abbatia de Buxseleia.

Eodem anno XIX. Kalendas Februarij, Abbatia de Castaneola.

Eodem anno, Abbatia Sanæ vallis in Venetia.

Eodem anno, Abbatia de Pomuch.

Eodem anno, Prid. Kalendas Octobris, Abbatia de Villario.

Eodem anno, Abbatia de Alba.

Eodem anno, Abbatia de Sedeth.

Eodem anno, Abbatia de Linda.

Eodem anno, Abbatia de Beatitudine in Hibernia.

Eodem anno, Abbatia de Verola in Hispania. Hactenus ibi.

2. Prima domus nobis penitùs ignota: nisi quod in Cathalogo Cœnobiorum apud Henriquez, sub diuerso adhuc nomine, inter incertæ lineæ Cœnobia connumeratur *Heris Vvith. anno M.C.XLVI. Nec dubium quin loquatur de hac ipsa, prodente anno, quod nomen non declarat. Noster Alders Pachensis Abbatia, in Patauiensi Diœcesi, quam neptem Morimundo Ebracum dedit, hoc, aut sequenti anno, vt vult Vvigulæus Hundius, qui hac de fundatione domus, & fundatoribus. Alders Pachensis Monasterij primi fundatores fuerunt Bernardus cum filiis Ruperto, & Calocho (familiam Auentinus non ponit) circa annum Domini M.L. Deinde expulsis popularibus mystis, instante Diuo Bernardo, ibidem Ordo Cisterciensis instituitur, circa annum. M.C.XLVII. Huic monasterio tradit Ludouicus Dux decimas ad castrum Fraimarin pertinentes, anno M.CC.XXIV. & Otho filius Ludouici donauit eidem Cœnobio decimas in Dethendorf, & Landace, anno M.CC.XXXI. anno M.CC.IV. Nobilis Baro Conradus ad Aist. ibidem sepultus est. Habet in clipeo lilium; de qua familia, & cuius nationis fuerint, nihil aliud reperio.* Hæc Hundius cursim de prima fundatione, & de admisso Cistercio, ac donationibus eidem Cœnobio factis.

3. *Epist. Pataniem. 4. 4.* Cæterùm de consecratione nouæ Ecclesiæ, quæ incidit post annos sexaginta, quia semel cœpimus dispersa istæc colligere, hæc ex eodem authore proferamus *consecrauit Managoldus Cœnobium Aldersbachense non procul à Vilso flumine Bauarico situm.* Sic ille, obiter manifestans Cœnobij situm. Porrò quod ad tempus consecrationis attinet, ex consecrante tantùm potest coniici, quem constat Patauiensi Ecclesiæ præfuisse, ab anno salutis. M.CC.VI. vsque ad annum M.CC.XV. vt intra hos duos terminos claudatur, quicumque annus consecrationis illius fuerit. Memoratur Aldersbachensis Abbatia in litteris Innocentij Papæ III. graui negotio commisso. *Episcopo Eistetensi, & de Aldersbach, & de Salem Abbatibus Ordinis Cisterciensis, Patauiensis, & Constantiensis Diœcesis.* Atque hinc obiter corrigendus venit error in genesi Ecclesiarum Morimumdensium, vbi Aldespachium in Salisburgensi Diœcesi ponitur, fortè ex Metropoli, aliàs in Patauiensi collocanda, in libro taxatum Cameræ non extat, sicut nec aliud Cœnobium illius Diœcesis.

4. *Columna sequitur, filia Pruliaci, quæ auxit in Diœcesi Bituricensi Cistercij lineam; taxata in libris Cameræ Apostolicæ. LXX. florenis; & memorata in litteris Honorij Papæ III. Ad Boniradij, & Columnensem Abbates Cisterciensis Ordinis, Antissiodorensis, & Bituricensis Diœcesis,* super Canonizatione Sancti Guillelmi, quas suo loco inferiùs adducemus; Quartæ domus ignorantiam facit variatio nominis, quod dum diuersè à diuersis inflecti video, confusionem adauget. Et sunt nonnullæ licèt non omnino similes, inter Ecclesias, quarum non solùm matres ignorantur sed etiam lineæ. Abbatiam de Lida seu de Lisda, Fontes ex Anglia ad Noruegiam transmisere designante Coloniam Monachorum Venerabili Richardo in Diœcesim Bergensem; ex qua, & ipsi fœcundi post annos aliquos, Tutam insulam in Sodriensi (eiusdem Noruegiæ Episcopatu procrearunt. Hæc ex tabulis Ecclesiarum Claræuallensium, quæ solæ Chronologiæ in hac parte suppetias ferunt. Quis fuerit primus Abbas huius Cœnobij, non satis constat: coniectari licet Venerabilem Geruasium, de quo plura in sequentibus, maximè cùm de purgatorio Sancti Patricij, & de Gilberto monacho, ab ipso in Hyberniam misso, sermo inciderit. Memoratur Lysa Cisterciensis Ordinis Bergensis Diœcesis in litteris Clementis Papæ IV. datis Perusij XV. Kalend. Aprilis Pontificatus ipsius anno I. quas nos fortè in sequentibus reddemus. De Sancti Iusti Hispano Monasterio seorsim dicam.

Sequitur Lapis Sancti Michaëlis, de quo apud Miræum hæc pauca lego. *Anno M.C.XLVI. Lapis Sancti Michaëlis in Saxonia, sic dictum Monasterium à Campensibus, ope Beatricis Quedelimburgensis Abbatissæ ædificatur.* Igitur Lapidem Sancti Michaëlis protulit monasterium Veteris campi adaugens Morimundi lineam illustri nepte. 5.
Diœcesim in genesibus non video. Constat tamen ex litteris Innoc. Papæ III. *Ad Abbatem Sancti Michaëlis Cisterciensis Ordinis Alberstadensis Diœcesis, præpositum, & Decanum Alberstadensem.* Et item aliis, *Abbati de Lapide Sancti Michaëlis Alberstadensis Diœcesis.* Nec dissimilibus Honorij Papæ III. *De Vval Kenrede, & de Volcolderode, & de Lapide Sancti Michaëlis Abbatibus, Moguntina, & Alberstadensis Diœcesis.* Ex quibus aliquas suis locis commemorabimus. Duplicem ergo Cistercij prolem Alberstadium suscepit, intra biennium. Alteram ex Amelonges-Borne missam, ex campo alteram; vtramque pertinentem ad Morimundum, quæ per hoc tempus eximiè dilatabatur. Nam & Illariam (Hilariam alij scribunt, siue alio nomine Vvillersheimium) Ebracum protulit (Aldersbachensis fundatione nondum exhausta) missa Colonia in Diœcesim Hildeshemensem, vt habet Genesis Ecclesiarum Morimundensium. Bruschius inter septem potentes Abbatias Ebracensi subiectas Aldersbachium, & Vvillersheimium numerat, nisi quòd inter vtramque Vvildhusam ponit, quòd vix cohæret, si vtraque hoc anno lucem vidit.

Sed nec sterilis linea Claræuallis, nec ipsa sub Bernardo parente domus, quam vel absens eximiè fœcundabat. Inde missus conuentus in Boxeleiam insignem Angliæ domum in Canturiacensi Diœcesi, de qua Nicolaus Arsfeldius hæc pauca habet, *Boxeleia titulo Sanctæ Mariæ. Fundator Guillermus de Ypris Flander, Comes Cantiæ tempore Stephani Regis, Monachi albi.* In genesi Ecclesiarum Claræuallensium suppressus annus. Sed qui; vel ex tempore antecedentium, & subsequentium haud 6.

haud dubiè colligatur, nec in illo discordet à Chronologia; sed neque Firmitas, quæ sterilior cæteris. Hactenus hoc anno. Sterilis quippe sortita neptem ex Locedio. Nam Castaneolam, siue Castelunam, vt alij malunt, in Pedemontio sitam, Locedium genuit, vt habent tabulæ Ecclesiarum Firmitatensium. Diœcesim tacent tabulæ: sed produnt litteræ Alexandri Papæ IV. datæ Lateran. Idibus Februarij Pontificatus ipsius anno III. sub tali titulo. *Odoni Abbati monasterij de Castaneola Cisterciensis Ordinis, Senogaliensis Diœcesis.* De Pomach, vel Pomuch nihil inuenio: nisi fortè eadem, de qua anno præcedenti, quod non semel contingit in Chronologia: vtinam sit, qui addat, quod nos omisimus. Villarium nobis seorsim referendum, ingens Belgij Cœnobium, & quod, cum multa de illo dixerimus, illaudatum manere necesse erit.

7. Sequitur Alba, Diœcesis Spirensis trinomia domus, nam & Herremalbensis, & Alba dominorum vocari solet; filia Noui castri, vt habent Tabulæ Ecclesiarum Morimundensium; extant litteræ fundationis huius Ecclesiæ apud Martinum Crussium [a] in his quos edidit, Annalibus suæ vicis, ex quibus Fundatores, locúsque, & filiatio atque aliæ circumstantiæ facile constant. *Nos Bertoldus Dominus de Eberstein, accedente consilio & consensu dilectæ coniugis nostræ, & voce heredum nostrorum, instinctu diuino, Deum nobis heredem facere cupientes Monasterium in Alba Cisterciensis Ordinis, Spirensis Diœcesis, in remedium animæ nostræ & animarum coniugis, & heredum prædictorum fundauimus, & dotauimus cum bonis infrà scriptis, sub eodem iure, & libertatem, secundùm quod loca sua, & Deo dicata prædicti Ordinis fundari, atque dotari consueuerunt debitè, & ex antiquo: Venerabili Domino Gunthero Episcopo, & capitulo Spirensis Ecclesiæ prabentibus super hoc Consilium, beneplacitum, & consensum. Præsente etiam tunc B. Abbate Noui Castri Cisterciensis Ordinis, Argeminensis Diœcesis, de cuius consilio, tamquàm Patris Spiritualis, dicta fundatio est inchoata; & ipsum Monasterium incorporatum Ordini memorato, & tamquam filia domui de Nouo Castro subiectum secundùm statuta Ordinis prælibati. Sunt autem bona, quæ contulimus ipsi Castro quod fundauimus,* &c. Sequitur Monasterij dotatio satis pinguis post biennium firmata, nempe anno M. C. XLVIII. & confirmata per Othonem seniorem Dominum de Eberstein, post annos fermè C. XXII. nempe salutis. M. CC. LXX. Albæ Spirensis pro tempore Abbatibus scripsere Pontifices Innocentius, Alexander, Vrbanúsque eius nominis quarti. In eadem etiam domo iacuisse lego Venerabilem Robertum ex Claræuallis Monacho in Lingonensem primum [b], mox in Leodiensem Episcopum assumptum; atque ex ea translatum ad Clarauallem. Verùm hæc, atque alia, si quæ occurrent, suis locis à nobis dicenda erunt. Cathalogum Abbatum Herrem-Albensium Crussius adducit, vbi suprà, à quo facile hauriat quicumque volet. Sedith, & Linda, ignotæ nobis domus, nisi quod altera Claræuallis lineam auget. Altera Morimundi, vtraque sine certis loco, aut matre.

a lib. 10. parte 2.

b Meg. Chronic. Belgica.

vbi suprà.

8. Sanam Vallem præterij, sed immeritò; quippè cuius non leuis notitia subest. Hæc alio nomine Fulina nuncupata in Cenetensi Diœcesi, sub Abbate Sancti Firmini Veronensis, & nigra cuculla, Sanctam regulam seruabat a longo tempore. Verùm cùm vitæ arctioris desiderio sitiret Cistercium, habitum simul, subiectionémque executa viriliter Claræualli se dedit gubernandam: non tamen Claræualli Burgundiæ, sed Lombardiæ. Extat post annos septuaginta, incepta longa, & prolixa lis ab Abbate, & conuentu Sancti Firmini cum Monachis Fulinæ. *Quod cùm Monasterium Sanctæ Mariæ de Fulina, aliàs de Sanaualle, ad præfatos Abbatem, & conuentum Sancti Firmini pertineat pleno iure; ac Abbatem, & fratres ibidem instituerint ab antiquo, sicut per instrumenta publica, & depositiones testium super hoc productorum, euidenter apparere, dicebant; prædictus Abbas, & conuentus de Fulina se fore Cisterciensis Ordinis mentientes, ab ipsorum iurisdictione nituntur subtrahere colla sua.* Hæc actio Abbatis, & Conuentus Sancti Firmini post septuaginta annos. Verùm repulsam passi, & Sanauallis Cisterciensis à tanto tempore, declarata indemnis, exemptaque ab eorum iurisdictione, promulgante Episcopo Paduano iudice delegato; confirmata illius declaratio ab Honorio Pontifice, litteris datis apud Ferentinum XX. Kalend. Augusti, Pontificatus ipsius anno II. qua incidit in annum Christi Domini. M. CC. XXVII. Hæc adoptati Monasterij Historia, quam nec libuit, nec licuit pertransire. Memoratur Sanauallis, siue de Fulina, atque vtroque nomine gaudet, in libris Cameræ, vbi centum florenorum taxam adimplet.

Beatitudines in Hibernia tres reperio; faustum nomen, & omen: alteram Claræuallis filiam, quæ & Nolide. Turnesij alteram, quæ & Lielrede: & tertiam tandem filiam Mellifontis in Diœcesi Midensi, quæ & Bertif, quam hoc anno fundatam, inde coniector: Quod primam tempore longè posteriorem ex ordine filiarum Claræuallis licet colligere; secunda admittens Cistercium cum Sabigniaco, aut non hoc anno cœpit, aut saltem non est nobis hoc anno commemoranda. De Bertif, quandocumque nata fuerit, hæc à Iacobo Vvaræo scripta inuenio. *Monasterium de Bertif, aliàs de Beatitudine, quod ad Boinum sedet in comitatu Midia fundasse, & dotasse perhibentur Melachlini Reges. Hic aliquando sepultum fuit corpus Hugonis de Lacy, Midiæ expugnatoris; ossa postea anno M. CC. V. Dublinium translata, in Cœnobio ibidem, quod Thomas Court vulgo appellatur, in nouo tumulū sunt illata.* Hæc ibi, quamuis annum fundationis plus nimium differat. Postmodum verò in Monasterio Geripontis Bertif, memoratur inter Abbatias, quæ ante suppressionem, locum, suffragiúmque habebant in comitiis parlamentariis totius Regni; inter quas primum locum Mellifons tenet; inde Sancta Maria de Dublim, cum aliis ex Cistercio, de quibus infrà. 9.

in Cath. Monast. Hib. fol. mihi 66.

fol. mihi 71.

Verolam in Hispania Tarraconensi, secundo ab vrbe Turiasone lapide non procul à Moncario, illustris (supra Principes alios illius æui) Petrus dictus de Atares Ramiri primi Regis Aragonum abnepos, secundi consobrinus, ædificauit. Monachis ex scala Dei vocatis, cuius Abbati & conuentui locum dedit. Extat, & legitur instrumentum donationis, quod non immeritò hîc duxi subiiciendum. 10.

In Dei nomine Amen: Ego Dom. Petrus de Atares vna cum matre mea facio hanc cartam donationis, & confirmationis vobis Abbati Scalæ Dei, & Monachis eius secundùm ordinem Sancti Benedicti viuentibus. Placuit mihi libenti animo, & spontanea voluntate, pro amore Dei, & parentum meorum dare

dare vobis Verolam totam, & integram, cultam, & incultam, cum aquis,& pascuis, cum introitibus, & exitibus,vt habeatis illam liberam, & ingenuam, tam vos, quàm successores vestri per infinita seculorum secula amen. Et Maderolam similiter cum introitibus, & exitibus,& cum omni iure. Siquis autem huic donationi meæ contrarius, Christianus, siue Paganus extiterit, pectet mihi mille solidos. Facta Carta in Borgonia sexto Idus Februarij, Era. M. C. LXXXIV. Hoc signum † fecit Dom. Petrus de Atares. Hactenus carta donationis facta Abbati, & Conuentui Scalæ Dei, quæ domus in Hispania, si qua alia, maximè sub Abbate Bertrando, fœcunda fuit.

II. Primum noui Cœnobij Archimandritam, Bernardum alij,Raimundum alij appellant. Certè prima, quæ hodie perseuerant, ædificia mediocria sub Raimundo constructa memoriæ produnt. Quin extant non exiguæ donationes Cœnobio factæ sub eodem Abbate, præcipuè à Comite Raimundo Berengario Berchinonensi circa annum Christi. M. C. LIV. vt non immeritò liceat coniectari, si Bernardus præcessit, saltem non diu tenuisse Verolæ clauum. Censetur domus Regia duplici titulo; ex Fundatore nimirum, & datoribus; illo, abnepote Regum, & qui deficiente Regni successore (Monachatu Rainiri secundi) penè Rex acclamatus, antequam ille Pontificis permissu, à conuentu ad Regnum, à cuculla ad Purpuram, ab obedientia ad Coronam extraheretur. His ferè cunctis Aragonum Regibus, qui domum velut propriam, hæreditariámque, continua largitate locupletarunt. Vnde & illustris Aragonum Princeps Alfonsus, Magni Iacobi expugnatoris dictus (nisi immatura morte sublatus esset, gloriæ simul, & Regni futurus hæres) in eo sibi sepulturam elegit, vt suo loco dicemus. Floruit Verola,(*Veruela* Hispani dicimus) multis viris illustribus, nec paucis, aut exiguis priuilegiis, quibus Abbas illius iure perpetuo Aragonum Reginæ capella præest, in Comitiis generalibus Regni suffragium habet; multísque aliis gaudet, quæ infra à nobis commodiùs reddenda erunt. Taxatur quadringentis florenis in libris Cameræ; & memoratur in litteris Honorij Papæ III. *Ad Archiepiscopum Tarraconensem, & Abbatem de Verola Cisterciensis Ordinis Tirasonensis Diœcesis, Pontificatus ipsius anno secundo.* Itémque in aliis Gregorij Papæ IX. *Calciatensi Episcopo, & dilectis filiis Abbatibus de Verola,& de Oliua Cisterciensis Ordinis Tirasonensis,seu Turiasonensis,& Pampilonensis Diœcesis Pontificatus ipsius anno octauo.* Genuit Verola breui duas filias,Sayam in Gasconia,& Diœcesi Burdegalensi,& in Hispania Calagurritana, Ferrariam, de quibus infrà. Habet etiam & tria Monasteria Sanctimonialium, de Tulebras, de Trasouares, & de Camberone, hodie Sancta Lucia ad Cæsaraugustam, quæ subsunt Abbatis illius Visitationi. Hæc pro nunc satis. Reliqua prosequemur cùm tempus venerit. Sed iam insignem olim Abbatiam, nunc Prioratum tantùm Sanctorum Martyrum Iusti Pastorisque, quin, & Villarium illustrem Belgij domum, quas seorsim promisimus tractandas, sequentibus capitibus tradamus.

---

1. Villariensis Monasterij encomia, 2. & prima fundatio 3. per Monachos transmissos ex Claraualle. 4. Situs prioris loci, & incommoditas. 5. Primi Abbatis, Laurentij laudes. 6. Cessio; subrogatio Gerardi, 7. per quem Bernardi auspiciis, translata domus, 8, per plures annos sub temporalium inopia perseuerauit. 9. Descriptio loci, & summatim de Sanctis Villariensibus.

CAPVT XIII.

I. VILLARIVM huius anni fundatio est, quod series ipsa historiæ, tum, & ipsius domus instrumenta satis ostendunt. Eius prolixam sanè descriptionem, sed accuratam, sed vetam, sed elegantem. Ioannes Grammaius texens hinc exorditur [a] *Villare est Brabantiæ nostræ decus, religionis officina integritatis seminarium,Clarauallis in Belgio primogenita, Cisterciensis instituti his locis parens, Benedicti Ordinis felix columna de qua verius, quod non nemo de Carthagine scriptum reliquit, tacere satius foret, quàm loqui.* Hæc ille longæ præmisit narrationi, ex qua nos aliqua; plura ex antiquis selecta concinnabimus. Certè quod primogenitam Claræuallis in Belgio Villarium vocat suspectum est, cùm præcesserint Dunæ in Flandria, atque item in Artesia Clarus Mariscus; nec dubiis laudibus, nedum falsis eget, quam tot, ac tanta encomia certa exornant: vt ex hac die, & deinceps per multos annos, vix vnum aliquem liceat prætermittere sine Villario,quod ipsi annales prodent, eo illustrius, quo longius progredientur.

a in Gallo-Brabantia ad limitem Hannonium.

2. Primos patres Villarij Fundatores Bernardus destinauit, ex Claraualle;petrecturos Brabantiam, atque ibidem Cœnobium constructuros,haud certis sedibus, sed quibusuis, dum aliquibus. Non aliter ipse Sanctus quondam ab Stephano, ex Cistercio transmissus, Claramuallem (cœlestem, vt ipse ait, Hierosolymam in terris) ædificauerat. Sed in Brabantia desideratos ante Monachos, petitósque, probabiliora subsidia præstolabantur. Rei totius processum, progressúmque reddemus. Ex Chronico eiusdem Cœnobij quod ita habet. *Cùm aliquando Beatus Bernardus pertransiret oras conuentus Fusniacensis, exoratus à quibusdam personis, rogabant eum vt ad partes Brabantiæ conuentum vnum transmitteret: quod se facturum repromisit. Et cùm Claramuallem ingressus esset, sponsionis suæ memor Monachos duodecim cum Abbate tertio decimo, & quinque Conuersis, data eis benedictione huc transmisit. Et post octauas Paschæ à Claraualle exeuntes, & per filias Clarauallis descendentes, à confratribus suis, prospera eis tunc deprecantibus suscepti sunt: & acceptis vitæ, & viæ necessariis, post dulcia vitæ colloquia abeuntes Brabantiam attigerunt. Prima nocte hospitati sunt à viro honesto, cui non erat hæres, sed vxor valde honesta. Cœna autem facta ibidem, & completorio decantato,*

decantato, summo cum silentio Abbas, & fratres sui sopori se dederunt, & cùm modicè pausassent, surgentes vigilias regulariter, & morosè valde cecinerunt.

3. *Quod audientes homines illi, apud quos hospitati sunt, compuncti, se, & sua in manibus eorum dederunt, & appellatur locus ille Gemyontrahü, vsque in hodiernam diem, adiacens noua curia. Et inde procedentes consederunt, iuxta fontem Godiarch, acquirentes ibidem octo bonnaria terra arabilis, & quadam alia loca indirecta, & inculta modicè valentia. Erâtque tunc quasi tota terra circumiacens ferè vsque ad Niuellam, inuia, siluestris, & nemorosa: ibique constructo managio, ac oratorio quieuerũt, Abbatizante in eo loco viro feruente, ac bene disciplinato D. Laurentio anno Domini. M. C. XLVI. Secundo anno Eugenij Papa III. Secundo anno Henrici II. Leodiensis Episcopi, quarto verò anno Godefridi Ducis Brabantia.* Hactenus sumptum ex Villariensi Chronico, notantte annum; quem series narrationis manifestè conuincit, nec antepo ni potuisse, nec differri. Quippè Bernardus è Gallia discessurus, Monachos misit: mox ex Germania redux sequenti anno, quos hoc ipso misisset, inuisit filios, & consolatus est: nec non eisdem mutandarum sedium author extitit, vt statim narrabo, quamuis anticipem.

4. Erat hic locus in Leodiensi Diœcesi: nunc intra Namurcensem continetur, vt Robertus notauit in sua Gallia, inter Niuellam, & Gemblacum situs, non longè distans ab eo, in quo nunc sedet, ad Diriæ (vbi suprà [b]) fluuij scaturiginem. Fons ipso in monte ebulliens, quem sacrum vocitauit Ioannes Grammaius; siue crediderit à puritate incolarum (quantumuis breuis temporis) sanctificatum; siue à Bernardi non multò post indulta benedictione. *In Boueria* (inquit) *locum vidi (& antiquitatem, & sanctitatem exosculatus in eo) ad aqua sacra caput, & suis, & diuinis vsibus domum rudi opere struxerunt.* Sed nihilominus exiguo semper profluuio, & sæpè sub æstiuo tempore, nullo, aridam terram oleribus alendis, sitientésque officinas in vsus fratrum, suo gurgite nequaquam satiabat. Hinc penuria alimenti communioris: & deficiente aqua, cuncta deficere, turbari ministeria, at officinæ omnes velut inanimes, Monachos ipsos arcere videbantur; maxime sub initiis nouæ domus; cùm terra nondum semina suscipere, nedum susceptis adhuc fœcundari in fruges potuisset, ipsi vtrisque indigerent, alimentis nimirum, atque seminibus. In quo ad eum statum res peruenit, vt intra paucos menses, de reditu ad Claramuallem deliberarent. Habemus id ex eodem ipso Chronico, in hæc verba scribente paulò inferius. *Cum autem in loco illo per aliquod tempus stetissent, tantam ibidem penuriam pertulerunt, quòd domum Claraualla repetere deliberarent.* Haud aliter Claræuallis illustris filia Claramuallem per omnia in Belgio redderet. Eamdem quippè consultationem in Clarauallе circa eius initia, vt ad Cistercium redirent, superiùs vidimus: & rediissent fortasse, nisi in ipso consultationis ardore oraculo diuino compescerentur. Sic, quæ Sanctorum ingenti multitudine, magnitudinéque in æmulam Claræuallis educabatur; natiuitatem velut sine patre (sine fundatore) infantiam penè sub desperatione temporalium imitata est: ex ea summa pauperie, & abiectione ad culmina bonorum peruentura.

5. De Laurentio primo Abbate Villariensi hæc à Philippo Seguino scripta lego [c]. *Laurentius à primana ætate Monachus Claraualli factus fuit vir rara sanctitatis, ita vt cùm esset fide firmus, spe robustus, charitate plenus, & obedientia vetustus, & beatissimi Patris Bernardi Discipulus; eo authore curam, & administrationem gessit Monasterij Villariensis, quod Brabantia condiderat anno. M. C. XLVI. Hi autem perspecta Laurentij singulari innocentia, morum probitate, & benedicendi subtilitate, omni eum officio, & honore colendum duxerunt. Sed vir beatus vita solitaria percupidus, nihil magis in votis habuit, quàm in deserta, & deuia cum suis Fratribus illatebrâre; vt à turbarum strepitu longè semotus, expeditius rebus diuinis vacare, & Deo arctius adhærere posset.* Ita Seguinus: quibus haud dubiè innuere videtur Laurentium facilè abundare potuisse sibi, & suis, si minùs declinasset consortia hominum; si non cunctis subsidiis temporalibus, cunctis obsequiis, eremi abdita, & solitariæ vitæ quietem antepostuisset.

Hoc initium Cœnobij Villariensis, quod paulò post Guillelmos, Conrados, Carolos, Godefridos, Pachomios, Abundos, Arnulfósque, atque penè quot Monachos, tot Sanctos ad cælos transmissurum præparabatur. Cæterùm cùm Laurentius, illius Abbas, Mariæ, quàm Marthæ pronior; paratiórque obedire, quam imperare; sollicitudinem omnem temporalem, totus absorptus in Deum, aspernaretur; seu forte timens, quæ erat viri humilitas, ne peccatis ipsius tenella domus defraudata incrementis, tardiùs ad robur optatum perueniret: multis precibus à Bernardo parente petiit, vt soli Deo vacare sibi liceret, quamdiu ineptus hominibus, vel ipsa experientia magistra comprobabatur. Esse plures ex his, qui missi fuerant, quibus ea cura cum proprio, & cæterorum profectu committi posset; & se absoluendum à sollicitudine, nociua sibi, nec aliis profutura: Christum Dominum distribuisse talenta seruis, in quibus operentur; omnibus laborandum, sed vnicuique secundùm propriam virtutem, sibi aut penitus nullam, aut repugnantem, & cui nequeat imponi tale onus, vocatum se ad quietem contemplationis, ad amplexus Rachelis, ad obedientiæ, & propriæ abnegationis securitatem? Cur ab his ad pericula abstrahatur, quibus impar succumbat, complures alios forsan post se tracturus? permittatur orare pro domo illa, cui regendæ non sufficit; nec cogatur, si quid potest, amittere. Dum ad id, quod non potest, extendit manum. Itaque impetrata missione, quam tamen non sine magna obtinuit difficultate; Giraldum successorem sortitus est, priuatus ipse (nam hoc alij petierunt) in eodem Cœnobio permansurus. Vixisse dicitur à Philippo Seguino, apud Chrysostomum Henriquez in Menologio ad annum. M.C.LVI. atque in eo gloriosè consummatus Maij. 17. quo die recensetur eius memoria. 6.

Inter hæc superueniens mellifluus Pater reuertens ex Germania (quod anno sequenti fusiùs declarabimus) & consolatus filios, quos diligebat; priori quidem loco benedixit: sed nihilominus eundem mutandum censuit; conuentúmque transferendum in vallem proximam (iuxta fluuium Diriæ, vel Tiliæ, quam prius ab Abbate Florinensi, cuius is erat locus, impetrauisset. De hac translatione, authoritate Bernardi facta, déque Sancti Doctoris prædictione super multitudine saluandorum in illo loco, idem, quod supra, Chronicon hæc habet. *Quo audito (scilicet summa inopia,* 7.

b *Vbi suprà.*

c *apud Henriquez Maij. 17.*

inopia, quam patiebantur) Sanctus Bernardus superueniens (dum crucem contra Sarracenos prædicaret anno sequenti) consolatur dilectos filios suos super pusillanimitate illorum. Cúmque Sanctus Bernardus locum illum, & fratres, & fontem loci illius benedixisset, perpendens eos pati defectum fluentis aquæ hortatur eos descendere in hanc vallem, in qua sedemus; prædicens plurimos esse saluandos in hoc loco horroris, & vastæ solitudinis. Quo audito hunc locum inhabitandum elegerunt, annihilato, & renunciato omni iure, quod in loco isto tamquam in libero allodio Abbas de Florines, Vualscelinus nomine, & alij se habere dicebant. Hactenus de Villariensis Cœnobij translatione, quam sub Giraldo factam Grammaius affirmat in Cathalogo Abbatum Villariensium, *Qui* (inquit) *loco à Florinensibus accepto, secundam, Bernardi auspiciis, deduxit coloniam; Eugenio Papa authoritatem addente*, &c. Sed & id ipsum ex tempore colligitur, nempe infrà annum a priori fundatione; ante, & circa quem ipse electus legitur. Qui tamen Sancti sui antecessoris imitatus vestigia, si qua Chronico fides, paulo post cessit; succedente Fastrado; de qua tum cessione, tum successione hæc inuenio subiecta in eodem Chronico, *cum autem Dominus Gerardus cessisset, factus est Domnus Fastradus tertius Abbas Villariensis & hi duo* (scilicet Gerardus, & Fastradus) *fere quinque annis Abbatizauerunt.* Itaque Laurentius, Gerardus, & Fastradus præfuerunt vsque ad annum M. C. L I. quo sexennium completur à fundatione: primo vno annò tantùm præsidente, duobus quinque. Gerardi tempore Eugenius Papa I I I. Confirmauit Cœnobium, locúmque; & possessiones eius sub Beati Petri, & sua protectione suscepit, litteris datis, quas hodiéque conseruat eadem domus.

8. Cæterum, quamuis translata Villarij domus, arctam illam inopiam declinauerit, quam in prioris fundationis suæ loco experta, vsque ad dissolutionem penè peruenerat; haud tamen ad opulentiam breui transiit, imò nec ad mediocrem abundantiam, sufficientiámve, sed semper sub penuria temporalium perseuerauit. Quoad vsque malè acquisitarum rerum contemptus sub Abbate Vvillelmo siue Carolo immensas illi diuitias comparauit. Certè Venerabilis Thomas Cantipratanus [d], qui scripsit post annos centum supra triginta, plus, minúsve, nempè à Natiuitate Christi Domini. M. C C. L X X I. suo ferè tempore scribit accidisse, vt Monasterio abdicante ingentem summam vsuris partam, quam vsurarius eidem legauisset, dum moreretur, *Deus non multò post in decuplo restituit plura. Et quod antea tenuissimum, & ferè mendicum fuisse probatur, mox elegantia, & copiis diuitiarum, & possessionum opulentum & amplum consp iceretur.* Sed de his latiùs suo tempore dicemus. Taxatur Villarium in libris Cameræ florenis ducentis: & memoratur in epistolis Beatæ Hildegardis [e], & Petri Cellensis, aliorúmque, quos forsan in annalium discursu commemorabimus.

d lib. 1. c. 16. num. 5.

e lib. 7. ep. 4. vers. 5.

Locus ipse ab antiquo Villarium dictus vltra Tillæ profluuium, amœnus fontibus, opimus gleba, condensus arboribus, & cui Grammaius adaptet illud Poëtæ. 9.

Ibimus in lucos, vbi pinguem diues opacat
Ramus humum: ———————

Atque item illud

——————— *quem tegit omnis*
Lucus, & obscuris cogunt conuallibus vmbra:
Aureus, & foliis, & lento vimine ramus.

Inter innumeras Villariensis Cœnobij laudes, fœcunditas Sanctorum primas tenet, in qua vix alteri Ecclesiæ cedere debeat; vix ipsi Claræualli. Quippè ex notioribus tantùm, & famosioribus, vsque ad triginta numerauit Arnoldus de Raise. quorum natales, aliorum Sanctorum Belgij gloriosis natalitiis, insererentur. Hæc nunc veluti carptim perstrinxisse satis sit; de magno illo Cœnobio latiùs, distinctiúsque narrandum per annos singulos. Nunc ad Sanctorum Iusti, Pastorísque Hispanum Cœnobium, illustrem olim Abbatiam, nunc Prioratum ex eius domus archiuiis transeamus.

---

1. *Sancti Iusti initia per duos milites in sæculo amicos,* 2. *sed mox religiosiori adstrictos vinculo,* 3. *donatos loco,* 4. *atque auctos priuilegio Alfonsi Imperatoris.* 5. *Tum; aliis viris illustribus susceptis,* 6. *exemptione donatos,* 7. *immunitatéque:* 8. *& pingui ab eodem Alfonso dotatione.* 9. *Admisso dein Cistercio, per annos aliquot sub Fonte viuo manent,* 10. *ad Casamirum inde,* 11. *authoritate Honorij III. titulo filiationis,* 12. *demum ad Superadum, media vnione, atque in membrum illius transituri.*

CAPVT XIV.

1 SANCTI Iusti, & Pastoris de Togis altis, namque hoc loco nomen, in Diœcesi Compostellana, ad specum magis, quàm fanum (adeo rude, & deforme præ vetustate) eisdem sacris Martyribus dicatum, duo nobiles viri inchoauere. Hi post longa exercitia belli, & pacis, amicitiam olim in sæculo arctam, religiosiori vinculo sacrare; mutare militiam, & vt hactenus terram, exinde cælum, multis subsidiis, (consilio, exemplóque) irrumpere, diripere, coniuges, liberos, possessionésque; ab aliis separari, alia deserere gloriosiori conatu deliberarunt, soli ex tunc Deo vsque ad mortem vacaturi. Extat pactum conuentum inter vtrumque sub. Era. M.C.L X V I I. quæ incidit in annum Christi Domini. M. C. X X I X. in quo hæc inter alia satis notanda. *Talem inter nos statuimus fraternitatis incommutabilem amicitiam, quòd in honorem Beatæ Virginis Mariæ ad ordinem Sancti Benedicti in loco Sanctorum Iusti, & Pastoris, simul Monasterium constituentes: nos & nostrarum possessionum partem, atque familiam, in diuinam seruitutem ibidem Deo offeramus*, &c. Itaque spirante intus diuino flamine separati à coniugibus, queis vota consimilia ægrè persuaserant, emancipatis filiis, nec quidquam sibi retinentes præter se ipsos, post plura alia

alia loca peragrata, hunc sibi delegerunt, ad habitandum, siluam tunc densam, & vix peruiam feris, nedum hominibus; protectam tamen Sanctorum Martyrum nomine delubróque; eò venerabiliori, quò antiquiori, ibi ieiuniis, vigiliis, & orationibus, sanctissimi Benedicti Patris, in quantum poterant regulam æmulantes, tandem inuenti, admiratíque ab incolis; deinde loco donati, historiola inserta donationi, quam ex antiquis tabulariis eiusdem domus, illustre monumentum antiquitatis, & pro tempore cultum, elegánsque, non pigebit ad litteram transcribere. Sic autem habet [a].

a Ex tabul. Monasterij.

2. *Sub secundi Regis Alfonsi Imperio, viuente Didaco Compostellanæ sedis Archiepiscopo, duo milites Froyla videlicet Aldefonsi; & Petrus Munionides, viri armorum vsu strenui, generis nobilitate clarissimi, animique virtute excellentissimi ferè vsque ad perfectam ætatem vera coniuncti amoris copula floruere. Qui cùm audissent verbum Dei declaratum, quod dicit* [b]: Nisi quis renunciauerit omnibus, quæ possidet, meus non potest esse discipulus: *Et alibi* [c]: Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem, *&c. Dimisso legitimarum solatio coniugum, mollibus natorum amplexibus, & hæreditatum possessionibus, atque omnium rerum facultatibus; suscepto Monachali habitu, & ab eorum vxoribus, Deo similiter consecratis, vnanimiter separati, sequuti sunt Christum. Cùm autem hi duo per montium cacumina, & ferarum latebras, à populari strepitu semotum, & à seruili conditione liberum nequiuissent reperire locum; ad Sancti Iusti peruenere domicilium, quod erat in quodam specu, infra Limia terminos situm, & tunc temporis siluis opertum, omníque carens ædificio, præter vnam Ecclesiam vetustate ferè dirutam.*

b Luc. 14.

c Luc. 9.

3. *Iuxta quam, diuina prouidentia, à conuicinis eiusdem loci populis sub nimia inopia supradicti Monachi reperti sunt: de quorum conuersatione nos omnes heredes illius loci gaudentes, quam de bono Christi odore flagrantes, communi decreuimus consilio, amore diuino, atque timore, scripti priuilegio illis libare sanctuarium Dei, quia ipse promisit hæreditatem timentibus nomen suum. Quibus rationibus nos omnes Sancti Iusti heredes coniuncti; videlicet nepotes Aldefonsi Saniz, id est Petrus Cresco, cognomento Infanzon, cum mea voce, qui comparaui quicquid monasterium habebat, nimia placitorum firmitudine, pro quo dedi portionem meam Sancto Petro de Castro cum suis dextris; & cum me Didaco Saniz, & Munio Saniz cum vxoribus suis, Gudentius Ordonidez, & Petrus Petridez cum sorore sua Marina Petridez. Nos omnes cum reliquis loci hæredibus tibi Froyla Aldefonsi, & Petro Munionidez cum successoribus vestris, sub eiusdem Religionis titulo ibidem commorantibus facimus scriptum firmitudinis, & cartam donationis de tota Ecclesia Sancti Iusti per vbicumque potest designari suis antiquis terminis, vtpote est sita in monte Limiæ, quæ est in honore Sancti Iacobi: & hæc fuit iam olim de auo nostro Aldefonso Saniz. De hac vobis tam generis propinquitate, quàm diuini cultus pietate communimus totaliter scriptum. Quòd si quis hoc nostrum*, &c. *Facta carta die XVI. Kalendarum Ianuarij. Era. M. C. LXXII. in quo nos omnes prædicti manus nostras roboramus: præsentes Arias testis, Præfatus Archiepiscopus Didacus hoc scriptum confirmat anno sui Pontificatus trigesimo quarto Pelagius Dei gratia Braccharensium Archiepiscopus, Ecclesiæ Beati Iacobi Canonicus confirmat.* Hactenus donatio hæredum illius loci.

Porrò hanc ipsam eandem donationem, quæ erat pietas illius æui Principum, Imperator Alfonsus confirmauit anno sequenti, subscribens cartæ, atque Episcopos subscribere faciens sub his verbis. 4.

Ego Aldefonsus, Dei gratia Hispaniarum Imperator, hanc cartam manu mea roboro, & signo meo apposito confirmo.

Facta est hæc roboratio in Sancto Iacobo XIII. Kalendarum Augusti: Era. M.C.LXXIII. per manum Giraldi scripta iussu magistri Hugonis Cancellarij Domini Imperatoris.

Petrus Legionensis Episcopus confirmat.

Martinus Auriensis Episcopus confirmat.

Pelagius Abbas Ecclesiæ Sancti Iacobi Canonicus, & Archiepiscopi publicus Notarius confirmat. Hoc initium Monasterij Sancti Iusti, & Pastoris de Togis altis sub regula Sancti Patris Benedicti, atque habitu nigro, sub quo vsque ad hunc annum perseuerauit.

Crediderim ab acquisitione loci, vocatum ex conuentu alio Abbatem authoritate Alfonsi, atque socios admissos, ex quorum magisterio, consortióque ad Cœnobiticam vitam promouerentur. Constat ipso anno confirmationis ab Imperatore factæ, Petrum Abbatem, & Monachos complures (inter quos etiam multi ex Curia Regia) incoluisse Cœnobium, quod in eorum gratiam exemptum, & liberum, Imperator voluerit; consentiente Archiepiscopo, & Canonicis Compostellanæ Ecclesiæ, nec quicquam iuris sibi reseruantibus in personas, aut locum, quæ soli Apostolicæ Sedi plenariè, & immediatè subiicerentur. Atque ecce exemplar instrumenti Imperialis, quod ita habet. 5.

In nomine Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen. Debilis equidem est potestas, quæ per diuinam non est gratiam roborata, quam reuera fæliciter adipisci concedimus, si sacrosancta loca, personásque religiosas dignis honoribus, largis beneficiis, gratísque muneribus amplifiremus. Decorem enim domus suæ dilexit Deus, & in eius cultoribus gloriari noscitur. Liqueat ergo omnibus, quòd ego Aldefonsus, Dei gratia Hispaniarum Imperator, vna cum coniuge mea Doña Berengaria Imperatrice, facio tibi Abbati Domno Petro, & Monasterio Sancti Iusti de Togis altis, omníque conuentui Monachorum, tam præsentium, quàm futurorum in eodem loco soli Deo seruientium, cautum de eodem Monasterio in perpetuum valiturum per suos terminos, videlicet per caput montis alti, & inde per lacunam de Lamia, & per illas mamillas de Caballo seco, &c. Et post terminos loci latè descriptos.

Cæterùm Monasterium ipsum meo auxilio, & consilio fundatum & res vniuersas, quibus subsistit, Abbatem videlicet Petrum, aliósque illustres viros, & in curia mea meritos, quos conuentioni prædicti loci sub regula Sancti Benedicti denuo pugnare volentes aduno, & ad petitionem eorum in cunctis fateo; Cæterósque successores suos sub tutione, & defensione mea recipio. Sed & hoc monasterium, suósque incolas consulente, & consentiente Domino Didaco Compostellanæ Sedis Archiepiscopo, vna cum consensu Canonicorum eiusdem Sedis, in cuius territorio iam dictum Cœnobium construxerunt, tali libertate dono, vt nullius deinceps potestati tam sæculari, quàm Ecclesiasticæ subiaceant; nulli loco, 6.

nulli Monasterio, nullique personæ alterius Monasterij numquam obediant, nisi Sanctæ Romanæ Sedi: & vt liberiùs diuinis famulatibus ibi degentes insistant, ab omni iurisdictione Episcoporum in perpetuum absoluimus, vt à nullo, quæ sua sunt, cogantur præter Episcopalia, id est sacros ordines, olei consecrationem, & Abbatis benedictionem accipere.

7. *Constituo etiam, & confirmo, vt commorantes homines in hæreditatibus, & prædiis huius Cœnobij nemini vnquam respondeant de fosadaria, aut facendaria, nec de furto, nec de homicidio, nec de raptu, vel de aliqua calumnia, vel foro Regio, nisi Abbati, vel illis, qui Monasterij eiusdem procurationem tenuerint. De omni etiam portatico per totum meum Regnum excuso idem Monasterium, & ad omnes res suas. Si quis autem de gente mea, vel extranea hanc cautionis, donationis, & liberationis scripturam impingere tentauerit, sit maledictus, &c. Facta Carta ista in Paleacia S. Antonini Nonis Decembris sub Era. M. C. L X X I I I. Alfonso Imperatore Imperante Toleti, Cæsar Augusta, Nagera, Castella, Legione, & Gallecia.*

Ego Aldefonsus Dei gratia Hispaniarum Imperator, hoc scriptum, quod fieri iussi, proprio robore confirmo.

Berengaria Hispaniæ Imperatrix confirmat.

Infanta Doña Sanchia confirmat.

Didacus Dei gratia Compostellanus Archiepiscopus confirmat anno X X X V. sui Pontificatus.

Bernardus, Seguntinus Episcopus, confirmat.

Petrus, Palentinus Episcopus confirmat.

Petrus, Legionensis Episcopus electus confirmat. Hactenus Imperiale priuilegium satis illustre.

8. At quod semel suscepit illustrandum, ditandúmque continuata promouit munificentia quamdiu vixit. Sanè sequenti anno Christi nimirum M. C. X X X V I. ingentem illi possessionem largitus est, dictam de Gomariz, quæ hodie ad duo millia aureorum, & suprà fructificare solet per annos singulos. Atque ecce exemplar illius donationis. *Ego Aldefonsus Dei gratia Hispaniarum Imperator, vnà cum vxore mea Imperatrice Doña Berengaria, vobis Abbati Domno Petro, & Monachis Sancti Iusti, tam præsentibus, quàm futuris, ibidem Deo seruientibus, facio cartam donationis de hæreditatibus meis, videlicet in terra. Facta carta in Carrione Era. M. C. L X X I V. septimo Idus Maij.*

Imperator Alfonsus confirmat.

Berengaria Regina confirmat.

Infanta Doña Sanchia confirmat, &c.

9. Quousque primus Abbas Sancti Iusti præfecturam cum vita continuauerit, & an alium habuerit Successorem, in dubio est. Constat hoc anno duodecimo ab ipsius fundatione in iura, & leges Cistercij transiisse Cœnobium Sancti Iusti; accitis Monachis, per quos edoceretur; non ex vicinis domibus, quamuis iam quatuor Gallæciam illustrarent, Meira, Melon, Vrsaria, & Superadum (fortè quos socios hactenus habuissent, habere ex tunc Magistros, atque eisdem subesse dedignabantur) sed ex remota Italia: Adeò plerumque hominibus insedit, propria, quia nota, spernere; & ea solùm, quæ ignorant, venerari. Monasterium Casamarium huc vsque creditum; contestantibus tabulis, quæ Sanctum Iustum inter eius domus filias, & primam memorant; nec reclamante quoquam, quem ego viderim. Et florens tunc sub Abbate Ioanne Ecclesia, facilè credi potuit extendisse palmites suos vltra mare, ac filios ad Hispaniam transmisisse. Cæterùm non Casamarium, sed Fontem viuum, Italam etiam domum, Columbæ filiam, de qua anno Christi M. C. X L I I. Sancti Iusti Cœnobium adoptasse, rexisse licèt manu valida, satis conuincunt Honorij Papæ litteræ, quas ex ipso regesto Vaticano statim dabimus. Accepit ergo Sanctus Iustus Monachos ex Fonte viuo; incertum, quam ob causam, cùm non solùm remota, sed parùm celebris haberetur Ecclesia illa, & mansit sub illius correctione annis L X X V. nempe vsque ad M. CC. XVII. quo Abbas, qui tunc Fonti viuo præerat, cum, præ nimia distantia, minus posset filiæ, quam adoptasset, prouidere, resignauit Columbæ maternum ius, vt matri auia succederet, atque neptem, cui vellet commendaret. Tunc verò Abbas Beaumontius Vice-Comes, nobilis Placentinus secundùm carnem, sed secundùm Spiritum nobilior, de quo multa inferiùs (qui tunc Columbæ præfecturam administrabat) cùm Honorium Pontificem videret Casamario fauentem, & velut propriæ sibi Ecclesiæ (nam sic ipse vocabat) eius per omnia incrementa Procurantem, (quod nos etiam in tempore dicemus) Casamarium elegit, cuius Priori (seu sedes tunc vacaret, seu potestas Priori concedebatur, quod numquam aliàs visum; seu tandem per errorem irrepsit Prior, cùm Abbas potiùs nominandus foret) Sancti Iusti Cœnobium subiaceret. Extant in Vaticano litteræ Honorij ad vtrumque conuentum, Sancti Iusti nimirum, & Casamarij, hoc ipsum continentes: quæ tamen, dum in neutro Abbatem, sed in vtroque Priorem alloquuntur, tertiæ, quam diximus, coniecturæ adstipulantur. Sunt autem tales.

Priori & Conuentui Sancti Iusti.

Dilectus filius Abbas de Columba exposuit coram 10.
nobis, quòd quia Abbas, & Conuentus Monasterij Fontis viui, debitam non poterant diligentiam adhibere, ipsam eidem Abbati, tanquam Patri proprio, commiserunt: alij Monasterio, cui meliùs expedire conspiceret committendam. Vnde ipse Abbas sperans eidem Ecclesiæ per dilectos filios Priorem, & Conuentum Casemarij vtiliter prouideri; eam ipsis tanquam filiam prouida deliberatione commisit. Sperantes igitur exinde grata vobis commoda prouentura; discretionem vestram monemus attentè, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus Monasterio Casemarij de cætero tamquam filij humiliter intendatis, iuxta Cistercienfis Ordinis instituta; vt sic authore Domino, exinde sperato profectu gaudentes, apud Deum, & homines mereamini commendari. Datis Latera. Nonis. Ianuar. Pontificatus nost. an. primo. Hæc ad Priorem, & Conuentum Sancti Iusti. Ast ad Priorem, & Conuentum Casamarij hæc, quæ sequuntur per omnia consimilia,

Priori, & Conuentui Casamarij.

Dilectus filius Abbas de Columba exposuit coram 11.
nobis, quòd Abbas Monasterij Fontis viui, prouidè attendentes, quòd erga Ecclesiam Sancti Iusti, quæ hactenus fuit filia Monasterij supradicti, debitam non poterat diligentiam adhibere, ipsam eidem Abbati, tamquam Patri proprio commiserunt, alij Monasterio, cui meliùs expedire conspiceret, committendam. Vnde idem Abbas sperans eidem Ecclesiæ per vos vtiliter promoueri: eam vobis tanquam filiam

filiam prouidâ deliberatione commisit. Ideóque discretioni vestræ, per Apostolica scripta, mandamus, quatenus in adoptionis filiam recipientes eandem, ergaipsam, iuxta nostri Ordinis instituta, maximum affectum, & effectum de cætero gerere studeatis, vt & ipsa, Domino adiuuante, spiritualibus proficiat incrementis, & bonis temporalibus augeatur; vósque vobis apud Dominum meritum, & laudem apud homines comparetis. Datis vt suprà. Hactenus ad vtramque Honorius, matrem, & filiam; vtili sanè exemplo, vt quæ Ecclesiæ filiabus minùs possent congruè prouidere, aliis, quæ possent, easdem commendarent.

12. Permansit Sanctus Iustus sub filiatione, & disciplina Ecclesiæ Casemarij per plures annos. Verùm cum ea, non minus loco distaret, quàm Fons viuus; & aliàs omnes ferè Italiæ domus gemerent sub Commendis, sub quibus nulla sibi vnquam constare potuit, nedum aliis, vt par erat, prouidere: in eum tandem statum peruenit filia, vt suppressa Abbatiali dignitate, vniretur Ecclesiæ Superadi, conseruaturæ ibidem octo Monachos sub Priore degentes; reliqua in proprios vsus conuersuræ, grauissimi Cœnobij, & nulli in toto illo tractu postponendi. Sic cuius filia esse ante contempserat, mox vel in membrum admitti vtile duxit: adeo in vtrisque bonis declinauerat, domus aliàs prædiues, & cui, quæ per negligentiam, & profusionem olim amiserat, breui per parsimoniam, magis per obseruantiam reparare, facile fuit. In libris Cameræ taxatur florenis septuaginta. Reliqua, si quæ fortè nobis occurrant, suis locis commodiùs inseremus.

IESV CHRISTI ANN. 1147. — CISTERCII ANN. 50.

1. Eugenius Parisiis susceptus à Ludouico, 2. Canonicos Sanctæ Genouefæ rebelles mulctat; 3. regulares inducens, 4. de quibus B. Ioannes Maclouiensis. 5. Eisdem proprias leges obseruandas strictè præcipit. 6. Cardinales de latere Legatos in Syriam destinat, Gallis, atque Germanis adstituros, 7. Abbatem Præmonstrati Parisios vocat, 8. pacem inter Præmonstratenses, & nostros reformaturus: 9. Quid ad hæc Abbas. Nec statim pax sequuta. 11. Epistola ad Ianuenses contra Almeriæ paganos in Hispania; 12. & classis valida ab eisdem præparata.

CAPVT I.

1. INTRABAT annus M.C.XLVII. qui fuit ab ortu Cistercij quinquagesimus, & Eugenius præcedenti ingressus Galliam, Lutetiæ Parisiorum appropinquabat, cùm ecce Ludouicus Rex, Parisiensis Episcopus, & Proceres occurrentes Pontifici, ac Summum Christi Vicarium venerati, cum magna gloria in vrbem deduxerunt. De his in actis Beati Vvillelmi Abbatis [a]. *Accidit deinde, vt Eugenius Pontifex sese in Gallias conferret. Cúmque Lutetiæ adpropinquaret, Ludouicus Rex, & Parisiensis Episcopus cum multa cleri populique frequentia ei obuiam procedentes, illum honorificè exceperunt, atque ad Beatissimæ Mariæ Virginis Ecclesiam cum ingenti gaudio deduxerunt.* Sic Sanctus Pontifex, dum Romanos fugit, à Gallis excipitur; & à propriis expulsus hostili manu, exteros (nam alienos nequaquam dixerim) obsequiosos, atque vltro inuitantes expertus est, ad sacros pedes se ipsos demissuros.

a Apud Surium April. 6.

2. Sed, ô rerum mortalium vicissitudinem! cùm post paucos ab ingressu in vrbem, elapsos dies, in Ecclesia Beatæ Genouefæ, quia Apostolica dicebatur, vellet diuina mysteria celebrare; atque Rex ibidem, ac Proceres conuenissent, Sacerdoti, sacrificióque affuturi; qui modò Principem, qui curiam sæcularem obsequentem habebat; paucos Canonicos, inuerso ordine rerum, per speciem conseruandorum iurium suæ Ecclesiæ, cui boni etiam non rarò solent impingere; rebelles, & sacrilegos inuenit; atque eò ventum est, vt re, non verbis, sed pugnis agitata, ius in violentia sola situm esset; nec ipse Ludouicus, dum compescere curat, vulnus euaserit. Audi eadem acta, quæ ita pergunt. *Paucis deinde elapsis diebus, voluit idem Pontifex in Ecclesia Beatæ Genouefæ mysteria diuina peragere, quia Apostolica dicebatur, vbi eò ventum est, orta est contentio inter Summi Pontificis, & huius Ecclesiæ Canonicorum ministros, adeo vt ad pugnos res processerit, & non solùm Pontificis ministri, sed etiam ipse Rex Ludouicus, qui illos compescere voluit, à Canonicorum illorum famulis verberatus sit.* Hactenus ibi.

At quæ vindicta sacrilegium sequuta sit, Euge- 3.
nio vindice, & zelante pro Dei gloria, ex eisdem Vvillelmi actis accipiat Lector. *Tanta autem nefariæ rei indignitate permotus Pontifex, cum Ludouico Rege tractauit, de improborum hominum insolentia dignè castiganda. Visum est autem in eorum locum alios subrogare homines religiosos, nempe Monachos illos, quos Nigros vocant: neque tamen Canonicos illos per vim suis prabendis, siue sacerdotiis priuare volebant (erant enim inter eos non pauci nobiles, & litterati) sed permittere, vt illis, quoad viuerent fruerentur. Verùm vbi istud Pontificis, & Regis propositum ad aures Abbatis Sancti Victoris perlatum est: Pontifici, & Regi valde supplices preces ille obtulit, vt Ordinis Sancti Augustini professores in eam Ecclesiam introducerentur: multísque ostendit rationibus contumaces illos faciliùs ad horum vitam regularem, quàm ad Monachorum habitum, & consuetudinem traductum iri. Pontifex, Rex his auditis, cùm iam exploratam haberent bonam famam illius Abbatis, & fratrum eius; eorúmque institutum præ multis aliis prædicari non nescirent; domúmque Sancti Victoris suauem eximiæ charitatis de se odorem spargere: Abbatis precibus assensère. Atque die sequenti electus est in Abbatem Odo Prior, homo sanctæ conuersationis, atque totius religionis amator indefatigabilis; adiunctique*

stique sunt ei duodecim Canonici, viri probi, & bonæ æstimationis, qui in Ecclesia Sanctæ Genouefæ commorarentur. Atque ex eo tempore in præsens istbuc Canonicorum Sancti Augustini institutum in ea Ecclesia conseruatur ex priuilegio Pontificis Eugenij, & Regis Christianissimi Ludouici. Hucusque de his ibi. Sic viri illi violatæ Maiestatis diuinæ humanæque pœnas dedere.

4. Extat epistola [b] Bernardi ad Suggerium, gratulatoria de reformato Conuentu Sanctæ Genouefæ, interuentu ipsius, sub hoc initio, *Benedictus Deus, qui in manu vestra operatus est salutem in Ecclesia Sancta Genouefa.* Extat & alia B. Ioannis ex Abbate Begardi, seu Putridæ syluæ, cuius suprà meminimus [c], in Maclouiensem Episcopum assumpti, ad Eugenium Pontificem scripta, pro nouis Canonicis Sanctæ Genouefæ, cum ab expulsis de quibusdam accusarentur: quam, quia ex eo qui scripsit, quam cui scripta est, hos Annales concernit, operepretium duxi hîc transcribendam.

b *Inter additas ep. 357.*

c *Ad annum 1150. cap. 7. n. 4.*

Inter additas ep. 359.

Sanctissimo Patri & Domino Eugenio, Dei gratia Summo Pontifici. Ioannes Sancti Maclouij Minister indignus cum debita obedientia deuotarum orationum frequentiam.

Quis ego, vel cuius momenti, qui tantæ Maiestatis oculos, vel in puncto audeam detinere? Ignosce mihi, Sancte Pater; ignosce, quæso, neque enim de supercilio ista præsumptio manat. Silere non possum, quanta bile inæstuabatur spiritus meus in viros mendaces, viros effrenes, & perditos, qui sanctam sementem vestram exeuntem in centuplum, opus laudabile manuum vestrarum, inter magnificos actus sanctitatis vestræ non modicè præclarum, scilicet Ecclesiæ Sanctæ Genouefæ Parisiensis à Deo per vos, tanquam per complacitum sibi Vicarium factam mutationem, filij hominum, quorum dentes arma, & sagitta, quorum lingua gladius acutus, non sunt veriti insimulare concionem Sanctam, Abbatem prædicti loci loquor, & Fratres, sed, Deo gratias, detecta est malignantium factio, & instante in eas Domini iustè decernentis censura patebit, cùm filiorum de Sancta Genouefa tam Deo, quàm hominibus grata conuersatio, non solùm prope, sed, & longè positorum nares optima, suauique fragrantia perfundere, non desistat. Hactenus pro nouo Abbate, & Fratribus, Maclouiensis Episcopus: & nos de mutatione illius Ecclesiæ per Eugenium facta, in vindictam violatæ maiestatis.

5. Sed nihilominus qui zelauit pro Ludouico; quantumuis ei deuinctus, in eius curia, & præsentia demoraretur; nihil tamen Ludouico indulsit vltra permissum, nec iura sacra violari passus est, veritatis reuerentior, quàm amicitiæ. Cùm enim paulò post Odo decederet; & Garinus substitutus in eius locum, Priorem tanquam Regij Monasterij institutum à Rege suscepisset, & contra Beatum Vvillelmum, qui viro intruso parere recusabat, pronunciasset sententiam [d], *Pontifex* (ait Auctor vitæ B. Vvillelmi) *tum instituti præuaricatione, tum Vvillelmi iniusta damnatione non leuiter commotus, Abbati S. Genouefæ mandauit, vt citra moram vnà cum Vvillelmo ad ipsum ascenderet. Paruit ille, veniensque ad Pontificem, temeritatis, & immoderationis arguitur. Porro Vvillelmus ab eius sententia absoluitur: mandatque Pontifex seuerissimè, ne deinceps officiales contra Ordinis instituta eligantur.* Hæc ex eisdem Vvillelmi actis deprompta, atque Eugenij constantiam concernentia, quia certo carent tempore; huic annectimus imitati Baronium, qui latiùs narrat.

d *apud Baron. hoc anno.*

Sub huius anni initium idem Eugenius, cùm Regem Galliæ cruce iam signatum, Conradum verò in proximo signandum, illum videret, hunc certò cognouisset, vtriusque Principis zelo promouendo, iuuandoque, duos de latere suo Legatos destinat, Cardinalem vtrumque, vtrumque in Syriam cum ipsis proficiscendum: Alterum, qui cum Ludouico Francorum Rege Guidonem Florentinum, titulo Sancti Chrisogoni; alterum, qui cum Conrado Imperatore, Theodinum Episcopum Portuensem. Hæc pluribus Guillelmus Tyri Episcopus in sua, quam scripsit, historia de bello sacro, 6.

Eisdem diebus, dum adhuc Pontifex Parisiis detineretur, pax inter nostros, Præmonstratensésque turbari cœpta, facessere negotium visa est, vix post multa dispendia reformanda. Dissidij occasio Robertus quidam fuit, ex Canonico, in Monachum admissus, quod contra indulta Sedis Apostolicæ, contra mutuam concordiam factum criminabantur. Ergo Eugenius, seu zelo charitatis, atque paterna in vtrosque prouidentia, siue quia ipse admittendi auctor extiterat, Abbatem Præmonstrati, per Godescalcum Coabbatem ad se accersit, quod præcipere potuit, rogaturus. Et Robertum non recipi facilius; receptum eiici difficile proponit. Desertorem desertis iam inutilem, fortè & perniciosum; his, quos quæsiuit, in pretio, & vsu fore: nec decere, quod sibi non prodesset, cum aliorum iactura comparare. Spontaneum obsequium acceptum Deo, acceptum hominibus: ab inuito nil gratum fieri posse: non defuturum Cisterciensem aliquem, qui ad ipsos transiret, & par pari dispendio compensaret. Tum priuilegia, concordiámque, si consentiat, indemnia permanere; queis solùm obietur, quamdiu resistit. Cur id grauamen doleat, queratúrque, quod solo suo consensu possit repellere? Demum his congruentiis preces addidit, vim mandati obtinentes, in Summo Præsule. Extat epistola Philippi Bonæ Spei, circa hunc annum Prioris, sed pòst Abbatis, ad B. Bernardum scripta super hoc ipso, in qua, hæc inter alia continentur [e]. *Denique cum quibusdam vestrorum suggerentibus, Domnus Apostolicus Abbatem nostrum faceret sibi Parisius præsentari; & eum præsentatum, vt daret fratri licentiam dignaretur verbis satis humilibus adhortari*, &c. 7.

e *epist. 10.*

8. An Summus Pontifex consensum impetrauerit, in controuersia fuit: Abbate Præmonstrati pernegante: sed asserente Eugenio: nec diffitente Godescalco Præmonstratensi, cuius omnia interuentu peracta fuerant. Pergit Philippus ad Bernardum Patrem scribere. *Abbas noster, sicut nostis, respondit, quia si hæc fratri ab eo licentia conferretur, nostra Prouincia, nostra Ecclesia, toti etiam Ordini non paruum scandalum inferretur. Et ideo nullo pacto, nullo consilio hanc ipse licentiam largiretur, nisi fortè præcepto ineuitabili cogeretur.* Et paulò superiùs. *Abbas Præmonstratensis, Laudunensis, Vicecinensis, Stenueldensis, viua voce negauerunt; & denique illi licentiam se dedisse, neque vllum ad vos nuntium transmisisse constanter adstruxerunt.* Ita Philippus, cui consonat Bernardus, quem iam adducam.

9. Verùm Eugenius, Godescalcúsque, quibus haud temerè credi nequaquam dubites, præstitisse assensum affirmabant, qui semel datus, non posset retractari.

tetractari. Audi Bernardum de his ita scribentem, ad eundem Abbatem Præmonstratensem [e]. *Sed iam audite (quia iterum vultis audire, quomodo tandem fratrem Robertum receperim. Dominus Papa præcepit: sæpè rogatus ab illo, & eius amicis. Dicebat vestrum sese, & Abbatis eius adsensum prece sua obtinuisse: ne quis dicat, quòd præcepto extorsit. Negatis; quid ad nos? ipse viderit. Si vobis summum, & Sanctum Pontificem falsitatis arguere libet, ignoscite nobis, quia nos tantæ sanctitati non credere, & tantæ maiestati non obedire nefas ducimus. Quamquam, & Venerabilis Abbas Codescalcus, qui de vestris est (nam is à Domino Papa ad vos huius rei gratia fuerat destinatus) non planè negauerat reportasse se à vobis, & liberam fratris emancipationem, & vestram ipsius spontaneam confessionem.* Sic Pater Sanctus testimonio ipsius Pontificis, assensum præstitum; assensu, Monachum retinendum tuebatur.

e Epist. 252.

10. Vtcumque fuerit, viguisse diu querelas, non reddito Roberto perspicuum est; repentè Philippo post triennium, secundis litteris datis ad Sanctum Patrem, cùm priores, incertum, qua occasione; ad eius manus nequaquam peruenissent. In quibus hæc inter alia, vir aliàs doctus; sed cadentiæ, quàm sensus adpetentior, pro suo more [f]. *Antè triennium quandam vobis, epistolam allegaui, in qua, vt recolo, vos summopere postulaui, vt quod mihi clausum erat dignaretur vestra sanctitas aperire. Sed, vt mihi dictum est, ad manus vestras non meruit ea Epistola peruenire.* Pergit deinde querelis suis insistere: Sed mitiùs, & stylo submissiori. Hæc de gestis sub huius anni initium per Eugenium, compescendis dissidiis, quæ imminebant, penè vtramque familiam diuisuris. At qualiter turbata semel pace, mox querelæ ex querelis renascentes (discordiæ semina) fraternitatis stabilitæ vinculum, vt non potuerint, dissoluere tentauerint, quia ad vtriusque familiæ historiam facit, non sine aliarum fructu, quo talia caueant; suo tempore plenius differemus. Nunc Eugenium vbique tonantem contra infideles, atque vbique Christianos suos armantem, in Hispanos præcipuè Sarracenos ex eisdem historiis prosequamur.

f Epist. 11.

11. Ergo sub idem initium intrantis anni, cùm Genuenses Minoricensi præda potiti, quod anno præcedenti dictum est, Sarracenos Hispanos terruissent; illos præcipuè, qui ad littus Beticum positi Almeriam incolebant, vrbem munitam, pyratarum perfugium, seu receptaculum, vnde finitimis, longinquísque littoribus Hispaniæ, Italiæ, & Galliæ, veluti imminentes, formidabantur. Cùm, inquam, vice versa, ipsi exterriti, aliorum damna sibi præcauerent; atque intra muros conclusi timidius agerent; Eugenius occasionem optatam nactus, qua pauentes opprimeret; nec animos resumendi tempus daret; siue ab Imperatore Alfonso sollicitatus; seu vltro ipse zelans pro grege Christi, secundas ad Ianuenses litteras dedit; gratulatorias de parta ante victoria: sed nihilominus exhortatorias, suasoriásque; vt sicut anno proximo Minoricam, sic in præsenti Almeriam bello inuaderent. Affuturum Alfonsum Imperatorem, affuturos, & alios Hispaniæ Principes: nec diffidendum, tot viribus adiunctis, capiendam vrbem; his præcipuè, quibus vel solis, patuisset integra Insula. Victricia arma honestè sæpe deponi: numquam submitti. Neque vllum submissionis turpius genus, quàm si impedito commercio contra ius gentium, incursibus prædonum se permittant, ni Almeria pellantur, spoliandos. Id apud homines in honore, & lucro positum, apud Deum in salute etiam ponendum.

His litteris reipublicæ intimatis per nouos consules, obedientia in promptu; atque Almeriam potenti classe inuadere vnus omnium ciuium animus fuit [g]. Iustinianus mihi Auctor, quem in his sequor. *Nobiliores matronas eiusdem vrbis, quàm armis minus poterant, expeditionem pecuniis promouisse; ex quibus naues, arma, commeatus, & reliqua necessaria compararentur. Tum verò ciues intestinis odiis positis, quæ prima exteros debellandi conditio est, Imperatorem Hispaniæ Alfonsum primùm, mox Raimundum Barchinonæ Comitem monent, vt iunctis copiis, & condictis loco, & tempore, minori rem periculo aggrediantur, mutuis auxiliis iuuandi, ac iuuaturi. Exinde cuncti reparare naues, congregare exercitum, præparare annonã, exercere arma; & ferrum eminùs, atque ignem comminabantur. Sexaginta Triremes missæ in in mare; minora vasa centum sexaginta. Haud alia classis potentior Genuâ soluerat, ex quo qui in viuis erant recordabantur. Sex Consules præfecti expeditioni; relicti quatuor, qui Rempublicam curarent.* Hactenus ex Annalibus Genuensium. Verùm quem exitum tanta res habuerit, hoc ipso anno dicemus; sed suo tempore. Nunc ad Bernardum Spira discedentem, & peragrantem Germaniam reuertamur. 12

g In Annali Genua, lib. 2

1. *Bernardus post solutam Spiræ curiam*, 2. *primùm Vuormatiæ*, 3. *dein ad Confluentiam:* 4. *mox Coloniæ*, 5. *miraculis coruscans.* 6. *Ibi clericis seorsim prædicauit:* 7. *& quam ob causam:* 8. *deinde populo.* 9. *Argumenta concursus supra consuetum.*

CAPVT II.

1. SOLVTA curia, & salutato Conrado Imperatore, ac Constantiensi Episcopo, quem socium viæ, seu potius deductorem hactenus habuisset, Pater Sanctus Spira discessurus Campensem sui Ordinis Abbatem secum adsumit, & reliquas totius Germaniæ vrbes velocius peragrans, atque illustrans miraculis, verbum crucis aduersùs crucis hostes concionabatur [a]. *Euangelizans vbique Regnum Dei* (ait Guillelmus Tyrius) *afflictionem populi, qui est in Oriente, simul, & molestias, quibus incessanter opprimuntur, aperit diligenter; vrbes fidelium prius fidei Christianæ deuotas, iuga pati persecutorum nominis Christiani, & seruitutem durissimam proponit euidentius. Fratres quoque pro quibus Christus mori voluit, vinculis mancipatos, & compedibus, fame attritos, horrendis carcerum*

a De bello sacro fol. mihi 901.

carcerum clausos ergastulis, squalore sordidos, indutos amaritudine, sedere in mendicitate, & ferro plenius edocet. Ita Vuillelmus de Bernardi Patris in partibus Germaniæ prædicatione.

2. Verùm quas vrbes, & quo tempore discurrerit, ex ipsis, quos secum adduxit, viæ sociis, qui cunctis interfuerunt, accipiat lector [b]. *Igitur sexta feria (id est tertia die mensis Ianuarij, qui feria quarta, vt dictum est, intrauerat.) Sexta, inquam, feria aiunt, sicut prioris libri finis declarat, soluta est Curia Spiræ, & nos Vuormatiam festinauimus, vbi Pater Sanctus, licèt obnixiùs rogaretur moram facere, noluit, dicens: quia oportet me, & alijs ciuitatibus euangelizare. Transierat enim per Vuormatiam ante duos menses; & sermone habito, innumerabilem ibi signauerat populum, signaculo Christianæ militia: Prius tamen quàm egrederemur, die Sabbathi infirmos tetigit, qui conuenerunt, vbi inter manus meas surdi duo, quos offerebant, astante populo, & acclamante, auditum sibi redditum fatebantur, cum multa exultatione.* Pergit Auctor ex more per dies singulos recensere miracula, quibus singula oppida illustrabat.

b De miracul. Bern. cap. 11.

3. In hoc itinere Confluentiam primùm, mox Coloniam adueniens, dum gladium Spiritus, quod est verbum Dei, exerit confirmans vtrobique per signa, quæ prædicabat; præter eos, quos militiæ sacræ addixit, non paucos clericos sibi etiam associauit, cingulo sacratiori donandos in Claraualle. In his Fridericus, & Adulfus de Confluentia, de quibus idem Auctor ita scribit. *In Parochia Treuirensi situs est famosissimus vicus, vbi Rhenus, & Mosella confluunt; vnde, & Confluentia nominatur. Ibi multa coram omni populo ostensa sunt signa, quæ nostram notitiam, aut memoriam effugerunt. Claudum tamen puerum, qui in Ecclesia Sancti Florini post Missarum celebrationem erectus est, memini me vidisse. Sed & cæcum ibidem illuminatum asserit Fridericus noster, qui ab eodem vico sequutus est Sanctum Domini, vna cum Adulpho optimo adolescente. Hic, ignorantibus propinquis, & amicis nobiscum transit Mosellam indutus tantùm superpellicio, sicut venerat ab Ecclesia Sancti Castoris, in qua Canonicus erat.* De miraculis factis in Confluentia, Gaufridus aliqua in vita Sancti Patri; [c] sed leui manu.

c lib. 4. cap. 4.

4. Verùm de ingressu in Coloniam viri Dei, cùm claudum, cæcum, & surdum recensuisset gressu, & visu, & auditu donatos in vico proximo; pergunt acta scribere in hunc modum. *Memor sit* (aiunt) *in æternum diei huius ciuitas Coloniensis, quâ suscipere meruit hominem Sanctum, quem semper optauerat. Quia tamen insperatus aduenit, minor eo die fuit frequentia populorum. Sic nimirum gloria calcator humana solemnes semper exceptiones, quoad in se est, fugere consueuit; & elegit magis occultè ingredi ciuitatem. Rarò tamen id potest, quia sequitur maior gloria repellentem.* Hactenus ibi de ingressu Sancti Patris. At quæ miracula Coloniæ perpetrauerit; quantus frequentium concursus populorum; ac demùm qualiter liberiùs viuentem clerum, liberior ipse; sed cum reuerentia, atque à populo procul, corripuerit; per dies singulos pro more suo notans, ita prosequitur.

5. *Manè sexta feria, priusquam ingrederemur Ecclesiam, in hospitio nostro mulier cæca oculo vno ab annis decem, ad tactum beatæ manus coram nobis, visum recepit; hæc in Ecclesia statim præsentata est clero, & diu tacuit ante altare, gratias agens Deo. Interea quoque puer cæcus in ipso hospitio illuminabatur. Ex hoc ingressus Ecclesiam Pater Sanctus, ad altare Beatæ Mariæ, quod in Orientali parte locatum est, Missam celebrauit: vbi verò compleuit, coram omni populo puella cæca illuminata est, & Matrona diues, & nota in ciuitate, cuius crura arida ab annis tribus extendi penitùs non valebant, resolutis neruis ad signum vitæ sine dilatione, stetit erecta. In pulpito quoque, dum sermonem habiturus ad populum, ascendisset, cæcus senex visum recepit. Multa quidem, & alia signa facta sunt in ipsa die, & sæpiùs acclamabant. Sed nemo nostrum inquirendi extitit curiosus.*

Sabbato quoq; multa in hospitio vidimus, & cognouimus ea; sed quia annotare neglexímus, superueniẽte multitudine cæterorũ, nobis iam penitùs exciderunt. Verba tamen, quæ ad clerum habuit (neque enim exire voluit ad populum ea die) & quomodo formam hanc clericorum, imò vitam prorsus informem, omnibus diuinarum testimoniis Scripturarum probauerit esse contrariam, non omnibus eis arbitror excidisse: Vos (inquit) *Propheta notabat cùm diceret* [d]. In laboribus hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur, ideo tenuit eos superbia. *Et Isaias eodẽ spiritu, imò Deus per Isaiã* [e] Misereamur (*inquit*) impio, & non discet facere iustitiam; in terra Sanctorum iniqua gessit, & non videbit gloriam Domini. *Et expressius, ac nominatim in alio Propheta* [f]. Principes populi mei (*inquit*) eiicientur de domibus deliciarum propter pessimas voluntates suas. Hactenus familiaris Sancti, qui cunctis aderat. 6.

d Psal. 72.

e Esai. 26.

f Michæ. 2.

Sed priusquam ad alia transeamus, pia animaduersione dignum censeo, non antea clerum increpatum à Sancto Patre, quàm populum arcuisset: ne in contemptum veniret sæcularibus, alias obnoxiis clericorum venerationi. Ideo qua die ad clerum ista disseruit, nec populum admisit, nec ad eum exire dignatus est, quod Auctor operis signanter adnotauit. *Neque enim* (ait) *exire voluit ad populum ea die.* Innuens plebem tam longè ab his arcendam, vt ne vel faciem corripientis videat, ex qua quid possit, vel leuius coniectari. Quid, quòd miraculis coram eis etiam abstinuit, deferens statui Deo propinquiori; eòque minùs indigenti signis, vt resipiscat. Certè ex eis complures compunctos ad verbum viri sese ei per votum statim tradidisse; rebus dispositis; sequuturos in Claramuallem; ex inferiùs dicendis, fiet palam. De miraculis Coloniæ etiam Gaufridus, atque inter alia de adolescente, qui adhuc viueret in claustro Sancti Petri [g]. *Qui oblatus viro Dei* (*claudus à multis annis*) *ad impositionem manus eius gressum recepit. Vnde etiam filius eius publicè cognominabatur.* Sed de his satis. Nunc ad historiæ seriem reuertamur. 7.

g lib. 4. cap. 5.

Dominica [h], *priusquam Missa celebraretur, cæcus quidam per signaculum lucis; & vitæ illuminatus, & adductus est ad altare: Ea siquidem die ad promissum sermonem conuenerat populus inæstimabilis, quantum nemo clericorum sese aliquando in Ecclesia illa vidisse dicebat. Celebrauit autem Missam Pater Sanctus ad Altare B. Petri, quod in Occidentali parte situm, obtinet principatum. Ibi post Missæ celebrationem innumera coram omnibus miracula contigerunt.* Pergit deinde recensere miracula: & subdit de concursu, tantum fuisse, vt seruus Dei concionem habiturus, ad plateam exire coactus fuerit. *In platea* (ait) *vbi sermonem habuit Vir Beatus, eo quod Ecclesia populum capere non sustineret, nobis adstantibus cæcus quidam visum,* 8.

h miracul. cap. 2.

visum, & manum, arida manus simul & brachij adeptus est sanitatem. Sequuntur miracula penè supra numerum.

9. Cæterùm quod ad concursum populi attinet, plura alia indicia manifestant quæ non pigeat ad litteram transcribere. Alterum est, quod Sancto *Clauso in hospitio, siquidem ostium domus aperire nullus audebat, tantus erat impetus, & tumultus, vt stanti ad fenestram; per scalam offerri infirmos necesse fuerit.* Aliàs à populo haud dubiè comprimendo. Alterum, quòd ab vrbe discessurus, cùm timeretur detinendus à multitudine, nec permittendus egredi, vnicum euadendi consilium fuerit *vt in domum Archiepiscopi deduceretur.* Quasi liberiùs inde processurus. Illud præterea irruentium populorum efficax argumentum esse videtur, quòd Venerabilis Abbas Campensis, & eius socij, queis Virum Dei deducendi cura inerat, ab hora nona vsque ad vesperam conantes, nihilominus, neque ad ostium domus, neque ad scalam pertingere potuerint. Quod ex eiusdem Abbatis testimonio, ipse, qui historiam texuit, testificatur [i]. *Dum hæc intus agerentur, ego foris adstabam, nec vllatenus poteram introire: ab hora nona vsque ad vesperam sic permansi cum quibusdam fratribus nostris, nec accedere quidem valens ad ostium, vel ad scalam; tanta erat vndique multitudo.* Hactenus ibi. De miraculis Coloniæ patratis à viro Dei, hæc Godefridus per recapitulationem. *Nam ex personis aliis, perhibebant, qui studiosiùs obseruarunt, ad eiusdem viri Sancti orationem, & manus impositionem, in ciuitate prædicta intra triduum, quod ibi fecit, duodecim claudos erectos, mancos duos sanatos, quinque cæcos illuminatos, loquelam redditam mutis tribus, & decem surdis auditum.*

i vbi suprà.

---

1. A Colonia discedens Sanctus Pater, 2. Aquisgranum, 3. Traiectum deinde pergit: 4. mox Leodium, 5. vbi ad clerum sermonem habiturus præmittit miraculum. 6. Quod plura alia sequuntur, 7. & prævio oraculo, conuersio vnius Canonici: 8. Afligemij salutatur denuo à Virgine. 9. Expeditus, & distinctus vterque fauor. 10. Ac demum prophetia Sancti de Bello-Prato: 11. atque actum de Monasterij Alnæ reformatione.

Caput III.

1. A Colonia discedens vir beatus, per Brunuillare, Iuliacum pertransiit; inde Aquisgranum; Vrbem Germaniæ Regiam: vbique animis, corporibúsque ægris exhibens medicinam; prædicationi nimirum insistens, atque miraculis. Neque in oppidis tantùm, sed in itinere: namque vt affirmant, qui cunctis interfuerunt [a]. *Plena erat via quacumque populis: & campus omnis nobis ciuitas erat.* Porrò autem cum per singula miracula populus, patria lingua proclamaret. *Christ. Huns que quade*; admoneri quidem adstantes noui miraculi: sed nihilominus toties proclamatum, vt nullus posset de singulis inquirere. Hæc pro pluribus in actis recitatis, cursim sufficiant.

a cap. 11.

2. Aquisgrani in Cappella Regia, ad altare Beatæ Mariæ, peractis sacris, & pluribus restitutis ad sanitatem, ingentem turbam militiæ corporali, sed spirituali selectos quosdam addixit, adduxitque Monachos consecrandos in Claraualle, *Nusquam in itinere illo* (pergunt acta) *sic compressus est Pater, vt in ea Capella: quia locus angustus erat; & turba impellebat turbam, sicut vnda solet vndam præcipitare.* Subdit de Canonico præbendæ abrenunciante, & virum Dei sequuto. *N. noster, tunc Canonicus ipsius Ecclesiæ, eadem die præbendam, sæculúmque reliquit.* Sic Sanctus Pater vtrique militiæ prouidens, alios ad suos duces remittebat, alios ipse ducturus congregabat. At de miraculis patratis in ea vrbe, hæc Godefridus [b]. *Aquisgrani, sede Regia, dum in illa famosissima, toto Romanorum orbe, capella vir beatus Missarum solemnia celebraret, claudo homini gressum, & cæcis quatuor visum sub manu eiusdem serui sui, Rex Regum, & Dominus dominantium potenti virtute restituit.*

b lib. 4. cap. 4.

3. Aquisgranum egressus Traiectum petiit, quo feria quarta hebdomadæ sequentis, in Beatæ Mariæ Ecclesia pernoctauit. Cæterùm quæ vir Dei ibidem fecerit; quot, & quanta miracula; & qualiter Conradum Coloniensem, inter ipsa conuersum, ad religionem traxerit, pergunt acta scribere in hunc modum [c]. *Mane verò feria quinta post Missæ celebrationem, in eminentem locum Patrem deduximus, vt sine oppressione sanaret infirmos. Ego illi proximus eram, & quæ fiebant, noui pleniùs, & diligentiùs vniuersa probaui: ibi cæci illuminati sunt quinque, vir surdus audiuit, & mutus loquutus est. Ibidem surdus alter auditus, & manci manuum incolumitatem receperunt. Ipso die in hospitio, surdus, & mutus puer oblatus est: Cúmque signaret eum Pater Sanctus; honestus quidam iuuenis Conradus Coloniensis Canonicus abrenuncians ··· sese reddebat in manus eius. Eleuauit se, vt susciperet eum, & continuò puer loquutus est, & audiuit. Populus autem præstolabatur foris, & ecce vir audiens, & loquens parentibus redditur, & sequitur exultatio copiosa. Notus enim erat in ciuitate puer: & hoc famosissimum fuit in populo.* Hactenus acta. Et prosequuntur, innumera alia signa, quæ nos omittimus.

c cap. 12.

4. E Traiecto Leodium proficiscitur. Sed quid in itinere? Audi quæ sequuntur [d]. *Cùm egrederetur Vir Sanctus Traiecto, causa extitit, vt ad Ecclesiam Beati Seruacij declinaret pro negotio fratris, qui Canonicus erat eiusdem Ecclesiæ, sed & continuò, & Prabenda abrenunciauit, & ···· In ipso autem itinere puer claudus erectus est coram nobis. In Ecclesia quoque Beati Seruacij offerentes claudum hominem Patri nostro, rogabant, vt ei manum imponeret: At ille. Nescio, inquit, si displicebit Beato Seruacio, si id in domo eius præsumimus. Acclamantibus omnibus, & dicentibus, Domine non displicebit: In nomine, inquit, Domini nostri Iesu Christi, & Beati Seruacij surge, & sta super pedes tuos, surrexit igitur, sine mora, & cunctatione, & facta est lætitia magna in populo.* Hæc in itinere.

d Ibidem.

At Leodij, cùm clerus conuenisset in palatio Episcopi,

Episcopi, quo vir Dei erat hospitio suscipiendus, vt verbum Dei audirent ex ore eius: sermonem non tàm signis confirmare, quàm præuenire; seu signa confirmare sermone visus est, præcedente virtute, quam postmodum exhortatio sequeretur. Nam audi quod sequitur [e]. *Leodij clerus conuenerat vniuersus, qui in ciuitate illa copiosissimus est, & in camera Episcopi Patrem præstolabatur, vt sermonem haberet ad eos; & ecce preuenit eos Dominus sermone virtutis, & claudus quidam clericus ab renibus deorsum sic dissolutus, vt omnino non posset stare super pedes suos, oblatus est viro Dei. At ille debilia membra signans, & attrectans: Ambula,* inquit, *in nomine Iesu Christi. Protinus autem confortatus ambulare cœpit. Et egressus est sermo in clerum, & exclamauerunt: Tua sunt hæc Christe opera, qui Sanctos tuos ita glorificas. Ipsi gloria, & imperium nunc, & in omnia sæcula sæculorum. Amen.* Hic nos deserunt Euerhardus, & contyrones (si fortè illi sunt, vt vult Seguinus (nam ego aliter sentio) qui acta Sancti Patris in hoc itinere ab Spira vsque Leodium descripsere. Nec tamen reliqua peragranda sine duce; quippe à Gaufrido scripta ad Constantiensem Episcopum Hermanum, quæ nos ex ipso fideliter reddemus.

e Ibidem.

6\. *Igitur* (ait [f]) *Dominica post octauas Epiphaniæ, & secunda feria, Leodij mansimus, dum Philippus noster ea, quibus tenebatur implicitus, secundaria negotia consummaret. Factum est autem die Dominica, cùm ad Altare Beatæ Mariæ, in maiori Ecclesia Pater Sanctus Missarum solemnia celebrasset coram vniuerso populo, puer oblatus est, quem ex vtero claudum esse dicebant. Vbi verò signauit, tibias eius, & renes tetigit, apprehendens manum ipsius, erexit eum protinus, & deduxit. Conclamatum est statim à clero.* Te Deum laudamus: *Sed mugitus fletuum, & singultus vociferationem laudis euicit. Dabant pro cantu lachrymas plebs ignara canendi.* Pergit plura miracula describere intra biduum illud coram Episcopo à viro Dei patrata. Dolens tamen, quòd plura ipsum latuerint; nullo sonante per singula clamore, vt hactenus solebat intra Teutoniam. *Maximè tamen nocuit* (ait) *vbi Teutonicorum exiuimus regionem, quod cessauerat vestrum illud* Christ Huns que gaude, *& non erat qui vociferaretur.* Hæc de gestis Leodij Godefridus.

f cap. 13.

7\. At Cæsarius non multò recentior author celebrem aliam conuersionem cuiusdam Sancti, oraculo diuino præuentam, Leodij factam per hæc verba describit in suis dialogis [g]. *Temporibus Conradi Regis Romanorum cùm Sanctus Bernardus prædicaret crucem in Leodio, quidam Canonicus maioris Ecclesiæ prostratus in oratione ante quoddam altare, vocem huiusmodi cælitus dimissam audiuit: exi, & audi; Euangelium reuixit. Qui mox ab oratione surgens exiuit, & virum Sanctum crucem contra Sarracenos prædicantem inuenit: alios quidem signabat; alios ad ordinem suscipiebat: qui compunctus, & Spiritus sancti vnctione intus instructus crucem suscepit; non tamen transmarinæ illius expeditionis, sed Ordinis; salubrius iudicans longam crucem imprimere menti, quàm breuem zonam adsuere vesti.* Ergo Bernardo Patre prædicante reuixisse Euangelium oraculum cœleste confirmauit; cum hoc Canonico conuersus item alius, nomine Vvalterus, de quo idem Cæsarius non multò pòst *Sequutus est iam factus clericus Sanctum Bernardum cum socio eius Vvaltero ad Claramuallem, factique sunt ibidem ambo Monachi*, &c. Porrò huius Vvalteri conuersionem, quem postea in magnum virum euasisse declarabunt Annales, non minùs admirandam, gloriosámque ex actis eius; nam vitam scriptam habet Arnaldus, de Rayse tradit totidem verbis [h], *Cùm huius*, scilicet Vvalteri, *cognatus, Sancti Bernardi Fontani sermonibus impulsus, illius ordinem ingredi paratus esset, dummodo Leodicensis Episcopus prabendam suam Vvaltero cognato conferret, Beatus Bernardus Antistitem adiens rogauit, vt prabendam dicto cognato conferret. Verùm cùm Episcopus collationem non in sua, sed Abbatissæ cuiusdam potestate esse, respondisset: potes securè prabendam illam conferre, vtpote qua diu haud sit fruiturus. Hoc audito, Episcopus, Vvaltero Abbatissa per literas commendato, dictam prabendam procurauit. Verùm die sequenti, iuxta Bernardi prædicationem resignata prabenda, Cisterciensis Ordinis habitum à Bernardo supplex petiit, & obtinuit.* Hactenus ille. Sed nos de his inferius. Nunc Bernardum euntem prosequamur.

g lib. 1. cap. 6.

h Decembr. 5.

Celebre Monasterium Afligemiense in transitu visitatum à Sancto Patre traditio constans est eius Ecclesiæ. Vbi, & Monachos ad Cisterciensium normam reformari, repetita oratione, irrito licèt conatu, nixus fuerit; sed nihilominus baculum, quo imbecilles artus sustentare consueuerat, amici animi pignus dereliquerit; quem hodiéque obseruant, & venerantur. Quin maius quid ibidem contigisse, productis etiam antiquis monumentis, Afligemienses affirmant: quod ab Arnaldo ante paucos annos vulgatum, quia multa veritatis indicia præsefert, eiusdem verbis placuit hîc subiungere [i]. *Eodem in Cœnobio* (scilicet Afligemij) *quondam visebatur sacra Beatæ Virginis statua, qua B. Bernardum alloquuta est, sub Godescaldo Abbate; cuius rei versus, ex Annalibus dicti Monasterij excerpti, fidem adstruunt.* 8.

i in Auctario SS. Belgij August. 10.

Bernardus Mariæ ait, mea aue tu Virgo beata:

Et tibi: Aue Bernarde, ego imago redico volenter.

Cui adstipulatur Chronicon Gemblacense, ita dicens: Ante Belgij desolationem atque in ipso Belgio fidei Catholica labefactationem, in Monasterio Afligemiensi, Dei Genitricis erat imago, cui vale dicens Bernardus: Vale, inquit, alma Maria. At Bernarde, vale, ait, Sancta Maria. Imago hac B. Maria in vlnis Christum gestabat, sculpta ex candido, & molliori lapide, arena nigra nonnihil inspersa (quam Brabanti Rauender Steen *nuncupant) longitudine quinque, aut amplius pedum opere, & habitu prorsus antiqua, velo ex capite dependente in humeros. Qua imago hac vltima tempestate à quodam proteruo nebulone, ex basi deiecta, & confracta fuit putans ligneam esse, vnde ignem construeret. Ex quibus partibus dua alia sculpta sunt, quarum vna Afligemij adseruatur; alia verò Patribus Societatis Iesu Bruxellensibus à Priore donata.* Hactenus Arnoldus de Rayse, de antiqua illius Cœnobij traditione,

Certant igitur Afligemium, Spiráque de imagine Deiparæ, quæ Bernardum Parentem salutantem resalutauerit: atque vtraque monumentis antiquis nixam, firmatámque traditionem præsefert, cui vix erit, qui audeat contrà ire; nobis, vt neutra vincatur, vincat vtraque, & repetitum fauorem, quod solùm superest, pia credulitate persuadeat. Certè Bernardus vtrobiq; diuersa loquens, vtrobique 9.

vtrobique diuersa audisse credendus est. Et Spiræ quidem antiphonam auxisse, ex cuius primis verbis resalutatus, saluere iussus fuit. *Salue Bernarde.* At Afligemij, cum Angelo salutans, fortè concionaturus, vt solet fieri, cùm *Aue Maria,* deuotè pronunciasset, eadem sibi verba reddita audiit, *Aue Bernarde,* quo velut raptis ex ore ipsius verbis, dulcior' Virginis fauor comprobaretur.

10. Idem Arnaldus ex M. S. Cœnobij Bello-Pratensis; memoriæ prodit, cùm Pater Sanctus iuxta Gerardi montem, immanem solitudinem, ferarum tunc, & latronum latibulum, cum aliquibus sociis pertransiret, Spiritu prophetiæ plenum, *Vaticinatum esse, futurum aliquando locum illum, hortum amœnissimum pulcherrimis, odoriferisque rosis referium.* Porrò quàm pulchris! euentus declarauit; fundato ibidem Cisterciensium Virginum Cœnobio, post plures annos, ex quibus multæ sanctitate præeminuere, quod suo loco nos latiùs commemorabimus. Haud certò dixerim, hæc duo, quæ ex Arnaldo, in hoc itinere Bernardo contigisse. Verùm cùm his partibus contigerint, nec aliud tempus constet, præcedentibus, censui subiicienda, & præcessit, quem sequor, auctor Belga Aubertus [i] Miræus, qui primum illud refert in idem tempus.

11. Vt Afligemium, & Gemblacum, de quo statim, Pater mellifluus, sic item Alnam (illustre Monasterium, à Sancto Landelino olim fundatum pro Clericis, quos vocabant vitæ communis, sed à triennio regularibus Canonicis Augustinianis habitandum concessum) reformare curauit Cistercij legibus; nec irrito conatu, sicut priores; quamuis non statim euentus sequutus sit. Semina, iacta sub huius anni initium, sequentis fine fructificauerunt, rigante Henrico Episcopo Leodiensi, quem tria miracula à Sancto Patre patrata sollicitarunt. De his Ægidius Aureæ vallis Monachus, atque ex ipso Miræus ita scribit [k]. *Historici Leodienses memorant, Beatum Bernardum in Palatio Henrici II. Leodiensis Episcopi, dum sacram crucis militiam aduersus Turcas prædicaret, tria patrasse miracula: hisque commotum Præsulem, hortante etia. Bernardo. Alnensem Canonicorum regularium Basilicam Cisterciensibus Monachis tradidisse.* Ergo hoc anno per Bernardum iacta semina reformationis Alnæ, quæ paulò pòst creuerunt in magnam segetem, vt suis locis latiùs commemorabimus.

[i] in Chronic. Cisterc. hoc anno.

[k] in Chron. Cisterc. ad sequent. ann.

---

1. *Adamus Ebracensis, ex Bernardi præscripto, crucem prædicat:* 2. *qua, & Ottonem, & illustriores Germaniæ Principes signat.* 3. *Perpensa quædam de familia Cisterciensi,* 4. *& de efficaci Adami prædicatione.* 5. *Bernardus interim Leodio discedens,* 6. *Gemblacum visitat.* 7. *mox Villarium,* 8. *deinde Montes Hannoniæ, & Valencenas,* 9. *Cameracum præterea,* 10. *Clarus miraculis.* 11. *Demùm Valcellas, Laudunum atque Rhemos.*

CAPVT IV.

1. DVM hæc per Sanctum Patrem agerentur, Conradus, qui vexillum belli Sacri ab eius manu Spiræ ante susceperat; expediturus quæcumque necessaria, conuentum generalem indicit in Bajoaria, intrante mense Februario, celebrandum. Huic, quia Bernardus assistere non potuit, Venerabilem Adamum, Ebracensem Abbatem, cuius suprà meminimus, substituit, litterisque tum Apostolicis, tum propriis munitum voluit, per quas subdelegati Officio (nam id etiam concessum) perfungeretur. Cæterùm quæ in ea curia gesta sint, ex Ottone Frisingensi, qui præsens fuit, totidem verbis præstat, referamus [a]. *Post hæc Princeps Bajoariam ingreditur ibique mense Februario generalem Curiam celebrauit, ducens secum vice Claraeuallensis Abbatis, Ebracensem Abbatem Adam virum religiosum, & honestè eruditum. Qui Missarum solemnia ex more celebrans, innocatàque Sancti spiritus gratia, ambonem ascendit, ac lectis Apostolicæ Sedis, & Claraeuallensis Abbatis litteris, breui exhortatione facta, penè omnibus, qui aderant præfatam militiam profiteri persuasit: Nec enim persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, vel artificiosâ, iuxta præcepta Rhetorum, oratione, cunctis, qui aderant, ex priori rumore excitatis, ad accipiendam crucem vltro accurrentibus.*

[a] in Friderico, lib. 1. c. 14.

2. Cæterùm quot, & quanti Germaniæ Principes tam Ecclesiastici, quàm sæculares cruce in eo conuentu signati fuerint; qualitérque inter alios ipsemet Otto bello sacro subscripserit, in Syriam cum Conrado fratre profecturus; pergit post hæc scribere in hunc modum. *Accepère eadem hora crucem tres Episcopi, videlicet Henricus Ratisponensis, Otto Frisingensis, Regimbertus Patauiensis, & Dux Noricorum Henricus frater Regis; de ordinéque Comitum nobilium, & virorum illustrium innumerabiles.* Et paulò inferiùs, *sed & Dux Boemorum Labeslaus, & Styrensis Marchio Odoacer, & Carinthiæ illustris Comes Bernardus non multò post cum multo suorum comitatu cruces accepere.*

3. Hinc videat lector Syriacam huius anni expeditionem, neque enim quia infœlicem, dedignamur, nihil non Cisterciensibus debuisse. Quippè indictam per Eugenium Summum Pontificem, prædicatam per legatum eius Bernardum; & eo absente per Adamum Abbatem Ebracensem, Cistercienses omnes; sed, quod mireris, arma capessentibus quod penè videbatur alienum ab instituto: Cruce signatis, in Gallia Godefrido; in Germania Ottone; illo Lingonas, ex Priore Claræuallis; hoc Frisingiam assumpto, ex Morimundo. Fuerit sanè euentus Christianis tristis; at conatus gloriosus; & beneplacitum diuinæ voluntatis per tot signa innotescens, voluisse exequi, nostris, semper in merito; potuisse, in admiratione etiam erit: atque eò maiori, quò plus periculi; quod non aliunde, quàm ex damno accepto, pensandum venit.

4. Cæterùm qua efficacia prædicauerint, quàm penetranti gladio, verba Dei, cui nulla posset obsistere durities, nulla proteruia, vsque ad intima cordium se ingesserint, vltra ea, quæ hucvsque dicta sunt, ex prædonibus, latronibúsque cruce signatis,

b in Friderico, lib. 1. c. 40. signatis, idem Otto perpendit, in hunc modum [b]. *Tanta etiam (mirum dictu!) prædonum, & latronum aduolabat multitudo, vt nullus sani capitis hanc tam subitam, quàm insolitam mutationem ex dextera excelsi prouenire non cognosceret; cognoscendo, attonita mente non stupesceret.* Hæc ille. Nonnihil etiam ad Adami gloriam facit, nam neque id tacebo, quod S. Patre signante Germaniæ populos; supremi Principes, Proceres, Episcopi, ab ipso consignandi relicti sunt, vt qui vices Bernardi supplere posset. Sed de his satis. Nunc ad eundem Sanctum redeamus.

5. Qui interim Leodio discessurus, feria tertia, quę cecidit in vigesimam primam diem mensis Ianuarij [c]; c cap. 13. *Priusquam egrederetur* (ait Godefridus) *tres in ipsa Episcopi domo claudos erexit, mulieres duas, & puerum vnum* (atque hæc sunt tria illa miracula, de quibus suprà.) *Feria quarta profecti ab oppido, cui nomen* Hui *festinauimus ad Monasterium, quod Gembolium vocant. In ipso autem itinere senex cæcus vno oculo, & adolescens eodem laborans incommodo, ambo simul illuminati sunt. Feria quinta manè in Monasterio prædicto Gembolio, puer claudus oblatus est viro Dei, & confestim signatus ab eo gressum recepit, & coram omnibus ambulauit.* Hactenus ibi.

6. Cæterùm quod de Gembolio dictum est, per errorem apparet irrepsisse; & pro Gembolio, Gemblacum substituendum. Certè Bernardum Gemblacense in Leodiensi tractu Cœnobium celebre, visitasse, in comperto est, ibidémque monumentum sui aduentus, & grati animi pignus reliquisse, planetam, seu casulam, qua inter Missarum solemnia vti consueuerat. Quam hodiéque adseruatam, & obseruatam, producto fide digno testimonio, Chronici Villariensis, Arnoldus de Rayse, vir post Molanum, de cunctis Sanctis Belgij optimè meritus, in suo Auctariò testatur dum ita ait.

Ex Chronico Villariensi.

d Aug. 10. *Inde* [d] *Gemblacum pergens, ibique cum magna charitate susceptus, Monasterij religiosis planetam suam donauit, veteri more vndique dependentem, & stolam cum manipulo; in quibus sunt imagines pulchra per phrygionem acu picta; vti mihi videre aliquando contigit.* Hæc de Gemblaco visitato per Sanctum Patrem; at de Villario, vix dum tunc nata domo, pergit Gaufridus.

7. *Nouum* [e] *in partibus illis ædificabatur Monasterium, cui* Villare *nomen est, & ante paucos menses illuc Pater Sanctus congregationem miserat Monachorum. Voluit ergo plantationem nouellam, vel in transitu visitare, peregrinantes filios consolari. Factum est autem, cum Monasterio adpropinquare cœperat, claudam mulierem tetigit, signauit, erexit, & præcepit liberè ambulare. Duabus quoque claudis in ipso loco gressum, & iuueni cuidam amissum vnius oculi visum reddidit coram fratribus ipsis, & aliis plurimis qui conuenerant.* e cap. 13. Porrò Vir Sanctus, inter hæc miracula; lustrato circum loco, cùm inopiæ filiorum misereretur, transferendo Cœnobio, alium elegit: ex quo plures ad cælum migraturos, Spiritu prophetiæ plenus, prædixit, cum cæteris, quæ anno præcedente, de Villario agentes, commemorauimus.

8. Ex Villario, post paternam benedictionem donatam filiis, Fontanas profectus, & apud Philippi propinquos hospitio habitus, in itinere visum puero cæco, in ipso oppido manus aridæ vsum duabus fœminis, & dum exiret, claudo gressum restituit. *Ex hoc* (pergit Philippus) *accessimus ad castrum, quod nominant* Bing. *Vnde tanta occurrit hominum multitudo, vt totam camporum planitiem populus operiret.* Ibi tres claudi gressu, cæcus visu, & surdi duo desiderato auditu potiti sunt. Montes deinde Hannoniæ, & Valencenas, Cameracensi, qui illac ei occurrerat, deducente Episcopo, Sanctus pertransiit. Vbi inter ipsam verbi prædicationem octo cæci, sex surdi, claudi duo, sed & mulier manum aridam habens, sensuum, membrorúmque vsum acceperunt.

Cameracum deductus ab Episcopo, & primùm quidem in regularium Canonicorum æde, mox in ipsius palatio, hospitio habitus; pietatem, prædicatione continua verbi; miraculis, obsequia compensabat, & pluribus omissis, multa recenset: sed duo præ aliis affert Godefridus in hunc tenorem [f]. 9. f cap. 14. *Ibidem contigit, vnde præ cæteris miraculis obstupuimus; Puer enim cæcus à natiuitate opertis albugine oculis (si tamen oculi dicendi erant, quibus nec color, nec officium nec ipsa saltem cauitas inerat oculorum) ad impositionem beatæ manus visum recepit multis hoc indiciis probauimus, vix credentes oculis nostris, quod talibus oculis visus posset inesse.* Hæc de priori, sed aliud adhuc iucundius.

Accedentibus cæteris ad oblationem, puer adductus est surdus, & mutus ex vtero matris suæ: hic in proximo vico, natus, multis eorum qui astabant, non incognitus erat: cœperat autem, qui adduxerat, obsecrare Hominem Dei, vt puero manum imponere dignaretur: sed nos concursum populi metuentes, prohibuimus dicentes, vt finita Missa adduceret eum. Præuenit tamen expectationem virtutis effectus. Offerens enim puer, sacratam manum ex more osculatus est, & pertransiit. Nec mora accedens vnus ex militibus prædicti fratris · · · · · · interrogauit puerum dicens · · · · · · quod Latinè interpretatur. Audis tu? protinus autem ad ipsum puer quoque respondit, dicens · · · · · · surdus nimirum ex vtero, ea tantùm loquebatur, quæ ex ore interrogantis audiuisset. Addidit ergo miles loqui ad eum, & docebat inuocare Deum, & Beatam Virginem nominare, &c. ad singula verò incunctanter puero respondente, qui propiùs astabant, Clerici conuenerunt, cognitáque miraculi veritate leuauerunt vocem magnificantes, & laudantes Deum, qui dedit potestatem talem hominibus. Eleuatus puer salutat populum, & exultat in gaudio ciuitas Cameracensis loquentem audiens puerum, qui ex vtero matris suæ nec loquutus est aliquando, nec audiuit. 10. Hactenus ille de gestis Cameraci. At qualiter Valcellenses etiam filios, Radulphúmque, antequam pertransiret, visitauerit, ita prosequitur

Valcellam vocant Monasterium tribus ab ipsa ciuitate milliaribus distans, quod idem Pater noster, missis olim à Claraualle fratribus ædificauerat. Illic feria tertia pernoctauit nolens fraudare filios visitatione & consolatione paterna. In ipso sanè Monasterio manè Feria quarta priùs quàm egrederetur, militem quendam de regione eadem (qui à diebus multis debilis pedibus, simul, & cruribus ambulare non poterat) benedictionis virtute sanauit, ac referentem gratias, ad sua remisit incolumem. 11. Pergit deinde, quæ in via à Sancto gesta, quæ Lauduni, & Rhemis, cùm iam Vir Sanctus ad suos appropinquaret. At qualiter Ludouicus Rex, qualiter

qualiter Principes, Episcopi, Legati, venienti viro Dei obuiam occurrerint; qualiter tandem filiis restitutus, Claramuallem adierit, breui licèt ex eis auellendus, quia luculenter enarrat idem Auctor, ipsius verbis præstabit cuncta transcribere.

---

1. *Rex Ludouicus Bernardo Patri occurrit*, 2. *& Godefridus Episcopus Lingonas.* 3. *Plura Sancti miracula in Campania.* 4. *Queis noua addita*, 5. *& vsque ad Claramuallem continuata.* 6. *Quò tandem cum duabus Nouitiorum turmis regressus est.* 7. *Quæ illa?* 8. *Epistola prioris ad remanentem:* 9. *tarditatem obiurgans*, 10. *diuitias exprobrans*, 11. *& tandem ad reddenda vota inuitans.* 12. *Correctus Librariorum error ex Epistola;* 13. *atque obiter alia inde deducta.*

CAPVT V.

1. a cap. 15. *Dominica* [a] *die, festus dies erat Purificationis Beatæ Mariæ, & Francorum Rex Ludouicus deuotissimus, & Christianissimus Princeps Cathalaunum occurrebat viro Dei. Plurimi quoque ex Principibus vtriusque Regni conuenerant, & Legati Regis Romanorum, & Vvelphonis inclyti Ducis, vt de via Hierosolymitana communi consilio tractaretur. Quo vir Domini colloquio sic detentus est per biduum illud, vt ad populum exire nequiret: licèt vehementissimè desideraretur. Oportebat enim generale bonum votis anteferre priuatis.*

2. *Egredienti verò Feria tertia mulier quædam occurrit, arida manu postulans curationem; & iuxta fidem eius factum est ei, vt fieret ipsa hora sana. Et hoc quidem miraculum iam inter vicinos, & notos factum est, ne quis obiiceret illud de Euangelio* [b]*: Quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac,& hîc in patria tua.* b Luc. 4. *Aderat enim Venerabilis Episcopus Linganensis Godefridus, beati viri quondam filius professione, nunc Pater officij dignitate. Aderant,& Principes quidam & milites terræ nostræ non pauci.*

3. *Quarta Feria cùm iam desideratæ Valli magis appropinquaret, desideratus,& ipse: multiplicata sunt miracula manifesta, vt plusquam Propheta probaretur, cui propheticus honor non deerat, nec ipsa quidem in terra sua. Ipsa quidem die in vico Campaniæ, cui nomen* Danamant *in honorem Beatæ Agathæ, cuius festiuitas agebatur, Missarum solemnia celebrauis nec dum secesserat ab altari, & ecce vir quidam cæcum filium offerebat, cuius oculos sputo liniens tetigit, & illuminatus est ipsa hora. In oppido cui nomen* Rosnay*, languidum,& penitus debilem virum plaustro deportabant, cui solùm videbatur superesse sepulchrum, & huic quoque coram omni populo, & militibus multis manum imponens, ambulare eum fecit sine dilatione: & stupentibus vniuersis (quo prius fuerat deportatus) plaustrum sequebatur incolumis. Similiter & puerum, qui & ipse à diebus multis, ne vnum quidem passum poterat ambulare, signauit: vbi Castrum est egressus, & statim liberè ambulauit.*

4. *In eadem strata aliud situm est Castrum, quod* Brena*, ab indigenis nominatur illic transeunte viro Dei per orationem, & benedictionem eius puella clauda gressum recepit. Vbi verò egressus est stipem quærebat ab eo cæca mulier, & mendica: Intuens autem vir in eam: misericordia, tu, inquit, argentum quæris, sed Deus tibi visum restituet: accedénsque, signauit eam, & coram omnibus illuminata est illa hora. Interrogata verò quamdiu cæca fuisset, ab his vndecim annis nihil penitius se vidisse respondit. Sic Apostolicus vir Apostolicum imitatus exemplum, & petitionem mendicantis, & spem liberalitate Sanctissima superauit. Nec longè processerat, & ecce puer vno oculo cæcus benedictionem flagitat, tactum requirit. Quid ei negaret, qui dederat non petenti? nihil cunctatus signauit oculum cæcum, & eum, quo videre solebat, manu claudens, monuit digitum, & quid ageret, inquisiuit. Audientes peregrini quidam, quòd homo Dei transiret, socium suum surdum ei cum precibus obtulerunt, cuius aures sputo liniens, & immittens digitos suos, auditum reddidit ei ipsa hora. Exinde cùm paululum processisset sequutus homo eum, gratias egit, signum Crucis ab eo accepit, vt in exercitum Domini proficisceretur.*

Ipsa die venimus Barrum *super Albam, quod nominatissimum oppidum est, tribus à Claraualle millibus distans.* 5. *Quinta igitur Feria, vir Sanctus Missarum solemnia celebrans in Ecclesia Sancti ······ illic ad noua diuina virtutis magnalia obstupuere Barrenses. Addidit adhuc magnificare famulum suum Deus, & oculos pueri cæci nati manu eius aperuit. In eadem Basilica post Missarum celebrationem, puella contracta, cuius tali adhæserant renibus, erecta est,& liberè ambulauit. Altera quoque puella, quæ stare omnino non poterat, ibidem adepta est sanitatem. Item mulier clauda gressum recepit, & quàm citò signata est, virtutem sentiens, iussit pulsare Campanas, sicut ad singula, quæque miracula faciebant. In eodem loco, duo surdi, & muti à natiuitate, receperunt auditum pariter, & loquelam. Alter quidam puer, alter adolescens erant notissimi in oppido illo. Adhuc autem surdus vnus auditum recepit, & puella ex vtere matris suæ impos manuum sanata est ipsa hora. Alterius quoque manum aridam ante domum eleemosynariam, cùm iam proficisceretur, restituit sanitati.*

Ipsa die dispensator bonus multiformis gratiæ Dei, filiis redditus est, Claræualli reportans manipulos pretiosos [c]*, instar Patriarchæ Iacob cum duabus turmis regrediens.* 6. c Gen. 10. *Nam & triginta secum adduxit, & totidem ferè facto iam voto,& constituto die venturos præstolabatur.* Hactenus ille de viri Dei regressu ad Claramuallem, post tot, ac tantos labores exantlatos, nec tamen diutiùs in ea permansur. Quod mox videbimus.

Cæterùm quod in fine capitis ait, Bernardum cum duabus turmis regressum, & quarum alteram secum adduxisset, alteram postliminio venturam præstolaretur, in prima quidem ad prædictos Adolphum, Vvalterum, Fromundúmque; Fridericum, Conradum, & Philippum, cum aliis sociis: in secunda ad Coloniæ vrbis clericos adludit (de quibus suprà) per Sanctum Virum à sæculo conuersos in hoc itinere; ac Sedes in Claraualle vacuas, per continuas Fundatorum missiones, 7.

reparaturos. Extat epistola priorum ad posteriores, conuersionem paulisper retardantes, nec die condicta venientes ad Claramuallem. Quam, quia ignita, & vehemens, & aliàs ad historiam non parum faciens, haud pigebit ad litteram transcribere. Est autem talis.

8. *Dominus* [d] *, & amicis suis clericis Ecclesiæ Colo-*
d inter miracul. Bern. c. 9. *niensis, salutem dicunt fratres, & amici eorum Ge-*
rardus, & Gaufridus, Monachi qualescumque, Philippus Leodicensis, Volomarus Constantiensis, & cæteri tyrones militiæ, quos Vir Sanctus eripuit de medio Babylonis.

Ante omnia decet nos ex ipsis medullis cordium tibi gratias agere, Domine Deus noster. Multiplicasti enim super nos misericordiam, & magnificasti facere nobiscum. Immemor omnium iniquitatum nostrarum, quibus dignè puniendis, nec ipsa quidem gehenna sufficeret. Et vnde hoc nobis, peccatoribus vtique pessimis omnium, quos tua ordinante patientia, tellus inuita cogitur sustinere? Vnde hoc nobis vt sub tanta maiestatis patrocinio respiremus? O verè inæstimabilis cumulus miserationis! O incomprehensibilis diuinæ pietatis abyssus! Accumulauit gratia sua munera super virum, quem elegit, vt ad eum colligat vndique desperatissimos peccatores, in quo securius habeant sibi repositam sanctitatem.

9. *Vos autem vsquequo graui corde* [e] *? Nónne si in*
e Psal. 4. *Tyro & Sydone factæ essent virtutes, quæ in vobis*
f Matth. 11. *factæ sunt his diebus* [f]*, egissent pœnitentiam in cinere*
g Act. 3. & 14. *& cilio* [g] *? Ad signum vnum aliquando conuersa legimus de populo, vtique duræ ceruicis, hominum tria millia. cum in porta templi mendicantem claudum & ore prolata vox virtutis ambulare fecisset. Quantos ciuitas Coloniensis vidit erutos? Et multi, quidem de populo, ad quod vocabantur, conuersi sunt, & oblatam sibi à Summo Pontifice indulgentiam, & indictam pœnitentiam deuotissimè susceperunt. Sed cer-*
h Matth. 5. *tè* [h]*, nisi abundauerit iustitia vestra plusquam eorum, non intrabitis in Regnum cælorum. Laici de mundo sunt, licitè cogitant, quæ mundi sunt: Apo-*
i Ioan. 8. *stolis dictum est* [i]*. Vos de mundo non estis, sed ego vos elegi de mundo: quorum vos hodie occupatis loca; quorum stipendiis; quorum potestatem tenetis; quorum auctoritate polletis; quorum vobis vendicatis honorem, cum quibus (vt pace vestra diximus) communia vobis sunt omnia, præter conuersionem, & conuersationem, præter opera & voluntatem; præter vitam denique, & opinionem. Si in terra pasci gregem videbit, quis miratur? Pastorem autem similiter incuruari deorsum, similiter inhiare terrenis, & quæ inferiùs sunt, quærere; numquid non*
k Esa. 23. *ridiculum est, & abusio magna* [k] *? At nunc erubesce Sydon, ait mare, publicani, & peccatores præcedunt vos in Regnum Dei: desperata est plaga Cleri huius, à planta pedis vsque ad verticem non est in eo sanitas.*

10. *Ditata est Ecclesia terrenis possessionibus, sed virtutibus spoliata. Neque enim longa eis esse potuit cohabitatio, ex quo pauper factus propter nos Rex glo-*
Luc. 14. *riæ. ita paupertatem elegit, vt diceret* [l]. Nisi quis renunciauerit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus. *Heu! heu! videmus venenum additum Ecclesiæ. sicut dictum est Ludouico, quem nominatus Pium, qui præcipuè ditauit Ecclesias. Legimus enim in historiis eius, quod audierit vocem dicentem sibi: Venenum Ecclesiæ addidisti. An fortè vobis videtur absonum, venenum interpretari diui-*
m Marc. 4. *tias* [m] *? Christus etiam in Euangelio spinas vocat, &*
n 1. Tim. 3. *Apostolus* [n] *eas, laqueum definit esse diaboli.* Quicumque, *inquit*, diuites volunt fieri in hoc sæculo, incident in tentationem, & laqueum Diaboli. *Euadant ergo, qui volunt fieri pauperes, & securè decantent; quia laqueus contritus est, & nos liberati sumus.*

Agnoscite vocem iucundam, qui laqueum hunc 11.
transilistis (fratres nostros loquimur) qui adhuc inter nos solo corpore detinentur. Neque enim otiosus fuit ad clerum sermo Domini, vt magis inexcusabiles sint qui adhuc in perditione persistunt, imò faciliùs trahat cæteros [o] *funiculus triplex, qui difficile rumpitur:* o Eccles. 4.
cum verbo, & signis etiam proximorum accedat exemplum. Protrahunt, vt videtis, vbertas materiæ, & desiderium feruens, quo vos omnes habere cupimus, socios in visceribus Iesu Christi. Verumtamen supersedendum est nobis, præsertim, quod copiosius hæc, & efficacius ab ipso Patre nostro annunciata sunt vo-
bis [p]*, Domino cooperante, & sermonem confirmante,* p Marc. 20.
sequentibus signis. Hactenus ad retardatos Colonienses Claræuallis tyrones. Nec dubium tali epistola perlecta, si qui remanserant, obsequio responsuros.

Hinc corrigendus error Librariorum, seu quis fuit ille, qui epistolam prædictam, ipsis miraculis censuit interserendam, quasi præambulam ad secundam illorum partem, quam iidem ipsi tyrones dictauissent. Verùm dictata intra annum tyrocinij, quod ex titulo constat, præcessit longè secundam illam partem, imò & primam, quæ post mortem Sansonis Archiepiscopi, ad Henricum iam Rhemis præsidentem, adeóque post tertium decimum annum scripta fuit. Vtrumque constat ex vtriusque partis initio, prima sic incipiente ——— *Patri——— Dei gratia Rhemorum Archiepiscopo,* &c. Secunda verò *Multi ex vobis curiosè legerunt exemplar libelli, quem ad illustrem Henricum Regium Spiritu magis, quàm sanguine misimus de signis, quæ vidimus.* &c. Præcessit ergo epistola libellos duodennio, vt minùs integro. Verum est tamen, nam id etiam fatebor, ex aliquibus vtriusque locis colligi, scriptos Sancto Patre adhuc viuente; quod qua ratione cohæreat, non satis capio. 12.

Ex eadem etiam epistola constat, quos Monachos, socios viæ, Sanctus adduxerit, nempe Euerhardum, Gerardum, & Gaufridum. Qui, quia præsentes eorum conuersioni, votísque; ad Colonienses clericos scripserint, quæ vouerunt, quantocius redituros. Nec dubitarem Gaufridum eumdem esse, qui Sancto Patri, dum vixit, à secretis, post mortem, vitæ ipsius Scriptor fuit. Quippe quem ante septennium admissum, vt memorauimus, sola tandem, quæ sola potuit mors à Bernardo auulsit, quod ipse se non sine singultu, & lachrymis, aut meminisse, aut proferre posse testatur; nisi viderem in secundo ex suis libro, eadem scribentem ex relatione eorum, qui interfuerunt, *Nam vt testati sunt* (inquit) *qui affuere,* &c. quod nequaquam dixisset, si fuisset. Diuersus ergo Gaufridus ab eo fuit, à Bernardo deductus, & reductus, qui subscripsit epistolæ, quin & tertiam miraculorum partem hominis Dei, in qua mundo versamur, compilauit. Nam duas priores dictatas à Philippo, inde deduco, quod prima nomen eius præscriptum habeat; secunda verò eiusdem auctoris sit, quod & stylus indi- 13.
cat, & verba satis clarè manifestant [q]. Sed de q in Prœmio
his satis. Et nos Arnulphus vir magnus du- quod est.
dum expectat, à Sancto Patre à sæculo voca- c. 10.
tus, atque ad Claramuallem adductus hoc ipso tempore.

1. Conuersio

1. *Conuersio Arnulphi, & primùm ratio temporis.* 2. *Votum cum Beato Bernardo communicatum,* 3. *confirmatum oraculo, & socio.* 4. *Quid de viro Bernardus?* 5. *& quid cum illo?* 6. *Repromissa salute, quæ nullis Purgatorij pœnis retardaretur,* 7. *Sancti Rainaldi aduentus in Claramuallem,* 8. *atque ob id persequutio.* 9. *Algotus ex eadem Domo assumptus ad Curiensem Ecclesiam, & eius laudes.*

CAPVT VI.

1. ILLVSTRIS viri Arnulphi de Maiorica mirandam conuersionem incidisse in hoc tempus inde coniector, quòd in Belgio, Bernardo prædicante, conuersum constet: nec tamen fuit de prima illa captura (vt loquitur Guillelmus) quam præcedenti tomo recensuimus: postquam non vltra in Belgium reuersus est vsque ad hanc crucis, pro restauratione Terræ Sanctæ, prædicationem. Porrò autem non conuersum inter priores, vltra alia indicia, mihi probat Cathalogus Priorum Claræuallensium [a]; recensitis Primoribus illius, & tacito Arnulpho, numquam prætereundo, si coiuisset. *Hi tres,* inquit, scilicet Godefridi duo, atque Garnerus *) fuerunt de societate Neustiorum, quos adduxit Beatus Bernardus de Flandria, & de partibus illis, & de istis fuerunt Episcopus Alanus, & Dominus Robertus, secundus Abbas Claraeuallensis,* &c. Ergo hoc anno conuersum à Sancto Patre (eunte an redeunte, non ausim dicere) verbis Exordij magni, quæ genus viri, potentiámque describunt, tum conuersionis Ordinem, & modum, quo maior dictis fides prosequamur.

a apud Henr.

2. *Cum* [b] *Reuerendissimus Pater Bernardus aliquando Prouinciam Flandriæ intrasset, & retia verbi Dei quaqua versum in capturam animarum laxaret, & nobiles, & litteratos viros multos de fluctibus sæculi ad littus conuersionis traheret, inter cæteros illustris vir quidam, Arnulphus de Maiorica, vir diues, & delicatus nimis secretò in manibus eius se reddidit. Fuit autem vtriusque consilium, rem silentio tegere propter quædam impedimenta sæculi vsque ad vltimum diem, quo egressurus esset de terra & cognatione sua. Erat enim magnus Paterfamilias, ornatus filiis, & fratribus, tantisque diuitiis irretitus, vt absque suorum damno, & scandalo graui abrumpere se non posset, nisi prius domui sapienter, & cautè disponeret.* Hactenus ibi de viri claritudine, potentiáque: & modo quo se Deo, & Bernardo tradidit, cùm primùm posset, Claramuallem profecturus.

b lib. 3. c. 17.

3. Verùm quem socium viæ, vitæque diuina illi prouiderit Clementia, reuelato secreto cuidam rustico, quem ad hoc ipsum dudum prælegisset, pergit Exordium [c] scribere in hunc modum. *Interim verò, dum silentium tenerent omnia, & arcani huius negotij causam ipsi soli duo in mundo scirent, factum est verbum Domini ad quemdam rusticum armentarium, cùm boues minaret ad aratrum, dicens: Vade, & dic Arnulpho de Maiorica, vt secum ducat te in Claramuallem, quo proximè iturus est ad conuersionem, & cùm eo conuertere. Audiuit verò vocem, & neminem videbat. Facta autem hac voce, pauper ille cœpit attentius orare, vt si à Domino sermo esset egressus, reuelaret iterum auriculam eius. Et adiecit Dominus secundò loqui ad ipsum, repetens eundem sermonem. Acceptóque iam secunda vice oraculo, venit ad præfatum virum, & ait; Verbum mihi ad te Dominum meum factum est. A quo cùm fuisset ductus in partem, procidit ad genua illius dicens: Obsecro te per Christum Dominum nostrum, vt ducas me ad Claramuallem tuam, & salues tecum animam meam. Et si scire desideras, Dominus pius, & misericors secreta tua, causa salutis meæ, mihi reuelare dignatus est. Audiens autem nobilis ille Paterfamilias verba ista, miratus est, & lætatus valde. Acceptúmque hominem conduxit ad se ipsum, quem etiam postmodum indiuiduum comitem itineris pariter, & conuersionis habuit, habiturus (vt credimus) consortem æternæ retributionis.* Hic modus conuersionis Arnulphi fuit, oraculo cælesti præmunitæ; quo nec dubius hæreret, nec solus deficeret, si sibi post Bernardi discessum relinqueretur.

c Vbi suprà

Quanto tempore negotia sua peregerit, in dubio est; certum cùm venit, inuenisse Bernardum in Clarauallé; à quo non solùm in gratia, & reuerentia, verùm in admiratione habitus sit, quasi qui ex morte ad vitam reuocaretur. Nam audi, quod sequitur [d]. *Explicitis itaque negotiis, pro quibus moram fecerat, venit in Claramuallem tam submissus humilitate, quàm sublimis diuitiarum affluentia; multásque eidem Monasterio de facultatibus suis contulit, sed & aliis nonnullis Cœnobiis dona largitus est. Beatus verò Bernardus de conuersione eius multum exhilaratus est; & talem de eo in Conuentu fratrum sententiam protulit. De conuersione fratris Arnulphi nec minus admirandus, nec minus glorificandus est Christus, quàm de resuscitatione Lazari quatriduani. Eo videlicet, quòd in deliciis tantis clausus, atque sepultus, velut in tumulo iacebat, & quasi viuens mortuus erat.* Ita Bernardus de Arnulphi conuersione, teste auctore Exordij, legant & paueant cuncti, qui in deliciis, dum vitæ consulunt, mortem amplectuntur, à qua ni suscitentur per pœnitentiam, sint ad æternam celeriùs transituri. 4.

d Vbi suprà.

At quàm suauem eundem Sanctum Patrem suscitatus Arnulphus expertus sit, quàm mitem iudicem, quàm rigoris Ordinis, atque subitæ ad ipsum mutationis ab eodem conceptæ, etiam supra æquitatem, ponderatorem, idem qui suprà Auctor [e] pergit scribere. *Huic* (ait, id est Arnulpho) *confitenti in gemitu, & lachrymis multis delicta vniuersa, quæ in mari contraxerat sæculi, Beatus Bernardus intuens cordis eius amarissimam contritionem, & ad omne opus bonum spontaneam voluntatem, iniunxit ei, vt* Pater noster, *tribus vicibus diceret, atque in suo proposito deinceps vsque ad mortem perduraret. Quo audito, contristatus respondit: Ne quæso, irrideas famulum tuum, Beatissime Pater. In quo te* (ait) *irrideo? At ille ait: Ieiunia septem annorum, vel decem non sufficerent mihi etiam humiliato in sacco, & cinere; & tu mihi præcipis,* Pater noster, *tertiò dicere, & in Ordine perseuerare?* Sic certantibus Patre, filióque. 5.

e Vbi supra.

que, vt non dicam pœnitente, & Confessore; illo vt seueriùs secum ageretur; isto vt mitiùs: dum suas vterque strenuè partes exequitur, vterque nobis exemplum propinauit, quod vtinam hauriamus, & imitemur; pœnitentes, eximiæ compunctionis; Confessores, prudentiæ, & lenitudinis.

6. Verùm cùm adhuc Arnulphus hæsitaret, suorum acris accusator, & vindex criminum; Sanctus Pater increpatum leuiter priùs, mox ratione munitum, demùm dato responso confirmauit; & promissa salute, & ad quam nullo igne purgatorio medio, cùm primùm ex hac vita migraret, assumeretur. *Ergo ne (ait) tu meliùs nosti, quid te oporteat facere, vt salueris? An fortè tibi parum videtur Ordinem tenere, & in ipso vsque ad mortem perseuerare? ille respondit. Absit ab anima mea tam iniqua præsumptio. Sed propter Deum obsecro, ne mihi parcas in præsenti vt meliùs parcat Deus in futuro: & talem nunc impone pœnitentiam quatenus post mortem carnis, ad requiem sine pœna perueniam. Cui B. Pater ait: Fac, vt loquutus sum, & securum te facio. quia deposita mole corporis, mox ad Deum sine molestia peruolabis. Hoc itaque responso, quasi diuinitus accepto, confortatus est nimis: adeo vt deinceps nulla tentationum violentia, nulla infirmitatis molestia posset à cursu desiderij sui, quo totus in Deum pergebat, aliquatenus retardari.* Hanc tanti viri conuersionem, de se illustrem, ex circunstantiis etiam illustriorem præterire non licuit, nunc præsertim, cùm alias recensemus. Cæterum quantæ perfectionis homo fuerit, quantæ patientiæ; quibus etiam visionibus, consolationibúsque à Deo præuentus; tandem salutem à Bernardo sibi promissam, plenus virtutibus fuerit consequutus, Deo dante, in tempore expediemus.

7. Interim quia in celebres conuersiones semel incidimus, non abs re erit aliam memorare, quæ hoc tempus concernit, incerto licèt anno, lectorum animis varietate ipsa leuandis. Ergo inter turbas sæculum fugientes, sub auspiciis Bernardi militaturas, Claramuallem clariorem adhuc fecit Beatus Rainaldus, ex Monacho Monasterij Sancti Amandi, in quo à trigesimo ætatis suæ anno, ad quinquagesimum vsque sudauerat. Hic maioris ardore perfectionis velut accensus, ac diuinis oraculis admonitus, dealbauit cucullam, quinquagenarius tyro; sed qui munia expleuisset optimi Ducis. At nos de eo venerandum senem, qui virum propiùs nouit, audiamus [f]. *Vir Domini Rainaldus, licèt ante conuersionem suam per triginta annos in habitu sæculari degeret, non tamen sæculariter vixit, sed semper operibus pietatis insistens, in corpore suo glorificare, & portare Deum sollicitus fuit. Nam inter cætera bona quæ corde integro faciebat, etiam corporis integritatem Domino dedicauit. Cuius opitulante gratia, incentiua libidinum, & carnis spurcitias ab vtero matris suæ vsque in diem mortis suæ impolluto calle transiuit. Suscepto autem Monastico habitu in Monasterio Sancti Amandi, viginti, & eò ampliùs annos ibidem in Sancta conuersatione transegit. Vbi & sanctitatis suæ non paruum specimen omnibus dedit. Inde maiorum virtutum ardore flammescens, ad domum Claraualllis Dei æmulatione se contulit, antea tamen præmonitus à Deo reuelationibus multis.* Hactenus senex ille Sancto coæuus; nempe vt non semel, aut iterum dumtaxat, sed velut tractu continuo, adimpleri visionem sibi ostensam, & religiosos ex omnibus Ordinibus, ad suam vallem confluere, Bernardus lætabundus experiretur: & Clarauallis Ecclesiam imitata [g], in fimbriis aureis lucens, varietatibus appareret circumamicta.

f lib.3.c.11.

g Psal.44.

8. Cæterùm notatione dignum est, quod cùm iam minus auderent in Sanctum Virum, minus in locum; hunc, quem Eugenius Pontifex foueret; illum, quem ipse, quem Principes, quem Reges, quem vniuersus orbis venerarentur: zelo nihilominus feruentes pro suo ordine, Monachi Monasterij Sancti Amandi eatenus in Rainaldum turbati sunt, vt multa, & diutiùs ab eis perpeteretur. Sic enim subdit. *Quantos verò labores, quantásue molestias à Fratribus Ordinis illius Sancti Amandi, dum fœlicibus eius actibus inuiderent, & ab istiusmodi proposito eum auertere cuperent, Beatus iste vir Domini pertulit, supersedeo dicere dum legentium tædio velim consulere.* Atque hoc ideo subiiciendum fore putaui, quo videat lector diuinam prouidentiam erga electos, per pressuras dolandos, poliendósque; quibus cuncti subiaceant; & dum poliantur, passuros vel ab electis. Hic ille magnus Rainaldus est, qui sub tempore messis beatissimam Mariam videre meruit, metentes fratres in agro visitantem, quam Sanctæ Elisabetha, & Maria Magdalena comitabantur. Sed de his suo tempore dicendum: Nunc ad Bernardum parentem redeundum paucis diebus permissum dilectis filiis.

9. Hoc ipso anno (si quæ instrumentis fides) Algotus (Adalgotum alij, alij Adulphum appellant) relicta Clarauallle, & Bernardi parentis magisterio; ex discipulo Doctor ad Ecclesiam Curiensem promotus est; certantibus, qui Bernardum nouerant, populis, quam ab ipso non possent, vt ipsi vellent, pietatem haurire ex eius filiis. In originibus Ecclesiæ Roggemburgensis (Præmonstratensium Patrum insignis domus in finibus Sueuiæ) qui Haymoni Abbati per mortem rapto dicitur successisse, nempe Vigilius, (& successit sequenti anno) eò fœlicior in regimine appellatur [h], *quod magnis Adalgoti Episcopi Curiensis fauoribus auctus fuerit.* Vnde obiter corrigendi veniunt Demochares, & Bruschius, aliíque, qui in Cathalogis Curiensium Episcoporum Adalgoto anteponunt duos Conrados: sed quorum alter Curiæ præsidebat anno M. C. LVI. Certè Adalgotum nostrum ante hunc præfuisse, supradicta declarant, & quæ infrà tradenda confirmabunt. Quippe anno M. C. LVI. approbatas videbimus Algoti donationes, quas diuersis Ecclesiis asseruisset: idque ab Adriano 4. Summo Pontifice, qui ad annum Christi. M. C. LXV. non peruenit. Interim quæ de Algoti assumptione, laudibúsque Roggemburgenses Patres benefactori suo grati, scribunt, totidem verbis, quia breuia, transcribemus. *Erat is Adalgotus ex Claraualensi Sancti Bernardi Monacho ad eam Cathedram euectus: vt proinde minùs mireris Præmonstratensem Antistitem* (scilicet Vigilium) *à coæui Ordinis Cisterciensis Præsule beneficiis fuisse cumulatum. Eius in re familiari administranda, ac religiosis familiis restituendis, ditandísque, solertiam plurimum commendat Gulerus libro 9. Historia Reth. anno Christi M. C. LXVII. & vt nos ipsi non ingrati videamur beneficiis à tanto Pontifice acceptis, producamus in lucem, quæ grauissimus testis Arnoldus Archiepiscopus Moguntinus, Curiensis Ecclesiæ Metropolita, Adalgoti donationes,*

h apud Henr. Fauer. in prætermiss. ad Menol. Ianuar. 17.

donationes, & instituta confirmans, ait. Hactenus Roggemburgensis Ecclesiæ Patres. Verùm quæ Arnoldus Moguntinus narrat de gestis Adalgoti, nos suo loco commodiùs referemus.

1. *Bernardus Pater vix redux in Claramuallem, ad Concilium Stampense vocatus à Ludouico.* 2. *Egressus domum miraculis coruscat,* 3. *quæ in vicis proximis,* 4. *mox ad Castrum Barrum,* 5. *dein in Diœcesi,* 6. *& vrbe Tricaßina,* 7. *multiplicata,* 8. *per totum etiam iter,* 9. *increbuerunt.*

CAPVT VII.

1. INDIXERAT Ludouicus Rex conuentum Principum, cui Bernardus adesset, Hierosolymitano itineri expediendo, in Quadragesima Stampis celebrandum. Ita vix redditus filiis sibi charissimis, cùm ab eis auulsus Claramuallem iterùm deserere, atque iterum Galliam peragrare coactus est, deinde in Germaniam denuò regressurus. Quippe nihil vsquam factum, nisi per ipsum: siue quia solus idoneus inueniebatur, siue quò magis in fœlici euentu, qui rem manebat, detrahentium linguis, velut carbonibus ignitis excoquendus ad purum, permitteretur; haud aliter ad Regnum peruenturus. At quas in transitu vrbes visitauerit, & quæ in eis miracula ediderit, multis tamen, vt hactenus, omissis, Godefridi, qui cunctis præsens fuit, verbis præstabit prosequi.

2. [a cap. 16.] *Paucos*[a] *dies Clarauallì faciens Pater Sanctus, ne intromitterentur infirmi, quieti prouidens, interdixit. Ipsa tamen die, qua exiturus erat iuuenem Lingonensem, cuius auris altera ab annis multis penitus obsurduerat, Venerabilis Episcopus noster obtulit, & confestim audiuit homo, & gratias egit celeri medicinæ. Egrediens autem Pater Monasterij ianuam inuenit languentium multitudinem, cæcorum, claudorum, aridorum: plurimique in tumultu illo sub manu signantis desideratam adepti sunt sanitatem. Vbi verò montem ascendit, obuium habuit puerum surdum, & mutum, qui diebus multis inter fratres nostros Fontarciæ manserat, tantùm innuens eis. Huius linguam sputo liniens, & auribus eius immittens digitos suos, Deum nominare iussit; cœpitque puer paulatim loqui; sed adhuc vox in gutture laborabat. Quod aduertens vnus ex fratribus nostris, rursum obtulit eum rogans, vt gutturi eius manum imponeret. Statímque loquutus est liberè cum multis lachrymis, gratias agens Deo. Tandiu siquidem surdus, & mutus extiterat, vt ei nomen proprium penitùs excidisset, & nesciret, quis vocaretur. Vir, recordatus ciuitatis nomen, vnde erat oriundus, Parisiensem se esse dicebat.*

3. *In eodem itinere surdus alter audiuit, pueri duo claudi gressum receperunt, & propè Mundiuillam, sic enim vocatur viculus, duobus fermè à Monasterio millibus distans, curatus est paralyticus senex, nobis astantibus, turbis acclamantibus vehementer. Villa super Arciam nominatur, vbi pernoctauimus ipsa die. Mane verò in Basilica post Missæ celebrationem, adolescens altero crure contractus, vbi à viro Dei signatus est, extendit neruum, & coram omni populo gradiebatur exultans. In eodem vico, ingressus hospitium, & irruentibus multis, cæcum vno oculo puerum, & puellam mutam à natiuitate, consueta benedictione sanauit. Siquidem, & puer illuminatus, & puella loquuta est, audientibus, & admirantibus vniuersis. In platea cùm detineret eum populus egredientem, sanati sunt manci duo, quorum alter, etiam vnius oculi lumen recepit amissum duplicique liberatus incommodo duplex gaudium reportauit.*

Ea die iuxta Castrum Barrum, quod abluit Sequana fluuius, coràm multitudine copiosa plebis, quæ de tota regione conuenerat, curati sunt puer cæcus, & vir cæcus, puella manca, & paralyticus senex: hunc in plaustro detulerant, & ab annis quinque se elanguisse dicebant, vt nec sedere quidem, nec sine alio posset mutare latus. In ingressu villæ, quam Bargonitum *vocant, erectus est puer claudus ex vtero matris suæ: in ingressu quoque mulier quædam amissum ab annis quatuor gressum recepit. Nec longè progressi eramus, & ecce currebat post nos mulier cæca vno oculo: & hæc quoque vbi peruenit ad virum Dei, ab eo signata est continuo, & visum recepit: & reuertebatur gratulabunda, & laudans.* 4.

In ingressu Diœcesis Tricassinæ, in vico (cui Fulceria nomen) est oblatus à populo puer à natiuitate surdus, & mutus; & ab vtroque morbo sanatus est ipsa hora. In via quoque cùm egrederemur, puella manum à natiuitate aridam, & contractam, benedicta Bernardi manus extendit, quasi esset cerea; & sanata est statim, ita vt teneret fortiter baculum, quem tradidimus ei. Mirabantur omnes, qui deducebant Sanctum Dei, viri de eadem Regione nobiles, & potentes. Magis autem mirati sunt iuxta vicum, qui Vanda vocatur, puellam claudam, mutam ex vtero matris suæ, benedictione percepta, ambulantem videntes, audientésque loquentem. 5.

Altera autem die in maiori Ecclesia Trecensi congregatus est populus innumerabilis, vt audiret à Dei homine verbum eius. Factus est tumultus intolerabilis comprimentium sese turbarum, & periculum metuens, egressus est Vir beatus, cúmque in hospitio Episcopi se recepisset, sequebatur eum languentium multitudo, & pro foribus expectabat. Ingressa est puella clauda, & sub oculis omnium, signante viro Dei, adepta est sanitatem, & liberè ambulauit. Erat autem nota in ciuitate puella, & ex propinquis eius aderant eadem hora nonnulli. Post paululum quoque cæcus vno oculo puer illuminatus est, & alij duo, quorum erant aridæ manus, sanati sunt, admirantibus, & exultantibus vniuersis. Vespere quoque expectantes infirmos iuxta cancellum Ecclesiæ, seorsim poni præcipiens, exiuit ad eos, & signauit ex ordine residentes. 6.

Aderant autem Venerabiles Episcopi Gosfridus Lingonensis, qui ferè omnia, quæ scribimus, præsens vidit; & Henricus Trecensis: aderant Clerici, & laici de ciuitate non pauci, coram his omnibus puella clauda, & muta oblata est viro Dei, cúmque signatam apprehensa manu deduceret loqui cœpit, & ait: Non possum Domine ambulare. Obstupuimus omnes, iterúmque signari reuocauimus eam, & gressum quoque recepit. Ibidem quoque cæcum oculum pueri, sputo 7.

 liniens

litiens illuminauit. Mulierem claudam ab annis quindecim, quæ in Ecclesia Beatæ Mariæ à sanctimonialibus alebatur, signans, & attrectans curauit protinus: vt quod ante non poterat, & sedebat, & liberè gradiebatur. Exultans igitur vehementer tulit baculos, quibus antea vtebatur, in Beati Petri Ecclesia suspendendos. Item iuuenis quidam eiusdem Ecclesiæ seruus, amissum ab annis quinque, ibidem recepit auditum. Pergunt plura miracula, quæ ibidem patrauit Pater Sanctus, & nos omittimus ad alia properantes, sed eiusdem Gaufredi, qui suprà, verbis.

8. *Manè egressus Trecas, dum transiret Vir Sanctus villam, quam Prunetum vocant, oblatus est ei, puer cuius pedem retractati nerui torserant in peruersum, ita vt ambulare omnino non posset: acclamabant autem, qui conuenerant, leuantes manum in cælum, dum vir Domini puerum attrectaret. Nec mora signatum pedem omni facilitate detorquens, deponi iubet, & coram omnibus ambulare cœpit incolumis. In oppido quoque, quod Romana lingua* Tringuel *vocant post Missarum celebrationem Feria sexta coram omnibus ad altare adducta est mulier cæca, eiusdem indigena Castri. Cúmque ei Vir Beatus imposuisset manum, interrogata à circumstantibus: Iam citò videbo, inquit, & post paululum: Video* (ait) *clarè, omnes vos video: benedictus Deus, qui fecit mecum misericordiam. Altera quoque illuminata est, quam ab annis decem cæcam fuisse testabantur. Ibidem clauda mulier gressum recepit, & mutus loquelam, acclamantibus omnibus, maximéque illius Castri, qui nulla priùs similia viderant. Ipsa die transeunti propè claustrum Braium (quod lutum interpretatur) occurrit vir quidam filiam portans in humeris, quæ nec loqui vnquam potuerat, nec stare supra pedes suos; statimque sub omnium oculis ab vtroque est incommodo liberata.*

Apud Monasteriolum, vbi Iena fluuius in Sequanā influit, præsente Comite Theobaldo, & multis aliis nobilibus, pariter & ignobilibus, mulieres tres, prima auditum recepit, secunda amissum, ab annis septem, vnius oculi visum, tertia paralytica sanitatem: hæc in grabato in Ecclesiam fuerat deportata; & vbi signata est, & iussa stare supra pedes suos, in medio populi stetit incolumis, & relicto grabato suo, gratulabunda repetiit domum suam. Ipso die apud Moretum oppidum iuxta leprosorum domos, surdum, & mutum à natiuitate puerum offerebant, cuius statim aures apertæ sunt, & solutum vinculum oris eius. Ibi verò castrum ingressi, flumen transiuimus, quod Loen *vocant, occurrit viro Dei populus innumerabilis, & ibi quoque puer quem bene nouerant circumstantes, amissam loquelam eius benedictione recepit.* Hactenus quæ Sanctus in hoc itinere dum pergeret ad colloquium Stampense: atque ibidem, & post solutum Concilium gesta sunt, sequenti capite commodius referemus. 9.

---

1. Conuentus Stampensis acta summatim dicta. 2. A quo Bernardus discedens toto itinere, 3. quin & Senonis, 4. & Antisiodori claret miraculis, 5. dictum obiter de Concilio eiusdem vrbis. 6. & de negata Placentini electi confirmatione. 7. Tum salutato Hugone, Bernardus redux, per Molismum, 9. beneficia multa conferens, 10. tandem reuertitur in suam Claramuallem.

Capvt VIII.

1. De Stampensi colloquio pauca, & obscura, quippe, extra hanc Godefridi narrationem, ab omnibus omisso, & cuius ne Sugerius quidem meminit. Constat tamen expedita in eo omnia, quæ iter possent transmarinum retardare; negotia Regni pro tempore disposita, indictum diem optatæ profectioni, & iniunctum à cunctis Bernardo Patri, vt adiret Turingiam, conuenturus Episcopos; & Proceres, qui Regem in tam graui negotio comitarentur. Et primum quidem miraculis intentior, quàm historiæ, Godefridus supponit magis, quàm narrat: posterius ex euentu ipso colligitur; Bernardo rursus Treuirim regresso, atque vniuersam Turingiam peragrante, quo tempore profectio præparabatur; quod suo loco commodiùs referemus; sanè primores viros eius Prouinciæ sub Ludouici auspiciis militasse in hac expeditione, Conradi frater Otto memoriæ prodidit [a]. *Ducens secum*, ait, (& loquitur de Ludouico Francorum Rege) *ex nostris Lotharingos, quorum Principes, seu Primores erant, Stephanus Metensis, Henricus Tullensis Episcopus, Reginaldus Munzunensis, Hugo Vuaidemontensis Comes*, &c. Hactenus Otto. Nunc Sanctum Patrem à colloquio reducem, & suo tempore cuncta peracturum, ad Claramuallem vsque prosequamur: nec aliis meliùs, quàm Godefridi verbis,
2. qui cuncta vidit.

Stampis [b] *negotio Hierosolymitanæ expeditionis, & Regni Franciæ tam ipse, quàm cæteri, qui conuenerant, intendebant. Reddit tamen illic auditum surdo; frenetico, quem ligatum attulerant, mentem; mulieribus duabus, visum alteri quidem vnius oculi, alteri vtriusque. Exiens quoque, finito concilio, cæcam puellam per signum crucis illuminauit. Apud viculum Messam, qui tribus à Stampis milliaribus distat, coram vniuerso populo, qui conuenerat, surdis duobus, viro, & vetulæ mulieri restituit auditum. Milliacum oppidum transiens, ipsa die mulierem languidam, & viribus corporis adeò destitutam, vt nec ambulare, nec stare posset, signauit, atque sanauit; propriisque pedibus est reuersa, quæ fuerat ad portam pedibus alienis. Illic etiam clericus quidam amissum vnius oculi lumen adeptus est, & puer claudus incessum: sic & Moreti vir cæcus vno oculo, qui viro Dei occurrebat ingredienti, confestim illuminatus est ad eius benedictionem.* Hæc de gestis ab Stampis vsque Senonas.

Ast, quæ Senonis gesserit, miraculis prætermissis, quia pluribus, atque ingens volumen impleturis, vnicum tantùm narrat, quia cunctis notius. 3.
Senonis (ait) *quæ Galliæ olim maxima erat ciuitas in conspectu cleri, qui ad eum fuerat congregatus, mulierem surdam, & cæcam, per manus impositionem auditu donauit: & præter alia, quæ scribere supersedimus, vitantes prolixitatem ingredienti oppidum, cui Iouiniacum nomen est, oblata est mulier cæca confestim in habitum versa priuatione, de cæca facta*

[a] in Frider. lib.1.c.44.

[b] vbi suprà, cap.16.

facta est videns, exiitque sermo in populum, & vndique acclamabant. Anna videt, quia omnes nouerant eam. Hactenus beneficium, vt non maius, at cæteris illustrius, ex accipiente: subdit de puero cæco, Sancto oblato, atque visum adepto; quo populi lætitia, deuotióque, geminato fauore, geminaretur.

4. Antisiodoro præsidebat Hugo Matisconensis, in conuersione filius, in probatione socius, in sanctitate æmulator Beati Viri. Siue ergo visitandi amici gratia, seu via se commodior illac obtulerit, seu tandem alia negotia Sanctum vocauerint; Senonis, Antisiodorum profectus est, in domo amica Episcopi hospitandus. Nec defuere miracula, quæ virum Dei vbique sequebantur [c]. *Aduenieus igitur Antisiodorum Vir Beatissimus orationis causa, Monachorum Basilicam introiuit, vbi pretiosus ille thesaurus iacet, vbi Germani gloriosi corpus sacratissimum requiescit. Regredienti verò mulier clauda, quæ genibus tantùm, & manibus gradiebatur, occurrit in porta: tenénsque vestigia eius, misericordiæ viscera miserabili supplicatione pascebat. Cuius renes, & genua signo Crucis edito Vir Beatus attrectans eleuauit eam in nomine Domini, & ad Sanctissimi Confessoris altare misit suis pedibus gradientem, ipsius etenim nomen, dum mulier eleuaretur, vniuersus, qui conuenerat, populus inuocabat. Hoc in ciuitate illa notissimum, celeberrimúmque miraculum fuit. Omnibus siquidem nota erat mulier illa, & tribus fermè annis in grabato viderant eam deportari. Hospitatus est autem Vir Sanctus in domo Episcopi, & illic quoque videntibus multis, aridam manum mulieris extendit liberè, & sanauit. Sic & mane, cùm egrederetur, simili incommodo laboranti beneficium simile contulit manus benedicta.* Hæc Godefridus.

c cap. 17.

5. Celebratum Concilium Antisiodori sub Eugenio Pontifice, hoc anno imò & circa hoc tempus, quippe ante Parisiense (de quo statim) Gilberti Porretani doctrinæ examinandæ, Frisingensis in Friderico [d]. Quamuis res dubia, vtrinque ventilata, necdum discussa, ad Parisiense primum, mox etiam ad Rhemense prorogata, non de facili potuerit diffiniri. *Is itaque* (ait) *primo Antisiodorum, mox Parisios vocatus est*, &c. Ea tunc Eugenij Papæ cura fuit, vt primum, cui assisteret Concilium, ex Cistercio assumptus, in Cisterciensis Episcopi Ecclesia celebraretur. Quid si Bernardus illi etiam interfuerit; atque tunc primùm Eugenium antea filium, iam communem Parentem coram inuiserit? Certè hanc priorem vtriusque salutationem ab auctoribus omnino prætermissam, vt alicubi contigisse perspicuum est; ita in hoc tempus, locum referre, non omnino incongruum. Nisi quod tamen vnius noctis spatium, angustum nimis amplexibus optatis, post pedum oscula: nec Sanctus Pater, Eugenio ibi manente, adeò properè abire permitteretur.

d lib. 1. c. 50.

6. Inter hæc, Placentina Sede vacante, per obitum Episcopi Arduini, Placentini communi omnium consensu Ioannem Columbæ Abbatem ex Monacho Claræuallensi subrogarunt, cuius suprà meminimus, virum doctrina insignem, & religione. Quin & nuncios miserunt ad Eugenium, per quos confirmationem electionis fidenter, & deuotè postularunt. Quippe Ioannes de Bernardi filiis erat, adeóque Eugenio inter fratres connumerandus. Hos nuncios excepit Eugenius Antisiodori, dum ibidem maneret, illuc fortè directos à Concilio, quo causa Cisterciensis electi non solùm à Cisterciensi Papa, verùm in Cisterciensis Episcopi domo, forte, & præsente totius Cistercij lumine, Sancto Patre Bernardo, breuius, ac fauorabilius expediretur. Quippè timebant sibi à Rauennate Præsule, cui se subtrahere Placentia nitebatur, & vt id impetraret, per tales viros, haud tamen aliter sperabat posse succedere. Verùm Eugenius affectui nihil deferens, amicitiæ parum, quod ipsum à Bernardo edoctus fuerat; ante Rauennatem Archiepiscopum auditum, quantumuis sine præiudicio posset fortè, & vellet, confirmationem non censuit concedendam. Extant litteræ ipsius super hac causa, sequenti anno expeditæ, quarum hic tenor [e].

e Rubeus hist. Rauen. ad an. 1148.

Eugenius Episcopus seruus seruorum Dei. Venerabili fratri Moysi Rauennati Archiepiscopo, salutem, & Apostolicam benedictionem. Dilecti filij nostri, Placentini Canonici, obeunte Venerabili fratre nostro Arduino, bonæ memoriæ Episcopo, dilectum filium nostrum Ioannem Abbatem de Columba, in patrem sibi, & Episcopum elegerunt: & vt ipsa electio firmitatem, auctoritatis nostræ munimine, sortiretur cum essemus Antisiodori, per nuncios suos humiliter postularunt. Nos verò Rauennati Ecclesiæ, tanquam speciali filiæ nostræ, suam iustitiam conseruare volentes, eorum petitiones tunc non duximus admittendas. Hactenus Eugenius. Sed iam iter Bernardi prosequamur.

Ipsa die [f] (Godefridi verba resumo) *Chabletam pertranseunti claudum puerum offerebant, quem sanatum protinus, & erectum in Beati Martini Ecclesiam deduxerunt. Ad eum siquidem, & illa Ecclesia pertinet, & vicus ipse, quem in Bernardo reuixisse mirabantur. Adhuc enim persequentibus eum turbis, puella clauda, & alteram manum inualidam habens, ab vtroque incommodò liberata est coram eis. In Castro Tornodorensi, eadem die, videntibus nobis, in hospitio mulier cæca vno oculo, per signum Crucis illuminata est; & exiit magnificans Deum. In Ecclesia etiam Beati Aniani, Feria quarta, dum ad oblationem inter Missarum solemnia resedisset, obtulerunt puerum cæcum; cuius statim oculos sub manu fidelis serui, diuina virtus aperuit. Similiter; & puella cæca, cùm iam egrederemur Castrum, coram omnibus, qui persequebantur Beatum Virum, amissum ab annis multis, signante eo, visum recepit; & altera cæca vno oculo illuminata est propè fluuium, qui* Armancia *nominatur.* 7.

f ibid. c. 17.

Iam quæ Molismi gesserit Vir Sanctus (nam Molismum intrauit priùs quàm ad Claramuallem reuerteretur) qua deuotione, reuerentiáque, illustrem aliàs domum, multiplicatis sub manu eius miraculis, illustriorem reddiderit, eiusdem auctoris verbis prosequamur. *Ipsa die* (ait) *Molismum venimus, quod est Monasterium, vnde egressi sunt olim Patres nostri, à quibus Cisterciensis Ecclesia sumpsit exordium. Extat liber vsuum Cisterciensium, vbi plenius id scriptum diligens lector inueniet. Illic ergo (vt dictum est) quarta Feria virum Domini magna cum deuotione receperunt. Cùmque in hospitio resedisset, vir quidam cæcus vno oculo ingressus est, & genuflexo misericordiam precabatur; vbi verò signauit eum sacratis digitis, cæcum tetigit oculum, & confestim illuminatus est, & gratias egit Deo. Factum est autem post vnam horam, cùm aduesperasceret, essétque inclinata iam dies, egressus est Vir Beatus, vt signaret infirmos, qui pro foribus expectabant. Primus illic conualuit puer cæcus oculo dextro, qui signatus sinistrum* 8.

claudebat oculum, quo prius videre solebat, & clarè discernens omnia sciscitantibus nobis, quidquid ostenderetur, continuò respondebat. Id ipsum tribus aliis, eodem laborantibus incommodo, per manum Bernardi sui, beneficium præstitit Deus, puella videlicet, & seniori viro, & mulieri, similique & in eis probatum est diligentia. Adhuc autem in ipso loco puellula debilis pedibus, & clauda ex vtero matris, sanata est per manus impositionem, & exultabat in gaudio mater, quòd tunc primò stantem eam, & ambulantem cernere mereretur. Hæc à manente Molismi facta sunt, nec recedentem pauciora sunt sequuta. Sic enim sequitur.

9. *Feria quinta egredientem Molismense Cœnobium hominem Dei deuotione debita prosequens innumerabilis multitudo, quæ de tota conuenerat regione, mulierem claudam, quæ plaustro subuecta fuerat, vbi signata est ab eo, suis gradientem pedibus gratulabunda reduxit. In eodem itinere, dum syluam ingrederemur, adolescens surdus auditum, & mulier quædam amissum ab annis duodecim alterius oculi visum, per manus Viri Dei impositionem receperùnt; præsentibus & videntibus multis. Occurrẽtes deinde viri duo, & ipsi quoque quod amiserant, singulorum lumen adepti sunt oculorum, nec longè processeramus, & ecce, concurrentibus turbis vndique, puer claudus, quem attulerant, ad tactum Beati Viri sanatus est, & liberè gradiebatur exultans.* Pergunt miracula facta apud Confinum, Villam non longè distantem à Clarauallе.

10. Demùm Vir Sanctus denuò filiis redditus, sed denuò etiam ab eis breui auellendus, quippè quem iam Concilium Parisiense, atque legatio Turingica expectabant; Claramuallem ingreditur, pauculos dies (residuum Quadragesimæ, quod solùm poterat) inquietè peracturus. Non tamen peracturus sine miraculis, quæ vel fugientem vbique sequebantur. Nos vltimum, quod fecit in hoc itinere, eius, qui vidit, verbis proferamus. *Ingredienti denique Claramuallem vnus de nostris occurrit adducens surdum, & mutum puerum, qui in Monasterio diebus iam quindecim Sancti præstolabatur aduentum. Nec fraudatus est à desiderio suo puer fidelis, sed continuò, vt signatus est, recepit auditum pariter, & loquelam. Et primo quidem vix potuit nominare Deum, ac deinde præcipientibus nobis, inuocare cœpit Beatæ Virginis nomen, tandémque soluto penitùs oris vinculo, omnia loquebatur, vbertim gaudij lachrymas fundens. Multi etiam fratrum, qui eum nouerant priùs nec audientem penitùs, nec loquentem, loquuti sunt in auribus eius, & audierunt eum ad plenum verba omnia firmantem. Interrogatus autem quandiu mutus, & surdus permansisset; tertius, inquit, annus transiuit, ex quo obsurdui, & obmutui, & eram innuens tantùm. Et hæc dicens cum lachrymis benedicebat Dominum, qui fecerat cum eo misericordiam. Ipsi & nos pro tanto Patre, & patrono quantas possumus, gratias referimus glorificantes semper, & laudantes Deum, qui est super omnia benedictus in sæcula.* Hactenus de miraculis Sancti, quæ præsens gessit: nunc ad ea, quæ vel absens, transeamus, obitérque insignis Monasterij Alcobaciensis primordia illustria, breuitate consueta perstringamus.

---

1. *Alfonsus Rex expugnaturus Scalabim, votum Deo, & Bernardo Patri consecrat,* 2. *Bernardus ei victoriam repromittit, quam prece promouet, videt, & annunciat in Claraualle.* 3. *Ratio temporis.* 4. *& epistola Regis ad Bernardum,* 5. *per fratrem missa.* 6. *Tum Bernardi ad Regem,* 7. *illustri prophetia, impleta proximo sæculo.*

CAPVT IX.

1. PAVCOS dies Bernardus filiis dedit; sed neque eos immunes præterire, aut imbelles omnino passus est, contra inimicos fidei vbique tonans, vbique classicum canens; & præsens spiritu, vbi corpore non poterat. Dum enim hæc in Germania, Galliáque, monitis Sancti Viri peragebantur; in Portugallia Alfonsus primus Rex, Scalabim (Sanctarem, incolæ dicunt) Sarracenorum arcem munitissimam, Conimbricæ imminentem, expugnaturus, bellum etiam, & arma præparabat; non tamen sine interuentu Bernardi Patris, sine quo nihil magnum; atque ibi etiam ingentia perpetrabat, vbi non erat. Ex edito vicini montis, concepto voto, promisit se Monasterium constructurum, cui totum id, quod oculis lustrabat, in dotem cederet. Visitur hodiéque arcus lapideus, monumentum antiquum sponsionis, subscriptione recenti cuius hæc verba [a]. *Hic Scalabim expugnaturus, Alfonsus primus Portugalliæ Rex, votum Christo vouit, daturum se Ordini Cisterciensi cuncta, quæ oculis cernere posset, decurrentibus aquis in mare; si, meritis Diui Patris Bernardi fretus, vrbem cepisset.* Plura ibidem, sed tempus præuenientia.

a Brito. in Chron. Cistere. lib. 3. cap. 18.

2. Instabat quinta decima dies mensis Martij, & Alfonsus oppugnationem præparabat, medio noctis silentio aggrediendam. Bernardum Patrem in somnis Regi visum, fœlicem exitum cœptis promittentẽ, traditio est, imaginibus tum pictis, tum sculptis, atque vtrisque antiquis, quæ Alcobatiæ visuntur, confirmata, quibus [b] Brandaonius [c], & Brito fidem adstruunt. Addit hic vlterius, qua nocte vrbs expugnata, Sanctum orationi intentum in Claraualle, velut alterum Moysem cum suis fratribus, quasi sollicitum, ac suspiria trahentem priùs, mox lætabundum, demum incepto hymno, *Te Deum laudamus*, in gratiarum actionem prorupisse, quem postmodum Conuentus prosequeretur. Quin, & statim sermone ad fratres habito, exposuisse victoriam, quam Deus Alfonso Regi contulisset, ipsorum precibus non frustrà tribuendam: nempè sub hoc themate [d]. *Benedictus Dominus Deus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.* Quasi non solis armis Lusitanis, verùm ipsorum etiam, parta victoria, vtrosque Deo redderet obnoxios, atque vtrosque triumphantes de infidelibus. Hæc Brito, ex antiquis exemplaribus. Quæ tamen, dum Gerardum Bernardi fratrem colloquentem inducunt, quem constat obiisse antè septennium, vt

b lib. 10. Monarch. c. 1.
c Brit. suprà.
d Psal. 143.

vt non suspecta, corrupta esse apparent, atque additis quibusdam deprauata.

3. Verùm quod ad rationem temporis attinet, ex ipsa die victoriæ comparatæ, quæ Alcobatiæ notatur, deducenda. Quippe obtenta quinta-decima die mensis Martij, quod Brandaonius [e] notat, in eos dies videtur incidisse, quos Sanctus nunc agebat in Claraualle. Hoc est inter conuentus Stampensem, Parisiensémque: solutum illum intrante Quadragesima, hunc in Paschali festo celebrandum, quod mox videbimus: vt tandem Sanctus vigesima septima die mensis eiusdem Treuirim de expeditione acturus regrederetur, quæ ordine adnotanda erunt suis capitibus. Haud tamen negem difficultatem pati, intra breue duodecim dierum spatium, à quinto decimo ad vigesimum septimum potuisse Sanctum Lutetiam ex Claraualle, celebrando Concilio, Treuirim ex Lutetia, peruenire.

e Vbi suprà.

4. Alfonsus Rex, dum victor, & voti compos, & voti reus, promissa Deo, & Bernardo maturat reddere, Petrum Alfonsum fratrem ad Sanctum mittit, relaturum victoriæ obtentæ gratias, oblaturum Cœnobium perillustre, & Monachos, per quos habitaretur, impetraturum. Extat epistola Regis ad Bernardum, breuis, & rudis, pro more illius sæculi [f].

f apud Brito. c.10. lib.3.

Alfonsus Dei gratia Portugallensium Rex, Venerabili Patri Bernardo, Abbati Claraualensium.

Noueritis, quòd per Dei misericordiam acquisiuimus Sanctarenam, quæ erat ciuitas munitissima, & iugum super capita nostra; & credimus per bonas orationes vestras, quia nos, vobis primùm commendauimus, & promisimus, quod faceremus vobis Monasterium vestri Ordinis; quod parati sumus, vt faciamus sumptibus nostris. Vos mittite ad nos Monachos, & nos quod diximus, complemus. Reliqua quomodo acciderunt, quæque euenerunt, dicet vobis familiaris noster, quem mittimus: ipsum credite; & Nos, Reginam vxorem nostram, & vnicum filium, quem nuper habeo Henricum, Deo commendate. Sic Pius Rex, & gratus acceptis bonis.

5. Haud satis constat, quonam anni tempore Petrus Alfonsus ad virum Dei peruenerit, vix toto hoc, inueniendum in Claraualle. Quocumque fuerit, perlectis Regis litteris atque Legato aliàs Bernardo noto, non solùm reuerenter suscepto, verùm amicè; vt quem sciebat vltra Regium sanguinem, multa alia commendare; nec dubitabat à Deo sibi promissum, tandem sanctè in Cistercio consummandum: eo, inquam, beneuolè suscepto, Abbatiam instituendam acceptauit cum gratiarum actione, ingens haud dubiè futurum Cistercij decus: & Monachos selectos illuc transmisit, tali ad Alfonsum epistola rescripta; miranda sanè, ex Regno in ea præuiso, prædictóque, post quadringentos annos transferendo; sed nos Sanctum scribentem audiamus [g]. g Brit. lib.3. c.10.

Christianissimo, & pio Alfonso, Regi Portugallorum, Bernardus, Clareuallis vocatus Abbas, modicum id, quod est. 6.

Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolauit vos in tribulatione vestra; & misit consolationem vobis, & genti vestræ, dum abstulit opprobrium Sarracenorum à ceruicibus vestris. Ceciderunt muri Hierico, cecidit Babylon magna, destruxit Dominus munitiones inimicorum suorum, & extulit cornu populi sui. Quod etiam antequam fieret, resciuimus, reuelante Spiritu [h], qui vbi vult, spirat, absque auditione vocis. Propter quod animas nostras afflximus, & tam paruitas mea, quàm reliqui fratres mei coram Domino prouoluti, decertantibus manibus vestris, robur, & fortitudinem postulabamus; & ex eo quòd iniquitates nostræ, vestram non impedierunt fælicitatem, summè lætati sumus. Resciuimus etiam ingentem pietatem, quâ commotus, votum de ædificando Cœnobio, Altissimo deuouistis; quapropter mittimus hos filios, quos lacte doctrinæ, ab incunabulis Religionis, Christo nutriuimus, quominus nos ipsos Celsitudini vestræ commendantes, piam voti intentionem ad debitam exequutionem perducant; illud contendentes Monasterium, in cuius duratione, & integritate, indelebile habebitis elogium Regni vestri; & in diuisione redditu, diuidetur à vobis corona vestra. Seruet vos, & illustrem Reginam consortem Seruator cunctorum, & benedicat prolem vestram, vt videatis filios filiorum vestrorum gaudentes in possessionibus vestris.

h Ioan. 3.

Hactenus Sanctus Pater ad Alfonsum. Cæterùm quàm Spiritu prophetico hæc vltima dictauerit, nostris temporibus euentus ipse edocuit. Quippe clarissimo Henrico Cardinali, pòst Lusitaniæ Rege, redditus Alcobatiæ diuidente, & partem Abbatiæ in Commendam dante, partem aliam conuentui reseruante; vix duo anni, aut ne vix elapsi sunt, cum morte eiusdem, ac defectu successorum, Regnum, cui hactenus Lusiadæ imperassent, nec origine tantùm, verùm ortu, & victu, linguáque; Castellanis Principibus accessit hæreditario iure possidendum. Monachos à Bernardo Patre missos, sub finem anni ad Alfonsum peruenisse, ac eo ducente, locatos in Alcobatia, cum cæteris, quæ Cœnobium id concernunt, Deo dante, in tempore dicemus. Nunc reliqua gesta per Eugenium circa hos menses, præcipuè contra Gilbertum; & Bernardum Parisiis prosequamur. 7.

---

1. *Interpellatus Bernardus contra Gilbertum,* 2. *in quem Baronius refert quæcumque gesta.* 3. *Errores hominis.* 4. *Concilij acta ex Ottone.* 5. *Dein ex Godefrido.* 6. *Remissa causa ad Concilium generale:* 7. *& quæ ab Eugenio prætauta, ne differretur.*

CAPVT X.

1. VRGEBANT interim Archidiaconi Pictauini, Arnaldus, Caloque causam sui Pontificis; atque errores in medium proferebant; ad quos exactiùs, & pleniùs examinandos, damnandósque Bernardi Patris zelum concitabant. De his Otto, Gilberto nimis deditus, sed qui ante mortem palinodiam recantauit [a]. *Archidiaconi in Gallias redeunt, ac consulto Bernardo, suprà memorato Abbate, eum in commodum causæ suæ aduersus Episcopum inclinant; erat autem prædictus Abbas*

a in Fridericis cap.47.

Abbas tam ex Christiana religionis feruore zelotypus, quàm ex habituali mansuetudine quodammodo credulus; vt & magistros qui humanis rationibus, seculari sapientia confisi nimium inherebant, abhorreret; & si quicquam ei Christiana fidei absonum, de talibus diceretur, facilè aurem preberet. Hæc Otto, dum Gilberto nimium fauet, Bernardo detrahens, quamuis in ipsa detractione excusans, cum reuerentia zeli, & sanctitatis.

2. Cardinalis Baronius, dum hæc narrat, cuncta quæ gesta in Gilbertum Bernardo tribuit. Sic enim ait [b]: *Vbi Sanctus Bernardus ea per Archidiaconos audiuit de Gilberto, vna cum eis grauiter egit, vt promulgata, que dicerentur ab eodem Gilberto, hereses, damnarentur; nec destitit quousque id, quod zelo fidei Catholica esset aggressus, omnino perficeret: Hoc propensiori cura apud Eugenium Papam agens, vt idem Gilbertus coram ipso Pontifice in diuersis conuentibus, primùm Antisiodori, deinde Parisius, postremò in pleniori Concilio Rhemis se sistere cogeretur; responsurus ad eas, quibus impeteretur, obiectiones,* Ita Baronius. Sed de Concilio Antisiodorensi dubium: Parisiensi affuisse compertum est hoc anno, in festo Paschali, celebrato. Sic enim habet Godefridus Claraeuallensis, non ille, qui miracula conscripsit; sed Bernardi Notarius, in epistola ad Cardinalem, Episcopum Albanensem, scripta, quam infrà dabimus [c]. *Eugenius* (inquit) *vtramque partem (scilicet, & Episcopum, & Diaconos) sibi precepit in solemnitate Paschali Parisiis presentari. Affuit Beatissimus Pater noster Sanctus Bernardus cum eodem Papa in eadem solemnitate Parisius*, &c.

b in Annal. hoc anno.

c Baron anno sequenti.

3. Itaque Eugenius, cùm Antisiodori non potuisset, Parisiis censuit causam discutiendam: prænotatis erroribus, de quibus supradictus Gilbertus accusabatur; qui, ipso etiam Ottone referente, quem, vt non defensorem, excusatorem (vt modò dicebamus) habere meruit, tales erant [d].

d Otto in Frider. lib. 1. cap. 50.

Quòd videlicet assereret diuinam essentiam non esse Deum.

Quòd proprietates Personarum non essent ipsa Persona.

Quòd Theologica Persona in nulla predicarentur propositione:

Quòd Diuina natura non esset incarnata. Et præter hæc alia minora; id est,

Quòd, meritum humanum attenuando, nullum mereri diceret, preter Christum.

Quòd Ecclesia Sacramenta euacuando, diceret nullum baptizari, nisi saluandum: & cetera in hunc modum. Sic Frisingensis.

4. Porrò quid in Concilio factum sit, sequenti capite ipse etiam prosequitur [e]. *Itaque presidente, cum Cardinalibus, Episcopis, aliisque viris venerabilibus, & eruditis, in iam dicta ciuitate Parisiis Summo Pontifice Eugenio, predictus Episcopus Gilbertus consistorio presentatur, de his capitulis responsurus. Producuntur contra eum duo magistri, Adam de Paruoponte, vir subtilis, & Parisiensis Ecclesia Canonicus recenter factus: Hugo de Campoflorido Cancellarius Regis; asserentibus eis, & quasi sub Sacramento pollicentibus, se aliqua ex his de proprio eius ore audisse, non sine multorum, qui aderant, admiratione; viros magnos, & in ratione differendi exercitatos, pro argumento iuramentum afferre.* Sic Otto numquam non Gilberto fauens.

e c. 51. ibid.

5. Addit Godefridus in ea epistola, quam supra memorauimus, disputantem Bernardum cum Gilberto; in eas hominem angustias adduxisse, vt negare coëgerit, nonnulla ex his, quæ antea constanter asseruisset: inuitum quidem, sed à suis ad hoc impulsum, ne videlicet fassus, id est deceptus, aut deceptor condemnaretur. Textum epistolæ in multis licèt vitiatum, quod attinet ad hanc partem, accipiat Lector [f]. *In hunc modum producta est in medium hac scriptura, & disputabat Sanctus Bernardus aduersus Episcopum, dicens: graue verbum, & enorme videri, quod dicebatur, diuersa non conferre Deo, vt sit, quasi conferat vnum. Illam quoque similitudinem loquutionis emphatica procul esse à Deo; nec sicut quilibet hominum Sapientia sua dicitur; sed verè, & substantinè dicam esse Sapientiam suam, essentiam suam, Diuinitatem suam, & non quemadmodum Danus dictus est scelus. Negabat autem Episcopus docuisse, vel credidisse aliquando se, vel litteris commendasse, quod diuinitas non esset Deus; quod forma, vel essentia esset in Deo, qua non esset Deus, & amplius aliquid faciens, discipulos suos Episcopum quemdam Ebroicensem generosum satis, Rothomagensem Archiepiscopum postfuturum, Rotoldum nomine, & magistrum Iuonem Carnotensem, testes produxit, quod illud dogma non tenuerit, nec crediderit, inuitus quamuis, vt satis tunc animaduertimus, sed suorum stimulatione compulsus.* Hæc Godefridi mutila, & vitiata; sed quæ intellecta vtcumque, vel ex nomine auctoris fidem præferant.

f Baron. anno 1148.

Cæterùm cùm res adhuc in dubio esset, & Gilbertus hæreticorum more subdolus, quædam non dicta, quædam aliter dicta, & tandem quædam aliter intellecta, intelligendáque instanter assereret; nec deessent, qui virum tutarentur, atque ab errore immunem desiderarent; res ad Concilium generale relata est, anno sequenti Rhemis celebrandum. Indixerat quippe Eugenius prædictum Synodum, tam comprimendis Romanorum insultibus, quàm condemnando hæretico Eudoni, quem præcedenti tomo commemorauimus. Sed de his præstat Ottonem audiamus [g]. *Dum ita per aliquot dies, tam sapè dictus Episcopus coram Summo Pontifice de fide sua in ciuitate Parisiis discuteretur, sentiens Papa, vtpotè vir cautus, & religiosus, causa difficultatem, protelandam eam vsque ad vniuersale Concilium adiudicauit. Erat enim in proxima mediana Quadragesima Dominica, apud illius Gallia Metropolim Rhemis, generale indictum Concilium, tam ex eò, quod prataxatus Papa persequutionem populi sui declinando, in Galliis morabatur; quàm ob hoc, quod quidam penè laicus, heretici honorem in vaccis populorum affectans, examini Ecclesia reseruandus in vinculis tenebatur.* Hæc ex Ottone, qui quædam alia prosequitur disputationis Parisiensis capita: sed quæ ad subtilem potius defensionem Gilberti faciunt, quàm ad historiam. 6.

g in Frideric. lib. 1 c. 54.

Quæsitus fuerat in Concilio Gilberti liber super Boëtium, in quo suos euomuisse errores, accusabatur: nec tamen inuentus, nisi truncus, & pars potiùs illius satis obscura, quam ipse eludere verbis conatus fuerat. Itaque intercludendis his subterfugiis, præcepit Eugenius, vt liber ille ante tempus Concilij sibi transmissus, ac curiosiùs perlectus, rem aperiret, ne quid posset sententiam vltra protrahere. Tradit Gaufridus in epistola prædicta totidem verbis [h]. *Propter verba tamen libelli sui, que premisimus & quia aliud alij afferebant, iniunxit ei Summus Pontifex, quatenus ante* 7.

h apud Baro. anno 1148.

ante Concilium, quod eodem anno in ciuitate Rhemorum celebrare proponebat, eundem sibi libellum transmitteret studiosè scrutandum, & paratus esset in eodem Concilio ad obiecta plenius respondere. Atque hæc breuiter de Concilio Parisiensi. Sed nos Bernardum ex his disputationibus ad arma redeuntem, & classicum denuò canentem prosequamur.

---

1. *Bernardus primùm Treuiri,* 2. *mox Metis,* 3. *& Tulli,* 4. *per miracula ad bellum cunctos compescit,* 5. *Ludouico quantociùs occursuros.* 6. *Meinerum ad Religionem trahit à sæculo.* 7. *Rutila miraculis claret,* 8. *& Prophetia de Carthusianis Patribus.* 9. *Imago Sancti anniuersaria deuotione frequentata; & fons salubris.* 10. *Conradi, Ludouicique ad bellum profectio,* 11. *in Hispaniam transmissâ parte exercitus.*

CAPVT XI.

1. PRÆSTOLABATVR Turingia virum Dei, negotia belli sacri, atque instantem iam profectionem expedituro: cùm ecce Parisiensi Concilio vix soluto adire Treuirim, Tullum, Metásque, circuire prouinciam, conuenire Episcopos, persuadere proceres, instare sermonibus, vrgere miraculis & nihil prorsus omittere intentatum, quo tantum posset negotium promoueri, etiam supra consuetum festinabat. Ergo vigesima septima die mensis Martij Treuirim ingressus est, inde ad cæteras vrbes perrecturus, nec dubium quin insalutatis filiis, præ temporis angustia, atque instantis negotij grauitate. Cæterum qualiter Treuiri susceptus, miraculis hospitium compensauerit; testis, qui adfuit, refert totidem verbis [a]. *Sexto Kalendas Aprilis, Treuirim viro Dei obuiam ruit, ex more, populus vniuersus: & ecce offerebant ei puellulas sorores duas, ex eadem ciuitate; alteram quinque, alteram quatuor annis miserabili cæcitatis incommodo laborantes: vbi verò signauit eas Vir Sanctus, amba illuminata sunt, & in Ecclesiam Beatri Petri deducta, vbi eadem hora Missarum solemnia celebrauit. Illic eas vidit clerus, & populus: illic probauimus diligenter miraculi veritatem. Consummato demum sacrificio, Vir Domini iuxta altare resedit, vt super agros manus imponeret, & bene haberent. Protinus autem claudus oblatus est, & ambulauit: Oblatus est cæcus, & vidit: oblata est mulier surda, & audiuit. Et hæc quidem in somnis admonitam se esse dicebat, vt festinaret ad eum, cuius benedictione receptura esset auditum. Non dubito, quin, & alia multa diligens inueniat inuestigator: sed hæc ad memoriam arbitror posse sufficere. Adhuc tamen in domo Archiepiscopi puerum cæcum oculo, coram omnibus illuminatum, certissimè recordamur.* Hæc apud Treuiros: nec quæ gesserit Metis comperta nobis, mutilo quippe exemplari, & trunco in multis partibus.

[a] *cap.* 18.

2. Nisi quòd tamen Godefridus alter, qui vitam Sancti scripsit, magnum quid narrat, quod non immeritò hîc censeo referendum [b]. *Egrediebatur Vir Sanctus Metensium ciuitatem, & ex more deuotus eum populus deducebat, cum Episcopo eorum Stephano, & fratre eius Rainaldo fortè Barrensi comite, aliisque personis tam ex clericali, quàm ex militari ordine multis. Interim causa extitit, vt rogaret nobilem virum Henricum de Salinis super verbo quodam, quod ipse ei Episcopus, & alij, qui conuenerant, suggerebant: vt videlicet Metensi ciuitati, & populo pacem daret, cui grauiter inimicabatur. Ille verò renuere penitus, & abiurare, nec vllis precibus flecti. Inter hæc superuenientes alij offerebant Beato Viro hominem surdum obsecrantes; vt ei manum imponere dignaretur. At ille fidei zelo succensus, sicut interdum ob causas necessarias terror quidam, & auctoritas supra hominem in eius facie rutilabat, conuersus ad militem: Tu nos*, inquit, *audire contemnis, quos continuò coram te audiet surdus? & imponens manus homini, signauit eum, & in aures eius digitos misit. Quo protinus audiente, pauens Henricus, & tremens, ruit ad pedes hominis Dei, humiliter satisfaciens, & liberè annuens, quidquid fuerat postulatus.* Sic vt sapientiæ, spirituique resisterent; virtuti cedebant; etiam hi, qui præ aliis indurauerant.

[b] *In vita S. Bernardi lib.* 4. *c.* 5

Iam nec Tullenses faciles inuentos, argumento est, quod quater vrbem adire coactus sit, numquam non per miracula compescens eos, qui resiliebant, rebelles animos. Nam audi, quod sequitur [c]: *Iam ad ea quæ Tulli facta sunt, veniamus. Quater siquidem hoc in anno Vir Sanctus illam ingressus ciuitatem, nec vnquam transiit sine miraculis. Primùm quidem Dominica ante Pentecostem in Ecclesia Beati Stephani ad altare maius Missas celebrãtis, oblatus est puer cæcus notus in ciuitate eadem, qui per manus impositionem, visum recepit: & hoc vsque hodie Tullensis habet Ecclesia virtutum Beati Bernardi speculum, testimoniúmque fidele. Secundò quoque accedens ciuitati, proximam villulam, quam* Calmas *nominant, pertransibat: Et ecce ruit obuia plebs deuota, aquam deferens signandam, atque benedicendam; quam protinus, Euangelici instar miraculi, sapore pariter, & odore vini, benedictione ipsa, donauit; & qui gustauerunt, omnibus perhibent testimonium. Vnde, & nunc in tota regione illa certissimum est, celeberrimúmque miraculum apud villam* Calmas, *sub Bernardi manu aquam in vinum esse mutatam. Nam super vestem cuiusdam sparsum est vinum nouum, dum vndique concurrentes certatim traherent vasculum, & multis diebus vini pretiosissimi seruauit odorem.* 3.

[c] *cap.* 19.

Tertiò deinde prædictam Tullensium ciuitatem ingressus, timuit turbas, & quia grandis ei restabat via, nocte egredi festinauit. Id ipsum autem suspicati nonnulli de populo obseruabant eum, nec exire, vel nocte potuit sine turba: inter quos oblata est paralytica mulier in grabato; quam protinus eleuans Vir Beatus in nomine Domini, signauit, atque sanauit. Huius quoque curatio vniuersæ innotuit ciuitati, quam nimirum adhuc hodie incolumis mulier inhabitat, quæ in ea diu iacuerat paralytica. Similiter autem, & altera mulier cæca vno oculo, quæ ad eum deducta est, extra ciuitatem, signante eo, visum recepit. quod in hoc aduentu verissimè, certissiméque probauimus. Nuper sanè apud Beatum Aprum 4.

Vir Domini susceptus hospitio, Monasterium illud plurimis miraculis illustrauit, claudum erigens puerum; auditum surdo reddens adolescenti: tres quoque cæcos, vno visionis munere donatos, in ipsius nomine, qui Trinus adoratur, & Vnus: vbi plurima quoque miracula claruisse non dubito: sed hæc coram me facta noui certiùs fiducialiúsque descripsi.

5. Cæterùm, vt difficiles inuenerit, faciles reddidisse monstrauit euentus: quando quidem Ludouico exeunti Galliam hebdomada secunda post Pentecostem, quod Sugerius [d], qui Regni procurator in ipsius absentia relictus est, scripto mandauit, vt mox dicemus; Turingiæ nihilominus Proceres ex tempore occurrentes, eius signa incunctanter sequuti sunt; quod ex Ottone superiùs memorauimus. Ita citiùs dictu omnes adegit Hierosolymam pergere, sub signis Ludouici Christianissimi aduersùs hostes nominis Christiani militaturos.

d Sugerius in Ludouico.

6. Interim tamen, vt milites ad bellum, sic clericos trahebat, ad Religionem. Treuiris namque (quod Cæsarius Heisteruacensis memoriæ prodidit) insignem pietate virum, Beatum Meinerum Sancti Simeonis Canonicum à sæculo traxit. Nec tamen secum duxit in Claramuallem, sed remisit in claustrum, siue Hemmenrode, domum eiusdem Diœcesis illustrem, cuius superiùs fecimus mentionem. Sed eumdem Cæsarium proferamus [e]. *Erat ibi* (id est in Hemmenrode) *Sacerdos quidam nomine Meinerus, quandoque Ecclesiæ Sancti Simeonis in Treuiri Canonicus, & salutari admonitione Sancti Bernardi Abbatis ad ordinem conuersus*, &c. Ita Cæsarius de viri vocatione hoc anno, vt coniectamur, facta per Sanctum Patrem. At de eximia, qua floruit, sanctitate, atque pretiosa morte, plura, Deo dante, in sequentibus dicemus.

e lib. 11. Dialog. c. 1.

7. Pergit Godefridus miracula narrare, quæ Sanctus Pater fecit in hoc itinere, quæ plura ab eo, & ingentia recensentur; præcipuè Rutilæ, vbi inter alia mulierem contractam (præcedenti visione) saluti redditam, idque in Ecclesia coram omni populo ipsius verbis in exemplum proferamus [f]. *Viderat Pater Sanctus in somnis, quod nobis secretiùs intimauit, mulierem claudam in Ecclesia quærentem se; cùm nec ab ea, nec à populo cognosceretur. Gloriabatur autem, quòd ignotus esset, accedens clanculò signabat eam, & pertransibat: subitòque admirans, illa erigebatur. Huius autem visionis effectus apparuit manifestus. Siquidem cum in Ecclesia illa Missarum solemnia celebraret Vir Beatus, allata est contracta mulier, quæ à diebus multis per terram repens erigi penitus non valebat, sed genibus, & scabellulis, quæ gestabat manibus, vtcumque gradiebatur, Gontrannus de Sirca, quod super Mosellam situm est Castrum, à prædicto Monasterio paululum distans, mulierem illam in Ecclesia fecerat deportari. Necdum ad Beati Patris manum accesserat, & ecce accessit ad eam Spiritus eius, & occultè sicut prauiderat: Subitóque curata exiliit, & ambulabat laudans, & magnificans Deum. Videns autem populus, qui claudam priùs nouerat eam, exclamauit in laudem Dei, tollénsque scabellulas, ad altare protinus detulerunt, vt sisterent eam Domino, & Bernardo seruo eius.* Mittimus claudos, surdos, cæcósque sanitate donatos in ipso loco; quos idem Godefridus latè prosequitur.

f cap. 18. Idem habetur, lib. 4. vitæ, cap. 5.

8. Cæterùm illud nullatenus prætercam, quod Arnaldus de Raise, antiqua traditione firmatum, inuenisse se perhibet. Cùm Sanctus Pater Rutilam aspiceret, exultabundum, ex his, quæ præuidebat, in hæc prophetica verba prorupisse: O Rutila! Rutila, tu rutilabis aliquando [g]. *Quæ virum Dei* (ait) *de Carthusianis Patribus in eum locum, post annos fermè trecentos introducendis, ac ibidem modò adhuc habitantibus, prædixisse, nullus inficias ibit, qui ipsius ardentissimum affectum erga Carthusianos considerauerit.* Verùm de Spiritu prophetico Bernardi tot, tantáque occurrunt, vt vel sola, si cuncta referrentur, his Annalibus materiam subministrent. Fortè hoc anno illustriora Deus prouidit, non secus, ac miracula celebriora, suspicioni purgandæ, quæ imminebat, ex infœlici euentu, tristíque, Hierosolymitanæ expeditionis.

g in Auctar. ad Molan. August. 20.

Testis est etiam idem, qui suprà, Auctor, in eiusdem vici Ecclesia, vbi Sanctus miracula patrauit, ad perpetuam eorum memoriam, erectam imaginem, Bernardum referentem, quam ipse vidit. *Fiúntque ad eam* (ait) *annua processiones Feria sexta post Pentecostem, qua die illa miracula ibidem facta fuisse ex veteri traditione deuotus populus arbitratur.* Meminit autem in Ducatu Lutzemburgensi Monasterij Clarifontis, quod à Monialibus Cisterciensis instituti hodie incolitur. *Visitúrque in eo* (ait) *fons, qui etiam nunc hodie à Sancto Bernardo (qui eidem bene precatus est) fontis Sancti Bernardi nomen retinet, & cum fide, ac deuotione epotus, contra morbos, opitulationi esse creditur.* Sic Sanctus Pater numquam non beneficus, numquam non salutaris, quos per se potuit, morbis liberabat, post se venturis, de fonte illo prouidit, per cuius aquas ab eisdem eximerentur. 9.

Iter capesserat Conradus Imperator cum suo exercitu in die Ascensionis Domini, id quod Otto testatur sub his verbis [h]. *Itaque hyemalis algoris austeritate detersa, cum verus benigna humilitate ex telluris partu flores, & herba procrearentur, campórúmque viriditas latam terræ faciem monstrans, orbi arrideret, Conradus Rex à Norico Castro cum suis procinctum mouens, per Danubium iturus, Ratisbonæ naues ingreditur, ac in Ascensione Domini in Orientali Marchia, iuxta Burgum, qui Ardacher vocatur, castra ponens, suos qui iam aduentabant, duobus, seu tribus diebus expectauit.* At Ludouicus paulò post sequutus, hebdomada, vt diximus, secunda post Pentecostem; de cuius profectione ista Sugerius [i]. *Anno igitur ab Incarnatione Domini M. C. XLVII. in hebdomada secunda post festum Pentecostes priùs ordinatis rebus, ad iter peregrinationis tanta necessariis, venit Rex, vt moris est, ad Ecclesiam Sancti Dionysij, à Martyribus licentiam accepturus, & vbi post celebrationem Missarum, baculum peregrinationis, & vexillum Beati Dionysij, quod* Oriflambe, *Gallicè dicitur valde reuerenter accepit, sicut moris est antiquorum Regum, quando debent ad bella procedere, vel votum peregrinationis adimplere. Et tunc mouit directè cum magno comitatu Prælatorum, & Baronum*, &c. Ergo in has duas turmas Christianus orbis, veluti distributus, non diuisus, sub eisdem auspiciis Crucis Dominicæ, fortis in fide, ad Syriam properabat. 10.

h in Frider. lib. 1. c. 44.

i Vbi suprà.

Verùm cùm turba creuisset in immensum, & videretur obfutura multitudo; procuranda difficile, sed longè difficilius coërcenda; siue etiam partiendæ inter se gloriæ, & fidei hostes vbicumque impetendi cupiditate [k]. *Visum fuit* (ait Helmoldus Buzoniensis) *auctoribus expeditionis, partem exercitus vnam destinare in partes Orientis, alteram* 11.

k in Chron. Slauorum, cap. 60.

alteram in Hispaniam. Tertiam verò ad Slauos, qui iuxta nos habitant. Ita Helmoldus: quamuis re vera tertia vltima pars (quod supra notabamus) non tam ab aliis scissa, quam non coniuncta, ab initio ad Slauos destinabatur: secundam prouidentia diuina magis, quàm humanum consilium donauit Hispanis oris; pugnaturam fœlicius in Sarracenos; & miraculis, à paucis, qui ceciderunt, post mortem patrandis manifestè ostensuram, Priorem, quæ in Syriam nauigauit, cum tot animas Sanctas cælo inuexerit, quot milites pessundedit, nequaquam ab spe sua frustratam fore; cum mutata, quam ipsi procurabant, victoria temporali, in cælestem triumphum; sed non amissa, & peritura, in gloriam sempiternam. Sed de his suis locis. Interim pergant omnes, & vela pandant; vtinam omnes ad propria reuersuri, dum nos Bernardum filiis restituimus, non diutiùs solito cum eis permansurum: sed reuocandum statim pro causa fidei contra Henricum hæreticum; quod capite sequenti iam declaro.

1, Contra Henricum Tolosæ dogmatizantem, 2. Albericus Cardinalis ab Eugenio legatus, Bernardum socium asciscit. 3. Sancti epistola ad Sancti Ægidij Comitem, 4. Hæretici hominis errores recensentis, 5. dolentísque. 6. Descripta vita, 7. fuga è variis vrbibus. 8. Et tandem Legatia ipsa intimata. 9. Censura Cardinalis Baronij de hac epistola.

CAPVT XII.

1. BERNARDVM è Thuringia regressum ad Claramuallem, orationibus inde præliaturum, reuocauit Ecclesia Tolosana, sub Henrico Hæresiarcha dudum laborans [a]. Is *olim Monachus (Godefridi Claraeuallensis verba sunt) tunc apostata vilis, pessima vita, perniciosa doctrina, verbis persuasibilibus, gentis illius occupauerat leuitatem.* Atque à pluribus Galliæ vrbibus pulsus, illic susceptus, dogmata quædam nefanda prædicabat. Errores hominis, ex Petro Venerabili, recenset Baronius [b] qui tempus etiam exactè inuestigauit.

[a] lib. 3. vita S. Bern. c. 5.

[b] ad hunc annum.

Quòd infantibus Baptismus sit negandus.

Quòd templa, & Ecclesiæ superfluè fabricantur.

Quòd crux Dominica honoranda, vel adoranda non sit.

Quòd corpus Domini in Sacramento altaris non existat.

Quòd vanum sit pro defunctis orare.

Quòd Canticis, & Hymnis Ecclesiasticis Deus irrideatur.

2. Hos contra errores succensus Eugenius Papa legationem decernit; atque Albericum Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem, Episcopum Ostiensem, quo non præstantiorem in sacro Collegio nouerat, Legatum instituit, serpenti malo efficacius obuiaturum. Is Bernardum legatiæ socium efflagitat, quo sine nihil magnum in toto orbe; per quem prosperè cuncta peragerentur. Defessum hominem, & fractum tot itineribus, sed necessarium adhuc; talémque, qui se indigenti Ecclesiæ non negaret: exponendam salutem eius, quantumuis vtilem, exponendam, & vitam; ne pereunte gente Tolosana, lues in confines Prouincias grassaretur. Ergo Bernardus in socium datus viro, post longam, quamuis peregrinationem iam tertio hoc anno auulsus à suis filiis [c]. *Hac necessitate* (inquit Gaufridus) *iter arripuit, ab Ecclesia regionis illius (Tolosana) sæpiùs iam ante rogatus, & tum demum à Reuerendissimo Alberico Ostiensi Episcopo, & Legato sedis Apostolicæ persuasus, & reductus.* Prius autem Episcopum Carnotum, Godefridum vocauit in partem solicitudinis, virum vtique ingentem opinione, nec minus sapientia pollentem, quàm sanctitate. Inde ad Alfonsum Sancti Ægidij Comitem, has sui aduentus prænuntias litteras dedit.

[c] Ibidem.

3. *Ad [d] Hildefonsum Comitem Sancti Ægidij, de Henrico hæretico.*

[d] Epist. 241.

Quanta audiuimus, & cognouimus mala, quæ in Ecclesiis Dei fecit, & facit quotidie Henricus hæreticus? Versatur in terra vestra, sub vestimentis ouium lupus rapax; sed ad Domini designationem [e], à fructibus eius cognoscimus illum. Basilicæ sine plebibus; plebes sine Sacerdotibus; Sacerdotes sine debita reuerentia sunt; & sine Christo deinde Christiani. Ecclesia, Synagoga reputantur; Sanctuarium Dei, sanctum esse negatur, Sacramenta non sacra censentur; dies festi festiuis frustrantur solemniis. Moriuntur homines in peccatis suis: rapiuntur animæ passim ad tribunal terrificum: heu! neque pœnitentia reconciliati, nec sacrâ communione muniti. Paruulis Christianorum Christi intercluditur vita, dum baptismi negatur gratia: nec saluti propinquare sinuntur. Saluatore licet piè clamante pro eis [f]. Sinite, *inquit*, paruulos venire ad me.

[e] Matt. 7.

[f] Matth. 19.

4. *Ergo ne, qui homines, & iumenta saluauit, quemadmodum multiplicauit misericordiam suam Deus [g]; ad solos tamen innocentes non patitur eandem tam multam misericordiam peruenire? Quid, quæso, quid inuidet paruulis Saluatorem paruulum, qui natus est eis? Inuidia hæc diabolica est; inuidiâ hac mors introiuit in orbem terrarum. An, putat paruulos Saluatore non egere, quia paruuli sunt? Si ita est, ergo gratis magnus Dominus factus est paruus; vt omittam, quòd flagellatus est; quòd sputis illitus, quòd Cruci affixus; quod denique mortuus est. Non est hic homo à Deo, qui sic contraria Deo & facit, & loquitur.*

[g] Psal. 35.

5. *Proh dolor! auditur tamen à pluribus, & populum, qui sibi credat, habet. O infelicissimum populum! Ad vocem vnius hæretici siluerunt in eo omnes Propheticæ, & Apostolicæ voces, quæ de conuocanda in vna Christi fide, è cunctis nationibus Ecclesia, vno veritatis spiritu cecinerunt. Ergo fefellerunt diuina oracula, falluntur omnium oculi, & animi, qui quod legunt prædictum, intuentur impletum. Quàm certè manifestam omnibus veritatem solus iste stupenda, & prorsus Iudaica cæcitate, aut non videns, aut inuidens adimpletam, simul nescio, qua arte diabolica persuasit populo stulto, & insipienti de re manifesta, nec suis credere oculis, fefellisse priores, errare posteros, totum mundum* etiam

etiam post effusum Christi sanguinem perditum iri; & ad solos, quos decipit, totas miserationum Dei diuitias, & vniuersitatis gratiam peruenisse.

6. *Et nunc huius rei gratia, licèt in multa corporis infirmitate iter arripui ad has partes, quas potissimum singulari ferus depascitur, dum non est qui* [h] *resistat, neque qui saluum faciat. Quippe de tota Francia pro simili effugatus malitia, has solas sibi inuenit expositas: in quibus fiducialiter sub tuo dominatu in gregem Christi toto furore bacchatur. Quod tuo ne honori congruat, Princeps illustris, ipse iudicato. Nec mirum tamen, si serpens ille callidus decepit te, quippe speciem pietatis habens, cuius virtutem penitius abnegauit. Sed nunc audi, quis ille sit. Homo apostata est, qui relicto Religionis habitu (nam Monachus extitit) ad spurcitias carnis & sæculi, tanquam canis ad suum vomitum, est reuersus. Præ confusione autem habitare inter cognatos, & notos non sustinens, vel potiùs non permissus, ob magnitudinem criminis; succinxit lumbos suos, & iter, qua nesciebat, arripuit factus gyrouagus, & profugus super terram. Cúmque mendicare cœpisset, posuit in sumptu Euangelium, nam litteratus erat; & venale distrahens verbum Dei, Euangelizabat, vt manducaret. Si quid supra victum elicere poterat, à simplicioribus populi, vel ab aliqua matronarum, in ludendo aleis, aut certè in vsus turpiores, turpiter effundebat. Frequenter siquidem post diurnum populi plausum, nocte insequuta, cum meretricibus inuentus est prædicator insignis, & interdum etiam cum coniugatis.*

7. *Inquire, si placet, vir nobilis, quomodo de Lausana ciuitate exierit; quomodo de Cenomanis; quomodo de Pictauis, quomodo de Burdegali: nec patet ei vspiam reuersionis aditus, vtpotè qui fœda post se vbique reliquerit vestigia. Tu de tali arbore tandem bonos sperabas fructus? Terra profectò in qua est, fecit fœtere odorem in vniuersa terra, quia* non potest *(iuxta sermonem Domini* [i] *)* arbor mala fructus bonos facere. *Hæc ergo, vt dixi, causa aduentus mei.*

Nec à me ipso nunc venio, sed vocatione pariter, & miseratione Ecclesiæ trahor, si fortè spina illa, & parua ipsius, dum adhuc parua sunt, germina de agro Dominico extirpari queant, non mea, qui nullus sum, sed Sanctorum, cum quibus sum, Episcoporum manu, tua quoque potenti dextera cooperante. In quibus præcipuus est Venerabilis Ostiensis Episcopus, ab Apostolica Sede ad hoc ipsum directus, homo qui magna fecit in Israel, & victoriam dedit Ecclesiæ suæ in multis per illum Dominus omnipotens. Tua interest, vir inclyte, honorificè suscipere illum, & eos qui cum ipso sunt: ac ne tantus labor tantorum virorum, pro tua potissimum, tuorúmque salute susceptus, inefficax sit, secundùm potestatem desuper datam tibi, operam dare. Hæc Sanctus Pater ad Sancti Ægidij Comitem. 8.

Nec omittendum in Annalibus Cistercij, quod suis Baronius inseruit de hac epistola; cui reddendæ ad litteram præmisit [k]. *Quæquidem epistola Dei beneficio adhuc extat tanquam gladius in Sanctuario asseruatus, quo Goliath præcisum est caput: qua, & simul ad confodiendos reliquos Dei hostes sit potens,* Redditæ autem hæc censuit subiungenda. *Audisti lector, Pseudo-apostolus vnde venerit, & ad quid venerit; nempè ex religione Apostata, vt solutis quibuslibet, quibus teneatur astrictus, ne diffluerei in carnis opera, vinculis, & ad perficienda mala cuncta, quæ vellet, liber vt esset, hanc carnis libertatem docebat filios hominum. At dum Sanctus Bernardus describit Henricum, planè iisdem coloribus pingere visus est nostri temporis infælices hæresiarchas, ex apostasia pariter prodeuntes, & in luxuriæ gurgitem, vt in lutum porcos sese præcipites dantes.* Hæc Baronius de epistola Bernardi ad Comitem præmissa: nunc subsequutum aduentum, tum & aduentus fructum, ac miracula illustria prosequamur. 9.

h Psal. 3.

i Matth. 7.

k ad hunc anno.

---

1. *Bernardi Patris Tolosam adeuntis,* 2. *primum miraculum,* 3. *& aliud longè illustrius,* 4. *atque in Viride folium execratio,* 5. *quæ non sine stupore impleta fuerit,* 6 *terra ab ipso calcata dat visum cæco.* 7. *Sancti de miraculis suis solicitudo,* 8. *quies.* 9. *Responsum quoddam facetum simul & efficax,* 10. *Henricus captus.* 11. *Et dictum de aduentu Sancti in Hispaniam,* 12. *in quo Mariana, & alij planè decepti.*

Caput XIII.

1. Bernardi aduentum in vrbem Tolosanam Godefridus breuissimè enarrat [a]. *Veniens autem* (ait) *cum incredibili deuotione susceptus est à populo terræ, ac si de cælo Angelus aduenisset.* Nec latius turbas irruentium populorum, ob quas reditum paulo ante maturauerit, ægrè alias eripiendus multitudini. Sic enim pergit. *Nec moram ponit facere apud eos, quod irruentium turbas reprimere nemo posset; tanta erat frequentia diebus, ac noctibus aduentantium, benedictionem expetentium, flagitantium opem.* Denique & multum fructum paucis describit. *Prædicauit autem in ciuitate Tolosa per aliquot dies, & in cæteris locis, quæ miser ille frequentasset ampliùs, & grauiùs infecisset; multos in fide simplices instruens; nutantes roborans; errantes reuocans; subuersos reparans; subuersores, & obstinatos auctoritate sua premens, & opprimens; vt (non dico resistere) sed neque assistere quidem, aut apparere præsumerent.* Hæc omnia Godefridus breui compendio. Non sic miracula, in quibus multus est, cùm tamen plura omiserit, quàm referat.

Primum sanè miraculum (ait prædictus Auctor [b]) *quod per famulum suum in vrbe Tolosa Christus exhibuit, paralytici cuiusdam clerici curatio fuit. Hunc in domo Regularium clericorum Sancti Saturnini, quorum vnus ipse erat, ad petitionem Abbatis, & Fratrum, circa noctis crepusculum visitans homo Dei, moribundum inuenit homini, qui extremum spiritum trahere videretur. Consolatus itaque miserum, & data benedictione, egrediens (sicut postea confessus est) loquebatur in corde suo fidelis seruus ad Dominum tam fiducialiter, quàm fideliter* 2.

dicens

a in vit. S. Bern. lib. 3. cap. 5.

b lib. eod. c. 5

dicens. Quid expectas Domine Deus? Generatio hæc signa quærit. Alioquin minus apud eos nostris proficimus verbis, nisi abs te fuerint confirmata sequentibus signis. Eadem hora exiliit paralyticus de grabato, & accurrens, sequutus, & consequutus est eum, sacra vestigia, deuotione, qua debuit, amplexatus. Cui subitò procedenti obuians ex Canonicis vnus, expauit, & exclamauit, siquidem phantasma putabat. Quando enim de lectulo eum crederet surgere potuisse? Egressam magis à corpore eius animam phantasticè sibi apparuisse arbitratus, aufugit: sed ipsa demùm tam ei, quàm cæteris rei veritas fidem fecit. Egreditur exinde sermo inter fratres, curritur ad spectaculum tam iucundum. Ipse etiam inter primos accurrit Episcopus & Legatus: inde pergitur ad Ecclesiam eo ipso, qui conualuerat, præeunte, conclamatur in laudes Dei, eodem pariter concinente.

3. Hactenus Viri Dei primum miraculum. Verùm nos duo alia referamus: alterum ab eodem Auctore proditum, fortè sine exemplo; alterum prætermissum: sed quod haud minori fulciantur auctoritate [c]. *Est locus in regione eadem, Sarlatum nomen est illi, vbi sermone completo, plurimos ad benedicendum panes, sicut vbique fiebat, Dei famulo offerebant. Quos ille eleuata manu, & signo Crucis edito, in Dei nomine benedicens. In hoc,* inquit, *scietis, vera esse, quæ à nobis; falsa, quæ ab hæretico suadentur; si infirmi vestri, gustatis panibus istis, adepti fuerint sospitatem. Timens autem Venerabilis Episcopus Carnotensium magnus ille Gaufridus, siquidem præsens erat, & proximus viro Dei: si bona, inquit, fide sumpserint, sanabuntur. Cui Pater Sanctus de omni virtute nil hæsitans; non hoc ego dixerim, ait, sed verè qui gustauerint, sanabuntur: vt proinde veros nos, & veraces Dei nuncios esse cognoscant. Tam ingens multitudo languentium gustato eodem pane conualuit, vt per totam prouinciam verbum hoc diuulgaretur, & Vir Sanctus per vicina loca regrediens ob concursus intolerabiles declinauerit, & timuerit illò ire.* Sic Godefridus. Atque hoc signum in attestationem fidei, iure maximum. Quippe vno verbo innumeros curauit, & fidem sanandorum suppleuit ex propria fide.

c lib.3.c.5.

4. Cæterùm in vindictam prouinciæ, & debitam obstinatæ proteruiæ pœnam; audi, quod in historia Tolosana à Ludouico Bertrando memoriæ proditum, auctor libri de origine, & progressu Inquisitionis, his verbis narrat [d]. *Dum idem Sanctus Abbas pro concione verba faceret in oppido, cui nomen Viride folium, & multi hæretici nobiles, & diuitiis affluentes ad eum audiendum confluxissent; cùm primùm cœpit errores hæreticorum refellere, continuò viros primarios ægrè ferentes, & tragedias excitantes discessisse, quos ferè omnes auditores comitati sunt. Vnde Diuo Bernardo necesse fuit in forum exire, & ex loco edito concionari. Verùm hæretici adeo ira inflammati, & vehementer commoti fuerunt, vt clamoribus, & vociferationibus, quominus audiretur, obstreperent. Quorum insolentia Diuus Bernardus impulsus, & Sancti Euangelij consilium memoria repetens [e], puluerem excussit è calceis, & ex oppido discedens, his verbis,* Deus te Viride folium, arefaciat *populo malè precatus est. Tantùmque efficacitatis prædicta execratio habuit, vt continuò oppidum in magnas miserias, & ærumnas inciderit, segetes singulis annis grandine verberabantur, nulli percipiebantur fructus, atque ita perpetuis bellis exarsit, vt tenentibus Principatum expulsis, ferè funditùs deletum fuerit; nec tot incommodis vllum remedium fuit, donec abiectis erroribus se Ecclesiæ Catholicæ subiecerunt.*

d lib.2.tit.1. §.1.num.8.

e Matth.10. & Marc.6.

Consonat Guillelmus de Podio Sancti Laurentij, qui tempore rem propiùs assequutus, hæc etiam subdit [f]. *Nam eo tempore, sicut antiqua tenet relatio, erant in eodem Castro centum hospitia militum, equos cum interinsignibus, & arma habentium; ex tunc verò pauperies eos inuasit,* &c. Et paulò inferiùs. *Nam & ipse, cùm infans essem, vidi nobilem virum Dominum Isarnum Nebulatũ, qui fuerat maior Dominus Viridis-folij, qui bene dicebatur ætate centenarius, Tolosæ contentum vno runcino, pauperrimè commorantem.* Sic obediebat Deus Bernardi vocibus: Sic Bernardus zelabat pro causa Dei [g]. Godefridus miracula alia narrat à Sancto Patre facta in eodem loco: queis inexcusabilior incredulitas acerbiorem hanc pœnam expostularet. Nos ab eis recensendis abstinemus. 5.

f sub tit de B.Bern.

g lib.4.c.4

Illud tamen tacere nequaquam licet, quod non tam ipse, quàm Deus per ipsum fecit, non solùm non petentem, sed omnino absentem, & ignorantem, quodam homine cæco donato visu, dum terram, in qua pedes eius stetissent, oscularetur. Id in Exordio magno ita describitur [h]. *Dum adhuc in eadem regione* (scilicet Tolosana) *Reuerendissimus Pater moraretur, & tamquam ex Apostolis vnus circuiret per castella, & ciuitates, euangelizando, & curando omnes languores, hæreticorum quoque turpissima deliramenta redarguendo, conuincendo, confutando: accidit, vt quidam in vicinia eadem, comperta fama signorum, atque virtutum, quæ per manus hominis Dei in dies multiplicabantur: spe sanitatis recuperandæ animatus, eundem Dei famulum adire decreuerit, si fortè beneficio cœlestis gratiæ, quæ per ipsum mortalibus miseris copiosè tribuebatur, sibi quoque cæcitatis caligine detersa, lumen restitueretur. Accelerans itaque, & vbinam Sanctum Dei reperire posset, solicitus inquirens; audiuit, eum in quodam celebri conuentu in medio magnæ multitudinis consistere, verbúmque vitæ disseminare. Quò, cum pedibus offendens, & anhelus currens peruenisset, tristi rumore percellitur; quia iam vir Domini inde recesserat, & ad alia loca transmigrauerat. Quid tamen ageret? Siquidem desiderium recipiendæ sanitatis eum vlteriùs currere compellebat. Sed densissimæ tenebræ, quæ oculos ipsius obsederant, pigrum, & minùs expeditum reddebant. Cúmque in defectione mentis constitutus, multa tristitia contabesceret, subitò diuina gratia inspiratus, & de meritis beatissimi viri spem toto corde concipiens, circumstantibus ait: Rogo per misericordiam Dei, ducite me ad locum illum, in quo hominem Dei stetisse, vel sedisse certissimè scitis. Quod, cùm per beneuolentiam eorum, qui aderant consequutus fuisset; veniens ad locum toto corpore in terra prosternitur, mira deuotione puluerem ipsum, in quo sacra vestigia steterant, deosculando, Domini quoque misericordiam per merita serui sui anxius implorando. Quod cùm diutiùs faceret, & de ipso puluere fide plenus, oculos confricaret, repentè miserante Domino, qui sanctitatem famuli sui, licèt absentis, etiam in hac gratia declarare dignatus est, lumen oculorum suscepit. Quod factum, non solùm Catholicis Orthodoxæ fidei firmamentum contulit; Verùm etiam perfidis hæreticis confusionis, & opprobrij notam adiunxit, & adduxit.* Hoc ex Authore graui, & subæquali, quò singularius, inusitatiúsque: eò censui relatu longè dignissimum. 6.

h lib.2.c.18.

7. Illud etiam omittere non possum, quod virum Dei sollicitum reddebat inter miracula, *Disputans enim secum* (Godefridus ait[i]) *in cogitationibus suis, & ex ipsa demum loquutus abundantia cordis sui, domesticis sibi religiosis quibusdam fratribus aiebat: Plurimum miror, quidnam sibi hæc miracula velint; aut quid visum sit Deo talia actitare per talem? Nihil mihi videor in sacris paginis super hoc genere legisse signorum. Siquidem facta sunt aliquando signa per sanctos homines, & perfectos; facta sunt, & per fictos. Ego mihi, nec perfectionis conscius sum, nec fictionis. Scio enim Sanctorum mihi non suppetere merita, quæ miraculis illustrentur: confido autem nec ad eorum sortem me pertinere, qui virtutes multas in nomine Domini operantur, & à Domino ignorantur. Hæc, & huiusmodi crebriùs, secretiúsque cum viris spiritualibus conferebat.* Hactenus quæ vexabat Sanctum Patrem super miraculis patratis, humilis supra modum sollicitudo: quippe se expertem sanctitatis indubitanter, sed fictionis sub dubio, & velut sperans magis, quàm adfirmans, existimabat.

i lib. 3. c. 6.

8. At qua demùm ratione (eadem humilitate duce) sedata tandem mens, ab ea cura Sanctum liberauerit, pergit Author scribere in hunc modum, *Nouissimè verò opportunum sibimet visus exitum reperisse; scio* (inquit) *huiusmodi non ad sanctitatem vnius, sed ad multorum spectare salutem, & Deum in homine per quem talia operetur, non tam perfectionem considerare, quàm opinionem; vt in eo commendet hominibus, quæ illi creditur inesse, virtutem. Neque enim pro eis fiunt hæc, per quos fiunt, sed pro eis magis, qui vident illa, vel sciunt. Nec eo fine per eos ista Dominus operatur, vt ipsos probet cæteris sanctiores, sed vt cæteros magis amatores, & æmulatores faciat sanctitatis. Nihil ergo mihi, & signis istis, quando quidem meæ illa famæ magis, quàm vitæ nouerim exhiberi; nec ad meam fieri commendationem, sed ad commonitionem potiùs aliorum.* Ita qui in oculis omnium penè maximus, contra populi plausus, fauoresque; imò contra ipsa miracula armabatur.

9. In hac eadem Tolosana prædicatione accidit illud, quod prætermissum ab Alano & Godefrido, Auctor Exordij magni memoriæ prodidit[k]. *Quadam igitur die, præsenti innumerabili hominum multitudine, cùm eos copiosiùs de fide Catholica conseruanda, & de immunda hæreticorum societate vitanda, commonuisset; contigit adesse quemdam de hæreticis illis, qui potentior cæteris, atque prudentior videbatur. Qui cùm amaro oculo cerneret venerationem, quam Dei famulo populus impendebat, moliebatur aliquid agere, vnde claritatem opinionis eius aliquatenus obnubilaret, & daret maculam in gloriam illius. Iámque expletis omnibus, quæ ad præsens necessaria videbantur, vir Dei equum suum ascenderat, vt abiret. Et ecce prædictus hæreticus, qui quasi coluber tortuosus erecto capite venit ante hominem Dei, exclamans coram omnibus, ait: Domine Abba, sciatis; quia caballus magistri nostri (qui tam malus vobis apparet) non ita ceruicosus, & pinguis erat sicut iste sonipes vester. Quo audito, vir mitis, & patiens, respondit ei mox, tranquillo vultu, & animo, dicens: Non diffiteor amice, quod astruis: verumtamen scire te conuenit, quia iumentum istud, de quo mihi insultas, brutum est animal, vnum vtique ex illis, quæ natura prona, atque ventri obedientia finxit. Quod si pro libitu suo comedit, atque pinguescit, nihil inde iustitia læditur, nihil Deus offenditur: quia iumentum, quod suum est, facit. Proinde non erimus arguendi in iudicio Dei ego, & magister tuus de ceruicibus iumentorum; sed vnusquisque de collo suo iudicabitur. Nunc igitur, si placeat, respice collum meum, & vide si grossius est collo magistri tui: & inde me forsitan iustè reprehendere poteris. Hoc itaque dicto, capucium exuit, & capite denudato vsque ad humeros apparuit collum eius, vt erat productum, & gracile. Et quamuis carnibus exesum, & tenue esset, erat tamen cœlesti dono pulchrum, & candidum nimis, sicut collum oloris. Quod cùm viderent vniuersi, qui aderant, lætati sunt lætitia magna benedicentes Dominum, qui dedit in ore famuli sui tam conueniens, & paratum responsum, vnde confunderetur, & obstrueretur os loquentium iniqua.*

k lib. 2. c. 17.

Quem fructum Sanctus Pater Tolosæ fecerit, 10.
vltra ea, quæ suprà dicta sunt, ex eius litteris, statim referemus: nisi quòd tamen hæresiarcham profugum, tandem comprehensum, ac Episcopo traditum, nec satis constat, an Legato, an Tolosano; Godefridus commemorat. Cuius verba haud incongruè hoc caput claudent[l]. *Cæterùm & si tunc fugit hæreticus ille, & latuit: ita tamen impeditæ sunt viæ eius, & semitæ circumscriptæ, vt vix alicubi postea tutus; tandem captus, & catenatus Episcopo traderetur:* Hactenus ibi. Certè Albericus non diu superuixit, quippe ante Concilium Rhemense per mortem raptus; quare si longius captura dilata est, non potuit tradi nisi Diœcesano.

l lib. 3. c. 5.

Bernardum Patrem in Hispaniam aduenisse, 11.
sunt, qui adfirmant præcipuè ex Hispanis Scriptoribus, Iulianus Archipresbyter, & nouissimè Ioannes Mariana[m]: hic deceptus[n] epistola Bernardi ad Petrum Cluniacensem, quod in homine pluribus intento, non nimium miror[o]. Ille adseuerans in suis aduersariis, velut qui Sanctum viderit. Sic enim ait. *Hic Sanctus Vir* (& loquitur de Bernardo Claræuallensi) *venit in Hispaniam cum fratre Niuardo, & inuisit Monasteria Toleti Sancti Clementis, & Sancti Dominici Exiliensis, & postea ad Moniales Sancti Clementis scripsit. Fundauit in Hispania Monasterium dictum de Spina.* Hactenus ille; quæ si vera forent, in hunc annum venirent referenda: tum quia in eo Monasterium de Spina fundatum est, vt suo loco dicemus: tum quia ex Tolosa transitus facilior, quippè prouincia Hispaniæ conuicina. Cæterùm quod præsentia corporali Sanctus Pater Hispaniam numquam adierit, testatur eius discipulus Gaufridus, cui præ aliis fides, dum ita ait[p], *Nam, & in Hispaniis, vbi præsens ipse non fuit, sanctitatis eius indicia claruere.* Vt non immeritò vel ex hoc solo loco Iulianus suspectus, probis quibusque viris haberi possit.

m lib. 10. c. 12.
n Epist. 217.
o In aduersariis.
p lib. 4. c. 4.

Ioanni Marianæ errandi occasio fuit id, quod 12.
Bernardus ad Petrum Mauritium scribit, cùm nuper ex Hispania rediisset, & quereretur nullas à Sancto Patre litteras accepisse. Cui querelæ Bernardus ita respondit: *Itáne iocari libet? dignanter sanè, atque amicabiliter: sed si ita luditis, vt non illudatis: Non multum temporis est, quòd scribens ad vos, debita reuerentia vestram Magnitudinem salutaui, & non respondistis mihi. Nec multò ante rursus scripseram ex vrbe Roma; & nec tunc quidem vel vnum Iota recepi. Modò miramini, quod reuertenti nuper de Hispania nugas meas ingerere non præsumpsi.* Ita Bernardus. Sed dum

non

non ait; *Reuertens ex Hispania*. Sed: *reuertenti*, manifestè designat, non ipsum esse, qui reuerteretur, sed Petrum Cluniacensem, cui non scripserat. Sanè Petrum ad Hispaniam venisse in cōperto est; in eáque vitam, & legē profani seductoris Mahometis ex Arabico in Latinum fecisse verti, quod opus dedicauit Bernardo Patri, suo loco superiùs memorauimus. Sed redeo ad historiam. Ergo Bernardus Tolosanis rebus compositis, idque in breui, vt Gaufridus adnotauit, atque ex ipso etiam Sancto iam videbimus, Claramuallem regreditur, sed necdum diutiùs cum filiis permansurus.

---

1. Haeretici Apostolici quales, 2. & qualia scripta Bernardi contra ipsos. 3. Grandis silua Cistercium susceptura, 4. Abbatem suum transmittit ad Claramuallem. 5. Epistola Sancti Patris ad Tolosanos, gratulans de constantia, 6. exhortánsque contra haereticos; 7. firmans in bono, 8. & praecauens à malis, 9. demum Grandisiluenses commendans filios.

CAPVT XIV.

1. HENRICIANIS haereticis compressis, & magna ex parte Ecclesiae reconciliatis; iam Pater Sanctus ad suos reuertebatur: cùm ecce incidit in aliam sectam hominum, qui se Apostolicos volebant appellari. Rusticum quidem genus, agrestéque; & sine praeceptore, aut duce, quem sequerentur: Sed eò difficiliùs dissuadendum. Quippè singulis seorsim adeundis: & quibus cùm nec scriptura vtendum, nec ratione. De his Sanctus reuersus iam ad filios: cùm toties pro Ecclesia, hoc est, pro sponsa, Canticum interruptum reassumpsisset [a]. *Rusticani homines sunt, & idiota & prorsus contemptibiles; sed non est (dico vobis) cum eis negligenter agendum: multum enim proficiunt ad impietatem.* Et paulò inferiùs. *Nunc autem videte, si non propriè daemonum, & non hominum ludificatio haec, secundùm quod praedixerat Spiritus. Quare ab illis sua secta auctorem: neminem dabunt. Quae haeresis non ex hominibus habuit proprium haeresiarcham? Manichaei Manem habuere Principem, & praeceptorem: Sabelliani Sabellium; Arriani Arrium; Eunomiani Eunomium; Nestoriani Nestorium: ita omnes caetera eiusmodi pestes, singula singulos Magistros homines habuisse noscuntur; à quibus originem simul duxere, & nomen. Quo nomine istos, titulóve censebis? Nullo; quoniam non est ab homine illorum haeresis*, &c. Sed quod Auctore carent, & nomine, se ipsos nominauere Apostolicos; idem docet inferiùs, dum haec ait. *Non ignoro, quod se, & solos Corpus Christi esse glorientur: sed sibi hoc persuadeant, qui illud quoque persuasum habent, potestatem se habere quotidie in mensa sua Corpus Christi, & Sanguinem consecrandi ad nutriendum se in Corpus Christi, & membra. Nempe iactant se esse successores Apostolorum; & Apostolicos nominant, nullum tamen Apostolatus sui signum valentes ostendere.*

a Serm. 60.

2. Hactenus Sanctus Pater de his haereticis: quos multa ex Manichaeorum perfidia sumpta, multa cum nostri aeui nouatoribus habuisse communia, pluribus ex eodem Sancto citatis locis, Cardinalis Baronius [b] latè probat: qui etiam referendos censet in hunc annum. Nos cum, quod ad rationem temporis attinet, cùm nullum alium ducem habeamus, libenter sequimur. Si tamen prius Lectorem monuerimus, praeter haec, quae ex Bernardo referuntur, caetera dubia: & nec constare de anno, nec de loco, quin nec de Sancti ad eos praedicatione. Nisi quòd tamen per scripta nunc etiam praedicat, & nostrae aetatis Catholicos confirmat; sectarios, aut reducit, aut confundit. Vt non immeritò idem Cardinalis post verba Sancti, haec subiungenda duxerit, Annalibus Cistercij transcribenda. *Haec qui recitat, pariter, & confutat per singula idem S. Bernardus. Quem scientia diuinitus illustratum, in virtute miraculorum multiplicium à Deo missum, & probatum, atque egregia vita sanctitate imbutum, Dei amicum fuisse, cùm certò sciam: ipsi penitissimè inhaerendo, qui inhaesit Deo, securus existo; deplorans ex Christiana charitate perditissimos Nouatores, qui hos nefandissimos sectantes brutos haereticos, iisdem planè immensa caecitate percussi, plus deferant, quàm Bernardo.* Ita Baronius.

b ad hunc annum.

Erat in partibus Tolosae Monasterium sub Regula Sanctissimi Parentis Benedicti, atque habitu nigro viuens, à multo tempore. Hoc, seu praedicatione viri Dei Bernardi, seu deuotione propria perculsum fuerit, reformare vitam, laxamenta reiicere, Regulam sine dispensatione seruare; promissa reddere; atque ob haec Cistercienfia iura suscipere, communi Monachorum, atque Abbatis sui consensu meditabatur. Et reddidisset se Bernardo, dum illic erat; si non occasio (quae conditio hominum est) leuiùs occurrens mouerret, quàm fugitiua. Ergo cùm primùm absentem Bernardum vident, quam antea vltro oblatam aspernabantur, deplorare amissam, tarditatem arguere, propriam in hoc desidiam detestari, accusare pusillanimitatem, mutuis inuicem colloquiis solicitabant. Nam cur, quae aliis facilia, ipsi detrectent? Cur timori succumbant segnes, & desides; qui possent, vel in onus praeualere? Se dum trepidant, vel paruis fatigari: si aggrediantur, vel ingentia transgressuros. Animosè intentanti nihil difficile: timidis supra vires omnia fore: Et quid si senex, & fractus tot laboribus auferatur Bernardus, cui se adoptandos negauerant, cùm possent. Dum cunctantur, Tolosa discessisse: quid si, & vita? Tunc se, sed serò, acturos poenitentiam; quam opportunam possint, modò non differant. 3.

Vnicum omnium fratrum consilium fuit, Abbatem suum ad Claramuallem mittere, qui se, qui domum, qui cunctos eius Monachos Cistercio traderet, sub Bernardi, & successorum illius visitatione. Bernardus itaque (nam id Abbati nomen) ad Bernardum transmissus, comitérque, atque pro grauitate viri, reuerenter susceptus à Sancto Patre; in Claraeuallis capitulo prostratus, mutato habitu, promisit obedientiam; séque, & illustrem Grandissylvae domum, ex tunc iam illustriorem, Cistercio tradidit; insignes dein viros producturam. 4.

ductúram. Is vtrique Bernardo lætus dies; huic adepto, quod hactenus optauerat: illi vt oculis mentis præuidenti Sanctorum cuneos, qui ex Sylua illa erupturi, Cistercium meritis, orbem odore eximiæ sanctitatis, Angelos gaudio, cœlestem curiam ciuibus, & Deum ipsum gloria cumularent. Missionem expetiuit Abbas, præfectura abdicta; sed non obtinuit; siue quod aptus à Bernardo Patre iudicaretur, introducendis nouis institutis in grege noto: siue expectando Alexandro Coloniensi, quem iam tunc Pater Sanctus educabat, non multò pòst eidem substituendum.

5. Tum Bernardus cùm multa inquisiuisset de Tolosanis, quos constantes in fide permanere Grandis-syluæ præfectus renunciasset; multa insuper de nouo vitæ statu, ac noua perfectione, nouum filium, paucos dies detentum, commonuisset: Monachos, qui docerent filios dedit; simul & litteras ad Tolosanos ciues, gratulatorias de perseuerantia; verùm & recentium filiorum commendatrices. Atque ecce exemplar.

c Epist. 141. *Ad c Tolosanos, post reditum suum.*

In aduentu carissimi fratris, & Coabbatis nostri Bernardi de Grandi-sylua exultauimus, & delectati sumus in his, quæ dicta sunt nobis ab illo de constantia, & sinceritate fidei vestræ in Deum, de perseuerantia dilectionis, & deuotionis in nos, de zelo, & odio aduersùs hæreticos, ita vt quisque vestrum meritò dicere possit d; Nónne qui oderunt te Domine, oderam, & super inimicos suos tabescebam? Perfecto odio oderá illos, & inimici facti sunt mihi. *Gratias agimus Deo; quia non fuit otiosus aduentus noster ad vos: & mora quidem breuis apud vos, sed non infructuosa. Veritate nimirum per nos manifestatâ non solùm in sermone, sed etiam in virtute, deprehensi sunt lupi* e, *qui venientes ad vos in vestimentis ouium, deuorabant plebem vestram, sicut escam panis, sicut oues occisionis: deprehensæ vulpes, quæ demoliebantur pretiosissimam vineam Domini ciuitatem vestram. Deprehensæ, sed non comprehensæ.*

d Psal. 130.

e Psal. 18.

6. *Propterea dilectissimi persequimini, & comprehendite eos, & nolite desistere, donec penitus depereant, & diffugiant de cunctis finibus vestris, quia non est tutum dormire vicinis serpentibus* f. *Sedent in insidiis cum diuitibus in occultis, vt interficiant innocentes* g. *Fures sunt, & latrones, quales in Euangelio Dominus notat. Subuersi sunt, & parati ad subuertendum, planè maculatores famæ vestræ, corruptores fidei vestræ* h. *Corrumpunt bonos mores colloquia mala. Præsertim talium sermo, sicut dicit Beatus Apostolus* i, *serpit, vt cancer. Quis dabit mihi, vt habeam opportunitatem semel adhuc veniendi ad vos? Nam voluntatem habeo, si quomodò possim in voluntate Domini secundò videre vos, laborem non reputaturus, quamuis corpore infirmus, & debilis, pro vestra exhortatione, & salute.*

f Psal. 9.

g Ioan. 10.

h 1. Corinth. 15.

i 1. Tim. 2.

Interim autem sic state in Domino, charissimi, sicut cœpistis, & accepistis à nobis. Obedite Episcopo, cæterisque Præpositis vestris, magistris Ecclesiæ. Habete diligentiam hospitalitatis, quia per hanc multi placuerunt Deo k. *Abraham Pater vester pro studio Sancto, quod in suscipiendis peregrinis habere solitus erat* l, *Angelos hospites suscipere meruit. Similiter & Loth, nepos eius, pro simili deuotione, & pia consuetudine de eorum susceptione exultauit. Et vos itaque simili forma non Angelos, sed Dominum Angelorum suscipite in peregrinis, pascite in egenis, operite in nudis, visitate in languentibus, redimite in captiuis. Talibus hostiis promeretur Deus, qui in iudicio dicturus est* m: Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. 7.

k Gen. 18.

l Gen. 19.

m Matt. 25.

Hoc etiam moneo vos charissimi, quod, & dicebam vobis, cùm præsens essem, vt nullum extraneum, siue ignotum prædicatorem recipiatis, nisi qui missus à summo, seu à vestro permissus Pontifice prædicauerit n. Quomodo, *inquit*, prædicabunt, nisi mittantur? *Ipsi sunt, qui induentes sibi formam pietatis, & virtutem eius penitùs abnegantes, prophanas nouitates vocum, & sensuum, tanquam melli venenum, verbis cœlestibus intermiscent. Cauete proinde eos tanquam veneficos, & cognoscite in vestimentis ouium lupos rapaces.* 8.

n Rom. 10.

Sit vobis commendatus lator epistolæ, Venerabilis Abbas Grandis-syluæ, & domus eius, quæ & nostra est, nuper nobis, & nostro Ordini ab ipso tradita, & Ecclesiæ Claræuallis specialiter associata. Ostendite nobis in ipso, & Sanctis, qui cum eo sunt, quantum profeceritis ex nostra admonitione in operibus misericordiæ; & date in eis experimentum vestræ charitatis, & deuotionis, quam habetis erga nos. Quidquid illis feceritis, mihi factum reputate. Gratia Dei, & pax sit vobiscum. Amen. Hactenus Sanctus de Grandis-syluæ Cœnobio, & eius filiis multa in sequentibus: sed & hoc ipso anno quædam satis illustria. Sed iam tumultus bellici nos vocant, in Hispania præcipuè in quam duæ classes; altera Genuensium, altera Anglorum, & Belgarum properabant. 9.

---

1. *Almeria Genuensium auxilio capta,* 2. *nec sine præmio, licèt vario apud Auctores.* 3. *Vlisipona item Mauris erepta,* 4. *quibus auxiliis,* 5. *& quo huius anni tempore.* 6. *Quid de miraculis ibidem contingentibus ad corpora fidelium occisorum.* 7. *Gozeuinus priuilegium Eugenij impetrat,* 8. *Bonamuallem sub patrocinio Petri ponens,* 9. *exemptionem à decimis confirmans,* 10. *atque pœnas dicens transgressoribus.*

CAPVT XV.

1. GENVENSIVM classem in portu ipso reliquimus, Eugenij Papæ iussu præparatam, Hispaniam versùs quantociùs nauigaturam. Ea Barcinonem primùm, ventis prosperis; mox iunctis copiis Comitis Raimundi, Almeriam applicuit. Nec procul aberat Alfonsus Imperator; vt trino exercitu nauali, atque terrestri vndequaque irruente, nostris facilior aditus; Sarracenis difficilior fuga foret. Verùm quem exitum tanta res habuerit, & quàm fœlicibus armis pugnatum sit, Ioannes Mariana recens, sed grauis Auctor, & qui ex antiquis deprompsit, ita

ita describit [a]. *Almeria firmissima ea tempestate urbs ad Mediterranei maris littus sita in Bastetanorum, & Bastulorum confinibus, antiquis Abdera, seu Portus magnus, nostrorum armis petita est, eò copiis omnibus itum. Vno tempore Genuenses, Barcinonenséque; ita moderari cursum nauium iussi, superato Charidemo promontorio, classes ad urbem circum egerunt. Terra marique barbari impugnati: at post aliquot eruptiones, leuiáque prælia, in muro patefactus aditus, turrésque aliquot captæ: Vnde per vim reliqua urbs expugnata est, decimosexto Kalendas Nouembris, anno M. C. XLVII. Viginti Maurorum millia, qui vrbe capta, in arcem confugerant, pretio vitam redimere compulsi. Sic piratis perfugium sublatum, unde finitimis, longinquísque littoribus imminebant formidabiles Hispaniæ, Galliæ, atque Italiæ. Ea expeditionem maturandi præcipua causa fuit.* Sic Mariana, cui Genuensium, Barcinonensiúmque Annales concordant.

a lib. 10. c. 18. circa finem.

2. Addit prætereà, diuisa in partes præda, & data Genuensibus optione, vnicum tantùm vas sibi elegisse, ex lapide Smaragdino pretioso, ingenti magnitudine; sed longè maxima aliunde æstimatione, nempe ab vltima Cœna Christi Domini, cui fuerit ministratum in eo catino. Nec dubium vas possessum à Genuensibus in eorum thesauris adseruari; sed de parto in hoc bello, sunt qui dubitent. Iustinianus [b] Sarracenos captiuos ad decem millia, spolia reliqua ad triginta millia marapetinos aureos, Genuensibus cessisse in præmium maiult, ex quibus debito X V I I. millium librarum liberata respublica, reliqua distributa militibus fuerint. Prius illud, si verum, gloriosius; si dubium, præferendum Genuensibus, insigni monumento pietatis; nec nisi falsitatis conuictum, respuendum. Cæterùm qualiter iidem Genuenses, post Almeriam, in reditu Tortosam, eiusdem Papæ Eugenij exhortatione, à Mauris ereptam, Comiti Raimundo restituerint, anno sequenti, quo euenit, dicemus. Hic fœlix sanè prioris in Hispaniam, procuratæ ab Eugenio expeditionis, exitus fuit.

b lib. 2. ad hunc annum.

3. Nec minùs auspicata illa posterior, quæ pars exercitus transeuntis ad Orientem, à reliquis diuisa, Angliam primùm, mox Hispaniam appulsa, Vlisiponem eripuit Sarracenis; vrbem Europæ celebrem, Lusitanorum Regum illustrem Curiam, & qua vix alia opulentior reperiatur. Victi, vt feruntur, supra ducenta; victores vix tredecim millia numerabantur: ex quibus pauci mortui, sed hi tales, quos Deus per miracula illustrauerit. Nos rem ipsam Roberti Montis verbis; circumstantias, ex aliis referamus. *Naualis Dei exercitus ex Anglia, Flandria, atque Lotharingia collectus, secundo Idus Aprilis de Tredemunde portu Angliæ cum ducentis ferè nauibus profectus, quarto Kalendas Iulij in vigilia Apostolorum Vlysiponam applicuit, & eam post quatuor mensium obsidionem per multas cædes, & multam macerationem, Dei virtute, & sua industria ceperunt: & cum de ipsis tantùm essent tredecim millia, hostium ducenta millia, & quingenti, superantes; ingressi cum hymnis, Ecclesiam dedicantes, Episcopum ibi, & clericos ordinauerunt. Ad corpora ibi occisorum, tres muti receperunt loquendi vsum.* Hæc breuiter Robertus Abbas Montis.

4. Helmoldus [c] putat, non præliandi gratia, sed visitandi sepulchrum Beati Iacobi, aduenisse exercitum, quod minùs probandum. Porrò Rege Lusitano vacuam vrbem, prædam omnem cessisse peregrinis; quod satis consonat Lusitanæ munificentiæ. Classi præfuisse ingentis nominis Duces, Henricum Regem Daniæ, Ducem Burgundiæ, & Comitem Flandrensem, sunt, qui affirmant [d] alij [e] Guillelmum de Longaspata dictum, Anglorum Regis fratrem. At Angli Auctores Rogerius [f], & Henricus [g], & loco, & tempore rei gestæ propinquiores, contrarium asserunt, quibus videtur planiùs assentiendum. Soluere ex Anglia decima secunda die mensis Aprilis, si Caluisio [h] credimus; nec Vlisiponem, nisi post duos menses, & ampliùs, applicuerunt; nempe vigesima octaua die Iunij in vigilia Apostolorum Petri, & Pauli: à qua obsidione protracta per quatuor menses, tandem vigesima quinta die Octobris, vrbe, & spoliis ingentibus potiti; peregrinis, Alfonsus grates, suísque, quorum gladiis pugnasset: vtrique, ipsi, cuius virtute, & fortuna vicissent; omnes Deo, à quo omnia, persoluerunt.

c in Chron. Slauorum, hoc anno.

d Caluisius in Chron. hoc anno.
e Annal. Lusit. apud Brandaon. lib. 10. c. 35.
f Roger. in Annalib. part. 1. Regis Stephani.
g Henric. lib. 8 Steph. Reg. ann 13.
h Caluisius vbi suprà.

5. De his in historia antiqua Gothorum hæc pauca lego. *Era. M. C. LXXXV. Capitur Santarena octauo idus Maij. Eodem anno capitur Vlisipo, Octobri mense, feria sexta, meridiano tempore, post quinque menses obsidionis.* Hæc quia fœlicia, longiùs prosequutus pro instituto: vt infælicibus sequentis anni euentibus, aut pondus leuent, aut addant temperamentum. *Hoc namque solùm* (ait Helmoldus Buzoniensis [i]) *prosperè cessit, de vniuerso opere, quod peregrinus patrauit exercitus.* Id est cruce signatorum in Terram Sanctam. Sic Eugenij, & Bernardi zelus aliàs in speciem vacuus, in Hispania, innata quadam, & veluti fatali fœlicitate, continua victoriarum serie proficuus fuit.

i Vbi suprà.

6. Cæterum quod Robertus Montis ait, ad corpora occisorum in eo prælio, tres mutos recepisse loquendi vsum, confirmat etiam Vincentius Beluacensis [k], & consonant Lusitani omnes Auctores. Addit Brandaonius [l], ante interceptæ vocis adeptum vsum, eosdem mutos vidisse in somnis Henricum quemdam militem, qui sibi ob propria merita, & sociorum sospitatem optatam repromiserit. Quin & ex eiusdem Henrici sepultura prodiisse palmam cuius frusta valerent pellendis morbis. Crediderim insinuatum à Deo per hæc miracula, id genus belli animabus, quam corporibus salubrius, nempe zelante pro Eugenio, atque Bernardo: ne, cum tot corpora vtriusque Sancti monitis, pessumdata apparerent anno sequenti, tot millia hominum in Syria pereuntia, nullo exteriori fructu, nulla victoria; inutile aut nociuum iudicaretur, per quod tot Sanctos, quot milites occisos, Christus adquireret: de quorum (fortè aliàs damnandorum) fœlici numero, cœlestis patriæ ruinæ repararentur. Sed de his suo tempore dicendum.

k in Speculi historial. lib. 27. c. 85
l lib. 10. c. 78.

7. Hoc ipso anno, nam nec hoc nobis tacendum. Eugenius Papa, antequam Cistercium, antequam Claramuallem nutricem suam, visitauit Cluniacum; quæ erat illi in familiam Cluniacensem, quæ in eius Abbatem Petrum eximia charitas. Meminit huius Pontificiæ visitationis idem Petrus Mauricius in epistola ad Bernardum Patrem sub his verbis [m]. *Videram eum* (scilicet Eugenium) *in principio Apostolatus sui Romæ; videram Cluniaci,* &c. Cluniaci Eugenio occurrit Gozeuinus, quem Bonæ-valli Viennensi, post Beatum Ioannem promotum in Episcopum, communi electorum suffragio

m lib. 6. epist. 46.

suffragio successisse, commemorauimus, ibique priuilegium impetrauit, quo Bonæ-valli, sub B. Petri, atque Apostolicæ sedis protectione susceptæ, possessiones, priuilegiáque confirmat, exemptionem præcipuè à decimarum, ex proprio labore partarum solutione. Quod in gratiam Lectoris; & quia non alibi vulgatum hactenus video, operepretium duxi, si hîc transcriberem.

8. *Eugenius Episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filiis Gozeuino Abbati Bonæ-vallis, eiúsque fratribus, tam præsentibus, quàm futuris, regularem vitam professis in perpetuum.*

Desiderium quod ad Religionis propositum, & animarum salutem pertinere dignoscitur, animo nos decet libenti concedere, & petentium desideriis congruum impertire suffragium. Ea propter dilecti in Domino filij, vestris iustis postulationibus clementer annuimus, & præfatum locum, in quo diuino mancipati estis obsequio, sub Beati Petri, & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti priuilegio communimus. Statuentes, vt quascumque possessiones, quæcumque bona in præsentiarum iustè & Canonicè possidetis, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, sed & aliis iustis modis, Deo propitio, poteritis adipisci, firma vobis, vestrísque successoribus, & illibata permaneant.

9. *Sanè laborum vestrorum, quos propriis manibus, aut sumptibus, siue de nutrimentis vestrorum animalium, nullus omnino à vobis decimas exigere præsumat. Decernimus ergo, vt nulli omnino hominum liceat locum ipsum temerè perturbare, seu bona, vel possessiones vestras auferre, retinere, minuere, seu grangias, vel cellaria vestra inuadere, vel violare, seu quibuslibet molestiis fatigare: sed omnia integra conseruentur, eorum, pro quorum gubernatione, & sustentatione cõcessa sunt, vsibus omnimodis profutura, saluâ Sedis Apostolicæ auctoritate, & Diœcesani Episcopi Canonicâ reuerentia.*

Si qua igitur in futurum Ecclesiastica, sæcularísve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire tentauerit; secundò, tertióve commonita, si non satisfactione congrua emendauerit, potestatis, honorísque sui dignitate careat, reámque se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo Corpore, & Sanguine Dei, & Domini Redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ vltioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco iusta seruantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi quatenus, & hîc fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum iudicem præmia æternæ pacis inueniant. Amen. 10

Ego Eugenius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Ego Ioannes Diaconus Cardinalis Sanctæ Mariæ Nouæ.

Ego Humbaldus Presbyter Cardinalis, titulo Sanctorum Ioannis, & Pauli.

Ego Albericus Ostiensis Episcopus.

Ego Imarus Tusculanus Episcopus.

Ego Hyacintus Diaconus Cardinalis Sanctæ Mariæ in Cosmedin.

Ego Guido Presbyter Cardinalis, tit. SS. Laurentij, & Damasi.

Datum Cluniaci per manum Guidonis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis, & Cancellarij septimo Kalend. Aprilis, indict. X. Incarnationis Dominicæ anno. M. C. X L V I I. Pontificatus verò Domini Eugenij tertij Papæ, anno tertio. Ex hac litterarum data perspicuè constat Eugenium Papam, Galliam vix dum ingressum, adiisse Cluniacum; antequam Claræualli, dilectæ matri, antequam se Cistercio præsentaret; quod ante annum sequentem non fecisse, ipsa series historiæ demonstrabit.

---

1. Bernardus Sancti Bernardi filius Nannetis præficitur. 2. Richardus Meilrosensis Abbas deponitur: 3. cui Ailredus Vvalenum subrogat; 4. subditis pium, & mitem, 5. Sed sibi rigidum. 6. Mos antiquus audiendi confessiones. 7. Quatuor Igniacensium fratrum gloriosus obitus, 8. præcedenti Angelica visione, atque Angelis Guerricus familiaris.

Caput XVI.

1. Hic ipse annus in Anglia Galliáque auspicatus nostris, illic Sancti Vvaleni promotione in Abbatem Monasterij Meilrosensis, cui, Richardo amoto, honesto quidem, sed minus pio Præsule, atque adeo minus Patre, ab Ailredo Patriarcha Riæuallis præfectus est: hîc Venerabilis Bernardi Claræuallensis (non Sancti Abbatis, sed alterius eius discipuli) in Nannetensem Ecclesiam assumptione. Et quidem Bernardum inter Pontifices illustres, sub Beato Patre prodeuntes ex Clarauallе, Arnaldus Bonæuallis Abbas recenset; dum ita ait [a]. *Sed & diuersarum regionum ciuitates ex hoc Collegio meruere Episcopos.* Et paulò inferiùs. *Citra Alpes Lausana datus est Amedus, Seduno Garinus, Lingonis Godefridus, Antisiodoro Alanus, Nannetis Bernardus.* Nam plures recenset: de quorum aliquibus hactenus loquuti, de aliis in sequentibus dicemus. Verùm de tempore, & anno promotionis, in Cathalogo Episcoporum Nannetensium, notatum lego [b]. *Iterio quinquagesimo primo Nannetensi Episcopo defuncto anno M.C.X L V I I. quinquagesimus secundus in ordine successit Bernardus eodem anno, antea Monachus Clareuallensis.* Hactenus ibi: Nec plura de hoc viro: nisi quòd per viginti, & duos annos episcopasse (vt more antiquo loquar) infrà dicemus.

a lib. 1. vitæ S.Bern.c.8.

b apud Ioan. Chenum.

Vvaleni promotio notior nobis, quippè petenda ex Authore vitæ ipsius. Hic quam ob causam, quibus etiam meritis; deposito Richardo, Vvalenus suffectus ab Ailredo, Meilrosensem Ecclesiam administrauerit, totidem verbis narrat, in eius actis [c]. *Circa idem tempus* (nempè circa hunc annum) *Richardus primus Abbas de Meilros quanquam in pluribus esset laudabilis, cùm se ob impetum iræ indomabilem, conuentui exhiberet intolerabilem, iustè ex-Abbas effectus, officio, ac loco recessit; & Venerabilis Vvalenus, vnanimi consensu cunctorum, electus, in virtute obedientiæ à Patre Abbate* (scilicet Ailredo) *constrictus, in pastorali cura illi successit.* Hactenus sumptum ex Actis Sancti Vvalleni. 2.

c lib.1. c.14.

3. Delatum meritis viri, nequaquam dubium: sed fortè etiam fauori aliquid datum: & mitigandæ Regiæ indignationi, zelanti pro Richardo, quem Dauid inter charos diligebat; inter insignes sanctitate viros venerabatur. Nam audi quod sequitur [d]. *Huius igitur viri magni, qui in diebus suis placuit Deo, & inuentus est iustus, promotio in tempore iracundiæ Regis Dauid, quam aduersùs Conuentum de Meilros, ob depositionem præfati Richardi concepit; facta est reconciliatio, Rex namque prænominatum Abbatem charum habuit, & ideo præ cæteris illum dilexit, protexit, & nihil mali de viro suspicari voluit.* Sic Sancti viri neque zelo iustitiæ, fauore Principum; nec Principibus deerant, dum fauorem iustitiæ attemperabant.

d Ibidem.

4. Cæterùm qualem sese Vvalenus, subditis mitem, & soli sibi rigidum, in Abbatem electus exhibuerit, quia historiam pariter, doctrinámque præsefert, non pigebit ad litteram transcribere, *Dilectus* (inquit [e]) *& electus Domini Vvalenus, Abbas effectus, nomine, & re, & officium opere, & veritate adimpleuit. Quia non in eo magni vmbra nominis, sed veritas apparuit. Piissimum Patris affectum, & effectum in necessariis corporis, ac spiritus, suis subditis exhibuit; & iuxta Sancti Benedicti monita; plus amari, quàm timeri studuit. Et licèt ex officio sibi commisso, erga delinquentes zelo rectitudinis esset erectus; mærentium tamen, & humiliter pro reatu suo satisfacientium, non minùs erat consolator piissimus. Quos verò pro peccato publicè perpetrato sponte Confessos, aut conuictos publica pœnitentia puniuit, postquam satisfactionem iniunctam humiliter; & deuotè compleſſe cognouit, nullum eis vlterius pro delicto illo exprobari impunè permisit. Affirmabat tales secundùm quid pares, vel deteriores esse Dæmonibus; quia quod post peracta pœnitentia satisfactionem Deus fons misericordiæ indulgendo diluit, & deleuit; Diabolus obliuioni tradidit; hoc illi malitiosè replicare non pertimescunt, qui forsitan in tale quid, aut simile, aut peius lapsi sunt, vel labi potuerunt, vel lapsuri sunt. Et plura exempla super his referre solebat, de Energumenis, qui peccata in confessione non detecta, coram consistentibus in facie propalabant; post factam verò confessionem, scripturam eorumdem peccaminum se perdidisse clamabant. Consueuerat illud Hugonis Cluniacensis Abbatis verbum sæpiùs ore reuoluere: si contigerit vnum è duobus euenire, malo puniri propter magnitudinem misericordiæ, quàm ob rigidã censuram iustitiæ. Secreta verò delicta ei confitentibus, ita se piissimum, mellifluum, medicum exhibuit, vt dulcifluis exhortationibus, & consolationis sacris stillicidiis, quodlibet saxeum pectus penetrantibus, ad pœnitudinem veram, & fructuosam eos emoliret; & cum virga Dominicæ Crucis, de duro cordis silice fontem lachrymarum produceret. Illis autem flentibus, ex compassione, fontem lachrymarum deduxerunt oculi eius.* Hæc de paterna in filios pietate.

e ibid. c. 15.

5. At de nimio rigore contra se ipsum, audi, quod sequitur [f]. *Vir Dei, qui pœnitentibus cæteris erat pius, & propitius; sibimet circa commissa sua etiam leuissima, vel ferè nulla, accusator erat importunus; testis instantissimus; districtus iudex; tortor sæuus; inexorabilis vindex. Quoties enim vt assolet, aliqua volatilis, vel vmbratilis mundanæ vanitatis cogitatio corde irrepsit, aut aliquod verbum vtilitatis vacuum, vel otiositati obnoxium, inuolasset inuentum ex ore eius prolatum; non patiebatur (vt ita dicam) moram momentaneam transire, quin curreret ad confessionis sanatiuum remedium, & virgis exponeret dorsum. Si verò Confessor eius pietate motus, illud corpus innocentissimum virgis mitiùs percuteret; ipse in virtute obedientiæ ei præcipere districtius consueuerat, vt non parceret oculus eius, aut manus, donec aliquoties sanguinem eliceret. Huiusmodi opera aliquando in die decies, vel pluries iterabat, & confessores suos, sicut testati sunt, tali repetitione magno tædio afficiebat.* Sic non parcebat sibi, vel de minimis; qui filiis, vel grauiora, etiam peccantibus, toto cordis affectu compatiebatur.

f cap. 16.

6. Verùm, quod ait, consuetum Sanctum Virum currere ad Confessionem, & virgis vapulandum dorsum exponere sciat Lector, in more nostris Patribus, non aliter audire Confessores, quàm denudatis dorsis pœnitentium, virgis, quandiu absoluerentur, percutiendum. Idque post Matutinalem Missam commune cunctis; extra id tempus aliquando etiam fiebat. De ea consuetudine Cæsarius in suis Dialogis [g]. *Nobilis adolescens Dominus Adolphus, nunc Episcopus Osnaburgensis, Canonicus fuerat Maioris Ecclesiæ in Colonia: hic cùm tempore quodam ad Campum, domum Ordinis nostri, venisset, & post Missam ad orationem in Oratorio staret, vidit quomodo Monachi, tam senes, quàm iuuenes, ad vniuersa currentes altaria, ad disciplinas suscipiendas nudabant dorsa sua, humiliter confitentes peccata sua: quæ visio, sicut mihi quidam eius familiaris narrauit, tantùm boni operata est in corde adolescentis, vt abire non posset; sed sæculi pompam contemnens, & totum se ad Deum conuertens, ibidem manens, sacrum religionis habitum susciperet: in quo tantùm profecit, vt non multo tempore post, tum propter nobilitatem, tum propter religiositatem, in prædicta Ecclesia apicem conscenderet Episcopalem.* Hæc occasione firmandæ consuetudinis. Nam de Adolpho, suo loco, infrà dicemus.

g lib. 1. c. 12.

7. Sub idem, aut non multum distans tempus, nam de anno non constat, cùm Ignacũ sub Beato Guerrico floreret viris sanctissimis, visio satis gloriosa ibidem facta, fratrum quatuor iacturam subleuauit. Ego scriptam in additis ad Exordium magnum, atque euentu probatam his Annalibus dignam iudicaui. *Similiter* (ait) *apud Igniacum, quæ est de filiabus Clarauallis non ignobile monasterium, cuidam approbatæ conuersationis viro ostensa est huiusmodi reuelatio. Aspiciebat in visu noctis, & ecce duo Angeli de cælis aduenientes, de multis liliis, quæ in cæmeterio ipsius Monasterij apparebant, quatuor præciderunt, & secum ad sydera detulerunt: Quod cùm ille videret; dixit ad eos: Quare obsecro succiditis lilia nostra? Qui responderunt: Desine mirari, frater; quia nostra sunt lilia. Et quidem ista quatuor ad præsens nobiscum asportabimus: reliqua verò paulatim deinceps, cùm opportunum fuerit, colligemus: & ne vnum quidem poterit remanere, quin omnia transferamus. Mox igitur in eodem Cœnobio defuncti sunt quatuor fratres boni, & religiosi; de quibus certum est, quod per quatuor lilia, de cæmeterio præcisa, fuerint designati. Verumtamen quod dictum est, nullum ibidem fore relinquendum, quin omnia transferantur in cælum, non parua relicta est nobis consolatio paruulis, & infirmis, qui inter infirma Christi membra gementes de nostra imperfectione dolemus; & dolentes clamamus in auribus Patris misericordiarum; quoniam ipse cognouit figmentum nostrum.*

Hæc

8. Hæc sanè visio satis gloriosa decedentibus tunc, & decessuris; illis tamquam ab Angelis præuentis; his, vt præueniendis: in illis quatuor ipsa mors sequuta veritatem visionis confirmauit: in reliquis præsentium exhibitio, firmam fecit futurorum expectationem. Hanc sub Guerrico frequentiam Angelorum, sunt, qui ipsius adscribant virginitati. Ipsius ministerio deputatos, quod suprà diximus, adstare visibiliter parum esset; nisi etiam ad filios, fratrésque, eadem Angelorum assistentia, atque idem, aut superius ministerium extenderetur. Potuisset auctor Menologij Cisterciensis, hos quatuor Sanctos Viros illi inserere, quandiu plures apposuit, qui nec maiori gaudent certitudine, nec probatiori nobis constant authoritate.

---

1. Primi ædificij Alcobaciensis tempus, & ratio; 2. Necnon item secundi sumptuosioris. 3. Donatio loci, 4. firmata per instrumentum. 5. Miracula, quæ sacrarunt ingentem fabricam. 6. Etimon nominis, locíque descriptio, 7. Opulentia domus, & numerus Monachorum supra consuetum. 8. Alcobaciensium Abbatum prærogatiua. 9. Duplicata Abbatia decursu temporis. 10. Insignia quædam: 11. Atque alia notitia eiusdem domus.

CAPVT XVII.

1. SVB finem anni, vt suprà notabamus, quos Beatus parens Bernardus Monachos miserat, Alcobaciense Cœnobium fundaturos, prosperè tandem ad Lusitaniam primùm (Hispaniæ vltimas oras) deinde ad Regem Alfonsum peruenere: à quo & deuotissimè suscepti, & decenti hospitio donati sunt. Tunc verò statim incepta Ecclesia parua, cum officinis (*Sancta Maria à Vella* hodiéque dicitur) inhabitanda viris quandiu ingens, & superbum ædificium, quod Rex mente conceperat, opere exequeretur, vt iam parabat. Priùs ædificium quadriennio consummatum, nempe anno à Christo Seruatore nato. M. C. LII. conuincunt carmina antiquæ petræ incisa, quæ hodiéque leguntur, sub hoc tenore.

Templa duo posuit facti monumenta potentis
Alfonsus populi gloria magna sui.
Vallibus his primum struxit non grande sacellum
Anno quem, lector, crux tibi sancta notat.

† Era. M. C X C. vndecimo Kalendas Octobris.

Brandaonius [a] dubitat, inceptúmne, an perfectum ædificium, hac Era fuerit? Sed perfectum notari, videtur colligi, ex Epitaphio illustris Petri Alfonsi, Alfonsi Regis fratris, de quo suprà; & quem sacrantem suo Monachatu Alcobatiæ primordia infrà videbimus. Quippè constat hoc anno donatos loco: quos nullam operi manum imposuisse per quadriennium, vel si Alfonsus omitteret, nequaquam licèt nobis suspicari. Verba Epitaphij, quod idem Brandaonius [b] adducit, integra in tempore: quod attinet ad loci traditionem, hic subiungo. *Eius* (id est Petri Alfonsi) *labore, & industria, locus iste Cisterciensi Ordini, videlicet huic loco de Alcobatia, fuit datus, Era. M. C. L X X X V. quo anno cœpit Rex Alfonsus, primus Portugaliæ, Santarenam.* Hæc de tempore inchoatæ primæ domus, perfectæque; nam de secunda ingenti mox dicemus.

a lib. 10. Epist. 31.

b lib. 10. cap. 33.

2. Primo ædificio, vtcumque consummato, atque Alfonso per bella distracto, quæ plurima gerebat cum infidelibus: dilatum secundum vsque ad annum. M. C. L X X V I I I. quo tandem cœptum ingens, & sumptuosum, quinque, & quadraginta annis consummandum; hoc est Christi M. C C. X X I I I. quo tandem Monachi sedes mutauerunt, & ex prioribus arctis, & humilibus, transiere ad amplas, quas modò occupant. Incepti operis tempus versùs indicant, quos lapidi incisos non minus legimus.

Indicat, en, digitus, quo fundamenta secundi
Huius, & ingentis tempore iacta forent.

☞ Era. M. C C. X V I. Idus Maij.

Cum terra pro iaciendis fundamentis mansuræ huius Ecclesiæ effoderetur, primam sportam extractam ab Alfonso, tunc gloriosiùs regnante, cùm Deo per hæc ministeria famularetur, Alcobaciensia monumenta produnt, quæ Brito tradit. Meruit, si non iam ætas nimium obstaret, ponere vltimum lapidem, qui primùm terram suscepit effodiendam. Consummati ædificij annus, fortè anterior, vt Brito existimat: susceptorum Monachorum tempus alij indicant versus, qui ita habent.

Nos trahe Virgo pi A	*Augusti mensi s,*
Nos trahe, nos patri	*Eram si quæri*
Sic quia transfert:	*Mille ducentoru m.*
Nobis, nósque tib i	*Extitit annoru*
Hic te laudamu s.	
Quo loca transtulimu	

Additæ templo officinæ proportionatæ, certantibus successoribus Alfonsi, quis Alcobatiam magis illustraret.

Extat donatio Alfonsi Lusitani Sancto Bernardo facta per instrumentum post annos quinque; quatuor ante Beati viri decessum mensibus, quam ob donantis, & donati authoritatem, tum quia Alcobatiæ situm aptè describit, non pigebit ad litteram transcribere. 3.

In nomine Iesu Christi amen. Quoniam quidem decet vnumquemque fidelem à supremo largitore de bonis sibi collatis Dei ministros participes efficere, vt per eos cœlestium bonorum particeps effici mereatur: Ego Alfonsus Portugalensium Rex Dei misericordia, vnà cum vxore mea Dona Mahalda Regni mei consorte, testamentum, & cautum facimus Domno Bernardo Clarauallensis Cœnobij Abbati, & fratribus vestris, vestrísque successoribus in perpetuum promouendis, de illa nostra propria hæreditate, quam habemus inter duo illa oppida nominata Leiria, *&* Obidos *sub monte Thucha,*

territorio

territorio Vlisbonensi, discurrentibus aquis in mare. Damus itaque vobis locum ipsum, qui Alcobacha nuncupatur; & testamentum, & cautum de eodem vobis facimus, pro remedio animarum nostrarum, & parentum nostrorum, vt memoria nostri apud eumdem Monasterium habeatur sempiterna. Hoc ab integro dando concedimus; & testamentum, & cautum firmè facimus, sicut terminis inferiùs scriptis diuiditur. In primis sicut diuiditur per ipsam focem de Salir, quomodo vadit per ipsam aquam, de ipso furatorio; deinde ad ipsam Gargantam de Olmos: deinde ad ipsas Cimalias de Alium Arupta, deinde quomodo partit cum ipso Andano, & ferit in ipsam aquam de Coz, & transit per Meluam ad ipsam Matam de Patayas, & vadit inter ipsam Peterneiram, & Moher, & mari iungitur.

4. *Habeatis igitur, & possideatis locum illum, sicut iam terminatū dignoscitur cum introitibus, & egressibus suis, cum aquis, & pascuis, & adiacentiis suis, cum terris cultis, & incultis, cum vineis, domibus, hortis, & plantationibus, cum vniuersis, quæ ibidem ab omnium prestamen esse videntur. Quidquid etiam inter terminos istos ad Regale ius pertinet, de nostro Dominio sit abrasum; & in vestrum traditum, atque confirmatum iure perenni. Nam, sicut iam dictum est suprà, eiusdem loci testamentum, & cautum stabile facimus, ad honorem & gloriam Dei, & Beatissimæ Virginis Mariæ Claræuallensis Cœnobij, hac sana mente, & integro animo tradere curauimus perpetuò possidendam; cum tali conditione, quod si hunc locum per incuriam vestram, & absque meo consilio, me viuente, desertum dimiseritis, numquam recuperaturi estis. Si quis verò (quod fieri non credimus) hoc nostrum factum irrumpere, vel diminuere voluerit, imprimis sit maledictus, & Authoritate Dei Patris Omnipotentis, & Filij, & Spiritus Sancti, & B. Petri Apostolorum Principis excommunicatus, & à Sancta Ecclesia ministeriis separatus, & cum Iuda proditore in inferno collocatus: & insuper pariat. D. solidos bona moneta. Facta carta. Era M. C. XC I. Sexto Idus Aprilis.*

Ego Alfonsus Rex, & vxor mea Regina Mahalda hanc cartham propriis manibus firmissimè roborauimus.

Ferdinandus Petriz curiæ Dapifer, confirmat.

Petrus Pelaidez curiæ Signifer, confirmat.

Alfonsus Menendiz Vlixbonensis præfectus, confirmat.

Gonsaluus de Sansa, confirmat.

Velascus Sanchez, confirmat.

Pro Testibus.

Petrus testis — *Pelagius testis.*

Gonsaluus testis — *Menendus testis.*

Alfonsus Portugalensium Rex.

Regina Mahalda ipsius vxor.

Magister Albertus Regis Cancellarius. Hactenus instrumentum donationis.

5. In eodem Bernardo lego [a], Monasterij situm, & circumstantias, per Spiritum præostensas Bernardo Patri, innotuisse discipulis, antequam Claraualle egrederentur. Porro cùm locum ex signis, cum Rege quærerent, ac se ex confinio duorum fluuiorum inuenisse putarent, nondum inuentum (quippe aliis circumstantiis discordantibus) iactatos funes, in mensuram surgentis fabricæ disparuisse repente; atque alio in loco non multò post inuentos, cui omnia penitus signa concordarent. Tum tali omine cœpta noua ædificia, in quibus, Deum ducem, ministros, Angelos, ipso euentu experti, securi pergerent, nec se timerent frustra laboraturos, quibus ea fax de cœlo præluceret. In M. S. antiquitatum Lusitanarum, sed præcipuè Alcobatiæ ad me transmisso, duo alia miracula reperio, ingentia, quia continua; quæ in extructione domus contigisse, traditio est. Alterum, cùm multo venenoso animali locus scateret, densus arboribus, dumetísque non peruius, nec gressibus humanis penetrabilis: explanatores sæpiùs ab eis cæsos, sæpiùs morsos; nulli tamen læsioni subiacuisse, nulli tumori. Alterum animalia, boues, iumentáque, quæ lapidibus, lignísve asportandis, ad sex milliaria, & vltra deputabantur; in tanta nihilominus distantia, nullo eguisse ductore, custode nullo: sed sibi ab onerantibus relicta, quoties onerabantur, toties ad locum incolumia cum suis sarcinis, sine circuitu, sine mora peruenisse. Hæc mirabilia feruntur consecrasse nascentem domum, & gloriosis ostensis portendisse prærogatiuam loci, in quo vel bruta operentur rationabiliter; neque homines ab antiquo serpente lædendi veniant.

[a] *vbi suprà.*

De situ loci, prætereà, quæ in diplomate Regio continentur, addendum censeo; iacere inter 6.
duo non magna flumina; Coam; & Bazam, dicunt; vnde vetus nomen *Cobaza*, vel *Cobacha*, duabus litteris in principio additis, in *Alcobatiam* transiit; ex quo, & ipsum Cœnobium notum fuit. Distat ab Vlisipone tunc recens capta, nunc totius Regni Metropoli, & Regia, decem, & octo leucis, quæ quatuor, & quinquaginta conficiunt milliaria Italica; ab Scalabi, nouem: à celebri, nec tunc adhuc fundato Monasterio, dicto *de la Batalla:* ob victoriam ibidem partam à Castellanis, tribus tantùm; loco amœno, & feraci omnium frugum, quas gleba aliàs opima abundantiùs profert, Solis calore exposita: & ex confinibus fluuiis abundans aquis.

An contineantur intra illos terminos, quæ de- 7.
signantur in Regia donatione, haud mihi potuit hactenus constare illud compertum, dedisse Alfonsum Principem Monasterio Alcobatiæ vltra triginta oppida, & in iis quatuor portus ad oras maris, pleno iure subiecta; indéque tam ingentes prouentus annuos, vt præter largas, & continuas eleemosynas, præter hospitum, curam, aliáque, quibus non modica summa consumebatur, nongenti, & ampliùs Monachi ali possent, qui distributi per centurias, aut decanias, quod de Benchor præcedenti tomo diximus, succedentibus choris, perennes Deo laudes decantarent. Hæc Vetus Monasterij illius traditio, cui Lusitani omnes fidem faciunt; quamuis reuera officinæ aliàs ingentes in secundo ædificio, haud tamen satis tantæ multitudini. Creuisse oppida ad sex millia vasallorum in M. S. illo antiquo lego, quibus imperet Abbas, & in quos criminalem, ciuilémque, hoc est, omnem exerceat iurisdictionem. Certè prouentus Cœnobij Alcobaciensis diuisi hodie, conuentum numerosum sacrarum Virginum, *Coz* vulgò appellant, alunt; Vlisiponensis virorum non leuem summam, Serenissimo Infanti Cardinali Commendæ titulo, vltra duodecim millia ducatorum aureorum quotannis soluunt; & nihilominus; quæ ingens summa superest, post prouincialis synodi, de triennio in triennium celebrandæ, ex tota Lusitania, sumptus non modicos; post Abbatis impensas in visitando (nam is caput totius congregationis) Monachis centum,

centum, pauperibus, hospitibus, atque fabricæ par; in quibus omnibus domus Alcobatiæ nulli alteri in tota Hispania cedit: vix in Europa in libris Cameræ moderata satis, duum millium florenorum taxa notatur.

8. De primo Abbate, certatum inter domesticos, Bernardus Brito, & codex M. S. quem supra retuli, Renulfum fuisse volunt, cum aliis Monachis missum ex Claraualle: Brandaonius [f] è contra Martinum quendam: & illis quidem tabularia antiqua domus, huic instrumenta, & sepulchrorum inscriptiones adstipulantur. Quid si idem Renulfus Martinus, qui & Martinus Renulfus dictus. Nunc hoc, nunc illo nomine appellatur? Quicumque fuerit, ingentibus priuilegiis donatus est, quæ in omnes successores eius transirent. Vt Regiis eleemosynis præfectus perpetuo iure, atque ab aulæ consiliis semper existeret. Vt Regiis diplomatibus subscriberetur, immediatè post Episcopos, sed ante omnes alios, cuiuscumque status, aut conditionis; vt in Ecclesiis sui territorij clericos poneret, animarum rectores; qui pleno illi iure subiicerentur. Quin & in arcibus, & portubus marinis duces crearet, queis mari, & terra infideles coërcerentur. His temporis decursu addita alia, quæ suis locis erunt referenda. Interim adnoto, ex eisdem periisse quædam, sed conseruata plura; quæ integra hodie etiam perseuerant.

f lib. 3. c. 22.

9. Subiacuit Commendarum pesti Alcobatia, sicut cæteræ domus præcipuè pingues: & laborauit sub illa per annos plurimos. Cæterum nimia domus opulentia, & Serenissimi Cardinalis Henrici, pòst Lusitaniæ Regis, & Alcobatiæ Abbatis, zelo effectum est; illa quidem, vt posset se redimere: hoc vt vellet: Duplicata nimirum dignitate atque alteri, cedente in Commendam cum solo titulo, magna parte substantiæ temporalis: alteri, reliqua, cum Pastorali cura, & plenaria Abbatiali iurisdictione. Quin congregatis Lusitaniæ Cœnobiis, per suos Præsules, procuratorésque, ab omnibus Alcobatiæ Abbas eligitur, caput eo ipso futurus eorum omnium. Extat in iure Alcobatiensis Abbatis non obscura memoria, *in capite Venerabili, de verbor. significatione; & in cap. causam, qua de rescriptis, & in cap. Olim 14. de Priuilegiis.* Memoratur etiam in multis summorum Pontificum diplomatibus, multiplicium, atque grauium causarum, quas locis suis trademus, delegatione. Singularius illud, adeo frequentes eiuscemodi commissiones, vt non minùs Abbates, quàm Pontifices, quasi ex æquo coëgerint; petere illos, hos autem indulgere, ne tot negotiis, in propriæ quietis, & professionis iacturam, deputarentur. Extant litteræ Honorij Papæ tertij, quas Brandaonius [g] adducit, quæ hoc indulgent, Pontificatus ipsius anno sexto.

10. Ex Monachis [g], qui venerunt ex Claraualle, reuersos aliquos post fundatam domum, traditio est; duobus ibi baculis relictis, quos hodiéque in sacrario domus pendere, opertos panno, & veneratos inter reliquias, inuenio in codice illo M. S. quem ex variis monumentis eiusdem domus frater Guillelmus [h], dictus de passione, dicitur concinnasse, anno Christi Domini. M. D. L X X I I. Illustrant item Alcobatiam sepulchra Regum, quos à templo maiori consummato, sepultos ibidem constat per plura sæcula. Multæ item Ecclesiæ, conuentúsque, in quibus se, & Cistercium propagauit, Baurum, Zeizam, Sanctum Paulum prope Conimbricam, Stellam, Tamaraes, & Mancanedam, siue Mancanariam; de quibus plura in sequentibus dicemus. Clarior his omnibus militia Iesu Christi, quæ item sub Abbate Alcobatiæ sumpsit exordium. Habet item sub se Virginum choros nequaquam contemnendos, Coz, Sanctam Mariam dictam de pietate, Sanctum Bernardum de Portalegre, atque maximum omnium de Odiuellas Olissipone iuxta Dionysij Regis opus, & sepulturam. Demùm facit ad laudem Alcobatiæ, quod prima omnium Cisterciensium Ecclesiarum, saltem in Hispania, quod hactenus sciamus, litteras sacras, & didicit, & docuit; deputatis redditibus, de quibus tam Doctores, quàm discentes sustentarentur. Verùm hæc omnia, & alia suis temporibus, nunc tetigisse satis pro instituto.

g lib. 10. c. 31.

h Guillelm. de passio in Alcobatia.

i Briton. lib. 3. c. 22.

11. Id vnum tamen omittere non possum, quod à multis Lusitanis Authoribus notatum video; conseruari, visique ingentem lebetem, quinque, vt asserunt, boues capientem in frustra concissos, quem Castellani à Lusitanis victi ibidem reliquerint, cùm apud Aliubam rotam, tertio ab Alcobatiæ lapide (quo loco ingens victoriæ monumentum, Monasterium de la Batalla fundatum est) celebri, & sæpiùs memorata clade profligarentur. Visitur etiam pulchra Crux Crystallina, atque aliæ exuuiæ in eadem victoria partæ, quæ inter illustriores eiusdem domus notas commorantur. Nempe infideles vicisse, quantumuis hostes, bellicosæ, superbæque nationi; quia frequens, viluit; vicinos, quia rarum, insolénsque; quamuis fideles, & eiusdem legis asseclas, vel semel superasse, in gloria fuit; quam nulla vellent sæcula, abolerent, nulla obliuio.

---

1. Imperatoris Alfonsi Sanctia soror. 2. Sancto Bernardo hæreditatem tradit, pro fundando Cœnobio. 3. Coniectatum de peregrinatione virginis. 4. Tum Monachi à Bernardo parente missi, Niuardúsque, Sancti Petri de la Spina. 5. quæ dos præcipua nouæ fundationis, confirmata diuinitus. 6. eius descriptio, & miracula continua. 7. ac breues aliæ notitiæ eiusdem domus. 8. Grandis-Sylua vtrisque bonis abundans, 9. & conuersi cuiusdam mira historia. 10. Dubitatum de illo. 11. & dictum de Bernardo, successore.

Caput XVIII.

1. Ex notatis superiùs in Chronologia, duæ illustres propagines reseruatæ in hunc annum, præcedunt cæteras: altera in Hispania, in Gallia altera; Monasteria Spinæ, & Grandis-Syluæ: hoc adoptato, quàm genito similius; quippè quod nigri Monachi incoluissent, vt iam ostendimus: illud insigni, & gloriosa fundatrice Domna Sanctia, memoranda virgine, Imperatoris Alfonsi

Alfonsi sorore, recens productum, Monachis à Bernardo patre missis, qui domum ab ipsis fundamentis ædificarent. Ergo de Monasterio Spinæ priùs, deinde de Grandi-Sylua pauca dicemus. De Sanctia Infante Galliam, & Italiam, Germaniámque, quin loca Sancta deuotè perlustrasse, traditione, quàm scripto magis accepimus. Porro cùm in hac sancta peregrinatione multa Cistercij Monasteria visitasset; ac Sanctam Monachorum vitam, & conuersatiouem admiraretur; concepisse propositum (vt in hæreditate, quam possidebat in Palentina Diœcesi, Sancti Petri de Spina ab olim dicta, Asceterium construeret, in quo Sodales talis instituti pro se, pro fratre, pro Regni successoribus, continuis precibus Deum deprecarentur. Hinc illi cura Bernardum adeundi, qui tunc Germaniam ciebat contra infideles; à quo Monachos peteret, tam Sanctum opus fœlicibus (quia ipsius) auspiciis inchoaturos. Constat in hæreditatis donatione Bernardo patri facta, quam mox adducam, Infantem alloqui Sanctum, velut præsentem *vobis Domino Bernardo*, &c. Vt quamuis locus in ea sileatur, at non immeritò, liceat coniectari, aut Bernardo in Hispania existenti factam, quod implicat; cùm constet huius anni mense Ianuario egisse intra Germaniam; aut ab Infante in Germania constituta, vbi tunc Beatus Abbas commorabatur. Atque ecce instrumentum ipsum donationis, quod ita habet.

2. *In nomine Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.*

Quoniam scriptum est; declina à malo, & fac bonum; *& non sufficit abstinere à malo, nisi fiat, quod bonum est. Item*, Initium Sapientiæ timor Domini. *&* Qui timet Deum faciet bona: *&* operanti bonum benè erit in extremis. *Igitur ego Sanctia Alfonsi Imperatoris Hispaniarum soror, his, & aliis exemplis præmonita, & edocta, spontanea voluntate, nullo cogente, pro redemptione animæ meæ, & parentum meorum, Do vobis Domno Bernardo, Clarauallis Abbati, hæreditatem Sancti Petri de Spina, atque hæreditatem Sanctæ Mariæ de Aborridos, scilicet terras, vineas, Prata, fontes, montes cultos, & incultos vtriusque exitus, & ingressus, vtrinque; videlicet cum omnibus terminis sibi pertinentibus; quatenus ibidem, me opitulante, in honorem Domini nostri Iesu Christi, eiusdémque genitricis, Monasterium ædificetis in quo vestri Monachi, vestrique ordines assiduè assistentes, pro suis, atque meis, parentúmque meorum, atque omnium fidelium, tam viuorum, quàm defunctorum peccatis, Deum deprecentur. Si quis autem hoc meum donum, tàm de meis, quàm de extraneis praua cupiditate compulsus irritum facere voluerit; hoc ad effectum nequaquam ducere possit; sed, si contigerit, (quod absit) omnia illa supra dicta prius in duplo reddat; ac postea Regi, vel cuicumque vestram commiseritis vocem, pectet in quotto mille libras auri purissimi, & insuper sit maledictus, & vt Dathan, & Abiron, eum terra absorbeat; atque cum Iuda traditore inferni pœnas luat, Amen. Facta cartha huius doni, tertio decimo Kalendas Februarij. Era. M.C.LXXXIV. Imperante Alfonso Imperatore, cum Imperatrice Berengaria in Legione, & in Toleto, & in Cæsaraugusta, & in Corduba, & in tota Hispania. Ego Sanctia Regina supradicta, quæ hanc ecartham scribere iussi; coram testibus roboraui.*

3. Hactenus instrumentum donationis à Sanctia Regina Bernardo factæ, ex cuius data facile conuincitur Chronologiæ error, qui Spinam ante quatuor annos fundatam tradit. Donationem sequuntur hæ subscriptiones.

Domnus Petrus Segobiensis Episcopus confirmat.

Domnus Loysius Legionensis Episcopus, confirmat.

Domnus Petrus Palentinæ Sedis Episcopus confirmat.

Gutter Fernandez confirmat.
Martinus Moniez confirmat.
Nicolaus Pelagij confirmat.
Pontius Comes de Cabrera confirmat.
Manric Comes confirmat.
Comes Amergot confirmat.
Cid testis confirmat.
Belid testis confirmat.
Duaya testis confirmat.

Omnes milites meæ curiæ visores, & auditores huius dationis. Hactenus subscriptionis donationis, quam extra Hispaniam factam non minùs colligo, ex ipsa subscribentium paucitate (Comitum viæ tantùm) plures quippè in Hispania subscripsissent Episcopi; & proceres, vt apparet in aliis instrumentis. Sed nec puto infrà Imperij fraterni terminos Curiam suam vocaturam: quam tamen extra illos constituta, & iam velut exempta, iure optimo sic potuit appellare.

Vtcumque fuerit acceptata donatione, Bernardus Pater nouæ fundationi Monachos dedit, cum quibus, & Niuardum fratrem misit, præfectum operi, & negotiis tractandis, si quæ emergerent; sed re peracta ad ipsum reuersurum. Sancti viri aduentum, simul, & reditum habemus ex epistola Bernardi [b]. *Ad Sanctiam sororem Imperatoris Hispaniæ.* In qua post gratias actas fratris nomine, de Beneficiis acceptis ab Heroina, hæc Sanctus Pater, aliò super negotio, de quo nos infrà. *Nam & frater Niuardus: qui multùm gratulatur de vobis, satis in hoc de vobis confidere monuit: tum, propter vestram erga nos spiritualem deuotionem: tum, propter bonam, quam audiuit à vobis de hoc ipso, responsionem.* Hæc Sanctus Pater: ex quibus tamen, vt verum fatear, Beati Niuardi aduentus in Hispaniam magis, quàm finis constat; & multa alia pôtuerunt illum adducere. Nam quod Bernardus pro Spinæ fratribus orat in ea epistola, temporis concurrentiam fortè conuincit; non rationem motiuam aduentus viri. Quid si, neque is Niuardus natu minimus ex fratribus Bernardi secundum carnem? Nam fratres Sanctum nominare solitum, quoscumque filios habuit nequaquam potest in dubium reuocari. De primo Abbate nihil certum nobis. Quippe in Martyrologio eiusdem domus tres diuersi notantur sub his titulis *Nono Kalendas Iunij obiit pia memoria Domnus Alfonsus primus Abbas de Spina. Septimo Kalendas Iunij obiit pia memoria Domnus Balduinus primus Abbas de Spina. Quinto Kalendas Nouembris obiit bona memoria Domnus Turibius primus Abbas de Spina.* Alia instrumenta Balduinum præcessisse, non obscurè conuincunt. Vnde coniector, Alfonsum, & Turibium primos dici, non absolutè, sed sui quemque nominis; & aliàs tenuisse Cœnobij clauum. 4.

b Epist.

Donationem ab Infante Sanctia factam, biennio post confirmauit Imperator, cùm iam Monachi monasterium inhabitarent, priuilegio expedito, cuius hic tenor. 5.

Ego Alfonsus per Dei misericordiam Imperator Hispaniæ

Hispania, vna cum filiis meis Sanctio, & Ferdinando, Deo; & Clarauallensi Abbati Domino Bernardo, & fratribus eius Monachis in Sancto Petro de Spina morantibus, vt beneficia, & orationes eorum mihi, & omnibus parentibus meis communicent, dono spontanea voluntate totum hoc, quod habeo, vel habere debeo in Sancto Petro de Spina, & in Sancta Maria de Aborridos, & infrà terminos eorum; & ista villa deserta iacent inter Sanctum Cipryanum de Macotho, & Castro monte; dono inquam sicut donauit eis soror mea Sanctia Infantissa, & determinauit, quidquid ibi habeo vel habere debeo in montibus, & vallibus, & in terris, aquis, pratis, pascuis, & in omnibus aliis pertinentiis suis, quocumque loco fuerint, & eas potuerint inuenire. Eo verò modo præmonitas hæreditates meas de Sancto Petro, de Spina, & Sancta Maria de Aborridos prædicto Abbati, & eius fratribus dono, & concedo, quatenus in eas quidquid voluerint faciant, & ipsas cum ædificiis, quæ ibi fuerint omni tempore absque aliqua infestatione, aut grauamine possideant, & absque omnium hominum contradicto faciant inde quidquid voluerint, ad honorem, & commodum Ecclesiæ suæ. Si quis verò in posterum de meo, vel alieno genere huius meæ donationis paginam sciens, ei contrauenerit, & eam diruperit, sit à Deo maledictus, & cum Iuda traditore in inferno sine fine damnatus, nisi dignè emendauerit; & persoluat Regiæ parti tria millia marapetinos, & duplum emendet, & restituat præfatis Monachis, quidquid inuaserit. Facta Cartha Zamoræ octauo Idus Aprilis. Era millesima centesima octogesima septima. Sequuntur subscriptiones plures numero Pontificum, & Procerum sicut erat in vsu illius temporis. Notandum obiter Alfonsum Imperatorem, qui absenti confirmat donationem, aliter loqui, quàm Sanctiam, quæ præsenti. Neque enim vobis Domino Bernardo, sed Domino Bernardo tantùm ait, vt inde confirmentur, quæ supra diximus.

6. Fecerit omen, loco antiquum nomen; an Sanctiæ desiderium excitauerit, ad implendam, quà posset, mensuram eius; in dubio est; nec satis constat, petierit ne tunc, & impetrauerit à Romano Pontifice, atque Francorum Rege, an ipsa præhabuerit? constat dotasse Cœnobium donis ingentibus, digito articulari Petri Apostoli; atque vna ex Spinis Coronæ Domini, quæ hodie, inter plures alias Sanctorum corporum exuuias, (nam plurimis abundat) venerantur; adeo frequenti concursu populorum, vt vulgus, imò & ipsi Monachi putent, domum ab his reliquiis denominatam Sancti Petri de la Spina; nec facilè ab hac opinione diuelli possint: reclamantibus, quamuis instrumentis, quæ asseruantur in Archiuiis eiusdem domus. Traditio est: cùm Sanctia Infantissa sacram inde Spinam auferre vellet, atque arca inclusam imposuisset iumento, cum multis aliis rebus asportandam; animal intra portam domus hæsisse, neque vlla vi, vllisve minis, aut verberibus dimoueri potuisse. Quoadusque Spina educta, relictáque, nullo instigante, vltrò iter arripuit.

7. Referam maius adhuc, & venerabilius, quod parentum memoria, contigisse, seniores nostri, qui ab eisdem audierunt, testificantur. Cum furto, pio dicam, an sacrilego? Certè subtili, à proprio loco abstracta, atque ad illustrem æquè, & religiosum Ioannem Ferdinandum Velasquium, Comitem Regni stabilem (hæc mihi etymologia magis placet, quàm si stabuli dicas,) perlata; inter alias reliquias (quarum ingentem conflabat thesaurum) sub duplici custodia, intra ferreas crates, & capsam argenteam, in Crystallino vase retineretur: Quæsitam postmodum ab illustri Principe adorandam, siue hospiti ostendendam, nullatenus inuentam; sed vas vacuum; quod intra clausas crates, capsámque, atque integra custodia continebatur. Tum Capellano, cui furtum displicuerat, proponente, & rogante, ad Monasterium missum, petendæ aquæ, cui sacræ Coronæ Spina esset immersa. Nec mora; reseratis sacrarij foribus, apparuisse reliquiam in proprio loco, ac si non vnquam inde extracta fuisset. Doluit Comes iacturam pignoris tanti: sed miraculi gloria compensatam deuotiùs tulit: nec tam se deseri, reprobarive putauit; quàm Monachos eligi, veluti capellanos Religiosiores, qui cœleste pignus, non sumptuosius, sed purius, & reuerentius venerarentur. Sed nihilominus visitauit Cœnobium, pandit miraculum, & vas Crystallinum, quod inuenerat vacuum in propria domo, deuotè obtulit; in quo vsque ad hunc diem perseuerat. His miraculis Coronæ Christi fragmen consecrauit Cœnobium, à quo se auelli nequaquam passum est: in ipso, vt speramus, & cum Monachis, vsque ad vltimum diem permansurum.

Est spina ipsa viridis coloris, ad longitudinem quatuor digitorum, in vltima eius parte velut flauescens. Dubium, an rubricata Christi sanguine, an colore natiuo per partes vario: nec enim satis id discerni potest. Per se, & per aquam, cui per annos singulos, statutis diebus mergi consueuit; innumera miracula operatur. Illud continuum, quod efficiat eandem aquam corruptionis expertem, quod iam longa experientia comprobatum, penè assuetudine aboleuit admirationem. Hodie miraculum magis crederetur, si quæ post tactum eius, corruptioni, aut fœtori esset obnoxia. Frequens item, atque innumeris testibus comprobatum de hac eadem aqua, in vasis vitreis reddere manifestam effigiem Coronæ Domini: sed quam si aqua effusa, tenere velis, euanescit ex oculis; neque semper cum aqua reddítura. Extat liber de miraculis continuis, sanitatibúsque, quas crebrò confert, neque in præsenti vacat recensere. Seruatam hactenus in sacrario eiusdem domus, ante biennium decorauit sacello proprio Reuerendus Pater Fr. Angelus de Aguila, eiusdem domus alumnus & tunc Abbas; nunc de la Oliua, in Regno Nauarræ, Regis Catholici; ad quem spectat electio destinatione. Porro sacellum, si materiam spectes, sumptuosum, & graue; si opus, artémque, adeo expolitum, adeo præclarum, vt vix aliud æquale reperiatur in toto Regno; superius, nullum. In eodem sacello sunt reposita digitus Sancti Petri Apostoli, Brachium Sancti Lucæ Euangelistæ, os magnum integrum Sanctæ Luciæ Virginis, cum lignis crucis Christi, Petri, & Andreæ; & quæ plura habet sacrorum ossium fragmina, idem sacer conuentus, donata singula propriis effigiebus, apprimè fabrefactis; atque propriis ordinibus distincta, fœlici genio. Hæc occasione excellentioris dotis huius Cœnobij; quamuis & bonis etiam temporalibus supra multa abundet, & paucis in Hispania inferiùs inueniatur. 8.

Taxatur Monasterium Sancti Petri de Spina (sic enim nominatur in libris Cameræ) quinquaginta florenis. Memoratur in litteris Innocentij Papæ tertij, Pontificatus ipsius anno decimo sexto. 9.

Ad

Ad Abbates de Spina, & de Vrsaria Palentina & Auriensis Diœcesis, Cisterciensis Ordinis. Illustri vtique Abbati causa commissa, in qua Rex Lusitaniæ ex vna parte, atque eius sorores Theresia, & Sanctia; fratrésque eius ex alia, collitigabant. Rursus in aliis eiusdem Summi Pontificis; Pontificatus ipsius anno septimo. *Ad Abbatem, & Conuentum Monastery de Spina, Cisterciensis Ordinis, Palentina Diœcesis.* Itémque aliis ad Arnaldum eius Abbatem pro visitando reformandóque insigni Monasterio Sancti Facundi. Sed de his latiùs dicendum suis temporibus Nunc ex Hispania, ad Gallias transeamus.

10. Grandisiluam illustrem Abbatiam Ordinis nigri, in Tolosana Diœcesi, quis fundauerit primùm, in dubio est; Constat postquam Cistercio vnita fuit, quod contigisse hoc anno iam ostendimus, breue intra tempus auctam vtrisque bonis. Quippè in temporalibus inuenitur in libris Cameræ ad quatuor millium florenorum taxam pertingens, quam vix vel ipsa Tolosana sedes adæquat: in spiritualibus tot abundat Sanctis, tot viris doctis, tot titulis de Ecclesia bene merita longo tempore floruit, vt vix alij in Cistercio cedere debeat. Grandis, haud dubiè, silua Sanctorum est, iuxta mensuram nominis, *ex qua, vt ait author Exordij magni* [d] *, multi magni, & præclari nominis viri ab initio prodierunt.* Floruere in ea Sancti maioris notæ Guillelmus Monpesulanæus, Pontius, Bertrandus, & Magnus Fulio Archiepiscopus Tolosæ, quin plures alij, qui totas nobis paginas implebunt in his annalibus. Sed de his suis locis. Nunc Anonimus quidam eiusdem domus, quia quo floruerit, tempus ignoratur, sicut & nomen, quæ certa fide antiqui authores narrant, eò exemplum producam: vt ex vno conuento Grandis-syluæ, velut ex vngue leonem, reliquam eius gloriam coniiciamus. Referam autem Cantipratani verbis subæqualis authoris, atque omni fide digni, quæ ita habent [e].

d lib.2 c.24

e lib.2.c.29. p.9.

11. *Erat quidam emerita militia Veteranus, qui sæculo, & si tardè, renuncians, Sanctum Cisterciensium Ordinem introiuit. Quæsitus autem à magistro Nouitiorum, si sciret orationem Dominicam, scilicet* Pater noster: *negauit; numquam se discere potuisse contestans. Quid plura? Fit labor inanis, vt discat; & cùm non posset; præcepit Abbas, vt saltem illi breuem Angelicæ salutationis versiculum inculcarent; quod & si multo, & diutino labore, factum est tamen; cùm enim ad exhortationem magistri sui, ipsum versiculum inter prandendum ad vnamquamque ferè bucellam, ne obliuioni traderet, ruminaret; ex frequenti, & longo vsu, tantam in ipsa salutatione, mentis concepit dulcedinem, vt cordi eius, & ori sola memoria Matris Christi; quamquam aliàs auocatus, indelebiliter adhæreret. Contigit vt post aliquanta annorum curricula veteranus ille deuotissimè moreretur; & inter fratres in cæmeterio sepeliretur. Mira res! de tumulo eius non multò pòst, à parte capitis arbor nasci ignoti generis visa est, cuius folia litteris aureis insignita,* Aue Maria gratia plena, *notabiliter singula continebant. Quod vbi notum fit Diœcesano Pontifici, ad locum venit ipse miraculi: radicem arboris per effosionem diligenter scrutatus est; & eam de ore Veterani illius ortum habere probauit. Nec mora, vbi diuina ostensionis arbuscula debitum officium executa est, in oculis omnium aruit, & defecit.*

Hactenus Thomas de Cantiprato narrans miraculum, tribuénsque Cistercio; sed domum, simul & nomen Monachi reticens: verùm de Monasterio dubium nullum, Grandis-syluam prodente Ioanne Abbate, atque eius domus Conuersum proclamante [f]. *In Grandi-sylua, ait, Bertrandus Abbas, & Guillelmus Montis Pesulani Dominus, Monachus: nec non Conuersus ille, quem historia produnt, nihil preter hac duo vocabula sciuisse, scilicet* AVE MARIA, *ex cuius ore post mortem iam tumulati lilium prodiit,* AVE MARIA, *litteris aureis scriptum habens.* Consonant Ioanni Abbati recentiores quod attinet ad domum; & addunt nomen; sed in quo nulli fides, dum omnes variant: Nam Philippus Seguinus Ioannem appellat, & re vera Conuersum fuisse tradit: Guillelmus de Valada [g] non Conuersum, sed Monachum, & eum Guillelmum Mon-Pesulaneum Dominum; quod vix de tanto principe credibile. Henriquez [h] ne alterum omittat, vtrumque memorat; atque vtrique, & ignorantiam deuotam in vita tribuit; & post mortem gloriosam eiusdem ignorantiæ commendationem [i]: alteri ad nonam diem Mensis Aprilis, alteri ad vigesimam primam Decembris. 12.

f in indice Sanctorum.

g lib.3 c.93.

h in Missali antiquo Ordinis.

i Menologio

De Bernardo Abbate Grandis-syluæ, qui se, & domum suam Cistercio tradidit; morte, an cessione dimiserit præfecturam intra biennium? in dubio est. Certum illi suffectum Alexandrum, quem de Colonia hoc anno Bernardus Parens Claramuallem adduxit, vt memorauimus. Memoratur Grandis-sylua in litteris Innocentij Papæ tertij, Pontificatus ipsius anno VII. & habentur in cap. *in causis* 30. de electione, & electi potestate. Estque prima, & præcipua inter Ecclesias, quæ hæreticis inuisæ patuerunt Albigensium inuasionibus. Vnde in iniuncta Comiti Raimundo, pro illatis iniuriis, satisfactione; itémque in litteris ab ipso publicatis, post Cistercium prima, & vt passa grauiora commemoratur. Extat in Bibliotheca Coloniensi epistola Nicolai Claræuallensis ad Cantorem Grandis-syluæ. Robertus Claudius sequutus Chronologiam; in anno errat: Quippe fundatam Grandi-syluam ait, anno M.C.XLIV. ante quem tamen cæpisse certum est; nec minùs certum accepisse post illum Cistercij iugum. 13.

1. *Chronologia fundationum præsentis anni.* 2. *Vallis Ydræ, & Obuderia ignotæ domus, de Valle Dei dictum,* 3. *& de Kiri estal, & Valle Richerij.* 4. *Betelestem, Brueria, atque de Rupe:* 5. *de Salteria, & Henrico Salteriensi: emendatus Pitseus.* 6. *De Sylua canis, Bonaualle Rutenensi, Chaërio, & Vtristalt.* 7. *de Margam, & Abbate eius Conano: Alna remissa.* 8. *Saleya, Sequanæ portus, Faecia, Fons Vuillelmi, Clariana que,* 9. *dictum de Bullione Bisuntinensi,* 10. *remissiuè de Riuo sicco.* 11. *& tandem de Fonte frigido.*

Capvt XIX.

1\. Spinam, Grandisyluámque, illustria Cœnobia, sequuntur aliæ fundationes, & quidem multæ hoc anno, quas Chronologia recenset ordine sequenti.

Anno M. C. XLVII. sexto Kalendas Maij fundata est Abbatia Vallis Ydræ.

Eodem anno XV. Kalendas Iunij Abbatia de Obuderia.

Eodem anno X. Kalendas Iunij Abbatia Vallis Dei in Anglia.

Eodem anno IV. Kalendas Iunij Abbatia Monasterij in Argona.

Eodem anno XIV. Kalendas Iulij Abbatia de Kiri estalt.

Eodem anno VIII. Kalendas Iulij Abbatia Vallis Richerij.

Eodem anno VI. Kalendas Iulij Abbatia de Betelestem.

Eodem anno, & eodem die Abbatia de Brueria.

Eodem anno III. Kalendas Augusti Abbatia de Rupe.

Eodem anno II. Kalendas Augusti Abbatia de Salteria.

Eodem anno VI. Idus Octobris Abbatia de Siluecane, aliàs de Sylua canis.

Eodem anno XV. Kalendas Nouembris Abbatia Bonaualli Rutenensis.

Eodem anno V. Kalendas Nouembris Abbatia de Chaherio.

Eodem anno, & eodem die Abbatia de Vtristalt.

Eodem anno IX. Kalendas Decembris Abbatia de Margam.

Eodem anno III. Nonas Decembris Abbatia de Alna.

Eodem anno Kalendas Ianuarij Abbatia de Saltia.

Eodem anno Idus Martij Abbatia de Sequana Portu.

Eodem anno Abbatia de Faecia.

Eodem anno Abbatia Fontis Vuillelmi.

Eodem anno Abbatia de Bullione Bisuntinen.

Eodem anno Abbatia de Clariana.

Eodem anno XVI. Kalendas Aprilis Abbatia de Riuo sicco in Hispania. Hæc Chronologia, tres & viginti recensens fundationes.

2\. Ex his priores duæ ignotæ nobis, nec in genesibus video memorari: è contra Valles Dei plures inuenio; vnam in Belgio, filiam Claræuallis; alteram in Noruegia, filiam Fontium; tertiam in Hibernia, filiam Geripontis; quartam in Hispania, filiam Superadi; & tandem quintam in Anglia, filiam Morimundi. Porrò hanc vltimam concernere hunc annum, ex ipsa Morimundi filiarum serie videtur colligi: Est enim immediatè post Francas valles, ante Andreouium: illam fundatam anno M. C. XLIII. hanc M. C. XLIX. fundandam, vt, eos annos legenti, constare poterit. In genesibus pro Valle-Dei Angliæ, Diœcesim Herofordensem, notatam video; in qua tamen apud Nicolaum Arsfeldium [a] vnicum Monasterium, Cisterciense reperitur, sub Doriæ nomine: quod vtrum idem, an diuersum sit, me latet. De eo ille hæc tantùm pro suo more. *Doria, titulo Sanctæ Mariæ. Fundator Robertus Dominus de Eubias, Albi Monachi.*

[a] *In Cathalogo Sacrarum ædium Angliæ.*

3\. Cæterum, vt valles Dei plures, sic plura Monasteria, quæ non minorem pariunt confusionem. Certè hoc anno natum, in Argona Catalaunensis Diœcesis, inter filias Trium Fontium (primogenitæ Claræuallensis) connumeratur. Meminit eius domus Robertus Claudius [b], designans Diœcesim, in qua etiam inuenitur in libris Cameræ *de Monasteriis in Argona* ad trium, & quinquaginta Florenorum taxam pertingens. Eius Abbas Guillelmus, vir planè magnus, in Abbatem Claræuallis promotus est anno M. C C. XVII. Memoratur Monasterium de Argona Cisterciensis Ordinis Catalaunensis Diœcesis litigans cum illustri Rege Nauarræ, & Comite Campaniæ in litteris Innocentij Papæ IV. Datis Laterani XII. Kalendras Februarij, Pontificatus ipsius ann. I. necnon in aliis Alexandri IV. Datis Viterbij VIII. Idus Septembris, ann. III. Kiri estal sequitur, domus in Anglia sita, Eboracensis Diœcesis, quam sibi proximam Fontes protulerunt. Memorat domum Nicolaus Arsfeldius [c] in Eboraco. *Kirkistalli* (sic enim vocat) *titulo Sanctæ Mariæ. Fundator Henricus Lacy primus, anno Domini. M. C. XLVII. Monasterium Albi Monachi.* Eidem domui adiungo vallem Richerij, Diœcesis Baionensis in Normania, quam protulit Bernardus ex Claraualle. Sic in genesibus nec plura Robertus Claudius [d]. *Vallis Richerij, Ordinis Cisterciensis, Diœcesis Baionensis, fundatur anno M. C. XLVII. vigesimo quarto Iunij, vulgò* Var Richer *supra Salabria.* Situs Cœnobij primus in agro sterili, cui Salabria nomen. Inde à quodam Philippo de Harcour, Sancto Patre Bernardo adhuc viuente, translatum est ad locum vbi nunc cernitur. Eius Abbati scribit Innocentius Papa III. lib. 1. epistolarum Decretal. eiusdem, folio mihi 178.

[b] *In Gallia Christiana.*

[c] *In Cathalogo Sacrarum ædium Angliæ.*

[d] *In suagelia.*

4\. Betelestem, Bruetiáque sequuntur, vtraque in Anglia, atque vtraque filia Boaberleæ, siue Vuaberleæ (quam filiam eleemosynæ, Cistercij neptem, in Surreya Angliæ prouincia, superius diximus) vtramque protulit vna, & eadem die, quod florentem tunc fœcunditatem matris satis ostendit. Porrò in genesibus, neutrius notatur Diœcesis, sed nec eædem domus sub his nominibus in Cathalogis Nicolai Arsfeldij reperiuntur. Inuenio tamen similes notatas, & credo easdem, inuerso

inuerso parumper nomine. *Bruetiam (in Oxoniensi Comitatu) titulo Sancta Maria. Fundator Nicolaus Basset, Albi Monachi.* Et in Comitatu Vuar-Vhichiæ, *Bordes-ligem. Titulo Sancta Maria Monasterium Albi Monachi*, de prima nulla mihi difficultas; in secunda hæreo, & lectori relinquo discernendam. His addo Rupem, Sancti Roberti Vbitibicensis secundam prolem, ex nouo, cui præsidebat Monasterio, missa Colonia. Regnum, & Diœcesim geneses omittunt, sed puto in Anglia; atque eandem omnino, quam Arsfeldius notauit in Eberaco, tacita licèt Cisterciensi congregatione. *Rupe*, inquit, *alias Riche Titulo Sancta Maria. Fundatores Maiores Cliffordorum Comitum Cumberl.* Hæc tantùm ille; Extant & litteræ Alexandri Papæ IV. ad Abbatem, & Conuentum de Rupe, Cisterciensis Ordinis, Eboracensis Diœcesis. Datæ Laterani, Idibus Maij, Pontificatus illius ann. II. in quibus eius domus hospitalitas, etiam supra id, quod posset, commendatur. Brueriam (licèt parum corrupto nomine Brudeiam nominans) memorat Hadrianus Pap. IV. in cap. *Ex multiplici.* 3. de decimis, primit. & oblationibus.

5. Salteria sequitur, quam Saltriam alij dicunt, in Anglia item, & Comitatu Huntigdoniensi, de qua Nicolaus Arspfeldius ita scribit. *Saltria, Titulo Sancta Maria. Fundator Simon, secundus Comes Humtingdonia, Regis Scotia, & Domini de Coningston. Regnante Stephano Rege. Monachi Cistercienses.* Primos eius Cœnobij habitatores ex Bordesleya accitos, quam domum de Cistercij linea supra narraui, ex genesibus constat: in quibus tamen, nec Diœcesis notatur, neque prouincia. Nascentem domum illustrasse inuenio Henricum Salteriensem, eruditione insignem, & pietate; & cuius crebræ ad populum conciones, scriptaque multos homines à vitiis reuocarunt: de eo hæc habet Pitsæus suarum relationum tomo priori. *Henricus Salteriensis Cœnobij Monachus Anglus Ordinis Cisterciensis, Hic Humtingdonensi Comitatu natus, & ibidem ab ipsis teneris vnguiculis sub optima disciplina educatus partim in suo Monasterio, partim à Florentiano Hibernorum Episcopo, & à Gilberto de Luda Cisterciensium Monachorum Abbate bonas litteras, optimáque bene viuendi præcepta didicit. Ipse etiam iam edoctus, alios docere solebat timorem Domini initium Sapientia. Et quia videbat homines plerumque pœna timore magis, quàm virtutis amore à vitiis deterreri, populo itidem inculcare solebat nihil inquinatum intrare posse in Regnum cœlorum, atque adeo omni peccato debitam esse suam pœnam, & priùs secundùm diuinam iustitiam; satisfaciendum pro delictis, vel in hoc sæculo bene faciendo, vel in purgatorio patiendo supplicia, quàm cuipiam, qui aliquando peccati maculam contraxit pateat aditus in æternum cœlestis beatitudinis refrigerium. Vnde & scripsit ad Henricum Abbatem de Sartis.*

Super Purgatorium Sancti Patricij librum vnum Patri suo in Christo.

De pœnis Purgatorij librum vnum. Iussisti Pater Venerande, vt, *&c. De aliis eius scriptis nihil habeo comperti. Claruit anno gratia M.C.XL. Stephano cum Mathilda, de summa rerum in Anglia, hostiliter contendente.* Ita Ioannes Pitsæus, de Henrico, quem tamen virum tempore anteponere, constat ex ipsa Cœnobij fundatione; libri de Purgatorio Sancti Patritij prologum integrum, & operis fragmenta non contemnenda hoc nostro sæculo vulgauit Thomas Messinghamus Hybernus, & suo Florilegio inseruit cum multis aliis.

Siluancanam alias de Syluacanis, siue de Syluæcane, Morimundi filiam esse, lego in genesi Ecclesiarum Morimundensium, in Prouincia natam, in Diœcesi Aquensi, nec quidquam aliud potui inuenire. Bonas-valles, vt minus inuenio quatuor, dictas iam duas Viennensem, & Pictauiensem, quibus adiungo Rutenensem, & Toletanam. De hac inferius. De Rutenensi constat productam ex Mansiade, ideóque auxisse lineam Cistercij. Claudius Robertus nihil præter Diœcesim: Cæterùm domum nequaquam exiguam fuisse constat ex libris Cameræ, in qua ad septingentorum florenorum taxam pertingit. In ea floruit Quadratus illius Abbas, atque alij viri insignes, quos suo tempore Annales pertractabunt. Chaherium, vel Chalerium inter filias Trium Fontium commemoratur, in Diœcesi Rhemensi, in qua etiam inuenitur in libris Cameræ, trecentorum florenorum taxa præfixa. Vnde corrigendus venit Cathalogus Cœnobiorum apud Henriquez, qui domum in Treuirensi Diœcesi locat. Mirabilius à Roberto Claudio omissam in sua Gallia; nec nobis omissionis causa constare potest. Lego & Calerium, siue Calericium in Diœcesi Riuensi, filiam Grandis-syluæ, cuius meminit Claudius; atque aliam similem in Diœcesi Misnensi, memoratam in litteris Alexandri IV. Datis Neapoli IV. Kalend. Martij ann. I. Sed de his suis locis. Vristal domus in Spirensi Diœcesi, de linea Claræuallis incerta matre; aliis Vtersdal, Friderici Spirensis Sepulchrum apud Tritemium *anno*, inquit, *Dominica Natiuitatis. M.CCC.II. Quinto Kalendas Februarij, Fridericus de Bolandia Episcopus Spirensis obiit, & in Monasterio Vtersdal Cisterciensis Ordinis sepelitur.* 6.

Margam illustrem domum in Vualia Claræuallis produxit, Bernardo Patre coloniam transmittente; dubium sub quo Abbate. Quamuis constet sub initium nascentis domus beatum in ea Conanum floruisse, clarum miraculis; quæ Deo remunerante, larga, & copiosa manu, viri merita ex Abbate in Conuentum refundebantur. *Fiumest* (inquit Nicolaus Arpsfeldius [d]) *ad Cisterciensis Ordinis Marganense Cœnobium, præ aliis omnibus Cambria, docto, & prudenti viro Conano præside, ob summam in peregrinos, & pauperes fouendos propensionem, nobilitatum. Quam Deus insigni sæpè munere, & beneficio (instar illius Helisiani) frumento repente diuinitus aucto (quod auctor noster, vt rem certam, & expeditam refert) & alias in summa annona caritate, messe ad vnum mensem, solito præcocius maturescente, magno omnium stupore remuneratus est, grauésque, in Cœnobij aduersarios, vindictas exercuit.* Sed de his alibi, in tempore, opportunius. Alnense Monasterium, quamuis hoc anno semina susceperit, quod suprà memorauimus, non tamen vsque in sequentem fructificasse argumento est, quod Vualterus, sociúsque, & alij hoc ipso anno à Beato Bernardo conuersi, & ad Claramuallem ducti, post professionem in Alnam remissi sunt, in ea domo Cistercium fundaturi, quod ex infrà dicendis palam fiet. 7.

[d] Sæculo 12. c. 46.

8. Saleya est domus de linea Claræuallis, incerta matre, certa tamen Diœcesi, Eboracensi in Anglia, de qua Nicolaus Arpsfeldius [e] in Eboraco. *Saleya, Titulo Sancta Maria. Fundator Guillelmus filius*

[e] in Cathalogo Sacrorum ædium Angliæ.

filius Henrici de Pereij. Monachi Albi. Illud admirationem omnem vincit, intra annum, in vno Regno Angliæ, opulentiori sanè, quam extensiori, nouem Cœnobia Cistercium protulisse, quæ vel in toto orbe permulta forent. Vallem Dei, Kiriestal, Betelestem, Brueriam, Rupem, Saltriam, Vvistal, Margam, atque Saleiam: Certè hæc sola sufficerent, dilatando instituto per totam Angliam, quamuis non tot, ac tanta præcessissent; non tot, ac tanta deinceps sequenda forent. Sequanæ Portum, & Fontem Vvillelmi in lineis video, alteram Claræuallis incerta matre, nec certo Regno, aut Diœcesi; alteram Pontigniaci, in Diœcesi Bisuntinensi, Gondonij filiam. Sic tabulæ geneseos. Robertus Claudius Fontem Vvillelmi in Vasatensi Diœcesi collocat, quæ suffragatur Episcopo Auxitano. Eandem Pontigniaci lineam auxere Faecia, vel Facia, vel Faya, Clarianáque, aliàs de Iano; ilia filia Caduini, vulgo *la Faye*, vt ait Robertus Claudius; hæc Ardureli, & neptis Caduini. Illam genesis in Burdegalensi Diœcesi locat, vbi, & Robertus Claudius: hanc in Olorensi. Libri taxarum Cameræ, in Elnensi; & sunt, qui putent irrepsisse Olorensem amanuensium incuria: nam in eisdem tabulis geneseos in Roselione punitur; à quo Olorensis sedes longè dissita; Etnensis, aut contenta, aut loco proxima. Fayensis, siue Faycensis Abbatis meminit Innocentius III. lib. 1. suarum Decretalium. Vtrùm ipsa domus sit, quam Matthæus Paris Abbatiam de Flay nominat, cui B. Eustachius præsidebat circa annum Christi M. C C. plus, minúsve? aliorum linquo iudicio discernendum.

9. Protulit Claraualis, sequens Cœnobium de Bullione paupere; hoc enim illi cognomen, vt habet taxarum liber, in Diœcesi Bisuntinensi, vbi ipsum Monasterium situm est: ædificiis humilibus, atque nomini ipsi concordantibus. Id Cœnobium cum miraculo illustratum à Sancto Petro Tarentesiensi, Gamfridus Altæ-cumbæ Abbas [f] scriberet, & tenuitatem domus satis expressit, & ad nomen allusit dum ita ait. *Non transeamus Cœnobium Bullionis, ne causari incipiant fratres illi, quod contra morem illius, quem scribimus, videamur humiles, & pauperes aspernari. Gratanter visitabat & illos amicus pauperum, nec mediocriter in ædificiis mediocribus complacebat*, &c.

f *Apud Surium, cap.....*

10. Vltima est Abbatia Hispana de Riuo sicco, in veteri Castella, Burgensis Diœcesis, quam Imperator Alfonsus ante duodennium Benedictinis Monachis construxerat: septimo, à loco vbi nunc visitur, lapide; iuxta Cerneglam oppidum, vbi nunc Prioratus extat eiusdem domus. Verùm cùm hæc per Vallis-bonæ Monachos edocta Cistercium matrem suam præire non potuerit; consequitur, vt nec ante eam tradenda sit, quam constat præstolatam adhuc quatuor annos. Ergo cùm Vallem-bonam retulerimus, quia annus certus non constat, Quintanam Suarij, nam hoc illi tunc nomen, tamquam filiam matri subiiciemus.

Sed Riuo sicco substituo Fontem frigidum, cuius superiùs fecimus mentionem; & ne ante matrem filia mæreretur, in hunc locum remisimus tractandam. Ergo Fons frigidus, siue hoc ipso anno simul cum Grandi-sylua, seu paulò pòst, Cisterciense institutum per Monachos eiusdem domus accepit in Narbonensi Diœcesi, Principum Narbonensium fundatio; atque doratio inclyta satis. Primus Abbas, Bernardus etiam dictus (sicut & Grandis-syluæ, & Claræuallis) patris, & aui virtutes referebat simul cum nomine. Illustrauere Ecclesiam Fontis frigidi quæcunque alia possunt, siue viros attendas, siue opulentiam, siue prolem susceptam, siue sepulchra. Quippe inter viros, sanctitate floruere, doctrináque, B. Petrus Martyr, cum Radulpho eius socio, primus in Ecclesia (quod tomo 3. ostendam) hæreticæ prauitatis Inquisitor: dignitatibus, Iacobus Furnus, siue Furnerius, eiusdē domus Abbas; mox Summus Pontifex Benedictus 12. æquè sanctus, ac doctus; & Arnaldus Nouelli. S. R. E. Cardinalis, tituli S. Priscæ cum aliis, de quibus infrà. Quantùm ad opes, extat in libris Cameræ duum millium florenorum (ad quos pauci pertingunt Episcopatus) taxam adimplens. De prole, Populetum pro mille fit, Fontis frigidi germen toto orbe Christiano nulli secundum. Demùm, si ad sepulchra conuertas oculos inuenies illuc Narbonensium Principum ossa, adeo continua serie, vt non priùs sepeliri illic desierint, quàm esse, id est, quàm cederet Narbona Francorum Regibus. Memoratur Fons frigidus in iure in cap. *Per inquisitionem* 16. de electione, & electi potestate; & in cap. *Cùm dilecti filij* 18. de accusationibus; & in cap. *Litteras* de supplenda negligentia Prælatorum; & in multis aliis Decretalibus Pontificum, toto Annalium contextu referendis. 11.

IESV CHRISTI ANN. 1148. — CISTERCII ANN. 51.

1. *Eugenius libris Gilberti ad examen traditis,* 2. *atque Eudone hæretico, fatuo;* 3. *sed per præstigia multos peruertente,* 4. *tandem comprehenso,* 5. *Rhemis Concilium, celebrat.* 6. *Eudonem priùs interrogatum carceri mancipat.* 7. *Discipulos eius rebelles, ignibus tradit.* 8. *Henrici Regis, ac fratrum Poloniæ Ducum querelas audit.*

CAPVT I.

1. INSTABAT tempus Concilij generalis, & Pictauiensis Episcopus Gilbertus doctrinam suam Eugenio, Eugenius viro docto Godescalco Abbati Sancti Eligij de Monte, Præmonstratensi, examinandam dederat. *Qui* (ait Godefridus [a] in epistola ad Cardinalem Albanensem, de qua superiùs) *diligenter, vt pote vir disertus, notauit capitula: & ex libris Sanctorum Catholicorum Patrum auctoritate, paucas manifestè contrarias scripsit in schedula, quas ad idem Concilium*

a *apud Baron. hoc ann.*

Concilium veniens, Domino Papa, cum libello Pictauiensis Episcopi præsentauit. Hæc de causa Gilberti ante Concilium, hoc anno Christi. M. C. X L V I I I. qui fuit Cistercij primus, & quinquagesimus.

2. Serpebat interim nocentius adhuc virus Eudonis hæretici, cuius meminimus tomo præcedenti; hominis sanè idiotæ, & penè fatui: sed per præstigia, & illusiones magicas, populum eò efficaciùs seducentis, quò ex simplicitate procul à dolo; ex signis, proximior Deo existimabatur. Audi de eo Guillelmum Neubricensem, non multò pòst scribentem in hæc verba [b]. *Cùm sermone Gallico* Eon *diceretur; ad suam personam pertinere credidit, quod in Ecclesiasticis Exorcismis dicitur, scilicet per* eum, *qui venturus est iudicare viuos, & mortuos, & sæculum per ignem. Ita planè fatuus, vt* Eon, *&* eum, *nesciret distinguere; sed supramodum stupendâ cæcitate crederet, se esse dominatorem, & iudicem viuorum, & mortuorum: erátque per diabolicas præstigias tam potens ad capiendas simplicium animas, vt tanquam ex muscis aranearum opere irretitis, seductam sibi multitudinem aggregaret: quæ tota illum, tanquam Dominum dominorum, indiuiduè sequeretur. Et interdum quidem mira velocitate, per diuersas prouincias ferebatur; interdum verò morabatur cum suis omnibus in locis desertis, & Inuiis; móxque instigante Diabolo, erumpebat improuisus, Ecclesiarum maximè, ac Monasteriorum infestator.* Hæc de vesania hominis stultissimi.

b lib.1.c.19.

3. At de præstigiis, queis, credulum, & in nouitates semper pronum vulgus, decipiebat, audi, quod sequitur [c]. *Accedebant ad eum plerumque noti eius, & propinqui: erat enim non infimi generis, siue vt eum familiari ausu corriperent, siue vt, quomodo se circa eum res haberet, cautiùs explorarent. Videbatur autem esse circa eum ingens gloria, apparatus fastúsque regius; & qui cum eo erant, solicitudinis, laborísque expertes, pretiosè indui, splendidè epulari, & in summa lætitia agere videbantur. In tantum, vt plerique, qui ad corripiendum eum venerant, conspecta eius non vera, sed phantastica gloria, corrumperentur. Fiebat enim, sed phantasticè per dæmones: à quibus, scilicet misera illa multitudo, non veris, & solidis, sed aëreis potiùs cibis in locis desertis alebatur. Nam, sicut postmodum per quosdam audiuimus, qui in eius fuerant comitatu, eóque sublato, tanquam agentes pœnitentiàm, per orbem vagabantur; in promptu eius erant quotiescumque volebat, panes, carnes, pisces, & quique cibi lautiores. Verùm quod iidem cibi non solidi, sed aërei fuerint, subministrantibus inuisibiliter spiritibus aëris huius, ad capiendas magis, quàm pascendas animas hinc elucet; quod quantamcunque ex cibis illis repletionem modico ructu exinanitam, tanta mox sequebatur esuries, vt eosdem cibos illicò repetere cogerentur. Quicumque fortè ad eos accedens, ex cibis eorum, vel modicum gustasset: ex participatione mensæ dæmoniorum, mente mutata, spurcissimæ multitudini continuò adhærebat. Et quicumque ab eis aliquid in qualibet specie accepisset, periculi expers non erat.*

c Vbi suprà.

4. Eisdem præstigiis facilè efficiebatur, vt à multis quæsitus comprehendendus, nihilominus frustra quæreretur; quippè quæsitores solitus eludere, & nunc à manibus eorum elabi, nunc ab oculis etiam euanescere. Cæterùm qualiter tandem deceptus ipse, ab auctore totius deceptionis, seu deserente, vt solet, seu non permisso nociuum animal vlteriùs liberare; ab Archiepiscopo Rhemensi comprehensus, asseruaretur Concilio præsentandus, idem qui suprà Auctor pergit scribere [d]. *Tandem verò fraudatus ope Dæmonum, cùm non ampliùs per illum debacchari sinerentur, (non enim nisi à superioribus potestatibus, iusto Dei iudicio relaxantur) leui negotio à Rhemensi Archiepiscopo comprehensus est, & populus quidem stolidus, qui eum sequebatur, dilapsus est. Porrò discipuli, qui ei arctiùs adhærebant, eiúsque cooperatores extiterant, cum ipso capti sunt.* Hic rerum status ante Concilium fuit, quem eidem præmisimus, quo clariùs eius acta, atque Eugenij in ipso, perspicerentur.

d Vbi suprà.

Itaque hoc anno M. C. X L V I I I. *In Basilica Dei genitricis semper Virginis Mariæ* (ait Otto Frisingensis [e]) *Rhemis, præsidente summo Pontifice Eugenio, sedit Concilium.* Id est cœpit celebrari, hæc de anno, & loco: diem Robertus Montis memoriæ prodit [f], decimam nonam Martij, biduo ante Sancti Patris Benedicti solemnitatem. Concursum Patrum numerosum fuisse constat, cui Bernardus, Sugeriúsque Abbates adstiterint: Nec defuisse Episcopos Hispanos, Anglósque, præcipuè Primates Raimundum, & Theobaldum; hunc Cantuariensem, illum Toletanũ Metropolitas. Quorum alterum prohibitũ à Rege, sed nihilominus Pontifici obsequentem, cùm mari se obiecisset in cimba lacera, ne Concilio deesset; Eugenius ipse pro rostris collaudauit [g]. Quod *mirificam in Deum, in Ecclesiam, & Sedem Beati Petri reuerentiam ostendisset, qui præsentiam sui in Synodo, natando magis, quàm nauigando fecisset.* Alter verò pretiosissimum thesaurum, corpus Beati Eugenij, primi Toletani Archiepiscopi, in ipsa via repererit, cum Martyris Dionysij fanum propè Parisios, deuotione curiosa visitaret: inde tandem Toletum (propriam sedem) cum magno Hispaniæ gaudio transferendum. Sed hæc latiùs vtriusque Regni Auctores [h] nobis tetigisse sufficiat, pro instituto. Cæterùm non omnino generalem, sed Cisalpinæ tantùm Ecclesiæ Synodum, constabit apertè, ex litteris Eugenij dandis hoc ipso anno. 5.

e in Frider. lib.1.c.55.

f in Chronico hoc anno.

g Aessfeldius sæcul. 12. cap.15.

h Mariana de reb. Hispania, lib. 10.c.20.

In hoc Concilio examinatus primùm Eudo, siue *Eon* damnatúsque, nec minus fatuitatis, quàm doctrinæ: quod Guillelmus Neubricensis his verbis narrat [i]. *Cùm ergo staret in conspectu Concilij interrogatus à Summo Pontifice, quisnam esset, respondit. Ego sum ille, qui venturus est iudicare viuos, & mortuos, & sæculum per ignem. Habebat autem in manu suâ baculum insitatæ formæ; in superiori scilicet bifurcum. Interrogatus quid sibi vellet baculus ille; Res,* inquit, *grandis mysterij est. Quandiu enim, sicut nunc videtis, duobus cœlum capitibus suspicit duas orbis partes Deus possidet, tertiam mihi partem cedens. Porrò si eadem duo superiora capita baculi submittam vsque ad terram, & inferiorem eius partem, quæ simplex est, erigam, vt cœlum suspiciat, duabus mundi partibus mihi retentis, tertiam tantummodo partem Deo relinquam. Ad hæc risit vniuersa Synodus, derisítque hominem tam profundè datum in reprobum sensum. Iussus autem ex decreto Concilij, ne pestis iterum serperet, diligenter custodiri, tempore exiguo superuixit.* Guillelmo consonant, Robertus [k], Ottoque [l], aliàs abinuicem nonnihil discordantes. Quippè Robertus sub Rhemensis Archiepiscopi, Otto sub Sugerij Abbatis custodia defunctum perhibent. 6.

i Vbi suprà.

k in Chronic. hoc ann.

l in Frideric. lib.1.c.55.

Illud

7. Illud mirabile, defuncto etiam magistro, reliquisse discipulos, qui mori, quàm resilire ab errore, quantumuis fatuo, & crasso, consultius duxerint. Quod quidem, qui supra Guillelmus [m], ita commemorat. *Discipuli verò eius*, (scilicet Eudonis) *quos magnis insignierat nominibus; alium scilicet vocans Sapientiam, alium Scientiam, alium Iudicium, & in hunc modum cæteros; cùm sanam doctrinam nulla ratione reciperent, sed potiùs obstinatissimè de falsis gloriarentur vocabulis in tantum, vt ille, qui Iudicium dicebatur, suis detentoribus, vltricem, infælici fiducia, comminaretur sententiam; Curia priùs, & postea ignibus traditi, ardere potiùs, quàm ad vitam corrigi maluerunt. Audiui à quodam venerabili viro, qui interfuit, dum hæc agerentur, quod audierit illum, qui Iudicium dicebatur; cùm ad supplicium duceretur, crebrò dicentem: Terra findere: tanquam ad oris eius imperium terra aperienda esset, & deuoratura, sicut Dathan, & Abiron, hostes eius. Tanta vis, semel infixi cordibus erroris fuit.* Sic Nouatores sæpè Deus castigat; vt quos errores per superbiam semel imbiberint, per ignorantiam teneant; & dum alios seducere intendunt, longè miserabilius seducantur.

m *Vbi suprà.*

Hactenus gesta in Eudonem, & eius asseclas in Synodo Rhemensi: quibus, quia ab eodem Guillelmo proditas; causas subiungo, delatas ad Concilium; Alteram Romanorum Regis Henrici; Alteram quatuor fratrum Poloniæ Ducum. *Venerunt* (ait) *ad prædictum Concilium cum bulla aurea Nuncij iunioris Romanorum Regis Henrici, tam de sublimatione sua, ad Imperium, Romano Pontifici significantes, quàm de tribus fratribus Ducatus Poloniæ, qui eiecto quarto, & seniore, Ducatum intra se diuiserant; ac de Episcopis illius Prouinciæ, qui super hoc Patri ipsorum iuramentum præstiterant, querimoniam facientes.* Ita Vuillelmus. Qui tamen quid in vtroque negotio sancitum sit, silentio inuoluit. Sed iam nos vocant Gilbertus Porretanus, Bernardúsque; ille propositiones suas excusans, hic reuincens: & tandem cogens palinodiam recantare. Verùm quæ in eo negotio gesta sunt, quia longam satis exposcunt narrationem, in alio capite veniunt referenda. 8.

---

1. *Bernardus Pater cum Gilberto disputans.* 2. *Vnde sumpta materia?* 3. *Quid prima die,* 4. *in qua Episcopus recantat palinodiam.* 5. *Secunda diei capitula.* 6. *Cardinales decisionem causæ sibi reseruant.* 7. *Quid tunc Episcopi, dictante Bernardo Symbolum.* 8. *Legati Episcoporum ad Pontificem,* 9. *Gilberti errores:* 10. *& Confessio Patrum Concilij.*

CAPVT II.

1. BERNARDVM disputasse cum Gilberto in Synodo Rhemensi, Godefridus Claræuallensis prodit in eius vita. *Igitur* (ait [a]) *in Concilio, quod in vrbe Rhemorum Papa Venerabilis Eugenius celebrauit, egit quominus aduersùs hunc Gilbertum, Ecclesia Sancta suo tempore singularis Athleta Bernardus; primò quidem totum, quod ille verborum cauillationibus occultare nitebatur eliciens: deinde verò tam suis ratiociniis, quàm Sanctorum testimoniis, biduana disputatione redarguens.* Cæterùm qualis hæc biduana disputatio Bernardi fuerit, & vnde inceperit, idem an alter Gaufridus Claræuallensis, qui præsens fuit, & quo, in eo conflictu, Bernardus vsus, post quadraginta annos superstes adhuc (fortè idem ipse, qui miracula congessit) ad Cardinalem Episcopum Albanensem scribit per dies singulos.

a *lib... cap...*

2. *Ventum est* (ait [b]) *ad discussionem capitulorum: quæ prædictus Abbas Godescalcus notauerat; sed quia ipse nimis erat elinguis, liber ille, cum Sanctorum testimoniis ei contrariis, à Domino Papa traditus est Patri nostro Sancto Bernardo Claræuallensi. Aderant viri magni, nec mediocriter litterati, Gaufredus de Oratorio, Burdigalensis Ecclesiæ Archiepiscopus, cuius in Pictauiensi Ecclesia Episcopus suffraganeus erat; Milo Morinensis Episcopus religione, & scientia satis insignis; Iostenus Suessionensis Episcopus, tam sæculari, quàm litterali scientia præditus: Sugerius Abbas Sancti Dionysij cui Francorum Rex Ludouicus Hierosolymam proficiscens, totius Regni commiserat administrationem. Hi, & alij plures, cum Beato Bernardo, prædicta capitula rationibus pariter. & Scriptura sacra testimoniis arguebant; nisi quod prædictus Gaufredus minus cæteris loquebatur, de industria parcens homini, & iudicio se reseruans, sicut humiliter est confessus, & pœnitentiam egit, audiens Dominos Cardinales, quorum principales fauisse reo, & euidenter etiam fouisse constabat, superauditis obiectionibus sese premittere iudicaturos.* Hinc disputatio Bernardi cum Gilberto principium sumpsit. Verùm quod ait de fauore Cardinalium, iudicium hominis sibi reseruantium, ex quo Gaufridum silentij pœnituerat, nos suo tempore statim aperiemus.

b *apud Bar. hoc ann.*

Pergit de primæ diei disputatione [c]. *Ingredientibus verò nobis Consistorium, prima die, cùm magnorum Voluminum corpora per clericos suos, Pictauiensis fecisset afferri; & nos paucas auctoritates Ecclesiæ, in sola Schedula haberemus: occasione accepta, calumniabantur fautores illius hominis, quòd decurtata testimonia proferremus, cùm ille codices integros exhiberet, vbi posset intelligi, quemadmodum verbis propositis, præcedentia, vel sequentia adhærerent. Prolatum tamen capitulum de eius codice in hæc verba: Cùm dicitur Deus, pertinet ad substantiam, non qua est, sed qua est. Quod dum alij, atque alij clamantes, auctorem arguerent, & aduersùs eum adhuc tergiuersantem non immeritò causarentur: Sanctus Bernardus ad Episcopum ait: Quid necesse est circa huiusmodi verba diutiùs immorari? Non aliunde procedit scandali huius origo, nisi quòd plures credere vos, credunt, & docere, quod diuina essentia, vel natura, diuinitas eius, sapientia, bonitas, magnitudo, non est Deus, sed est forma, qua est Deus. Hoc si creditis, palam dicite, aut negate. Ausus est dicere, forma Dei, & Diuinitas, qua Deus est, & ipsa non est Deus. Ecce ait Sanctus Bernardus, tenemus, quod quærebamus. Scribatur ista confessio. Præcepit Summus Pontifex; & Dominus Henricus Pisanus tunc Romanæ Ecclesiæ Subdiaconus,* 3.

c *Vbi suprà.*

mus, futurus postea Claraeuallensis Monachus, & ex Abbate Sancti Anastasij, Sanctorum Nerei, & Achillei Presbyter Cardinalis, ad eius mandatum porrexit, & attulit chartam, calamum, & incaustum. Cùm autem scriberet ipsam confessionem: & vos, ait Episcopus ad Abbatem, scribite, quòd Diuinitas est Deus. Nec concitatus ille, respondit: Scribatur, inquiens, stylo ferreo, in vngue adamantino, vel sculpatur in silice, quòd Diuina essentia, forma, natura, Deitas, bonitas, Sapientia, virtus, potentia, magnitudo verè est Deus.

4. Porro in hac eadem die effectum esse, vt Gilbertus, in aliquibus licèt proteruus, in multis subobscurus; in aliis palidoniam recantaret; paucis interiectis, scribit idem auctor. *Caterùm* (ait) *cùm de primo capitulo prima die disputaretur; ego fui, qui obieci eidem Episcopo, audientibus vniuersis, quòd verba illa, qua modò profitebantur, eodem anno Parisius coram Domino Papa, & maiori parte maiorum, qua aderant, personarum, penitus abnegasset, & testes produxisset, quod talia numquam crediderat, numquam docuerat. At ille multum confidens, & amplius forsitan, quàm postea voluisset, quia negare non poterat, se negasse: Quidquid tunc dixerim, modò,* ait, *hoc dico. Ego verò suspirans grauiter, quòd viderem coram tantis iudicibus paulò minus impunè tanta prasumi. Ergo sicut Rex, inquam, vestrum dictum, & dedictum habetis. Et factum est, vt disputantibus personis, qua aderant, super primo capitulo pradicto, occurreret secundum, profitente predicto Episcopo, quod nec vnus Deus, nec vnum aliquid sit tres Persona, licèt tres persona sint vnus Deus; id est, vna Diuinitate, & sint vnum, id est vno. Et aduersùs hoc capitulum diutiùs est disputatum, postquam, suggerente Sancto Bernardo, & Domino Papa pracipiente, ipsum etiam cum priore, litteris est commendatum.* Hactenus de disputatione primæ diei, & duobus capitulis in ea controuersis.

5. Secundæ verò diei disputationem ita orditur. *Sequenti die Codices tantos attulimus ad disputationem, vt obstupescerent fautores Episcopi, & à nobis audirent, quia ecce Schedulas non habemus. Faciebat Episcopus in libris Beati Hilarij, & de corpore canonum in quorumdam Gracorum Epistolis verba minùs intelligibilia, prasertim in tanta festinatione, & in tanta, ac tali multitudine, lectitari: nec deerant, qui pro eo se opponerent, licèt parum intelligentes. Addita sunt eodem die, capitula duo prioribus, & litteris pariter commendata: Quod personales proprietates, & aternarum rerum multitudinem copiosam Episcopus idem veraciter esse sine initio profiteretur; quarum tamen nulla Deus esset, nulla à Deo. Quartum fuit capitulum, quòd natura Diuina naturam non suscepit humanam, sed Persona filij naturam nostram suscepit, contra illud B. Gregorij. Quia venit ad nos calceata Diuinitas humanitate: & B. Augustini, in libro primo de Trinit. Ergo quia forma Dei accepit formam serui, vtrumque Deus, & vtrumque homo,* &c. Nam plura ibi testimonia congerit, quæ magis ad Theologiæ rigorem faciunt quàm ad historiam.

6. Comparauerat longo magisterio Gilbertus Porretanus plures discipulos, atque inter eos habebat ex Cardinalibus, qui vt erroribus nullatenus fauerent; in personam propensi, vellent, qua possent, ab infamia liberare. Hinc suspicionis occasio, mox dissidij, cui, ni Bernardus prudenter occurrisset, potuit vniuersam Ecclesiam perturbare. Nam audi quod sequitur. *Postquam diutius disputatum est, sub eo tenore discessum est, vt dicerent Domini Cardinales; quia ecce audiuimus, qua proposita sunt, deinceps iudicabimus, qualiter debeant definiri. Quod verbum eatenus mouit corda multorum, vt sequenti die apud Sanctum Bernardum conuenirent Archiepiscopi decem, Episcoporum quoque, & Abbatum, ac magistrorum plurima multitudo. Et quia iudicium sibi soli videbantur reseruasse, quos nouerant ferè omnes erroris (potius, quàm erroris) esse fautores: prouidere oportere, cum capitulis illis Gilberti Episcopi, sua, & fidei Symbolum mitti, vt scirent pleniùs, vnde iudicarent. Scripserunt ergo capitula totidem, quàm expressiùs potuere illius verbis, suam confessionem contrariam in omnibus, & per omnia proponentes; quam, de communi omnium conuenientia, non sine multa deliberatione dictatam, iudicaturis facerent exhiberi. Nec tamen verebantur, ne contrarium aliquid iudicarent; sed credebant, nonnullos eorum ad hoc tendere, vt sine aliqua definitione Concilium solueretur. Propter quod eidem Scriptura, quam nouissimam vobis mittimus, subscripta sunt nomina singulorum, qui aderant, Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, & magistrorum de consensu, & conuenientia vniuersorum.*

Alter Gaufridus, qui vitam Sancti scripsit hanc confessionem Symbolum appellat, atque à solo Patre Bernardo dictatam tradit. *Considerans sanè nonnullos ex his, qui præsidebant, iam quidem animaduertentes blasphemiam in doctrina, adhuc tamen auertentes iniuriam à persona; accensus est zelo; & domesticam sibi Ecclesiam seorsum conuocat Gallicanam. Communi denique consilio à Patribus decem Prouinciarum, aliis autem Episcopis, & Abbatibus plurimis, dictante viro Dei, nouis dogmatibus opponitur Symbolum nouum. Cui etiam subscribuntur nomina singulorum, vt earum videlicet omnium sicut irreprehensibilis fides, sic irreprehensibilis zelus cateris innotescat.* Porrò hanc, siue confessionem, siue Symbolum, non nisi post solutum Concilium ad Eugenium delatam, idque ex ipsius Pontificis iniuncto, tanquam qui vellet tanti Episcopi famæ prouidere, ne toto coram orbe condemnaretur; Frisingensis Episcopus notauit [d]. Nos ne causam in frustra partiremur, continuandam elegimus, iterum ad Concilium redituri. 7.

d in Frider. lib. 1. c. 55.

Vtcumque fuerit, qui ad Pontificem referrent, tres præ aliis viris electi sunt, inter quos primus Hugo, opinione doctrinæ, & religionis facilè principes; qui fide feruidi, eóque audaciores, vt olim Paulus Petro, sic Cardinalibus, qui Gilberto fauebant, restiterunt; de quibus pergit epistola sic scribere. *Et electa sunt tres Persona, Episcopi duo reuerendissimi, Hugo Antisiodorensis, & Milo Morinensis, & Sugerius Abbas S. Dionysij, qui eandem Scripturam Domino Papa, & Cardinalibus prasentarent, & dicerent eis: Pro vestra reuerentia sustinuimus minùs dignos acceptione sermones, donec tandem audiuimus, quod de eis iudicare velletis. Offerimus ergo, & nos vobis nostram confessionem, vt non de parte, sed de partibus iudicetis. Tenetis confessionem hominis illius scriptam: conuenit, vt teneatis & nostram. Verumtamen ille vobis sub hoc tenore tradidit suam, vt paratus esset corrigere, si quid vobis aliud videretur: Nos huiusmodi conditionem penitùs excludentes, sic vobis nostram offerimus, vt noueritis, quod in hoc sumus, in hoc perseuerabimus, nihil penitus mutaturi.* Sic missi à Patribus decem prouinciarum. Non quasi fidem, 8.

fidem, quam profitebantur, iudicio Ecclesiæ, atque eius capitis Eugenij, non subiicerent: Sed quia certi essent cum Ecclesia se sentire, adeóque nil contrarium definiendum: & aliàs vellent fautoribus Gilberti, si qui fortè laterent, obuiam ire.

9. Porrò quod fuerit à Bernardo dictatum Symbolum, atque Eugenio à Patribus oblatum, ex codice Gallicano transmisso Romam, quo Baronius est vsus, accipiat Lector. Priùs autem errores quibus opponitur.

Assertiones Gilberti Porretani Pictauiensis Episcopi.

Quòd Diuina natura, quæ diuinitas dicitur, Deus non sit, sed forma, qua Deus est, quemadmodum humanitas homo non est, sed forma, qua est homo.

Quòd cùm Pater, & Filius, & Spiritus sanctus vnum esse dicuntur, non nisi vna diuinitate esse intelligantur; nec conuerti possit, vt vnus Deus, vel vna substantia, vel vnum aliquid Pater, & Filius, & Spiritus sanctus esse dicatur.

Quòd tres Personæ tribus virtutibus sint tria, & distinctæ proprietatibus tribus, quæ non sunt ipsæ personæ, sed sunt tres res æternæ, & ab inuicem à Diuina substantia in numero differentes.

Quòd diuina natura non sit incarnata. His erroribus antidota subiiciuntur, sequenti Symbolo.

10. *Anno Domini M. C. XLVIII. Symbolum istud, sub Eugenio tertio Papa, in Rhemensi Concilio firmatum est, à Patribus prouinciarum. Credimus & confitemur simplicem naturam Diuinitatis, esse Deum, nec aliquo sensu Catholico posse negari, quin Diuinitas sit Deus, & Deus Diuinitas. Sicubi verò dicitur, Domini sapientia sapientem, magnitudine magnum, Diuinitate Deum esse, & alia huiusmodi: credimus non nisi ea sapientia, quæ est ipse Deus, sapientem esse: non nisi ea magnitudine, quæ est ipse Deus, magnum esse: non nisi in æternitate, quæ est ipse Deus, æternum esse: non nisi ea vnitate vnum, quæ est ipse: non nisi ea Diuinitate Deum, quæ est ipse, id est seipso, sapientem, magnum, æternum, vnum Deum.*

Cùm de tribus Personis loquimur, Patre, & Filio, & Spiritu sancto, ipsas vnum Deum, vnam Diuinitatem, vnam Diuinam substantiam esse fatemur. Et è conuerso cùm de vno Deo, vna Diuina substantia loquimur: ipsum vnum Deum, vnam Diuinam substantiam esse tres Personas confitemur.

Credimus, & confitemur solum Deum Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, æternum esse, nec aliquæ omnino res, siue relationes, siue proprietates, siue singularitates, vel vnitates dicantur, vel alia huiusmodi adesse Deo, quæ sint ab æterno, & non sint Deus.

Credimus, & confitemur, ipsam Diuinitatem, siue substantiam Diuinam, siue naturam Diuinam dicas, incarnatam esse, sed in Filio. Hactenus contra errores Gilberti confessio fidei, ex parte Patrum, Eugenio Papæ oblata. Verùm quæ posthac ab eodem Eugenio gesta, & quæ inde Cardinalium diuisio imminens, ingenti Ecclesiam periculo exposuerit, ni eius, & Bernardi prudentia compesceretur, sequenti capite commodiùs explicabimus.

---

1. Eugenius confessionem Bernardi, & Gallicanæ Ecclesiæ Patrum suscipit. 2. Gilberti errores damnat; chartas scindit. 3. Resistentia Collegij Cardinalium, 4. & censura Baronij super hoc factum. 5. Obuiatum imminenti Ecclesiæ malo. 6. Damnati iterum Episcopi errores; 7. Atque ipso consentiente, & retractante. 8. Pertinacia quorumdam discipulorum.

Caput III.

1. ÆGrè tulisset Eugenius verba Pontificum, si non Bernardi zelum, per quem cuncti agebantur, cognouissent; paratum obsequi ad Ecclesiæ iussionem; sed quam sciret; ab ipsa veritate, nulla vi, nulla industria dimouendam; Vnde perlecta eorum confessione, securos reddidit, nihil aliud ab ipso decernendum. Itaque, congregata eadem, quæ conuenerat, Ecclesia Gallicana; & errores contrarios condemnauit, ibidem à Gilberto retractandos; & librum eum, in quo continebantur, donec expurgaretur, prorsus prohibuit; sublata auctori corrigendi auctoritate. Id quod, qui præsens affuit Godefridus, in eadem epistola prosequitur [a]. *Quibus* (ait, id est duobus Episcopis, & Abbati, Sugerio, qui nomine cunctorum ad ipsum venerant) *sine cunctatione, Dominus Papa respondit, & vniuersis, qui miserant eos, renunciare præcepit; quod ab eadem confessione eorum in nullo prorsus Romana Ecclesia dissentiret; & si stare visi fuerant aliqui pro persona, sed non stabant aliquatenus pro doctrina. Inde fuit, quod in insigni Palatio, cui nomen est* Thau *Ecclesia vniuersa conueniens, & interrogatus Episcopus Pictauiensis, capitulis singulis liberè renunciauit, hæc eadem verba loquutus: si vos aliter creditis, & ego; si aliter dicitis, & ego; si aliter scribitis, & ego. Ibidem Dominus Papa auctoritate Apostolica de assensu totius Ecclesiæ, quæ conuenerat, capitula ipsa damnauit, districtè præcipiens, ne eumdem librum legere, vel transcribere etiam sic reprobatum, quis auderet, nisi priùs eum Romana Ecclesia correxisset. Cùmque responderet Episcopus: ego corrigam ad arbitrium vestrum: non vobis* (ait) *hæc correctio committetur.*

a apud Bar. hoc ann.

Pergit deinde de aliis capitulis, quæ prædicto Gilberto obiiciebantur. *Erant, & alia, quæ in scholis suis dicebatur auditoribus suis frequenter idem Episcopus tradidisse, licèt nos dissimularemus; pro multitudine tamen scholarium qui testimonium perhibebant, ab eo audiuisse multoties, hæ coràm omnibus scissa, & discerpta fuerunt chartæ, quæ dicebantur eius sententias continere. Quin igne petito ad comburendum eas, dixerunt quidam sufficere, si scinderentur. Quænam fuerint illa capitula, nec tunc scire curaui, nec adhuc scio.* Hactenus ex epistola Gaufridi, qui cunctis affuit. Nunc reliqua ex Ottone Frisingensi, qui licèt non affuerit (quippè fratrem Conradum Imperatorem, cruce signatus in partibus Orientis comitabatur) potuit tamen haurire ab ipsis fontibus; imò & ipsius 2.

verbis

verbis (nec enim propriis in re tam graui) more nostro fideliter reddemus; quamuis nec Otto à suspicione immunis sit in causa Gilberti, cui adeò fauit, vt moriens post eguerit retractare. Sed qualiscumque in hoc fidei, en eius verba.

3. *Quod Gallicana*[b] *Ecclesiæ factum tam grauiter Sacer Cardinalium Senatus accepit, vt cum magna mentis indignatione Curiam intraret, ac tamquam vnum corpus effecti, vna omnes voce Pontifici suo dicerent: Scire debes, quod à nobis, per quos, tanquam per cardines, vniuersalis Ecclesia voluitur axis, ad regimen totius Ecclesiæ promotus, à priuato, vniuersalis pater effectus, iam deinceps te non tuum, sed nostrum potiùs esse oportere: nec priuatas, & modernas amicitias, antiquis, & communibus præponere, sed omnium vtilitati consulere, Romanæque Curiæ culmen ex officij tui necessitudine curare, & obseruare debere. Sed quid fecit Abbas tuus, & cum eo Gallicana Ecclesia? Qua fronte, quo ausu ceruicem contra Romanæ Sedis Primatum, & apicem erexit? Hæc est enim sola, quæ claudit, & nemo aperit; aperit & nemo claudit. Ipsa sola de fide Catholica discutere habens, à nullo, etiam absens, in hoc singulari honore præiudicium pati potest. Sed ecce Galli isti etiam faciem nostram contemnentes, super capitulis, quæ his diebus, nobis assidentibus, agitata sunt, tanquam diffinitiua sententia vltimam manum apponendo, nobis inconsultis, fidem suam scribere præsumpserunt. Certè si in Oriente, vtpotè Alexandria, vel Antiochia, coram omnibus Patriarchis huiusmodi negotium tractaretur: nihil firma, stabilitate solidum sine nostra definiri valeret auctoritate. Quinimò iuxta antiquorum Patrum instituta, vel exempla, Romano seruaretur examini terminandum. Quomodo ergo isti in nostra præsentia vsurpare audent, quod etiam remotioribus, & maioribus nobis non licet? Volumus igitur huic tam temerariæ nouitati celeriter assurgas, ipsorúmque contumaciam punire non differas.* Hactenus Cardinales ad Eugenium, apud Ottonem.

b lib. 1. c. 57.

4. Quæ ipsa verba Cardinalis Baronius[c] referens, quot Cardinales, tot Paulos arbitratur, resistentes in faciem Petro, qui omnino quidem ipsis reprehensibilis appareret. Sed quam ob causam debuerit reprehendi, nec ipse quidem Baronius satis explicat. Quippè diffinire, præcipuè in causis fidei solius Pontificis est, non Cardinalium: & quamuis præuium examen prærequirat; haud tamen alligatum certis personis; nec si alligatum, Cardinalibus magis, quàm Episcopis, quos veros successores Apostolorum Ecclesia nouit. Baronius eam notam facto imponit, quod Bernardus diffiniendi authoritatem sibi arrogauerit, conniuente Pontifice. Sic enim ait. *Dum definire quid de fide nullius sit alterius hominis, quantumlibet vita laudabilis, etiamsi dono polleat miraculorum, vt Sanctus Bernardus erat*, &c. At Bernardus nequaquam definiuit, imò nec cuncti Prouinciarum Patres, quamuis Eugenij iussu congregati; sed[d] *Scripserunt* (ait Godefridus) *capitula totidem, quàm expressiùs potuere, ipsius verbis suam confessionem in omnibus, & per omnia proponentes.* Quare hoc? An vt ipsi iudicarent? Minimè gentium: sed vt quid ipsi in singulis sentirent, *iudicaturis facerent exhiberi.* Non ergo facile, in quo sit reprehensio, nisi fortè vel nomen ipsum Symboli, ab alio priùs, quàm à Pontifice prolatum, malè audierit.

c hoc ann.

d lib. 3. c. 5.

5. Vtcumque fuerit, ingenti Dei beneficio, nec sine omnium laude effectum est, vt nec Eugenius ita reprehensus commoueretur, & Ecclesia Gallicana, Bernardo Duce, reprehensioni acquieuerit, nec schisma conflauerit, quod potuit vel leuiori ex causa contingere. Nam audi quod sequitur in eodem ipso Ottone. *Quos* (id est Cardinales) *Romanus Pontifex blando, mitigans eloquio, Abbate ad se vocato, de hoc facto, qualitatéve facti solerter inquirit. Cui ille humiliter, & cum reuerentia respondit, se, vel Dominos Episcopos nihil de præfatis capitulis definisse: sed quia ab Episcopo Pictauiano audierat, vt fides sua scriberetur; idcirco quia solus nollet, illorum auctoritate, ac testimonio simpliciter se, quod sentiret, exposuisse. Hócque tam humili, quàm modesto ipsius responso, prædicta Cardinalium indignatio conquieuit: ita tamen, vt præfatum scriptum, tanquam inconsulta Curia prolatum, velut auctoritatis pondere carens, pro Symbolo in Ecclesia, quod in Conciliis contra hæreses congregatis fieri solet, non haberetur.* Ita Otto cui cautelam addit Baronius[e], *Nisi ab ipsa Romana Ecclesia (hoc est ab eodem Eugenio eius Episcopo) confirmaretur.*

e hoc ann.

Verum quid Pontifex postea definierit, idem qui suprà Otto, pergit scribere. *De primo tantùm Romanus Pontifex definiuit (vt puta maioris momenti, in quo & totius quæstionis cardo verteretur) ne aliqua ratio in Theologia, inter naturam, & personam divideret; néve Deus diuina essentia diceretur, ex sensu ablatiui tantùm, sed etiam nominatiui.* Ità Otto. Qui dum in eo articulo totius quæstionis cardinem, adeóque & reliquorum certitudinem versari fatetur, omnes virtualiter saltem diffinitos, non inficiatur. 6.

At de ipso Gilberto consentiente, reconciliatóque suis Diaconibus, ac sic tandem suæ sedi restituto, pergit vlteriùs. *Episcopus verò præmissam Summi Pontificis sententiam reuerenter excipiens, Archidiaconis suis in gratiam receptis, tum Ordinis integritate, & honoris plenitudine, ad propriam Diœcesim remeauit.* Quippè Ecclesia, non quoscumque deuios, sed pertinaces, consueta deprimere; humilitati Gilberti Porretani, resipiscentiæque, censuit indulgendum; Neque alia vnquam fautorum illius mens, quàm, damnatis erroribus, personam conseruare indemnem, in quantum possent. 7.

Postremò, ne quid intactum relinquamus, ex his quæ Gilberti hæresim concernunt; sciat lector, & si ille suum correxerit errorem, adeóque hæreticus censendus nequaquam sit, quippè qui in hæresi pertinax non mansit: ex Discipulis eius non defuisse, qui in ea permanerent peruersitate, vt hæreticorum, & nomen mererentur, & sententias incurrerint, inolita multis hominibus duritie, qui altiùs imbibant, quos hauserint errores; & conuersionis magistros aspernentur, quos peruersionis habuerint; faciles decipi, difficiles doceri. Id Sanctus Pater expressit non multò post, dum cantica explanaret, his planè verbis. *Sed hæc minimè iam contra ipsum loquimur Gilbertum (quippe qui in eodem conuentu sententiæ Episcoporum humiliter acquiescens, tam hæc, quàm cætera digna reprehensione inuenta, proprio ore damnauit. Sed propter eos, qui adhuc librum illum, contra Apostolicum vtique promulgatum ibidem interdictum, transcribere, & lectitare feruntur; contentiosiùs persistentes sequi Episcopum, in quo ipse non stetit; & erroris, quàm correctionis magistrum habere malentes.* Hæc de gestis ab Eugenio 8.

Bernardóque, & Hugone, Cisterciensibus cunctis, in causa Gilberti. Verùm qualiter Otto Frisingensis, qui prædicto Gilberto plus æquo fauit; timens ne quid in Sanctum minus piè, minúsve reuerenter loquutus esset, sub finem vitæ, vel mortuo satisfecerit, suo loco dicemus. Nunc ad reliqua acta Concilij redeundum, quæ breuiter sunt nobis recensenda.

1. *Quid Eugenius in Rhemensi Concilio sanxerit.* 2. *Quot ex his Canones in corpus iuris transierint.* 3. *Quid de eis Bernardus ad Eugenium.* 4. *Quid occasione eorum Theobaldus de Vuillelmo Aquitaniæ Duce scripserit.* 5. *Concessus habitus militibus Templariis.* 6. *Confirmata electio Ioannis Placentini.* 7. *Demùm quid ipse Eugenius de hoc Concilio.* 8. *Epistola Petri Cluniacensis ad Eugenium.*

CAPVT IV.

1. SACROS Canones ab Eugenio sancitos in hoc Concilio, Cardinalis Baronius ex Vaticano codice; & ex Baronio Seuerinus Vinius referunt, numero XVII. nec nostri Annales possunt præterire. Sunt qui sequuntur [a].

a tom. 3. part. 2. in Concil. Rhemensi.

Canones Concilij Rhemensis.

I. *Qui ab Episcopis suis anathematis sententia condemnantur, quoniam à communione Ecclesiastica remouentur, diabolicæ dignoscuntur subiici potestati. Non est enim homo, qui ligat, sed Christus, qui hanc ministris suis tribuit potestatem. Ideòque à suis Episcopis excommunicatos, ab aliis suscipi, modis omnibus prohibemus. Episcopus autem, qui sententiam promulgauerit, eam vicinis Episcopis annunciet. Qui verò excommunicato, donec ab eo, qui eum excommunicauerat, vel ab auctoritate Sedis Apostolicæ absoluatur, scienter communicare præsumpserit, eadem excommunicationis sententia ipsum teneri censemus.*

II. *Præcipimus etiam, quod tam Episcopi, quàm clerici, neque in superfluitate, seu inhonesta varietate colorum, aut scissura vestium, neque in tonsura, intuentium, quorum forma, & exemplum esse debent, offendant aspectum: sed potiùs in suis actibus errata ea condemnent, vt amorẽ innocentiæ, conuersatione demonstrent, sicut dignitas exigit Ordinis clericalis. Quod si moniti ab Episcopis suis infra vndecim dies non obtemperauerint, Ecclesiasticis beneficiis, eorundem Pontificum auctoritate, priuentur. Episcopi verò, si præfixam pœnam irrogare neglexerint: quia inferiorum culpa ad nullos magis referenda sunt, quàm ad desides, negligentésque rectores: tandiu à Pontificali officio abstineant, donec pœnam à nobis constitutam Clericis sibi subiectis imponant, nec eam nisi præcedente congrua satisfactione relaxent.*

III. *Præterea, quod à Patribus nostris propensiori cura nouimus, constitutum est, nos quoque præcipimus obseruari: vt qui in Ordine Subdiaconatus, aut supra, vxores duxerint, aut concubinas habuerint, officio, atque Ecclesiastico beneficio careant.*

IV. *Ad maiorem autem domus Dei decorem adiicientes statuimus, vt Sanctimoniales, & mulieres, quæ Canonicæ nominantur, & irregulariter viuunt: iuxta Beatorum Benedicti, & Augustini regulam, vitam suam in melius corrigant, & emendent: superfluitatem, & inhonestatem vestium rescindant, & in claustro sint assiduè permanentes; communi choro, refectorio, & dormitorio sint contentæ, & relictis Prabendis, & aliis propriis, earum necessitatibus de communi prouideatur. Quod si vsque ad proximum Apostolorum festum non adimpleuerint; ex tunc in earum Ecclesiis, donec hoc nostrum mandatum adimpleant, diuina prohibemus officia celebrari, & si qua ipsarum mortua fuerit, Christianorum careat sepultura. Prohibemus etiam, ne in earumdem Collegiis aliqua, quæ nisi regulariter victura fuerit, recipiatur.*

V. *Decernimus autem, vt laici Ecclesiastica terminare negotia non præsumant; & Episcopi, Abbates, Archidiaconi, & alij Ecclesiarum Prælati de negotiis Ecclesiasticis, vel de aliis, quæ spiritualia esse noscuntur, aliquorum laicorum iudicio non disponant; nec propter eorum prohibitionem Ecclesiasticam dimittant iustitiam exercere.*

VI. *Auctoritate quoque Apostolica prohibemus, vt nullus Aduocatus, præter ius, & beneficium antiquitus constitutum sibi aliquid arripere, vel vsurpare præsumat. Subaduocatos verò, & exactores eorum modis omnibus ab Ecclesiarum infestationibus remoueri præcipimus. Quòd si quis contra hanc prohibitionem à nobis promulgatam de cætero attentare præsumpserit, Christianorum careat sepultura.*

VII. *Quia verò continentia, & Deo placens munditia in Ecclesiasticis personis, & Sanctis Ordinibus dilatanda est. Sanctorum Patrum, & Prædecessoris nostri Papæ Innocentij vestigijs inhærentes, statuimus, quatenus Episcopi, Presbyteri, Subdiaconi, regulares Canonici, Monachi, atque Conuersi professi, qui sacratum transgredientes propositum, vxores sibi copulare præsumpserint, separentur: huiusmodi namque copulationem, quam contra Ecclesiasticam regulam constat esse contractam, matrimonium non esse censemus. Qui etiam abinuicem separati, pro tantis excessibus condignam pœnitentiam agant. Id ipsum quoque de Sanctimonialibus, si, quod absit, nubere tentauerint, obseruari præcipimus.*

VIII. *Diuinarum legum manifesta, & disciplina, & Sanctorum Patrum decreta sanxerunt, vti decimas Ecclesiarum, quas in vsus pietatis concessas, Canonum demonstrat auctoritas, laici non debeant possidere. Nos quoque, ne id fiat, modis omnibus prohibemus, siue ab Episcopis, siue à Regibus, vel quibuslibet personis acceperint, nisi Ecclesiæ reddiderint, sacrilegij crimen committunt, & periculum æternæ damnationis incurrunt.*

IX. *Illud etiam duximus annectendum, vt nullus in Archidiaconum, nisi Diaconus, vel Presbyter ordinetur. Archidiaconi verò, Decani, vel Præpositi, qui infra ordines prænominatos existunt, si inobedientes ordinari contempserint, suscepto honore priuentur. Prohibemus autem, ne adolescentibus, vel infra sacros ordines constitutis, sed qui prudentia, & merito vitæ clarescunt, prædicti concedantur honores.*

X. *Præci*

X. *Præcipimus etiam, ne Presbyteri conducti- tij Ecclesiæ committantur, & vnaquæque Ecclesia, cui facultas suppetit, proprium habeat Sacerdotem, ne ab eius regimine, alicuius, nisi Episcopi, in cuius Parochia fuerit, vel Archidiaconi, aut Canonico iudicio depellatur. Cui de bonis Ecclesiæ tantum beneficij præbeatur, vnde conuenienter valeat sustentari.*

XI. *Præcipimus quoque, vt Presbyteri, Clerici, Monachi, conuersi, peregrini, mercatores, rustici euntes, & redeuntes, & in agricultura existentes, & animalia, cum quibus arant, & oues omni tempore sint secura. Si quis autem hoc nostrum statutum violare præsumpserit; Episcopus, in cuius Parochia fuerit, omni tepiditate seposita, Canonicam de ipso iustitiam faciat.*

XII. *Temerariam quoque militum audaciam, qui ad detestabiles nundinas, vel ferias ex condicto solent ad ostensionem suarum virium conuenire, vnde mortes hominum, corporum, & animarum sæpiùs prouenerunt; omnino fieri interdicimus. Quod si quis ibidem casus, vel mortuus fuerit, pœnitentia ei, & viaticum non negetur; Ecclesiastica tamen careat sepultura.*

XIII. *Nihilominus præsentis scripti serie, statuta prædecessoris nostri fœlicis memoriæ Papæ Innocentij confirmantes, decernimus, vt si quis, suadente Diabolo, tanti sacrilegij reatum incurrerit, quod in Clericum, vel Monachum violentas manus iniiciat, anathemati subiaceat, & nullus Episcoporum illum præsumat absoluere, nisi mortis vrgente periculo, donec Apostolico conspectui præsentetur, & eius mandatum suscipiat.*

XIV. *Innouamus etiam, vt si quis malo studio, siue pro odio, siue pro vindicta ignem apposuerit, vel apponi fecerit, aut appositoribus consilium, vel auxilium scienter tribuerit: excommunicetur. Et si mortuus fuerit incendiarius, Christianorum careat sepultura. Nec absoluatur, nisi priùs damno, cui intulit, secundùm facultatem suam resarcito, iuret se vlteriùs ignem non appositurum. Pœnitentia ei detur, vt in Hierosolymis, aut in Hispania in seruitio Dei per annum permaneat. Si quis verò Archiepiscopus, vel Episcopus hoc relaxauerit, damnum restituat; & per annum ab officio Pontificali abstineat. Sanè Regibus, & Principibus facultatem faciendæ iustitiæ non negamus.*

XV. *Illud etiam præcipimus vt per chrismatis, & olei sacri, & sepulturæ acceptionem nullum pretium exigatur.*

XVI. *Illud etiam, quod à Prædecessore nostro Papa Innocentio statutum est, innouantes, ordinationes factas à Filio Petri Leonis, & aliis schismaticis, & hæreticis, euacuamus, & irritas esse censemus.*

XVII. *Quia etiam Apostolica sedes, quod rectum est, consueuit attentâ consideratione defendere, & quod deuium esse inuenerit, euitare: præsentis Decreti auctoritate præcipimus, vt nullus omnino hominum hæresiarchas, & eorum sequaces, qui in partibus Gasconiæ, aut Prouinciæ ······· vel alibi commorantur, manuteneat, vel defendat: nec aliquis eis in terra sua receptaculum præbeat. Si quis autem vel eos de cætero retinere, vel ad alias partes proficiscentes eorum errori consentiens, recipere fortè præsumpserit, quo iratus Deus animas percutit, anathemate feriatur, & in terris eorum, donec condignè satisfaciant, diuina celebrari officia interdicimus.* Hactenus Canones ab Eugenio Sanciti Rhemis.

2. Porrò ex his, nam id etiam notabo, non pauci in corpus iuris transierunt: quos, quia mendosè in margine Baronij, nec correctiùs a Vinio, designantur, quin & in iure mutatos per errorem, & non semel suppresso Eugenij nomine: diligentiùs, & veriùs indagatos, operepretium duxi, si hîc transcriberem. Constat in primis Canonem secundum, qui est de Habitu, & Tonsura clericorum, haberi sub eisdem omnino verbis, in capite vltimo, vigesima prima, quæstione quarta. Deinde Canon quartus, qui est de Monialibus certæ regulæ adstringendis, nec permittendis seorsim habitare: habetur in cap. *Perniciosam* 25. (paucis verbis mutatis) decima octaua quæst. secunda. Tertiò Canon quintus, qui est de causis Ecclesiasticorum per laicos iudices non determinandis, habetur in cap. *Decernimus*, de iudiciis. Quartò Canon septimus, qui est de Ecclesiasticorum continentia habetur in cap. *Vt lex* 40. vigesima septima, quæst. 1. Quintò Canon IX. qui est de pueris, & non ordinatis, ad dignitates, & præbendas, non admittendis, habetur in cap. Innouamus III. Sexagesima distinctione, quamuis Innocentio per errorem attribuatur, & non Eugenio: cùm tamen constet, aut vtrique attribuendum, aut huic soli. Sextò, Canon X. qui est de Presbyteris conductitiis, ab Ecclesiis pellendis; & pro eis proprietariis subrogandis, habetur in cap. *Præcipimus*, finali 21. quæst. 2. Refertur ex Innocentio, sed citatur Eugenius, licèt in margine. Septimò, Canon XI. qui est de bonorum Ecclesiasticorum indemnitate, habetur in cap. *Innouamus* de treuga, & pace: licèt notetur sub nomine Alexandri, sed repetitis eisdem Eugenij verbis. Octauò, Canon XII. qui est contra spontaneè duellantes, in solam ostentionem propriæ virtutis habetur in cap. 1. de Torneamentis. Nonò Canon XIII. qui est contra Clericorum percussores, habetur celebris in cap. *Si quis suadente* 29. XVII. quæst. 4. suppresso licèt Eugenij Papæ nomine. Decimò, Canon XV. contra incendiarios, habetur in cap. *Pessimam* 32. vigesima tertia, quæst. 8. vbi tamen pro Eugenio tertio in margine, Eugenius secundus irrepsit per errorem. Hæc breuiter sufficiat adnotasse, in maiorem Canonum ab Eugenio sancitorum illustrationem.

Quosdam ex his Canonibus Bernardus refert, 3.
ad eumdem Eugenium Papam scribens, post annos quatuor: dolétque, vel ipso, qui sanciuit, viuente, minùs seruari. Sic fert compassio humanæ conditionis: vt leges faciliùs feramus, quàm obseruemus: & prohibere, in promptu viris bonis: mala punire, etiam optimis, in arduo positum sit *verba tua sunt hæc* (ait Bernardus [b]) *eu sanxisti: quid effectui mancipatum? Adhuc adolescentes, adhuc qui infra sacros ordines sunt, in Ecclesia promouentur. Quod ad primum capitulum pertinet, luxus vestium interdictus, sed non restrictus: pœna dictata, sed minimè sequuta est. Iam quartus annus est, ex quo datum mandatum audiuimus, & neminem adhuc Clericorum priuatum beneficio, neminem Episcoporum suspensum ab officio, luximus. At luctu amarissimo dignum, quod sequutum est. Quid hoc? Impunitas, incuria soboles, insolentia mater, radix impudentiæ, transgressionum nutrix*, Hactenus Sanctus Doctor de his Canonibus.

[b] lib. 4. de consider at.

Verùm quod in duobus vltimis eorum, contra 4.
ordinatos à filio Petri Leonis; itémque contra hæresiarcharum fautores decretum est, ansam, vt arbitror, præbuit Theobaldo, illi nimirum, qui Sancti Vvillelmi Ducis vitam [c] scripsit, vt diceret Eugenium,

[c] apud Sur. Februar. 10.

Eugenium, conuersionis eiusdem viri ignarum, & conscium criminum, iterato anathematis fulmine, percussum, à communione fidelium arcuisse. Quod verò subdit, Vvillelmum, sententia cognita, adiisse Pontificem, à quo, post duodecim pœnitentiæ, peractos annos, humilis tandem, ac verè iam contritus absolueretur; porrò Eugenium dubium de persona, quam sola ex fama nosceret; nec magis certum de vera pœnitentia; remisisse ad Patriarcham Hierosolymitanum, virum vtique probum, prudentémque, quem sibi ad hæc Vicarium constituerat: quia apocriphum apparet, nec verosimile his Annalibus indignum iudicauimus.

5. In hoc eodem Concilio, vt Carolus Sigonius, Italicarum rerum auctor non contemnendus, scriptum reliquit [d], *Crux purpurea est militibus Templariis, albis vestibus assuenda, concessa.* Quò factum est, vt qui ante regulam, à Bernardo Patre dictatam, nunc ab Eugenio habitum acciperent; nihil non à Cistercio acceptum, præseferrent, strenui milites, & si diuturnior eis vita contigisset, longè fœlices.

d De Regno Italia.

6. Confirmatam in hoc eodem Concilio electionem Ioannis Placentini electi, quem anno præcedenti commemorauimus; probare videntur Eugenij Papæ litteræ, ad Episcopum Rauennatem datæ, quas mox adducam. Nisi quòd tamen in aliis anni sequentis, quas Hieronymus Rubeus [e] inseruit suæ historiæ, insinuare videtur, dilatam vsque ad tempus, quo Eugenius Treuiri, apud Archiepiscopum Alberonem hospitabatur. *Postmodum verò* (ait) *iidem filij nostri* (scilicet Placentini) *apud Treuirim, nostro se conspectui præsentantes, id ipsum à nobis instantius petierunt, asserentes, possessiones Episcopatus, & bona; nisi firmaretur electio, deuastari nimium, & consumi; & nullam esse personam, quæ tibi super hoc, & Rauennati Ecclesiæ responderet, cùm multas rationes dicerent se habere, pro quibus Placentini electi, à Rauennate Archiepiscopo consecrationem suscipere non debebant. Nos itaque necessitatibus Placentinæ Ecclesiæ, paternæ charitatis debito, prospicere cupientes, electionem ipsam, in omnibus, saluo iure Rauennatis Ecclesiæ, confirmauimus.* Hactenus ibi. Vt facilè appareat confirmationem dilatam vsque in Treuirim.

d lib 5. hoc anno.

7. Cæterùm Rhemis factam in Concilio, simul, & statum rerum in ipso gestarum, idem Eugenius ad eundem Rauennatem scribens, expressiùs narrat, tali ad eum epistola transmissa, quam idem Hieronymus Rubeus euulgauit.

Eugenius Episcopus, seruus seruorum Dei, Venerabili fratri Moysi, Rauennati Archiepiscopo, salutem, & Apostolicam benedictionem.

Quia de fraternitatis tuæ deuotione confidimus, statum nostrum tibi duximus intimandum. Nos siquidem, & fratres nostri, miseratione Diuina, incolumes sumus; & postquam Concilium de prouinciis Cisalpinis, auctore Domino, celebrauimus, quæ ad honorem Domini statuenda fuerant, constituimus; ad Italiam redire disponimus. Cæterum dilectioni tuæ nec molestum, nec volumus esse incognitum, quòd Placentinæ Ecclesiæ electionem, saluo iure tuo, Apostolica auctoritate confirmauimus: vnde iampridem per nostra scripta, te duximus præmonendum, & id ipsum, & præsentibus mandatis epistolis, quatenus in proxima Beati Lucæ festiuitate, vt de illa controuersia pleniùs cognoscamus, cum tuis monumentis, & rationibus, nostro te conspectui repræsentes. Placentini siquidem, sicut nobis promisere, ad præfinitum terminum venient, nostris mandatis obtemperare parati. Asserebant siquidem, quòd quandiu Placentina fuit destituta pastore, nullus esset, qui pro eadem Ecclesia staret in causa. Præterea tam ipsa, quàm tota ciuitas innumera incurrebant detrimenta. Dat. Rhemis. 41. Kalen. Aprilis. Hactenus Pontifex. Vt nòn immeritò liceat coniectari, Eugenium ante Treuirim adiisse, quàm Rhemense Concilium celebrauerit, quod etiam ex Tritemio [f] videtur Colligi; si non contrarium ab omnibus receptum, haud ita facilè posset dissuaderi.

f in Chron. hoc ann.

Extat epistola Venerabilis Petri Cluniacensis scripta per hoc tempus intercedentis pro Ecclesia Placentina, & Episcopo electo, vt non indigeret Pontificis Rauennatis confirmatione [g]. *Placentinus,* inquit, *clerus, Consules, & populus, quia benigna Paternitati vestræ ad præsens displicet, multùm & multùm dolens (placere super omnia, quæ in terris sunt, volens) elegit me velut aduocatum sibi; sperans quod mediante me, preces suæ apud Patrem faciliùs admittantur, & fortassis etiam exaudiantur.* Et paulò inferiùs, loquens de Placentinis, queis Metropolitanus Rauennas. pro Episcopo confirmando obiectus foret. *Ad hæc illi* (inquit) *Metropolitanus noster, non Rauennas non Aquileiensis, non quilibet alter, sed Romanus Pontifex est. Probamus hoc innumeris testibus: probamus, Placentinum electum, à multis retrò seculis, à summo, & vniuersali Præsule, non ab alio consecratum,* &c. Hæc Petrus pro cõsecratione Ioannis, si nondũ facta, quando ea Eugenio scripsit; si facta, pro Pontificis irati in Placẽtinos mitigatione. Vt palã fiat Cisterciensem Monachum, imò & Claræuallensem, in causa propria, apud Pontificem adsumptum ex Claraualle, non Bernardum habuisse intercessorem, sed magis Petrum, qui Cisterciensibus, vt suis æquè faueret, nec minùs acceptus esset Eugenio Papæ. Sed de his satis: nunc reliqua huius anni prosequamur. 8.

g lib. 6 ep. 44.

---

1. *Eugenius Papa Treuirim profectus, assumpto Bernardo,* 2. *super reuelationibus, & scriptis Virginis Hildegardis Concilium celebrat.* 3. *Episcopum Virdunensem ad eam mittit.* 4. *Scripta, & reuelationes approbat.* 5. *Quid de his ipsa virgo.* 6. *Epistola Eugenij Papæ ad illam exhortatoria,* 7. *& de translatione sui Cœnobij:* 8. *& Virginis rescriptum ad Pontificem.* 9. *Opinio Virginis exinde in immensum creuit.*

Capvt V.

1. Solvto Concilio, Adalbero Treuirorum Archiflamen Eugenium Papam Treuirim, Eugenius Curiam, & Bernardum Parentem secum ducunt. Narrat Theodericus eius seculi Auctor, & ex eo Tritemius, his planè verbis [a]. *Hoc ipso anno* (scilicet M.C.XLVIII.) *Adalbero Treuirorum Archiepiscopus Eugenium Papam Treuirim vocauit: quem, cùm decem, & octo*

a in Chron. Spanheimensi hoc anno.

octo Cardinalibus, Archiepiscopis, & Episcopis multis, tribus mensibus, cum omni eorum familia, in suis expensis, copiosissimè tenuit, & fouit. Ita Tritemius de Eugenio, & Cardinalibus; Nam de Bernardo Parenre infrà videbimus. Theodericus hanc ipsam deductionem statim à Concilio soluto innuit [b]. *Celebrato* (inquit) *Rhemis vniuersali Concilio, Sancta Romana Ecclesia Antistes fœlicis recordationis Eugenius, per Adalberonem Treuirorum Archiepiscopum deductus,* &c. Cæterùm, quòd Tritemius [c] alibi ait, eumdem Pontificem, Treuiri existentem, *Ecclesiam Monasterij Sancti Mathia Apostoli, denuò reparatam, pridiè Kalendas Februarij dedicasse.* Satis difficile creditu apparet: non de dedicatione, sed de tempore. Quippè nondum celebrato Rhemis Concilio, adeoque Eugenio manente adhuc in Galliis præfixa die. Nisi fortè in his rebus fortè inuersus ordo (quod supra notabamus) aliquam confusionem historiæ addit; sed quæ facilè valeat reuocari.

b In vit. S. Hildegardis apud Sur. tom 5. cap. 4. lib. 1.

c in Chron. Hirsaugiensi.

2. Florebat tunc sanctitate illustris Virgo Hildegardis, quam suprà memoraui: & vnctione magistra multa edocta, multa & ipsa docebat, datis epistolis, atque editis opusculis, quæ per omnem Germaniam lectitabantur. Non tamen deerant (quæ conditio hominum est) qui mulierem illusam, aut illudentem; sanctitatem, figmentum; reuelationes, somnia nuncuparent; & cerebro euacuato per ieiunia, quàm illustratæ menti referenda, quæ plurima, dictabat, arbitrarentur. Is eximiæ virtutis primus labor, fortè & summus; quòd non raro cum vitio confundatur: & numquam minùs ab eo discerni valeat, quàm cum magis recedit. Quippè vitæ communis larua sine fructu, eòque vix in vsu: perfectæ, multis in honore, & quæstu fuit. Denique in illa excusare infima, pietas; in hac carpere summa, zelus dicitur. Itaque de Hildegardi varius rumor, & diuersæ sententiæ adegerunt Pontificem, vt rem nouo indicto Concilio examinaret, At quid in eo Concilio gestum sit, à quorum depositione causa inceperit, queis examen commissum; & quid demùm Eugenius adiudicauerit, verbis Ioannis Tritemij, qui latiùs narrat, non abs re esse putaui, si hic transcriberem [d].

d in Chronic. Hirsaugiensi ann. 1150.

3. *Synodum quoque tam Episcoporum, quàm Cardinalium, & Abbatum ibidem celebrauit* (scilicet Eugenius Treuiri) *vbi Henricus Archiepiscopus Moguntinus, & S. Abbas Claraualis Bernardus ipsi Summo Pontifici mirabilia, quæ Deus operabatur in famula sua Hildegarde, montis Sancti Ruperti Confessoris Abbatissa, retulerunt. Quibus auditis Papa attonitus, & rem diligentiùs inuestigare volens, Virdunensem Episcopum Aldeberium, cum aliis viris fide dignis misit ad S. Hildegardem, vt cum humilitate, & mansuetudine, sine strepitu, vel curiositate, quid rerum esset, ab ipsa sciscitarentur. Qui cùm ad Monasterium, in quo degebat S. Virgo, deuenissent, & iuxta commissionem Apostolicam, veritatem ab ipsa humiliter inquirerent; illa simpliciter, quæ de se erant, aperuit, & legatos cum scriptis, & libris reuelatis sibi diuinitus, dimisit.* Hæc Tritemius (ferè ad litteram sumpta ex Theoderico) de prima, vt ita dicam, Concilij parte. Nam de secunda, quæ causam tractauit, pergit scribere, eumdem auctorem sequens.

4. *Quibus Papa recognitis, volumina S. Virginis sibi transmissa, coram Cardinalibus, Archiepiscopis, Abbatibus, & omni clero publicè recitare præcepit, & per se lectoris officio functus, partem non modicam legit; per quæ omnium mentes in stuporem versa, ac voces in laudem Creatoris omnium excitata sunt. Aderat ibi S. Pater Bernardus, quo mediante, Summus Pontifex, cum cæteris monebatur omnibus, ne tam insignem lucernam silentio tegi pateretur; sed gratiam tantam, quam Dominus suo tempore manifestasset, ipse sua auctoritate confirmaret. Ad hæc Sanctus Pontifex benigno fauore consentiens, deuotam Christi Virginem litteris salutatoriis visitauit, in quibus ei licentiam auctoritate Apostolica proferendi; & scribendi, quæcumque per Spiritum sanctum cognouisset, gloriosè concessit; eámque, vt sine timore, reuelata sibi conscriberet, animauit.*

Hactenus ferè eisdem verbis vterque Auctor, sed eandemmet Sanctam Hildegardim, de his audire præstat, sic scribentem [e]. *Hæc* (ait, *scilicet scripta mea*) *ad audientiam Moguntinæ Ecclesiæ allata cùm essent, & discussa; omnes ex Deo esse dixerunt, & ex prophetia, qua olim Prophetæ prophetauerant. Deinde scripta mea Eugenio Papæ, cum Treuiri esset, allata sunt; qui ea gratanter coram plurimis legi fecit, ac per se ipsum legit, multúmque de gratia Dei confidens, benedictionémque suam cum litteris mihi mittens, præcepit, vt ea, quæ in visione viderem, vel audirem, scriptis attentiùs commendarem.* His Sancta Virgo describit, quæ alij pluribus. Porrò epistola Eugenij Papæ ad ipsam, quam inter eius opera vulgatam Tritemius primùm [f], mox Seuerianus Vinius [g], & alij tradunt, hæc erat. 5.

e apud Sur. lib. 2. vita, cap. 2.

f in Chronic. Hirsaugiensi ann 1150.

g in Concil. Treuirensi.

Eugenius Episcopus seruus, seruorum Dei, dilecta in Domino filia Hildegardi Præposita in monte Sancti Ruperti, salutem, & benedictionem Apostolicam. 6.

Miramur, ô filia, & supra quàm credi potest, miramur, quia Deus noster temporibus iam noua miracula ostendit, cùm te Spiritu suo ita perfudit, quòd diceris multa secreta videre, intelligere, & proferre. Hoc à quibusdam veridicis personis ita esse percepimus, qui se fatentur te vidisse, & audiuisse. Sed quid nos dicere ad ista valemus, qui clauem scientia habentes, ita quod claudere, & aperire possumus, & hoc prudenter facere per stultitiam negligimus? Congratulamur autem gratia Dei; congratulamur & dilectioni tuæ: & hoc te admonemus, vt scias, quoniam Deus superbis resistit, humilibus verò dat gratiam. Gratiam ergo, quæ in te est, per humilitatem serua, & custodi; ita vt ea, quæ in spiritu proferenda senseris, prudenter proferas, quatenus illud à Domino audias. Dilata os tuum, & ego implebo illud. Quod nobis de loco illo, quem tibi in spiritu præuidisti, significasti; hoc permissione, & benedictione nostra, & Episcopi tui fiat; ita quod ibi regulariter cum sororibus tuis viuas, secundum regulam S. Benedicti, sub eiusdem loci clausura. Hæc Summus Pontifex Eugenius ad Hildegardem. Addit Theodericus [h] de litteris subiunctis ad Abbatem, & fratres Sancti Disibodi, cui Hildegardis, & sorores illius suberant. *Sed & locum quo illa fouebatur, honorauit, datis ad Abbatem, & fratres Cœnobij gratulatoriis ex suo nomine, litterarum apicibus.*

h lib. 1. c. 4.

Verùm quod ait de mutando loco, Pontificia, atque Episcopi Diœcesani auctoritate ad alium cælitus sibi præsignatum; si non Tritemius à vero nimis aberrat, confirmationem translationis factæ, quàm concessionem faciendæ, magis enunciat; aliàs qui Virgini locus præostensus Diuino oraculo, nimirum mons S. Ruperti Confessoris, in 7.

in quo ipsius reliquiæ erant reconditæ; iam ante annum ab ea habitabatur, quod visitatio Bernardi sub id tempus, in eo loco facta; & distributæ exuuiæ sacri corporis, quæ supra retuli, efficaciter conuincunt. Sed de his satis. Pergit Tritemius scribere de Virgine, post litteras ab Eugenio Papa acceptas. *Ad hæc* (ait) *Virgo Christi Summo Pontifici litteras responsales diuinitus inspirata remisit, in quibus eum de arcanis, quæ habebat in corde suo admonuit, & diuinam circa hæc voluntatem, & beneplacitum indicauit.*

8. Porrò exemplar epistolæ Hildegardis ad Eugenium quæ inter opera eius circumfertur, Tritemius omisit, quippè longiusculæ, obscuriorisque, & quæ magis ad mysteria faciat, quàm ad historiam. Nos pauca ex ipsa in nostri Lectoris gratiam prælibabimus [i].

Inter epist. Sancta Hildegardis.

Eugenio Apostolico Hildegardis.

O mitis Pater! ego paupercula forma scripsi tibi hæc in vera visione, in mystico Spiramine, sicut Deus voluit me docere. O fulgens Pater, in tuo nomine tu venisti in terram nostram, sicut Deus prædestinauit; & vidisti de scriptis veracium visionum, sicut viuens lux me docuit; & audisti eam amplexibus cordis tui. Nunc finita est pars scripturæ huius. Sed tamen eadem lux non reliquit me, sed in anima mea ardet, sicut eam ab infantia mea habui. Vnde nunc mitto tibi litteras istas in vera admonitione Dei. Et anima mea desiderat, vt lumen de lumine in te luceat, & puros oculos infundat, & Spiritum tuum exuscitet ad opus scripturæ istius; quatenus anima tua inde coronetur, quod Deo placet: quia multi prudentes de terrenis visceribus spargunt hæc in mutationem mentium suarum, propter pauperem formam, quæ ædificata est in costa, & quæ indocta est de Philosophis. Tu ergo Pater peregrinorum audi illum, qui est fortissimus Rex, & in palatio suæ sedis, & magnas columnas coram se stantes habuit aureis cingulis præcinctas, & multis margaritis, & pretiosis lapidibus valde ornatas. Sed Regi huic placuit, quod paruam pennam tetigit, vt in miraculis volaret, & validus ventus eam sustinuit, ne deficeret. Nunc iterum dicit tibi, qui est lux viuens in supernis, & in abysso lucens, ac latens in abscondito audientium cordium: Præpara scripturam hanc ad auditum me suscipientium, & fac illam viridem in succo suauis gustus, & radicem ramorum, & volans folium contra Diabolum; & viues in æternum. Caue, ne spernas hæc mystica Dei, quia sunt necessaria in illa necessitate, quæ absconsa latet, & quæ nondum apertè apparet. Hæc Hildegardus, in quibus, quæ secreta cordis Eugenio reuelauerit, me latet.

Futura prædixisse, memoriæ prodit Ioannes Sarisberiensis statim referendus: qui etiam ait, ex hac Eugenij Papæ approbatione, & mutuis litteris datis, acceptisque, familiari cõmercio effectum esse, vt Virgo Christi ingentem sibi opinionem conciliaret. *Visiones*, inquit [k], *& oracula beatæ illius, & celeberrimæ Hildegardis, quæ apud vos sunt, mittite scilicet. Quæ mihi ex eo commendata est, & Venerabilis, quòd eam Dominus Eugenius specialis charitatis affectu familiarius amplectebatur. Explorate etiam, & rescribite, an ei sit de fine huius schismatis aliquid reuelatum. Prædixit enim in diebus Eugenij Papæ, quod non esset, nisi extremis diebus pacem, & gratiam in vrbe habiturus.* Porrò quàm hæc prædictio certa fuerit, docebunt Annales. 9.

k lib. 1. epist. 171.

---

1. *Eugenius in Gallias redux cum Bernardo, à populi frequentia penè opprimitur.* 2. *Sancti miraculum:* 3. *& vtriusque ingressus in Claramuallem,* 4. *perpensum de Eugenio,* 5. *qui & Cluniacum, & Meldas illustrauit.* 6 *Anathema indictum in Regem Angliæ.* 7. *Coronatus contra Obedientiam Eugenij Eustachius Princeps, sed miserè punitus.* 8. *Dedicata Ecclesia Fontaneti.*

CAPVT VI.

1. TRES menses Treueri Eugenius Papa fecit: post quos Galliam reuersus, Claramuallem (incunabula suæ Religionis) dein Cluniacum, demùm Cistercium visitans, vtrique se familiæ præsentauit, vtramque fouit. Bernardus eius viæ perpetuus comes, dum ne tunc quidem continuis parcit miraculis, amantissimum sibi filium, Patrémque, quin totius Ecclesiæ, penè in dispendium vitæ potuit adducere. Tantus enim concursus populorum, quacumque pergeret, Sanctum sequebatur, vt, ne Pontifex quidem liber ab oppressione, obrueretur à turba; ægrè tandem periculo abducendus. Audi de hoc Godefridum, qui præsens fuit, in vita Sancti, scribentem in hæc verba [a]. *Cùm Reuerendissimus Papa noster Eugenius Gallias introisset, ibat cum eo Vir Sanctus, nec minùs Apostolica virtus in illo, quàm in illo dignitas præeminebat. Tantus enim ad Beatum Virum concursus erat, in commodis variis laborantium, vt cum aliquando Summus Pontifex Basilicam, vbi ille Missarum solemnia celebrabat, deuotus intrasset, expleto sacrificio ex more accedentibus eis, qui curam desiderabant, paulò minùs idem Papa comprimeretur à turbis, & vix potuerit per ministrorum manus educi.* Hæc Godefridus: vt nihil mirum Conradum olim clamydem, cum nunc vitam Eugenius penè posuerit.

a lib. 4. c. 4.

Ex multis vnum miraculum recenset, quod non licet silentio præterire [b]. *Chaleta dicitur vicus inter Prouignium castrum, & Sequanam fluuium constitutus, vbi puer fermè decennis ab anno priore paralyticus sic iacebat, vt nec ipsum caput flecteret, nisi ab altero moueretur. Quem afferentes in culcitra, mater eius, cæterique propinqui offerebant Viro Sancto, propè eumdem locum per stratam publicam transeunti. At ille signatum erigens, statuit supra pedes suos, & ire præcepit. Nec mora, exiliit puer, & ambulabat magnificans Deum: qui tandiu sanctum prosequutus est abeuntem, donec ille inuitum licet, & renitentem redire præcepit. Vbi non immeritò quidem magna admodum facta est admiratio, magna exultatio omnium, qui videbant: sed præ cæteris frater iunior in ipsius tanquam rediuiui oscula ruens, multos eorum, ad lachrymas vsque, permouit. Hunc quidem puerum, & post annos quatuor in eodem vico beato viro mater eius offerens, sacros monebat osculari pedes. Hic est, inquiens, Pater tuus, qui tibi vitam reddidit, & te mibi.* 2.

b Vbi suprà.

Peruenit

3. Peruenit tandem Eugenius ad Claramuallem: sed cum quanta putas omnium deuotione? cum quanto gaudio filiorum, fratrúmque? (nam Bernardi, quis narret?) demum cum quanta ipsius humilitate; audi ex Arnaldo Abbate Bonæuallis [c]. *Interim, ait, celebrato Rhemis Concilio, Claramuallem humiliter visitat* (scilicet Eugenius) *& gloriam Pontificatus Romani, pauperum præsentat aspectibus. Mirantur omnes in tãta altitudine humilitatem immobilẽ, & in tam excellenti culmine propositi sancti permanere virtutem; vt altitudini sociata humilitas, pro officio exterius splendeat, & pro virtute nequaquam interius inanescat. Adhærebat carni eius lanea tunica, diebus, & noctibus, cuculla vestitus: sic ibat sic cubabat. Intus Monachi habitum retinens: extra, se Pontificem, & moribus, & vestibus exhibebat; rem difficilem agens, diuersarum in vno homine proprietates exprimens personarum, segmentata ei circumferebantur puluinaria. Lectus palliis opertus, cortina ambiebatur purpurea, sed si reuolueres operimenta, inuenires superiectis laneis, complosa stramina, & paleas conglobatas. Homo in facie, Deus videt in corde: ipse verò bona coram Deo, & hominibus prouidebat. Alloquitur fratres, non sine lachrymis, miscens sermonibus auulsa à corde suspiria; hortatur, & consolatur, & se inter eos fratrem, & socium, non Dominum exhibet, vel magistrum. Cùmque eum ibi morari diutiùs non pateretur magna eum prosequens comitantium multitudo; salutatis fratribus, iter in Italiam dirigens, abscessit.* In Italiam, inquam, at non statim, sed post aliquot menses, vt mox videbimus.

c lib. 2. vitæ cap. 1.

4. Interim libet Eugenium contemplari inter prospera humilem, inter aduersa securum; & neque elatum Papali dignitate, neque depressum Romana rebellione. Pulsus ab vrbe, orbem; nec pro se concitat; sed pro Christi incunabulis; pro terra, in qua steterunt pedes eius; vtinam ita prosperè, quam piè! Ad populum rebellem regressurus, non milites, non arma pro se ciet: Claramuallem inuisit maternum gremium (inter infulas Monachus) ex quo vt olim Gigantes, resumptis viribus, sed spiritus, & fidei, recalesceret, solis armis iustitiæ protegendus. Haud satis Claramuallem adire visum, si non Cistercium etiam visitaret, in generali Capitulo eius anni, proximo mense Septembri celebrando. Quin & Cluniacum, Cluniacensésque, pro Cassinatibus, quos minus ibi poterat: ne quos omitteret, quos Patres agnouisset, quorum se non in gremio præsentaret, vegetior inde, ac robustior proditurus. Haud aliis armis vrbem subiugauit, cui omnia Europæ arma commouere, tam promptum fuit.

5. Fiteriensis in Notis ad Exordium [d], Eugenium, Claramuallem inter Cisterciúmque, adiisse Cluniacum haud obscurè contendit: probatque ex verbis Petri Cluniacensis ad Bernardum scribentis, quæ nos anno præcedenti adducebamus [e]. *Videram eum* (scilicet Eugenium) *Romæ, videram Cluniaci*, &c. Sed quæ profectò aduentum eius conuincunt, tempus non probant. Illud compertum, si Eugenius hoc anno visitauit Cluniacensem Ecclesiam, secundo eam aduentu prosequutum, etiam vltra Cistercium, & Claramuallem, quas semel tantùm inuisit, illustrasse: namque Cluniacum, ante annum accessisse, ibidémque mansisse mense Aprili anni M. C. XLVII. Probant litteræ ipsius ad Gozeuinum Bonæuallis Abbatem, quas supra dedimus. Cæterum præstolantem Cistercij Synodum, Meldis, oppido Galliæ Lugdunensis, demoratum, indicat bulla quædam ad Theobaldum, Cantuariensem Pontificem, cum Meneuensi in Vuallia litigantem, ac certo die audiendum, quam Baronius adducit [f]. *Datis Meldis, tertio Kalendas Iulij*, &c. Verùm quæ inde fulmina anathematis vibrauerit in Angliam Sanctus Pontifex, & qua occasione in eam commotus fuerit, quia hoc tempus concernit, vt coniector, breuiter ex more, sed altiùs paululum repetito principio, pandam.

d lib. 3. c. 5.
e c. 15. n. 10.
f hoc anno.

Moderabatur Angliam tunc Stephanus (dubium, Rex, an tyrannus) pulso vero hærede, per vim intrusus; eóque infensos habens quoscumque bonos; sed præcipuè Eugenium; seu quia melior, seu quia præ aliis cura Pastorali conseruandæ iustitiæ inuigilaret. Hinc factum est, vt Theobaldum Cantuariensem ad Concilium generale vocatum, quod suprà diximus, detinere curauerit: porrò in nolentem sibi consentire, sed Apostolica, vt par erat, præferentem mandata, grauiter commotus, reducem nunc, non solùm Cantuaria, sed & Regno expulerit, exilio mulctans Pontificis constantiam. Egit Eugenius per litteras, per nuncios, vt Theobaldus Cantuariæ redderetur. Verùm cùm apud Regem minùs proficeret, ipsum anathemati, terram illius interdicto censuit subiiciendam. Extat epistola Sancti Thomæ Cantuariensis ad Bosonem Cardinalem scripta post annos aliquot, vbi hæc inter alia commemorantur [g]. *Rex Stephanus ab antecessoris nostri persecutione non destitit, antequam pia recordationis Dominus Eugenius, omni cessante appellationis obstaculo, in caput eius anathematis, & in terram interdicti sententiam præcepit ab omnibus Episcopis, auctoritate Apostolica, exerceri. Lupus enim ab ouili facile non arcetur, nisi clamore canum terreatur, & baculo.* Frustratam primò Sanctissimi Pastoris sollicitudinem tradunt Annales Angli; quin Regis iram, inde effræniorem, etiam in annuos prouentus Theobaldi fisco suo intercipiendos, erupisse. Tandem tamen parentem, & compositum, admisisse Episcopum, atque omnia ei ablata restituisse. Sed de his latiùs Nicolaus [h] Arpsfeldius, & quotquot Annales Anglos scripsere. 6.

g apud Bar. hoc anno.
h Secul. 12. c. 25.

Eundem Eugenium præcepisse Theobaldo non multò pòst, ne Eustachium filium Regis coronaret in præiudicium Henrici successoris, cui Regnum per periurium, & fraudem ademptum fuerat; iidem auctores latè prosequuntur. Porrò Theobaldum, obsequentem per omnia Romanæ sedi, nec acquiescentem Eustachium coronare; in domo, quasi in carcere inclusum cum cæteris Episcopis; blanditiis primum, mox minis & terroribus (nam nihil intentatum) restitisse viriliter; nec eo vnquam adduci potuisse, vt manum admoueret coronationi. Verum est tamen, non defuisse Episcopos, qui tandem consenserint, atque eumdem Eustachium in Regem vnxerint: metu, aut præmiis pellecti, cedentésve, quasi resistere, aut non possent, aut non auderent: Sed qui dum Regnum auspicari putant, sepulchrum præuenerint, ac mortem ipsa vnctione, maturauerint. Sanè, in coronatum contra Eugenij præceptum, non multò post ira Dei vindex exarsit, viuentibus adhuc Stephano, & Eugenio: illo, vt lueret pœnas admissi criminis; hoc, vt zelo iustitiæ frueretur, quàm semper coluit. Liquet coronatum contra Eugenij præceptum, anno M. C. LII. ipsa die Sancti 7.

Laurentij: cùm inuaderet terram Sancti Edmundi Martyris, subita morte præreptum patri, & Regno.

8. Antiquæ tabulæ Monasterij Fontaneti, quibus Claudius Robertus vsus in sua Gallia, memoriæ produnt, dedicatam Ecclesiam ab Eugenio, assistente Bernardo: idq; in festo S.Matthæi Apostoli, quod etiam censeo referendum in hunc annum. Nam qui signatur ab eodem Claudio Roberto, nimirum *M.C.X L I. Godefrido Abbate primo, post, Lingonensi Episcopo.* Ex Chronologia facilè conuincitur. Quippe eo anno Eugenius nondum Pontifex; sed neque alio, quàm hoc, aut præcedenti in Galliis fuit. Quid quod Godefridus ante eundem, Lingonensi Ecclesiæ datus, & Fontanetum longè ante dimiserat; quod præcedenti tomo palã fuit?

1\. *Eugenius Cistertiensem Synodum adit.* 2. *Vbi Serlo, Sabigniacensis Ordinis pater, se, & triginta Ecclesias Cistercio subdit.* 3. *De Gaufrido secundo Abbate Sabigniaci obiter quædam,* 4. *& de Guillelmo eiusdem successore.* 5. *Hi tres ante Cistercium, & omnes Sancti.* 6. *Serlo, Haymo, & Petrus sub Cistercio.* 7. *Haymonis initia, & Monachatus,* 8. *studia, & exercitia,* 9. *Sacerdotium; & dictum de Petro obiter.* 10. *Syllabus Ecclesiarum Sabigniacensium:* 11. *atque annotatio de earum admissione.*

CAPVT VII.

1\. INSTABAT tempus Capituli generalis, nec quidquam aliud Eugenius præstolabatur. *Igitur* (ait Godefridus [a], qui præsens fuit) *eodem anno apud Cistercium iuxta morem, Abbatibus congregatis, prædictus Papa Venerabilis adfuit, non tam auctoritate Apostolica præsidens, quàm fraterna charitate residens inter eos, quasi vnus ex eis.* Hæc sanè inter humanas, sub Rainaldo Parente, Cistercij gloria; hæc fœlicitas summa, quo specialior, illustrior: quippè Episcopos ex ordine assumptos frequentare hos conuentus, in vsu positum; Summum Pontificem sine exemplo, hactenus fuit. O quàm liberi cuncta definirent! quàm securi decernerent, quibus & in nomine Christi congregatis, & cum Christi Vicario, duplici titulo Christus assistebat, duplex Spiritus sancti fax præibat. Quibus, & nolle errare in voluntate, & non posse in promptu, nec librare consilia periculosum, cùm trutinam haberent intra se ipsos.

a lib.4.c.4.

2\. Cæterùm illud adhuc singularius in hoc capitulo, cui non simile inuenias, & vix speres; integram, numerosámque congregationem (Ordinem potiùs dixeris) Monasteriis constantem supra triginta, per Galliam, Angliam, Normaniámque sparsam; illustrem viris, nec obscuram Ecclesiis, & possessionibus, relicto habitu, relictis institutis, quæ per plures iam annos obseruassent, in iura, & leges Cistercij transiisse, sub Claræuallis Abbatum visitatione. Hæc illa fuit congregatio Sabiniacensis, quam supra memorauimus, cui, qui præerat, Serlo vir planè sanctus, de quo plura inferiùs, idem, & mutationis auctor fuit. De his in libro sepulchrorum Claræuallis hæc pauca lego [b]. *Eumdem etiam locum (scilicet sepulturæ) obtinet Dominus Serlo, vir Deo dignus, qui Sauigniacum cum triginta Abbatiis in generali capitulo Cistercensi, præsente Beatissimo Papa nostro Eugenio tertio, per manum Sancti Bernardi, Ordini nostro sociauit, & Claræuallis Cœnobio submisit, & contulit.* Hæc ibi pauca, sed constanti auctoritate.

b apud Henriq. in Fasc.

3\. Initia dom s, atque adeò, & congregationis Sabiniacensis uper Sanctum Virum Vitalem, superiùs vidimus. Progressus iam sub Gaufrido, Guillelmóque, eiusdem, successoribus, videamus. Et quidem de Gaufrido hæc recens auctor, ex antiquis decerpta monumentis [c]. *Beatus Gaufridus Baiocis natus nobilibus parentibus, cum adhuc esset in alno materno, templum. S. Mariæ Magdalenæ Baiocis conflagrauit; & quædam pixis, in qua particulæ aliquot de reliquiis. S. Mariæ Magdalenæ, S.Gregorij, & quorumdam Martyrum condita erant, ex ipso templo, in sinum matris B.Gaufridi, non sine stupendo miraculo delapsa est. Quod indicium fuit futuræ in puero Sanctitatis. Primò Monachum induit apud Keseriacum Abbatiam Sancti Benedicti in territorio Baiocensi: deinde illectus fama B. Vitalis, relicto priori Monasterio, se ad Sabiniacense contulit, prædictas reliquias secum afferens; quarum attactu multa miracula faciebat. Hæc scripta sunt in eius actis, quæ asseruantur Sabiniaci. Multis fuit post mortem miraculis clarus, quæ etiam propè sunt quotidiana, maximè erga febricitantes. Ædificauit nouemdecim Monasteria, inter quæ Bellum-beccum* Beau-bec; *& Vallescernay,* Vaulxcerncy, *quod est in territorio Parisiensi. Statuitque vt quot annis fieret, Capitulum generale die Sanctissimæ Trinitatis. Fuit autem secundus Abbas Sabiniacensis. Hæc habui ex veteribus monumentis eiusdem Abbatiæ. B. Gaufridi meminit Ordericus Vitalis, lib. 8. Histor. Ecclesiast.* Hæc de Ganfrido. De Guillelmo pauciora. *Beatus Guillelmus tertius fuit Abbas eiusdem Abbatiæ, vt vetera illius monumenta testantur.* Verùm quæ Philippus Seguinus de eo narrat, ex eisdem monumentis, vt præsefert, ab Henriquez vulgata, hic consequenter duxi describenda [d].

c Hugo Menard. in notis ab Martyrolog. Maij. 1.

d in Menolog. Octob. 8.

4\. *Guillelmus Sabiniaci Abbas, & Diui Aymonis discipulus, vir inter doctores magni nominis, in diuinis Scripturis multum eruditus, sæculariúmque litterarum non ignarus, & sancta conuersatione clarus, ex Cadomi oppido Oriundus, Mundum pro Christi amore despiciens, apud Sabiniacum Monasterium perfectionem vitæ professus est: Cuius quidem conuersionem Deus seruo suo Aymoni reuelans, hac visione eum consolatus est. Videbatur enim sibi, quod ipsemet diuina accederet celebraturus mysteria: Dum autem sacra Deo offerret, vir quidam, forma decorus, quoddam talentum aureum obtulit. Cúmque tradita ministro oblatione, manus exoccupasset, versúsque retrò respiceret; visum est sibi, quòd ipse vir erat Filius Dei, qui ei talentum obtulerat. Transacta hac visione, paucis post diebus, prædictus Guillelmus Sauiniacum ingressus, huius Sancti Viri sibi amicissimi se implicuit colloquiis. Cum autem simul sermocinarentur, subiit animum eius visio præostensa, & mens eius concepit, quòd hic idem Magister esset oblatio, quæ ei à filio Dei videbatur oblata. Quid multis immorer? Hortatus est eum, ad contemptum sæculi,*

sæculi, ad suscipiendum leue Christi iugum, ad calcandas fugaces mundi dignitates, ad imitanda Sanctorum Patrum vestigia, & vt eum magis ad Dei amorem alliceret, prædictam visionem retulit. Quid plura? Lachrymis ille suffusus, manibus eius se tradidit, sæculique pompa calcata, conuersionem imbi vltrò spopondit. Igitur Guillelmus Nouicius efficitur, completóque tyrocinij anno Monachus consecratur; & crescentibus meritis, summo cum gaudio acclamantibus omnibus eidem Abbatiæ Deo ita disponente, Cænobiarcha eligitur: Pastor itaque in populo Dei factus, statim se totum rebus diuinis mancipauit, cilicium induit, carnem suam cum vitiis, & concupiscentiis crucifixit, orationi, & lectioni tempus impendit. Denique magna sanctitate coruscans, multos discipulos Sanctimonia conspicuos sibi adunauit, sicut in historia vitæ illius plenius scriptum continetur. Hactenus ibi.

5. Verùm quòd Sanctum virum vterque auctor Cisterciensibus tribuit, ideo fortasse verificari possit, quod Sauiniacum ad imitationem Cistercij, fundatum sit, atque institutum disciplinis regularibus; quod supra à nobis obseruatum memini. Aliàs, qui ante Serlonem Abbas fuit, sub quo Cistercium admissum in Sauiniaco, non potuit ad Cistercium pertinere ergo ab anno M.C. XII. quo cœpit domus, vsque ad Serlonem, qui eam Cistercio tradidit, hos tres Abbates habuit Sauiniacum: nempe Vitalem, Gaufridum, & Guillelmum: omnes tres sanctos, quorum corpora sacra, post annos plures simul cum Sanctorum Aymonis, Petrique Monachorum corporibus *Honorificè eleuata sunt, & reposita in quodam loco eiusdem Ecclesiæ, ab Episcopis Cœnomanensi, Abricensi, & Rhedonensi; in eius memoriam fit quotannis in eodem Cœnobio solemnis processio in Kalendis Maij.* Hæc Hugonis Menardi Martyrologium eadem die, ex quo Chrysostomus Henriquez in prætermissis.

6. Ab his Abbatibus Serlo quartus fuit, non minori doctrinâ, & sanctitate; qui quam acceperat ad Cistercij normam domum Ordinémque; non vltra similem, quod longè inferius est, sed omnino eamdem esse disposuit. Florebat autem Sauiniacum tunc Monachis, qui Patrum merita, aut præibant, aut sequebantur. Inter quos duo præcipuè supradicti Aymo, & Petrus, de quibus, quia Cistercium iam concernunt, quæ monumenta, & auctores suppeditauerint, liberiori calamo nobis agendum erit. Et quidem Aymonem à multis annis conuersatum in conuentu Sauiniacensi, argumento est, quod de Guillelmo tertio illius Abbate, per ipsum tracto à sæculo, tradidimus. Porrò nec pauciores sub Cistercio peregisse, non minus clarè probat ipsius transitus, qui incidit in annum M.C. LXXIV. vt ex Roberto Abbate Montis, infrà dicemus: Vt planum fiat, adstrictum Beatum Virum Cistercij legibus per annos plus minus sex supra viginti. Reliqua vitæ eius ex Philippo Seguino, vsque ad hoc tempus; Sequentia, ex aliis etiam traditun.

Aymo * (inquit) *Monachus in Normannia,*
7. *Abricensis Diœcesis ex Britania Armorica, in villa quæ dicitur Londacob oriundus, vir scientia scripturarum doctus, & vita conuersatione sanctissimus, mundum despiciens, & omnia sua bona pauperibus distribuens, in Sauiniacensi Cœnobio Sanctæ Religionis habitum suscepit, in quo magna suæ sanctitatis monumenta reliquit.* Hæc ille paucis, nec satis adhuc explicans, an sub Vitali, an verò sub Gaufrido Monachum induit. Quin nec peracta in sæculo studia, quibus adeo profecit, vt multa pòst opuscula scripserit, quæ duodecim voluminibus digesta vsque hodie in Sauiniaco asseruari, infrà tradenius. Quare aut præditum virum scientia infusa, quod non de facili liceat affirmare; aut ante conuersionem dedisse operam litteris, necessariò est nobis asserendum.

* lib. 3. c. 67.

Illud item, quod ad historiam eius facit, Seguinus non tam omisit, quàm postposuit; dum vacat studiis, leprosis adhæsisse, quos ardenti charitate fouendos, curandósque semel susceptos, quà potuit etiam fouit post Monachatum. Sic enim ait. *Leprosis, cum quibus ante votum professionis degebat, sedulò seruiebat, pedorem eorum minimè execrans, imò verò eorum pedes numquam non abluebat.* Hæc, inquam, liberè ante Monachatum, & quasi ex instituto vitæ genere: post Monachatum, qua se occasio offerebat, sedulus satis, & piùs administrabat. Nempe ad Mariæ quietem sic transiuit, vt retineret Martham, & nunc scribens, & docens, nunc ministrans, & propriam, & proximorum salutem, in vtroque homine indefesse promoueret. Nam & consiliis multis profuisse, in eadem narratione scriptum inuenio. *A nobilibus, & huius sæculi Magnatibus viris in tanto pretio est habitus, quod ei secreta cordium suorum securè reuelabant, eiúsque consilio multa bona opera faciebant.* 8.

Cæterùm qualis in Mariæ parte fuerit, quæ sequuntur declarant, quæ ita habent *Orationi semper vacabat; corpus inedia macerabat, os ab inutili, & superfluo verbo custodiebat; sacris vigiliis, & Psalmis insistebat.* Atque hæc quidem tyro, & recens miles. Sed mox prouectus, & promotus ad Sacerdotium, se ipsum supergressus, hominem penè exuisse comperiebatur. Nam audi quod sequitur. *Ad Sacerdotij gradum, licèt tremebundus, prouectus, in ipsa sua ordinatione tanta eius mentem Spiritus abundantia repleuit, vt ei frequenter ciborum corporalium obliuionem immitteret, illúdque quod carnem delectat in aliis, (ipso teste) ei nihil dulce saperet. Edebat tamen, vt homo, sed ad subsidium vitæ, non ad desiderium gulæ.* Hæc de homine in Deum penè absorpto. Quas autem postea in Missæ sacrificio consolationes, illustrationésque susceperit, quia singulares; suis temporibus, locísque dicemus. De Beato Petro dubium adhuc nobis, vtrum hoc anno Monachum induerit. Certùm ante Aymonem obiisse: nec minus certum claruisse simul cum ipso, qui eius semper, & confessiones exciperet, & occurreret dubiis, si quæ ingruerent. 9.

Hos ergo viros, similésque alios Venerabilis Serlo Cistercio subdidit. Sed in Cœnobiis suæ congregationis, nec inferioris notæ plures alios. Porrò quæ hæc Cœnobia, quam taxationem habeant in libris Cameræ, vbi, & quando fundata, ex Genesi Ecclesiarum Claræuallensium, quæ operibus Bernardi recens excussis subiecta prodit, operepretium duxi, si huc transferrem. 10

SAVIGNIACVM CÆTERARVM OMNIVM MATER.

SAVIGNIACI FILIÆ.

Dies.	Prouincia.	Abbatia.	Diœceses.	Taxatio.	Annus.
11. *Iul.*	Anglia.	De Turnesio.	Eboracensis.		1121.
	Normania.	De Bellobeco.	Rothomagensis.		
	Francia.	De Vallibus Cernay.	Parisiensis.	*XXX. III. flor.*	
	Andegauia.	Calocheum.	Andegauensis.		
25. *Iul.*	Normania.	De Fulcardimonte.	Rothomagensis.	*L. flor.*	1130.
1. *Mart.*	Ibidem.	S. Andreæ de Goffet.	Segiensis.	*VI. XX. flor.*	1130.
25. *Octob.*	Vvallia.	De Meth.	Landauensis.		1130.
15. *Iul.*	Andegauia.	De Buxeria.	Andegauensis.		1131.
Eod. mense.	Normania.	De Alneto.	Baiocensis.	*CCC.LXXVI. flor.*	1131.
4. *Octob.*	Anglia.	De Carretia.	Vvindonensis.		1131.
10. *Nouemb.*	Turonia.	De Fontanis albis.	Turonensis.	*XXXIII. flor.*	1132.
4. *Iunij.*	Anglia.	Cumbermate.	Conuentrensis, & Lichefeldensis.		1133.
26. *Mart.*	Picardia.	Longum Villare.	Morinensis.	*XXXIV. flor.*	1135.
25. *Iulij.*	Anglia.	Straforda.	Londoniensis.		1135.
17. *Iulij.*	Ibidem.	Cogesalhen.	Noruicensis.		1140.
31. *Decemb.*	Ibidem.	Bellalanda.	Eboracensis.		1138.
27. *Iulij.*	Britannia.	De Veteri villa.	Bolensis.		1140.
16. *Nouemb.*	Normania.	De Barbereio.	Baiocensis.		
16. *Nouemb.*	Cœnomania.	De Campania.	Cœnomanensis.		1151.

BELLIBECI FILIA.

1. *Decemb.*	Normania.	Brioftel, aliàs de Laneio.	Bellicensis.	1137.

VALLIVM SERNAII FILIA.

26. *Mart.*	Normania.	Brollium Benedicti.	Eboracensis *lege* Ebroicensis.	1137.

BROLLI FILIA.

10. *Decemb.*	Normania.	De Trappa.	Saguiensis.	

FVRNESII FILIÆ.

10. *Ianuar.*	Anglia.	Caldra.	
7. *August.*	Ibidem.	De Suvinshede, *alias*, Locus Dei.	1134.
10. *Ianuar.*	Insula Angliæ.	De Mamma.	1134.

ALNETI FILIA.

15. *Nouemb.*	Normania.	Vallis S. Mariæ.	1136.

CARRETIÆ FILIA.

10. *Septemb.*	Anglia.	Stanleja.	1140.

11. Hactenus numerus Ecclesiarum Sauigniacensium, quæ se Cistercio tradiderunt sub Claraualle, prout à Ioanne Picardo, post opera Bernardi, est euulgatus: ex quibus tamen demenda Campania; quia posterior. Sed addendæ ex genesi Ecclesiarum Claræuallensium Vildenas, & Buesfestria, seu Buresferia, Sauigniaci filiæ; vtraque in Anglia, illa Lichefeldensis, hæc Oxoniensis. Addendæ inter filias Furnesij. Suuinshede in Holandia, quæ magnum virum Gilbertum Abbatem, aut accepit, aut protulit, Bernardi in Cantica Sermones continuaturum: & Lielrhede in Anglia (de qua superius) atque Stanleia in Comitatu Vviltoniæ, quam anno M. C. X L. fundatam commemorauimus. Ex hisque constat Syllabus Ecclesiarum triginta Sauigniacensis Ordinis plus minúsve quas Serlo simul cum matre Cistercio tradidit. Animaduersione etiam dignum est, quod præcedenti tomo insinuauimus, delatum grauitati tantæ congregationis, vt Sauigniacum caput, omnium prima, reliquæ cæteris Claræuallis filiabus mixtæ, sed omnes velut in Cistercio natæ computarentur. Id numquam hactenus cum aliis vsurpatum, ex quo semel incepit indultum pluribus: cunctis ferè, qui latioribus regulis dimissis, ad normam Cisterciensis rigoris reformabantur. Non quia eadem ratio; quis id dubitet? aut simplex Monasterium quodcumque sit, congregationi numerosæ multorum comparet? Sed quia ea exemplarium conditio est, vt primi quidem causas requiramus; in reliquis,

reliquis, semel fecisse, pro causa sit. Nec multum abest, vt quæ prius in scandalo, quia numquam facta; postea in exemplum facienda, proponantur. Certè quod Sauiniaco indultum in eodem Capitulo, ne rem longiùs quærendam remittamus Obacinæ non valuit denegari. Sed pergo ad eam & ad Sanctum Virum Stephanum, de quo in præcedenti tomo pluribus actum.

---

1. Traditio Obacinæ, & trium filiarum eius, 2. Eugenius Stephanum Raynardo Patri commendat, ille Capitulo: 3. à quo gratanter ad Ordinem admissus. 4. Quid de Monialibus? 5. Quos ex Cistercio Magistros Sanctus adduxerit? 6. Quid viris grauius in tota mutatione? 7. Quot Sancti Viri eo tempore in Obacina? 8. Consecratum Cistercij cæmeterium ab Eugenio: 9. & miraculum à Bernardo ibi patratum. 10. Libri de Consideratione petiti, cùm iam discederent. 11. Epistola Bernardi illis præfixa.

CAPVT VIII.

1. HOc ipso anno, & in hoc eodem Capitulo S. Stephanus Obaciensis Abbas, quem diximus, relictâ vitâ eremitica, Monachismum edoctum à Dalonensibus; cum iã mores Cistercij altiùs hausisset, se & quatuor Ecclesias, quas fundauerat, tres Monachorum, Bonam aquam, Valletam, & Grossum voscum, quantum coniector, & vnam sacrarum virginum, interuentu Eugenij, Cistercio tradidit, sub immediata Patris Raynardi, atque eius successorum visitatione. Cæterùm qualiter hæc traditio facta sit, & quæ in ea historia digna, euenerint, ex Anonimo auctore vitæ Sancti, qui cunctis præsens fuit, præstat describere [a]. *Hic* (ait, id est Eugenius tertius) *secundo anno Pontificatus sui in Galliam venit: & Concilium Rhemis celebrauit. Tunc memorabilis Pater Stephanus, sicut olim desiderauerat, Cistercium cum quibusdam fratribus venit: ibique prædictum Apostolicum reperit. Erat enim ex multo tempore cupiens Sancti illius Ordinis societatem adquirere: cunctáque, quæ ad se pertinebant, eius submittere ditioni. Eo tempore Cisterciensibus præerat Abbas, Raynardus nomine, vir, in quantum ego intelligere potui, qui præ multis aliis claruit, nullis facilè comparandus: siquidem elegantia personæ, generis nobilitate, humilitatis decore, religionis feruore cunctis, quibus præerat, Abbatibus præminebat: ducenti, & eo ampliùs erant.* Subiungit auctor quædam de se ipso, quæ nos inferiùs 1 & capite sequenti ita prosequitur.

[a] lib. 2. c. 14.

2. *Igitur, cum ad Cistercium Beatus iste venisset, memoratum Papam adijt: & quid animo gereret, Apostolicis auribus intimauit; obnixè deposcens, vt suum desiderium ipsius auctoritate ad effectum perduceretur: Tunc ille Domnum Raynardum venire ad se mandauit: eique Sanctum Virum vt patri filium, ipse Pater omnium commendauit: atque vt eum in Conuentu Abbatum duceret, & Sancto Ordini sociaret, præcepit. Quem gratanter ille de manu Papæ suscipiens in Capitulum introduxit: & iucundo ore, coram cunctis Abbatibus dixit: En cernitis, Domini fratres, Abbatem istum, corpore modicum, habitu despicabilem, vultu deformem: sed quidquid in eo videtis, totum Spiritu sancto plenum sciatis. Nec mirum si Spiritu sancto repletus, eum, quem in se gestabat, in viro Dei cognoscere, & aliis potuit demonstrare. Talis erat enim vir iste Beatus Stephanus, vt quisquis illum vel simpliciter aspiceret, ex solo habitu, vel aspectu verè Dei seruum indubitanter agnosceret.*

3. *Nec mora, prolatis Domini Papæ mandatis, eiusque petitionibus declaratis, ipso etiam in præsenti humiliter postulante, ab vniuersis concorditer Abbatibus in societatem Ordinis est receptus; & domui Cisterciensi specialiter assignatus. Cùm vtique non minùs in hoc deferrent eius religioni; quàm Apostolica iussioni: & quanquam essent aliqua in domo eius, quibus talis susceptio impediri posset; quæ non Religioni quidem, sed consuetudini viderentur aduersa: illud certè maiorem molestiam ingerebat, quod Vir Sanctus, vt viros, ita & fœminas à Domino gubernandas acceperat: quod eorum Ordo non sustinebat. Attamen pro eius amore cuncta admissa sunt: spondente Domino Raynardo, qui eum, vt suam animam, diligebat, quod cuncta Ordini aduersantia paulatim abolerentur; cum repentinam mutationem, nouella adhuc domus ferre non posset: ita dumtaxat vt Sanctæ illæ fœminæ semper in Ordine permanerent.* Hactenus acta Beati Viri Stephani: reliqua infrà in tempore dicemus.

Verùm quod aiunt, Sanctimonialium regimen in Cistercio prohibitum, nequaquam sic intelligendum censeo, quasi nullæ adhuc parerent Cistercij legibus; visitandæ ab Abbatibus, & per Monachos, ac Conuersos Cistercij procurandæ: cuius contrarium hactenus ostensum; maximè in Monasterio S. Pauli, cui Petrus senior datus in Priorem, vt suprà vidimus. Sed quia immediatam administrationem, & veluti incorporationem vtriusque domus, Sanctimonialium nimirum, & Monachorum, quam Pater Stephanus Obacinæ sanciuerat, præter, vel contra Cistercij mores esse, nequaquam posset in dubium reuocari. Vnde & hoc ipsum promissione Raynardi relegandum: ita tamen, vt sanctæ illæ fœminæ semper in Ordine, id est, sub eius legibus, præceptísque, & sub Abbatis sui visitatione, non secus atque aliæ, permanerent. 4.

Quos ex Cistercio magistros secum adduxerit Beatus Pater Stephanus, pergit auctor scribere in hunc modum. *Talibus auspiciis sumpto Ordine, negotiator noster lætus ad propria remeauit: ducens inde secum magistros egregios, quos ille Pater Cisterciensis ad docendum Ordinem benignè concessit. Quorum duo Monachi erant, atque Presbyteri Viri Sancti: duo verò laici non minùs religiosi, & in sua quique arte decenter instructi. Quintus, qui aliis, transacto magisterij sui tempore, ad propria redeuntibus, vsque ad obitum nobiscum permansit; præter alia bona in nutriendis animalibus solers, ac peritissimus fuit: Cuius labore, & industria domus nostra in temporalibus multùm excreuit. Isti quidem Magistri, non, vt priores, inculti & asperi erant, sed blandi,* 5.

blandi, suaues, atque domestici: & ad docendum Ordinem idonei, & discreti.

6. Cæterùm quantæ perfectionis zelus in discipulis fuerit, illud in primis videtur commendare: quòd nihil immutatum ægrè tulerunt, nisi quòd carnes iuxta præscriptum regulæ, infirmis Monachis in Cistercio permittebantur. Sic enim sequitur. *Et cùm per eorum Magisterium plura mutari præciperentur: illud certè molestissimum videbatur, quòd vsus etiam carnium infirmis secundùm Regulam, inter cæteras mutationes, esset oblatus: qui hactenus manserat fratribus nostris incognitus. Quod grauissimè Vir Sanctus ferebat: in tantum, vt diceret ipse commotus, quod carnificinam introduxissent in domum Dei, cùm videret propter infirmos aliquod ex animalibus iugulari. Cùmque ei Capitulum Regulæ pro infirmis opponeretur, tacebat: quia nec illud ei placere, nec Regulæ auctoritas poterat displicere.* Hæc de Obacina, & filiabus eius Cistercio incorporatis in hoc capitulo: in quo si Sauiniacum adiungas cum sua prole; præter continuas currentes fundationes, quas per singulos annos memoramus, & quarum in præsenti non parua seges, vt inferiùs ostendam; quatuor & triginta Ecclesiæ adultæ Viris Sanctis, nec minus ædificiis, & possessionibus accreuere Cistercio, vel solæ illustrem familiam exhibituræ. Demùm ne quid omittam sancta memoria dignum, huic Capitulo affuit inter Abbates Sanctus Raimundus, tum adhuc Nienzabensis, Sacrarum Militiarum pater breui futurus. Cuius rei argumentum hodiéque extat, priuilegium ibidem ei concessum à Pontifice Eugenio, cum cæteris, quæ præcedenti Tomo commemorauimus. Qualiter autem in eodem priuilegio Oliua, atque Verola, inter bona Nienzabensis Ecclesiæ memorentur, relinquo aliis, si velint, examinandum. Apostolici indulti verba ita se habent. *Quæcumque bona in præsentiarum possidetis, salua vobis, & illibata permaneant: in quibus hæc propriis duximus exprimenda nominibus: locum ipsum de Nienzabas cum terminis, & pertinentiis suis: locum de Oliua cum terris, grangiis, & pertinentiis suis: & locum de Verola cum terminis, & pertinentiis suis*, &c. *facta charta apud Cistercium XV. Kalend. Octobris. Incarnationis Dominicæ anno M. C. XLVIII.* Sed de his satis.

7. Erant Obazinæ, cùm se Cistercio tradidit, disciplinis Stephani imbuti viri Sanctissimi, quos longum esset in præsenti connumerare. Sed inter alios florebant duo viri, Gerardus, & Robertus, qui duabus Obazinæ filiabus mox præfecti, dein Stephano ordine successerunt, vterque reuelationibus illustris vterque meritis. Nec inferior eiusdem domus Prior similis cum Abbate Sancto nominis; verùm virtutis longè similioris, nec minus ipso clarus vsque ad miracula. Nec decesserat (saltem quod sciamus) Petrus Presbyter, & multi ex primitiuis eiusdem sociis, quorum nomina sunt in libro vitæ. Ex his fortasse, aut illis, adiungendi alij duo, alter Presbyter, alter Diaconus, vterque Sanctus, de quibus in sequentibus agemus.

8. Inter hæc Raynardus Eugenium rogat, vt Cœmeterium, quod arctum ante habuerant, dilatatum per gyrum benediceret, atque Apostolica sacraret auctoritate. Quod & ab eo solenniter peractum, antiqui Patres in libro. M.S. Martyrologio subiuncto, quod adhuc extat, litteris mandauerunt in hunc tenorem.

De consecratione Cœmeterij nostri.

Anno Incarnationis Domini M. C. XLVIII. Sancta memoria Eugenius, Papa tertius, rogatu Ludouici piissimi Regis Francorum ad Gallias transiens, venit Cistercium, ibique à Domino Raynaldo eiusdem loci Abbate, & à Fratribus rogatus, cœmeterium eorum in maiori, quàm fuerat, spatio dilatauit; adiiciens ei non minimum terræ spatium ex omni parte per gyrum; atque solemniter, sicut moris est, benedicens crucibus ligneis totum ipsius cœmeterij ambitum per plura loca distinguentibus, sicut vsque hodie cernitur, locum summa veneratione haberi, Apostolica auctoritate sanciuit: atque in eos, qui illum quoquo modo violauerint, districtæ animaduersionis sententiam promulgauit.

At Bernardus, quem infirmi, quocumque iret, quem vbique miracula, sequebantur nec in hoc Capitulo ab eis immunis fuit. Nam [b] *cùm ad cellulam, in qua iacebat, facto vespere, & conuentu soluto, Dei famulus diuertisset, surdum ei puerum obtulerunt: Erat autem puer ille de vicinia eadem, & sicut postea didicimus, ex longo ante tempore vigilans in custodia gregis sui, subito terrore percussus, amiserat prorsus auditum. Orans itaque Pater Sanctus, & puero manus imponens, virùm audiat, sciscitatur. At ille mira deuotione proclamans: Audio Domine, audio: tam firmiter amplexatus est eum, vt vix ab eo posset diuelli. Auditum est verbum, oblatus est puer Summo Pontifici, aliisque personis, celeberrimùmque hoc miraculum fuit.* Hæc de gestis per nostros in hoc Capitulo, celebri quidem, & memoria æterna digno. 9.

b lib. 4. c. 4.

Eugenium discessisse à Cistercio, non sine lachrymis, quibus & cuncti abeuntem prosequerentur, credendum est. Quin & deductum à Raynaldo, Bernardóque cum aliis viris Cistercij selectioribus; à quibus tandem, cum ægrè auelleretur, rogauisse Bernardum, vt qui semper cum ipso esse non posset, aliqua saltem scripta pro se mitteret, firmando animo, per salutaria monita, atque in quæcumque occursura præmuniendo. Id petiuisse testatur idem Sanctus, quem statim dabo. At quàm syncerè Bernardus obedierit, libri de Consideratione manifestant, quinque nimirum, scripti, quinque annis, quibus vterque vixit; vt verè singulis singuli respondeant, nec annus sine libello præterierit. Cuius rei argumentum efficax est, quod Sancto Patre scribente librum quartum, quod suprà notabamus, quartus annus à Concilio Rhemensi, id est, ab hoc, in quo inuicem discesserunt, computabatur; adeóque centesimus quinquagesimus secundus, qui fuit penultimus vitæ vtriusque Sancti. 10.

Extat epistola Bernardi ad Eugenium his libellis præfixa, breuis, & elegans; quam mel, & lac eructantem, ne dicam propinantem Sancto Pontifici, non pigebit ad litteram transcribere. *Subit animum dictare aliquid, quod te, Papa Beatissime Eugeni, vel ædificet, vel delectet, vel consoletur. Sed nescio, quomodo vult, & non vult exire, læta quidem, sed lenta oratio; dum certatim illi contraria imperare contendunt maiestas, atque amor: nempe vrget ille, inhibet illa. Sed interuenit tua dignatio, quæ hoc ipsum non præcipis; sed petis, cùm præcipere te magis deceat. Maiestate igitur tam dignanter cedente, quid ni cedat pudor? Quid enim si cathedram ascendisti? Nec si ambulas super pennas ventorum, subduceris* 11.

subduceris affectui. Amor Dominum nescit, agnoscit filium, & in infulis per se satis subiectus est; obsequitur sponte, gratis obtemperat, liberè reueretur. Non sic aliqui, non sic, sed, aut timore ad ista impelluntur, aut cupiditate. Hi sunt, qui in facie benedicunt, mala autem in cordibus eorum.
c 1.Cor.8. *Blandiuntur coram, in necessitate deficiunt. At* [c] charitas numquam excidit. *Ego (vt verum fatear) matris sum liberatus officio, sed non depredatus affectu. Olim mihi inuisceratus es, non tam facilè erueris. Ascende in cælos, descende in abyssos, non recedes à me, sequar te quocumque ieris. Amaui pauperem, amabo pauperum, & diuitum Patrem. Non enim, si bene te noui, quia Pater pauperum factus; ideo non pauper spiritu es. In te hanc mutationem factam esse confido, non de te; nec priori statui tuo successisse promotionem, sed accessisse. Monebo te proinde, non vt magister, sed vt mater, planè vt amans. Amens magis videar, sed ei, qui non amat, ei, qui vim non sentit amoris.* Hactenus Sanctus. Verum de his satis. Nos singulos ad propria redeuntes; atque Eugenium Italiam properantem, dum Malachiam in occursum eius venientem, ex Hibernia deducimus, relinquamus.

---

1. Malachias post ingentia patrata opera, 2. locum, & diem designat sepulturæ. 3. Hibernia pallium repetere statuit. 4. Concilium congregat: 5. & reditu promisso, proficiscitur. Naufragus redit. 6. Sed manè viam carpens, ædificat in Scotia Monasterium. 7. Coniectatum de eo. 8. Et Sanctus Pontifex venit ad Claramuallem, 9. antea licèt detentus per Regem Angliæ.

CAPVT IX.

1. INSTABAT dies dormitionis Malachiæ, & sanctissimam illam animam cælestis curia; exuuias corporis, Claraualllis præstolabantur. Repleuerat, vt Bernardus Pater [a] ait, Euangelio Patriam suam, repleuerat miraculis: & mutis ad loquelam, claudis ad gressum, furiosis restitutis ad sanam mentem, mari semel, & iterum fœcundato [b], energumenis à Dæmonio liberatis [c], fœmina mortua post biduum, luci, & vitæ [d]; & quod maius fortè prodigium est, altera iracundia, & loquaci, patientiæ reddita [e]; cùm nullum genus signorum superesset, quo non claruisset; nullum Apostolatus sui opus, quod non patrasset [f]; tandem optatis sibi loco, & die, fœlicem spiritum ad cœlestem Patriam misit, debito sibi præmio fruiturum. Verùm qualiter hæc à Deo disposita sint, Bernardi [g] Patris verbis prosequamur.

a In vita. S. Malach. cap. 13. post initium. b Ibid. post medium cap. c Eodem cap. in princ. d Ibidem ad medium. e Verbis immediatè sequentibus. f In eodem cap. latè per totum. g in vita. S. Malach. c.15.

2. *Percunctatus aliquando, quonam in loco, si sibi optio detur, extremum malit agere diem, (de hoc siquidem fratres quærebant inter se, quem sibi quisque deligeret) cunctatur, & non respondet. Instantibus illis, si hinc migro,* inquit, *nusquam libentius, quàm vnde vnà cum nostro Apostolo resurgere possim. Dicebat autem Sanctum Patritium. Si peregrinari oportet, & ita permittit Deus, Claramuallem delegi. Requisitus item de tempore, diem respondit solemnem omnium defunctorum. Si simplex votum putatur, impletum est. Si prophetia, nec iota præteriit. Sicut audiuimus, sic vidimus de loco pariter, & die. Dicamus breuiter, quo ordine istud, quáve occasione prouenerit.*

3. *Ægrè satis ferebat, Hyberniam vsque adhuc pallio caruisse, vtpotè æmulator sacramentorum, quorum ne vno quolibet gentem suam vellet omnino fraudari. Et recordatus sibi à Papa Innocentio fuisse promissum, inde magis tristari, quod dum adhuc ille superfuit, non fuit missum pro eo. Et nactus occasionem, quòd Papa Eugenius summam regiminis teneret, & eo temporis vsque in Franciam appropiasse nunciaretur; opportunitatem requirendi se inuenisse gauisus est. Præsumebat autem de illo, vtique viro tali, & de tali assumpto professione. Magis verò quòd sua Clarauallis specialis filius extitisset, nec timeret apud illum se vllā sustinere difficultatem.*

Itaque conuocantur Episcopi, Concilium cogitur tractata triduo, quæ tempori imminerent; die quarto aperitur consilium de pallio requirendo. Placet, sed si per alium requiratur. Tamen quia breuior via, & ob hoc tolerabilior peregrinatio videretur, non fuit, qui eius obuiare præsumeret consilio, & voluntati. Et Malachias, soluto Concilio, arripit iter. Prosequuntur eum, qui conuenerant fratres, vsque ad littus; non multi tamen, ipso nimirum prohibente. Ad quem vnus illorum, Catholicus nomine, flebili voce, & fletu: Heu tu abis, inquit, *& in quanta penè quotidiana vexatione me deseris, non ignoras, nec fers opem misertus mei. Si ego dignus, qui patiar, fratres quid peccauerunt, qui vix diem, noctémve vllam à tam laboriosa cura, & custodia mei feriatam habere sinuntur? His verbis, & lachrymis filij (flebat enim) paterna viscera concussa sunt, & amplexatus est eum, blandiendo, impresóque pectori eius signo Crucis: Certus esto,* inquit, *te eiusmodi nihil passurum, donec redeam. Erat autem epilepticus, & cadebat frequenter, itaut interdum non semel, sed sæpius pateretur in die. Hoc iam per sex annos morbo horrido laborabat, sed ad verbum Malachiæ perfectè conualuit. Ab illa hora nil tale perpessus est, nil tale, vt confidimus, deinceps perpessurus, quia Malachias deinceps rediturus non est.* 4.

In ipso ascensu nauis accedunt duo ex his, qui illi familiarius adhærebant, audentes, & petentes aliquid ab eo. Quibus ille: Quid vultis? Non dicimus, inquiunt, nisi spondeas te daturum. Spondet. Et illi: Volumus nobis certò promitti à tua dignatione, te in Hyberniam incolumem reuersurum. Instare, & cæteri omnes. Tum ille parumper deliberans, pœnitere primò, quod se alligasset, qua exiret, non inueniens. Angustia vndique, dum nil occurreret ab alterutro tutum periculo, voti videlicet, an promissi. Visum est tandem id potius eligendum, quod impræsentiarum plus vigeret, reliquum superna committendum dispositioni. Annuit, tristis quidem, sed magis illos noluit contristare; & respondens eis, vt volunt, ascendit nauem. Et cum iam ferè medium iter æquoreum peregissent, subitò contrarius ventus nauem repellit, & reducit in terram Hyberniæ. Descedens de naui in ipso portu in quadam sua Ecclesia pernoctauit. Et lætus gratias egit diuinæ consilio prouidentiæ, 5.

prouidentia, quo factum est, vt iam fecerit satis pro sua promissione.

6. *Manè verò intrans in nauem, ipsa die prospero cursu transfretauit, & venit in Scotiam. Die tertia peruenit ad locum, qui viride stagnum dicitur, quem fecerat praeparari, vt ibi statueret Abbatiam. Et relicto illic de filiis suis, fratribus nostris, Monachorum conuentu, & Abbate (nam secum ad hoc ipsum eos adduxerat) vale dicens eis, profectus est. Et cùm transiret, occurrit ei Rex Dauid, à quo receptus cum gaudio, & retentus per aliquot dies, multáque operatus placita Deo, inchoatum repetiit iter.* Hæc ex Bernardo ad litteram transcripta, piaculum duxissem, si interrumperem.

7. Cæterùm quod de Viridi stagno ait, à Malachia fundato, cùm pertransiret, ac Monachis ibidem collocatis, quos secum ex Hybernia ad hoc adduxerat, non dubito per errorem irrepsisse; & pro Viridi ligno, Viride stagnum, facili caracterum paucorum inuersione suppositum. Neque enim Genesis Cistерciensium Ecclesiarum illius nominis aliquam agnoscit: cum tamen sub hoc inter filias Mellifontis, quarta in Ordine, post Magium, Vallem salutis, & Buellium connumeretur. De ea Iacobus Vvareus, nisi quòd tempus quadriennio anteuertit, & domum inter alias Hyberniæ numerat [b]. *Monasterium Neuoracense alias de Viridi ligno) in Comitatu Dunensi, in honorem Beatæ Mariæ & S. Patricij, fundauit Sanctus Malachias Dunensis Episcopus, circa annum M.C.XLIV. Hanc Abbatiam Henricus octauus in Ecclesiam conuertit Collegiatam, Ioanne······ vltimo Abbate, primo noua illius fundationis Gardiano constituto. Cæterùm post nouem annos suppressa est, & Nicolao Bagnall militi, tunc temporis Hyberniæ Marescallo, concessa. Hoc Monasterium idem erat (ni fallor) quod Diuus Bernardus in vita S. Malachiæ, alio quasi sub Sole locat, & Monasterium Ibracense appellat.* Hæc Vvareus in Chronologia. Viride lignum quinquénio adhuc postponitur, quo anno à nobis veniet repetendum. Interim ab his Prouinciis longè dissitis, nec vllo ferè commercio colligatis, præcipuè post Abbatiarum suppressionem, dubitasse sufficiat: iam reliqua ex Bernardo prosequamur.

b in Catal. Monaster. Hyberniæ.

[i] *Pertransiens Scotiam, in ipso introitu Angliæ diuertit ad Ecclesiam Gisiburnensem, vbi habitant Viri Religiosi, canonicam degentes vitam, ab antiquo familiares ei pro sua religiositate, & honestate. Ibi adducta est ad eum mulier patiens morbum, quem cancrum vulgò appellant, ipso horrendum visu: & sanauit eam. Nam vbi aqua, cui benedixit, aspersa sunt vlcerum loca, dolorem non sensit. Die verò sequenti, vix vlcera apparebant. Abiens inde, ad mare venit, sed negatur transitus. Causa, ni fallor, fuit orta simultas quædam inter Summum Pontificem, & Regem Angliæ, quod Rex, nescio, quid mali suspicaretur de bono illo homine, si transiret. Nam neque alios Episcopos transire sinebat. Quod quidem impedimentum, etsi fuit contrarium Malachiæ voluntati, sed non voto. Dolebat differri à desiderio suo nesciens magis per hoc impletum iri. Nam si incontinenti transisset, oportebat transire etiam Claramuallem, vt Summum Pontificem sequeretur. Iam enim abierat, & erat Romæ, aut prope Romam. Nunc verò intercedente dilatione factum est, vt tardius transfretans ad locum, & horam sanctissimi sui obitus opportunè occurreret.* Hactenus Sanctus de toto illo itinere, ex quo soluit Hybernia Malachias, vsque ad ingressum ipsius in Claramuallem. 8.

i vbi suprà.

9. Verùm quod ait prohibitum à Rege Angliæ Stephano, ne in Galliam Vir Sanctus transfretaret; idque propter simultatem ortam cum Summo Pontifice; ad id manifestè alludit, quod suprà diximus: Regem periurum ex conscientia proprij criminis, suspectos semper habuisse quoscumque bonos: sed tunc præcipuè percussum anathemate, ob reditum negatum Theobaldo, in Eugenium atrociùs incanduisse. At nos Pontificem Claræualli tandem redditum, nec vltra iam ab ea discessurum, Bernardi verbis excipiamus, sequenti capite.

---

1. Sanctus Pontifex in Claraualle susceptus, 2. in febrem incidit. 3. Prænunciat mortem. 4. Munitur Sacramentis. 5. Bernardi Patris in eius morte affectus. 6. Benedicit cunctis: 7. & in extremis iterum Bernardo. 8. Moritur, 9. & miraculis claret ante sepulchrum.

CAPVT X.

1. INOPINATVS aduenit Malachias, vnde nec obuiam ei itum à Sancto Patre. At qua, pro foribus stare, nunciatum est, vix se modestia fratrum in tanto gaudio, vix Bernardi seueritas cohibuit. Nam audi, quod sequitur [a]. *Susceptus est à nobis tanquam verus ab occidente veniens, visitans nos oriens ex alto. O quantum nostra Claræualli irradians Sol ille, claritatis adauxit! quàm iucundus ad eius introitum dies festus illuxit nobis. Hæc dies, quam fecit Dominus, exultauimus, & lætatum in ea. Quàm celer, & saliens, tremulus, ac debilis mox ipse occurri. Quàm lætus in oscula rui, quàm lætis brachiis missam cælitùs mihi amplexatus sum gratiã. Quàm alacri vultu, & animo, mi Pater, introduxi te in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ. Quàm festiuos deinde tecum duxi dies, sed paucos. Quid verò ille vicissim nobis? Nempe hilarem, nempe affabilem, peregrinus noster omnibus se præbebat, omnibus incredibiliter gratum. Quàm bonũ, & quàm iucundum agebat hospitem apud eos, quos nimirum videre venerat à finibus terræ, non auditurus Salomonem, sed exhibiturus. Denique audiuimus sapientiam eius, tenuimus præsentiam eius, & tenemus.*

a cap. 16. in vit. S. Malach.

Iam quatuor, aut quinque dies huius nostræ solemnitatis defluxerant, cum ecce die solemni Beati Lucæ Euangelistæ Missa in Conuentu, sua illa sancta deuotione, celebrata, febre correptus, lecto decubuit, & nos cum illo omnes. Extrema gaudij nostri mæror occupat, moderatior tamen, quod lenior interim febris esse videretur. Videres discurrere fratres dandi auidos, vel accipiendi. Cui non dulce videre illum? Cui non dulcius ministrare illi? Vtrumque suaue, vtrumque salutare. Et humanitatis erat præbere obsequium, & profectus cuique sui, 2.

fui, cùm gratiam reportaret. Assistere omnes, omnes solliciti erant circa frequens ministerium, medicamenta perquirere, adhibere fomenta, vrgere sæpius ad gustandum. Ad quos ille: sine causa, inquit, *hæc, sed charitate vestri facio, quidquid iniungitis. Sciebat enim imminere tempus suæ migrationis.*

3. *Cùmque fratres, qui cum eo venerant, fidentiùs instarent, dicentes non oportere diffidere de vita, nec enim signa mortis in eo aliqua apparerent: Oportet*, inquit, *hoc anno Malachiam exire de corpore. Et infert: Ecce appropinquat dies, quem (vt optimè nostis) optaui semper, ipsum fore diem resolutionis meæ. Scio, cui credidi, & certus sum: non fraudabor reliquo desiderij mei, qui partem iam teneo. Qui me sua misericordia perduxit ad locum, quem petij, terminum, quem æquè volui, non negauit. Quod ad hoc corpusculum attinet, hic requies mea; quod ad animam, Dominus prouidebit, qui saluos facit sperantes in se. Nec parum spei repositum mihi in die illa, qua mortuis tanta à viuis beneficia impenduntur. Nec longè aberat dies ipsa, cùm talia loqueretur.*

4. *Interea iubet se sacro oleo vngi. Exeunte Conuentu fratrum, vt solemniter fieret, non sustinuit, vt ad se ascenderent: ipse descendit ad eos. Iacebat siquidem in solario, domo superiori. Vngitur, & sumpto Viatico, fratrum se orationibus, & fratres commendans Deo, ad lectum reuertitur. Alto de solio descendebat pedibus suis, & rursum nihilominus suis pedibus ascendebat, & dicebat, mortem esse in ianuis. Quis hunc hominem crederet moriturum? Solùm ipse, & Deus, id scire poterant. Non vultus pallidior, non macilentior videbatur, non rugata frons, non reconditi oculi, non nares extenuata, non contracta labia, non adusti dentes, non collum exesum, & gracile, non curui humeri, non caro exinanita in corpore reliquo. Hæc erat gratia corporis eius, & hæc gloria vultus eius, quæ non euacuatur, ne in morte quidem. Talis quoad vixit, talis & mortuus apparebat, viuenti similior.* Hactenus Sanctus cursu velut rapido.

5. Sed mox amici morte penè exanimis, papiro calamus,& vox faucibus hæsit: sic enim subdit [b]. *Currimus vsque huc, sed modò heremus, quia Malachias cursum consummauit. Stat ille, & nos pariter stamus cum eo. Alioquin quis libenter curras ad mortem? Præsertim tuam, Pater Sancte, quis referre possit? Quis velit audire? Attamen dileximus nos in vita, in morte non separabimur. Fratres; non relinquamus in morte, quem in vita prosequuti sumus. Ab vlteriori Scotia, vsque ad nos cucurrit ille ad mortem: eamus & nos, & moriamur cum eo. Oportet dicere, quàm cernere necesse fuit.* Sic Sanctus Pater nunc cedens, nunc resistens, constantiæ humanæ leges, & iura dedit. Quippe in huiusmodi dolorem non sentire, lapidei cordis; non moueri, inhumani: sed sentientem,& motum non succumbere, moderati, & prudentis; præualere, virilis animi est. Præualens ergo viriliter Bernardus sic pergit scribere.

b cap.17.

6. *Adest [c] omnium Sanctorum clara vbique celebritas, sed iuxta veterem sententiam musica in luctu, importuna narratio est. Adsumus, cantamus vel inuiti. Flendo cantamus, cantando flemus. Malachias etsi non cantat, non plorat tamen. Quid enim plorat, qui appropinquat ad gaudium? Nobis, qui relinquimur, relinquitur luctus, solus Malachias festum facit. Quod enim non potest corpore, facit mente, sicut scriptum est: Cogitatio hominis confitebitur tibi, & reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi. Deficiente illi corporis instrumento, silente organo oris, officio vocis cessante, reliquum est, vt mentis iubilo solemnizet. Quidni solemnizet Sanctis, qui Sanctorum ducitur ad solemnitatem? Exhibet illis, quod mox sibi debetur. Adhuc modicum, & ipse vnus ex ipsis est.*

c cap.17.

Sub noctis crepusculo, cùm iam vtcumque diei à nobis expleta celebritas foret, Malachias appropinquauerat non crepusculo, sed auroræ. Annon illi aurora, cui nox præcessit, dies autem appropinquauit? Itaque febre inualescente, cœpit ex intimis ardens per omne corpus erumpere sudor, vt quodammodo transiens per ignem, & aquam educeretur in refrigerium. Iam desperatur de vita eius, iam quisque suum iudicium reprehendit, iam nulli dubium Malachiæ sententiam præualere. Vocamur, adsumus; & ille oculos leuans in circumstantes: Desiderio desideraui, inquit, *hoc Pascha manducare apud vos. Gratias ago supernæ pietati, non sum fraudatus à desiderio meo. Vide hominem securum in morte, & necdum mortuum, iam certum de vita: nec mirum. Videns adesse noctem, quam expectabat, & in ipsa diescere sibi, quasi de nocte triumphans, videtur insultare tenebris, & quodammodo loqui: Iam non dicam; forsitan tenebræ conculcabunt me; quia hæc nox illuminatio mea in deliciis meis. Et blandè nos consolans; Habete*, inquit, *curam mei; ego vestri, si licuerit, non obliuiscar. Licebit autem. Credidi in Deum, & omnia possibilia credenti. Amaui Deum: amaui vos, & [d]* charitas numquam excidit. *Et suspiciens in cœlum: Deus*, inquit, *serua eos in nomine tuo. Non solùm autem eos, sed, & omnes, qui per verbum, ac ministerium meum tuo se mancipauere seruitio. Deinde imponens manus singulis, & benedicens omnibus, pausatum ire iubet, quia nondum venerat hora eius. Imus, redimus circa medium noctis: nam ea hora lux lucere in tenebris nunciatur. Impletur domus, adest congregatio tota, Abbates quoque multi, qui conuenerant. Psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus prosequimur amicum repatriantem.* In hoc supremo Malachiæ halitu, quod idem S. Pater alibi ait [e]. *Accurri ego, vt benedictio morituri super me veniret. At ille cùm iam membra alia mouere non posset, fortis ad dandam benedictionem, eleuatis sanctis manibus super caput meum benedixit mihi, & benedictionem hereditate possideo.* Hæc ad Conganum Sanctus in præfatione. Pergit in vita.

7.

d 1.Cor.8.

e in Præfat. ad vit. eiusdem S.

Anno [f] ætatis suæ quinquagesimo quarto, loco & tempore, quo prælegit, & prædixit, Malachias Episcopus, & Legatus Sanctæ Apostolicæ Sedis, velut è manibus nostris assumptus ab Angelis, fœliciter obdormiuit in Domino. Et verè obdormiuit. Vultus placidus, placiti exitus indicium fuit. Et quidem omnium oculi fixi in eum, nemo tamen, qui eum, quando exiuit, aduertere potuisset. Mortuus viuere, & viuens mortuus putabatur: adeò nil intercidit, quod alterutrum distermineret. Eadem viuacitas vultus, serenitas eadem, qualis apparere solet in dormiente. Diceres mortem nil horum tulisse, magis auxisse plurimum. Non est mutatus, sed ipse mutauit omnes. Mirum in modum luctus, & gemitus omnium subitò conquiescit; mutatur in gaudium mœror, planctum cantus excludit. Effertur, feruntur in cœlum voces, infertur oratorio Abbatum humeris. Vicit fides, triumphat affectus, res in suum deuenit statum, cuncta geruntur ex ordine, cuncta ex ratione procedunt. Et post pauca.

8.

f cap.17.

Interim parantur exequiæ, offertur pro eo Sacrificium, consummantur ex more omnia cum summa deuotione. Stabat eminùs puer, cui emortuum pendebat à latere brachium, magis illi impedimento, quàm vsui. Quo comperto, innuit, vt accederet, & apprehensam aridam manum applicui ad manum Episcopi, & viuificauit eam. Nempe viuebat in mortuo gratia sanitatum, & manus eius fuit mortuæ manus, quod mortuo homini Elisei. Puer ille de longè venerat, & manum, quam pendentem attulerat, sanam in patriam reportauit. Iam omnibus ritè peractis, in ipso Oratorio Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, in quo sibi bene complacuit, Malachias traditur sepulturæ, anno ab Incarnatione Domini. M. C. X L V I I I. quarto Nonas Nouembris. Tuum est, Iesu bone, depositum, quod nobis creditum est, tuus thesaurus reconditur penes nos. Seruamus illum resignandum in tempore, quo reposcendum censueris, tantùm vt absque contubernalibus suis non egrediatur, sed quem habuimus hospitem, habeamus Ducem tecum, & cum ipso pariter regnaturi, in sæcula sæculorum. Amen.

---

1. *Bernardus cum Malachia defuncto permutat tunicam,* 2. *quin & in Missa collectam defunctorum,* 3. *quod idem cum duobus altis fecisse legitur.* 4. *Epitaphium inscribit,* 5. *& sermonem ad Fratres habet;* 6. *semel & iterum;* 7. *Prodigia Sancti, virtutésque recensens:* 8. *ac iubilans de gloria.* 9. *ad Hybernienses consolatoriam epistolam scribit.* 10. *Demùm vitam ipsius stylo mandat.* 11. *De sedibus Hyberniæ remissiuè.*

CAPVT XI.

1. HACTENVS quæ Bernardus de Malachia, nunc quæ cum Malachia paucis dicamus. Cùm corpus sepulturæ præpararetur, dum lauandum exuitur vestibus a lauacro resumendis; deuotus Abbas (quod supra notabamus) pio, & amico furto, certè fideli, tunicam, in qua Sanctus obdormierat, cum propria permutatam, latenter abstulit, qua vteretur in festis solemnioribus ad offerendum Missæ sacrificium, & in qua demùm, cum obiret, sepeliretur. Rem quamdiu vixit, omnibus occultam: sed post obitum ab ipso reuelatam, detectámque Godefridus, qui Bernardi vitam scripsit, totidem verbis narrat quot hîc subiungam [a]. *Paucis quoque expletis diebus alteri cuidam fratri magnificè satis apparens, & arguens de suo nos doluisse discessu, post verba multa consolationis, & promissionem felicitatis æternæ, in sua perseuerantibus obedientia, & doctrina: hoc etiam scito, ait, & dicito fratribus, cuiusdam verè Sancti corpus, cuius & ego habeo vestem, in Oratorio esse sepultum. Dicebat autem Episcopum Malachiam: ipsius enim tunicam, in qua Sanctus ille fœliciter obdormierat, ad Missarum sibi seruauerat celebrationem: & moriturus, in ea sese iusserat sepeliri, sicut & Sanctum illum in sua sepelierat veste.* Hæc ante Funus.

[a] lib. 5. c. 3.

2. Sed in funere ipso, audi, quod sequitur. Mirandum quidem magis, quàm imitandum [b]. *Cùm Beatus Episcopus Malachias, cuius vitam virtutibus plenam vir Sanctus studiosè descripsit, iuxta desiderium cordis sui in Claraualle beatam Cælo animam reddidisset, offerens pro eius transitu Venerabilis Abbas hostiam salutarem, gloriam eius, Domino reuelante, cognouit; & eodem inspirante, Sacrificio iam expleto, formam mutauit orationis, & collectam intulit, quæ ad Sanctorum Pontificum celebritates, non ad commendationes defunctorum pertinet, ita dicens:* Deus, qui Beatum Malachiam Pontificem Sanctorum tuorum meritis coæquasti, tribue quæsumus, vt qui pretiosæ mortis eius festa agimus, vitæ quoque imitemur exempla. *Deinde reuerenter accedens, sacra eius vestigia deuotissimè osculabatur. Modum tamen, & sermocinationis nec cuiquam aperire, nec in eiusdem Episcopi vita scribere acquieuerit: hoc tantùm respondens, cùm plurimùm rogaretur; nimis ad propriam sui ipsius pertinuisse personam.* Hactenus Godefridus, qui præsens fuit hîc. Quod officium pro Malachia inchoauerat, de Malachia perfecit; nec dubitauit totius Ecclesiæ nomine (nam ipsa quoque Sacrificium Missæ offert) Malachiam sepulturæ nondum traditum, & Sanctum acclamare, & intercessorem ad Deum, atque in exemplum imitandum cunctis proponere.

[b] lib. 4. c. 4.

Eumdem Sanctum ante annos, vt minus sexdecim, cum pro Alberone Virdunensi Episcopo celebraret, hoc ipsum fecisse, Antonius Demochares, præcedenti sæculo, ex libro antiquitatum magistri Ricardi Vvasebourg, Archidiaconi Virdunensis; atque hoc nostro, vterque in cathalogo Episcoporum Virdunensium; & Ioannes Chenu vulgarunt, totidem verbis *Albero de Chini, anno M. C. X X X I.* (supple moritur) *pro illo Beatus Bernardus cùm cantaret Missam mutasse collectam defunctorum, in collectam Confessorum traditur.* Hæc illi. Nos nec negare audemus, nec asserere. Certè eiusmodi actiones semel in gloria; si repetantur, magna ponderis sui parte carebunt. Quid quod id ipsum tertiò itidem factum pro Alberico Cardinali Episcopo Ostiensi, quem anno præcedenti defunctum diximus; Ioannes etiam Pistorius adnotauit [c]. *Anno* (inquit) *Conradi decimo quarto, moritur apud Virdunum Hostiensis Episcopus Cardinalis, Dominus Albericus, ad cuius tumulum B. Bernardus, Missam pro eo celebrans, cùm venisset ad collectam post concionem, pro mortuo, dimisit; & collectam de Confessore dixit.* Verum est tamen hos duos fortè eumdem; ex loci identitate, nempe Virduni, nec magna nominum Alberici, Alberonísque distantia, irrepente errore, qui non facilè postea discernatur. Nobis certa suis locis adnotantur: dubia, vel obiter, sufficiat tetigisse. 3.

[c] In Chron. Belgico ann. 1138.

Quid non vincit amor? Quid non charitas? Bernardum Patrem coëgit ludere versibus, atque Epitaphium Sepulchro Sancti inscribere. Liberioribus primùm, mox Leoninis, qui eo sæculo ex cadentiis, dulciores reputabantur. Porrò epitaphium à Bernardo Patre conscriptum, hodiéque perseuerat sub eius nomine, quod ita habet. 4.

Scis

Scire cupis, quisnam iacet hîc? Dominus Malachias.
Hæres quis fuerit? quærere pergis adhuc?
Hybernus patria, meritorum munere Sanctus,
Celsus prodigiis, Præsul honore fuit.
Accumulauit onus summa legatio sedis.
Romam ibat: sed abhinc carpit ad astra viam.

Epitaphiũ S. Malachiæ.

Hac in Valle sita Domus est tibi petra polita,
In qua sacrata tua sunt, Pater, ossa locata.
O Pastor digne, dulcis, sacer, atque benigne,
Oro, tui memoris vt sis memor, omnibus horis.

Hactenus Sanctus de Sancto, grauiter, & succinctè pro modo Carminis.

5. Ast soluta oratione, plura ad Fratres, sermone habito, qui hodie etiam legitur; sub hoc initio. *De cælo vobis hodie, dilectissimi, copiosa quadam est benedictio destinata: & fideliter eam non distribui, vobis quidem damnosum esset; mihi verò periculosum, cui nimirum hæc dispensatio videtur esse commissa. Timeo itaque damnum vestrum, timeo damnationem meam, si fortè dicatur* [d] *Paruuli petierunt panem, & non fuit, qui porrigeret illis.* Et post pauca. *Dira profectò, & inexorabilis mors, quæ tantam hominum multitudinem vnius percussione mulctauit: Cæca, & improuida, quæ Malachiæ ligauit linguam, impediuit gressus, dissoluit manus, oculos clausit. Illos, inquam, deuotos oculos, qui piissimis fletibus Diuinam peccatoribus reconciliare gratiam consueuere. Illas mundissimas manus, quæ laboriosis, & humilibus operibus exerceri semper amauerant: quæ Dominici corporis hostiam salutarem pro peccatoribus totiens offerebant, & sine ira, & disceptatione in oratione leuabantur in cælum: quæ infirmis multa beneficia præstitisse, & signis variis effulsisse noscuntur. Illos quoque speciosos gressus euangelizantis pacem, euangelizantis bona; illos pedes, qui totiens fatigati sunt studio pietatis: vestigia illa digna; quæ semper deuotis oculis premerentur. Sancta denique labia illa Sacerdotis, quæ custodiebant scientiam: Os iusti, quod sapientiam meditabatur: Et linguam eius, quæ iudicium loquens, imò & misericordiam tantis mederi solebat vulneribus animarum,* &c. Quæ latè ibi prosequitur.

d Thren. 4.

6. Legitur alius eiusdem Sancti Sermo de eodem Pontifice, sub hoc initio [e]. *Liquet, dilectissimi, quòd dum corpore retinemur, peregrinamur à Domino: ac per hoc luctum magis, quàm gaudium, miserandum nobis indicit exilium, & conscientia delictorum. Quia tamen Apostolico ore gaudere cum gaudentibus admonemur; in omnem nos suscitari lætitiam, tempus, & causa requirit. Nam si verè (quod Propheta sensit* [f]*) exultent iusti in conspectu Dei: exultat sine dubio Malachias* [g]*, qui in diebus suis placuit Deo, & inuentus est iustus. In sanctitate, & iustitia coram ipso ministrauit: placuit ministerium, placuit & minister,* &c. Sed hic post annum habitus in anniuersaria, quam per singulos annos celebrabat, festiuitate.

e Post vit. S. Malach.
f Psalm. 67.
g Eccl. 44.

7. In eo sermone prodigia viri narrat, quædam præcipuè concernentia publicum bonum, quæ ne repeteremus, huc remisimus. *Ipse est, qui pacis, quam fecerat, violatores, spiritui erroris traditos, frustratus est in malo, quod facere cogitabant; ac denuò coëgit ad pacem, confusos quidem, & stupefactos in eo, quod sibi contigerat. Ipse est, cui aduersus alios pacti æquè præuaricatores, riuus officiosissimè affuit, miro modo obiectu sui euacuans molimina impiorum. Imbres non erant, non illuuies aquarum, non concursus nubium, non liquefactio niuium, cùm subitò factus est in fluuium magnum, qui riuulus erat, & riuus ibat, & intumescebat inundans, & negans omnino transitum volentibus malignari.* Pergit virtutes eius enarrare currente, sed interciso sæpiùs stylo, præ affectus, & gaudij magnitudine; & tandem concludit.

8. *Lætemur, quòd Angelus noster ascendit ad ciues suos, pro filiis captiuitatis legatione fungens, corda nobis concilians Beatorum, vota illis intimans miserorum. Lætemur, inquam, & exultemus, quia cælestis illa curia ex nobis habet, cui sit cura nostri, qui suis nos protegat meritis, quos informauit exemplis, miraculis confirmauit.* Et paulò inferiùs. *Domum istam decet sanctitudo, in qua tanta frequentatur memoria sanctitatis. Sancte Malachia, serua eam, in sanctitate, & iustitia, misertus nostri, qui inter tot, & tantas miserias, memoriam abundantiæ suauitatis tuæ eructamus. Magna est super te diuinæ dispensatio pietatis, qui te paruum fecit in oculis tuis, magnum in suis, qui magna fecit per te, saluans patriam tuam: magna fecit tibi, introducens te in gloriam suam. Festiuitas tua, quæ meritò tuis virtutibus votiua impenditur, tuis nobis efficiatur meritis, & precibus salutaris,* &c. Nam plura ibi prosequitur, eumdem Sanctum alloquens, vt qui vix sibi imperaret, in eius laudibus.

9. Iustis solutis, qui præsentes viua voce, per litteras absentes Hyberniæ fratres consolaturus, epistolam scripsit, inter alias notatam à Collectore, sed solitam circumferri inter Sermones, quæ ita incipit.

Religiosis [h] *fratribus, qui in Hybernia sunt, & his maximè congregationibus, quas beata memoriæ Malachias Episcopus fundauit, frater Bernardus Claræuallis vocatus Abbas, Paracleti consolationem.* h epist. 311.

Si haberemus hîc ciuitatem manentem, copiosissimis iure lachrymis plangeremus talem nos amisisse ciuem. Cæterùm si futuram magis inquirimus, vt oportet: est quidem non modica doloris occasio tam necessario duce destitui: debet tamen zelum temperare scientia, & dolorem spei fiducia delinire. Nec mirari quempiam decet, si gemitum extorquet affectus, si desolatio lachrymas exprimit: modum tamen adhibere necesse est, imò non modicè

dicè etiam consolari intuentes, non quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur temporalia sunt: quæ autem non videntur æterna. Pergit de Sancto Viro multa dicere, quæ filios orphanos valeant consolari.

10. Demùm cùm ne hæc omnia sibi sufficerent, & aliàs Venerabilis Congani, Suriensis Abbatis, quin & totius Hyberniæ precibus vrgeretur, vitam Sancti Pontificis scripsit, ex qua nos omnia, Quod ipse in Præfatione ad ipsum his verbis tradit. *Iste erat lucerna ardens, & lucens, nec extincta est tamen, sed submota. Quis mihi iure succenseat, si readmonero eam? Imò verò non est, quod mihi ingrati esse mei sæculi homines debeant, & omnis deinceps generatio ventura, si quem conditio tulit, reuocem stylo: Si mundo restituam, quo dignus non erat mundus: si seruem memoria hominum, hominem, cuius memoria in benedictione sit, omnibus qui legere dignabuntur: si me excitante amicum dormientem* [i], *vox turturis audita fuerit in terra nostra dicens* [k]: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi. Et post pauca. *Quomodo ego illum silere queam? Postremò tu id mihi, Abbas Congane, iniungis, reuerendus frater, & dulcis amicus meus, ac tecum pariter (vt ex Hybernia scribis) vestra illa omnis Ecclesia Sanctorum. Libens obedio, præsertim, quod non eloquium exigitis sed narrationem. Dabo verò operam, vt ea sit pura, & luculenta, deuotos informans, fastidiosos non onerans, sanè narrationis veritas secura apud me est, intimata à vobis: haud alia proculdubio protestantibus, quàm quæ certissimè comperta sunt vobis.* Hæc Sanctus Pater.

Cant. 2. k Matth. 28.

Cæterùm quod ad Malachiæ aduentum attinet, 11.
nam neque id silentio prætereundum, ne vel defunctus frustraretur optatis votis; non solùm pallia ab Eugenio Hyberniæ data, verùm, & auctas Archiepiscopales Sedes, adnitente Bernardo; & iuxta numerum Prouinciarum illius insulæ, quatuor designatas anno M.C.LII. quo euenisse constat, referemus.

---

1. *Sacrorum corporum translatio in Clarauallе.* 2. *Malachiæ sepulchrum, & vitæ epitome,* 3. *fundationes, dum vixit;* 4. *& variæ post ipsius mortem apparitiones.* 5. *Scripta,* 6. *successor.* 7. *Clarauallis translata situs:* 8. *fontis in eo ebullientis apta descriptio.*

CAPVT XII.

1. CVM Malachias in extremis iam ferè ageret, consummato ædificio noui Cœnobij, quod annis iam fermè quatuordecim perficiebatur: Venerabilia Sanctorum Patrum ossa, qui obdormierant in priori Monasterio, in die omnium Sanctorum translata sunt: præparato lapideo tabernaculo in cœmeterio, contra Ecclesiam posito, in cuius dextra parte (nam sinistra cedebat successoribus) reuerenter, & dignè collocarentur. Extat in libro sepulchrorum Claræuallis, eius translationis memoria, sub hoc tenore. *Sub ædificio, quod est contra Ecclesiam in cœmeterio Abbatum, columnis lapideis, & arcubus fabricato, in dextra parte ipsius sarcophagi, continentur ossa fœlicis recordationis Patris, & fratrum germanorum Beatissimi Patris nostri Bernardi, &c. Continentur ibidem etiam ossa Monachorum, Conuersorum, & Nouitiorum, qui in veteri Abbatia sub dicto Patre, in illis sæculis aureis, in illo magno feruore, in illa Sancta paupertate, & austeritate primordialibus vixerunt, & fœliciter obierunt. Quando pulmentum eorum de fagorum foliis sæpiùs conficiebatur, & panis non tam furfureus, quàm ferreus videbatur. Horum ossa de priori Abbatia, quæ fundata fuit in Valle quadam absynthiali, Beato Bernardo adhuc viuente, anno Domini M.C.XLVIII. die omnium Sanctorum, processionaliter cum diuinis fuerunt asportata laudibus. Cuius processionis cantum audiens Beatus Malachias, qui in extremis laborabat, plurimum extitit delectatus, qui nocte illa appositus est ad eos somno suauissimo soporatus. Die verò anniuersaria omnium fidelium defunctorum, corpore Beati Malachiæ solemniter tumulato, prædicta ossa in isto loco nouiter præsenti opera fabricato, fuerunt venerabiliter collocata. In sinistra autem parte huius sepulturæ continentur ossa Monachorum, Conuersorum, Nouitiorum, qui in hoc loco, viuente adhuc Beato Bernardo, fœliciter obierunt, quæ videlicet ossa propter ædificationem Oratorij, quod nunc est; fuerunt de prioribus suis tumulis huc translata.* Hæc vigilia solemnitatis Malachiæ: hos præcursores habuit funus Pontificis.

2. Porrò ipse sub arcu lapideo positus, superaddita lapidi inscriptione, quæ epitome vitæ contineret. Quam (recentiorem tamen, vt ego arbitror) idem etiam sepulchrorum liber conseruat. Sic autem habet. *Hic requiescit corpus Beati Malachiæ Archiepiscopi, & Primatis totius Hyberniæ, ac Sedis Apostolicæ Legati, viri Apostolicæ vitæ, & miraculis gloriosi. Hic est, qui Scotiæ, & Hyberniæ populos, homines scilicet tunc temporis barbaros, nulla coniugia ineuntes, nullas confessiones, seu pœnitentias facientes, ad Ecclesias non accedentes, nulla Sacramenta Ecclesiastica percipientes; re paganos, solo nomine Christianos, (licèt antea per Beatum Patricium ad fidem fuissent conuersi) cum maximis periculis, & difficultatibus, propulsata barbarie, & paganica consuetudine in fide Catholica instruxit, & institutis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, prout potuit, confirmauit. Monachorum insuper Cisterciensis Ordinis,*

Canonice

Canonicorum Regularium, aliorúmque Religiosorum Conuentus, per terras illas diffusiùs propagauit. Quibus, iuuante Deo; consummatis, ab vlteriori Scotia, ad Claramuallem, quam suæ mortis locum semper optauerat, suo pio desiderio Domino satisfaciente, aduenit. Vbi septimanis circiter tribus expletis, anno ab Incarnatione Domini M. C. XLVIII. ætatis autem suæ LIV. nocte, qua fit anniuersarium fidelium omnium Defunctorum, sicut semper optauit, & prædixit, singulis ab ipso benedictis, singulis manibus impositis, sæculo valefaciens, ab Angelis lætabundè suscipitur, & ciuium supernorum Beatissimo Collegio sociatur, secundùm quod Beatissimo Patri nostro Bernardo, Missarum solemnia in crastino celebranti, in ipso Missæ Canone cælitus extitit reuelatum. Cuius preces, & merita gloriosa coram Deo gratiam nobis impetrent in præsenti, & gloriam in futuro. Amen. Hactenus Epitaphium.

3. Verùm quod ait, eumdem Sanctum Pontificem, non solùm Monachorum, sed & Canonicorum Regularium construxisse Cœnobia, vltra ea, quæ præcedenti tomo commemorauimus, inuenio etiam Monasterium Sancti Patritij, Arosianæ, vt vocant, Congregationis, de quo in Ferreolo Locrio [a], recenti quidem, sed diligenti auctore, hæc scripta lego. *Monasterium Sancti Patritij, in Hybernia fundauit S. Malachias, Hyberniæ Archiepiscopus, assumptis Arosianæ Canonicis, cùm illuc iter aliquando faciens, ibidem nonnihil hæsisset, morésque, atque disciplinam Canonicorum probè explorasset.* Est autem Arosiense Monasterium Arosiensis Congregationis caput, quæ anno Christi M. C. X X I. sub Geruasio primo eius Abbate sumpsit exordium. De qua plura idem Auctor eodem loco. Vincentius Beluacensis vlteriùs addit, fundasse Monasteria Sanctimonialium: quin & numerum omnium satis ingentem. *Hic*, inquit [b], *constructor extitit quadraginta, & quatuor Cœnobiorum Monachorum, & Canonicorum, & Sanctimonialium, quibus omnia necessaria prouidebat.* Sed de his satis: nec satis adhuc constat, quo tempore Malachias Arosiam venerit, aut quando tot Monasteria ædificauerit.

a In Chron. Belg. ann. 1122.

b lib. 27. c. 103.

4. Varias post obitum Sanctissimi Pontificis apparitiones, & plures reuelationes factas de eius gloria, dicemus in tempore. At quæ hoc anno in Hybernia facta fuit Tundalo cuidam (nam id viro nomen) extra corpus, vt apparebat, triduo exanimi: qualitérque ad pœnarum loca primum, dein ad fœlicitatem Sanctorum ductus, inter alios, duos Hyberniæ Apostolos, Patritium alterum, alterum Malachiam sedentes viderit; idem qui suprà Vincentius [c] pluribus narrat, quæ longum esset in præsenti recensere. Festiuum obitum Præsulis Sanctissimi extunc in Claraualle, mox in Hybernia, & per totum Cistercium cultum, anniuersaria filiorum deuotione, approbauit Ecclesia, suscepitque, atque Romano inseruit Martyrologio, sequenti die expeditiùs celebrandum. *Quippè* (ait Baronius Cardinalis [d]) *ob commemorationem defunctorum translata est eius celebritas, in hanc diem (nempe Nouembris tertiam) qua solemnius agi posset.* Habet in Cisterciensi Breuiario officium proprium (nec dubium quin habuerit in Hybernia) sumptum ferè ex scriptis Bernardi Patris: & proprium etiam Hymnum, qui ita incipit.

c lib. 2. c. 88 vsque ad 104.

d In notis ad Martyrolog.

Malachiæ solemnia; votis, & hymnis debitis
Mater colit Ecclesia, Sancti confisa meritis, &c.

Philippus Seguinus [e], & Robertus Rusca [f], recens vterque Auctor, Sanctum Pontificem scriptoribus annumerant: ille ob libellum de communibus institutis, itémque alterum de legibus cœlibatus, atque plures epistolas: quæ tamen opera, an extent, haud satis scio: hic ob oracula quædam, seu prædictiones de Summis Pontificibus, ad finem vsque mundi successuris, quas ab Arnaldo Vvionio vulgatas [g], ipse transcribit: sed apochriphas, vt coniectari licet, nec satis sapientes grauitatem Viri Sanctissimi. Genebrardus [h] Doctissimum æquè, Sanctissimúmque appellat Beatum Pontificem, sed nullis aliis ipsius scriptis productis. Vincentius Belvacensis integram ferè vitam, ex Bernardo transcriptam inseruit suo Speculo [i]: quod alij etiam post ipsum præstitere. 5.

e In Bibliot. Cister. litter. M.

f De viris illustr.

g lib. 1. lig. vitæ, cap.

h in Chronol.

i lib. 7. cap. 103. & seqq.

6. Malachiæ in Episcopatu Dunensi successit Christianus; ille nimirum, qui primus Mellifontis Abbas creatus, quatuor ex ea propagines, quin & ex eis plures propagauerat. De eo Robertus [k] Montis hoc ipso anno. *Sanctæ memoriæ Malachias Hybernorum Episcopus, & Apostolicæ Sedis Legatus, voluntate Dei finem vitæ sortitus apr Claramuallem, sicut ipse prælegerat, & prædixerat, locum sepulturæ accepit; cui successit Christianus Abbas Mellifontis, vir plurima sanctitate præditus, qui eiusdem Sancti Viri Archidiaconus extiterat, & primus Abbas de Ordine Cisterciensi in Hyberniam, ab Abbate Clarauallis Sacræ memoriæ Bernardo fuerat destinatus.* Hinc Fiteriensis in notis ad Exordium, haud dubiè colligit, Arnoldum Vvionum [l], qui Christianum Abbatem Mellifontis in Archiepiscopum promotum fuisse, tradit anno M. C. X L. & obiisse anno M. C. X L V I I I. vix tribus verbis complexum tres errores: quod Archiepiscopum; quod eo anno promotum, quo vix dum Abbas; & quod eò obierit, quò electus. Addere potuit quartum adhuc maiorem, quod horum omnium auctorem Bernardum faciat: cùm potiùs omnia ex ipso conuincantur: quæ etiam ex parte adnotauit Hugo Menardus [m]. Ab hoc Christiano diuersus fuit alius in Hybernia Episcopus, in Claraualle non minùs educatus sub Sancto Patre; vt constat ex Abbate Bonæuallis Bernardo, qui vtriusque meminit. *In Hybernia* (ait) *duo Episcopi, re, & nomine Christiani.* Vtrum autem hic idem ipse fuerit, de quo ex Bernardo epist. C C C. X V I I. Superiùs egimus.

k lib. 1. c. 40.

l lib. 1. lig. vitæ, c. 4.

m lib. 1. Obseruatio. Mart. 18.

egimus, non audeo definire. Vtriusque acta, vt aliorum, perierunt, præter pauca inserenda propriis locis: Vtrumque inter viros sanctitate illustres Cistercij numerant Ioannes Abbas, Martyrologium Monasticum, Menologium, & alij Recentiores.

7. Cæterùm quia de translatione Domus semel diximus, quam his diebus factam æquè probauimus: noui ædificij situm, atque officinas irriguas Alba flumine, & suis vsibus singulas aptatas, videre qui volet, legat Hypographem, siue descriptionem Claræuallis; ab Anonimo Auctore conscriptam (nec sine sale) quæ inter opera Bernardi circumfertur. Ibi molitoribus, pistoribus, fullonibus, atque id genus aliis artificibus opportunas mansiones: Ibi pomaria, hortus, prata, & syluas, quin & ingentia stagna, diuiso in partes fluuio, Lector inueniet, quæ vel legentem valeant delectare.

8. Nos hîc de fonte tantummodo dicemus, qui ante absorptus, mediis claustris ebullit, cum emerserit, statim absorbendus. Sed præstat eum ex Auctore ipso describere. *Hic ergo fons (quod boni fontis esse fertur indicium) tabernaculo paruo, & pulchro cooperitur, & clauditur, ne vndecumque sordes admittat. Vbi eum mons euomit, vallis deglutit: & in loco, quo oritur, eodem quasi moritur, quin & sepelitur. Sed ne expectes signum Ionæ Prophetæ, vt tribus diebus, & tribus noctibus delitescat absconditus: statim ad mille passus intra claustrum Monasterij, quasi de corde terræ resuscitatus progreditur, & quodammodo redivivus apparet, visui tamen, & vsui fratrum se offerens, ne cum aliis quàm cum Sanctis sors illius à modo sit futura.* Hæc de isto fonte: quæsito à Monachis, an ipsos quæsituro, incertum adhuc: certè mirabili, adeóque nec silentio prætereundo. Ædificia in forma communi Ordinis, in spatio, pro numero fratrum, quos ad septingentos sub Bernardo creuisse, infrà dicemus. Nunc reliqua huius anni prosequamur.

---

1. *Arnaldus Clerum factiosè inter se diuidit:* 2. *cui malo Eugenius per epistolam ad Clerum,* 3. *mox ad Archipresbyteros, obuiat.* 4. *Nec tamen sufficit.* 5. *Nicolaum Cardinalem in Daniam legat.* 6. *Gesta per ipsum,* 7. *& dictum de Eschilo.* 8. *Genuenses Dertusam Hispaniæ vrbem,* 9. *quin & Guillelmus Monpesulaneus fæliciter expugnant,* 10. *Eugenij monitis.*

CAPVT XIII.

1. INTEREA Arnaldus quem suprà memorauimus, audacior ex sceleribus: & qui plerumque Nouatorum mos, quo longiùs ierint, violentiùs præcipitari: qui in Clerum hactenus populum armauerat; iam Clerum commouebat contra seipsum: & Capellanos ministros Ecclesiarum, quæ Cardinalibus cesserant in titulum, ab eorum obedientia; reliquos, ab Archipresbyteris exemptos, iure, an iniuria efficiebat, dum prædicabat. Neque enim difficilis persuaderi error, vires sumens ab ipsa libertate. Itaque Eugenio, cùm Brixiam peruenisset, transcensis Alpibus, huic primùm damno obuiandum impensè fuit. Quod vt efficaciùs, & exactiùs consequeretur, talem ad Clerum Vrbis scripsit epistolam [a].

[a] apud Baronium hoc anno.

2. *Eugenius Episcopus, vniuerso Romano Clero, vt Capellani promittant obedientiam Rectoribus titulorum.*

Fallax, & inuidus humani generis inimicus per Arnaldum schismaticum, quasi per membrum proprium, hoc effecit, vt quidam Capellani vnitatem Ecclesiæ, quæ sectionem non patitur, quantum in eis est, diuidentes, ipsius Arnaldi sequantur errorem: & Cardinalibus, atque Archipresbyteris suis obedientiam, & reuerentiam promittere, & exhibere debitam contradicant. Ne igitur vires dare præfati schismatici prauis actionibus per silentium de cætero videamur, per præsentia vobis scripta, mandamus, atque præcipimus, quatenus præfatum Arnaldum, tanquam schismaticum modis omnibus deuitetis. Quod si aliqui Clerici; Dei & Sanctæ Ecclesiæ contemptores, eius errorem post præsentium acceptionem sequi præsumpserint: scire vos volumus, quia tam officio, quàm beneficio Ecclesiastico reddemus eos penitus alienos. Datum Brixiæ Idibus Iulij.

3. Hæc Sanctus Pontifex ad Clerum Romanæ vrbis. Verùm ad titulorum rectores, ne desisterent, sed per monita prius, mox per censuras coërcerent rebelles, promisso auxilio Sedis Apostolicæ, litteras alias dedit in hunc tenorem.

Ad Archipresbyterum tituli S. Marci.

Super controuersia obedientiæ exhibendæ, quæ inter vos, & capellanum de Pinea agitari dignoscitur: Ecclesiæ S. Marci prospicere cupientes, per præsentia vobis scripta mandamus, quatenus eum districtiùs moneatis, vt secundùm antiquam, & rationabilem consuetudinem, vestræ Ecclesiæ obedientiam promittere nullatenus contradicat. Si verò vestris monitis super hoc obedire contempserit, sententiam, quam in ipsum, & præfatam Ecclesiam de Pinea iustè tuleritis, nos, auctore Deo, ratam habebimus.

His Præsul vigilans zizaniam, dum serpebat, extirpare conatus. At non potuisse omnino eradicare; argumento sunt similes litteræ, ab Adriano Papa quarto, nec dissimiles ab Alexandro tertio datæ, quas Baronius [b] adducit. Adeò faciliùs virus propinatur, quàm reuocetur. Vt vix tres summi, sanctique Pontifices euulsisse suffecerint, quod Apostata vilis seminauisset. 4.

[b] Annis sequentibus.

Hoc ipso anno, Nicolaus natione Anglus, qui ex seruulo Monasterij Sancti Rufi, quò pauperum parentum angustias fugiens, in puerili adhuc ætate venisset; ad Cardinalitium ascenderat, Eugenio post in sede successurus; licèt non immediatè: is, inquam legatiæ suæ insistens, seu mauis appellare Apostolatum, ad quem ab Eugenio assumptum fuisse diximus, in Daniæ partibus Concilium celebrauit; à Seuerino Vinio omissum, qui tamen solitus minutiora connumerare. Ioannes Olaus [c] de ea legatione, & Concilio, atque gestis Nicolai, hæc habet. *Effecit Nicolaus ea legatione, vt apud Noruegianos Archiepiscopalis sedes, cum plenitudine Pontificiæ potestatis erigeretur: quod* 5.

[c] lib. 18. cap. 17. & 18.

quod etiam anno Christi M. C. XLVIII. apud Suecones, celebrato Lincopia Concilio prouinciali, peragere cupiens, Gothis, & Suecenibus, de vrbe, & persona, tanto muneri idonea concordare nequeuntibus, spe sua frustratus abscessit; ordinato prius Sancto Henrico Episcopo Vpsalensi. Hæc de factis, infectisque in hac legatione.

6. Ast quid deinceps idem Nicolaus, pro eiusdem Archiepiscopalis Sedis erectione, prouiderit, nullo licèt sequuto maiori fructu, idem Auctor [d] subiungit paulò inferiùs. *Proinde* (ait) *Nicolaus ne ea legationis sua parte in toto frustraretur, Pallium Archiepiscopalis dignitatis apud Eskyllum Lundensem Archiepiscopum deposuisse dicitur, vt illi conferret, quem Gothi, & Suecones conformibus suffragiis elegissent. Sed nullus Sueorum Archipræsulum hactenus inuentus est, qui se Lundensi Pontifici, in accipiēdis Archiepiscopalibus iussionibus, submittere sustinuerit. Et illa titularis dignitas, si quando concessa fuit, in Eskyllo extincta euanuit.* Hactenus ille. De qua etiam legatione Saxo Grammaticus [e], & alij antiqui Auctores scripsere.

d Vbi suprà.

e Dania libro 14.

7. Hic ille Esxyllus magnus de quo inferiùs, cùm Claramuallem ex Dania deuotus veniret, Bernardum Patrem, quasi à finibus terræ, visitaturus. Sed longè plura, cùm post Sancti obitum, deposita Archiepiscopali dignitate, deposita totius Daniæ Primatia, iterum redeat, monachum induiturus, non sine totius Orbis admiratione.

8. Hoc ipso anno Genuensium classis, quæ expugnata Almeria anno præterito, ad Cataloniæ portus hyemauerat, nempe detenta à Comite Raimundo, Sarracenos trans Iberum dispersos oppugnatura; armis victricibus Dertusam subiugauit, hodie *Tortosa*; non sine sui, & Christiani nominis gloria. Pacta conuenta Comitis cum ipsis, atque eiusdem Dertusæ expugnationem Ioannes Mariana Hispanus [f] ita describit *validam Genuensium classem, qui mari eà tempestate latè dominabantur. Raymundus Barcynonensis nactus, paciscitur, vt in reditu* (scilicet ab Almeria) *operam aduersùs barbaros, qui Aragonia partem, & Baleares obtinebant, sibi nauarent; tertiam eorum, qua bello quæsita essent, illis redditurum pactus. Præterea in singulis oppidis, qua capta essent, Genuensibus templum, forúmque proprium: Denique negotiatoribus vectigalium immunitatem fore, Hoc præsidio, hísque opibus, Dertusa vrbs nobilissima expugnata est: qua quoniam ad ostium Iberi sita est, subuectionibus ex mari, atque commercio commodissima erat. Atque hæc sequenti anno gesta sunt.* Nempe M. C. XLVIII. nam centesimum quadragèsimum septimum supra millesimum scribebat in eo loco.

f lib. 11. c. 18.

Addit Iustinianus [g] in hoc eodem bello affuisse Raimundo insignem pietate, & armis virum, nec potentia inferiorem, Guillelmum Comitem Montis-pesulani, quem à parta Victoria, relicto sæculo, spretis opibus, & gloria temporali, Monachum induisse in Grandi-sylua, sequenti anno, quo euenit, commemorauimus. Porro Dertusæ paganos, quantumuis barbaros, disciplina militari adeò instructos; vt ea simul, & vrbis situ freti, obsidionem per multos menses protraxerint, nec tandem ante Vigiliam Sancti Syluestri, hoc est, in fine anni, pulsi fuerint, infra octauam Natalis Christi Domini. 9.

g lib. 2. ad hunc ann.

Cæterùm hanc Victoriam deberi Eugenio, cuius litteris non solùm generalibus; verùm & specialibus Genuenses permotos adstitisse Raimundo, testatur Diagus in historia Comitum Barchinonensium [h], litteris etiam productis ex Tabulario Terraconensis vrbis, quæ ita habent. 10.

h lib. 2. c. 52.

Eugenius Episcopus seruus seruorum Dei, cunctis fidelibus, ad quos præsentes litteræ peruenerint, salutem, & Apostolicam benedictionem.

Quapropter vos per hæc Apostolica scripta rogamus, monemus, & exhortamur in Domino, vt viriliter accingamini ad bellum contra infideles inimicos Crucis Christi: nec dubitetis ire cum nobili viro Raymundo Barchinonensi Comite, &c. Datum Signia, decimo Kalendas Iulij. Vt clarè liqueat inter generales, quarum supra meminimus, antequam Pontifex in Gallias pertransiret; has etiam speciales datas fuisse: quibus negotia fidelium in Hispania, maximè in Tarraconensi tractu, promouerentur.

---

1. *Conradus ex Abbate S. Crucis, præficitur Ecclesia Patauiensi.* 2. *Eugenij litteræ, atque alia quædam in Belgio.* 3. *Gaufridi, primi Claromariscensis Abbatis, Sancta mors.* 4. *& Galgani natiuitas.* 5. *Alnenses, Monachos à Bernardo Patre petunt.* 6. *accipiúntque,* 7. *& quos? dictum de Vuerrico.* 8. *& de Vualtero.* 9. *& proposita de illo difficultates:* 10. *miracula,* 11. *& exemplum de Confessione.* 12. *Sanctitas, atque alia remissiuè.*

Caput XIV.

1. Svb idem tempus Conradus, dictus iunior, Conradi Imperatoris frater Vterinus, Friderici patruus, Henrici IV. nepos, V. sororius, Sancti Leopoldi Marchionis Austriæ Filius, Ottonis Frisingensis præsulis frater, quem in Abbatem Sanctæ Crucis Austriæ, Monasterij à Parentibus fundati, ex Monacho eiusdem domus promotum diximus: meritis magis, quàm genere exigentibus, in Episcopum Patauiensem electus est, quod Vvigulæus Hundius tradit in Cathalogo Patauiensium Episcoporum. *Conradus* [a] *iunior filius Leopoldi pij Marchionis Austria, ex Agnete, Imperatoris Henrici IV. filia, longè pulcherrima; germanus frater Ottonis Episcopi Frisingensis, ex Sancta Crucis Austria Abbate, eligitur Episcopus Patauiensis anno M. C. XLVIII. præfuit annis XVI.* Hæc de viri illustris promotione. Atque de promoto ipso paulò inferiùs. *Fuit hic Princeps egregiè doctus, & Deum timens: iustitia fautor, & defensor summus; pauperum nutricius memorabilis. Qui Sancti Ægidij Xenodochio Patauino denariorum, & prædiorum plurimum tradidit*, &c. Henriquez [b] in suo Menologio, priusquam Patauiæ, præsedisse Frisingiæ Conradum putat, nullo probabili, aut firmo fundamento; & reclamante Episcopatu fratris, & tota eius historia, de qua nemini licet dubitare. Cæterùm, quæ Conradus plura Pataūij gessit, viro atque historia

a Episcop. 39.

b August. 13.

historia digna; quot pro Ecclesia pertulerit labores, & quas persequutiones à Frederico; demùm qualiter circa annum Redemptoris M. C. LXIV. in Archiepiscopum Salizburgensem promotus sit, suis temporibus, ex more commemorabimus.

2. Hoc ipso anno Vedastini in Belgio Monachi, aduersùs Godescalcum Attrebatensem, qui eorum priuilegia vellet infringere; Godescalcus à Duacenis ciuibus in ipsum rebellantibus, ab Eugenio protecti, litteris datis, quas Ferreolus Locrius ad litteram adducit in suo Chronico [c], nec nobis in præsenti vacat transcribere. Caricampenses, qui dudum recens nati fundatorem amiserant; quod vnum eis relictum in eius coniuge, amisere solatium; Beatrice Comitissa vidua mortua, atque ibidem sepulta iuxta maritum: ita idem Ferreolus Locrius ad hunc annum. *Beatrix*, ait, *Hugonis Sancti Pauli Comitis vidua viuere desiit, in mediáque Caricampensis Ecclesia naui sepelitur: superiniecto exiguo marmore, in quo taliter incisum est.*

c ad hunc ann.

Hic iacet Beatrix vxor Domini Hugonis Campus-auenæ. Orate pro ea.

Ferunt Hugonem maritum, qui anno M.C.XLII. obiit, iuxta esse sepultum. Hactenus ille, ex Monumentis Ecclesiæ Caricampensis.

3. Eodem anno Venerabilis Gaufridus Clarimarisci in Artesia primus Abbas, quem ex quarto Priore Claræuallis sub Beato Bernardo promotum superiùs diximus, fœliciter consummatus ad cælos migrat, succedente Guillelmo, quod idem Locrius, & Iperius [d] testificantur. Porrò hunc Gaufridum, Gunfridum Seguinus vocat [e], atque inter Sanctos illustres Cistercij numerat. Sed de quo præterea, quæ iam diximus, pauca atque generalia pro suo more; quamuis extare asserat, antiquam M. S. ipsius vitam *Gaufridus* (ait) *claro sanguine ortus, Monachus, & Discipulus Beati Bernardi Clarauallensis, vir totius religionis exemplar, & decus; vita, & conuersatione praclarus, humilis, doctus, & verus obedientia filius, à Sancto Bernardo in Flandriam cum duodecim aliis fratribus missus, primus Claromarisci Monasterij in territorio Morinensi institutor fuit; in quo maxima sanctitate emicuit, sicut in eius vita M. S. legitur.* Hæc ille. Memoratur Gaufridus in Menologio ad vigesimam octauam diem mensis Nouembris.

d ad hunc ann.
e lib. 3. c. 111.

4. Hic item annus fausta Sancti Galgani natiuitate, in Italia, Cistercio insignis fuit. Quippè, cui iam tunc magnus ille puer, & numquam non miraculosus, destinabatur. Natus est autem Archangeli Michaëlis, quem vitæ ducem habiturus erat, intercessione. Nam parentes, Guidotus de Guidotis, Dionysiáque, principio steriles; & iam penè de prole desperantes, vt fructum Matrimonij consequerentur, quem diu peroptassent, totius fœcunditatis fontem, Deum, adiere, & Michaëlem, cui se totos deuouerant, ad Deum appellarunt intercessorem. Ergo diuinæ gratiæ multò veriùs, quàm naturæ, aut suorum parentum, filius, Galganus prodiit, obstetricante (si ita fas est loqui) Sancto Archangelo, cui, ex tunc fœtus cura commissa fuit. Hæc satis nunc, ex Gregorio Lombardello [f], qui eius vitam scripsit; notando fausto, & fœlici anno natalis Beati Viri, tandem in morte Cistercium illustraturi; reliqua prosequemur, cùm illustrabit.

f cap. 1.

Sub finem anni, cùm iam fructificante Bernardi verbo, atque Henrici Leodiensis Præsulis cura, Canonici Alnensis Monasterij, ad perfectioris, & Sanctioris vitæ frugem, & regularia instituta Cistercij transire vellent, Monachos sibi petierunt ex Claraualle, per quos leges, & mores austeriores, atque Ordinis disciplinam edocerentur. Nec abnuit Sanctus Pater magistros dare his, quos discipulos, dudum præoptauerat. Cæterùm, quia insigne Monasterium, ferè biennio à Bernardo sollicitatum, hoc tandem anno nostris additum est; quæ de eo pauca in præcedenti tetigi, hîc rursus latiùs, atque altiùs repetito principio, dicenda erunt. *In ditione Leodiensi* (ait Aubertus [g] Miræus in suo Chronico) *celeberrima est Abbatia Alnensis. De cuius Cœnobij conditore veteres inter se dissentiunt scriptores. Fulcuinus Abbas Laubiensis in Chronico suo tradit, à Sancto Vrsmaro Episcopo, & Abbate Laubiensi Monasterium in Alna constructum esse, & Laubiis subiectum. Philippus ab eleemosyna, Abbas bona spei in historia vita Sancti Landelini, aliísque passim, hanc gloriam Beato Landelino, ex pradone, per Sanctum Aubertum Cameracensem Episcopum, ad Christum conuerso, attribuunt. Idem, constans traditio, apud Alnenses per manus veluti accepta, & monumenta Alnensia loquuntur: ex quibus nos ipsi, cùm Alna essemus, ista hausimus. Abbatia Alnensis inchoata est à Sancto Landelino, & constituti sunt ibi ab eo Clerici communis vita dicti; qui ibidem habitarunt vsque ad annum Christi M. C. XL IV. Quo quidem anno, Alberone II. Episcopo Leodicensi auxiliante, & Radulfo Abbate procurante, pradicti Clerici habitum Canonicorum regularium Ordinis Sancti Augustini susceperunt. In quo Ordine annis tantùm quatuor permanserunt, vsque ad annum M. C. XLVIII. quando per Beatum Bernardum, opera, & auxilio Henrici II. Leodicensis Episcopi, translati sunt ad Ordinem Cisterciensem; & anno eodem, mense Decembri, missus est hùc Conuentus Monachorum ex Claraualle.* Hactenus Miræus, ex monumentis antiquis eiusdem domus. Porrò quoad Beatum Landelinum attinet, confirmare videntur versus quidam, in ipsis Monasterij foribus incisi lapidi, qui obiter assignant rationem nominis. 5.

g Cister. ad hunc ann.

Has Landelinus sedes erexit, & Alna,
Imposuit, tractum vicinis, nomen, ab Alnis.

Ab Alnis (inquam) id est, ab Arboribus, vulgò *alamos negros*, quibus is locus densus, atque opacus. *Est enim Alna* (idem Miræus ait) *potens, atque nobilis Abbatia, ad Sabim fluuium, medios inter montes, densásque syluas posita, milliari ferè vno à Tudinio, ditionis Leodiensis oppido, cui vicinum est Laudiense Benedictinorum Cœnobium.*

Quot Monachos Bernardus Pater miserit radicandis in eo Monasterio Cistercij legibus, in dubio est. Narrat Cæsarius cum aliis designatis, missos, & illos Canonicos Leodienses, qui præcedenti anno voce ab alto diuinitus audita, prædicatione Sancti conuersi, atque ab eo ad Claramuallem deducti sunt; Non dissimili de cœlo facto oraculo: sed ipsum nos loquentem audiamus [h]. *Sequutus est iam factus Clericus (scilicet, qui audiuit priorem vocem: exi, & audi: Euangelium reuixit) Sanctum Bernardum, cum socio suo Vualtero* 6.

h lib. 1. Dialog. c. 6.

ad Claramuallem; factique sunt ibidem ambo Monachi. Contigit per idem tempus vt Conuentus à Claraualle mittendus esset in Alnam, Monasterium fratrum regularium, eo quòd iidem fratres reddere se Ordini consensissent. Habebat autem sæpè dictus Leodiensis magnum desiderium eundi cum fratribus ad ipsum locum, sed timuit dicere Patri, verens ne fortè deputaret leuitati. Conuersúsque ad Dominum orauit, quatenus sibi reuelaret, quid facere deberet, & facta est vox ad eum: Pete, quod vis, & fiet tibi. Tunc accedens ad Abbatem suum, audacter; dixit: Pater, si esset voluntas vestra libenter irem cum fratribus istis, & respondit, vade cum eis in nomine Domini. Missúsque est tam ipse, quàm Vvalterus, cum nouo Conuentu in Alnam. Hactenus ille.

7. Ergo hi duo cum aliis missi à Bernardo, quod etiam Aubertus Miræus extractum ex tabulariis eiusdem domus testificatur. Verùm quod addit Vvericum etiam Priorem (de quo inferiùs) cum eisdem transmissum, cum ex eiusdem Vverrici actis constet [i], obiisse ab ortu Christi Redemptoris anno M.C C. X V I I. difficile apparet. Quamuis non negem fieri potuisse; si vicenarius, aut circa ex Claraualle prodiens, ad nonaginta vsque annos vitam produxit. Vtcumque fuerit, præter plures, quos infrà referam, sanctitate floruerunt in hoc Cœnobio ex primis patribus, qui ipsum habitarunt, tres isti viri, Vvericus, Vvalterus, & Canonicus ille innominatus, qui primam de prædicatione Bernardi vocem audiuit, clari miraculis, clari reuelationibus; sed multò magis meritis præclari; fuerúntque omnes successiuè Alnæ Priores. Nam Vvalterum Priorem Alnæ primum, vita eius M. S. satis ostendit, ex qua se Arnoldus de Rayse hausisse perhibet: de Anonimo Canonico Leodiensi tradit Cæsarius [k], quod *Non multo pòst factus est Prior in eodem loco.* Scilicet Alnæ; & de Vverrico satis compertum est, & nos plura in sequentibus dicemus.

i apud Arnoldum de Rayse Decemb.

k lib. 1. c. 6.

8. His tribus Prioribus Alnæ, Viris Sanctis, quantum sub coniectura addere licet. Nam Vvalterus, qui primus Prior dicitur, alius ab eo videtur, quem Bernardus, & conuertendum prædixit, & conuersum secum traxit ad Claramuallem. Quippè, qui superuixit socio Canonico, quem senio fractum abdicasse ante mortem Prioratum Cæsarius [l] refert *Factus verò Grandæuus* (ait) *cùm propter corporis debilitatem ad Prioratum non sufficeret, laborem Marthæ commutauit in quietem Mariæ. Vouit enim Deo, vt singulis diebus psalterium ex integro decantaret, sicque virtutibus plenus migrauit ad Dominum coniunctus cœtibus Sanctorum Angelorum*, & subdit. *Vvalterus compatriota eius, hæc quæ dicta sunt, Domino Henrico Abbati nostro recitauit, & ipse mihi.* Ergo fortassis liceat coniectari primum Priorem non hunc Vvalterum; sed eius socium, cognatúmve, Vvalterum etiam dictum, ætate prouectiorem: qui iuueni resignasse voluisset Canonicatum; cuique ex ætate, & frequentibus diuinis consolationibus, quamuis recens conuerso, meritò præfectura committi posset. Maximè asserente de eo Cæsario. *Quod non multò pòst (scilicet, postquam missus est in Alnam) factus est Prior in eodem loco.*

l Vbi suprà.

9. Sed & in hoc se offert difficultas, haud ita facile à nobis expedienda: Nempe, quod Vvalterus primus Prior. *Priusquàm in Alnam* (sic habent acta eius, quæ Rayse [m] adducit) *in Normaniam ad quamdam Abbatiam missus est, ibi vigiliis, & orationibus totus intentus, admonetur Diuinitus futurum, vt Libertus frater eius Cisterciensium Ordinem ingrederetur. Vnde lætus mirum in modum, gratias Diuinæ bonitati, eò maiores retulit, quò de prædicto fratre plus erat solicitus; quod inter reliquos fratres vita, & moribus valdè foret dissolutus.* Hactenus acta, quibus standum, præ cunctis aliis. Vix autem potuit, ex vno ad alium annum probationem explere, & post expletam, consecrari solemni voto: tum in Normaniam primùm ex Claraualle; dein Leodium mitti, maximè cum sonare videantur actorum verba aliquod in Normania tempus egisse. Vt non immeritò videatur posse deduci sub his initiis in Alna non tres tantùm, sed plures adhuc Priores extitisse claros miraculis, atque variis illustres reuelationibus.

m Vbi suprà.

Certè Vvalterum, qui ex Normaniæ cœnobio in Alnam veniens, primùm ibidem Priorem egisse dicitur; multis in vita, post mortémque claruisse, eius Acta testantur, quæ Anonimus Author, sed antiquus, atque ipsi coæuus scripta reliquit. Inter quæ illa specialiùs eminere, quia minùs frequentia: quod tres Monachos, a mente prorsus alienos, mentis effecit compotes, atque rationis perfecto vsu donauit. Visum oculis corporis dedisse inter ingentia; oculis animæ, si naturæ partem inspicias, summum fermè miraculum apparet. Sed & militem quemdam Vvalterum, dictum de Fontanis, vulneratum ad mortem, sed multò magis peccatorum vulnere saucium, vtrique pariter sanitati restituit; & restitutum ad Cistercium traxit, exemplo Christi Domini, qui quorum corpora à morbis eruebat, sanabat animas; & priùs quidem tanquam pretiosiorem, spiritualem vitam, mox materialem salutem erogabat. De hoc eodem Vvaltero primo Priore, *multis aliis, diuersísque miraculis, & reuelationibus clarum ex hac vita migrasse*, Arnaldus Rayseus [n] tradit ex ipsius Actis. 10.

n Decemb. 5.

Cæterùm de Canonico Leodiensi, cuius nomen intercidit, qui & Prioris officio in Alna functus, inter Sanctos Cistercij memoratur, quæ Cæsarius eiusdem temporis ferè Author memoriæ prodit, quia nullum aliud certius tempus habent; hîc consequenter censui transcribenda: loquitur autem de ipso dum esset Prior [o]. *Die quadam, cùm ei vnus Monachorum de confessione signum faceret, ille, eo quòd Sextam Dominæ nostræ psalleret, innuit ei, vt modicum expectaret; interim pulsata est Sexta, & intrauit chorum vterque. Stante Priore in stallo suo, Angelus Domini, vt postea patuit, in figura & habitu eiusdem Monachi, quasi facturus confessionem ad pedes Prioris se prostrauit, quem cùm leuare vellet, disparuit, & reuersus in se Prior intellexit Angelum fuisse Monachi confiteri volentis, & confessionis repulsam sibi quodammodo improperantis.* Et post pauca. *Expleta hora Canonica, Prior vocato ad se Monacho, dixit ei: modò fac confessionem tuam; cui cùm ille respondere: bene expectabo Domine vsque in crastinum; in hæc verba prorupit: hodie non gustabo, nisi audiam confessionem tuam: erat enim hora prandij, & acquieuit ille. Ex illa hora Prior Deo promisit, quia nulla eum occupatio, nulla occasio, non inceptio psalmi, nec Officium genitricis Dei Mariæ, ab audiendis confessionibus abstraheret, cùm signum confessionis videret.* Hactenus ex Cæsario. 11.

o lib. 1. c. 6.

Henriquez

12. Henriquez Vvalterum Priorem Alnæ Menologio inseruit, ad XXVI. diem mensis Nouembris; docétque produxisse vitam vsque ad annum M. C C. ex Cathalogo Alnensium sepulchrorum. Verùm ipse non de primo loquitur; sed de alio Vvaltero, qui fortè primo successit in Prioratu, de quo nos suo loco plura ex Cæsario. Atque hæc nunc satis de Monachis hoc anno in Alnam missis à Beato Bernardo, qui & Venerabilem Franconem, virum egregiè eruditum, piúmque in Abbatem præfecit nouæ familiæ. Præfuisse dicitur [p] vsque ad annum M. C. XLIV. nec quid aliud de eo certum habemus. Nunc fundationes pandendæ præsentis anni: sed ante alias, quæ cum Sabigniaco Cistercium suscepere Domus, narrandæ erunt.

p apud Henriq. in fascic. lib. 1. dist. 4. c. 10.

---

1. *De Bellobeco* 2. *& exemplum eiusdem Domus.* 3. *Valles-Sarnay, Calocheium, Furnesiúmque.* 4. *De quo obiter plura.* 5. *Fulcardi mons, Sanctus Andræas, & Neth, seu Netha.* 6. *Bugeria, Alnetúmque,* 7. *Carretia, & de Fontanis Albis, cum Vemara, & Longum-Villare.* 8. *Straforda, Bilde-vas, Bucfestria, & Coggeshalem.* 9. *de Bella-landa,* 10. *latè ex Neubricensi,* 11. *& de Rogerio, & Guillelmo eius Abbatibus.* 12. *Quid vetus Villa, Barbereiúmque.* 13. *Demum octo neptes Sabigniaci,* 14. *& clariùs, quàm antea de Stanleia.*

CAPVT XV.

1. PRIMA Sabigniaci filia Bellus Becus, Gallicè *Beaubec* cuius mentio in iure, in cap. *Gratum* de officio, & potestate iudicis delegati: & in cap. *Cum* causam 62. de appellation. Normaniam occupat in Rotomagensi Diœcesi, in qua etiam notatur in libris Cameræ quadringentorum florenorum, præfixa taxa. Robertus Claudius [a] fundatam domum tradit anno salutis M. C. XXVII. nulla prorsus mentione fundatorum. Itaque mansit sub instituto Sauigniacensi annos viginti, & vnum: post quos cum matre suscepit Cistercij leges. In additis ad Exordium magnum, refertur exemplum, quod, quia conuentus commendat sanctitatem; atque efficaciam fidei precúmque, & alias fixum tempus non habet, ne prorsus omitterem, hîc censui inscribendum. Est autem tale.

a In Gallia Christi.

2. *Conuersus* [b] *quidam de fratribus Bellibeci, quod est Cœnobium Cisterciensis Ordinis in Normania, cùm iam morti proximus esset, monebant eum fratres, vt sacram communionem acciperet. Quod ipse vehementer abhorrens, pertinaci animo recusauit. Laborantes itaque fratres per vnius ferè diei spatium, vt hoc ei persuadere possent. Cum suam industriam nihil in hac arte praualere cognoscerent, communi consilio decreuere spiritalem in Conuentu facere orationem. Congregati itaque in Ecclesia cuncti, multiplicatis Litaniis, & Psalmis, in fletu, & planctu, Deum exorabant, vt periclitantem animam illam de profundo malorum eriperet; non eam in tali damnatione aliquatenus mori permitteret. Expleta autem oratione clamare cœpit infirmus & dicere: Eia fratres, succurrite, quæso, succurrite citiùs, & afferte Dominicum Sacramentum; ne fortè iterum partes aduersæ me inueniant imparatum. Hîc namque aderat modò ingens Dæmonum turba, à quibus vndique pressus ita coarctabar, vt nullum, suggerentibus, possem dare responsum de salute mea. Ecce interim fratres nostri, tam Monachi, quàm conuersi in vnam aciem conglobati, cum magno impetu super Dæmones irruerunt, & singuli singulos inuadentes in manu potenti, & brachio excelso omnes penitus expulerunt; & me per Dei misericordiam liberarunt. Hæc audientes fratres gaudio magno gauisi sunt; & abeuntes in instanti sacrosanctum Domini Corpus ei exhibuerunt. Ipse verò compunctus, ac pœnitens, cum ingenti reuerentia communicauit, & protinus in bona confessione spiritum emisit.*

b In additis §. 54.

Secunda filia Sauigniaci Vallis Sarnay, siue Vallis Sarnyensis, in Parisiensi Diœcesi, quam libri Cameræ Vallem-Sarcium vocant, & ducentorum florenorum taxa perstringunt, memoratur in litteris Innocentij Papæ IV. *Ad Abbatem Monasterij Vallium Sarnay Cisterciensis Ordinis, Parisiensis Diœcesis, Pontificatus ipsius anno quarto.* Memorabitur & nobis satis frequenter in sequentibus Tomis; tam occasione Petri Valsarniensis, qui Albigensium historiam (præsens & ipse cunctis) concinnauit, & Guidonis Abbatis, postea Episcopi Carcasonensis, qui eiusdem historiæ, ac gestorum à nostris contra Albigenses, magna pars fuit, quam sanctissimi Abbatis Theobaldi, qui eam Domum rexit pluribus annis; & tandem multis miraculis illustris ex hac vita migrauit, à partu Virginis anno bis centesimo quadragesimo septimóque supra millesimum. Tertia Sauigniaci filia Chalocheium, vel Calocarium Andegauensis Diœcesis, vt notat Robertus, & genesis Ecclesiarum Claræuallensium. Fundatores habuit Hugonem, Baronem de Mathefelon, eiúsque vxorem Ioannam de Sable, cum filio Theobaldo: à quorum etiam filiis, & nepotibus, possessiones accepit, vt habent Notitiæ Ecclesiarum Cisterciensium, nuper excussæ. Quarta Furnesium in Anglia Eboracensis, de quo Cœnobio, & eius fundatione Nicolaus Arpsfeldius [c] ita scribit. *Ortum est, regnante Stephano, imo eo authore, & Duce, sumptúsque, & possessiones suppeditante, Furnesium in hac Diœcesi Cisterciensium Cœnobium, in Comitatu Lancastria.* Cisterciensium, inquam, ab hoc anno, nam primò constat adscriptum Sauigniacensibus. 3.

c Sæcul. 12. c. 43.

4. Cæterùm de Furnesij fundatione, primordiísque, & transitu ad Cistercium, Clemens Reinerus, in Apostolatu Benedictinorum Angliæ, paulò distinctius. *Anno Domini M. C. XXVII. Nonis Iulij, à fundatione verò Sauigneij anno XV. Pontificatus Honorij II. anno secundo; Regni autem Regis Henrici I. anno XXVI. fundatum est Monasterium Furnesij, per nobilem virum Comitem Meritolij, & Bolonia, in loco Vallis, quæ tunc Bekangul vocabatur. Fundatum autem erat de Ordine Sauigniacensi, id est Tironensi, sub regula S. Benedicti, cuius Ordinis professores Monachi fuerunt (vt in libro quodam de vetusta littera reperi) & eorum habitus grisei coloris erat, deinde sequuntur nomina*

nomina Abbatum successiuè ; & ponitur quartus Abbas Petrus Eboracensis. Tempore huius Venerabilis Abbatis, Serlo Abbas Saugniy reddidit in capitulo generali domum suam Saugneij (quæ est materia domus Furnesij) cum filiabus suis de Ordine Tironensi ad ordinem Cisterciensem, in manus Sancti Bernardi, tunc Abbatis Claraualensis. Ita Reynerus, ex quo obiter colliges Tironensem, & Sauigniacensem eumdem Ordinem, qui ad Cistercium hoc anno transmeauerit.

5. Sequitur Fulcardi mons Rotomagensis, id est in eadem prouincia, Diœcesique cum matre Sauigniaco. Hanc libri taxarum Beato Euangelistæ Ioanni adtitulant, quinquaginta florenorum præfixa taxa. *Sancti* (ait) *Ioannis Euangelista de Fulcardi monte. Floren. L.* Fundatores habuit Comites de Eusy: à quorum filiis Radulpho, & Ioanna vxore, filia Odonis 3. Burgundiæ Ducis, illustrata Abbatia circa annum Christi 1124. atque plurimis aucta possessionibus, excepit ipsos, atque nepotes sepulchro. Inuenio memoratam eamdem domum in litteris Innocentij Papæ III. Abbati ipsius, simul & Frigidi montis delegata in sacrum Præmonstratensem ordinem, atque in eius Abbatem iurisdictione: Pontificatus ipsius anno septimo, de qua sequenti tomo. Itémque in litteris Gregorij Papæ IX. Pontificatus X. vt præsideret electioni Abbatis Sancti Vedasti, super quæ nimium inter Monachos illius contenderetur. Latiùs in litteris Vrbani Papæ IV. quæ suis locis venient recensendæ. Sequitur sexta filia Sauigniaci Sancti Andreæ de Gaufer, in Diœcesi Sagiensi, quam Mariæ de Sancto Andræa Ordinis Cisterciensis, inuenio nominatam in libris Cameræ, ac centum supra viginti florenorum taxa notatam. Ad huius Cœnobij Abbatem, Conuentúmque scriptam existimo celebrem illam Decretalem Alexandri III. quæ habetur in cap. *Si de terra* de Priuilegiis, qua vix alia frequentior in tribunalibus. Ecclesiam instauratam, aut perfectam à Reginaldo Abbate, dedicat Gaufredus Episcopus Sagiensis 42. anno M.C.LII. & post quinquennium ibidem sepelitur, vti & eius successor Thomas, qui obiit anno M.CC.LXXVIII. Met Landauensis, in Vvalia, ignota domus, nisi quod in genesi Ecclesiarũ Claræuallensium nõ Met, sed Nethæ lego. Porrò Arspfeldius in Landacensi (sic enim appellat non Landauensi.) Vvaliæ Diœcesi, Hæc habet *Netha in Clamorgania Comitatu, Titulo Sancta Mariæ Virginis. Fundator Rhicardus Granuils.* Hæc tantùm ille.

6. Venio ad octauam Buxeriam Andegauensem, quam anno Christi M.C.XXXI. quinta decima die mensis Iulij Sauigniaco natam adstruit Robertus Claudius [d] in sua Gallia, quo item anno inuenio numeratam in Chronologia. Itaque mansit sub priori instituto Sauigniacensi annis decem & septem, & paucos menses. In libris Cameræ de Buxeria dicitur, atque trium, & nonaginta florenorum taxa notatur. In eisdem etiam libris Alnetum, siue Aluetum, video, quadragintorum Florenorum taxa præfixa, in Baiocensi Diœcesi. Robertus Claudius Beluacensem [e] notat, cui consonant Ecclesiarum Cisterciensium Notitiæ, nuper excussæ: vbi, & fundator loci Aychardus ex Franciæ Comestabili eiusdem domus Monachus, atque ibidem sepultus, pluresque alij illius benefactores commemorantur. Extat epistola cum Rithmo Petri Blesensis ad Monachum de Alneto recens conuersum, putantémque post ingressum Monasterij à tentationibus fore liberandum. Quem contra Petrus latè ostendit Monachos magis esse tentationibus obnoxios, quàm sæculares, sed nihilominus eis fortiùs resistere. Titulus epistolæ talis [f]. *Charissimo socio, & amico. G. de Alneto. Petrus Blesensis Bathoniensis Archidiaconus, salutem, & in Domino confortari.* Rithmus autem sic incipit.

Olim militaueram
Pompis huius sæculi, &c.

Carretia sequitur, & de Fontanis Albis, quam vtramque Abbatiam anno M.C.XXXII. fundatam lego in Chronologia, cui consonat in secunda Robertus Claudius, vt palam sit admissas has omnes domos, ac si ab initio sub Cistercio fundatæ fuissent. Quare etiam Sauigniacum præcessit Tres-fontes, quippe fundata anno M.C.XII. septennio antequam Tres-fontes producerentur. De Fontanis Albis in Turonensi Diœcesi, extat in libris Cameræ, tenui admodum, trium & triginta florenorum taxa præfixa. Cumbermare, alij Combermera, in Comitatu Castriæ, quam à Guillelmo de Malbedeng, anno salutis M.C.XXXIV. fundatam, Nicolaus Arpsfeldius [g] testificatur. Longum Villare agnoscunt libri Cameræ in Morinensi Diœcesi, Titulo Sanctæ Mariæ, & quatuor tantùm supra quadraginta florenis taxant. Claudius Robertus Teruanensi Diœcesi adscribit in Pontiuo [h], atque anno M.C.XXXV. fundatam tradit. In litteris Innocentij Papæ III. Pontificatus sui anno septimo conceditur *Abbati & conuentui Monasterij de Longo Villari Cisterciensis Ordinis Morinensis Diœcesis, vt sæcularibus de seruitio domus, qui habere nequeunt suorum copiam sacerdotum, per sacerdotes Monachos de eodem conuentu, quos Abbas nominauerit, pœnitentia, & reliqua Sacramenta administrentur.* Extant & aliæ litteræ eiusdem Innocentij ad Abbates de Claro Marisco, & de Longo Villari Cisterciensis Ordinis, pro visitando Monasterio Sancti Iudoci nigrorum super mare; & corrigendis, reformandisque quæ reformanda, & corrigenda in eo esse viderent. Longum Villare fundasse dicitur Stephanus Bononiensis Primus Comes, mox Angliæ Rex, cum vxore Mathilde: quamuis alij à Ducissa quadam Angliæ fundatum tradant, quæ optimam possessionem Monachis tradidit. 7.

8. Sequuntur quinque Angliæ Monasteria, quæ breui Sauigniacum generauerat. Straforda in Londinensi Diœcesi, de qua Arpsfeldius [i]. *Strafordia Bonne, titulo Sancti Leonardi. Fundator Henricus secundus Rex, Moniales, vel Albi Monachi.* Sic ille dubitans, quod potuit non dubitare. Nec clarius in historia, distinctiúsve: & sibi ipsi discordans in fundatoribus. *Est* (ait) *& Cænobium Strafordiæ positum hoc sæculo prope Londinum, à Guillelmo de Monte Fichet equestris ordinis homine.* Sic Bildeuasium dubitanter ponit in Comitatu Salopiæ; sed sine causa. *Bildeuasia* (ait) *Titulo Sanctæ Mariæ. Fundator Rogerius Episcopus Castrensis. Cistercienses, vel nigri Monachi.* Bildeuasium Matthæus Paris commemorat, aliique antiqui Anglici scriptores: Buefestriam, aliis Bunefestriam, Nicolao Arpsfeldio Burcesteriam in Comitatu Oxoniæ titulo Sanctæ Edilburgæ Gilbertus Vasset, & Egelina Couitnei, vxor eius, fundauerunt, temporibus Henrici secundi Regis: sub eius Regni initium. Paulo antiquius Monasterium Cogeshalem,

[d] in Catholog. Monast.
[e] In Gall. Christ.
[f] Epist. 57.
[g] in Comitatu Castriæ.
[h] in Gallia Christ.
[i] in Indice Cœnob. Ang.

halẽ, quod Stephanus Rex fundasse dicitur, ab eodẽ Arpsfeldio in suo Cathalogo, in Comitatu Exegiæ. Cæterũ in historia ipsa Anglicana Cogghes-halẽ in Londinensi Diœcesi locat, totidẽ verbis [k]. *Est & Cisterciensis Disciplinæ Cogghesbalense Cœnobium, quod ad preces Matildis vxoris, Stephanus Rex condidit.* Extant apud Ioannem Seresberiensem duæ epistolæ [l] ad Alexandrum Papam, super controuersia inter Monachos Rumeliacenses, & Coggheshalenses, quas inferiùs tradeмus, ex quibus constat Ecclesiam Coggheshaliæ, Rumeliacensium Monachorum olim Coggheshalensibus datam, sub annua pensione, Theobaldi Prioris, & totius conuentus concessione.

k Secul. 12. c. 14.

l epist. 8. & 9.

9. Vltimum locum ex quinque Ecclesiis Anglicis occupat Bellalanda Eboracensis, multis titulis illustre Monasterium, sed præcipuè sanctitate Rogerij Abbatis, quem summè omnes historici commendant. Nicolaus Arpsfeldius [m] hæc de vtroque. *Bellalanda etiam Cœnobium disciplinæ Cisterciensis, opera, & sumptu Rogerij de Moubray initium sumpsit, vno tantùm milliari distans ab Ecclesia Neubricensi, quam idem Rogerius struxit, cui Cœnobio Rogerius quidam* (alius) *vir summæ pietatis præfuit.* Cœperítne Rogerius præsidete Bellælandæ sub priori instituto? in dubio est; & credendum cœpisse; quamuis hoc anno cum cæteris Cœnobiis, suóque acceperit, & ipse Cistercij leges; sub quibus per quadraginta annos, & amplius perseuerauit, quippè, qui viuebat circa annum M. C. X C. quo Guillelmus Neubricensis scripsit, qui hæc de eodem Cœnobio Bellælandæ [n], cum Riem-vallem, & Fontes commemorasset. *Quia verò duorum insignium Monasteriorum nostræ Eboracensis prouinciæ, scilicet Rieuallis, & Fontium, feci, vt decuit, mentionem; Bellalanda quoque originem debeo explicare, quæ & loci propinquitate mihi est notior; nam vno tantùm milliari distat à Neuburgensi Ecclesia, quæ me in Christo à puero aluit. Vt autem paulò altius exordiar*, &c. Pergit deinde de initio Sauigniaci per Vitalem Abbatem, de quo nos egimus tomo præcedenti, & tandem subiungit.

m Secul. 12. c. 43.

n lib. 1. c. 15.

10. *Cum ex his tribus quasi radicibus* (scilicet Roberto, Bernardo, Vitalique; de quibus ibidem) *seruorum, atque ancillarum Dei per diuersas prouincias religiosa germina pullularent: quidam Sauigniacenses Monachi Bellalandam nostram condiderunt; Qui cum essent numero pauci, & pauperes, locúmque aptum quærerent, vbi Deo propitio cum fructu aliquo habitarent: Nobili viro Rogerio de Monbray, qui & Neuburgensem fundauit Ecclesiam, donante, locum primo angustum acceperunt: Deinde ad locum alium: de illo ad tertium, de tertio ad quartum sub eodem patrocinio, diuersis ex causis migrantes; ibidem fixis radicibus, tandem resederunt. Benedixitque eis Dominus, & de rebus angustis, ad magnam iam amplitudinem peruenerunt, sub Patre Rogerio miranda synceritatis viro, qui adhuc superstes est in senecta vberi; administrationis suæ annis circiter quadraginta, & septem expletis. Fuit autem Monasterij huius initium pòst Venerabilis Frustini decessum, memoratis duobus, scilicet Rieuallis, & Fontium in bono iam statu agentibus. Et quoniam ante annos iam plurimos, Sauigniacenses, per cuiusdam Abbatis religiosam instantiam, in ritus Claraeuallenses transierunt: hæc tria Monasteria per vnitatem disciplinæ regularis, arctiori quoque animorum nexu cohærent; & tanquam tria nostræ prouinciæ lumina, sacra religionis prærogatiua refulgent.*

Hactenus Neubricensis de Bellalanda, de qua non semel, infrà, & honorificè memoratam inuenio in litteris Innocentij, & Honorij, vtriusque Tertij. Illius anno tertio decimo; huius, quinto. Cæterum eius vltimam translationem, quam Neubricensis memorat, sub Cistercio post decem annos factam, inuenio apud Arpsfeldium [o] sic scribentem in Cathalogo Ecclesiarum Eboracensium. *Bellalanda* (inquit) *vulgò* Billaundæ *Titulo Sanctæ Mariæ fundator Henricus primùm, pòst Robertus Mombray, & Gunnora mater eius. Fundatur templum Moda, & tandem transtulerunt Bellam-landam anno millesimo centesimo, quinquagesimo octauo.* Illud præterea animaduersione dignum in hac domo, quod in Cathalogo Sanctorum Cisterciensium, qui Missali antiquo, & priuilegiis subiectus circumfertur, Guillelmus Bellælandæ Abbas commemoratur; quem Henriquez [p], nescio quos Authores sequens, refert in annum M. C. L X X I I I. Mirum si circa annum M. C. X C. viuegat Rogerius, qui septem & quadraginta annos præfuisset, vt oculatus, domesticúsque testis affirmat. Aut ergo puto irrepsisse per errorem Guillelmum, pro Rogerio, quandoquidem Rogerius prorsus omittitur: aut, si Guillelmus à Rogerio diuersus fuit, tempore posteriorem, ad sequens sæculum fore referendum. 11.

o apud Henr. Iunij 25. in Menolog.

p Iunij 25.

Super sunt Vetus Villa, & Barbereium de filiis Sabigniaci; nam Campaniam in tempore dicemus. De prima, hæc in Roberto Claudio lego [q]. *Veteris Villa Ordinis Cisterciensis, Diœcesis Dolensis, in Ducatu Britania. Fundatur anno M. C. X X X V I I I. vigesima septima Iulij, à Guidone (alijs Gilduino) de Monterel.* In Notitiis Abbatiarum Galliæ primus Abbas Robertus fuisse dicitur, atque anno M. C. X L I. benedictus à Godefrido, Episcopo Dolensi, pòst Capuæ Archiepiscopo in Italia. Ibidem etiam vulgatur instrumentum Gilduini fundatoris, actum. 6. Idus Augusti, anno M. C. XXXVII. de Barbereio verò adhuc pauciora. *Barbareium Ordinis Cisterciensis, Diœcesis Baiocensis fundatur anno M. C. X L.* Inuenitur Barbereium in libris Cameræ in propria Diœcesi, taxata florenis sexaginta. Hactenus filiæ immediatæ Sauigniaci, quæ suscepere Cistercium simul cum matre. Nunc & de neptibus aliqua dicemus. 12.

q in Gallia Christi.

Briostel prima, cuius nulla maior nobis notitia, quàm, quæ ex genesi. Secunda domus Brolium Benedicti, Vallium Sarnay filia, de quo Robertus Claudius [r] hæc pauca habet. *Brolium Benedicti Cisterciensis Ordinis, Diœcesis Ebroicensis, ad Andu-ram fluuium, fundatur anno M. C. X L.* Sed anno M. C. LVIII. dotatur à Roberto, Agnetéque coniugibus, Comitibus Drocarum, donatione firmata per instrumentum, quod Gaspar Iongelinus nuper vulgauit. Tertia Trappa, omissa in parte genesis, quæ prodiit cum Bernardi patris operibus, cuius idem Robertus Claudius meminit, nulla maiore luce, quam habebamus. Illud tamen notandum, quod in genesibus originales variant; & quædam Trappam Vallis Sarnay filiam, quædam ex Brolio Benedicti neptem affirmant. Caldrain item Furnesij primam prolem non alibi reperio: puto tamen eandem esse cum Caldra, quam in Lancastriæ Comitatu Arpsfeldius [s] ponit. *Fundatam ab antecessore Domini de Lope Cand.* De Mamma, id tantùm habeo, quod possim dicere. Marimal, seu Maumaniel dici in aliis exemplaribus; nec in Insula Angliæ, sed in Scotia. Celebrior Suuinshe-de, 13.

r Vbi suprà.

s in Indice Cœnob. Angl.

de, notiórque, in Holandia sita, ex Venerabili Gilberto de Hollandia, eius domus Abbate, Bernardi Patris in Cantica sermonum continuatore. Sed de Gilberto agendum infrà nobis; & tunc de Suuinshede, trinomia domo; nam & insulam sacram appellari aliàs video,& locum Dei; déque sacrarum Virginum Cœnobio, eius curæ commisso plura dabimus [t].

t ann. 1163. cap. 3.

14 Vallem Sanctæ Mariæ Parisiensem Robertus Claudius inter alias Ecclesias memorat, verum diuersam ab Alneti filia, quam in Normania locat, nullus Diœcesis facta mentione [u], *Vallis* (inquit) *Sancta Maria, Ordinis Cisterciensis, Alneti filia, fundatur anno M.C.XXXVIII. in Normania.* Hæc ille, cùm Vallem Sanctæ Mariæ Parisiensem ante commemorasset. Stanleias tres supra memoraui, in Anglia duas, alteram Sauigniaci filiam, alteram neptem. Cæterùm filiam recentiorem adhuc duplex mihi ostendit coniectura; altera quòd non legatur simul cum matre Cistercium suscepisse, nequaquam eximenda si nata esset; altera, quod fundator eius Henricus, Angliæ Rex, siue Imperatrix Mathildis, illius mater, post mortem Stephani in Regno Angliæ successit, adeóque non ante annum M. C. LIV. quo video eam notatam in Chronologia. Ergo Stanleia, filia Carretiæ, quæ hoc anno suscepit Cistercij leges, ea esse videtur, quæ in Anglia Eboracensis Diœcesis notatur in genesibus; ad cuius Abbatem, Conuentúmque Gregorius X. scribit, litteras datas apud Lateranum X VI. Kalendas Maij, Pontificatus ipsius anno XIII. Sub hac inscriptione. *Abbati & Conuentui de Stanleia, Cisterciensis Ordinis, Eboracensis Diœcesis.* Verum est tamen, quod in aliis exemplaribus, non Stanleia, sed Saleia scriptum lego.

u in Gallia Christi.

---

1. Chronologia fundationum huius anni. 2. Vuarene, Bongard, Rufortum, atque Buellium. 3. Ellancij sub Abbate Rogerio, Sanctitas, 4. penuria domus, 5. primáque dotatio. 6. De Camberone, 7. & Beato Fastrado primo Abbate: 8. atque alia notitia eiusdem domus, 9. Miraualis, Sinanqua, Magiumque, & remissa fundatio Sancti Prudentij. 10. Valtim-glas, siue Vallis salutis. 11. Exinde dictum de Calertio, atque de Sora.

CAPVT XVI.

1. IAM reliquæ huius anni fundationes breuiter recensendæ, pro more nostro in quibus tamen primum locum obtinet Obacina cum filiabus, de quibus supra: alias sic video numeratas in Chronologia.

Anno M. C. XLVIII. octauo Kalendas Maij Abbatia de Vuarene.

Eodem anno sexto Idus Maij, Abbatia de Bongard.

Eodem anno tertio Idus Iulij, Abbatia de Ruford.

Eodem anno octauo Idus Augusti Abbatia de Buellio.

Eodem anno Kalendas Augusti Abbatia de Ellancio.

Eodem anno & eodem die Abbatia de Camberone.

Eodem anno sexto Idus Octobris, Abbatia Miraualis.

Eodem anno nono Kalendas Ianuarij, Abbatia de Sinanqua.

Eodem anno quinto Kalendas Martij, Abbatia Sancti Prudentij in Hispania.

Eodem anno Abbatia de Magio.

Eodem anno Abbatia de Vallesalutis.

Eodem anno Abbatia de Calers.

Eodem anno Abbatia de Sora. Sed iam de singulis dicendum, si quid habemus.

2. Vuarene, seu Varene, filia Vallis lucentis, de linea Cistercij, fundata legitur apud Robertum Claudium, liberalitate Guidonis de Caluiniaco: nec quicquam aliud de ea videre licuit. An autem eadē domus sit, de qua Innocent. Pap. III. in cap. *Accedens* 17. de conuersione coniugat. aliorum linquo iudicio discernendum. Bongard inuenio in genesi Ecclesiarum Morimundensium, filiam Belliprati, sed nec Diœcesi notatam, nec prouincia. Supplenda forsan ex litteris Alexandri Papæ IV. Datis Laterani X. Kalendas Ianuarij, Pontificatus ipsius anno II. *Ad Abbatem Monasterij Sancta Mariæ de Bongard Cisterciensis Ordinis, Trecorensis, in Armorica Britania Diœcesis.* Vbi inter alia priuilegio donatur haud vulgari: *Vt in clericos, & laicos, qui manifesta damna, & grauia eius Monasterio intulissent, nisi pro damnis emendam præstarent, intra competentem terminum, ab ipso præfigendum, monitione præmissa, ipse auctoritate Apostolica, excommunicationis sententiam promulgaret.* Ruford, aliàs Rufordium Angliæ domum protulit Rieuallis in Archiepiscopatu Eboracensi: Meminit eius, continuator Matthæi Paris [a], & Nicolaus Arpsfeldius [b], vterque breuiter. *Monasterium Rufordia* (inquit Arpsfeldius) *fundauit Dominus Beaumoris antecessor Domini Norrey. Albi Monachi.* Notior Buellium, alias de Boyle, domus in Hibernia Diœcesis Tuamensis, quam Mellifons ibidem procreauit. De illa hæc habet Iacobus Vuaræus [c]. *Monachos Buelliensis sedem quater mutasse constat. Habitatio prima eis assignata est Grellechdina anno M.C.XLVIII. Vbi primus præfuit Abbas Petrus. Illi defuncto subrogatus est Hugo Omaccain, qui Don-Cronaidam migrauit. Mauritius Odublai proximus eius successor, cum Don-Cronaida nondum tres annos sedisset, Monachos primum Buinsiniam, deinde post duos annos, & sex menses, Buellium, in Comitatu Roschomanensi, transtulit, anno secundùm librum Buell. M. C. LXI. Secundùm alios perperam. M. C. LI. Mauritius ille decessit anno. M. C. LXXV. Buellij sepultus. Monachos hosce alumnos fuisse Cœnobij Mellifontani, innuere videtur registrum Octauiani Armachani Archiepiscopi. Vbi fol. C. XXXVII. Buellium filiatio appellatur Mellifontis.* Hæc Vuaræus. Eiusdem Monasterij, patrum temporibus, insignis Martyr Gelasius Oculenanus pro fide Christi, & Ecclesiæ Obedientia, inuictus occubuit, anno M. D. LXXXIV. Nouembris XXI. de quo in tempore.

a fol. mihi 895.

b in Nothingamia.

c In Cœnob. Cisterc. Hibern.

Ellancium locus Regius genuit in Diœcesi Rhemensi 3.

Rhemensi (sic habent tabulæ) adaugens illustri nepte Cistercij lineam in libris taxarum Cameræ Apostolicæ, aut penitus omittitur, aut non Ellancium, sed Elleuterium nominatur, ducêtorum florenorum taxa præfixa. Illud mirandum à Roberto Claudio sub neutro nomine memoratam in sua Gallia. In M. S. antiquo Cisterciensis Cœnobij (quod inde ad Fiteriensem Abbatem olim transmissum, post eius mortem tandem ad nos peruenit) Fundatio Ellancij quinquennio anteponitur. Et quandocumque fuerit, Rogerij primi Abbatis, sanctitate illustris, fuit. Illius M. S. verba [d] priùs; mox, quæ alibi inuenio de Rogerio; pauca, & confusa; sed certa fide nixa, breuiter pandam. *Anno Domini M. C. XLIII. Kalendis Augusti, fundatum est Cœnobium de Ellancio, in territorio Rhemensi, & in eodem florebat Rogerius eiusdem Cœnobij primus Abbas, in abstinentia, & miraculis patrandis gloriosus; qui de Monasterio loci Regij, illuc cum fratribus fuerat transmissus.* Hactenus ibi extare vitam Rogerij. M. S. in Monasterio Ellancij tradit Henriquez [e], ex qua ea fragmenta Menologio suo inseruit: nos quæ attinent ad domus fundationem, & dotationem, decerpemus ex ipso, quandiu Sancti acta non habemus. De tempore fundationis Domus, quæ Slam, siue Slancium olim dicta, legitur hodieque Carmen antiquum hunc ipsum annum signans, circuitu coacto pro more sæculi.

d Chron Cisterc. M.S.

e Ianuar. 4.

C L a M dat principium de Slam, sed deme bis vnum.

Nempe à litteris M.C.L. quæ mille centum, quinquagintáque significant; si demantur duo, relinquetur numerus. M. C. XLVIII. præsentis anni. Hæc de tempore.

4. De Monachis sub Rogerio Abbate ad fundationem missis, in vita Sancti Patris subiectum scribit. *Cum autem placuit ei, qui eum segregauit a sæculo, & vocauit, vt ampliori gratia reuelaret in gloriam suam, misit in cor Abbatis Regij loci, vt ad ædificandam domum istam mitteret de fratribus suis, super quibus, licèt multùm renitentem, constituit eum Abbatem, ac præfectum. Aduenientes autem ad locum istum, tunc desertum, cum Abbate suo viri virtutum, simpliciter aliquanto tempore Domino seruierunt in paupertate spiritus, in fame, & siti, in frigore, & nuditate, in vigiliis, & in angustiis multis.* Hactenus ibi, vt coniectari liceat caruisse fundatore, saltem potenti, domum, quæ subiaceret tantæ penuriæ. At non diu indotata mansit, prouidente Archiepiscopo Rhemensi (dubium qua liberali facetia, atque faceta liberalitate) quam eadem acta Rogerij, sic describunt.

5. *Ipse autem* (Archiepiscopus Rhemensis) *bonus Pastor diligenter victum eorum pariter, & vestitum mirabatur, quomodo tam præclari viri vitam tam asperam degissent. Panis enim non tantum furfureus, sed & adeò erat amarus, vt vix inde pauperes fragmenta recipere dignarentur. Præterea tamen inter eos non murmur resonat, non querimonia, sed corde tacito mens bene conscia conseruat patientiam. Vnde magis eis compatitur venerabilis Archiepiscopus, ac inter cætera dixit Abbati, & fratribus subridendo: Ne, cùm aduenero ad vos, de cætero mihi panis iste propheticus apponatur, concedo vobis ex territorio meo iuxta Attiniacum quantum per annum arare poterunt quinque iuga boum: tellus enim bona est, & magis frumentum, quàm bladum aliud ferre consueuit.* Hoc primum Monasterij Ellancij augmentum fuit, quod, quamuis Menologij author, Henrico tribuat, Claræuallensi Monacho, Regis Francorum Ludouici fratri: Haud tamen verosimile apparet, Monachum Cisterciensem, Bernardi filium, vitam sanctorum asperam mirari, victúmque, & vestitum; in quibus educatus, & quæ in seipso toties expertus esset? Pergunt acta ad miracula Rogerij ante, & post mortem facta, & de concursu ad sepulchrum eius celebri, quæ nos velut communia prætergredimur. De Rogerio Cistercij omnes indices, seu consulas antiquos, seu recentiores.

Ellancium, sequitur non ignobilior domus Camberona in Hannonia, Cameracensis Diœcesis, quam Bernardus parens, ab Anselmo de Perona, fundo accepto, per Monachos ex Claraualle missos sub Abbate Fastrado ædificauit. De his Miræus [f] in Chronico Cistercij. *Anno eodem, scilicet M. C. XLVIII. Nono Kalendas Augusti templum Camberonense à nobilissimo viro Anselmo Domini Trasigniacensis filio, Perona Domino, & Canonico Sonegiensi fundatum, & postridie Sancti Lucæ, à Nicolao Cameracensi Episcopo consecratum, tradit Iacobus Guisianus in M. S. Hannoniæ Chronicis. Idem, sed fusius narrant gesta eius loci, in hunc fere modum: Anselmus à Perona nobilis Clericus, & thesaurarius Ecclesiæ Sonegiensis, cum Deo, & Beato Bernardo Abbati Claræuallensi, quidquid agrorum possidebat in tractu Camberonensi, obtulisset; Venerabilis Fastredus, siue Fastradus cum sociis aliquot eò missus est, ad Monasterium struendum: anno millesimo centesimo quadragesimo octauo, ibique primus Abbas constitutus. Passi sunt autem aliquando Anselmus, & Fastredus, cum sociis, molestias graues, quodam Ægidio Sillio eas concitante; donec tandem Balduino Hannoniæ Comite, & Nicolao Cameracensi Episcopo, aliisque proceribus præsentibus, res omnes sopitæ fuerunt. Cum autem dictus Episcopus Nicolaus magna rerum penuria fratres Cameracenses laborare animaduertisset, multis precibus à Sonegiensi Canonicorum Collegio, ipsis vitæ subsidia impetrauit.* Hactenus Miræus de Camberonæ initiis, atque progressu. 6.

f ad hunc ann.

De Fastrado primo eius Abbate multa inferius, cùm tertius post Bernardum ad Claramuallem; ad Cistercium septimus post Robertum electus fuerit. Interim adnoto virum genere nobilem, ex Hannonia Oriundum, cum Monachum, ante annos aliquot induere peroptasset, in Claraualle à Bernardo detentum, quoad vsque litteris sacris perfectius, atque cumulatius imbueretur: prophetante fortassis viro Dei, quæ illum præfecturæ, quæ negotia, quantæ, & quàm graues curæ præstolarentur. Instructum affatim, ad habitum suscepit: Nec multo post votorum emissionem, remisit ad propria, Camberonensem domum inchoaturum. Ita Henriquez [g], cum locum perlustrasset, ex eius monumentis abstractum ferens. In eodem Cœnobio floruit Daniel tertius illius Abbas, eximiæ sanctitatis, de quo plura in sequentibus dicemus. 7.

g In fascic. lib. 1. dist. 8. cap. 1.

Porrè (ait Miræus loco suprà) *in Camberonensi Cœnobio, hodiéque visitur imago Deiparæ Virginis, cultu, miraculisque illustris, quam cum Iudæus quidam impius, Guillelmus nomine, anno M.CCC. XXII. hasta, seu telo violasset, ex ea sanguis confestim effluxit. De huius loci miraculis extat liber, à Vvalrando Caoultio nuper Latinè editus.* 8.

Ita

h Matt. 19. Ita Miræus [h]. Addit Henriquez ex eodem Vualrando ingens aliud miraculum, quod anno M. D. L X X X I. in eiusdem Cœnobij defensionem, cùm ab hæreticis sacrilegè inuaderetur, patratum est; magno alborum Monachorum numero discurrentium in equis repentè viso, & propugnante domum, cum præter Monachos orantes ante Virginem, vix vllum alium haberet propugnatorem. Sed de his latiùs inferiùs agendum erit. Extat epistola Innocentij Papæ I I I. ad Abbates Valbonensem, & Camberonensem, Cisterciensis Ordinis, Cameracensis Diœcesis. Quin Camberona memoratur in libris Cameræ, quingentorum quinquaginta florenorum taxa præfixa.

9. Miramuallem, Sinanquamque, vtramque in Cistercij linea lego, Alteram in Anglia, quam Bordesleia fertur protulisse. Alteram in prouincia filiam Mansiade, de qua Robertus Claudius in sua Gallia, & taxæ Cameræ in Episcopatu Caualicensi, cum appensione trecentorum florenorum. Sanctum Prudentium recentiorem Hispaniæ domum, dicam in tempore. De Magio sequitur, aliàs de Nenai, Monasterio Hiberniæ, de quo hæc habet Iacobus Vvareus [i]. *Nenai, antiquitus* Magio *Monasterium Maio fluuio appositum, in Comitatu Limericensi fundatum legitur, anno à Christo Domino in salutem misso. M.C. L I. Monachorum terras, & possessiones, scilicet Kinalmekam, in qua situm est Monasterium, Atherokam, Ioannes Rex Angliæ confirmauit, vt ex charta eius data primo Nouembris, anno 2. Regni constat.* Ita Vvareus fundationem triennio differens; ab eodem Authore numeratur Magium [k] inter Cœnobia, quorum prælatis ante suppressionem, suffragia in Comitiis Regni generalibus concedebantur. In genesi Ecclesiarum Claræuallensium duo Magia inuenio; Alterum in Hibernia: Alterum in nominata prouincia natum: Illud genitum à Cœnobio Mellifontano; hoc Marganensi; nec in hoc discernere sat tutum, cum nullæ aliæ notæ rem declarent.

i in Cœnob. Cisterc. Hib.

k in Geripmte.

10. Vallem salutis (*Valtinglas* incolæ dicunt) Mellifontis filiam agnoscit genesis earumdem Ecclesiarum. Domus sita in Hibernia, nec minus in Comitiis Regiis, suffragio gaudens, de qua Vvareus, eadem prorsus, qua de præcedenti, quod attinet ad tempus, dilatione [l], *Valtinglas, aliàs de Valle-salutis, hoc Monasterium Cisterciensibus posuit Dermetius filius Murchardi Rex Lageniæ, anno Domini M.C. L I. is Ferna decedens, M.C.LXXI. in Canonicorum Cœnobiolo à se ibidem fundato, est conditus. Post suppressionem, Monachis exturbatis, Henricus octauus plurimas huius possessiones cū titulo Vice-Comitis de Valtinglas concessit Thomæ Eustace, Baronij de Kilcullem, cuius, ex filio nepos Iacobus, scelerata sua in Principem, & patriam perfidia, omnibus honoribus, & possessionibus excidit. Sedet ad Slanum fluuium in agro Vuikloensi.*

l in Cœnob. Cisterc. Hib.

Calers, siue Calerium, aut Calersium, dubia Domus, & de qua nihil certum possim dicere; nisi quod tamen in genesi Ecclesiarum Claræuallensium Calers, siue Calerium scriptum lego, Vvasconiæ domum Diœcesis Riuensis, in qua & trecentis florenis taxatur in libris Cameræ. Quod si ea est, Grandisiluam fœcundam fecit, vixdum Cistercio natam, id est ante annum: nam eius filia in Genesibus notatur, vt anno præcedenti commemoraui. Est & Calerium in Rhemensi Diœcesi cum totidem pensione florenorum, quam omissam à Roberto video. Sunt, qui Cellerias, siue Sigillerias, referant ad hunc annum, filiam Ioiaci, de linea Pontigniaci in Diœcesi Trecensi, quam anno M. C. X C. munificè dotauit Henricus I I. Campaniæ Comes, diplomate expedito Trecis: quod in Notitiis Abbatiarum Galliæ, nuper in lucem editis, videre licet. Vltima domus Sora dicenda restat, quam Monachis ab Esron vocatis, struxisse Absalonem, Roskildensem Episcopum, in Dania, Authores produnt. Sed Esron nondum nata circa hunc annum; aut matrem aliam Soram habuisse probat, aut tardiùs mundo exortam: nec ausim dicere vtrum præferendum. Certe Absalon Esxillo in Archiepiscopatu Lundensi suffectus est, cum ille Monachum induit in Claraualle; quod nos latè dicemus cum tempus venerit. De Sora hæc habet Helmoldus Lubecensis in Slauorum Chronico [m]: dum Absalonis post longam, ac præclaram vtriusque Sedis administrationem mortem deflet. *Et quia erat* (inquit) *vt dictum est, vir religionis amator, Monasterium Cisterciensium Monachorum in Sora ædificare, & dotare satagebat, vbi etiam circa finem dierum suorum, molestia corporis fractus ægrotabat.* Hæc tantùm ille, quibus satis videas illustrem fundatorem, de quo, occasione Eskili, plura in sequentibus, & fundatoris eximiam charitatem erga Cœnobium, à quo iam ad Lundensem sedem promotus, quantumuis extra Diœcesim, quippè in Roskildensi, nec ægrotans quidem, & iamiam moriturus posset auelli. Ioannes Isaacius Pontanus de hoc ipso Cœnobio vlterius addit [n]. *Cœnobium, quod indicauimus suis impendiis è solo excitauit* (scilicet Absalon) *addito Sora oppidulo, quod postea subductis ædificiis in arua conuersum est. Inter cæteras fundationis eius caussas, haud inter postremas memoratur, voluisse ipsum, vt in eo viri eruditione præstantes alerentur, qui Regni Annales, résque posteriorum memoria dignas chartis quotannis mandarent: quod nimirum non ignoraret, quanta fuisset antecedentium sæculorum, authorúmque in hac parte socordia.* Hactenus ille: & credendum scripsisse Annales, aliquos ex Sorano Cœnobio; sed qui incuria temporum perierint, saltem ad nostras manus nondum peruenerint. 11.

m lib. 4. c. 7.

n Rer. Danic. lib. 5.

IESV CHRISTI ANN. 1149. CISTERCII ANN. 52.

1. *Infælix exitus transmarinæ expeditionis*, 2. *fideles turbat*; 3. *atque in Bernardum Patrem pusillos concitat*. 4. *Sed ipse sui oblitus cuncta contemnit*. 5. *Ad Suggerium contra duella indicta scribit*, 6. *atque item pro Rege reuocando*; 7. *in qua multa ex affectu*, 8. *atque ex consilio*. 9. *Epistola eiusdem S. ad Emanuelem*, 10 *præcautoria periculi, quod exercitui fidelium imminuerat*.

CAPVT I.

1. IAM rari ex Orientis partibus reduces, periisse Germanos, Gallósque, & partim repentino imbre submersos, partim fame absumptos, seu pane ex calce confecto nocentiori; reliquos interceptos Græcorum dolis, atque per loca arenosa, & inuia ductos, viuos adhuc sepultos nunciabant; nec fœliciora de Rege Ludouico, qui post leues victorias comparatas, mox dolis cedens, multis militum millibus amissis, quod penè in Regibus malorum vltimum est, captus ipse, & captiuus adduceretur. Slauos idolatras, promisso primùm obsequio, mox rupto fœdere, irruisse in nostros; & ferro, & igni atrociùs debacchantes; in fugam actos spoliasse, quos non occiderint. Demùm nihil faustum ex toto orbe commoto, præter ea, quæ in Hispaniæ angulo gesta, fœlicia quidem, & cedentia in gloriam Christi, sed inæqualia tot damnis compensandis.

2. Hinc murmur populi aduersùs auctores belli, & vt Ottonis Frisingensis verba interseram [a]; *Pusilli Ecclesiæ fratres scandalizati mirabantur, & mirando scandalizabantur de prætaxata expeditionis labore, quod tam arduo, & bono inchoata principio, & tam humilem, & non bonum exitum acceperit*. Hinc vt quisque orbitatis, viduitatis, siue destitutionis damna mœrebat, in maius extollebat, quæ patiebatur. Christianos homines ad Orientem velut ad victimam non ductos, sed seductos; nec defensuros fratres, sed perituros: & veluti si in Germania, Galliáque sepulchra deficerent, in Syriam transmissos, inter montes arenæ sepeliendos. Nec superstitibus solatium hæreditatis, substantia Europæ in Asiam reportata, in barbarorum manus transitura. Quin starent omnes soluendo ære alieno, quod peregrini expediendi contraxissent.

a in Frideric. lib. 1. c. 69.

3. Hæc & similia in vulgus iactabantur: nec deerant, qui cuncta in Regem iuuenem, & Pontificem rerum inexpertum referenda censerent. Sed multò plures Bernardum impetebant, quem classicum canĕtem audiuissent, per conciones, per signa, per oracula, quibus vix homines resistere auderent, at ne vix possent. Sic nouo Moysi probrum obiiciebatur, quod Deo primus timuerat, obiiciendum [b]. *Callidè eduxit eos, vt interficeret in montibus, & deleret è terra*. Certè Bernardum hinc multa perpessum, manifestum habemus ex eius actis, Godefrido inter alia ita scribente [c]. *Nec tacendum, quòd ex prædicatione itineris Hierosolymitani graue contra eum* (scilicet Bernardum) *quorumdam hominum vel simplicitas, vel malignitas, scandalum sumpsit, cùm tristior sequeretur euentus*. Quin Otto eiusdem sectæ, vir aliàs Sanctus, atque inter primos totius expeditionis, in speciem excusantis, vt non incuset, saltem aliorum criminationes detegit; neque satis eludit, dum veritatem prophetiæ in dubio relinquit [d]. *Quid enim* (ait) *si dicamus Sanctum illum Abbatem spiritu Dei ad excitandos nos afflatum fuisse, sed nos ob superbiam, lasciuiámque nostram salubria mandata non obseruantes, merito rerum, personarúmque dispendium deportasse: non sit à rationibus, vel antiquis exemplis dissonum. Quamquam spiritus Prophetarum non semper subsit Prophetis*. Hactenus ille. Ergo in Bernardum tempestas hæc commota, velut in seductorem totius orbis.

b Exod. 32.

c lib. 3. c. 4.

d in Frider. lib. 1. c. 60. in fine.

4. Inter hæc Sãctus sui velut oblitus, primùm contemnere, nec quidquam aliud, quàm causam Dei zelare; mox vt cognouit opinionem virtutis periclitari, si qui hactenus Sanctus habebatur, extunc seductor, seu seductus iudicaretur; pro se etiam putauit satisfaciendum. Vtrumque nos fideliter reddemus; sed singula pro more, suis temporibus. Itaque hoc anno M. C. X L I X. qui fuit Cistercij L I I. cum primi, qui in Galliam reduces venerant, Robertus Regis frater, atque Henricus Theobaldi Comitis filius, execrabiles nundinas pararent, vt quam in hostes fidei non potuerant, in se inuicem virtutem experirentur; quæ in se dicebantur, paruipendens, his tantùm, quæ in Deum fiebant, obuiandum censuit. Vnde ad Suggerium Abbatem Sancti Dionysij, Regni procuratorem litteras dedit, quibus, quà posset, crimen impediret. Atque ecce exemplar ipsarum litterarum, prout ex libro S. Victoris Parisiensis Ioannes Richardus non dudum euulgauit.

5. *Venerabili [e] Patri, & Domino Suggerio, Dei gratia, Abbati Sancti Dionysij, frater Bernardus Claraeuallis vocatus Abbas, salutes, & Orationes.*

e Epist. 359. ex aiditis.

Nunc tempus, & opus est, vt apprehendatis gladium spiritus, quod est verbum Dei, contra Diabolica figmenta, quæ regerminare moliuntur iterum. Homines namque illi, qui reuersi sunt, maledictas illas nundinas post festa Paschalia præfixerunt, & statuerunt, laxatis habenis, Dominus Henricus filius Comitis, & Dominus Robertus frater Regis, vt irruant, & interficiant semetipsos. Animaduertite quali voluntate viam Hierosolymitanam aggressi sunt, qui cum voluntate huiusmodi regressi sunt. Quam rectè dici potest de istis: curauimus Babylonem, & non est sanata: percussi sunt, & non doluerunt: attriti sunt, & renuerunt suscipere disciplinam; post tot labores, post tot pericula, quibus vexati sunt à tribulatione malorum, & dolore, Regnum in pace

pace est, & Dominus Rex abest, & per hos duos potest terra singulariter commoueri, sed & perturbari. Supplico, & consulo sublimitati vestræ, quia maximus Princeps estis in Regno; vt vel dissuasione, vel in totis viribus, vos opponatis, ne fiat hoc, quia sic conuenit honori personæ vestræ, & terræ vestræ, & vtilitati Ecclesiæ Dei. Vim autem appello, quod ad Ecclesiasticam pertinet disciplinam. Nos autem idem scribimus Domino Rhemensi; Domino Senonensi; Domino Suessionensi, Domino Antisiodorensi; Comini Theobaldo; Comiti Rodulpho. Opponite vos tantis malis, & propter Dominum Regem, & propter Dominum Papam, ad quem pertinet custodia Regni. Hactenus ad Suggerium Bernardus Pater, vt damnatum congressum impediret.

6. Verum vt Regem captiuum liberaret (nam Ludouicus à Græcis interceptus, in medio reditu, & nondum libertate donatus ferebatur) cum idem Suggerius de eadem libertate solicitus, congregasset Conuentum Episcoporum, cui Sanctus Pater adesse non potuisset: alias litteras dedit in hunc tenorem.

f Epist. 360. *Charissimo [f] Patri & Domino Suggerio Dei gratia, Beati Dionysij Abbati; frater Bernardus Clarauallis vocatus Abbas, spiritum consilij, & consolationis.*

Visis quibusdam litteris vestris, quas ad Dominum Turonensem direxerat sublimitas vestra, exultauimus, & delectati sumus, non qualicumque gaudio; sed gaudio magno valde. Visitet vos oriens ex alto, qui visitare disponitis Regnum gloriosissimi Regis nostri, vt si respirare possit à tribulatione malorum, & dolore: qui iam in ianuis est, si non fuerit totis viribus contradictum. Profectò consilium Dei fuit, vt ad consilium, tam Curiæ, quàm Ecclesiæ Principes vocaretis: vt sciant omnes, qui habitant terram, quia remansit, & regno, & Regi amicus dulcis, consiliarius prudens, adiutor fortis. Illi, inquam, Regi, qui seruit Regi, cuius Regnum, Regnum est omnium sæculorum: qui commouit gentes, & Regna, ne Rex cœli perderet terram suam; terram, vbi steterunt pedes eius. Illi, inquam, Regi, qui cùm esset gloriâ singularis, rebus affluens, pace securus, victoriosus in prœliis, iuuenis ætate, elegit exulare à propriis, vt seruiret in alienis; illi tamen, cui seruire, regnare est: & quis audeat turbare regnum eius? quis tantam impietatem committat aduersùs Dominum, & aduersùs Christum eius?

7. *Domine mi Rex, vtinam abscindantur, qui te conturbant: qui quærunt mala, & tibi, & tuis; cùm tu inter alienas gentes solus remanseris; ne remaneret in solitudine ille locus, quem elegit Dominus ex omnibus locis terrarum, vt esset nomen suum ibi. Propterea viriliter agite, & confortetur cor vestrum, quia vobiscum est Dominus Deus vester in protectione Regis, & exulis sui: qui imperauit ventis, & mari, & tumentes fluctus facilè complanauit; erit vobiscum vniuersitas Ecclesiæ Dei, ne insurgat aliquis, & peccare faciat Israël: & totis humeris totum onus, si quid tamen oneris fuerit, supportabit. Nunc enim tempus, & opus est, vt agatis pro loco, quem tenetis, pro dignitate qua polletis; pro potestate, quam accepistis: vt memoria vestra non solùm in benedictione, sed in admiratione sit generationi huic omni, quæ ventura est.*

8. *Prouidendum est, & multum prouidendum, ne tanta portio Ecclesiæ Dei sine fructu maximo fatigetur; & hic statuendum, quod omnes insurgentium malignitates, vel reddere, vel elidere possit. In voluntate nostra est, vt vobis in nomine Domini congregatis, paruitatis nostræ litteras transmittamus: quæ etsi non adiuuent, saltem affectum nostrum ostendant. Ille autem, qui vobis dedit hanc voluntatem, donet & facultatem, & conterat Satanam sub pedibus vestris: vt in opere isto glorificetur Dominus, glorificetur Ecclesia, Regnum stabiliatur, & obstruatur os loquentium, & facientium iniqua.* Hæc Sanctus Pater nihil magis hærens, nihil magis dubitans, quàm si nullis detrahentium telis impeteretur: quippè queis se libenter opponebat, protegendæ Ecclesiæ, & causæ Christi, in qua Rex versabatur, promouendæ. Cæterùm qualiter cùm murmur non cessaret, & virtutem in contemptum abire cerneret, pro se ipso efficaciter responderit (imò & Deus pro eo per scripta; per reuelationes; per miracula; sequenti anno, quo hæc cuncta euenere, commodiùs reddam.

Interim adnoto; quod cæteri omiserunt, cùm totius penè cladis præcipuam causam omnes prorsus Scriptores in Græcos referant, quorum fraude decepti duces exercitus per inuia aberrauerint, plusquam ab hostibus, fame consumendi, sitique; Bernardum velut spiritu prophetico, præcauisse periculum, qua potuit, occasione quæsita, quàm oblata (quis id non videat?) scribendi ad Imperatorem Emanuelem, vt Christi exercitum eidem commendaret. Atque ecce epistolam scriptam per Nicolaum; quam, quia inter alias Sancti non circumfertur, vtiliorem putaui, nec omittendam. 9.

In [g] persona Domini Clarauallensis ad Constantinopolitanum Imperatorem vt faciat nouum militem. g inter epist. Nicol. ep. 30.

Sublimi, & glorioso Manueli Constantinopolitano Imperatori, frater Bernardus Clarauallensis vocatus Abbas, salutem, & orationes.

Quod tanta audeo scribere Maiestati, non insolentia temeritatis est, sed confidentia charitatis. Quis enim ego sum, aut quæ est domus patris mei in Israel, vt tanti nominis Imperatorem nostris litteris audeam præuenire? Pauper enim sum, ignobilisque, patria, persona, longo terrarum spatio, & vastissimi maris interiectu remotus, à præsentia vestræ sublimitatis. Quid ergo tantæ sublimitati, cum tanta humilitate, si non daret mihi fiduciam humilitas Christi? in qua, & de qua Reges terræ, & omnes populi, Principes, & iudices gloriantur. Ad nos enim vsque peruenit magnificentia, & gloria nominis vestri: quæ longò, latéque dilatata est super terram; huius rei gratia flecto genua mea ad patrem spirituum (ex quo omnis paternitas in cœlo, & in terra nominatur) vt de regno illo, ad regnum illius transferamini, cuius regnum, regnum est omnium sæculorum. Nullis igitur meis meritis præcedentibus, audeo mittere ad thronum gloriæ vestræ præsentium latorem, iuuenem magnæ nobilitatis, vt eum Sacramentis militaribus applicetis, & accingatis ei ensem contra inimicos Crucis Christi, qui aduersus eum extulerunt caput. Et iuueni quidem sublimium patebat aditus curiarum: sed altiori consilio mittimus ad illius imperij vestri gloriam singularem, vt memor sit omnibus diebus vitæ suæ, à quo militaris disciplinæ dignitatem susceperit. Nequaquam autem has misissem in preces, nisi Christus esset in causa, pro quo tantum viæ pariter, & laboris assumpsit. Quidquid illi, vel pro illo feceritis, mihi factum est.

De cætero, gloriosissime Imperator, nunc opus est ostendendi, & extendendi abundantiam suauitatis vestræ. Commota est, & contremuit terra, quia 10.

Rex cœli perdidit terram ſuam: terram, vbi ſteterunt pedes eius; propè eſt enim, vt irruant inimici Domini in ciuitatem ſuam, etiam in illud glorioſum ſepulchrum, vbi virgineus flos Mariæ linteis, & aromatibus conditus eſt: Vnde & reſurrexit ille primus, & maximus flos, qui apparuit in terra noſtra. Propterea ad præceptum Domini Papæ, & ad qualemcumque exhortationem noſtram Francorum Rex, & innumerabilis multitudo Principum, militum, populorum, tranſitura eſt per fines veſtros ad ciuitatem Dei viuentis: veſtrum erit eos honorificè ſuſcipere, & agendum nunc pro loco, quem tenetis, pro poteſtate, quam accepiſtis; pro dignitate, qua polletis; pro diuitiis, quibus abundatis: quod conueniat imperiali excellentiæ; honori perſonæ veſtræ; & ſaluti animæ veſtræ in æternum, & in ſeculum ſeculi. Inter quos, & ante quos filium Comitis Theobaldi illuſtriſſimi Principis vobis ſolicitiùs commendamus, non tanquam vnum de cæteris, ſed præ cæteris vnum. Iuuenis eſt, nobilis eſt, bonæ indolis eſt, & primitias ſuæ militiæ, non malitiæ, ſed iuſtitiæ conſecrauit: filius etiam eſt hominis illius, qui propter veritatem, & manſuetudinem, & iuſtitiam diligitur, & honoratur inter Principes terræ. Pro his omnibus vos participem facimus omnium beneficiorum, quæ in domo noſtra fiunt, & fient, vt vos faciat victorioſum in terris; in cælis glorioſum; ſponſus Eccleſiæ, filius Mariæ, Dominus Deus noſter. Sic Sanctus Pater, malum, vt non vitaret, ſaltem præuidit, & qua potuit, curauit præcauendum.

1\. *Eugenio Roma imminente, Conradus redux,* 2. *quem per Legatos viſitat,* 3. *litteris datis,* 4. *gratulatoriis, & conſolatoriis.* 5. *Ludouicus à Græcis primum captus, ſed mox ereptus,* 6. *in Galliam cum ingenti animo redit, Orientem, niſi per Ciſtercienſes impediretur, repetiturus.* 7. *Dictum obiter de hoc impedimento,* 8. *& de S. Gerlaci pœnitentia ab Eugenio iniuncta:* 9. *Demum de Friderici nuptiis in Vualſaſo.*

CAPVT II.

1\. INTEREA Eugenius Romam appropinquans, ſed non ingrediens, quippe cui Arnaldiſtæ dominabantur; attritam inteſtinis tumultibus vrbem charitate Paterna miſerabatur: vt neque afflictam aperto bello, opprimeret; nec flagitanti ſui copiam denegaret: & erant multi, qui præſentem vellent, per quem ſcirent tot malis obuiam iri. *Itaque* (ſcribit Carolus Sigonius [a]) *aliquo temporis ſpatio, modò in Vaticano, modo in ſub vrbanis Latij oppidis, vnà cum Cardinalibus ſedit.* Nec certo fructu, ſed dubio, & vario euentu, id quod Robertus Montis memoriæ prodit [b]. *Papa Eugenius* (ait) *in Italiam ingreſſus, cum Romanis vario euentu confligit.* Nempe cum Arnaldiſtis: nam cæteri miro Eugenium amore proſequebantur. Pergunt deinde de reditu Conradi, qui Polam primum, Aquileiam deinde veniens, adeò viribus fractus inuentus eſt, vt neque bellum, quod animo conceperat, imò pactis conuentis, confirmauerat, contra Rogerium. Siculum aggreſſus, in Germaniam feſtinus properauerit, infœlicia ſigna poſiturus.

a *De Regno Italiæ lib. 11.*

b *in Chron. hoc ann.*

2\. At quid in eius aduentu Eugenius Pontifex, idem qui ſupra, Auctor his verbis narrat [c]. *Eugenius vbi Conradum redeuntem accepit, legatos in Iſtriam obuiam ei miſit. Quibus ex medio itinere reuerſis, quod Conradum iam in Germaniam perueniſſe audiſſent, litteras octauo Kal. Iulias Tuſculo, quæ adhuc leguntur, dedit: quibus incolumem reditum gratulatus, atque inanem expeditionis exitum conſolatus eſt.* Ita Sigonius. Exemplar autem litterarum Summi Pontificis ad eumdem Conradum, ex Ottone Præſule Friſingiæ, ex quo etiam Baronius deſumpſit, accipiat Lector.

c *Car. Sigon. vbi ſuprà.*

3\. *Eugenius* [d] *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, chariſſimo in Chriſto filio Conrado, Dei gratia, Romanorum Regi illuſtri, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.*

d *apud Otton. in Frid. lib. 1. c. 61.*

Cùm in hoc mundo cuncta mutabilitatis ordo corrumpat; ſicut nec proſperis eleuari, ita nec frangi aduerſis, confidentes de diuina miſeratione, debemus: quia Dei, & hominum mediator admiranda diſpenſatione conſueuit omnem filium, quem recipit, aduerſitatibus flagellare: vt dum ipſum per amorem ad æterna præmia vocat, præſens mundus eius animum per turbationes, quas ingerit, à ſeipſo repellat: tantóque faciliùs ab huius ſeculi amore recedat, quantò magis impellitur, dum vocatur. Quod in Iſraelitico populo, Moyſe vocante, & Pharaone ſignatur. Moyſes namque tunc aduocandum miſſus eſt, cùm Pharo duris eum operibus perurgebat; quatenus alter vocando pertraheret, alter impelleret ſæuiendo, vt plebs in ſeruitio turpiter fixa, vel procurata bonis, vel impulſa moleſtiis, moueretur. Hoc itaque rationis debito incitati, diſcretionem tuam commonemus, & exhortamur in Domino, quatenus tribulationes, quas tibi, & exercitui tuo omnipotens Deus irrogauit, patienter ſuppories, & in eo ſpem tuam conſtituas, qui quem vult, permittit affligi, & confidentes in ſe, miſericorditer liberare conſueuit. Si enim patientiam, & humilitatem in aduerſis perfectè tenueris, per deſertum huius vitæ, ſub protectione columnæ nubis, & ignis, id eſt patientiæ ſolatio, & charitatis ardore intrepidus perduceris.

Quia igitur perſonam tuam vera charitate diligimus, & de te valde confidimus; ſi poſt tuum reditum ſine dilatione, de his, quæ ad honorem Sanctæ Eccleſiæ, & Regni expectare noſcuntur tecum mutuis potuiſſemus tractare colloquiis, nobis vtique gratum fuiſſet. Verùm quia id nobis temporis qualitas denegauit, & de tua ſalute ſumus ſoliciti, quoſdam de fratribus noſtris, poſtquam te ad Longobardiæ partes, auctore Domino, incolumem perueniſſe accepimus, ſicut per Venerabiles fratres noſtros, Artuuicum Bremenſem Archiepiſcopum, & Anshelmum Hamelburgenſem Epiſcopum, tibi ſignificauimus, ad tuam ſerenitatem duximus deſtinandos, vt affectum, & beneuolentiam, quam erga te gerimus, tibi exponerent; & quod de te audire cupimus, ipſorum relatione noſceremus. Quibus dedimus in mandatis, vt tibi tanquam chariſſimo filio noſtro, & Catholico Principi, atque ſpeciali Romanæ Sanctæ Eccleſiæ deffenſori, ipſius Eccleſiæ ſtatum, & noſtrum exponerent. Qui ſiquidem in Tuſciam vſque progreſſi, ex quo te ad 4.

ad Teutonicas partes pertransisse noverunt, longitudinem via, & difficultatem itineris propter æstatis intemperiem metuentes, ad nostram præsentiam redierunt. Cæterum quia statum tuum, & dilecti filij nostri Henrici iunioris regis, quem post discessum tuum paterno affectu dileximus, & in posterum actiones eius prosperari in Domino peroptamus, cognoscere cupimus, cùm fratres nostri propter æstatis feruorem, laborem tanti itineris perficere non valerent, per fidelem nostrum Franconem latorem præsentium, & Apostolica scripta, tuam excellentiam visitantes, nobilitatem tuam monemus, & exhortamur in Domino, quatenus ea, quæ circa te, & ipsum geruntur, & statum Regni, per eundem Franconem nobis studeas intimare; & hoc tempore deuotionem, quam erga matrem tuam Sanctam Romanam Ecclesiam geris, ostendas, vt nostro respondere affectui congruè videaris, & Beati Petri Apostolorum Principis, intercessionibus, cui te totum debes exponere, Creatoris nostri largiorem debeas gratiam promereri. Datum in Tuscul. VIII. Kalendas Iulij: Hæc de Conrado reduce in Germaniam, atque ab Eugenio, quà potuit, consolato.

5. At Ludouicus à Græcis interceptus, grauiora adhuc subeunda præstolabatur. Sed non fefellit Bernardum pia fiducia, qua ad Suggerium scripserat [e]. *Viriliter agite, & confortetur cor vestrum, quia vobiscum est Dominus Deus vester in protectione Regis, & exulis sui, qui imperauit ventis, & mari, & tumentes fluctus facile complanauit. Erit vobiscum vniuersitas Ecclesia Dei*, &c. Non, inquam, hæc fiducia Sanctum fefellit: cum iam ad Emanuelem adduceretur, classe Rogerij Regis ereptus est, atque in Italiam redux ab Eugenio honorificentissimè susceptus; & suis tandem cum gaudio restituendus. De his Robertus Abbas hæc habet verba [f], *Ludouicus Rex Francorum à Palæstina nauigans, vt in patriam rediret, Græcorum naues incurrit. Cúmque ab eis Imperatori Curfolium obsidenti præsentandus deducitur: Georgius dux nauium Regis Siciliæ eos aggreditur, si quidem vastatis, & spoliatis Græcorum Prouinciis, vsque ad ipsam vrbem regiam Constantinopolim accedens, sagittas aureas in palatium Imperatoris ieccerat, & incensis suburbanis, de fructu hortorum Regis violenter tulerat. Vnde rediens naues Græcorum incurrit, captum Ludouicum Regem eripuit, sed captos Regis obtentu dimittit.* Et paulò post. *Ludouicus à Rogerio Siciliæ Rege, nec non à Papa honorificè suscipitur, atque deducitur.* Hæc de captione Regis Ludouici, & libertate Rogerij, classe adepta.

e Epist. 360. in additis.

f in Chronic. hoc ann.

6. Verùm quàm animo infracto, virilíque, ex tot fortunæ casibus, tot cladibus Ludouicus euaserit; ex noua, quam vix redux parabat, expeditione, non difficile potest coniectari. Certè Eugenium Pontificem persuasit, vt causa iterum Bernardo delegata iterum orbis in Orientem commoueretur. Et successisset forsitan ex voto; si non nostri, seu animo cadentes, siue cedentes, quibus impetebantur detractionibus, reuocassent consilia, & cunctos auertissent ab eo opere. Audi quod idem Auctor [f] pergit scribere. *Qui* (id est Ludouicus) *vt in Galliam peruenit, de noua expeditione cogitari cœptum, de qua idem auctor hoc eodem anno in fine: Habitis per Franciam conuentibus, annuente etiam Papa Eugenio, vt Abbas Clareuallis, Hierosolymam ad alios prouocandos mitteretur: grandis iterum sermo de profectione transmarina celebratur; sed per Cistercienses Monachos totum cassatur.* Ita Robertus. Quibus clarè videas infractum Ludouici Regis animum, obnitentem laboribus, atque ex ipsis periculis crescentem; nec dissimilem constantiam Eugenij Papæ, quam nullæ clades deprimere potuissent. Sed de nostris quid dicam.

f Vbi suprà.

Mirentur alij potentiam pauperum hominum in vili victu; in habitu despecto, & contemptibili, qua Regis iuuenis recenti ruina saucij ardorem compescere; qua Pontifici iam classicum tonanti resistere potuerint. Laudent etiam constantiam, qua ausi sint: quin & mirentur simul, laudéntque modestiam, & zelum: illam, qua se intra suos fines contentos iterum commouendo orbi subtraxerint; hunc, quo maluerint de præteritis damnari, quàm futura cum sanguine experiri: demum extollant opinionem gentis, qua sine neque Reges, neque Pontifices quidquam in orbe magnum aggrederentur. Ast ego non excusem pusillanimes, quin & modicæ fidei: quos semel retardatos à suis votis, destitisse comperio; nec sustinuisse affuturum Dei auxilium, quo semel se frustratos experti forent. Quasi metas ponentes diuino numini: aut quasi, si Deus neget quod nos volumus; nec nos, quod ipse vult, facturi sumus. Timuere omnes, Cistercio resiliente, qui animante prodierant: si rursum animaret, prodituri. Quidni credamus, victuros, si prodirent; quibus Christus ex præcedenti clade velut obnoxius, vix iam posset victoriam denegare. 7.

Hoc ipso anno, nam redux iam ad vrbem Eugenius tertius B. Gerlacum, confessione eius audita, Hierosolymam misit septennio in xenodochio, quia ipse sic volebat, ministraturum. Hic ille magnus Princeps, sed multò maior Sanctus Gerlacus est, de quo in Bibliotheca Præmonstratensi. *De morte vxoris suæ certior factus, equestri cingulo, & aliis suæ dignitatis insignibus abiectis, Asino vectus, domum redijt, ibique rebus constitutis ad loca, religionis causa, adiri solita, cilicio, & lorica supra nudum corpus indutus, nudis pedibus profectus est; atque inter alia Romam: vbi à Summo Pontifice Eugenio tertio sincera criminum confessione facta, pœnitentiam sibi iniungi postulauit. Cúmque illi præscriptum esset, vt in xenodochio Hierosolymitano pauperibus septennio ministraret, idque ipse in se omni cupidè suscepisset; eò abiit, & summa cum humilitate vilissima quæque sibi demandari enixè cupiuit, & in eo ministerio asperè, & tenuiter vixit, vsque ad annum M. C. L V. quò ad sua reuertens, in veternosa, & miræ crassitudinis quercu, excauato habitaculo, totis quatuordecim annis incoluit, cilicio semper, loricáque retentis, sub candida Præmonstratensis Ordinis veste, in qua ex hac vita faeliciter migrauit.* Hactenus ex libro secundo vitæ illius, quæ Eugenium concernentia, non licuit nobis omnino præterire. 8.

Eodem anno, si Martino Crusio fides; Fridericus Imperatoris Conradi nepos, nec multò post in imperio successurus; Vualdsasem, Cisterciensium Monachorum Cœnobium, cuius suprà meminimus, nuptiis cum Adelcide contractis, illustrauit. *Anno*, inquit [g], *M. C. XLIX. in eremitano Marisorum Cœnobio, primùm Friderici, primi post Conradum Imperatoris, matrimonium contractum cum Adeleide. Quam, cum Fridericus duxisset, nuptiæ Regio apparatu in Oppido Egra, præsentibus multis Germaniæ Ecclesiasticis, & sæcularibus Principibus, celebratæ sunt.* Verùm ne de alio, quàm de Vvsaldaso Cœnobio loquutum credas, subdit inferiùs. 9.

g Part. 2. lib. 10.

h *Idem ibid.* inferiùs [h]. *Est autem noua (anno M. C. XXXIII. fundata) eremitani in Mariscu Monasterij Cisterciensis Abbatia*, &c. Porrò eam Ecclesiam Friderico exinde caram [i], *præsentibus multis Episcopis, & Principibus, à Ratisponensi Episcopo Cunone II. consecrandam curasse*. Quod nos etiam superiùs memorauimus. De contracto Vvaldsasi matrimonio consonat Bruschius, quamuis differat tempus per plures annos.

i *in Chronic. Monast. German.*

---

1. Illustres viri Cistercio colla submittunt. 2. In Pontigniaco tres filij cuiusdam Reguli. 3. Explicata, & probata ratio temporis. 4. In Fusniaco Bartholomæus Laudunensis, 5. in Grandi-sylua Guillelmus Monpesulanus ex quo omnes Europæ Reges trahunt Originem; 6. dictum de tempore. 7 in Claraualle Henricus, Ludouici Francorum Regis frater, 8. & prophetante Sancto; 9. mira cuiusdam serui illius conuersio.

CAPVT III.

1. CELEBREM reddidere Cistercio præsentem annum, Henricus Ludouici Regis frater, Guillelmus Marchio Mōtis Pesulani, quem anno præcedenti inter obsidentes Dertusam, commemorauimus. Bartholomæus Laudunensis Episcopus, de quo multa in tomo præcedenti, quin & tres Reguli in ipsius album adscripti, quos Claraualllis, Grandis-sylua, Funiclaustrum, Pontigniacúmque, mundi gloriam fugientes, suscepere. Singulos prosequemur inuerso ordine, vt vltimum Henricum relinquamus, de quo plura in sequentibus dicenda.

2. Tres viros Principes, fratres, & Regis filios (etsi nomen, & Regnum memoriæ taceant) tunc ab Oriente cum Ludouico reduces, atque ea occasione Deo deuotos, mundana contemnere, sæcularis militiæ titulos fugere, hæreditaria bona aspernari, velut caduca; & soli Deo adhærere meditatos, traditio est. Porrò id Ludouico Regi renunciatum: & primò Spiritum si ex Deo esset, probasse; mox comperta diuina vocatione, laudasse propositum, confirmasse viros; & data optione, monasteria omnia obtulisse, quæ intra eius ditionem continerentur. Tum Pontigniacum electam viris sedem, quam multis donis pro innata munificentia, sed multò magis se ipsis illustrauerint. Et promouisse in tantum ædificia, exilia adhuc, & gementia sub paupertate, vt ferè fundatores habeantur illius domus. Sed periere, proh dolor! reliqua acta, periere & nomina: & neque hæc qualiscumque notitia superfuisset; si non in Tabularibus antiquis, occasione aperiendæ fundationis, pauca de eis scripta conseruarentur. Ea ex eodem Cœnobio ad me transmissa, lectori meo reddam totidem verbis.

3. *Quidam Scriptores, tres filios cuiusdam Regis extranei illud Monasterium* (nempe Pontigniacum) *condidisse aiunt. Quibus valefacientibus sæculo, Rex Francorum loci optionem dedit: qui supradictum locum elegerunt, atque ibidem Cœnobium Pontigniacense ædificarunt: quod minimè credendum est, cum liquidò constet triginta quinque annis ante istorum aduentum, Pontigniacum extitisse. Sed fortè auxerunt ædificia, & adiumentum ædificantibus præbuerunt; & vnde à multis creduntur conditores dicti Monasterij fuisse.* Hactenus ibi. Ex quibus clarè videas rationem temporis: fundato quippè Monasterio Pontigniacensi anno M. C. XIV. qui quinque & triginta annos sustinuerunt, hoc, quem transcurrimus M. C. XLIX. conuersos liquidò constat. Nec quicquam aliud occurrit de his viris, quibus fortè, quia dignus non erat mundus, notitia obscura; & reseruata cœlesti Curiæ.

Notior Bartholomæus Laudunensis, & ante infulas cuculla permutatas, sæpiùs repetitus à nobis in his Annalibus. Tunc scilicet, cum Norbertum Abbatem fouit, cum Præmonstratensi instituto fundando locum dedit, cum Diogenem in Cœnobio S. Ioannis, Monialibus expulsis, instituit Abbatem; non multò post ob probitatem viri in Cardinalem Episcopum Hostiensem ab Innocentio Papa promouendum. Cum denique Simone, & Petro sociis, Nouiomensi Episcopo illo, hoc Syluanectensi, ab Yuone legato Romanæ Sedis ob diuortium Radulphi, anathematis in se sententiam tulit, à qua tamen in breui est absolutus. Hic tantus vir, qui etiam recens electus Lauduni Ecclesiam combustam reparauerat, cùm sedisset annis octo supra triginta, Præsulatu abdicato, senex emeritus in Fusniaco Cœnobio eiusdem Diœcesis, non sine admiratione, Monachum induit, reliquum vitæ in quiete peracturus. De eo Robertus Montis, & ex Roberto Vincentius totidem verbis [a]. *Bartholomæus Laudunensis Episcopus trigesimo octauo anno sui Episcopatus, contempto mundi schemmate, Fusniaci induitur monachali schemmate.* At quantæ perfectionis vir euaserit, etiam vsque ad cœlestes de aliis fratribus acceptas reuelationes iidem auctores pergunt ita scribere. *Qui cum sederet aliquando cum cæteris Monachis ad collationem, aspexit quemdam Monachum, tardiùs, atque lentiùs aliis aduenientem, nigrúmque paruulum iuxta eum gradientem, atque per cucullam eum tenentem. Quod cùm Abbati suo retulisset, didicit ab eo, quòd Monachus ille valdè negligens esset.* Hæc de Bartholomæo iam ex Episcopo, & tyronem agente apud Fusniacum. Lauduni suffectus est Vvalterus, ad quem Bernardus [b] epistola breui, sed satis fidenti, & familiari. 4

a *Robertus in Chron. hoc ann. Vincent lib. 27. c. 26.*

b *Epist. 172.*

Verùm hoc item anno, vt acta constant, Guillelmum Dominum Montis Pesulani Grandis-sylua suscepit; dubium sub Alexandro, an sub Bernardo: namque hoc vltimo ad superos translato, Magistrum Alexandrum de Colonia, quem S. Pater biennio antè conuerterat subrogatum, constabit sub idem tempus. At de Guillelmi admiranda conuersione, celebrique, hæc Godefridus [c]. *Ad multorum aures famam credimus peruenisse viri Venerabilis Guillelmi, qui olim Montis Pesulani Dominus, nunc verus Christi pauper, & humilis Monachus degit in Cœnobio, quod Grandis-sylua vocatur.* Et alibi [d]. *Frater Guillelmus de Monte Pesulano, cuius & suprà fecimus mentionem.* 5

c *lib. 3. vit. S. Bern. cap. 1.*

d *lib. 5. c. 3.*

nem, vir magnificus olim in sæculo fuit, sed magnificentior in sæculi fuga, in Monasterio Grandissylua Monachus factus, &c. Hæc Godefridus? Reliquit Guillelmus ex vxore Sibilla liberos; ex quibus, genealogia producta ad nostrum tempus, Reges omnes, & Principes Christianos, Hispaniæ, Galliæ, Angliæ, Hungariæque, & Poloniæ; Duces Austriacos, Sabaudos, Lotharingos, Bauaros, & Saxones; ac demùm omnes, qui hodie Christo militant, originem ducentes, videre qui volet, legat Christophorum Butkensium in speciali tractatu, quem de hoc edidit, satis superque curiosè elaboratum, atque à Chrysostomo Henriquez Menologio subiunctum ante sexennium.

6. Porrò huius tanti viri conuersionem incidisse in hunc annum, inde deduco, quòd præcedenti, cum Raymundo Barchinonensi, obsideret Dertusam, quod ibidem notauimus: sequentes verò vsque ad obitum Bernardi vix sufficiant peragendo tyrocinio firmandóque: quin & aduentui viri in Claramvallem, redituique, & alicui interuallo, quod præcessit reuelationem, quam habuit de morte Sancti. Quæ tamen omnia, ab ingressu intercessisse declarabunt Annales: nec satis aptè cohærere valent, si infrà quadriennium concludamus. Sed de singulis dicemus suis locis. Nunc conuersionem Henrici celebriorem, & maioribus adhuc circumstantiis illustrem referamus.

7. Conuenit ille Bernardum in Claravalle, negotia quædam Regni tractaturus: sed quæ ipse pro regno temporali, in cœleste Bernardus commutauit, vocato homine, & tracto per efficaciam verbi, aut orationis. Annum Robertus Montis designat, dum ita ait [e] *Anno Christi. M.C.XLIX. Henricus Ludouici Francorum Regis germanus, contempto mundi schemmate, pro Christo, in Claravalle induitur Monachali schemmate.* At modum conuersionis Godefridus in vita sancti Bernardi longè exactiùs. [f] *Accidit, ait, vt veniens idem Henricus ad hominem Dei* (Bernardum videlicet) *super quodam sæculari negotio loquuturus, Conuentum etiam fratrum visitans, eorum sese orationibus commendaret. Cui Pater sanctus inter verba sancta exhortationis: confido, ait, in Domino, nequaquam in eo te moriturum, in quo nunc positus es, sed velociter experimento proprio probaturum, quantum tibi istorum prosit oratio, quam expetisti. Quod eodem postmodùm die non absque multorum admiratione completum est, & de tanti iuuenis conuersione cœnobium omne exultatione repletum.* Hactenus ille de Henrici conuersione.

[e] In chronicon hoc ann.

[f] Lib. 4. c. 3.

8. Verùm quæ alia eamdem sequuta sit cuiusdam famuli, qui dum, quem Monachum videt, pro mortuo luget, atque illi simul, & Bernardo conuitiatur; ipsius est prophetia, & oratione miraculosè conuersus, cum Henrico remansit in Clarauall e, pergit auctor scribere in hunc modum. [g] *Lugentibus autem sociis & familia tota, ac si mortuum illum cernerent, eiulante; præ cæteris Andreas quidam Parisiensis Henricum ebrium, Henricum vociferabatur insanum; nec conuitiis, nec blasphemiis parcens, è contra sanè idem Henricus pro illius potissimùm conuersione, Dei hominem dare operam precabatur. Cui vir Sanctus, audientibus multis: Dimitte, ait, hominem, modò anima eius in amaritudine est; nec pro eo multùm solicitus sis, quia tuus est ille. Cúmque amplius spe concepta, Henricus instaret, vt loqueretur Andreæ: seueriùs intuitus eum vir Dei: Quid hoc est, ait; numquid non iam dixi tibi: Tuus est ille? Audiens hæc Andreas (astabat enim & ipse) sicut plurimùm improbus erat, & à sacra conuersatione vehementer abhorrens, talia secum, (vt hodieque fatetur) tacita cogitatione voluebat: In hoc nunc scio falsum te esse prophetam. Hoc enim certus sum, quia loquutus es verbum, & non fiet. Hoc tibi ego coram Rege, & Principibus in celebri quocumque conuentu improperare non parcam, vt tua omnibus falsitas innotescat.*

[g] Idem ibid.

Cæterum quam admirabilis Deus in consiliis super filios hominum, ridens eorum vana conamina, vt propositum suum quando, & quomodo ipse voluerit, impleatur? siquidem die altera ibat Andreas mala omnia increpans Monasterio, vbi Dominum dimittebat, ipsam quoque desiderans vallem fundìtus subrui cum habitatoribus suis. Nec parum moti sunt, & mirati, qui prædictum viri sancti de ipso audierant verbum, cum taliter videretur abire: sed non diu pusillanimitatem eorum, & fidem modicam tentari passus est Deus. Illa tantùm die procedens, & repellens quodammodò gratiam Dei: nocte proxima victus, & quasi vinctus, trahente se, & vim faciente Spiritu Dei, diem expectare non potuit, sed exurgens ante diluculum, velocitérque rediens ad Monasterium, alterum nobis Saulum, vel magis de Saulo Paulum alterum exhibebat. Certet secum Bernardus de efficacia (nam cum alio, quî possit?) seu Deum oret, siue hominibus loquatur; dum ab eo nihil petit, quod non obtineat: his nihil suadere tentat, quod non persuadeat. Hæc eadem, verbis ferè mutuatis, transcribit Cæsarius: sed vix aliquid addens historia dignum.

---

1. Temporis ratio in multis, quàm annus notior. 2. Magister quidam ad Ordinem conuersus, renuente discipulo, 3. mox discipulus per visum terrefactus, 4. & cum ipso conuersus firmior permanet, 5. Sanctitas eius, 6. reuelationésque, 7. & voces Angelorum dulces auditæ, 8. Singularitatem vitat, 9. Christum Dominum corporeis oculis videt, 10. & spiritualibus Deum, prout in carne, 11. Damnata in his facilitas, & dictum obiter de sancta morte viri, 12. Beatus Fœlix conuersans, & discens, quæ, doceret, in Clarauallle,

Caput IV.

1. Antiqvorvm incuria sæpè cogimur, vt ea quæ circa breue aliquod tempus, sed incerto adhuc anno gesta noscimus, cum formidine alicui adscribamus. Adscribenda nihilominus sunt, ne dum à tempore timemus aberrare, ab historia aberremus: & pretiosiora illustrium euentuum fragmina, cum iactura lectoris prætermittamus. Quando euenerit, in dubio relinquatur, dum constet

constet aliquando; & vbilibet gesta reponantur, ne prorsus nullibi. Certè viuente adhuc Bernardo Patre, iuuenis quidam conuersus in Claraualle, egregiè domum illam illustrauit, quamdiu vixit; nec post mortem deseruit, clarus virtutibus, clarus reuelationibus, clarus miraculis. In iuuenili ætate primum exhorrens, mox cœlesti oraculo persuasus, Monasticam apprehendit disciplinam, à qua non vllis humanis persuasionibus; non vllis aliorum exemplis dimoueretur. Sed nos coæuum auctorem Exordij magni, hæc narrantem, in medium proferamus.

2. *Egregius* [a] *quidam adolescentulus, de partibus Germaniæ oriundus, comitante Magistro suo studiorum gratia Parisios adibat. Qui cùm transitum haberent per domum Claræuallis, magister ille videns loci conuentum, & ordinem, nescio quo Dei iudicio compunctus ad horam, petiit, & obtinuit, vt susciperetur ad conuersionem. Cùmque rogaret adolescentulum, vt secum remaneret, penitùs non acquieuit. Multum siquidem abhorrebat à consortio, simul & colloquio Cisterciensium Monachorum; sæpiúsque rogabat Deum, numquam sibi dari voluntatem ad Ordinem illum, causa conuersionis veniendi. Proinde rogantibus Magistro Fratribus quoque Monasterij adhortantibus eum, dura ceruice resistens, nullis prædicationum machinis poterat expugnari.*

a Lib. 3. c. 16.

3. *Ceterùm* [b] *quàm mirabilis sit Deus in consiliis super filios hominum, quámque irrefragabile stet sempiternæ prædestinationis eius arcanum, quis dignè admirari sufficiat? qualiter, scilicet, electorum suorum mentes misericorditer immutat, ridens eorum vana conamina, insuper voluntates sibi aduersas ad pietatis lineam dirigens: quatenus de ipsis, loco, & modo, & tempore, quo ab æterno decreuit, propositum voluntatis eius impleatur. Eadem itaque nocte, dum prædictus adolescens monita Fratrum mente reuolueret, facta est vox diuinitus ad eum dicens: si hinc recesseris, & Parisios veneris, & vsque ad Pentecosten moreris, sine dubio morieris. Ad hanc itaque vocem iuuenculus ille multum obstupuit; nec dum tamen potuit duritia cordis eius emolliri. Porrò sequenti nocte, cum sopori membra dedisset, videbatur sibi demersus esse in limo profundi putei. Cùmque ibi desperatus iaceret, subitò apparuit ei desuper ad os putei Beatus Ioannes Euangelista in vultu, & habitu Sancti Bernardi, tunc adhuc in corpore viuentis, cum alio quodam Sancto, qui & ipse simillimus esse videbatur cuidam religioso Monacho, nomine Gerardo, Portario Claræuallis. Quos cùm ille tremulus, & anxius vidisset, rogabat attentiùs, vt sui misererentur. Cui B. Ioannes respondit. Tu sano Consilio acquiescere contemnis, & opem flagitas à nobis? Cùmque ille promitteret se esse facturum, quidquid illis placeret, tantùm vt imminens periculum euadere mereretur: Vis ergo (inquit) fieri Monachus in Monasterio Claræuallis? Et ille: etiam Domine mi, libentissimè volo. Quod cùm firmiter pollicitus fuisset, eductum continuò de profundo laci, liberum eum abire dimiserunt.*

b Psalm. 65.

4. *Manè igitur facto, postulauit se quantociùs præsentari Beato Bernardo. Quem cùm antea non vidisset, mox illum in vultu, & habitu deprehendit, illum profectò esse dicens, quem transacta nocte, sub conditione conuertendi se, liberatorem habere meruerat. Proinde miratus vehementer, atque compunctus, protinus eidem se Sancto reddidit. A quo benignè susceptus mox in ætate teneriori grauitatis, & sapientiæ canos, cunctis mirantibus, induit. Porrò prædictus magister eius à proposito bono citiùs currens, & eumdem adolescentem euertere secum satagens, fundatum in Christi amore tyrunculum amouere non potuit. Hic ergo delicatus, atque tenerrimus adolescens, cùm esset annorum quatuordecim, manum suam ad fortia mittens, lætantibus Angelis, & hominibus, iugum Christi suaue portandum aggreditur, & quasi agnus ad aratrum suscepti Ordinis applicatur.* Hactenus de miranda conuersione prædicti iuuenis; ideo fortè firmiori, quia minus facili. At de admiranda eius sanctitate, & cælestibus, quibus plurimis claruit, tam de ipso, quàm ei ostensis reuelationibus, pergit auctor scribere in hunc modum.

Miserante [c] *verò Domino ab ipsis rudimentis conuersionis suæ induens fortitudinem induens, sed agni mansuetudinem retinens, tanta charismatum eminentia à primis annis enituit, vt conuersationis suæ elegantia, atque fragrantia contubernales eius vehementer affecti, congratularentur, sanctaque deuotionis, & humilitatis (quæ in ipso relucebant) exemplis informari certatim niterentur. Quidam verò Religiosus, ac spiritualis eiusdem cœnobij frater protestatus est mihi, quod aliquando vidisset visionem huiusmodi. Aspiciebat eumdem adolescentem Inuitatorium ante altare canentem. Porrò imago Crucifixi, quæ super altare erat, quasi melodiâ ipsius delectata, de Cruce descendit; veniénsque ad eum, expansis vlnis, dignanter amplexata est eum, illum verè sibimet astringendo ac deosculando eum. Quod cùm Frater ille vidisset, animaduertit in hoc, animam sanctam illius, & Deo placentem existere, & apud illius clementiam magnæ familiaritatis accessum specialiter obtinere.* Fauorem hunc concessum Bernardo Patri, nondum satis mirantur, quicumque narrant. Sed ecce ab ipso in filios deriuatus, atque ex eis ad nepotes, quod post videbimus, non tam personas, quàm Ordinem illustrat, veluti hæreditario iure possidendus. Pergit author de viro plura scribere. 5.

c Lib. 3. c. 16

Itaque [d] *cùm in omnibus Sancti Ordinis exercitiis deuotus, & feruens existeret, & per continuum sacræ compunctionis studium, Domini misericordiam enixiùs imploraret; quadam nocte apparuit ei in somnis Angelus Domini, & introduxit eum in quemdam thalamum gloriosum, in quo videbatur Dominus Iesus Christus in Cruce pendere, & B. Mater eius Virgo Maria, cum Beato Ioanne Euangelista iuxta Crucem illius stare. Quem, cùm ingressus fuisset, tantam suauitatis fragrantiam sensit, ac si cellam aromaticam respersam omni puluere pigmentario introisset. Videns verò Dominum Maiestatis, Passionis, & Crucis suæ signa piissima dignatione sibi repræsentantem, prostratus in faciem solo tenus adorauit; benedictionémque illius totis medullis cordis flagitare cœpit. Quam etiam diuina largitate domini consequutus, mox euigilauit. Sed visionem illam non vanam, seu illusoriam fuisse, manifestis indiciis declaratum est. Fragrantia nempè cœlestis nectaris, quam dormiens hauserat à somno excitatus mirabili suauitatis vnctione totum interiorem hominem suum delibutum sensit. Neque ad hoc momentum, sed tribus postea continuis diebus eadem benedictione se renouari, & illuminari gauisus est.* 6.

d Idem ibid.

Alia quoque nocte, cùm esset intentus orationi, meruit audire corporeis auribus Angelicas voces, harmoniam dulcem, atque præclaram in æthere personantes. Quarum videlicet vocum tanta erat altitudo, vt quantalibet sit humanarum vocum inten- 7.

tio,

tio, ad eam non posset ascendere. Cúmque fuisset in eis aliquandiu delectatus, sublata est tandem ab auribus eius melodia cœlestis amœnitas; sed remansit in corde concepta deuotionis immensa iucunditas. Ita vt sæpè memoriam abundantiæ suauitatis illius eructans, mira deuotione afficeretur, & totus in gaudium verteretur. His, & similibus de die in diem Psal 144.
crescens iuuenis sanctus; & spiritu, quàm carne longè adultior, sapientia, ætate, & gratia proficiebat; quò sanctior, humilior; & quò Deo acceptior, timoratior.

8. *Ibat* [e] (inquit idem, qui suprà, Auctor) *sicut Pater Abraham proficiens, ac succrescens, donec magnus effectus est valde. Sed quod omni magnitudine excellentius est, quantò potioribus donis cœlestis gratiæ cumulabatur, tantò se humiliorem, non solùm coram Deo, sed etiam coram fratribus suis exhibere curauit: nihil insolitum, nihil singulare in conuersatione sua præsumens, licèt ipsa communi vita singulari puritatis deuotione singularis existeret.* Audiant, & discant, quicumque hoc nostro sæculo sanctitatem à singularitate auspicantur; nec se meliores aliis esse putant, nisi præ aliis notabiles appareant, in victu, in vestitu, in phrasi, & modo loquendi, quæ etsi aliquando ex circumstantiis tolerabilia; sed frequentiùs suspecta: etsi ab hominibus in communi viuentibus vsurpentur, regulariùs damnanda, reliquos turbant magis, quàm ædificant. Sed redeo ad Sanctum, eiusdem auctoris verbis.

e Lib. 3. c. 16.

9. *Sed quoniam humilibus semper augetur gratia, adiecit Dominus se manifestare adhuc seruo suo; vt illum, quem cœli cœlorum, & agmina eorum, quem Cherubim, & Seraphim, cœlesti harmonia collaudant, in quem desiderant Angeli prospicere, Dominum nostrum Iesum Christum, in beatissima humanitatis suæ forma corporalibus oculis videre mereretur. Accidit enim quodam tempore, vt hic (de quo loquimur) beatus homo Sacris Quadragesimæ diebus ieiunantium, & orantium particeps effectus, cum Ruth Moabitide buccellam piæ operationis in aceto intinxisset salubris compunctionis, vt sacratissima Dominicæ Resurrectionis præsentia illustraretur. Cúmque sicut tanta diei solemnitas exigebat, solemnes à Fratribus Vigiliæ deuotissimè celebrarentur; ipse laxato intima meditationis sinu, secum cœpit attentiùs cogitare de Passione, & Resurrectione Domini: ita vt ardenti pietatis affectu totus in lachrymis funderetur, & ecce secunda lectione iam lecta, cùm, Responsorium* (Angelus Domini) *à Conuentu cantaretur, repente, qui in corde eius deuotionis ignem accenderat Dominus Iesus Christus, vigilanti, & flenti apparens, stetit antè illum in medio Chori, manus suas expandens, & quasi ostendens ei. Porrò in eius beatissimis palmis loca clauorum euidentissimè apparebant: ita vt de ipsis plagis recentibus sanguis emanare videretur. Viso itaque Domino, frater ille gauisus est gaudio magno valde. Sed obstupescens, & quasi extra se factus, nesciebat in arcto temporis spatio quid agere deberet. Volebat namque in medium prosilire, & pedes apprehendere Saluatoris. Sed retinebat eum pudor, & reuerentia Conuentus; ne velut insaniens reputaretur. Nam, & hoc ignorabat: verum videlicet apparens Dominus, ab ipso solummodò, an & ab aliis pariter videretur. Flebat autem vberrimè, erátque cor eius in semetipso pietate liquescens, præ immensa dulcedine amoris ipsius, quem intuebatur. Eadem verò apparitio Domini tandiu durauit, quoadusque in Responsorio, quod tunc cantabatur, dictiones istæ* Iam surrexit, venite, & videte *tanta morositate, quanta à Sancto Conuentu illo cantari solebant, prædicarentur. Quis autem digne explicare valeat, quantum de visione illa profecerit, quomodo cunctis motibus, & affectionibus vniuersis anima ipsius recreatis, & renouatis in amore illius, quem viderat, totus incanduerit? Solius dantis, & accipientis nosse est; quàm festiuos exindè cum dilecto suo duxerit dies, cum Sponsa non tam vocibus oris, quàm affectibus cordis exclamans:* [g] Inueni, quem diligit anima mea: tenui illum, nec dimittam: *& cum Patriarcha Iacob* [h]. Vidi Dominum facie ad faciem, & salua facta est anima mea.

f Cant. 3.
g Gen. 32.

Quia verò in humilitatis custodia fiducia pedem vlteriùs extendere curauit, vt secundùm diuinum promissum: [i] *Omnis locus, quem calcasset pes eius, ipsius fieret, adhuc excellentiori charismatum gratia ditari meruit. Qui enim sicut iam diximus, Christi Domini nostri dulcissimam humanitatem beatis oculis conspexerat: etiam ad sempiternum indiuiduæ Trinitatis arcanum contemplandum, quantum quidem homini adhuc mortali carne circundato possibile erat, mirabili dignatione gratiæ Dei admissus est. Factum est namque in die Sancto Pentecostes, dum a Fratribus alacri instantia sacra vigiliæ celebrarentur; & iam diuinus ille Hymnus* Te Deum laudamus *in quo Euangelicæ gratiæ prænuncia laus figuratur, cantaretur, & vniuersitas Fratrum mystica illa verba, quibus sub distinctione personarum, vnus Deus prædicatur, & adoratur, scilicet.* Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth, *ob honorem Sanctæ Trinitatis, cum summa reuerentia inclinationis (sicut est consuetudinis) cantaret: in ipsa inclinatione prædictus seruus Dei, non quidem scrutans, seu commissum fidei secretum erumpere gestiens, sed pauendo, tremendo, & adorando, & admirando, cœpit in simplicitate cordis sui meditari, quantum sublime, & incomprehensibile esset tantæ Maiestatis arcanum: quam nosse, via, & vita æterna esset: quam sapere, sapientia sine errore esset: in qua delectari, voluptas sine comparatione: cui conformari, similitudinem Dei, quam in Adam perdidimus, recuperare est: cui seruire, regnare est: sine cuius gratia* [h] *omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram ipso: quæ in futura vita erit sanctis omnibus* [i] *pax exuperans omnem sensum, & gaudium sine interpolatione, seu temporis discursione! In inclinatione verò illa diuina reuerentia exhibita cùm Frater ille se erigeret, subitò aperti sunt intellectuales oculi eius, & quasi totus extra se raptus vidit visionem quamdam gloriosam, atque admirabilem de Trinitate, quæ Deus est. Quam mirabiliorem, digniorem, atque excellentiorem esse omnibus visitationibus, quibus vnquam à Domino visitari meruerat, intelligebat. O felix anima, in qua diuinæ dilectionis ignis scoriam peccati, & rubiginem negligentiæ vsque adeò exterserit, vt illam dulcedinem, illam beatitudinem, quam Dominus dilectis suis reseruat in premium, in hac corruptibili vita prælibare quodammodo, & prægustare mereretur! Felix nihilominus Beatissimus Pater ille Bernardus, sub cuius disciplina tanta perfectionis discipuli in Claraualle floruisse noscuntur.* Hactenus ibi. 10.

h Isai. 4.
i Philip. 4.

Nostrum hoc sæculum nouitatum feracius, quàm virtutum, diuinam essentiam ostensam viro diceret: & quod de Paulo, quod de Moyse in dubio positum, facilè de quocumque adseueraret. Antiqui quò sanctiores, modestiores semper cum addito, & quantum homini in hac vita, carne circumdato, quas referebant, visiones temperabant. Nec Trinitatem visam proferre audent, sed quan- 11.

dam de Trinitate visionem excellentiorem aliis, quas aliàs accepisset, non facialem. Sex supra viginti annos in Claraualle vixisse virum, tradunt; & quadragesimo ætatis. *Sicut syncera deuotione vixerat, ita felici defunctione carne exemptum.* Christi nimirum. M. C. L X X V. Si hoc, quem nunc describimus conuersus; sed qui de vocatione dubitamus, nec de consummatione definimus, dolentes interim nomen sancti viri, sicut & annum suppressum ab antiquis, quibus facilè fuisset propalare.

12. Inter hæc (si qua fides historiæ [k] nuper editæ, Sanctissimæ familiæ, quæ à Deo magis cœpta, quàm ab hominibus, ab ineffabili mysterio Trinitatis nomen accepit) vnus ex primis eius institutoribus B. Fælix, tunc adhuc Hugo dictus, cognomento Vallesius, Ranulphi Comitis, atque Eleonoræ, Theobaldi Blesensis Sororis, filius ægrè licentia à Parentibus accepta, frequentabat Bernardum, Henricúmque; atque ab illo auditurus verba vitæ, cum hoc aut collaturus, aut experturus, Claramuallem deuotus inhabitabat: vt inde adolescentiam ordiretur, vnde infantiam incepit: & qui recens ablutus sacro fonte, Claramuallem delatus, primitias vitæ per Bernardum Deo sacrauerat (quod superiùs descripsimus [l]) iam sui compos, atque annos viriles dudum ingressus, disceret à Bernardo, qualiter incentiua carnis domaret. Disceret & à Sancta illa Congregatione, regularia instituta, quæ postmodum doceret, dum filios propagaret per totum Orbem. Vt verè credi posset traditurus præcepta, legésque, quas Deus sibi dictaret; sed omnia iuxta exemplar, quod illi priùs in Valle, vt olim Moysi in monte, monstratum fuit.

k Lib. 1. c. 8. & 10.

l Ann. 1117. c. 3 n. 10.

---

1. Bernardus pacem inter Comites discordantes reformaturus, bestiis primùm, 2. dein hominibus imperat. Resilientem à mandatis vincendum præuidet, 3. Iuuenem aquis submersum à mortuis suscitat, 4. Ioannes Aletensis Claramuallem adit, 5. ad Bernardum non inuentum in ea scribit; 6. & pro ipso Henricus. 7. Mox ad eumdem Sanctum proficiscitur, cum litteris Prioris, 8. & Nicolai. 9. Coniectatum de exitu negotij, 10. & dictum de Monachatu Ioannis, ac Sanctitate.

Capvt V.

1. HOc item anno, quantum ex serie historiæ licet conijcere: cùm Comites Vienæ, atque Florestæ inuicem impugnarent, inuicem caderent; Bernardus Pater componendis rebus, atque animis pacandis vocatus est, cui neuter resistere auderet. Obuiatum ab auctore discordiæ consiliis pacis: & duo Lupi in itinere obiecti supra insitam sæuitiam furentes rabie; eóque horribiliores his, qui transibant, terruere venientes, & penè cunctos à cœpto reuocarunt. Consultum de retrocessione est à sociis viæ, ne se, ne Sanctum periculo exponerent, in detrimentum Reipublicæ Christianæ. At Beatus Abbas charitate flagrans, & fide feruidus, nec ab opere pacis dimouendus, Angelus pacis: periculum non tam contempsit, quàm amouit. Pergamus (ait) securi, in Christi nomine. Et iam fidentes verbis Abbatis Sancti accedebant ad locum; cùm ecce bestiis obuiam occurrentibus, contremuere omnes, gelidúsq; per ima cucurrit ossa tremor: nec quidquam aliud, nisi ad virum Dei confugere, prensare genua, tenere cucullam, quasi sub vmbra illius protegerentur. Nec fefellit qualiscumque fiducia viros bonos, quamuis ex diffidentia trepidauerint; modicæ fidei (Bernardus Pater ait) quare dubitastis. Dein ad lupos, protenso signo crucis fidenter imperans, immobiles reddidit, quoad vsque omnes illæsi pertransirent. Quin & ferocia, cum rabie simul deposita, ex illa die nemini nocuisse, ingenti populorum confinium vtilitate, narrat antiquus Auctor, [a] quem Sylua transtulit.

a Lib. 7. c. 6.

2. Peruenit Sanctus ad Comitem vtrumque, atque vtrique suggessit consilia pacis; alterum obsequentem expertus, nec dubium quin, quia inferior viribus erat; rebellem alterum, nec antea mitigandum, quàm æmulum de medio submoueret. Mirum quod audeant homines resistere, cui bruta obtemperant. Sed non impune factum euentus edocuit. Cum Marte iniquo vtrimque pugnaretur, altero quippè longè potentiori, eóque fidentiori; altero è contra ferè diffidenti: Sanctus Abbas, ne timeas, ait, Comes; confortare, quia vinces in Christi nomine. Dixit, & tubis vndique sonantibus, cum bellum atrox vtrinque, sed aliunde eò atrocius, quò potentius, inchoaretur; & iam victoria cessura potentiori, velut in ianuis staret: subitò mutata fortuna, vincendus, victor; & qui victor futurus sperabatur, non solùm victus, sed captus inuentus est, tum demùm pacem, vel inuitus, confirmaturus.

3. In hoc itinere dubium, an in diuerso: certè per hoc tempus, cùm Sanctus Pater fluuium nauigio transiens, pontem, cui adolescens insidebat, veloci cursu quassatum, commouisset; vnde ille repentino casu præceps, submersúsque, animam inter aquas exhalasset, non sine magna circumstantium miseratione: corpus exanime sisti sibi iussit, ac fusis precibus, reuocato spiritu, hominem luci vitæque restituit, pauentibus turbis, & Deum collaudantibus, qui solus potest mortuos viuificare. Hæc idem Auctor Gallus, ex quo Sylua; & nos hactenus dicta; quem Ioannem Eremitam multi putant: alij alium, sed coëuum, & fidei integræ, de cuius dictis non liceat dubitare. Sic Bernardus Martino comparatus, quod in pluribus aliis superiùs vidimus, in hoc etiam ei similis euadit; trium mortuorum suscitator magnificus: Blasphemi hominis, quem Deus morte mulctauerat; mulieris extinctæ ad Claramuallem, & huius in fluuio submersi adolescentis, quos de faucibus mortis liberauerit.

4. Cùm hæc negotia Sanctum detinerent, accidit vt Venerabilis Ioannes Episcopus Aletensis, siue Sancti Maclouij (nam eamdem tunc sedem ex Sigeberto, & aliis, Picardus [b] probat) qui in causa cum Monachis Maioris Monasterij, super Episcopali iure, coram Comprouincialibus conuentus, suspensúsque, Romanam Curiam, & Eugenium appellauerat; ab eodem Pontifice repulsus, atque ad priores iudices remissus, quos antea leuiter suspectos habuisset; nunc iam grauiùs haberet,

b In not. ad epist. 13. Nicolai.

quia recusasset. Id contra Eugenij morem factum, perspicuum est: sed factum tamen: forte vt Episcopus, quem sanctum mox dicemus, per has tribulationes perficeretur. Ergo cùm se nequaquam exauditum, quin nec auditum à Pontifice videret, Claramuallem aduenit, velut Eugenium ad Bernardum Parentem (quod vnicum remedium) appellaturus. Verùm cùm Sanctum nequaquam inuenisset, sustinendum putauit eius aduentum, litteris interim datis ad S. Patrem, nec solùm suis, sed & fratris Francorum Regis, nempe Henrici, cùm adhuc tyronem ageret, & tempus professionis suæ præstolaretur, quibus & virum summè commendaret, & liberandum de manu potentiorum, Bernardi auctoritate, consilióque, quanta posset, instantia deprecaretur. Atque ecce exemplar epistolæ vtriusque, quas tamen à Nicolao dictatas, quem superiùs meminimus, argumento est, quod inter epistolas ipsius circumferuntur. Transcribam primùm epistolam Episcopi, mox aliam.

5. *Patri* [c] *suo, & Patri omnium bonorum, Bernardo Claraualensi Abbati, frater Ioannes Aletensis Episcopus, & hic honestari in laboribus suis, & illic honorari cum Angelis.*

c Epist. 31. inter Nicolai.

Vtinam viderem vos, non scriberem vobis & dolorem meum liniret, & leniret vestra suauitatis affectus. Contristatus sum enim in exercitatione mea, quamuis iuxta Sapientem, ipsa tribulatio sit mihi pro solatio, non conscientia, sit pro flagello. Scio enim, quia fœliciter sunt miseri, quos constat non meruisse, quæ perferunt. Propterea ex me, quæ circa me sunt, scribo vobis; breuiter tamen, ne quos mundo debetis oculos, detineam pagina longiori. Post datam in me sententiam iuxta vestrum consilium, perrexi ad Dominum meum, quem constituit Dominus, dominum domus suæ, & Principem omnis possessionis suæ: ad quem ingressus plus inueni iudicis, quàm Patris, minùs misericordia, quàm censura. Præuenerunt enim me homines Monasterij maioris, & maiores facti sunt me, facientes voci suæ vocem virtutis. Dixerunt me subterfugisse Episcoporum audientiam, in quorum manibus ipse me posuerat audiendum. Non solùm autem hæc, sed quæcumque vndecumque colligere potuerunt, proposuerunt aduersùm me, & cum multa pace auditi sunt. Cúmque paratus essem repellere, vel refellere, quæ dicebantur, noluit me audire vniuersitatis iudex, non illi imputetur. Sed & super dolorem vulnerum meorum addidit, remittens me ad illos, ad quos ante me miserat, quos ex parte suspectos habebam, & adhuc manus eius extenta, quia suspensus accessi ad illum, & suspensus ab illo recessi. Et quamuis nihil horum consciens sum, quæ illi malitiosè composuerunt aduersùm me: porto tamen iudicium patienter, etsi non libenter. Scio enim me meruisse grauiora, quam patior, tanquam seruus malè operans, & dignus omni indignatione. Verumtamen duram prouinciam nactus sum homo minimi census, & sensus minoris illos aggredi, & cum illis ingredi causam, qui confidunt in virtute sua, & in multitudine diuitiarum suarum gloriantur. Hinc est, quòd inter vestros Claraualenses positus expecto consilium vestrum, tanquam consilium Dei: quia nemo poterit eripere pauperem Episcopum de manu fortiorum eius, nisi vestra manus tota obuiauerit infestantibus, & diripientibus eum. Domine Pater, paratus sum, & non sum turbatus, vt custodiam mandata tua, & vtinam voluntas tua (si Domini voluntas est) cum mea voluntate discordet, beneplacitum vestræ dignationis, si dignum iudicatis, renunciate puero vestro, quia non est consilium, & auxilium nisi ad vos, & ex vobis, amantissime Pater. Hæc pro seipso Ioannes ad Bernardum: at Henricus pro illo hæc, quæ sequuntur.

Patri suo: filius suus Henricus, quidquid filius Patri. 6.

Non est insolentia, sed confidentia, quod vobis scribo, benignissime Pater. Scio quia non est meum loqui, sicut vulneratus N. & dormiens in sepulchris, sed Zelus, fateor, vrit animam meam pro paupere isto Episcopo: qui, quia iustitiam coluit, voluit æquitatem; plaga inimici percussus est, castigatione crudeli. Quia voluit sedere in sede sua, & Episcopo Episcopalia resignare, hoc est maximum, & primum peccatum. En sanguis iste de manu tua exquiritur. Si quid ergo ego possum in oculis Patris: imò quia multum possum, facite negotium eius, sicut illi noueritis expedire. De cætero latus, & incolumis, sum, & expecto videre faciem vestram, sicut faciem Dei. Prope est enim dies desponsationis meæ, quo feriam pactum Domino cum Deo per manum vestram, & sub custodia vestra, vt seruiam ei die, ac nocte, & omnibus diebus vitæ meæ, amantissime Pater. Ita Henricus sub finem huius anni, aut sequentis initium, cùm annus probationis elaberetur. Vbi Picardus eruditè adnotauit mendum in textu, & pro Aletensi, Alicensem irrepsisse, facili amanuensium deceptione.

7. Detinebant negotia Bernardum Patrem, nec poterat tam citus aduenire, quàm causa Macloviensis decidenda, & suspensio indicta præstolabantur. Ergo cùm aliquot dies sustinuisset, virum Dei adeundum sibi putauit, nec sine litteris Prioris Claræuallensis, quæ sanctum hominem Sancto commendarent, quarum hic tenor.

Fratri suo, frater Rualenus.

Iste vir Episcopus pauper, pauperum amicus. Et quod maius est, paupertatis amator, veniens ab vrbe, venit ad nos, & per nos, sperans vos inuenire nobiscum. Retinuimus eum communi consilio, tam pro familiaritate, qua vobis deuinctus est, quàm pro necessitate: quia non habebat, vbi reclinaret caput suum. Omnes amici, inimici: omnes necessarij, aduersarij facti fuerant; & aggrauauerat manum suam super eum manus potentis, filius excussorum. Quam benignè intrauit, & exiuit nobiscum, quantúmque commercium cum paupertate habeat, viderunt oculi nostri; non est consilium, non est auxilium, sed nec refugium, nisi ad vos, & in vobis. Venit ipse ad vos, & nos cum eo, & pro eo, & si non corpore, spiritu tamen. Aperite illi illum vestræ pietatis latissimum sinum: quia (nisi multum fallimur) negotium Dei est: & si Dei, & nostrum, & vestrum. Complacuit in illo vniuersitati nostræ propter veritatem, & mansuetudinem, & iustitiam, quæ eum etiam inimicis commendabilem reddere possunt. Sed si hac vice ad vestros Claraualenses redieritis, reducite eum vobiscum: & tunc videbitis, quantam solicitudinem, & teneritatem super eius tribulationibus habeamus. Poteritis etiam loqui de negotio eius cum fratre Gregorio, quem Dominus Papa misit ad vos pro negotiis suis. Hactenus Prior, quem tamen non Rualenum, sed Reinerum, ex Cathalogo Priorum Claræuallis liquidò constat, nec dissimili mendo effectum est, vt Bernardus non pater, sed frater contra consuetum, contra filiorum innatam reuerentiam, scriberetur.

8. Verùm vt Reinerus pro se, & totius sui Conuentus nomine ad Bernardum: sic ad Notarium eius Godefridum Nicolaus scripsit, eumdem illi Episcopum commendans, in hunc tenorem.

Gaufrido

8. *Gaufrido e suo, suus Nicolaus, quod suus.* e Inter epist. Nicolai 42.

Quod te meum appello, non adulationis, sed dilectionis est argumentum; nec mirum, si tu meus es: quia ego sum tuus, & tuus ero, quandiu fuero. Conuersatione enim, & litteratura pariter amplectendus perennem in pectore meo meruisti mansionem; vnde licèt presentia remotus sis à me, memoria tamen totus es apud me. In sacrario enim casti, & castificantis amoris præsentiores sibi sunt, qui se animis, quàm oculis intuentur: quia plus est connecti corde, quàm corpore. Totum ergo illud familiaritatis arcanum, quod mihi seruas in pectore tuo, experiatur Dominus Aletensis Episcopus in negotio suo. Totus enim Episcopum viuit, nihil habens in vestibus, & moribus de supercilio Pharisæorum admixtum. Pauper est, & pauperum amicus: & quod maius est paupertatis amator. Insurrexerunt in eum viri absque misericordia, antiqui fratres mei: quibus antiquum est aurum, & argentum effundere, vt confundere possint populos in vniuersa terra. Vbique terrarum pestilentialis iste morbus excreuit, & non fuit adhuc, qui insolentes reprimeret; qui se opponeret murum pro domo Israel; qui sagittas suas compleret in eis. Putaueram ego, quod ille, quem posuerunt custodem in vineis, putaret huiusmodi infructuosas vites, & sterilia sarmenta recideret. Sed res in contrarium relapsa est. Homines enim Monasterij Maioris maiores fecit incuria, vitrum maiori pecunia, nescio; Deus scit. Traditus est pauper Episcopus in animum inimicorum suorum: & quos suspectos habebat, iudices accepit: vbi veraciter dicere possit: Et inimici nostri sunt iudices. f *Vnum tamen ei inexpugnabile refugium remansit, pater tuus, imo & meus: quem Monachi nec auro corrumpere, nec minis concutere, nec blandimentis seducere potuerunt in æternum. Vnus enim exceptus est ex filiis Adam, qui integer inter munera, & intrepidus inter minas, Dei sibi similitudinem induit: apud quem non est acceptio personarum. Elabora, & effice apud eum, vt pauper Episcopus eripiatur à diripientibus eum, & exaltetur apud proximos suos, & super inimicos suos despiciat oculus eius. Litterulæ enim, quas ei, & pro eo fecisti, non solùm non profuerunt, sed plurimùm nocuerunt: quia docuerunt Dominum Papam de ambiguitate verborum suorum ad Romanam tergiuersationem recurrere: & de his satis. Cæterùm ora pro me, & ora patrem meum orare pro me; curam agere de me, compassione esse iuxtà me: nostra enim vniuersitas expectat illum, vt videat faciem eius, tanquam vultum Angeli stantis inter illos. Vale, & dilige diligentem te; saluta mihi Dominũ Philippum; Iã enim pridẽ cõglutinata est anima mea, animæ illius.*

f Deut. 31.

Quid in negotio isto factum sit, siluerunt antiqui, nisi quòd tamen Episcopum vicisse argumento est, epistola quædam alia Petri Cellensis, eiusdem familiaris, post mortem Sancti, hominem increpantis, quod quereretur, destitutũ se eius patrocinio; nempe quod esset expertus, dum ille viueret. 9.

Miror g (ait) *vos scripsisse, destitutum patrocinio Sanctissimi Patris nostri Bernardi, cum sancta eius anima nexibus expedita mortalitatis, non charitatis; corruptionis, non compassionis; necessitatis, non voluntatis, liberiùs aures nunc appellet piissimi Conditoris, pro necessitatibus populi sui: Non mihi contingat de gratia ipsius diffidere, de orationibus eius desperare.* Habuit ergo, dum vixit protectorem, quem deplorabat defunctum, & sine quo de negotiis desperabat. Reliqua obtexit caligine antiquitas; nisi fortè in Maiori Monasterio, aut in Ecclesia Aletensi aliqua eorum clarior notitia extet.

g Lib. 1. epist. 16.

Hic ille Ioannes, Begardi quondam Abbas, seu Syluæ putridæ, cuius domus tenellã plantationem, etiamsi ad lineam Cistercij pertineret, Bernardus Pater illi commendauit contra consuetum, ad petitionem fundatoris Stephani, vt suo loco adnotauimus. h Porrò post incrementa eiusdem domus assumptus in Episcopum Maclouiensem, Ecclesiam illustrabat, doctrina, meritis, & miraculis gloriosus: ob quæ post mortem meruit venerari. Meminit eius Iacobus Sirmondus, Societatis Iesu, Author non contemnendus, in Notis ad epistolas Petri Cellensis, i vbi & de cratibus, siue de craticula (vulgo *Drugille*) ex ferreis cancellis, qui Sacrum eius tumulum circumstant, à populis vicinis vocari tradit. *Hunc* (ait) *Ioannem Maclouiensem Episcopum, Ordinis Cisterciensis Monachum, vt sanctum venerantur, indidéque à clathris ferreis, qui tumulum eius ambiunt, cognomine, Sanctum Ioannem de Craticula vocant.* Ioannes Chenu k cognomen. S. Viri, & permanentem adhuc eius memoriam in Ecclesia Aletensi obiter pandit. *Sanctus Ioannes Drugille, id est de cratibus, qui chorum Ecclesiæ cathedralis ædificari suis expensis curauit.* Hæc tantùm ille in Catalogo Episcoporum Maclouiensium. Reliqua mihi penitùs ignota, nam vitas Sanctorum Britanniæ Armoricensis, ab Alberto Gram conscriptas nancisci non potui. Virum eximiè familiarem Petro Cellensi plures epistolæ l eius manifestant. Sic Sancti passim occurrunt, passim Pontifices ex Cistercio assumpti, quorum vix præter nomen, idque ab extraneis Authoribus mutuatũ, quid aliud habeamus, quod propalemus. 10.

h Ad ann. 1130. c. 7. n. 4.

i Lib. 1. epist. 15.

k In Catalogo Episcop. Maclouens.

l Lib. 1. epist. 15. vsque ad 19.

---

1. Adam Monachus ad Claramuallem transit ex Caziaco, 2. Ad Abbatem Caziasensem Simonem scribit, 3. & ad Petrum Cellensem, 4. Hic ad Bernardum, Abbatis turbationem: 5. & Bernardus ad ipsum, rationem facti, 6. & de eodem Simone remissiuè, 7. Nicolaus Monachus Altisiodori ægrotat, 8. Petrus Cluniacensis pro eo, ad Bernardum scribit: 9. dein ad ipsum, 10. Bernardi responsum; 11. & Petri, pro Nicolao ægrotante solicitudo.

Caput VI.

1. Hoc primùm anno, Bernardi obsequentissimus Petrus Cellensis Abbas, in his Annalibus venit memorandus: ætate iunior, sed zelo religionis, & doctrinæ opinione, Cluniacensi, aut æqualis, aut vix inferior. Vt duo præclara illius sæculi lumina, Benedictinæ vtrumque familiæ, vterque Petrus, atque vterque Abbas adhærerent Cistercio: & alterum in occasum iam vergens, alterum oriens, charitatem in nostros veluti anticipata successione, à Patribus ad filios continuarent: quascumque pusillorum æmulationes, quæcumque scandala emergentia inter vtrosque

que, non sine fœnore gratiæ extirpaturi. Memoriæ occasio, quam & scandali potuit, Adam Monachus de Caziaco transiens ad Claramuallem, atque ibidem, post longam licèt repulsam, tandem susceptus: idque sine actuali consensu sui Abbatis; siue quod antea eiusdem conniuentia, obedientiam Bernardo promisisset, in qua putabat concessam licentiam transitus; siue quod ipse Abbas à multo tempore Abbatiam dimittere; atque ad Claramuallem transire deliberabat: nec credi posset aliis obstiturus, in eo ipso, quod sibi præoptaret. Extat epistola eiusdem Adami recens admissi; ad Abbatem Caziaci, qua suæ reddit rationem mutationis, his planè verbis.

2. *Domino,*[a] *& charissimo Patri S. Cazeiensi Abbati, frater Adam, non contristari, quidquid ei acciderit.*

a Inter epist. Nicol. 19.

Non sunt in homine via eius: & viam, maximè iuuenis, quis inuenit? vel cognouit. Hoc est illud quartum, quod penitùs ignorat ille Salomon,[b] *Sapientia singularis; sublimis gloria; rebus affluens; pace securus. Leuitas enim iuuentutis comes, natura confusio, infusio vitiorum, adolescentia vias tortioribus semitis interuoluit, vt non facilè possit agnosci, vnde iuuenis veniat, aut quò vadat. Hæc idcircò dixerim, vt sequentibus litteris viam faciam, & aperiam, vobis cor meum, quod diu operueram ante faciem vestram. Ad quid tàm longus verborum circuitus intendit, & quò tendit tàm audax, sed non mendax, oratio? Audi paucis, Domine Pater; affectum cordis mei, qui memoriam tuam impressit in pectore suo in æternum, & in sæculum sæculi. Diu est quod deliberaui in corde meo vt ingrederetur ad cor meum, & venirem ad vestros Clareuallenses, & reliquum dierum meorum agerem inter illos, & cum illis. Dissimulaui, fateor, & conceptum propositum meis visceribus inuolaui, ne reuelatum velociter laberetur. In hoc spiritu veni ad homines Dei, & tamdiù pulsaui, donec impetrarem ingressum, & ecce cum illis sum, quasi vnus ex illis. Placeat tibi Domine Pater hoc holocaustum, quod obtuli de corpore, & corde meo, Domino maiestatis, & sit in beneplacito voluntatis tuæ, vt voluntatem tuam renuncies puero tuo, quia tuus sum, & tuus fui; & tuus ero, in sæcula.*

b Prou. 30.

3. Hæc Adam ad Abbatem, quem deseruerat. Verùm cùm illum haud leuiter pacandum coniectaretur; Petro Cellensi, cui ipse plus debebat, quippè qui virum præfecisset suo Conuentui, & quem Abbas plus aliis venerabatur, scribendum putauit in hunc tenorem.

Singulari[c] *Patri, & Domino Petro Cellensi Abbati, frater Adam, quidquid est, & quidquid potest in Domino.*

c inter Nicol. epist. 20.

Nihil est amicitia dulciùs in rebus humanis, sed hoc fit cùm hominis persona diligitur: non fortuna; hac dilectione dilexisti filium tuum, Pater Sancte, vt aliquando dum recordor miserationum tuarum, cor meum, & caro mea exultent in Deum viuum. Eram enim iuuenis ætate, pauper sensu, pauperior meritis; & tu; dimissis illis, qui me tàm religione, quàm scientia, transcendebant; iunxisti lateri tuo, tuo Conuentui prætulisti. Quid retribuam Domino, pro his omnibus, non quæ retribuit, sed tribuit mihi? scio quid faciam. Memoriam abundantiæ suauitatis tuæ eructabo, quoad vixero. Sed quousque longum facio prologum, & non nudè, frontoséque dico, quæ dicenda sunt? loquar ad Dominum meum, vtinam iocundum sit ei eloquium meum. Iuxta enim vocem Viri Sancti, conceptum sermonem tenere, quis potest? tacere non possum, dicere non audeo; dicetur tamen. Diu est, amantissime Pater, quod proposueram ascensiones in corde meo, vt ascenderem ad locum sanctum, locum illum, quem elegit Dominus ex omnibus locis terrarum, vt esset nomen suum ibi; nec iuuenili, vt assolet, leuitate iactatus, sed morosa deliberatione firmatus, texi propositum, ne expositum, penitùs deperiret. Arreptus igitur in spiritu iudicij, & spiritu ardoris nec vlteriùs valens, vel volens dissimulare spiritum libertatis, veni ad vestros Clarauallenses plorans; & orans, vt reciperent me in concilio iustorum, & congregatione. Pulsaui fortiter, sed fortiùs repulsus sum. Perseueraui, impetraui, intraui, & ecce sum inter illos, quasi vnus ex illis. Obsecro vos, per viscera misericordiæ Dei nostri, vt non contristemini sicut & cæteri, qui spem, non habent: quia de vestris, ad vestros transiui; vestros non verbo, neque lingua, sed opere, & veritate. Videte quantum confidant de vobis, qui sine vobis retinuerunt me, scientes, quia ipse in vobis, & vos in illis Serenissime Domine, & amantissime Pater. Vale.

Hæc Adam recens admissus in Claraualle calamo Nicolai, quo multi alij vsi, dum illic fuit. 4.
Verùm cum Abbas charo orbatus filio, nullis aut excusationibus mitigaretur, aut precibus acquiesceret, Petrus Cellensis Bernardo parenti primùm, de turbatione hominis (sed quæ inter eiusdem epistolas non extat) mox Bernardus ad eum rationem facti, nec Monachum reddendum, indignum Regno, si semel ad aratrum, missa manu, retrò respiceret: quin Abbatem consultiùs fortè venturum, his planè verbis censuit respondendum.

Petro[d] *Abbati de Cella, pro Monacho Caziacensi, qui transierat apud Claramuallem.* 5.

d Bern. epist. 293.

Vnde mihi scripsistis, ita respondeo vobis. Molestiam Domini Caziacensis nulli arbitror molestiorem esse, quàm mihi. Sed puto vos non latere, voluntate, & præcepto ipsius tam ex longo illum Monachum factum nostrum; & mihi ipsum obedientiam promisisse, & me curam illius suscepisse. Quoties extunc volentem venire repuli, venientem remisi, recordari facile non est. Tandem modò veniens, me nolente, remansit, & nullo modo ei persuadere reditum potui. Dicebat autem, quia si nos eum proiiceremus, se longiùs & nullatenus rediturum. Sed nec sic assensum meum habens, imò & contra consilium meum intrauit. A quo vsque introitu, salua conscientia, eum prohibere non potui; nec proiicere possum, vtpotè, vt dixi, iam olim in meam receptum curam, & de quo redditurus sum rationem. Diù, fateor, periculum hoc conscientia mea dissimulaueram, propter molestiam boni illius hominis: & adhuc dissimulassem, si meo iste consilio quoquomodo acquiescere voluisset. Quæ cùm ita sint, vestrum est consolari hominem, delinire tristitiam eius, excusatum me habere de tam rationabili causa. Postremò ipse quoque (vt scitis) in pendulo est, & sæpè cogitauit relinquere domum suam. Quod si vellet nunc effectui mancipare, ego non prohiberem, pro eo quod in ea non sine magna anxietate versetur. Hactenus Sanctus, in virtute verbi neque cedens, neque impugnans; sed immotus ad omnia perseuerans. Petri Cellensis ad Bernardum Patrem nullæ quas viderim, epistolæ leguntur. Extant tamen non paucæ post Sancti obitum, tam de eo, quàm pro eo, venerationis, & affectus filialis plenæ, ad diuersos scriptæ: Extant & aliæ ad Clarauallenses quosdam Monachos, atque item ad Capitulum generale Cistercij, cùm idem Petrus in Episcopum Carnotensem promotus esset, quas suis locis, si quæ

quæ Annalibus dignè, commodiùs dabimus.

6. Cæterùm de Abbate ipso Simone, namque sic dicebatur, sciendum est, à multo tempore Claramuallem desiderasse: nec in pendulo tantùm, vt Sanctus ait, sed certum animi, nec destituturum à conatu, nisi interposita Bernardi permissione. Hic est enim Simon ille Cazia censis, de quo in Exordio magno sic scriptum lego. *Vir* [e] *Venerabilis Simon, quondam Abbas Caziaci, quod est non ignobile Monasterium nigri Ordinis Monachorum, magno cordis affectu Beatum Bernardum diligebat; adeò vt de consilio & voluntate eius totus pendere videretur. Huic autem magnum desiderium inerat curam pastoralem deserere, & Monachus fieri in Claraualle. Verumtamen Sanctus Pater Bernardus sciens virtutem viri, & gratiam, qua commisso Cœnobio idoneus valdè, atque pernecessarius erat, quamdiu vixit in carne, nunquam ei super huiusmodi petitione consensum præbere voluit. Quadam igitur die dixit ad eum idem Abbas: Domine Pater, ego senex, & penè decrepitus, fatiscentibus in corpore membris, & insuper vrgentibus morbis, iamiamque resolui me sentio. Quod si extra Claramuallem defecero, erit mihi dolor inconsolabilis, & irrecuperabile damnum. Vnde necesse est, vt vel nunc abire me iubeas, & satisfacere votis meis, quia mors accelerans, moram ampliùs facere non me permittit. Cui vir Dei respondit: Mane in loco tuo, & noli timere: ego securum te facio, quia morieris in Claraualle. Credidit homo sermonibus Sancti, & mansit interim in prælatione sua securior pluribus annis.* Hactenus ibi. Qualiter autem idem sanctus senex, Abbatia dimissa, post Sancti obitum, ad Claramuallem venerit, ibique sancto fine consummatus, dilectum sibi filium Adamum sequutus fuerit, suo loco dicemus, si Deus dederit.

e Lib.3.c.30.

7. Sub idem tempus deliciæ alterius Petri, Cluniacensis Abbatis, Nicolaus, Antisiodorum venit vocatus ab Episcopo, an pro negotiis Venerabilis Abbatis illuc directus, causam Viciliacensis promoturus; in dubio est. Certum in domo Episcopi hospitatum incidisse in febrem, qua præpeditus Cluniacum non adierit, ab ipso quamuis Petro vocatus esset. Extant epistolæ Abbatis Venerabilis ad Bernardum Parentem atque item ad ipsum Nicolaum, breues, sed dulces; sed affectuosæ; sed efficaces; & si fas dicere, nulli arti parcentes, vt impetrarent; quarum hic tenor.

8. *Forti,* [f] *ac splendidæ Monastici Ordinis, imò totius Ecclesiæ Dei, columnæ, Domino Bernardo, Claraualli Abbati, Petrus humilis Cluniacensis Abbas, salutem quam promittit Deus diligentibus se.*

f Inter epist. Bern.264. apud Petrum lib.6.epist.29

Si liceret; si Dei dispositio non obstaret; si in hominis potestate esset via eius; maluissem charissimæ beatitudini tuæ nexu indissolubili adhærere, quàm, vel principari inter mortales alicubi, vel regnare. Quid enim? Nonne regnis omnibus terrenis præferri à me deberet grata non solùm hominibus, sed & Angelis ipsis cohabitatio tua? Conciuem te illorum si dixero, licèt nondum spes in rem transierit, per misericordia Dei gratiam mendax non ero. Si planè mihi datum fuisset vsque ad vltimum spiritum tecum hîc esse, daretur fortassis posthàc & vbi esses, etiam perpetuò esse. Quò enim currerem nisi post te, tractus odore vnguentorum tuorum à te? Quod quia semper non datur, vtinam sæpè daretur. Et quia nec illud est, vtinam saltem frequenter videam missos à te. Et hoc quoque quia rarò contingit, volo, vt vel in proximo sanctitas tua amantem se per suum nuncium vsque ad octauas Domini mecum mansurum visitet, in quo tuus, vt mihi videtur ex parte, & meus ex toto spiritus requiescit. Videbo te, sancte frater, in illo, audiam te per illum, & quædam, quæ secretò nota fieri volo sapientiæ tuæ, mandabo per ipsum. Sanctæ animæ tuæ, sanctisque sub regimine tuo omnipotenti Domino seruientibus, me, nostrósque, quantis possum precibus, quanta possum deuotione, commendo. Hactenus Venerabilis Petrus ad Bernardum voluntati prætendens necessitatem, laudes accumulans, atque preces producens vsque ad imperium. Neque id casu; aut calamo currente, sed à consilio, quod ipse Nicolao suo detexit.

9. *Nicolao* [g] *suo, frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, salutem.*

g Apud Petrum Maur lib.6.epist. 30.

Si meus es, vt dico, si opinio mea non me fallit: licèt homo sub potestate sis, mando tamen, & omnino volo, vt venias. Distuli diu mandare hoc, cùm id tamen in animo fixum haberem: non quia dissimulabam, sed quia tempus congruum expectabam. Sum enim semper, vt nosti, instabilis etiam in statu: ignorans quandiu quolibet in loco mansurus, quando, vel quò inde sim recessurus. Vnde quia saltem nunc quodam corporis infortunio, Cluniaci vsque ad Christum natum manere cogor, veni, nec dissimules, quia fortasse, si differres, me ibidem vsque ad terminum, nescio quem, inuenire non posses. Qua de causa tantum instem, cùm veneris, exponam: Domino Abbati tuo aliis litteris, vt te mihi dirigat, nil rogans, velut pro imperio mandaui Historiam Magni Alexandri, Augustinum nostrum contra Iulianum, si tamen iam vester ex illo correctus est; & si qua alia bona habueris, tecum defero. Ita Venerabilis Petrus ad Nicolaum. Et obtinuisset sine dubio transmitti virum, si non, dum Antisiodori demoraretur, incidisset in febrem, qua diutiùs impeditus laborauerit. Constat id ex scripto Bernardi Patris, vtriusque Sancti epistolis inserto: quod ita habet.

10. *Domino,* [h] *& Patri dulcissimo Petro, Dei gratia, Cluniacensium Abbati, frater Bernardus Clarauallis vocatus Abbas, salutem ab eo, qui mandat salutes Iacob.*

h Apud Bern. epist. 265. & apud Petrum epist. 29.

Quid facis, ô bone vir? laudas peccatorem, miserum beatificas. Restat, vt ores, ne inducar in errorem. Inducar autem, si tantis delectatus præconiis, ignorare me cœpero. Propemodum id mihi contigerat, visis litteris beatitudinis tuæ, & beatificationis meæ. Quàm beatus nunc essem, si verbis beari possem! Beatum tamen me dixerim, sed fauore tuo, non meis laudibus. Beatum, quòd diligor à te, quòd diligo te. Quamquam & hanc mihi dulcem licèt buccellam liquandam arbitror: nec omnino plenis, vt aiunt, buccis admittendam. Miraris cur hæc? Nempe non video in me, vnde meruerim tantum diligi, præsertim à tanto. Scis autem, quia plus iusto velle diligi, minus est à iusto. Quis mihi det tanta humilitatis insigne, tam imitari posse, quàm admirari? Quis mihi tribuat sancta, & desiderata præsentia tua, non dico semper, non dico sæpè, sed vel semel in anno frui? Puto nulla vice reuerterer vacuus. Non frustrà, inquam, conspicerem virtutis exemplar, disciplinæ summam, speculum sanctitatis. Quodque minùs vsque adhuc à Christo didicisse me fateor; non incassum fide oculata perciperem, quàm sis & tu mitis, & humilis corde. Verùm si pergo facere tibi, quod à te mihi factum queror: & si veritatem dicam, veritatis tamen legi non concordabo, in qua legitur: Quod tibi non vis fieri, alij ne feceris. Itaque iam respondeamus petitiuncula, qua epistolam conclusistis. Is, quem mitti vobis iubetis, mecum modò non est: sed cum Domino

Antisiodo

Antisiodorensi, & ita infirmus, vt sine nimis incommodo sui, nec ad nos vsque posse adhuc venire dicatur. Hactenus Sanctus ad Petrum Venerabilem.

Quid Nicolaus rescripserit, ignotum. Certè indignũ, vt in publicum prodiret, vel ipso iudice. Vnde rogatus post annum ab Henrico, Gerardóque (quod suo loco dicemus) quod suas omnes epistolas colligeret, hanc non censuit cum aliis transcribendam: melleam aliàs, vt Petrus Mauricius loquitur, sed fortassis in dolo, mendacémve, & in qua aliquam fraudem machinaretur. Constat Petrum cùm primùm ægrotare hominem nouit, visitasse per nuncium, qui & infirmo assisteret, & ex infirmitate conualescentem, vsque ad suam Claramuallem prosequeretur, litteris etiam datis satis breuibus, sed dilectione plenis in hunc tenorem.

Legi[i] melleas litteras à te mihi, charissime, missas: quibus festinanter, vel negligenter respondere; imo pium, & amori mutuo inimicum putaui. Timui ne alienus, & festinans ad reditum cursor, non plenè, neque, vt vellem, iussa exequeretur. Vnde hunc statim ferè, vt litteras accepi, cum breuibus istis remisi. Mittam è vestigio proprium, qui nihil negligere de iniunctis audeat, teque, ac Dominum Claræuallensem, quocumque pes vester ierit, prosequatur. Dabo operam, ne vel frustra scripseris, vel ipse Domno Abbati; vt nuper contigit, de tuo ad nos tandiu optato aduentu incassum rescribam. Hæc ex epistolis Petri Venerabilis, hunc, vt coniector, annum concernentia. At qualiter Nicolaus Claræualli redditus, tandem Bernardo Patri suspectus primùm, mox comprehensus, sed dissimulatus, tandem fuga inopina sublatus fuerit, suis locis commodiùs memorabimus. 11.

i *Lib. 6. epist. 34.*

---

1. *Aurelianensis, purgatione indicta*, 2. *cum Bernardo deliberat*, 3. *cedere, an litigare consultiùs habeat*, 4. *tum Bernardi consilio monachum induit*, 5. *Bernardus Pater ad Eugenium Papam scribit*, 6. *pro Sacerdotio, & soluendis illius debitis*, 7. *Gerardus ex Villario promotus in Carnotensem sedem*, 8. *acta eius quædam*, 9. *& consecratio Ecclesiæ Valcellensis*

CAPVT VII.

1. TRAHEBAT interim, quem supra memorauimus, Aurelianensis Præsul accusatores suos, & variis exceptionibus, dilationibúsque, quia absolui non poterat, condemnationem saltem prolatabat. Biennium integrum, & ampliùs iam exegerat per remedia legalia, atque continuas fraudes Aduocatorum, quæ diuiti, & potenti litiganti deesse quî poterant? Verùm vincente actorum pertinacia, siue constantiam mauis, versutias respondentium, tandem ad probationem ventum est, non solùm criminum, sed etiam exceptionum. Productis testibus, inuentus est Episcopus maculosus, & fœdus; quippè qui multa infamia laborauisset: non tamen adeo incautus, impudénsve, vt de criminibus, quæ illi impingebantur, conuinci posset. Ergo post longam deliberationem, priùs quàm Eugenius Gallia egrederetur, indicta purgatio, intra tempus præfixum, nec per quoscumque, & facilè captandos, sed per comprouinciales Episcopos faciendo. Grauis ea sententia, vel nullius criminis conscio; Aurelianensi grauior, si fortè reus: sed occurrente casu tunc grauissima defectu Episcoporum, qui compurgarent. Quippe Trecensis nondum consecratus, quo tempore purgatio indicta fuit; Nihernensis vacabat, & Altisiodorensis transalpinauerat, siue sequens Eugenium, siue ipsum adiens, quod nos etiam dicemus sequenti anno. Et vix tres alij residui erant Episcopi; Parisiensis, Carnotensis, Meldensísque, per quos purgatio fieret, quocumque deficiente, defutura. Turbauit hominem innuens periculum: & vbi proprio diffidendum videbatur, quæsiturus extraneum, non aliud censuit consilium subeundum, quàm Bernardi Parentis; quem vt superbus contrarium expertus esset, sic humiliatus propitium sperabat, nec sibi defuturum, quem ducem sequeretur sine discrimine.

2. Longa inter eos colloquia, discursus varij: neque actum de salute animæ solùm, quamuis actum de ipsa; sed honori prouisum, & altè vtrimque perpensus status rerum. Purgationem in incerto omnino positam; si non succedat, in condemnationem transituram. Esse sibi aliqualem adhuc famam, licet in dubio: si absoluatur, non multum promouendum; si condemnetur, ignominiæ soli relinqui. Honestiùs abdicari dignitatem, dum retineri potest: à qua deponi turpe; sponte abiicere, in honore semper fuit. Cedenti facilè omnes misereri; deposito insultare: & ratione plerumque affectui subdita, de illo vix quid malum ab vllo credi; de isto omnia. Numquam censeri abusum dignitate, qui dignitatem calcat: nec præuenientem sententiam seueriorem, damnationem timere, sed contemnere; virtutis æmulum, aut veriùs fortè alumnum, semper supra fortunam, neque vllis casibus à recto dimouendum. Tum longa lite, afflictam dudum Ecclesiam Aurelianensem, si protrahatur, prorsus exhauriendam. Demùm nec pacem sequendam ex hoc bello, nisi ipse vincatur; aliàs si vincat, neutros tutos esse: & neque sibi credi posse filios, à quibus tanta passus; nec se illis. Hæc, & similia mouebant animum viri, vt purgatione omissa, infulis cederet, atque ea ratione terminaret prolixam litem.

Sed nihilominus alia retardabant. Nam quid grauiùs patiatur, si condemnetur? Id sibi solum imminere malum: deponi. Neque plus aliquid dignitatis retenturum, aut minùs amissurum, si sponte cedat. Pulchrè Poëta de his, qui se occidebant, ne damnarentur. 3.

His rogo non furor est, ne moriare, mori?

Non effugi eo pacto damnationem, sed anteiri: & vt cadendum sit, gloriosiùs militem ab hostibus occidi, quàm à se ipso. Tam vana nomina spontaneæ cessionis; integris rebus aliquid; parta victoria, magnum videri posse. Nunc damnatione imminente, nihil esse, nisi constantem omnium

delictorum, de quibus accusabatur, confessionem. Nam quis credat cessurum in media lite, nisi certò damnandum? & qui se ipso teste, compertum habeat, nullam sibi spem fore absolutionis? condemnatum, de iniusta sententia queri posse: qui cessit non possit: neque solum fateri se meruisse, quam sibi imposuit pœnam; sed ita meruisse, vt, nec se iudice, potuerit, non damnari: consulturum aliàs honori suo, consulturum honori dignitatis; quam proculdubio, non personam solàm crimina maculant, præcipuè quæ cum scandalo in subditos à Prælatis transire solent.

4. Inter hæc dum vacillat, fluctuátque animus generosus, quem per pressuras, & afflictiones spiritus, sibi, & Cistercio Christus præparabat, Bernardi monitis ianuam patefecit, & non sibi cedendum infulis, ait, quarum iactura instabat; sed quibus nulla sententia priuari posset, libertati, & sæculo. Induat Monachum, qui exuit Episcopum: & sciant omnes non timore agi, sed amore impelli: nec dignitatem fugientem se deserere; sed propriam voluntatem à qua ipso inuito, nulla vi vnquam posset separari, nulla potentia. Hoc illi coram Deo satisfactorium pro peccatis præteritis, pro futuris securius: coram hominibus longè gloriosius; quàm si in lite vicisset: quantò enim maius vincere se ipsum? vincere omnia? neque credendum addictum aliquando deliciis sæculi, quas tam facilè sperneret; nedum fæcibus eius coinquinatum, quas à se penitùs, qua posset, ablegaret. Ergo Bernardo duce Baculum primum, mox sæculum relinquens, & Sagum induens, qui prius aliis in æmulatione, multis in scandalo; iam in exemplum positus, vel ab hostibus cœpit venerari. Dubitare potuerunt delatores, an iustè detulissent; & credere facilius se deceptos, quàm virum illum inter sanctos positum, sanctis assimilatum, aliquando flagitia illa admisisse. Tum serò Sanctus compatiens pœnitenti, vt olim excanduisset in peccatorem, ad Eugenium scribit rem totam pandens, & pro ipso intercedens, vt sacerdotium saltem retineret in Monachatu: siue ea admissa essent hactenus scelera, quæ vtramque dignitatem demererentur: seu tanta eius contritio, atque humilitas, vt iam neutra se dignum iudicaret, nisi ex indulgentia, quam per Bernardum Patrem consequeretur. Sed accedebat plurium debitorum, quibus onerabatur, prompta solutio impossibilis monacho, verùm non ideo minùs solicitanda. Ergo Bernardus vtrinque negotio prouidens, & pro vtroque rogans ad Eugenium scripsit in hunc tenorem [a].

[a] Epist. 245.

5. *Tempus est, vt ego scribam, non iam pro Episcopo, sed pro paupere, & humili Monacho, idque, quod miserabilius est, facto de diuite, & sublimi. Hinc iam non habet adulatio locum, habet miseratio. Multi pro eo scripserunt, vt remaneret Episcopus, sed multùm hoc erat, non potui adduci ego, vt id auderem. Nunc verò si res humanius æstimetur, ipsa nunc exigit, quod ante vitabam. Spes erat homini adhuc, nam sperandi ratio suberat talis. Dicebat: valde immutatus est rerum status, ex quo mihi sententia purgationis imposita fuit. Et quidem grauem illam satis accepi, & quæ ab innocentissimo difficile impleri posset. Quid nunc? Cùm cuncta penè in impossibile versa sunt. Niuernis non est Episcopus, sed ne Trecis quidem. Altisiodorensis transalpinauit. Comprouincialium sanè Episcoporum: per quos me purgari oportuit, pars multa hæc est. Non certè purgatores deficiũt mihi, sed Episcopi, vel desunt vel absũt. Quid ergo? Rectè ne à me exigi potest, quod inueniri non potest? si res ita iudici comperta fuerit, mirum si de impossibili sententiam feras: aut si non ex toto impossibile, minimum, quod fortè minus est leuiter effugiet vltro negligentiùs perscrutantem. Nempe misericordiam vult, non sacrificium. Quæ enim vtilitas in sanguine meo, vt quæras iniquitatem meam, & peccatum meum scruteris? Maius autem, quia benignus, & misericors est, aliquid obliuiscetur, aliquid dissimulabit, aliquid & de suo addet. Dominus est. At non licet ei, quod vult facere? Etiamsi non quantum sat est rationem mihi suppeditare aduerterit; quid ni tota tamen libertate vtetur; promptéque misericordiam superexaltabis iudicio vir Apostolica mansuetudinis, & auctoritatis? Ergo cùm sic liceret sperare timenti, nec frustrà, vt sibi, suísque videbatur. Cessit tamen, & nostro se totum commisit arbitrio. At, ne occasione ipsius diutiùs Ecclesia fatigaretur, consulente me, anticipans terminum, & securus illum, vltrò Episcopum exuit.*

Vnum est, Clementissime Pater, vnde homini generoso, ac verecundo, in tàm miseranda fortuna posset non parum consolationis afferri. Quæritis quid? Profectò non ambulat in magnis, nec in mirabilibus super se. Sufficit, si vestra indulgentia possit retinere sacerdotem, qui Episcopus fuit: tantùm amoto infamiæ, & perpetuæ iniuriæ cauterio, scuto bonæ voluntatis vestræ obumbretur sibi. O dignam omni exauditu precem! Non rogat vt gloriosus, sed ne inglorius sit, qui extitit gloriosus. Quidquid illud sit, quod medium est, eo contentus est. Liceat cadenti à gloria, honesto, quo poterit, mediocritatis sese excipere gradu, solámque non deuenire in extremitatem opprobrij. Iuuenis est, nobilis genere est; in sublimitate positus fuit: nec tamen humilem refugit locum, sed probrum. Nihilne merebitur ista humanitas? Humiliatus est impius Achab, & profuit ei; & in viro fideli, ac nobili humilitas pretium non habebit? Absit à summa Sede, absit à Sancta mente vestra, cor contritum, & humiliatum, despicere. Si dixerimus, humiliauit se, exaltetur, nihil in hoc à nobis temerè præsumptum: possemus forsitan excusare; nimirum, ex regula, quam optimè nostis. Nunc autem non dicimus, exaltetur: sed ne conculcetur, & confundatur ab expectatione nostra. Imò verò, si mala suscepimus de manu Domini, bona quare non suscipiamus? Numquid enim potestatem habetis deponere potentes de sede, & exaltare humiles non habetis? Porrò potestate accepta malle in malo, quàm in bono vti, abuti est. Præterea angitur debitis multis, cùm sit pauper, & inops. Iubeat auctoritas vestra de rebus Episcopalibus ea solui. Durum est enim simul, & honore priuari, & onere premi debitorum. 6.

Hactenus. S. Pater ad Eugenium, nec satis adhuc constat, an impetrauerit.

Hoc ipso anno, quo Aurelianensis Præsul, ex infulis ad Claramuallem venit, Venerabilis Gerardus, Claræuallensis Monachus, ex Claraualle ad infulas promotus, in Episcopum Tornacensem assumptus est, secundus ab ea sede restituta, quæ morte Anselmi non multò ante vacauerat. Hic ille Gerardus, qui Villariensi præfectura, in qua Laurentio, vt diximus, successerat, post translatam auspiciis Bernardi domum, abdicata humiliter, priuatam vitam agebat in Claraualle. De eius promotione hæc habet recens, sed fidei integræ auctor, in Gallo-Flandria [b]. *His etiam diebus de numero virorũ abreptũ video Anselmum, Tornacensem Episcopum; inque locũ eius suffectum fuisse Gerardũ, Villariensis Cœnobij quondam Antistitem, pari virum virtute splendidum, &c.* Catalogus Tornacensium 7.

[b] In annalib. hoc ann.

sium Episcoporum, apud Demochares, hunc eumdem Gerardum clarum appellat; dubium, accepto ex meritis cognomine, an quia ita vocatus gentili stemmate. Arnoldus Bonæuallis Abbas solùm memorat [c] inter Bernardi filios ad Pontificiam dignitatem assumptos, ipso viuente. *Belluaco* (inquit) *præsidebat Henricus, Tornaco Gerardus, &c.* Fastradus, qui Villarij illi successerat, adhuc clauum tenebat, nec dubium quin Gerardo promouente, augustiora sit tempora assequutus.

c lib. 2. vitæ B. Bern. c. 8.

8. Gerardi Tornacensis memoria extat in monumentis Ecclesiæ Cyssoniensis, quam recens tum regularem vitam amplexam, sub Tornacensis Ecclesiæ, suáque protectione suscepit, litteris de hoc datis, de quibus hæc Buzelinus in Galloflandria. [d] *E Tornacensibus Episcopis non defuere, quorum fauorem, & patrocinium experti sint Cyssonienses. Non diu post institutum in eorum Cœnobio regularem ordinem, Gerardus, eius Pontificatus moderator, electus anno M. C. X L I X. quem prius Villariense Monasterium Antistitem habuerat, suam eis protectionem addixit, etiam tunc vitam Anselmo, qui primus ipsis præfuit, agente. Earum litterarum, quibus hoc Asceterium in suum recepit patrocinium, eiusque bona confirmauit, initium hîc profero. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Ego Gerardus diuina dispositione Tornacensium Episcopus, cunctis fidelibus in perpetuum. Æquum arbitramur, pro amore eius, qui nos prior dilexit, proprium fundens sanguinem in argumentum dilectionis; iustis petitionibus quorumcumque Religiosorum piè aurem accommodare. Notum igitur sit tam præsentibus, quàm futuris, quod Ecclesiam Cyssoniensem. B. Calixti martyris, precibus Anselmi, eiusdem Ecclesiæ Reuerendi Abbatis, atque fratrum Regularium, ibidem diuino obsequio mancipatorum, sub B. Dei genitricis Mariæ, & Ecclesiæ Tornacensis, nostráque protectione clementer suscipimus; & præsentis scripti priuilegio communimus; statuentes, &c.* Hæc de Gerardo, quia annum non determinant, electioni subiecimus: si quæ alia habuerimus eiusdem acta, intra septennium, quo præfuit, reddituri.

Eisdem temporibus, Rhemorum Archiepiscopus, Sampson, Bernardo familiaris, vel inter primos; eius, an Venerabilis Radulphi, Valcellensis Abbatis Sancti, precibus, Valcellensem Ecclesiam consecrauit. V I I. Kalendas Iunij; de qua consecratione appendix Valcellensium ad Sigebertum, cuius fragmentum Aubertus Miræus adducit in Chronico Cistercij, hæc habet verba. *Anno M.C. X L I X. consecrata est Ecclesia B. Mariæ, Valcellensis Cœnobij, à Sampsone, Rhemorum Archiepiscopo, V I I. Kalend. Iunij.* Hæc tantùm ibi. Sed iam nos vocant fundationes præsentis anni, atque adoptio Monasterij de Toldanos in veteri Castella, notior ex lite, quàm ex duratione, quippè breui à Cistercio defectura. 9.

---

1. Toldanensis Cœnobij reformatio sub Claraualle. Sanctiæ Epistola, 2. & rescriptum Bernardi Patris, 3. omnia in arbitrium eiusdem referentis. 4. Fundatio domus; 5. & Monachi transmissi illuc ex Carraceto. 6. Negata obedientia sub specie reformationis. 7. mox restituta, sed violenter impedita. 8. Cessio Galterij, & Conuentus Carracetensis. 9. Quid Sancti Claudij Abbas, Conuentúsque; 10. & sub quibus pactis? 11. Pœna vtrimque, 12. ac subscriptio transactionis: ex qua obiter notata quædam alia.

Caput VIII.

1. Svb idem tempus Monasterium de Toldanos in regno Legionensi, sub Ferdinando, secundo eius Abbate, arctioris vitæ, an excutiendi Carracetensium iugum auiditate; Cistercium, Claramuallémque suscepit, nequaquam diu sub ipsis permansurum. Construxerat id Cœnobium non multò ante Infantissa Eluira (incertum qualis, nisi quod sic nominatur in instrumento) & dederat Venerabili Florentio, Carracetensi Abbati, atque eius Conuentui, possidendum. Inde in Toldanos transmissa prima colonia sub Abbate Martino; in cuius locum suffectus Ferdinandus, cum Florentio paruisset, quandiu vixit; ab eius obitu, seu tædio successoris, seu vita strictior, & regulæ conformior appeteretur: impetrato priùs consensu Monachorum, mox Diœcesani; ad vltimum, & loci fundatricis, quæ superetat; Claramuallem adiuit, ac se, & domum suam Cistercio tradidit, à Priore acceptatam in capitulo (nam aberat Bernardus) iuxta leges Cistercij instituendam. Venerint tunc ex Claraualle Monachi cæteris informandis, in dubio est: Certum cùm dealbatos iam viderint, quos nigros genuerant, statim reclamasse Carracetenses; atque adnitente Sanctia, Sorore Imperatoris, de qua superiùs, egisse apud Bernardum, vt Toldanenses à gremio Claræuallis repellerentur, id per Epistolam, id per Niuardum fratrem, iam tunc ad propria reducem, proposuit: neque vt obsequium præstandum sibi gratuitò; sed vt opus iustitiæ, aut religionis: quippè obtendens, subtrahentes se obedientiæ, quam vouissent solenniter, neque admitti potuisse, nec retineri: ideóque necessariò restituendos his, qui se defraudatos conquerebantur.

Tum verò Sanctus, animarum inter zelum, quietémque, atque Sanctiæ Infantissæ, cui multùm deferebat, venerationem: cùm nec deesse sancto desiderio reformatorum fratrum, nec litigare vellet, aut minùs obsequi, post Niuardum auditum, & lectas litteras, talem ad Sanctiam epistolam scripsit. [a] 2.

a Epist 301.

Sanctiæ, sorori Imperatoris Hispaniæ.

Quod factum est de receptione Toldanos Monasterij, sciatis per me non esse factum, vtpote absentem, & ignorantem, quid fieret. Factum autem per nostros non nego: consilio tamen multorum Religiosorum, Episcopi conniuentia, & assensu: nobilis quoque Dominæ, quæ locum illum in propria possessione fundauit, petitione, & voluntate: publicè, vt accepimus, & nihil in abscondito factum. Existimabant autem se liberè posse suscipere locum, quem in Dei libertate, & sine alterius Ecclesiæ subiectione fundatum, ipsa quæ fundauerat, asserebat; & priuilegia (vt aiunt) præ manibus erant. Cæterùm, quia Carracetenses fratres, factam sibi in hoc iniuriam (vt scribitis) conqueruntur: nec audientes Salomonem, qui ait [b]: Noli prohibere

b Prou. 3.

prohibere eum, qui benè vult facere; si potes, & ipse benefac: *nobis in tam sancto opere contradicunt: & quoniam seruos Dei non oportet litigare; consilij nobis fuit, ad vestrum potissimum consilium causam remittere; vt vestra auctoritate, & opera, omnis inepta, & iniusta (vt aiunt) calumnia conquiescat: & ordo in domo Dei receptus, ad eius gloriam, & vestram ipsius salutem, deinceps in pace permaneat. Nam & frater Niuardus, qui multum gratulatur de vobis, satis in hoc de vobis confidere monuit; tùm propter vestram erga nos specialem deuotionem: tùm etiam, propter bonam, quam audiuit à vobis, de hoc ipso promissionem. Si autem vestris (quod non credimus) salutaribus monitis, aut consiliis contradictores illi acquiescere nolunt: tunc duorum iudicio Episcoporum; ad quos duo illa loca iure paraciali pertinere noscuntur, omnis inter eos controuersia terminetur. Quodque ab eis indicatum, siue constitutum concorditer fuerit, vestrum erit ratum habere, & de cætero firmiter manutenere. Si timetis Deum, non patiemini impedire tantum bonum: nec bonam illam mulierem frustrari à desiderio suo; nec fratres illos sua deuotionis priuari fructu: nec Deum denique tam accepto sibi reformati ordinis sacrificio defraudari. Obsecramus vos pro nouella vestra plantatione (illos loquor de spina) vt eis viscera misericordia exhibeatis, quatenus vestro beneficio sustentati, in seruitio Dei, & suo ordine perseuerent.* Hactenus ad Infantem Hispaniæ Sanctiam, Betnardus Pater.

3. Verùm; cùm ipsa, charitate in Carracetenses, & & recenti memoria Sancti Florentij; quem viuentem eximiè dilexisset, & mortuum, siue magis cum Christo regnantem, coleret, instaret impensiùs, Toldanenses eisdem restituendos: quos pacificè regere non potuit, obedientia absoluit, dimisitq; malens vel in hoc vinci, quàm litigare. Habemus id ex antiquo instrumento Carracetensium, rem ad longum pandente: quod & in gratiam eorumdem fratrum (qui & ipsi nostris tandem accessère, plures licèt post annos) & vt lectori meo morem geram, quem (neque immeritò) epistola Bernardi super exitu litis solicitabit: quia totius quæstionis processum continet: qualitérque, post varios tandem casus, Toldanense Cœnobium, nec Carraceto subiectum, nec Claræualli, Ecclesiæ Sancti Claudij Legionensis Monachorum nigrorum vnitum sit, anno. M.C.LXXVI. æquali facta pro eo compensatione: operepretium me facturum putaui, si hîc transcriberem. Porrò instrumentum in membrana descriptum, nec dum corrosum, quamuis lectu difficile, ita habet.[c]

[c] Ex Tabul. Carracetens.

4. *Sub Æra. M.CC.XIV. IX. Kalendas Iulij. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.*

Sciant omnes tàm præsentes: quàm posteri, ad quorum intellectum præsentis charta notitia peruenerit; quòd super Monasterio de Toldanos, inter Domnum Galterium Abbatem Carracetensem, & Domnum Pelagium Abbatem S. Claudij, pari assensu, & vnanimi beneuolentia Capituli Monachorum vtriusque prædicti Abbatis, talis facta est compositio. Præfatus Abbas S. Claudij erat in possessione prædicti Monasterij. Carracetenses Monachi cum Abbate suo petebant Monasterium prædictum: & suam querelam in manu Iacynthi Cardinalis deposuerunt hoc modo.

5. INfantissa Domna Eluira dedit illam hæreditatem, in qua nunc situm est Monasterium de Toldanos, & concessit possidendam Domno Florentio Abbati, & Carracetensium Monachorum capitulo: vt ab eis in eadem hæreditate Abbatia extrueretur, & congregatio Monachorum, secundùm regulam Sancti Benedicti viuentiũ, haberetur. Præfatus itaque Abbas Florentius cum suis Monachis in hac hæreditate Ecclesiã, & officinas, Monasticæ religioni competentes, sic vt hodie cernitur, à primo fundamento erexit; libros, vestimenta, & alia Monastici Ordinis necessaria ibidem contulit. Abbatem ibi, & Monachos de Carracetensi Conuentu, secundùm regulam Sancti Benedicti instituit. Et primus eiusdem loci in Abbatem electus Carracetensis Ecclesiæ Monachus, nomine Martinus, extitit. Secundus similiter Carracètensis Monachus, nomine Ferdinandus, successit. Iste filius debitam obedientiam, & reuerentiam humiliter exhibuit.

Post decessum verò Domini Florentij Abbatis, iste Ferdinandus Abbas de Toldanos, Carracetensem Ecclesiam gratis odio habuit, & ei rebellis, & contumacia ductus, ad Claræuallensem Ecclesiam se contulit. Quod Regina Domna Sanctia, quæ Carracetense Monasterium affectuosè dilexit, molestè ferens, Claræuallensi Abbati, & conuentui litteras direxit, ne prædictum Abbatem illicenter recipiant. Claræuallensis Abbas Reginæ preces exaudiuit, Abbatem Fernandum recipere renuit, nisi à Carracetensi Ecclesia, vt reciperetur, licentiam impetraret: quam cùm impetrare non posset, nec Claræuallensi, nec Carracetensi Ecclesiæ aliquandiu obediuit. 6.

Interim Domnus Didacus Carracetensis Abbas decessit, & iste Ferdinandus Abbas ad matrem suam cum humilitate rediit, & Carracetẽsi capitulo in manu Domini Galterij, tunc Prioris, post Abbatis, de contumacia humiliter satisfecit, & post satisfactionem iussu capituli Monachos, & conuersos Carracetenses, quot habuit necessarios, ad Toldanos secum duxit quos omnes vnà cum Abbate Fernando violenta manu turpiter expulit: & Monasterium, quod Carracetensis Ecclesia creauerat, contra iúsque, piumque violenter alienauit. Vnde non sine fletu conqueruntur, & hoc Monasterium iniuria perditum, à vestræ sanctitatis clementia paterna, nobis piè restitui postulamus. 7.

Supradictus Abbas S. Claudij, qua ratione hanc querelam posset excludere, cum suis consilium habuit. Accepto consilio cum capitulo S. Claudij, cum Episcopo 8.

Epiſcopo, Decano, Archidiaconis, & Capitulo Legionenſis ſedis, nec non, & nonnullis perſonis diſcretis tā Clericis, quàm laicis: cū Abbate, & Carracetēſibus Monachis litem terminauit, tranſactione, hoc modo.

In primis prædictus Abbas, Domnus Galterius, communi paci, & vtilitati partium prudenter prouidens ipſe, & totum ſecum Carracetenſe capitulum, omni querela depoſita, & ſopore ſepulta perpetuo, iuriſdictioni, quam ſe in Monaſterio de Toldanos aliquo modo habere confidebant, omnimodis renunciauerunt; & idem Monaſterium præfato Abbati Domno Pelagio, & Abbatiæ. S. Claudij reliquerunt, ad habendum, & poſſidendum in hæreditatem propriam pleno iure, atque perpetuo, liberè, & ſecurè ſine omni calumnia, & impugnatione, cum omni quiete, & pace.

Abbas verò Domnus Pelagius, & to-
9. tum ſimiliter S. Claudij capitulum dederunt, vt prædictum eſt in compoſitione præfatis Carracetenſibus, quod huius chartæ ſequens littera continet. Eccleſiam S. Claudij, quam habebat in Valderas, terras, vineas, domos, ſolares, & omnia, quæ tunc ibidem habebant, vel habere debebant, & eodem modo, totam hæreditatem quam in Canizos habebant, vel habere debebant. Et eodem modo totam hæreditatem, quam Eccleſia Legionenſis habebat in loco, qui dicitur .... Cum omnibus pertinentiis ſuis: & inſuper triginta aureos; vt Carracetenſes hæc omnia de cætero habeant, & poſſideant integrè, liberè, hæreditario iure, ſine omni calumnia, & impugnatione, cum omni quiete, & pace.

10. Ita ſanè, quod ſi deinceps aliquandiu, quorumlibet horum aduerſus Monachos S. Claudij ſuper poſſeſſionem Monaſterij de Toldanos aliqua querela emerſerit; Carracetenſes Monachi, quidquid pro ſibi vendicando, aut retinendo prædicto Monaſterio de Toldanos haberent efficere; totum in cauſa defendendi eiuſdem Monaſterij, pro Monachis S. Claudij de pacto compoſitionis exhibeant, hac ratione. In tota Hiſpania Carracetenſis Abbatis perſona, vbi ſine magno Abbatiæ ſuæ grauamine huic cauſæ intereſſe poterit, abſque omni dilationis, & excuſationis ingenio, ſui copiam fideliter præbeat. Vbi verò ſic ipſe intereſſe non poterit, Prior, vel alia de Carrecetenſi capitulo perſona diſcreta, honeſta authentica, & ad hoc idonea, cum ſuis equitaturis in Abbatis vicem mittatur Si verò in tali negotio, Monachos S. Claudij appellationis neceſſitas Romam ire compulerit. Carracetenſes Monachi, Abbatis, & capituli ſigillum cum litteris, quas poterunt meliores eis tribuant: & tam in Hiſpania, quàm alibi, in omni aſſertione teſtimonij, ſicut pro ſeipſis, ita pro Monachis. S. Claudij in defenſione Monaſterij, fideliter, & ſufficienter aſſiſtant; excepto, quod ad hoc non exigetur ab eis pecunia; ſed, vt determinatum eſt, cum omni aſſertione teſtimonij Abbatis, & cum ſuis equitaturis Monachorum perſona.

Quiſquis, hoc ſcriptum compoſitionis, caſu aliquo infringere, aut delere præſum- 11.
pſerit, ſi clericus fuerit, Dei omnipotentis, & Domini Apoſtolici auctoritate; officio, & dignitate priuetur. Si laicus, eadem auctoritate, excommunicationis ſententiæ ſubiaceat, & à ſacra communione Dominici corporis, & ſanguinis, immunis fiat: quouſque tam clericus, quàm laicus in manu Domini Apoſtolici ſatisfactione correptus abſoluatur, & ſecundùm Hiſpanam conſuetudinem parti Regiæ mille libras auri perſoluat. Et hæc charta compoſitionis robore perpetuo integra, & illæſa permaneat. Facta charta, Regnante Rege Fernando in Legione, Gallecia, Eſtrematura, Aſturiis, cum vxore ſua Domina Vrraca Regina, & filio ſuo Rege Domino Aldefonſo: Comite Vrgelenſi: Maiore domus Regis: Fernando Roderici Tenente Legione: Domino Ioanne Legionenſi Epiſcopo; Domino Gundiſaluo Ouetenſi: Domino Fernando Aſtoricenſi, Domino Stephano Zamorenſi.

Domnus Galterius Carracetenſis Abbas, 12.
& Domnus Pelagius Abbas Sancti Claudij hanc chartam, quam fieri iuſſerunt, roborant, & confirmant.

De Carracetenſi Capitulo: *Domnus Pelagius Abbas de Lapedo confirmat.*

Dominus Ioannes Guteri, Carracetenſis Prior confirmat.

Dominus Garſias Anaum confirmat.

Totum Carracetenſe capitulum confirmat.

De Capitulo S. Claudij: *Petrus Coruonel Prior confirmat.*

Magiſter Gregorius confirmat.

Domnus Iſidorus Faciſta confirmat.

Totum capitulum S, Claudij confirmat.

De Legionenſi Eccleſia: *Domnus Ioannes Epiſcopus confirmat.*

Magiſter Henricus Decanus confirmat.

Domnus Petrus Archidiaconus confirmat.

Domnus Thomas Archidiaconus confirmat.

Magiſter Arnulfus Archidiaconus confirmat.

Domnus Amalricus Archidiaconus confirmat.

Domnus Nicolaus Archidiaconus confirmat.

Magiſter Thomas Archidiaconus confirmat.

Totum

Totum Capitulum Legionensis sedis confirmat.

De Astoricensi Ecclesia: *Domnus Fernandus Episcopus confirmat.*

Domnus Petrus Archidiaconus confirmat.

Domnus Lupus Archidiaconus confirmat.

Domnus Fernandus Archidiaconus confirmat.

Domnus Bernardus Archidiaconus confirmat.

Totum Astoricensis sedis capitulum confirmat.

Petrus Carnotel Prior scripsit.

13. Hactenus peruetustum instrumentum; ex quo obiter quædam notanda veniunt. Haud puto omnino zelo reformatos indicauit euentus, qui absoluti à Claræuallis iugo, Carracetense non minus detrectarunt. Sed neque impunè flagitium id tulisse, quandiu non obedientes, cùm deberent, cùm vellent, non potuisse, compertum est: à propria domo pulsos, coactosque eorum implorare auxilium, quos abnegauerant. Cæterùm, quod ad historiam attinet, ex eadem transactionis charta liquet, Florentio non Galterium in Carraceto, vt habet syllabus Abbatum illius domus, sed successisse Didacum; post quem Galterius fuerit subrogatus. Rursus Galterium nequaquam obiisse anno. M.C. LXXII. vt ibidem asseritur, sed vsque ad M. C. L X X X V I. in quem concordia incidit, vt minimum vitam prorogasse. Demùm, nec sub Florentio, neque sub Didaco; imo nec sub Galterio, Carracetum admisisse Cistercij leges, nequaquam valitura transactione, per Cistercienses facta; nisi Abbatis, aut capituli generalis Cistercij expressus in ea consensus intercessisset, aut saltem obtinendus enunciaretur. Sed de hoc infrà latiùs, cùm viderimus sub Amico, Galterij successore, tandem admissas; de quo eisdem Innocentius tertius litteris desuper expeditis, congratulatur. Interim, quod ad supradicta attinet, rationem temporis facile deduco; gesta nimirum sub reditum Niuardi à partibus Hispaniæ, rebus Spinæ compositis; & si quæ alia virum huc adduxerant. Hinc donatione firmata per Alfonsum hoc ipso anno (triennio post aduentum Monachorum) rediisse, probabile, cum litteris Sanctiæ ad Bernardum, quibus ille respondit, quas recensuimus.

---

1. *Chronologia fundationum huius anni.* 2. *Fontis Mauriciani, & de Albis petris breuis notitia,* 3. *de Petris, Tironelum, & Vallis Regis.* 4. *De Sibetuna, & distinctiùs de Longouado,* 5. *Bullencuria, Canonicorum olim Cœnobium,* 6. *in iura, legésque Cistercij transit,* 7. *Vtrina vallis, & capitis Aqua de Turribus Sardiniæ.* 8. *Andreonium,* 9. *& varia illius notitia.*

CAPVT IX.

1. QVOD attinet ad fundationes huius anni, hoc ordine recensentur in Chronologia.

Anno M. C. XLIX. Kalendis Maij, fundata est Abbatia de Fonte Mauriniaco.

Eodem anno IV. Idus Iunij, Abbatia de Albis petris.

Eodem anno XVIII. Kalendas Octobris, Abbatia de Tironel.

Eodem anno XVIII. Kalendas Ianuarij, Abbatia de Los.

Eodem anno V. Kalendas Martij, Abbatia Vallis Regis.

Eodem anno VII. Kalendas Martij, Abbatia de Sibetuna.

Eodem anno IV. Nonas Martij, Abbatia de Longouado.

Eodem anno, & eodem die, Abbatia de Bullencuria.

Eodem anno X. Kalendas Aprilis Abbatia vtrina vallis.

Eodem anno, Abbatia de Andreone.

Eodem anno, Abbatia Capitis Aqua de Turribus Sardiniæ. Hactenus Chronologia: nunc, si quæ habemus, de singulis dicamus.

2. Abbatiam de Fonte Mauriniaco in Diœcesi Bituricensi sitam agnoscunt libri Cameræ; & ducentorum Florenorum ei taxam præfigunt. Ioannes Cheu [a] Fontem Morini vocat: Robertus Claudius [b] Fontem Motiniacum, fundationem ad annum anteponens, & diem mutans. *Moriniacus* (ait) *Ordinis Cisterciensis, Diœcesis Bituricensis, filia Claræuallis. Fundatur anno M. C. XLVIII. secunda Maij; cuius Abbati scribunt Innocentius III. & Adrianus IV.* Inter Monachos, à Bernardo Parente missos, claruit Conuersus quidam, Robertus nomine, meritis, & miraculis gloriosus, & fælicissimo fine consummatus: de quo in Exordio Magno lib. 4. cap. 31. In genesi Ecclesiarum Claræuallensium quinque cœnobia inuenio hoc anno propagata ex Claraualle: atque inter ipsa primum Fontem Mauriniacum; post quod alia sequuntur, de quibus statim. De Albis petris Abbatiæ duæ extant, vtraque in libris Cameræ, atque vtraque sexaginta Flotenorum taxa notata: Altera Bituricensis, Lemouicensis altera Diœceseos: hæc Claræuallis filia, illa .... Quænam illarum hoc anno fundata sit, non satis constat. Aubertus Miræus, & Robertus Claudius Bituricensem putant, alter in Chronico, alter in sua Gallia, & Cathalogo Cisterciensium Ecclesiarum; quamuis hic dubiè. Fidendum magis Claræuallis tabulis, quæ omnes Lemouicensem natam hoc anno notant, ante Laudensem, post Fontem Mauriniacum.

Abbatiam de Petris in Bituricis Robertus Claudius, & Ioannes Cheu [c] agnoscunt; & hoc anno fundatam vterque tradit, IV. Idus Iunij, prope Culentum; ignota tamen nobis matre, & linea. Legitur & in eadem Diœcesi in libris Cameræ, taxata Florenis tribus, & sexaginta. Neque alia nobis notitia subest. Tironelum Claræuallis lineam auxit, filia Sancti Andreæ, quam vnam de filiabus Sauignaci, quæ Cistercium, cum matre susceperunt, latè anno præcedenti commemorauimus. Sita ea in Cenomanensi Diœcesi in qua tamen nequaquam inuenitur in libris Cameræ, saltem sub hoc nomine. Fundator loci Paganus Chourtius Eques Dominus de Chlinchamp. Ecclesia dedicatur anno M. CC. XXXI. per Hugonem, 3.

[a] In Cathal. Abbatiarum Bituricensiũ.
[b] In Gallia Christiana.
[c] Vbi suprà.

nem, Episcopum Lexouiensem. Los, siue laudem, insignem Flandriæ domum, seorsim dicam. Vallem Regis in Diœcesi Rhemensi sub Sancto Patre Guerrico Igniacum protulit, nobile Monasterium, & circa ipsa fundationis suæ primordia, Sancto Petro Abbate nobilitandum; de quo multa in sequentibus dicemus. In libris Cameræ quadringentorum Florenorum taxa notatur. Memoratur in Iure in capite *Olim ex litteris, de Rescriptis*. De eo hæc pauca, pro more, Robertus Claudius.[d] *Vallis Regia, Ordinis Cistercienfis, Diœcesis Rhemensis, vulgò* Vauleroy, *vbi sepulchra procerum Rusciacorum sunt.* Abbati Monasterij Vallis Regiæ, Rhemensis Diœcesis, scribit Alexander IV. Anagniæ, pridiè Idus Iulij, Pontificatus ipsius anno primo.

d Vbi suprà.

4. Monasterium de Sibetuna, aliàs de Sibetona, inter filias Vvardoniæ auxisse Claræuallis lineam lego: incerta Diœcesi, Angliæ, in qua surrexit. Nisi quod tamen à Nicolao Arpsfeldio[e] in Comitatu Supholciæ collocatur, expresso fundatore, sed nominato tantum pro suo more. *Siboton, titulo Sanctæ Mariæ, fundator Gullelmus Cheynei, vel de Caneto. Monachi nigri. Cistercienses.* Hactenus ille; qui forsan nigros Monachos Cisterciensibus iunxit, præmisitque; quòd ea domus nigrorum prius, vt aliæ, ad Cisterciensium transierit instituta, per Monachos Vvardoniæ reformanda. Longum-Vadum, intra propriam Lingonum Diœcesim, hoc item anno genuit Clarauallis, quartam in ordine mam & Los, siue Laudem, eius filiam, sequenti capite latiùs memorabo. De Longo-vado hæc habet Robertus Claudius.[f] *Longumvadum, Ordinis Cisterciensis, Diœcesis Lingonensis, filia Claraualli, fundatur anno M.C.XLIX.* De ea item Miræus in suo Chronico. Ad Abbatem, & conuentum eiusdem domus scribit Alexander Papa quartus, Anagniæ VI. Idus Octobris, Pontificatus ipsius anno primo. In hoc Cœnobio, cùm in memoriam, & honorem S. Bernardi, iam tunc translati ad superos, & Canoni Sanctorum annumerati, Tarantasiensis Præsul, Beatus Petrus, consecraret altare; illustria quædam miracula patrauit, quæ suo tempore nobis dicenda erunt. Nominatur Longumvadum in cap. *Dilectus* de Præbendis, in veteri collatione.

e In indice Cœnobiorum Angli.

f Vbi suprà.

5. Sequitur Monasterium Bullencuriæ in Tricassina Diœcesi, quod olim Regularium Canonicorum, nouo Episcopo Henrico, quem diximus assumptum ex Morimundo, & Abbate Villarij, Metensis Diœcesis, adnitente, donantéque, Bernardus Pater in filium adoptauit; quintam hoc anno Claræuallis prolem; de qua Nicolaus Camuzatius in suis Miscellaneis ita scribit.[g] *Cœnobium Bullencurianum, in Tricassina Diœcesi constitutum, & decem ab vrbe leucis dissitum, primitus occupatum, & cultum est ab Augustinianis Regularibus Canonicis; postmodum ab Henrico, Tricassino Antistite, Diuo Bernardo concessum; qui in eo Claraualensis familia Cellulanos instituit; consentientibus, & conspirantibus dictis Canonicis, qui regulam Cisterciensem libentissimè susceperunt. Id verò contigit anno M.C.XLIX. vt ind. cant numeri, Gallico idiomate concinnati, qui in tabella, quæ in odeo delubri dicti Cœnobij appensa est, ita lectitantur.*

g Fol. mihi. 349.

L' an mill cent quarante neuf,
A Saint Bernardo par bon amour,
Le bon Henri de Troyes Pastour,
Donna ce lieu de Boulencour.

6. Hactenus sumptum ex Nicolao Camuzatio, qui pergit possessiones multas, & pingues Bullencuriæ describere, Henrici, atque Campaniæ Principum dono, aliorúmque; quas in præsenti non vacat recensere. Extat Epistola Petri Cellensis[h] ad Robertum, Abbatem Bullencuriæ, consolatoria, exhortatoriaque, vt constanter resistat fortunæ ictibus. *Quippè (ait) commendabilis illa solùm fortunudo est, quæ fatigata, robustior; oppressa, liberior consurgit: quæ leuat importunæ fortunæ sine molestia sarcinas, portat sine pondere, deponit sine lassitudine.* Neque alium puto Abbatem eiusdem domus, de quo Saresbariensis.[i] *Oro (ait) vt vice mea Abbati Bullencuriensi de visitatione fratris mei gratias referatis.* Cæterùm de Roberto, vt ego puto, post abdicatam pastoralem curam; & de Gerardo Monacho, sanctissimis, qui in eo Monasterio floruerunt; demum de Sancta Virgine Ascelina, Bernardi Patris consanguinea secundùm carnem, quæ in eadem Ecclesia sepulta est, déque aliis ipsam concernentibus; multa à nobis inferiùs reddenda erunt.

h Lib. 2. ep. 9

i Epist. 115.

Vtrina Vallis Morimundi lineam auxit; Villers, siue Villarij Metensis filia, suppresso licèt regno, Diœcesique in Tabulis Ecclesiarum Morimundensium. Sed sitam domum in Spirensi territorio ostendunt litteræ Innocentij Papæ IV. Datæ Lugduni, Kalendis Ianuarij, Pontificatus ipsius anno tertio; quarum hic titulus. *Abbati Vtrinæ vallis, Cisterciensis Ordinis, Spirensis Diœcesis.* Quibus similes, alias expediuit idemmet Innocentius ad Kalendas Februarij sequentis anni. Andræouium, insignem in Polonia Ecclesiam, statim dicam. Capitis Aquæ de Turribus Sardiniæ ignotior nobis domus; nisi quod pertinere ad Claramuallem Tabulæ produnt: in quibus tamen pro *Turribus Sardiniæ*, de *Tribus Sardiniæ* errore crasso scribitur, quem vix in aliquo exemplari correctum video. Turres, Episcopalem olim vrbem in Sardiniæ maritima, hodie destructam; Aubertus Miræus[k] memorat; & cuius nihil extet præter tudeta, templum, & nomen; renascente ex illius reliquiis Sasari, vrbe Archiepiscopali; sed cuius Pontifex Turritanus hodiéque dicitur. De Ecclesia Cisterciensi, Capitis Aquæ, quid actum sit, an integra permaneat, nihil omnino certi audeo affirmare. Sed iam ad Andræouium. 7.

k In Geogr. Ecclesiast.

Fundatum id in Polonia, & Diœcesi Gnesnensi, vt habent geneses, Monachis euocatis è Morimundo, per Ianicum, & Clementem fratres, illustres viros, quod à Martino Cromero notatum video. *Tempore (ait)*[l] *Vladislai, Poloniæ Principis, Ianicus, qui postea Vvratislauiensis Episcopus, ac deinde Archiepiscopus Gnesnensis fuit, Iamslausque dictus est; & Clemens, fratres germani, equestri Gryphium, siue Gryphonum (vt vulgò vocant) familia orti, Monasterium Andraouiense condiderunt: eique oppidum ipsum Andraouium, & septem pagos de bonis suis attribuerunt; atque in eo Cisterciensis sectæ Monachos, à Bernardo Sancto Abbate conditos, ex Morimundensi, Burgundiæ Monasterio, euocatos, collocarunt. Addiderunt etiam Radosius, & Gedeon, Episcopi Cracouiensis decimas quasdam eidem Monasterio: item Ianicus posteà quàm Gnesnensis Archiepiscopus factus est, non modò decimis, verùm etiam duodecim pagis, ad superiores adiectis, id locupleravit.* Eadem ferè habet Ioannes Herbertus,[m] & quotquot alij Poloniam descripsere. 8.

l Polonia l. 6.

m Lib. 5. c. 3

Cæterùm, quod Morimundenses Tabulæ aiunt fundatam domum in Diœcesi Gnesnensi, corrigendum venit per litteras Honorij Papæ III. Romæ 9.

Romæ apud S. Petrum IX. Kalendas Ianuarij, Pontificatus ipsius anno secundo: atque item alias Gregorij Papæ IX. Idibus Ianuarij, Pontificatus ipsius anno vndecimo: in quibus Andræouium pariformiter in Diœcesi Cracouiensi commemoratur. Consonat Mathias Michomus in sua historia, vbi & villas, Monasterij dotem, distinctè nominat; atque alia quædam addit, quæ pro maiori adhuc eius notitia non pigeat in præsenti recensere. *Monasterium* (inquit) [a] *Andræouiense, Cracouiensis Diœcesis, Ordinis Cisterciensis, Ioannes Vratislauiensis Episcopus primus fundauit; post verò Gnesnensis Archiepiscopus, cum Clemente de domo Grysonum, suo germano, in prædio suo Brezuisca, & septem villas, scilicet Liszacan, Rocoszoszomà, Racovvo, Ianzono, Lanzno, Transzuva, Chorzovva, pro dote assignarunt; nec quicquam sibi iuris in eisdem reseruarunt, excepto tributo, sibi, & eorum successoribus ex oppido Andrezeova præstando: corda occisorum pecorum, & de singulis halecum, in præfato oppido vendendis, aliquot halecum; quod Andræouienses Abbates introducti redemerunt. Fratres autem ad prædictum Monasterium introducti, ex Morimundo, in Burgundia sito, accersiti sunt. Ob hoc Monasterium Andrezovviense, à plerisque minor Morimundus vocatur.* Hactenus ille. Illustrauit Andræouium inter alia Vincentius Cracouiensis Archiepiscopus, post infulas Monasticen professus in ea domo; in qua, & sanctè vixit, obiitq; vt suo loco latius memorabimus.

a Lib.3.c.18.

---

1. Monasterij Laudensis breuis descriptio, 2. Fundatores, 3. Theodoricus Elsatius, Siuillaque: 4. Verùm non ipsi soli, 5. Concordata de tempore sententia; 6. & dictum de duobus primis Abbatibus. 7. Notitia alia illustres eiusdem domus. 8. Imago Virginis, miraculis gloriosa. 9. Tum multis caussis, Laudensibus commissis, impetrata exemptio, & confirmata priuilegio Honorij tertij.

Capvt X.

1. Monasterivm de Los, siue de Laude, in Tornacensi Diœcesi, quia maior eius nobis notitia subest, ex Ioanne Buzelino, qui Gallo-Flandriam cumulatius delineauit, in hoc caput consultò reseruauimus. Est autem Laus illustre Monasterium ad Duellam fluuium situm, qua parte alluit Esquelmiam, & Vvazenam. Memorat, & commendat Buzelinus., describens locum. [a] *Ad Duellam* (ait) *iacent Laus, Esquelmia, & Vvazena. Præter nemus, pascua, fluuij commoda, & soli pinguedinem, duo præsertim Laudem celebrant, Monasterium, & Diuum Virginis Mariæ Sacellum. Cisterciensis Ordinis Monachos habet Cœnobium, ipsa vetustate, opibus, ædificiis, & disciplina, nobile. Ab ipsis ferè initiis hominibus claruit, qui magnum ei nomen peperere; virtutibus, & sapienti cœtus religiosi gubernatione.* Hæc ille cursim, & leui, vt aiunt, calamo: nos reliqua penitiùs scrutemur.

a Lib.1.c.22.

2. Fundatores habuit Theodoricum Elsatium, Flandriæ Comitem, & Siuillam vxorem; quippè, quibus, & construendo Cœnobio, fundum; & in fundo ædificia constructa debuit. De fundo, liber obituum eiusdem domus. *Decimo sexto Kalendas Ianuarij* (ait) *obiit Theodoricus Elsatius, Flandriæ Comes, qui dedit locum Abbatiæ.* De ædificiis, Philippus, ipsius filius, in quodam priuilegio, expedito anno M.C.LXVI. *Abbatia* (inquit) *Ecclesia Sanctæ Mariæ de Los, quam Pater meus Theodoricus, & mater mea ædificauerunt.* Ergo hos Principes fundatores Cœnobium habuit, & donatores loci, fabricæque: sed neutrius ex integro, aut sine aliorum participatione: quippè fundum, in fœudum olim datum Baronibus quibusdam, Bernardus Pater, soluto pretio, redemit. Ad fabricam alij etiam contulere. Et primùm quidem, quod attinet ad locum, constat ex priuilegio eiusdem Theodorici Elsatij, ante biennium concesso, quod ita habet.

3. *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Ego Theodoricus, Dei gratia Flandriæ Comes, notum fieri volo, tam præsentibus, quam futuris, quòd Monachi de Claraualle emerunt, ad opus Ecclesiæ Sanctæ Mariæ apud Loz, terram Bernardi de Annekin, quam ipse tenuit in fœudo de Petro de Vargas; & idem Petrus eamdem terram tenuit de me. Et, vt hoc stabile, & inconuulsum præfata Ecclesia in perpetuum permaneat, sigilli mei impressione, & scripto assignans, confirmaui in remissionem peccatorum meorum, & sub testimonio sufficienti. Signum Rogerij de Vasrin, & Petri de Maisnil, & Hugonis de Loz, & Derbaldi, fratris eius, & Lamberti filij, & Ioannis Pulchri. Actum Insulis, anno M.C.XLVII. in Vigilia Pentecostes, dum secunda vice pergerem ad Sanctam Hierusalem.* Hactenus concernentia fundum, in quo Cœnobium situm; atque eius, tum emptionem, tum donationem.

At de ædificiis, quæ non solius Comitis, sed & aliorum impensis surrexerunt, argumento est nobis liber obituum eiusdem Monasterij, in quo Ioannes Bellus, alias Pulcher, Laudensis fani fundator commemoratur. *Decimo sexto* (inquit) *Kalendas Aprilis obiit Ioannes Bellus, fundator Ecclesiæ de Laude.* Notat verò Buzelinus, qui hæc adducit, non ad totius Cœnobij fundationem, sed ad solius Ecclesiæ id referendum: imò neque ad Ecclesiæ principalis, sed Ecclesiolæ, quam in principio construi necesse fuit, structura leuiori; peragendis, nimirum, in ea diuinis, quandiu augustior, sumptuosiórque perficiebatur. Vnde & in litteris Alexandri Papæ III. idem Ioannes Bellus, non fundator Cœnobij, sed benefactor nominatur. Extant & aliæ pingues dotationes, seu dotis incrementa, à Comitibus Flandriæ longè indulta, tam Theodorico, quàm Philippo Elsatiis, Patre, & Filio; & Balduino, Constantinopolitano Imperatore; & eorum successoribus; eorumdem munita priuilegiis, quæ idem Buzelinus, Miræúsque in libro donationum Belgicarum, propalauere. Vt nobis facilè liceat coniectari, prædiuitem Ecclesiam, & quæ nulli aliis in Belgio cedere debeat. 4.

Tempus non satis constat inter authores. Qui longissimè anteuertunt eius exordia, millesimum, centesimum, & trigesimum Christi annum assignant: in qua opinione eum fuisse comperio, qui chronicon concinnauit Claromarisci. [b] E contra Meierus. [c] *Anno* (inquit) *M.C.LII. conditum est* 5.

b Apud Buzel. lib. 2. cap. 28.
c In Annal. Flandr.

est iuxta insulam, Cœnobiũ Laudis Cisterciensis Ordinis. Cui Iacobus Marchantius adstipulatur.[d] Laudenses ipsi medium tempus eligunt, & anno M. C. XLVII. Laudense Monasterium cœpisse tradunt: quippè quo Monachi transmissi ex Claraualle, à Bernardo Anekino fundum emere, confirmante contractum Elsatio Comite, quod ex ipso instrumento probari putant. Sed Chronologia Ecclesiarum Cisterciensium, quæ nobis in præsenti præferenda, hunc annum notat M.C.IXLIX. (vt vidimus) sub illius finem, nempe XVII. Kalendas Ianuarij, in quo & Laudenses facile conueniunt. Vt tum denique ædificia rudia extructa susceperint conuentum, & cœperint informari Cistercij ritibus. Itaque empto ante biennium fundo, surgere cœpit domus, virgini matri ex more nuncupata; quæ biennio distincta in officinas habitationémque, adhærentem paruo oratorio, hoc tandem anno incœpit habitari.

d Lib. 1. in li.

6. Primus loci Abbas, Venerabilis Ioannes, de quo hæc habet idem, qui suprà author[e]. *Qui primus sacrum hic clauum obtinuit, Ioannem nominauere: quem multa praeditum virtute, verosimile est anno, supra millesimum, & centesimum, nono, & quadragesimo, magistratum iniisse. Quamquam minimè desunt, qui velint, vel incognitum primi Antistitis nomen fuisse; vel potiùs primum hoc Monasterium Diuum Bernardum rexisse, cuius institutor fuerat.* Hæc Buzelinus. Certè, quod ad Bernardum Patrem attinet, haud dubium, cùm Claramuallem numquam dimiserit, nec Laudensi Cœnobio præfuisse: nisi quòd tamen quandiu nullus alius præfuit, post fundi emptionem; quæ ad ipsam fundationem pertinebant, ante constructam domum, cuncta ad Bernardum Patrem referebantur. Ioannem ipsum inter viros, sanctitate illustres Cistercij memorant Philippus Seguinus,[f] atque ex ipso Henriquez in Monologio:[g] neque præter eximiam religionem, quippiam aliud de eo memoriæ produnt. Successorem habuit Samuelem, Laudensis Domus egregium promotorem: de quo hi versus scripti hodiéque permanent.

e Lib. 1. c. 22.

f Lib. 3. c. 16.

g Iuny 20.

Rexit post fratres Samuel, dulcissimus, vt mel,
Hic claustrum dotat, verisque bonis locupletat.
Abbatizauit tribus annis, vi quoque ginti.

7. Inter cætera illustrauit primordia Laudis Gerardus Princeps, Theodorici Elsatij filius, habitu Monachali in ea suscepto, quamuis in ipso eiusdem tyrocinio, ad præfecturam Sancti Donatiani de Brugis, & Sancti Petri de Insulis promotus, non potuerit per vota consecrari: Contulit tamen multa prædicto loco, veteris domicilij non oblitus Illud etiam ad gloriam domus facit, quòd ad Hispaniam Episcopos transmiserit; ac Visensi in Lusitania sedi, insignem virum dederit Ioannem de Vvatrelos, de quo hæc habet idem Buzelinus,[h] desumpta ex Kalendario eiusdem domus. *In his* (scilicet qui inde prodierant, aliis Ecclesiis præficiendi) *principem memoriam Ioannes de Vvatrelos meretur. Is enim Visensis apud Lusitanos ex Monacho Pontifex claruit, vt indicat verbis huius Cœnobij Kalendarium. Tertio Idus Iuny* (inquit) *obiit Reuerendus Dominus Ioannes de Vvatrelos, Monachus domus huius, Visensis Episcopus, qui nobis contulit ad pitantiam quadringentos florenos, & multa alia.* Extat epistola Stephani Tornacensis ad Abbatem de Laude (Samuelem, vt puto) in quo pro conuerso quodam fugitiuo, aut expulso, supplex orat; nihil detrectante, dum verò ad sacrum illud collegium reci peretur.

h Lib. 1. c. 22.

Eandem item domum summè illustrat Deiparæ Sacellum, atque imago, miraculorum gloria celebris; de qua Aubertus Miræus hæc habet verba.[i] *Est huic cœnobio vicinum Deiparæ Virginis Sacellum, quod annis superioribus multorum miraculorum gloria est illustratum; hodiéque assiduo piorum hominum concursu frequentatur. Sacellum vulgò nuncupant; Nostra Dominæ gratiarum.* Ita Miræus: nec dissimilia tradit Buzelinus. 8.

i In Chronic. Cisterc.

Facit item ad laudem Monachorum eiusdem domus id, quod perpendit ipse Buzelinus.[k] *Cùm Abbas, Priórque Laudensis Monastery multum sibi de studio perfectionis, & religiosæ quiete subtrahi, multorum vel iudiciis, vel arbitriis negotiorum, animaduerterent, quæ sibi à plerisque Romanis Pontificibus finiendis controuersiis committebantur, ad eumdem Supremum Ecclesiæ Moderatorem scripsere; vt his procul excussis, intra domesticum secessum, sacro sibi otio ad res diuinas quietius meditandas frui liceret. Ac non difficulter equidem hoc ab eo rescriptum impetrauere.* 9.

k Lib. 1. c. 28.

CVm sæpè contingat propter causarum cognitiones, quæ vobis frequenter à sede Apostolica committuntur; in vobis sanctæ contemplationis otium impediri; & Monasterium vestrum non modicam inde læsionem incurrat: nos vestris inclinati precibus, & quieti vestræ prouidere misericorditer, & indemnitati eiusdem Monasterij super hoc præcauere volentes; auctoritate vobis præsentium indulgemus, ne de causis aliquibus auctoritate Apostolica in posterum cognoscere inuiti compellamini: nisi obtinendæ ad vos litteræ plenam de hac indulgentia fecerint mentionem; saluis tamen commissionibus ad vos hactenus imperatis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli, Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Laterani XV. Kalendas Februarij Pontificatus nostri anno vndecimo. 10.

Hæc aliquot post fundatum Cœnobium annis: Sed de his plura in sequentibus dicemus.

1. *Varia sententia de anno fundationis Monasterij Oliuensis*, 2. *Instrumentum antiquum dotationis*, 3. *atque aliud fundationis post duodennium*. 4. *Plures instrumenti prioris difficultates*. 5. *Secundi cum sequentibus concordia. Noua donatio*: 6. *& verum tempus aduentus Monachorum*. 7. *Detectus, conuictúsque Chronologiæ error*. 8. *Et varia alia notitia eiusdem domus*.

Caput XI.

1. Hoc item anno recensendum venit Monasterium illustre de Oliua in regno Nauarræ, Pampilonensis Diœcesis, quod, Monachis à Scala Dei acceptis, sub Bernardo Abbate, numerosam aliàs lineam Morimundi gloriosè auxit. Hoc, inquam, anno, quantum colligere licet ex instrumentis; quamuis aliàs Ecclesiæ illius alumni antiquiora initia; Chronologia, recentiora multò præseferant. Quippè; illis ante quatuor, & viginti; huic post viginti, & sex annos natum commemoratur, vt suo loco videbimus. Sed Chronologiæ, vt dixi, minor fides: & si annus fundationis Oliuæ mutandus est, faciliùs multò anteponam, quàm retardabo. Qui volunt, ante natam Regiam domum (nam quandocumque, à Regibus fundata) proferunt ipsam chartam donationis Raimundi, Comitis Barchinonensis, Aragonensium Principis, Bertrando, primo Abbati Oliuæ, factam, sub Æra M.C.LXIII. quam palam est incidisse in annum Christi. M.C.XXV. Porrò instrumentum ipsum, ad me transmissum in authentica forma, ita se habet.[a]

[a] Ex Tabul. Ecclesiæ eiusdem.

2. *In nomine sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Ego Raimundus, Dei gratia Comes Barchinonensis, & Princeps Aragonensis, & Tortosæ Marchio: facio hanc chartam donationis Deo, & Sanctæ Mariæ de Oliua, & vobis Domino Bertrando, Abbati eiusdem loci, & fratribus vestris, ibidem Deo seruientibus, tàm præsentibus, quàm futuris. Placuit mihi libenti animo, & spontanea voluntate, & propter amorem Dei, & Sanctæ Mariæ: & pro animabus Patris, & Matris meæ, & omnium parentum meorum: dono vobis, & concedo, vt ab hac die in antea nullus homo sit ausus casas vestras, vel grangias, vel canannas, quas modo in toto meo regno habetis, vel habituri estis, violenter intrare, frangere, vel dirrumpere; vel homines, vel ganatum, vel aliquid aliud per vim extrahere: ita inquam, præcipio, vt quicumque contra hanc meam voluntatem ire præsumpserit perdat meum amorem, & pectabit mihi mille solidos; & insuper habebo inde querimoniam, tanquam de inuasione mea propria domus: & quantum de vestro acceperit, vobis in duplum restituat. Si verò ganatum vestrum cum alio extraneo mixtum fuerit, & hac de causa eum vobis noluerit dare; mando, vt in sola fide vestra, vel ex vno ex fratribus vestris, absque alio iuramento, donet vobis, quantum dixeritis esse vestrum. Et si quis pro aliqua re, vel calumnia vos inquietauerit, & ad iudicium protraxerit pro magna, vel parua re: si res pergrandis fuerit, & iudices mei iudicauerint: vt in solo verbo Abbatis: si verò mediocris, vel parua fuerit; mando, vt in sola veritate vnius Monachi, vel fratris vestri Ordinis, absque alio iuramento, & sine aliis testibus, vestra causa, & vestrum iudicium diffiniatur; nisi per pesquisam veritas possit sciri. Ganatum verò similiter vestrum mando, vt securè pascat in tota mea terra, vt nullus sit ausus ei pascua prohibere, tanquam meo proprio. Hoc idem dono vobis, & concedo, in montibus, & in syluis, & in aquis, quæ sunt in tota mea terra: & quod vos, neque vestrum, neque vllo vestro habere, non donetis portaticos, neque vllos alios vsus in tota mea terra. Et quod, si aliquis miles, vel pedonus, nihil habens, ad vos venerit, & vobis recipere placuerit; si alicui vnquàm aliquid fori fecit, pro hoc non respondeatis. Insuper recipio vos, & domos vestras, & ganatum vestrum, & omnem rem vestram in mea amparanza, & in meo guidonatico, & in mea defensione, sicut meam propriam causam. Si quis verò hoc meum donatiuum dirrumpere, vel annihilare voluerit, sit maledictus, sicut Iudas, qui tradidit Christum: &, vt supra diximus, pectabit mihi mille solidos, & perdet meum amorem; per omnia secula seculorum. Amen. Facta charta donationis, & confirmationis Æra M.C.LXIII. in mense Martio, in villa, vel castro, quod dicitur Lusia. Signum † Raimundi Comitis. Signum Regis † Aldefonsi, filij Raimundi Comitis Barchinonæ. Signum † Petri, Regis Aragonum, & Comitis Barchinonæ. Dominante me, Dei gratia, in Barchinona, & in Prouincia, in Aragone, & in Superarbe, atque in Ripa Curtia. Episcopus Dodo in Osca, & in Iacha. Episcopus Petrus in Saragoza. Episcopus Martinus in Tarazona. Episcopus Guillermus Petri in Lerida, & in Rota. Episcopus Iofred in Tortosa. Comite Arnalmiri Palariensis in Fraga, & in Rida. Ferriz Senior in Osca. Palasin in Saragoza, &c. Et ego Andreas de Agierb sub iussione Domini mei Comitis hanc chartam scripsi, & de manu mea hoc signum † feci.* Hactenus instrumentum: cui si standum, antiquius adhuc fateri necesse est Oliuense Asceterium: quippe anno M.C.XXV. iam Abbatem, iam Monachos, iam casas, grangias, ganatumquè (verbis ipsius vtor) possidebat.

Producitur, & aliud instrumentum Garsiæ, Regis Nauarræ, sub Æra Cæsaris 1172. hoc est, anno Christiano 1134. in quo Bernardo, Abbati Scalæ Dei, construendæ Abbatiæ locum donat, diuersum ab Oliua, sed vicinum: & quem constat cessisse Monasterio. Porrò instrumenti verba ita se habent. 3. *Ego Garsias, Dei gratia Pampilonensium Rex, cum vxore mea, & filiis meis, Dono Deo, & Beatæ Mariæ, & Domno Bernardo, Abbati de Scala Dei, pro salute animæ meæ, locum de Encisa, cum decimis, & pascuis, & omnibus pertinentiis, ad Abbatiam construendam secundùm ordinem Cistercienſium. Et qui fecerit vobis vlla contraria, pectabit mihi mille solidos, & & perdet meum amorem. Et sunt illius termini, de Encisa, de Media Bardena ensuso, & de Almanara en entro, & de Benimedondo en iuso, & de Aragon ensueras. Signum Regis † Garsiæ. Facta charta in villa, quæ vocatur Tutela. Æra millesima, septuagesima, secunda. Sunt testes Martin. Sanz. Rodrigo de Azagra. Frater eius Gonzalno de Azagra. Petro de Taresca, &c.* Hæc sunt, quæ probant antiquio

antiquiorem Oliuæ domum, quibus nullatenus vellem derogare.

4. Cæterùm mihi in ipsis instrumentis neque paucæ, nec leues occurrunt difficultates. Nam si ante annum M. C. XXV. Surrexerat Cœnobium, & iam Abbatem, ac Monachos habebat, Casas, Grangias, Granatum, quæ Raimundus firmasset suo diplomate: vt quid nouennio peracto, Garsias Rex construendæ Abbatiæ locum donaret? Rursus, vt quid Abbati scalæ Dei, si iam Conuentus Oliuam occupabat? Fiebant sæpè priores donationes Ecclesiis matribus, quia nondum natæ filiæ; vt semel acquisita possessione, Monachos illuc, cum Abbate suo transmitterent. At, semel iam fundata Monasteria, sicut sibi acquirebant, ita per se donationes acceptabant. Neque vllam penitus potui inuenire (etsi multas euoluerim) quæ post natam filiam matri facta sit, nisi matri ipsi, non filiæ, esset cessura. Rursus, primi instrumenti fidem eneruat, quod Raimundus iam Princeps Aragonum anno Christi M.C.XXV. cognominetur: cùm tamen constet, eum Principatum, non iure hæreditario, sed dotalem cum Petronilla coniuge, neque ante nuptias illi contigisse. Atqui, de nuptiis Raimundi cum Petronilla concordant omnes incidisse in annum M. C. XXXVII. quo *Rex Ramirus* (inquit Mariana [b]) *Augusti die vndecimo, anno salutis M. C. XXXVII. Raimundi Barchinonensis, & Petronillæ Infantis nuptiis factis, regni curam, & administrationem abdicat; Oscæ in Diui Petri Cœnobio abdutus, tranquillioris vitæ studio: retento sibi Regio nomine; & (si quando vellet) potestate.* Sic ex Antiquis accuratior Hispaniæ author, nemine dissentiente: vt palam constet, Raimundum ante duodénium nequaquam inscribi potuisse Aragonum Principem. Quid, quod Episcopi omnes, qui subscripsere, nondum promoti ad sedes per illud tempus: quippè Dodo Oscæ anno M. C. XXXVII. Petrus Cæsar-Augustæ tardius adhuc, M. C. LII. Martinus Tirasone non multo ante, anno M. C. L. Guillelmus Ilerdæ M. C. LI. quo primum Mauris vrbs erepta fuit, præpositi leguntur? aut fallunt omnes Cathalogi Pontificum, quos prædictæ Ecclesiæ præfeferunt. Quid, quod anno M.C. XXV. nec Morerola acceperat Cistercium: quam tamen primam in tota Hispania domum vetus huc-vsque traditio pro certo habuit.

b Lib. 10. c. 16.

5. Atque hæc omnia prioris instrumenti, aut eneruare fidem, aut errorem conuincere in Æra, aut eam tandem vsurpatam pro anno Christi, quod non semel contingere solebat; manifestè conuincunt. Secundum, vnde arguam, non inuenio: nisi quod tamen donata hæreditate à Rege Garsia, pro Cœnobio struendo, potuit opus differri: & fortè locus ille, minus aptus, noui conuentus missionem retardabat. Vtcumque fuerit, ab eodem Raimundo Comite, noui, & vicini loci concessio facta, & donatio, firmata per instrumentum, Abbati Scalæ Dei, conuentum illuc commodiùs transmissuro. Verùm, vt puto, fundationis annum notat, quem nunc describimus. Atque ecce instrumentum donationis.

In Dei nomine. Ergo Raimundus, Comes Barchinonensis, Princeps Aragonensis, & Tortosæ Marchio. Placuit mihi libenti animo, & spontanea voluntate, propter Dei amorem, & remedium animæ meæ, & Parentum meorum, dare Deo, & B. Mariæ, & Bernardo, Abbati Scalæ Dei: eiusque fratribus, tam præsentibus, quàm futuris, in hæreditatem, villam, quæ dicitur Oliua; cum omnibus suis pertinentiis, & pascuis, & terminis. Est autem terminus Oliuæ à loco, qui dicitur Samaci in Iusum: ita quod ipse Samaci sit infra terminum Oliuæ, & de Marcueras, vsque ad Podium Rotundum, sicut ipsa via indicat: & à Podio Rotundo vsque ad Congustum Carecastelli. Dono itaque vobis, & concedo supra scriptam villam, cum suis jam dictis, terminis, ac pertinentiis omnibus: vt eam vos, & Ecclesia vestra successores quietam habeatis ac iure perpetuo pacificè possideatis. Signum Raimundi † Comitis. Facta charta Æra M.C.LXXXVI. in mense Iunio, in Podio de Garden iuxta Leridam, dominante me Dei gratia, Raimundo Comite in Barchinona, & in Aragone, in Superarbe, atque in Riba Curtia: & in Tortosa. Episcopo Dodo in Osca, & in Iacha: Episcopo Guillelmo Petri in Roda: Episcopo Bernardo in Cæsaraugusta: Episcopo Michaële in Tirasona. Comite Arnalmiri Palariensi in Buile, & in Ricla, &c. Ego Andreas Scriptor hanc chartam scripsi, & hoc signum † feci.

6. Hac occasione, per Bernardum acceptata, Scalæ Dei Abbatem, Monachi statim sub Bertrando Patre missi, qui, Encisa in grangiam sequestrata, in Oliua Monasterium ædificarunt. Porro Rex Garsias, cum, quem præoptauerat, in eo loco conuentum iam videret, quæ prius dederat, rata, & firma habuit: necnon locum de Oliua, qui, quia in terminis vtriusque Principis situs, ad vtrumque spectabat ambiguo iure. Tum quædam alia Bertrando iam Abbati noui Cœnobij, & eius Monachis concessisse legitur, tali priuilegio expedito, sequenti anno.

In Dei nomine. Ego Garsias, Dei gratia, Pampilonensium Rex, facio hoc scriptum gratuitæ donationis, vobis Domino Bertrando, Abbati Oliuæ, vestrisque fratribus tam præsentibus, quam futuris; dono vobis ad honorem Dei, & B. Virginis Mariæ, locum, & possessionem, quæ dicitur Oliua, cum omnibus terminis, pascuis, & pertinentiis suis: & est terminus Oliuæ, à loco, qui dicitur Samaci in Iusum, ita quod Samaci est intra terminum Oliuæ, & à Marcueras vsque ad Podium Rotundum, sicut ipsa via indicat, & à Podio Rotundo vsque ad Congustum Carocastelli. Similiter dono vobis ad honorem Dei, & Beatissimæ Virginis Mariæ, & pro remedio animæ meæ, & parentum meorum: locum, quem incolæ dicunt Castellum Munio, & villam, quæ vocatur Encisa; vt habeatis vos, & Ecclesia vestra hæc duo loca, cum omnibus terminis, pascuis, & pertinentiis suis. Horum donatio locorum est eo tenore à me facta, & confirmata; vt vos, & Ecclesia vestra, & post vos successores vestri, viri religiosi ea, perpetua, quieta, & pacifica possessione obtineatis: & de eis, tanquam de iure Ecclesiæ vestræ, & vestro; deinceps, ad libitum vestrum, omnino disponatis. Signum † Regis Garsiæ. Episcopo Michaële in Tarasona: Episcopo Lupo in Pampilona. Facta charta in Villa, quæ dicitur Tutela Æra millesima, centesima, octuagesima octaua. Regnante Dei gratia, Rege Garsia in Pampilona, & in tota Nauarra, in Guipuzcoa, & in Alaua, &c. Ego Sanctius iussu domini mei Regis Garsiæ hanc chartam scripsi, & manu propria hoc signum † feci. Ego Sanctius, per Dei gratiam Rex Nauarræ, laudo, & confirmo præsentem chartam hoc meo signo. Signum Regis † Sanctij.

7. Igitur anno proximo sequenti Christi, nimirum M. C. L. Oliuense Asceterium inhabitatum ab Abbate, & Monachis, dubitare non licet; indéque reuincendam Chronologiam, quæ fundationem domus in centesimum, septuagesimum quintum,

supra millesimum absque vllo prorsus fundamento reiicit; maximè cum inter hos annos intercesserit donatio Sanctij Regis, Garsiæ filij; Christi M.C. LXII. de Castro Cauastello, facta eidem Bertrando, Monachísque, in qua obiter confirmat quæcumque Pater eius illis donauerat.

Confirmo etiam huic donationi, quicquid pater meus eis dedit; locum videlicet de la Oliua, & Figerolium, cum omnibus terminis, & pertinentiis suis, cũ pratis, & pascuis, & aquis, integriter, & potenter. Omnia vero superius comprehensa bono animo, & spontanea voluntate, concedo, & dono Domino Deo meo, & eius genitrici Beata Maria Oliuensi in hereditate propria, & franca: & de meo iure, & dominio, trado ea omnia, & transfero, cum omni integritate, in ius, & Dominium B. Mariæ Oliuensis, & Venerabilis Bertrandi; ipsius loci Abbatis, omniumque ibidem Deo seruientium fratrum, tàm præsentium, quàm futurorum, ad habendum perenniter, & retinendum, ac iure perpetuo possidendum. Facta charta donationis, & confirmationis, mense Ianuarij, die verò Idus, apud Cæsaraugustam Ciuitatem. Æra M. CC. anno ab Incarnatione Domini nostri Iesu Christi M. C. LXII. Mariana, atque Hispani alij scriptores fundationem Oliuæ Sanctio Regi, Sanctij sapientis filio; ferè attribuerunt: quod anno M. C. XCIV. regnare cœpit. Sed id ad ædificia referendum, Ecclesiamque, quæ insigni fabrica hodie perseuerat, cum antea humile fanum inhabitassent. Hactenus de anno fundationis Regiæ domus, fundatoribusque. Nunc breuiter ad alia transeamus.

Confirmauit Oliuæ fundationem Eugenius; ac Monasterium, & singula eius bona, possessionésque sub B. Petri, atque Romanæ sedis protectione suscepit. Quin Reges omnes Nauarrorum, & Aragonum, Alphonsus, Petrus, Sanctius, Iacobus, Carolúsque, varia eidem indulta concessere: &, quod mireris, Ludouicus Francorum Princeps anno Christi M. CCCXL. antiquum ædificium, pro modo temporis angustum, & humile; cuius hodieque Ecclesia perseuerat. Cætera absumpsit tempus, præter vestigia, & ruinas circa Ecclesiam. Recens fabrica ingens, & sumptuosa, quæ nulli alteri cedat in toto Regno. Insignia domus, Oliua, cuius truncum. O littera promediet, latera aliæ quatuor restantes occupent. L. I. V. A. summitatem Deiparæ imago: cui domus consecrata ritu Cistercij. Memoratur in litteris Innocentij Papæ tertij, Datis Anagniæ XIII. Kalendas Aprilis, Pontificatus ipsius anno VI. Itemque in aliis Gregorij Papæ IX. Datis Spoleti, Kalendis Septembris Pontificatus ipsius anno VIII. In libris Cameræ notatur modica taxa, sex, & sexaginta Florenorum. Primus Abbas Bertrandus sedisse creditur annis XLI. in quibus multa impetrauit suo Cœnobio. Successoribus in comitiis Regni sedes, suffragiúmque. Sed de his singulis suo loco dicendum erit. 8.

Iesv Christi Ann. 1150. — Cistercii Ann. 53.

1. Bernardus impetitus linguis malignis, 2. Apologeticum ad Eugenium Papam scribit: 3. Prædicationis susceptæ causas pandit. 4. Peregrinationis filiorum Israel, 5. & belli contra Benjamin exorti exempla adducit. 6. Signa à se facta modestè satis memorat. 7. Et se pro Deo pati libenter offert. 8. Miraculum in confirmationem sui spiritus patrat. 9. Tandem aperitur fructus expeditionis, in capite sequenti confirmandus.

Capvt I.

1. Bernardvs Pater, qui anno præcedenti detrahentium sibi linguas aspernatus, cótemnénsue, per silentium censuerat compescendas: nec, quod Germaniam, quod Galliam, quod Europam fictis oraculis perditum misisset, ob latrantes in angulis, dignatus responso; soli Deo defensionem sui commiserat: cùm iam non propriam, sed Dei causam agnosceret, in cuius nomine Crucem prædicasset, sermone confirmato per miracula, qua propriè lingua Deus loqui consuescat: cùm, inquam, Dei causam cognouisset, adeóque sibi non segniter tractandam, hoc anno centesimo, quinquagesimo, supra millesimum à condito Cistercio quinquagesimo tertio, librum quem ad Eugenium Papam, seu tædio rerum, seu propria turbatione, distulisset parumper, tandem ab Apologia exorsus est; verbis dignis proferri à viro Sancto, nec minùs dignis transferri in hos Annales. Quippè quæ neque accusationem omittant, neque excusationem extorqueant; sed ex visceribus Scripturæ sacræ pandant euentum totius expeditionis; quò conformiorem antiquis, magis securum; & quò magis occultum, gloriosiorem. Sed & latenter (nam & id fatebor) nostrates carpant, velut minus fidentes; certè pusillanimes, qui secundam ad Orientem expeditionem, cùm iam iam pararetur, impediuissent, sed ipsum Sanctum loquentem audiamus.

2. *Memor [a] promissi mei, quo ecce iam aliquandiu teneor apud te, vir optime, Papa Eugeni, volo ipsum absoluere, vel serò. Puderet dilationis, si mihi conscius forem incuria, aut contemptus. Non ita est, sed incidimus (vt ipse nosti) in tempus graue; quod & ipsi penè viuendi vsui videbatur indicere cessationem, ne dum studiis; cùm scilicet Dominus prouocatus peccatis nostris, ante tempus quodammodò visus sit indicasse orbem terræ; in æquitate quidem, sed misericordiæ suæ oblitus. Non pepercit populo suo, non suo nomini. Nónne [b] dicunt in gentibus, vbi est Deus eorum? Nec mirum. Ecclesiæ filij, & qui Christiano censentur nomine, prostrati sunt in deserto, aut interfecti gladio, aut fame consumpti. [c] Effusa est contentio super Principes, & Dominus errare fecit eos in inuio, & non in via: contritio, & infœlicitas in viis eorum. Pauor, & mæror, & confusio in penetralibus Regum ipsorum. Quàm confusi pedes euangelizantium pacem, annuntiantium bona? Diximus pax, & non est pax: promisimus bona, & ecce turbatio.* Quasi

a Lib. 1. de cõsideration.

b Psal. 113.

c Psalm. 13.

3. *Quasi verè temeritate in opere iste, aut leuitate vsi simus. Cucurrimus planè in eo, non quasi in incertum, sed te iubente, imo per te, Deo. Quare ergo ieiunauimus, & non aspexit? humiliauimus animas nostras, & nesciuit? Nam in his omnibus non est auersus furor eius, sed adhuc manus eius extenta. Quàm patienter interim adhuc audis voces sacrilegas, & Ægyptios blasphemantes, quia* [d] *callidè eduxit eos, vt occideret in deserto? Et quidem iudicia* [e] *Dei vera, quis nesciat? At iudicium hoc abyssus tanta, vt videar mihi non immeritò pronunciare beatum, qui non fuerit scandalizatus in eo. Quomodo tamen humana temeritas audet reprehendere, quod minimè comprehendere valet? Recordemur supernorum iudiciorum, quæ à sæculo sunt, si fortè sit consolatio. Nam quidam ita dixit:* [f] Memor fui iudiciorum tuorum à sæculo Domine, & consolatus sum.

d Exod. 32.
e Psal. 118.
f Ibidem.

4. *Rem dico ignotam nemini, & nunc nemini notam. Nempè sic se habent mortalium corda, quod scimus, cum necessè non est, in necessitate nescimus. Moyses educturus populum de terra Ægypti, meliorem illis* [g] *pollicitus est terram. Nam quando ipsum aliter sequeretur populus, solam sapiens terram? Eduxit: eductos tamen in terram, quam promiserat, non introduxit. Nec est, quod ducis temeritati imputari queat, tristis, & inopinatus euentus. Omnia faciebat, Domino imperante, Domino cooperante, & opus confirmante sequentibus signis. Sed populus ille, inquis, duræ ceruicis fuit, semper contentiosè agens contra Dominum, & Moysem seruum eius. Benè illi increduli, & rebelles: hi autem quid? Ipsos interroga. Quid me dicere opus est, quod fatentur ipsi? Dico ego vnum. Quid poterant proficere, qui semper reuertebantur, cùm ambularent? Quando & isti per totam viam non redierunt corde in Ægyptum? Quod si illi ceciderunt, &* [h] *perierunt propter iniquitatem suam; miramur istos eadem facientes, eadem passos? Sed nunquid illorum casus aduersus promissa Dei? Ergo nec istorum. Neque enim aliquando promissiones Dei, iustitiæ Dei præiudicant. Et audi aliud,*

g Exod. 3.
h Psalm. 72.

5. *Peccauit Benjamin,* [i] *accinguntur reliquæ tribus ad vltionem, nec sine nutu Dei. Designauit denique ipse ducem prœliaturis. Itaque prœliantur freti, & manu validiori, & causa potiori, & quod his maius est, fauore diuino. At quàm terribilis* [k] *Deus in consiliis super filios hominum! Terga dedêre sceleratis, vltores sceleris, & paucioribus plures. Sed recurrunt ad Dominum, & Dominus ad eos: Ascendite, inquit, Ascendunt denuò; denuoque fusi, & confusi sunt. Ita Deo primùm quidem fauente, secundò & iubente, iusti iustum certamen ineunt, & succumbunt: sed quò inferiores certamine, eò fide superiores inuenti sunt. Quid putas de me facerent isti, si meo hortatu iterato ascenderent, iterato succumberent? Quando me audirent monentem tertiò repetere iter, repetere opus, in quo semel, & iam secundò frustrati fuerent? Et tamen Israelitæ vnam, & alteram non reputantes frustrationem, tertiò parent, & superant.*

i Iudic 20.
k. Psalm. 65.

6. *Sed dicunt forsitan isti: vnde scimus, quod à Domino sermo egressus sit? Quæ signa tu facis, vt credamus tibi? Non est, quod ad ista ipse respondeam; parcendum verecundiæ meæ. Responde tu pro me, & pro te ipse, secundum ea, quæ audisti; & vidisti; aut certè secundùm quod tibi inspirauerit Deus. Sed fortè miraris me prosequi ista, qui aliud proposueram. Facio non oblitus propositi, sed quod, à proposito non iudicem aliena. Nempe de consideratione (vt memini) sermo mihi ad tuam dignationem. Et sanè magna ista res, & egens consideratione non minima. Quod si res magnas à magnis considerari oportet, cui æque vt tibi id studij competit, qui parem super terram non habes? Sed tu secundùm sapientiam, & potestatem tibi datam desuper facies de hoc. Non est mea humilitatis dictare tibi, sic, vel sic fieri quidquam. Sufficit intimasse oportere aliquid fieri, vnde & Ecclesia consoletur, & obstruatur os loquentium iniqua,*

Hæc pauca vice Apologiæ dicta sint, vt ipsa qualiacumque habeat conscientia tua ex me, vnde habeat me excusatum, & te pariter; & si non apud eos, qui facta ex euentibus æstimant, certè apud te ipsum. Perfecta, & absoluta cuique excusatio, testimonium conscientiæ suæ. Mihi pro minimo est, vt ab illis iudicer, qui [l] *dicunt bonum malum, & malum bonum, ponentes lucem tenebras, & tenebras lucem. Et si necesse sit vnum fieri è duobus, malo in nos murmur hominum, quàm in Deum esse. Bonum mihi, si dignetur me vti pro clypeo. Libens excipio in me detrahentium linguas maledicas, & venenata spicula blasphemorum; vt non ad ipsum perueniant. Non recuso inglorius fieri, vt non irruatur in Dei gloriam. Quis mihi det gloriari in voce illa:* [m] Quoniam propter te sustinui opprobrium, operuit confusio faciem meam. *Gloria mihi est consortem fieri Christi, cuius illa vox est:* [n] Opprobria exprobantium tibi ceciderunt super me. 7.

l Isai. 5.
m Psalm. 68.
n Ibidem.

Hactenus Sanctus Pater ad Eugenium, pro se, an magis pro Deo? Certè pro vtroque: solatium simul capiens, exhibénsque; neque solum Eugenio satisfaciens, sed pro Eugenio.

At non contentus verbis, quantumuis certis, quantumuis efficacibus; ad miracula censuit recurrendum: & quod rarò vsurpatum à Sanctis Patribus, non in confirmationem verbi Dei, sed propriæ ipsius Bernardi prædicationis, & Spiritus à Deo sibi immissi, visum cæco restituit, multis videntibus. Audi ocularem testem Godefridum, sic scribentem. [o] *Accidit (ait) vbi primum de eiusdem exercitus dissipatione lamentabilis intra Gallias insonuerat rumor, vt illuminandum Dei famulo filium cæcum efferens pater, multis precibus vinceret excusantem. Et imponens Sanctus puero manum, orabat ad Dominum, quatenus si ab eo verbum prædicationis illius exierat, si prædicanti spiritus eius affuerat, in illius illuminatione ostendere dignaretur. Dum verò post orationem, Orationis præstolaretur effectum. Quid facturus sum? ait puer: video enim. Attollitur illico clamor astantium: plures enim non modò è fratribus, verùm etiam è sæcularibus aderant, qui vt puerùm vidêre videntem, multipliciter consolati, Deo gratias referebant.* Bernardus respondendum pro se putauit, sed Deus ipse pro Bernardo item respondit. 8.

o Lib. 3. c. 4.

Verùm ne fructus illius expeditionis in ancipiti adhuc: & Bernardo à calumnia vendicato, solus Deus pateret querelis hominum: Quippè quo duce viam arripuissent, quam contritio, infœlicitásque, non secus atque vias impiorum, comitarentur: Nevè eamdem gloriam iudicarent, quia sine externo fructu, quem prætenderant; diuina prouidentia factum est, vt miraculis reuelationes additæ; & reuelationibus euentus consentientes planè visibiles illustrius, certiúsque manifestarent, loca sancta mutata, quàm amissa, Cœlestia pro terrenis: & curiam illam refertam ex his militibus, qui ibidem gloriosè cecidissent; si redirent ad propria, condemnandis. Sed nos primùm Gaufridum de his loquentem, mox quæ 9.

ipsius discursum planè confirment; sed singulas
p Vbi suprà. seorsim proferamus.[p] *Nec tamen ex illa profectione Orientalis Ecclesia liberari, sed Cœlestis meruit impleri, & lætari. Quod si placuit Deo tali occasione plurimorum eripere, si non Orientalium corpora à paganis, Occidentalium animas à peccatis: quis audeat dicere illi, quid fecisti sic? Aut quis rectè sapiens, illorum sortem magis non doleat, qui ad priora, vel peiora fortè prioribus scelera redierunt, quàm eorum mortem, qui in fructibus pœnitentiæ purgatas variis tribulationibus Christo animas reddiderunt?* Sic Godefridus; quæ quàm certa fuerint, quàm conformia euentibus, quàm firmata diuinitùs, sequenti capite commodiùs referemus.

---

1. *Fructus ingens Hierosolymitanæ expeditionis*, 2. *reuelatione firmatus*; 3. *Dein euentibus.* 4. *Eskili Principis mores*, 5. *peregrinatio*: 6. *pretiosa in peregrinatione mors.* 7. *Fratris sancta inuidia*, 8. *& mors consimilis.* 9. *Itémque Theoderici*, 10. *& Vvigeri*, 11. *& alterius cuiusdam viri nobilis.*

CAPVT II.

1\. PRÆDICATIONIS Bernardi is planè, scopus, ea velut cœlestis iussio fuit. Eant prælientúrque aduersùs paganos, aut liberaturi animas fratrum (fidelium scilicet oppressorum ab infidelibus) aut suas pro eis gloriosiùs posituri; ingenti præmio in cœlis coronandas. Nec minor gloria Dei, siue ipsius Ecclesiæ, vna, quàm alia: nisi quod illa militantis, & visibilior: hæc triumphantis, atque eo occultior, sed maior erat. Porrò quàm certa promissio ista euaserit, cum dubius adhuc Sanctus contristaretur; Venerabili Abbati Casemarij, cuius suprà meminimus, vnà cum morte ipsius iam imminente, per Sanctos suæ Ecclesiæ tutelares & per ipsum Bernardo Dominus reuelauit, qui noluit eum diutiùs per hæc torqueri. Extat epistola ad eumdem Sanctum scripta, vtramque reuelationem continens, sub secreto detectam, cuius hic tenor.

2\. a Inter epist. Bern. 333. *Dilecto*[a] *Patri, ac Venerabili Domino suo Bernardo, Dei voluntate, ac gratia, Claraeuallis Abbati Reuerendissimo, frater Ioannes minister suus, qualiscumque Casemarij Abbas, fœliciter currere, ac fœliciùs Christi pietate consummare.*

Memor dulcedinis, ac familiaritatis, quam mihi indigno pietas vestra quondam exhibuit, aperire cogitationes mei cordis paternitati vestræ, quasi coram positus præsumo, vestrâ magis de mansuetudine confisus, quàm de offensa suspectus. Spero námque affectionem, & dilectionem, quam erga vos habeo, pietatem vestram non latere. & si aliquid etiam stultum dicerem, confido vos benignè, ac mansuetè, quasi patrem filio ignoscere. Dictum est mihi Pater charissime, quod de hac re, quæ non ita prosperè, vt forsitan volebatis, contigit (de via verò Hierosolyma loquor) multum tristamini, eò quòd Ecclesia Dei, vel gloria, non sicut desiderabatis, accreuit. Quapropter, quod mihi pro hoc diu cogitanti, Deus (vt credo) in corde misit, vobis humiliter suggero; nimirum perpendens, quod sæpè paruo cuilibet Dominus aliquid ostendit, quod alicui magno, & multis bonis repleto, videre
b Exod. 33. Ibidem 18. *nequaquam concedit; sicut*[b] *Moysi sancto facie ad faciem cum Deo loquenti, Iethro alienigena consilium dedit. Videtur itaque mihi; quod omnipotens Deus de hac via multum fructum fecit, non tamen eo ordine, quo ipsi viatores arbitrabantur. Siquidem si hoc, quod cœperant, sicut decet Christianos, iustè, ac religiosè prosequi vellent, Dominus cum eis esset, ac magnum fructum per eos perfecisset. Sed quoniam ipsi ad mala sunt deuoluti, & hoc nequaquam Dominum, qui author viæ fuerat, à principio latere potuit; vt sua prouidentia in sui dispositione non falleretur, malitiam eorum in suam conuertit Clementiam; & immisit eis persequutiones, & afflictiones, quibus purgati ad regnum peruenire possent. Denique confessi sunt nobis, qui redibant, quod vidissent, multos ibi morientes, qui libenter se mori dicebant, neque velle reuerti, ne ampliùs in peccata reciderent. Sed ne in dubium veniat, quod dico, quasi Patri meo spirituali in confessione aperio, quod patroni loci nostri beatus Ioannes, & Paulus sæpiùs nos visitare dignati sunt, quos ego super hac re interrogare feci, & huiuscemodi sententiam responderunt. Dicebántque multitudinem Angelorum, qui ceciderant, de illis, qui mortui sunt, esse restauratam. Hoc autem scitote, quod magnam vestri memoriam habuerunt, finemque vestrum, citò venturum prædixerunt. Quia igitur bene res, etsi non secundùm hominum desiderium, tamen secundùm Dei propositum euenit: vestra erit prudentia in ipso de hac consolari, cuius solius gloriam quæritis, & desideratis. Idcircò namque vobis, & exhortandi, & operandi gratiam in hoc negotio dedit, quia bonum, quod inde facturus fuerat, præuidit. Ipse igitur cursum vestrum fœliciter compleat, nósque vobiscum in sua gloria constituat.* Sic ad Bernardum Parentem Ioannes Abbas, consolans virum, non solùm de præteritis sed de futura, quam iam præstolabatur, fœlicitate. Atque hæc secunda reuelatio fuit, quæ Sancti Abbatis præcessit gloriosum transitum.

Verùm quòd ait de Hierosolymitana expeditione, quantumcumque infœlici iudicio hominum, multitudinem Angelorum, qui ceciderunt, de illis, qui in ea mortui sunt, instaurasse, vltra superiùs à nobis commemorata; de miraculis factis Vlysopone, ad sepulchra occisorum à Sarracenis; multa alia mirabilia confirmarunt: quæ quia fructum, ex ipsa clade, partum summè commendant, recensenda in hoc caput reseruaui. Celebre est illud, quod de duobus fratribus magni Eskili, Primatis Daniæ auunculis (de quo nobis statim plurimus sermo, monacho quippè futuro in Claraualle) author Exordij magni his verbis narrat. 3.

Igitur[c] (ait) *duo fratres, ex præclarissimo Danorum sanguine oriundi, inter terræ illius proceres post Regem videbantur sublimiores. Vnus autem ex eis, Eskilus nomine homo bellicosus, & carnali potentia tumidus, cùm esset animo ferus, atque terribilis vultu multum sanguinem fundebat, & mala innumera quotidie perpetrabat. Alter verò nomine Sueno, sancta vita vir perspicuus, atque Episcopus Vibergensis erat; qui etiam præcelsi generis dignitatem, morum elegantia, atque prærogatiua virtutum longè superabat. Hic itaque germani sui animam syncerè in Christo diligens, sed tyrannicam eius vitam* 4. c Lib. 8. c. 16

vitam vehementer abhorrens, studebat eum frequenter secretiùs arguere, & à suis prauitatibus, vt resipisceret, admonere. Sed cùm parum in huiusmodi pia intentione proficeret, quadam die, colloquentibus eis adinuicem, suadebat ei Venerabilis Præsul, vt accipiens signum dominicæ Crucis Hierosolymam proficisceretur. Ille verò respondit; se hoc nullo modo facere posse, nisi secum pergeret ipse, qui consilium dabat. Quo audito fidelis, & verus amicus gratanter accepit, séque quod petebat, facturum incontinenti spopondit; malens vtique periculis, ac laboribus tantis se ipsum exponere, quàm fratris animam de ore leonis non liberare.

5. *Imposito itaque sibi signo Sanctæ Crucis Hierosolymam pariter abierunt. Quo prosperè peruenientes, gloriosum Domini Sepulchrum, ipsúmque viuificum lignum Sanctæ Crucis, in qua salus mundi pependit, cum magno pietatis affectu adorauerunt. Dehinc cùm cætera sancta loca deuotissimè visitãdo, venerando, atque adorando peragrarent, venerunt ad locum quemdam non longè à Hierosolyma situm, qui* Pater noster *ab incolis nominatur; eo quod Dominus noster Iesus Christus in ipso loco dicitur discipulis orandi formam tradidisse, & eamdem orationem ibidem composuisse. Erat autem ibi Ecclesia parua, vili schemate constructa. Cùm ergo prædicti peregrini cognoscerent hunc esse locum, vnde fons orationis saliens in vitam æternam, de ore filij Dei primitus erupit, & ad imbuenda fidelium corda, per vniuersas mundi partes cum tanta benedictionis affluentia deriuatus est; tum & ipsi Ingredientes Oratorium, haurientésque de fonte Saluatoris, pietatis, & confidentiæ spiritum, de corde puro orationem fuderunt ad Dominum obsecrantes, vt sibi peccata dimitteret, & ab omni malo liberarentur. Nec defuit eorum votis superna clementia respectus, quemadmodum declarauit rei euentus.*

6. *Nam cùm protinus venientes ad fluuium Iordanis, vnda illa sacrata potati essent, atque perfusi, vnus ex eis, magnus videlicet ille peccator Eskilus magnificè de misericordia Dei præsumens; & effundens animam suam, in oratione clamauit ad Dominum, & dixit: Domine omnipotens, & clemens, esto propitius mihi, obsecro, peccatori, & ne despicias animam meam qualiscumque serui tui, quam de profundo malorum adduxisti, & post tanta scelerum meorum naufragia ad portum pœnitentiæ misericorditer adduxisti. Et nunc Domine Deus suspecta est mihi, valdè fragilitas mea, & dudum insolita peccandi consuetudo; multumque mihi timeo à memetipso, ne fortè reuersus ad patriam, blandiente rerum prosperitate, peccati quoque materia alliciente, ad pristinas meas prauitates relabi compellar. Proinde piissime Pater, qui diues es in misericordia omnibus inuocantibus te, si bonum videtur in oculis tuis & ita saluti animæ meæ expedire cognoscis; precor indulgentissimam benignitatem tuam, vt absoluto iam voto peregrinationis huius absoluere me digneris à vinculo corporis istius: solutúmque pariter à nexibus peccatorum iubeas duci in refrigerij locum. Oratione verò completa, cognouit illico vitæ suæ terminum instare, suumque desiderium mox à Christo esse complendum. Vnde perceptis Sacramentis, valedixit eadem hora germano suo, cæterisque, qui simul aderant, & protinus in sancta confessione reddidit animam.* Hæc de gloriosa viri morte dum illic obiit; reducis fortè ad peccata reuersuri. At de fratre illius audi, quod sequitur.

7. *Vidensque*[d] *Venerabilis Antistes animam fratris sui, pro cuius salutatione ita sollicitus extiterat, tam celeriter, támque fœliciter assumptam: tunc & ipse vehementer affectus desiderio migrandi, petiuit animæ suæ, vt moreretur, & ait. Gratias ago tibi, Domine Iesu Christe, quoniam exaudisti orationem meam, & vidisti lachrymam meam, qua tibi toties supplicaui, vt susciperes, pœnitentiam fratris mei. Quæso ergo te piissime Fili Dei, ne me patiaris diutiùs ab illo separari, sed iubeas me cum illo in tua pace nunc recipi: vt simul abeamus, & simul ad tuam misericordiam, te donante, perueniamus. O verè amplectenda, & amanda pietas Domini nostri Iesu Christi! Vix orationem finierat, quam ardentissima fidei deuotione fudit; & ecce vocante se Domino, viribus corporis cœpit repente destitui, vitaque transitoriæ finem sibi iam adesse cognouit. Móxque dispositis pro temporis breuitate, quæ necessaria videbantur, præcepit astantibus, vt corpus ipsius, vna cum corpore fratris eius, ad Ecclesiam supra memoratam, quæ* Pater noster *dicitur, quam, Domino inspirante, syncero pietatis affectu adorauerant, remota occasione referrent, & ibi sepelire curarent. Itaque commissum sibi populum diuinæ prouidentiæ resignans, & bona sempiterna illis omnibus imprecans, præsentibus etiam valefaciens, ac benedicens, fœliciter obdormiuit in Domino.*

Factumque est à Domino grande miraculum, vt desiderij sui compotes, peregrinationis voto consummato, peregrinationem quoque præsentis vitæ, & exilij terminarent: itaut ambo simul in vno loco, atque vno die de mundo migrarent, similque in vnum locum, vbi decreuerant, sublati sepulturam acciperent. Porrò præfata Ecclesiola, cùm antea breuis, ac ruinosa fuisset, solo tenus est euersa, & eleemosynis ipsorum, quas propter hoc ipsum ibidem copiosè delegarunt, in ampliorem, & venustiorem statum readificata est: in qua etiam nunc corpora eorum pausant honorificè tumulata. Horum fœlicissimorum peregrinorum consanguineus erat beatæ memoriæ Eskilus, Danorum quondam Archiepiscopus: à quibus non solùm sanguinis, sed etiam fidei, & deuotionis succum trahens, domestico animatus exemplo peregrè viuere, peregrè mori pro Christo Domino proposuit. Quapropter relicta præcelsa dignitate, quæ in terra sua singulariter præeminebat, Cistercienses Ordinis habitum in Clarauallé suscepit, & de abundantia diuitiarum suarum pauperum Christi inopiam largissimè suppleuit. Hactenus in Exordio de his fratribus, ingenti omnium, qui in Oriente decesserunt, consolatione. 8.

Cæterùm hanc eandem gloriam Dei, ac decedentium in terra illa sanctissima, alia itidem exempla manifestant, quæ à Thoma Cantipratano, Cæsarióque, eius æui scriptoribus, litteris commendata; operepretium duxi dictis adiungere. Quò magis liqueat per eam expeditionem saluos quàm plures, qui aliàs damnandi forent æternis ignibus. *Circa illa tempora* (ait Cæsarius[e]) *Theodericus de Rulant, vir potens, & diues, deuotionis gratia profectus est Hierosolymam. Prostratus ante Sepulchrum dominicum huiusmodi fudit orationem: Domine Iesu Christe, qui omnia nosti, si non habeo me emendare à vitiis pristinis, non me permittas redire in terram meam sed vt hic mihi mori liceat concede. Audiuit hanc orationem alius miles, compater eius, & ait: Orastíśne bene hodie compater? Etiam, inquit; dicente illo, & cui vultis dimittere vxorem, & liberos vestros? Respondit Theodericus: Melius est, vt illos deseram, quàm animam meam perdam. Quid plura? Exaudita est oratio religiosi militis, & post dies paucos defunctus, coniunctus est ciuibus Hierusalem* 9.

d Ibidem.

e Lib. 11. cap. 24.

ſalem cæleſtis. Quàm propè ſit Dominus omnibus inuocantibus eum in veritate, mors alterius cuiuſdam demonſtrat. Ita Cæſarius, qui præcedenti capite ſimile aliquid,etſi non omnino ſimile.

10. f Lib. 11. cap.23. *In diœceſi [f] Traiectenſi miles quidem extitit, nomine Vegerus,in actibus militiæ nominatiſſimus, in prima expeditione Dei munere compunctus, cruce ſignatus mare tranſiuit, tàm fortiter, & tam inſtanter Sarracenos impugnans, vt tam Regi Hieroſolymitano,quàm cæteris Chriſtianis dilectus eſſet, & acceptus,& inimicis Chriſti nimis odioſus. Qui cùm per annum integrum Saluatori ibidem ſtrenuè, vt dictum eſt, militaſſet, & repatriare cogitaſſet; die quadam in oculis eius in conflictu ſeruus eius occiſus eſt,cuius animam in ſpecie Columbæ cœlos videns penetrare, compunctus de viſione, dicebat intra ſe: Quid agere proponis, ô miſer? ſi reuerſus fueris, vitia repetes dimiſſa, & erunt nouiſſima tua peiora prioribus. Et tunc fortiùs agens ſolito, die quadam conflictum intrauit, & occubuit; cuius caput Sarraceni præcidentes cum multa gloria circumtulerunt; Chriſtiani verò corpus rapientes, atque ſepelientes Eccleſiam ſuper ipſum fabricauerunt.* Sic gloriam occiſorum à Sarracenis, qui merebantur videre, ſollicitabant.

11. His ex Cæſario adductis,ſubiungam aliud,quod Thomas Cantipratanus his verbis narrat.

g Lib. 2. c.6. *Circa [g] illud tẽpus, quo annus Domini M.CC.III. voluebatur,expeditio peregrinorum validiſſima facta eſt in terram ſanctam, vt Sarracenos, qui Chriſtianorum fines inuaſerant, propulſarent. Factis autem congreſſionibus plurimis, multi ex vtroque populo ceciderunt, plurimi etiam in captiuitatem deducti ſunt: inter quos ex populo Dei duo milites, vnus ex Gallia, alter ex Brabantia cum quodam nobiliſſimo viro in terram Gentilium ſunt adducti; & contra natales ſuos,& conſuetudinis vſum, grauiſſimis manuum laboribus annis tribus addicti. Vt igitur mihi vnus militum enarrauit, die quodam ſedebant ſub æſtu ſolis, grauiſſimis manuum laboribus fatigati. Cùmque optarent milites cum graui cordis ſuſpirio eſſe in terram ſuam; ille nobiliſſimus eorum in pœna ſocius, ſegnitiem eorum redarguit, dicens: ô miſeri, quid optatis? redibitis forſitan, & eritis miſeriores in iniuriis pauperum, quàm ante fuiſtis. Hîc autem, ſi velletis, poſſetis vtique finem vitæ fœliciſſimum expectare; & hoc dicens, flexis genibus ad cœlum, manus tetendit, & oculos. Numquam mihi Deus omnipotens redire concedat ad patrios portus, inquit, ſed hîc ſinat me mortem,peractâ pœnitentiâ, præſtolari. Mira reſpondentis conſtantia, nec minus mira diſpenſatio Saluatoris. Ambos milites liberatos poſtea vidimus,& fortè malis,quàm antè, maioribus irretitos. Pro illo autem nobiliſſimo, ac beatiſſimo viro, cùm Rex Hieroſolymitanus, & alij multi nobiles laboraſſent, numquam tamen efficere potuerunt, vt eum à captiuitate gentilium liberarent: inſuper & hoc ipſum de eo miles ſocius eius, qui mihi hæc retulit, referebat, quòd tantum poſt quotidianos labores de nocte orationibus incumbebat,quòd ei admodum camelorum calli in genibus accreuiſſent.* Hæc longiùs recenſenda eſſe cenſuimus, ſed non tam pro Bernardo, pro quo ſatis à Deo, ſupérque factum: quàm pro ipſa diuina prouidentia, quæ etſi potuerit pro oſtenſione ſuæ iuſtitiæ, in pœnam peccatorum antecedentium, ad ſupplicium perducere Chriſtianos; maluit tamen pro ſupetexcellenti miſericordia,contritos à præteritis, & futuris ereptos, vocare ad præmium, non niſi per has clades conſequendum. Sed de his ſatis.

---

1. Querelæ Præmonſtratenſium aduersùs noſtros, 2. de quibus Philippus Bonæ-ſpei Prior, ſe Bernardo, & Eugenio purgandum curat. 3. Littera Præmonſtratenſis Abbatis ad capitulum, 4. queis Bernardus reſpondet, recenſens primùm, quæ in eos beneficia noſtri contulerint: 5. Mox de Roberto 6 excuſans, 7. & de Fromundo; 8. deinde Baſifontis domo diruta, 9. & domuncula Brenæ. 10. Cauſa inter Villarienſes, & Canonicos S. Follani, ſemel & iterum per vtriuſque Ordinis arbitros: 11. Mox per Epiſcopum, & Pontificem deciſa. 12. Demum pax per Bernardum procurata.

Capvt III.

1. Nterea ex leuibus,inter Præmonſtratenſes,& noſtros,obortis litibus, grauiores erupêre; & querelæ ex querelis emergentes,dum neutri cedebant, ſemel turbatam pacem præcipitabant. Roberto hactenus numquam reſtituto,acceſſit Fromondus, egregiæ indolis iuuenis,ſuſceptus de licentia ſui Abbatis, ſed non capituli, in quo violatam concordiam cauſabantur. Domus quædam Monaſterij Baſifontis per Epiſcopum primum iuſſa dirui, dein per militem infeſtari cœpta, tandem corruerat; nec ſine culpa noſtrorum, vt credebatur: qui quod nimis propinquam auerſarentur, omnimodis non extrui procuraſſent. Quin & domuncula Monaſterij de Brena igne ſuccenſa,quem ſuppoſitum à Conuerſo Ciſtercienſi (caſu,an conſilio) nequaquam dubitabant. Erecta alia intra terminos ipſorum, iniquis legibus;quippè quæ,eadem, quæ noſtros pati nolent, permitterent ab eis, aliis inferri. Nec noſtris deerant ſimiles querelæ, quas longum eſſet in præſenti examinare.

Hæc, & ſimilia,quantumuis ex ſe leuia, tamen dum quique zelant pro ſuo Ordine, & neutri cedunt, vtroſque conturbabant. Et noſtris ſub Eugenio maior potentia, & viuente Bernardo maior auctoritas; eóque minor ſtomachus: illis, quia pluribus cauſis cecidiſſent, amarior animus: & qui occaſiones leues,pro grauioribus; ſingulorum actiones,pro communibus;& (quæ læſorum plerumque conditio eſt) omnia in maius attollere, quædam etiam in deterius interpretari, vix charitate cogente,reprimeretur. Crediderim Venerabilem Philippum, tunc Bonæ-ſpei Priorem, in his fuiſſe: ideoque malè audientem apud Bernardum, quin & apud Eugenium, indiguiſſe purgari, ſcriptis epiſtolis,quæ hodiè inter opera ipſius circumferuntur. In quibus ad Bernardum hæc inter alia. 2.
Cæterum [a] cùm apud Claramuallem quidam ex Fratribus veſtris noſtram vobis diceret veritatem, & perſona potentior tuam ex oppoſito voluntatem; cui potiùs aurem credulam veſtra paternitas inclinauit, ſatis rei euentus indicauit. Et infrà. *Nec dubito,* a Epiſt.11.
quin

b Ibidem. *quin vestrum* [b] *illud iudicium protulerit præcipitatio potius putatiua, quàm malitia præsumptiua: quia nihil inuidiæ, nihil malitiæ, vestræ adscribo sanctitati; cuius simplex existimatio, non prudens obstinatio mea nocuit paruitati, &c.* Quæ latè ibi prosequitur. Ad Eugenium autem, quibus fuerit impetitus telis,

c Epist. 12. his verbis narrat. [c] *Prior, inquiunt, violator pacis, litium seminator, proditionis reus, auctor dissensionis, temerauit iura, Ordinem confudit, fidem rupit, &c.* Ergo Philippus primus, vel inter primos, qui hæc dissidia fouere crederetur. Sed solus adhuc, aut paucis cum iunioribus, queis reliqui grauiores, & seniores non consentirent.

3. Verùm cùm emersisset noua querela Ecclesiæ S. Follani Præmonstratensis imbannitæ per nostros, atque subiectæ Ecclesiastico interdicto; hoc opus, hic labor fuit, qui sanctam illam familiam adeò commouit (quippè dolentem, quæ fortè numquam passa, fortè numquam passura sperabatur) vt iam non solus Philippus Bonæ-spei; non pauci, & iuuenes; sed plures, & grauiores; quin ipse pastor, & pater totius Ordinis, amaras litteras ad Cistercium scriberent, rumpentes fœdus, vel rumpendum comminantes, nisi multa per nostros emendarentur. Hæc epistola ad capitulum delata, perlectáque; ad Bernardum remissa, qui respondere t: nec satis constat, an suo, an omnium nomine. Extat rescriptum Sancti acre, & liberum: & quod illata beneficia, vt non exprobret viris, saltem recenset, charitatis indicia in sanctum Ordinem; à quo etsi velint, nolit separari: simúlque obiectis per omnia satisfaciat, exactè satis, & modestè pro suo more. Atque ecce epistolam.

4. *Ad Abbatem* [d] *de Præmonstrato.*

d Epist. 252. *Audiui auditionem vestram, & timui. Scribitis enim contra me amaritudines: absit autem, & vt tam rationabiliter, quàm terribiliter. Quid peccaui? an quod vestram personam semper amaui? vestrum Ordinem foui, & promoui semper, quod in me fuit? Fidem, si verbis non habetur, opera facient. Vt quidem mea mihi conscientia respondet: ego à vobis debui commendari. Sed quia contraria potiùs loqui, & scribere libet: dabo ego voci meæ vocem virtutis, ex factorum testimonio. Id quidem graue. Videar improperare beneficia: quod vtique non decuerat. Vt minus sapiens faciam; vos me cogitis. Cui vnquam vestrum, siue vestrorum nostra opera opus fuit, & defuit. Primò quidem locus ipse Præmonstrati; in quo degitis, noster fuit, & nostro munere habuistis. Nam vobis frater Vvido (* hoc nomen primi incolæ loci *) per manum Episcopi antè donauerat. Deinde, quòd hi de Bello loco vobis se associauerunt, nostri potissimum studij fuit. Apud Hierosolymam Rex Balduinus, dum adhuc viueret, locum Sancti Samuelis donauit nobis, & mille aureos simul, de quibus ædificaretur: vos dono nostro, & locum habetis, & aureos habuistis. Apud Virdunum pro Ecclesia B. Pauli, vt eam vos haberetis, quantum laborauerim, multi norunt: quantum profecerim, ipsi sentitis. Si quominùs recognoscitis vos; extant epistolæ nostræ ad beatæ memoriæ Papam Innocentium, huius rei veri indices, & quasi viui testes. Illis de septem fontibus locum, quem primum inhabitauerunt, Franca vallis nomen ei, contulimus. Propter quod horum vultis recedere ab amicis? Nunquid redditur pro bono malum: quia minamini violare pactum, valedicere paci, societatem deserere, scindere vnitatem?*

5. *Sed esto, de bono opere non me lapidatis, sed de iniuria; quod fratrem Robertum, cum esset de vestra professione, susceperim, habitum ei monasticum tradens. Non inficior: apud nos est. Putaueram autem me super hoc satisfecisse vobis, cum susceptionis illius rationem, ordinem, necessitatem, viua, & veridica voce exposui, idque non semel. Quia verò necdum quiescitis, non erit mihi pigrum rescribere, quod responderam: quando vobis durum non est repetere, quod excusaueram, minimè ego prædictum fratrem Robertum aliquando, vt à vobis exiret, sollicitaui: magis autem à multis annis id cupientem, non semel, sed semper compressi. Quonam denique modo suspectus haberi possum; quod fratrem Robertum subduxerim vobis, cuius consilio, & hortatu magistrum Othonem habetis? Si nescitis; ipsum interrogate. Si bene noui hominem: non negabit. Possem, & alios forsitan non paucos nominare, siuè conuersos ad vos, siue reuersos, quos hodie non haberetis, nisi à nobis suasi fuissent, vel coacti. Parco autem non inops materia, sed verecundia satisfaciens diues. Inueni ego in claustris vestris, qui ad verbum prædicationis nostræ compuncti, & conuersi, venire ad nos disposuerant: Cùm ecce sollicitantibus vestris retrahentes pedem, recepti, & retenti sunt in Ordine, & habitu vestro. Post modum verò, remordente eos conscientia, exire voluerunt; & ni fallor, exiuissent, nisi nostro firmarentur, non assensu tantùm, sed & hortatu.*

Sed iam audite (quia iterùm vultis audire) quomodo tandem fratrem Robertum receperim Dominus Papa præcepit: nempe rogatus ab illo, & eius amicis. Dicebat vestrum sese, & Abbatis eius adsensum prece sua obtinuisse: ne quis dicat, quod præcepto extorsit. Negatis; quid ad nos? ipse viderit. Si vobis summum, & Sanctum Pontificem falsitatis arguere libet; ignoscite nobis, quia nos tantæ sanctitati non credere, & tantæ maiestati non obedire, nefas duximus. Quamquam & Venerabilis Abbas Godescalcus, qui de vestris est (nam is à Domino Papa ad vos huius rei gratia fuerat destinatus) non planè negauerat reportasse se à vobis, & liberam fratris emancipationem, & vestram ipsius spontaneam confessionem. 6.

Iam de fratre Fromundo non est, quod nos lacessatis, cum nequaquam eum sine voluntaria Abbatis sui concessione receperim. Quod quidem nec vos latuisse, amara illa epistola demonstrat, in qua nobis de sola capituli non expectata conniuentia calumniam struitis. Quasi verò, vel in mutua nostra conuentione, id prohibitum fuerit, vel emancipatio filij ad capitulum, & non potiùs ad solum spectet Abbatem. Adiicitis & de domo quadam fratrum vestrorum de Bassofonte, quod eam nos de medio tulimus, licèt extra statutos terminos constitutam. Atque vtinam prius quàm nos argueretis, eosdem interrogassetis fratres, non solùm, quis eam de medio tulerit, sed etiam qua de causa. Neque enim celassent vobis (vt confidimus) huius rei veritatem. Cæterùm audite eam nunc, vel à nobis, ac deinde, si ita placet, eos interrogate. 7.

Cœperant ædificare locum, vbi aliquas è sororibus suis constituerent, longè quidem ab Abbatia sua, in confinio autem duarum grangiarum domus nostræ, & propè pascua ouium nostrarum. Rogauimus eos tanquam amicos, & quibus fortè non inutiles fuissemus, ne seminarium scandali, & dissensionum fomitem suis pariter, & nostris parerent, posteris relinquendum. At illi nihilominus ædificabant. Hæc fuit tota violentia nostra; sic nos de medio tulimus domum illam. Inexcusabiles sumus, si rogare, vim irrogare est. Reuera Episcopus (quod negandum non est) indignatus, non modò quòd Oratorium in suo Episcopatu, 8.

Episcopatu, sed & quod domum in fundo Ecclesiæ, & terra fœudi sui ædificare, se inconsulto, præsumpsissent, cœpto interuenit operi; quamuis frustra. Nam nec vetiti ab eo destiterunt. Exinde transeunti mihi per terram illam, is, qui tunc erat Abbas Basifontis, occurrens, indicauit, quod ab ædificatione cessassent. Veruntamen non tam propter nos, sicut ex eius relatione cognoui, quàm propter militem illum, qui terram eis visus dedisse, grauabat eos in multis, ita vt de eo plurimùm quererentur. Quanquam etsi pro sola charitate nostra id voluntariè dimisissent, nec religionem eorum dedecuisset, nec immeritis forsitan præstitisse beneficium viderentur. Miror sanè, vnde hæc tandem querela emerserit, cùm & Abbas in bona (nisi fallor) & deuota erga nos voluntate, præsentem finierit vitam: & qui substitutus est ei, frequenter, & familiariter conueniens nos in necessitatibus suis, nullam nobis querimoniæ huius aliquando fecerit mentionem. Denique, & postea in eadem domo humanissimè susceptus hospitio, nihil hinc, vel ab ipso Abbate, vel alio quoquam audiui. Sed & vobiscum in Claraualle postmodum præsens fuit Abbas, & nuperrimè Barri iam instante capitulo vestro, vnde littera illa querula, ne dicam calumniosa, venerunt: & nec hic, nec ibi super hoc, siue ab eo, siue à vobis, vel tenuiter quidem memini me fuisse conuentum.

9. *Præterea causamini, quod domunculam fratrum vestrorum de Brena, Conuersus Igniacensis combussit. O domunculam: nempe vmbraculum quoddam ramorum erat, vbi sederet frater, qui stantes adhuc in agro segetes custodiret. Neque hoc combustum malitia, sicut fideli narratione cognouimus, sed quod positum in agro quodam fratrum Igniacensium terram occuparet, quam excoli oportebat. Denique vix vno taxata est nummulo domuncula hæc: & Abbati de Brena ita iam (nisi fallimur) super hoc satisfactum, vt omninò nec queratur, nec habeat, vnde queratur. Si quominùs: vbi id nos rescire feceritis, parati sumus ad omnem satisfactionem. Sic & de Abbate Longipontis, vbi primò querelam vestram accipimus, quod inter terminos vestros domum vellet ædificare, prohibuimus eum: & iam credimus destitisse. Sin autem, & id fiet, vbi factum non esse nouerimus.*

10. *Super omnia plangitis, quòd Ecclesiam S. Follani, quæ de Ordine vestro est Abbas noster de Villari fecerit imbanniri. At fortè iustiùs vobis fratris, & Coabbatis vestri de prædicta domo S. Follani incredibilis obstinatio, quàm summi Pontificis reprehensibilis animaduersio displiceret. Noui siquidem, quod multis vestrorum ipsius Abbatis animositas displiceat grauiter: mirum valde, si non etiam vobis. Ita ergo dico vobis, hinc indignamini, siquidem ipse est, cuius aut cupiditas, aut contumacia fratribus vestris diuina fecerit officia interdici. Et quidem prolixum est hoc negotium: & difficile esset vniuersa eius subterfugia epistolari breuitate concludi. Causam tamen interdicti, quam breuiter intimabo. Post duas aut plures conuentiones pacis, post diffinitiuam sententiam iudicij iuxta mandatum Capituli vestri per vestros, & nostros Abbates promulgatam, accitus demum Episcopus Cameracensis (ad cuius Parochiam locus Sancti Follani pertinere cognoscitur) cum videret Abbatem obstinato animo omnia violare: etiam sententia eum Ecclesiastica cogere voluit, vt dicebat. Ille verò vt redimeret tempus, summi Pontificis audientiam appellauit. Ventum est ante eum. Qui postquàm testimonio tam vestrorum Abbatum, quam aliorum religiosorum indubitanter agnouit, Abbatem S. Follani non solum resilire à compositionibus, sed & iudicio contraire, Ecclesiam eius imbanniri iussit, donec satisfecisset.*

Demum rogastis tam vos, quàm ipse Dominum Cisterciensem & nos multisque tam vestris, quàm vestrorum precibus extorsistis, præsente & ipso Episcopo, qui promulgandæ sententiæ interdicti mandatum acceperat, vt prouideretur adhuc forma aliqua pacis. Absente Abbate de Villari tractata compositio dictùmque est Episcopo, vt si vel ipsam obseruaret Abbas S. Follani, abstineret ab interdicto. Discedens autem, nec illam tenuit: sed domum, quam & iudicij sententia, & compositiones omnes diruendam esse definierant, ita vt semel etiam diruta iam fuisset, atque iterum contra conuentionem, & iudicium reædificata, hanc, inquam, & tenuit, & tenet: & alteram quoque superædificauit. Quid ni exequeretur Episcopus mandatum Apostolicum, quod acceperat de promulganda sententia interdicti, præsertim addita præuaricatione? Ego tamen sperans tandem aliquando vincere in bono malum, eamdem sententiam differri feci vsque ad octauas Epiphaniæ: si fortè interim vir ille cogitaret, vt vel formam iudicij exequeretur, vel compositionem aliquam obseruaret. Atque vtinam sic contingat: faciat Deus, vt requiescat super eum pax nostra. 11.

Cùmque hæc ita se habeant, non est quod de nobis queri debeatis: cùm iustiùs nos de vobis, vt apparet, queri possimus. Reliquum est, vt diligentes vos diligatis, præsertim soliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Illo, inquam, vinculo, quod inter nos, & vos causa pacis, Charitatisque firmatum est: vtiliter quidem, & non minùs forsitan vobis, quàm nobis. Si rumpendum decernitis: non expedit quidem: sed neque licere vllatenus puto. Nempe vbi communis est causa, personæ reatus præiudicare non deberet, etsi vera essent, quæ in nos dicitis. Ego autem fratres, quidquid faciatis, decreui semper diligere vos etiam non dilectus. Occasiones quærat, qui vult recedere ab amico: mei studij est, & erit, nec cuiquam amicorum iustam in me discessionis causam dare, nec scrutari in alio: quod hoc quidem ficta, illud verò neglecta amicitia sit. Et quia (secundùm Prophetam) e glutino bonum est: soluere vel potius abrumpere vos poteritis: sed non me. Adhærebo vobis, etsi nolitis: adhærebo, etsi nolim ipse. Olim me alligaui forti vinculo, charitate non ficta, illa, quæ numquam excidit. Cùm turbatis ero pacificus, conturbantibus quoque dabo locum iræ, ne diabolo dem. Vincar iurgiis, vincam obsequiis. Inuitis præstabo, ingratis adiiciam, honorabo & contemnentes me. Et nunc tristis est anima mea, quòd quacumque occasione offenderim vos, eritque tristis vsque dum vestra indulgentia releuetur. Si tardaueritis, ibo & excusabo, præforibus perseuerabo pulsans, instabo opportunè, importunè, donec vel merear, vel extorqueam benedictionem. Plusquam medium hyemis transijt iam, & tunicam nostram vsque adhuc frustratus expecto. Hactenus ad Abbatem Præmonstrati Sanctus Bernardus, & libertatem Spiritus eructans, sed nihilominus persistens in charitate. Nec dubium, quin soluendum aliàs vinculum, ex inde fuerit ampliùs innodatum. 12.

e Isa. 41.

1. *Eugenius*

1. *Eugenius Papa Henricum Imperatorem Sanctis adnumerat.* 2. *Ad Ferentinum Episcopos plures, & inter eos Hobertum, & Gerardum ordinat.* 3. *Hoberti Sanctitas,* 4. *de creatione Cardinalium ad Bernardum, & Clarauallenses scribit, cui Bernardus respondet.* 5. *Tertia creatio Cardinalium, in qua tres adsumuntur ex Claraualle.* 6. *Varij de Hugone errores.* 7. *Recensiti, & detecti.* 8. *Episcopatus Cardinales ad sex reducti.* 9. *Actum de Henrico;* 10. *& recentiores emendati.* 11. *Quàm Bernardo dilectus.* 12. *Qualis, & quantus vir Bernardus fuerit.*

CAPVT IV.

1. EVGENIVS cum neque adhuc Romæ posset, moratus trans Tyberim, duo Romanæ Ecclesiæ Cardinales in Germaniam de latere suo legat, atque inter alia negotia illis iniungit inquisitionem de vita, atque miraculis Henrici Imperatoris, & Fundatoris Ecclesiæ Bambergensis. Quin & eumdem, causa examinata, & communicato consilio cum Cardinalibus, inter Sanctos decernit recensendum, litteris datis ad Episcopum, & Canonicos loci, quæ ita habent.

Eugenius [a] *Episcopus seruus seruorum Dei, Venerabili fratri Egelberto Episcopo, & dilectis filiis Canonicis Bambergensis Ecclesiæ, salutem, & Apostolicam benedictionem.*

a Apud Baron. ann. 1152.

Sicut per litteras, & nuncios vestros vobis mandasse meminimus, Venerabiles fratres nostros, N. Sanctæ Rufinæ Episcopum, & N. presbyterum Cardinalem pro diuersis negotiis ad partes illas de nostro latere delegauimus; eisque viua voce iniunximus, vt ad Ecclesiam vestram accederent, atque de vita, & miraculis Henrici Regis, rei veritatem diligenter inquirerent, & de litteris suis nobis significarent. Nunc autem eorumdem fratrum nostrorum, & multorum Religiosorum, & discretorum virorum attestatione, de castitate ipsius, de fundatione Bambergensis Ecclesiæ; & multarum aliarum, quarumdam quoque Episcopalium sedium reparatione, & multiplici eleemosynarum largitione, de conuersione Regis Stephani, & totius Hungariæ, Domino cooperante, per eum facta: de glorioso etiam ipsius obitu, pluribúsque miraculis post eius obitum, ad ipsius corporis præsentiam diuinitus ostensis, multa cognouimus. Inter quæ illud præcipuum, & memorabile plurimum attendentes, quòd cùm Diadema, sceptrúmque Imperij suscepisset, non imperialiter, sed spiritualiter vixit. In thoro etiam legitimo positus (quod paucorum fuisse legitur) integritatem castimoniæ vsque in finem vitæ conseruauit. Quæ quidem nos omnia simul perpendentes; atque deuotionem vestram, & Ecclesiam Bambergensem, quæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ soli subesse dignoscitur, diligenter considerantes: tametsi huiusmodi petitio nisi in generalibus Conciliis admitti non soleat, auctoritate tamen S. R. E. quæ omnium Conciliorum firmamentum est, petitionibus vestris acquiescimus, atque eiusdem memorabilis viri, cuius exaltationem requiritis, fratrum nostrorum Archiepiscoporum, & Episcoporum, qui præsentes aderant, communicato consilio, memoriam inter Sanctos de cætero fieri censemus, & anniuersarium ipsius diem solemniter celebrari constituimus. Vestra itaque interest, sic in S. R. E. obedientia, & fidelitate persistere, & ei dignæ deuotionis obsequiis respondere, vt ampliori B. Petri, & nostra gratia digni inueniamini. Datum trans Tyberim, secundo Idus Martij. Hactenus Bulla Canonizationis Henrici Regis, quæ prouidentia, & zelus Eugenij Papæ Regibus in exemplum proposuerit.

Reliqua Eugenij ad mensem vsque Octobrem minùs aperta, quippe ab antiquis inuoluta silentij tenebris. Mense Octobri Ferentinum aduenit, de quo aduentu in Chronico Fossæ nouæ ista leguntur. [b] *Eugenius Papa Ferentinum venit (nempe hoc anno) mense Octobri, vbi & multos Archiepiscopos, & Episcopos ordinauit.* Hactenus ille. Crediderim ordinatos inter alios, Gerardum, & Hobertum, vtrumque Cisterciensem, atque vtrumque assumptum ex Claraualle: illum, quem diximus anno præcedenti à Tornacensibus electum in Pastorem, subrogandum Anselmo: hunc, quem Tabulæ omnes asseuerant præfectum Nepis, Bernardo adhuc viuente; & sunt qui dicant, promotum circa hunc annum. [c] Arnoldus, Bonæ-vallis Abbas, [d] Alanúsque, [e] promotionem agnoscunt; & Nepam refloruisse sub ipso tradunt. *Prope vrbem* (inquiunt) *Romam, Nepa sub Hoberto refloruit.* Sed tempus non diffiniunt; & nobis, deficientibus antiquis, recentiores arrident: & ne nullum sequamur, ipsos sequimur; vbi aliud constat, libenter correcturi. 2.

b Apud Baron. hoc ann.

c Seguinus lib 2.
d Lib. 2 c. 8.
e In Epitome.

Hobertum hunc inter Sanctos Seguinus memorat, ex quo hausit Henriquez: hic ad vigesimam secundam diem mensis Aprilis: ille, in libro de Episcopis Sanctis Cisterciensibus, vbi hæc inter alia de eo narrat. [f] *Hobertus, siue Hubertus, Clarauallis Monachus, & Diui Bernardi discipulus, viri Senatorij ordinis filius, spreta generis nobilitate, Monachalem Ordinem ardens, in Clarauallis solitudinem se contulit, & inter pauperes Monachos multos annos pauperem vitam, & humilem duxit. At cùm sese ab hominum secularium conspectibus in hanc eremum illatebrare niteretur, ne agnitum honore afficerent; tamen permissu diuino, quis, & quantus esset, & vbi maneret, Nepenses latere haud potuit: qui eum ob virtutis magnitudinem sibi in Episcopum elegerunt. Itaque cum id gloriæ deuitare, & clam fugere cogitaret, Magistri sui Bernardi, & amicorum dulci alloquio consolatus, atque confortatus, inuitus suscepit, quod multum, diúque abhorruit.* Hæc occasione eorum Episcoporum, quos dicitur Eugenius ordinasse, cum de Hoberto nil aliud nobis constet, visum est in præsenti recensere. 3.

f Cap. 12.

Verùm cùm tertiam creationem Cardinalium meditaretur, atque inter eos aliquos adsumendos ex Claraualle, præcipuè Hugonem Abbatem Triumfontium, quem dudum ad se vocatum, virum magnum, & negotiis gerendis satis vtilem, longa experientia rerum comprobauerat; Bernardo Patri, & Conuentui Claræuallis litteras dedit, dulces quidem, & plenas dilectionis, quibus & propositum panderet, & quò in re tanti momenti 4.

illustraretur, pro se orari, instanter postulabat. Lectæ in capitulo illæ, perlectæque, cunctis in gaudio, quibusdam in timore; à Bernardo vtrumque affectum expressere. Quippe gaudebat de filiorum promotione, sed timebat de fructu: pro Hugone etiam sibi pernecessario, quem ante alios subtrahendum videbat, contristabatur. Ergo spem inter, & metum vir Dei positus, hanc ad Eugenium epistolam scripsit.

g Epist. 273. *Amantissimo Patri,[g] & Domino Eugenio, Dei gratia summo Pontifici, Frater Bernardus Claraualli, vocatus Abbas, modicum id, quod est.*

Vox turturis audita est in Capitulo nostro, exultauimus, & delectati sumus. Planè eloquium castum, feruidum zelo, cautum scientia. Spiritus vitæ spirabat in litteris, spiritus vehemens, intonans, & increpans, & æmulans nos Dei æmulatione. Fateor, non facilè dixerim, quid me ampliùs delectarit in illis; vestra benignitas, an nostra vtilitas: inclinata maiestas, an erecta humilitas: mordens seueritas, an mulcens paternitas. Qui in nobis quantulumcumque esuriebant iustitiam, refecti sunt: qui minus, compuncti sunt; qui minimè, confusi sunt. Ita, quæso, ita iugiter faciatis. Solicitudo, quæ omnibus debetur, nullo modo his, quibus specialius debetur, subtrahenda, sed propensiùs exhibenda est. Charitas benigna est,

h 1 Cor. 1. *[h] dilatare se, non minorare nouit. Colligat sanè & alios, sed nobiscum. Nec alienum à vestro Apostolatu, fouere eiusmodi, qui cum Apostolis loqui*

i Matth. 16. *possunt: [i] Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te. Non sunt relinquendi, qui ipsi se reliquerunt. Pusilli Domini sunt, in ipsum credentes: non deseret eos fidelis seruus, & prudens, is præsertim, cui credita vniuersitas est. Nempe vniuersitatis portio hi: & quidem pusillus grex, sed qui (ni fallor) meruerunt Patrem habere Deum, accepturi coronam gloriæ de manu Domini, & diadema regni de manu Dei sui. Nec enim rapinam arbitrantur esse se heredes Dei, coheredes autem Christi: Denique audierunt: Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis Regnum Dei. De his interim satis. Abbas Triumfontium benè plantatus erat; vtpotè secùs decursus aquarum. Vereor ego, ne arbor bona faciens fructum bonum, explantata faciat nullum. Vidimus interdum vitem in prima plantatione fœcundam, in secunda sterilem. Vidimus lignum bene plantatum virescere, transplantatum arescere. Grauiter proinde vulnerastis cor meum, si non remittitis eum; quia sumus cor vnum, & anima vna. Quandiu diuisum erit, necesse erit, vt vtraque pars suo sanguine cruentetur. Heu onus, quod ambo vix portabamus, quomodo portabo solus, subducto baculo senectutis meæ? si de me parum est, moueat vos totius Ordinis plaga, non parua: & ne spe incerti boni, tam certa interim mala fieri velitis. Quod si omnino vobis in eo complacuit, vt retineatis eum: placeat, obsecro, commendatum habere ipsum, ac deinceps ad Deum leuare manus, vt dignetur idoneum pro eo virum prouidere domui illi. De cetero super his, quæ pro communi vtilitate totius Ordinis, & pro aliis quoque negotiis eidem Abbati dignum (imò & necessarium) indicauimus ad vos perferenda committere, festinatum exposcimus benignitatis vestræ responsum; sed responsum facti, non verbi.* Hæc S. Pater ad Eugenium in gaudio spiritus. At quænam inde in creatione Cardinalium sequuta sint, Alfonsus Chaconius narrat in hæc verba.

5. k Chaconius in Eugenio. *Anno Domini [k] M. C. L. Pontificatus Eugenij, Papa tertij, anno sexto, idem Pontifex tertiò creauit Cardinales, inter quos hi memorantur.*

XI. F. Hugo Gallus, Monachus Cisterciensis, Abbas Monasterij SS. Vincentij, & Anastasij ad Tres fontes Romæ, Episcopus Cardinalis Ostiensis, & Veliternus. Huius frequens mentio est in Epistolis S. Bernardi, cuius discipulus fuit, ad eumdem scriptis, quæ 274. 277. 290. 296. 306. 307. sunt. Quem, & virum magnum, & S. Bernardi Abbatis alumnum profitetur auctor eius vitæ Alanus Antisiodorensis, ex quibus eum olim Triumfontium Abbatem fuisse intelligitur: & maxima cum S. Bernardo familiaritate coniunctum. Obiit sub Adriano IV.

XII. Astaldus de Astallis Romanus, ex Diacono. S. Eustachij Cœlestini II. Presbyter Card. tit. S. Priscæ.

XIII. N. Diaconus Cardinalis.

XIV. Ioannes Paparo Romanus, tit. SS. Laurentij, & Damasi.

XV. Ioannes Sutrinus. SS. Ioannis & Pauli, tit. Pammachij, post Archipresbyter Sancti Petri.

XVI. Gerardus tit. S. Stephani in Cœlio monte, presbyter Card.

XVII. Centius Romanus. tit. S. Laurentij in Lucina.

XVIII. F. Henricus Pisanus Monachus Cisterciensis, presbyter Card. tit. SS. Nerei, & Achillei.

XIX. Ioannes de Merione Pisanus, ex Archidiacono Tyrensis Ecclesiæ trans mare presb. Card. SS. Syluestri, & Martini in Montibus, tit. Equitij.

XX. Hildebrandus Crassus Bononiensis Rector Ecclesiæ. S. Geminiani Mutinæ, Diacon. Card. S. Eustachij.

XXI. Octauianus de Monticello Romanus, ex Diacono. S. Nicolai in Carcere Tulliano, Innocentij. II. Papæ, Præsbyt. Cardin. tit. S. Ceciliæ.

XXII. M. Otho de Brixia Lombardus. S. Nicolai in Carcere.

XXIII. Centius. S. Mariæ in Aquirio. Diacon, Card.

XXIV. F. Rolandus Rhedonensis Pisanus, Monachus Cisterciensis. SS. Cosmæ, & Damiani.

XXV. Ioannes Diacon. Cardin. SS. Sergij & Bacchi.

Papa Eugenius III. tribus Cardinalium ordinationibus mense Decembri factis, creauit Episcopos Cardinales duos, Presbyteros tredecim, sed duos ex antiquis Diaconis, & Diaconos Decem. Hactenus. Chaconius.

Ex his Cardinalibus, à Bernardo Patre edoctus, tres Claræualli dedit, & tres Pisis; natali vtrique solo; Alteri in Religione; Alteri in sæculo: cùm tamen hactenus neutrum illustrasset, ne proprio affectu duci videretur. Cardinales ex Cistercio assumpti fuere, Hugo, Henricus, Rolandus, ex quibus Hugo, ex Abbate Triumfontium promotus est, non Monasterij SS. Vincentij: & Anastasij, vt perperam Vvionius, [l] & alij [m] putant, decepti nomine Romæ frequentiori. Sed primogenitæ Ecclesiæ Claræuallis, in Cathalaunensi Diœcesi; quam à Guillelmo Episcopo fundatam, in præcedenti tomo commemorauimus. Aduertit Fitериensis in notis ad Exordium, probátque, quod Monasterium Romanum ab antiquis nullibi Triumfontium nominetur, sed S. Anastasij, siue SS. Vincentij, & Anastasij, quod ex Bernardo [n] in pluribus epistolis ex genesi Ecclesiarum Claræuallensium, atque antiqua Cœnobiorum Cisterciensium Chronologia videre licet. Ast Cathalaunense 6.

l Lib. 1. c. 44. m Vvionius, & Henriq. Decemb. 1. & Ughellus in tabulis, lib. 6. c. 3.

n Epist. 256. 259. & 321.

launēse vbique sub eo nomine, neque alicubi alio nuncupatur. Probat deinde ex epistola trecentesima sexta B.Bernardi, vbi de Monasterio, vnde Hugo assumptus, loquens, nil quod Romanum sapiat:nihil quod non conueniat Cathalaunensi, Sanctus meminerit. Idem conuincit epist. 273. quam modò dedimus: quippe petente Eugenio ad se transmitti à Bernardo parente; cùm ille Italiam,hic Galliam inhabitarent: Rursùs Bernardo expetente, inde remitti sibi pernecessarium, si in eo,quem tenebat,loco relinqueretur: quæ & similia manifestè probant Hugonis Abbatiam, non in Italia,sed in Gallia locatam esse.

7. Henriquez [o] post varios errores ab aliis haustos;nouum ipse futuris propinauit: quod Bernardus [p] de hoc Hugone scripserit; quod de Alberico antecessore eius, ad Comitem Sancti Ægidij suprà adduximus. *Venerabilis Ostiensis Episcopus ab Apostolica Sede ad hoc ipsum directus, homo, qui magna fecit in Israel, & victoriam dedit Ecclesiæ suæ in multis per illum Dominus omnipotens.* Verùm id ex errore Chronologiæ, imò & historiæ: quippe Bernardus de Alberico Ostiensi, ea legatione fungente, loquebatur, vt iam vidimus quin & hinc constat lapsum Vvionium, eumdémque Henriquez,atque Vghellum,& quotquot alij, Hugonis creationem quadriennio anteponunt: atque in secunda per Eugenium facta, quæ incidit in annum M. C. XLVI. creatum referunt. Quippè viuente adhuc Alberico,valentéque, non solùm eo anno, sed sequenti, quoad Tolosanos Bernardum secum duxit;nequaquam potuit Hugo subrogari. Sed de his satis.

o in Menol. Decemb. 1.
p Epist. 240.

8. In hac Hugonis creatione effectum est, vt notauit Chaconius,vt [q] *Eugenius Ecclesiam Ostiensem, quæ ob incolarum defectum, ad nihilum ferè redacta erat,Ecclesiæ Veliternæ coniungeret.* Atque eumdem Hugonem primum omnium Ostiensem simul, Veliternumque Episcopum crearet; quod etiam vsque in hunc diem perseuerat. Addit Panuinus, [r] eumdem Eugenium, fortè ob eamdem causam,duas alias Episcopales Sedes Cardinalitias, Sanctæ Rufinæ nimirum,& Portuensem, vniuisse inter se. Vnde octo olim Episcopatus Cardinales, ad sex tantùm reducti perseuerant. Sed eumdem loquentem audiamus. [s] *Papa Eugenius III. ex quatuor Episcopatibus Cardinalibus, duos fecit; Veliternum enim, Ostiensi; & Sancta Rufina, aliàs Sylua candida, Portuensi vniuit. Vnde ita sex tantùm remanserunt Episcopatus Cardinales, Ostiensis, Portuensis, Sabiniensis, Tusculanus, Prænestinus, & Albanensis.* Hanc secundam vnionem primæ subiunximus, quia certum eius annum non habemus. Quippe Eugenius Cardinalem Episcopum Ostiensem creasse legitur: non Portuensem, vt constat ex eius actis. Atque hæc satis de Hugonis electione. Verùm quis illi successit in Tribusfontibus, & quæ inde scandali materia, inter eum, & Bernardum Patrem emerserit, sequenti anno, quo euenisse credimus, more nostro fideliter reddemus.

q in Eugenio.
r Item in Eugenio.
s Ibidem.

9. Henricus sequitur presbyter Cardinalis, titulo SS. Nerei, & Achillei, ex Monacho Claræuallis assumptus ad purpuram, cùm adhuc nullibi, saltem quod sciamus, Abbatis in ordine officium exercuerit:fertur tamen antequam conuerteretur, sacræ Romanæ Ecclesiæ subdiaconus extitisse. Hunc Vvionius [t] cum altero Henrico, ex Abbate Claræuallis, ad Cardinalitium apicem post triginta annos promoto,confundens, vt solet; multis aliis errandi occasio fuit. Verùm duos fuisse longè diuersos, notauit Chaconius. [u] Quippe hic ab Eugenio III. promotus: ille ab Alexandro: hic natione Pisanus, Gallus ille: ille anno M.C.LXXX. hic quinquagesimo hoc anno, quem nunc describimus: ille in sexta Alexandri creatione, hic in Eugenij tertia: ille ex Abbate, vt dixi,Claræuallis, hic ex Monacho: ille in Episcopum Cardinalem Albanensem, hic in Presbyterum: ille à S. Roberto, qui Bernardo successit, Monachus factus, Gerardo Martyri postea successurus, nempe anno. M. C. LXXVII. hic à Bernardo Patre anteà conuersus, obiit longè antè illius promotionem; fortè & antequam lucem hanc videret, qui adhuc iuuenis Abbas effectus est, vt suo loco dicemus. Hos tam distinctos Arnoldus Vvionius in eumdem conflauit, errore̗ne, an consilio, non ausim dicere. [x] *Frater Henricus* (ait) *Moricolus, de vico Pisanus Monachus Cisterciensis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis, titulo SS. Nerei, & Achillei, & deinde ab Alexandro Papa III. anno M.C. LXXX. Episcopus Cardinalis Albanus creatus,&c.* Hæc ille.

t Lib. 2. c. 44.
u in Alex. III.
x In ligno vitæ lib. 2. cap. 44.

Henricum nostrum ex Claraualle assumptum, & ex filiis Bernardi, habemus ex Bernardo Bonæuallis, atque ex Alano ipsius condiscipulo, qui loquens de Bernardi filiis inde promotis, inter alios hæc habet. [y] *In ipsa quoque Romana Curia Henricus, & Bernardus alter presbyter, alter Diaconus Ordinati sunt Cardinales.* Vt mirum sit, Chaconium, qui vtrumque vidit, & Bernardum in Rolandum, nescio qua occasione, commutasse; & Claræuallis, ac Bernardi magisterium, quæ in Hugone expresserat, tacuisse. Verùm quo fundamento Ferdinandus Hugellus in suis tabulis eumdem Henricum effecerit successorem Hugonis in Tribusfontibus, cum vterque eadem creatione promoti sint, nec potuerit Hugo ante hunc annum; omnino me latet. 10.

y Lib. vitæ S. Bern. c. 8.

Quàm fuerit dilectus Bernardo Patri Henricus Cardinalis, satis ostendit eiusdem Sancti ad eum scripta epistola; quam quia breuis & affectu amoris plena,non pigebit ad litteram transcribere. 11

Domino Henrico Cardinali, [z] *pro eodem Episcopo.*

Sic tibi,quasi mihi scribo, & hoc quoties tibi scribo. Vbi enim tu es,me esse confido: quippe quem tanquam me ipsum diligo. Si me tu æquè diligis (imò quia diligis) vide ne Dominus Cænomanensis ex te (quod in te est) in aliquo redeat contristatus. Alioquin ego contristarer in homine, quem satis pro sua honestate diligo, & à te diligi volo. Hactenus Sanctus affectum eructans tenerum, quo inter filios,Henricum prosequebatur.

z Epist. 2.

Iam Bernardum,perperam à Chaconio Rolandum dictum,ex Claraualle non minùs assumptum constat, ex his, quæ Arnaldus Bonæuallis, [a] Bernardúsve, atque Alanus testantur; natione item Pisanum, virum Sanctissimum, & quem Ioannes Sarisberiensis, eius temporis auctor summè collaudat. [b] *Quis enim (ait) Bernardi Rhedonensis SS. Cosmæ & Damiani Diaconi Cardinalis, continentiam, contemptúmque pecuniæ non miratetur? nondum natus est, à quo munus acceperit.* & item alibi. *Bernardus Claræuallensis Monachus, & SS. Cosmæ, & Damiani Diaconus Cardinalis, Romæ degens, in excelsis singulariter habitauit, excutiens manus suas ab omni munere; vt nondum natus sit, cuius aurum, vel argentum in munus acceperit.* Hæc de Bernardo, quem in defensionem Romanæ curiæ, cum auaritiæ notaretur. 12.

a Lib. 2. B. Bernard. c. 8.
b In vitis Pontif. in Eug. III.

notaretur, apud Adrianum IV. ab eodem au-ctore adductum inferiùs dicam. Quin, etsi plura digna Annalibus occurrerint, suis locis venient inserenda.

1. Cluniacenses extra claustra hospitio habiti, 2. conqueruntur de nostris. 3. Capitulum generale vltimum sub Rainardo: 4. in quo Petrus Mauricius Bernardo scribit, 5. querelas memorans, 6. & obiectans diuisionem; 7. admittendos ad omnes officinas; 8. nec satisfactum edulio lautiori; 9. quamuis neque id hospitibus negandum. 10. Hocipsum ab eodem cùm nostris factum, 11. iam Bernardi interuentu rependendum. 12. Eiusdem Petri epistola ad Nicolaum, 13. & Bernardi ad eumdem Petrum rescriptum.

CAPVT V.

1. IAM Cistercienses, Cluniacensésque auertit: & quæ recens & modica, inuidiam; longa, & maior auctoritas, æstimationem nostris; æstimatio etiam gratiam conciliauerat. Qui Monachi Robertum in Molismo, qui Albericum, qui Stephanum, qui Cistercij incunabula vidissent; vix remanserant: qui sæculares, in puerili ætate positi, reuerentiam, quam æmulationem imbuerant; quam semel haustam, altè conseruabant. Et fortè cordibus penitus vniti inuicem cohærerent, si non pro habitus, & morum diuersitate, habitationibus, etiam intra eamdem domum, separarentur: diuersa vtrisque pro alterutris hospitia: & neutri in aliorum claustra, neutri in officinas Conuentus, refectorium, dormitorium, chorum suscipiebantur. Id à nostris rigidissimè obseruatum, siue quo hospites lautiùs conuiuarent, cubarent molliùs, liberiùs conuersarentur; siue ne ex nimia familiaritate, maior notitia; atque ex notitia instituti laxioris, quamtumuis sancti, laxiora aliqua imbecilles quique appeterent; atque ab strictioribus Cistercij disciplinis, exemplo hospitum, aut fortè persuasione, deterrerentur.

2. Ægrè ferebat Cluniacensium Abbas, Venerabilis Petrus Mauricius, hoc qualecumque indicium diuisionis; cùm maximè suos, à nostris, Monachos strictiora haurire, quod sæpè prædicat, ex animo optaret, & aliàs sciret, non aliter, aut facilius haurienda, aut altiùs radicanda, quàm ex conuictu. Itaque vt Cistercienses prouocaret, antè quindecim annos legem tulerat, qua suscipi in Ecclesiis sui Ordinis, Cluniacensi excepta, intra claustra præceperat, atque officinas eorum interiores: quippè eam vnicam Ecclesiam reseruauerat, non vt eximeret, sed vt gratias posteà daret, cùm primùm sui in nostris susciperentur. Verùm cùm neque sic quidem proficeret, & iam exemplo imbecilli ab assuetudine, vix spes daretur fore, vt persuaderet; curauit vires negotio superaddere, nec latenter, sed palam id exigere, charitate vrgente, inimica totius diuisionis.

3. Instabat tempus Capituli generalis, quod vltimum celebrauit Rainardus Pater, in die omnium Sanctorum, sanctis ipse infrà annum associandus: & sciebat Bernardum, apud omnes; Nicolaum suum, apud Bernardum plurimum posse, per quos negotium ad effectum perduceretur. Scribere Capitulo non visum, ne multorum iudiciis patentes litteræ, variè pro cuiusque affectu acciperentur. Bernardo epistolam scripsit prolixam satis, sed viuidam, & acrem, vt causam sumeret, quæ totam eius requirebat auctoritatem: Nicolao, vt Bernardum sollicitaret; qui posset cunctos ad suam sententiam trahere. Atque ecce exemplar epistolæ ad Bernardum, cui nihil detrahi posset, citra piaculum.

Singulari [a] *honore recolendo, charissimo nostro Domino Bernardo Clareuallis Abbati, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, salutem, quam repromisit Deus diligentibus se.* 4. a Lib.6.ep.4

Breues dies hominis sunt: fugiunt, nec redeunt. Vestigia eorum nulla retrorsum. Labitur miser homo, more fluentis aquæ, cum ipsis: & præcipiti cursu, ad finem, quem nescit, excurrit. Ea propter non est dissimulandũ, sed festinandum: non est periculosa procrastinatio sustinenda; non est mora libera nobis: quia nescit homo (*vt scriptura clamat*) quid superuentura pariat dies. *Obtemperandum est ei, & alibi dicenti:* [c] Quodcumque potest manus tua facere, instanter operare. *Ad quid istud? Non hoc, venerande, & charissime frater, dico, vt te, cuius multiplicia, & sancta opera mihi, ac mundo nota sunt, velut otiosum ad operandum prouocem: vel tarditatis alicuius, ad cœlestia, & æterna multis sudoribus festinanti, notam imponam: stultum est enim currentibus in stadio dicere, currite: sed non est stultum dicere: sic currite, vt comprehendatis. Cucurristi hactenus multum, iuuante Domino gressus tuos: sed non est cessandum, quousque secura mente dicere audeas: Cursum consummaui, fidem seruaui. Videor, vt dicitur, docere Mineruam. Verùm ego Mineruam non doceo: sed vt his, quæ animo insederunt, perficiendis, totam, quam poteris, operam impendas, toto nixu admonere satago.* b Eccl.5. c Eccl.9.

Et ne diu rem protraham, téque plus nimio suspensum teneam: audi, quid intendam. Doleo, imo iam ab antiquo dolui, & miseris quibusdam (quod salua bonorum gratia, dico) condolui: quod spectaculum facti mundo, & Angelis, & hominibus: quod stulti propter Christum, quod infirmi, quod ignobiles, qui vsque in hanc horam & esuriunt, & sitiunt, & nudi sunt, & operantur manibus suis, & penè magnum Paulum ex toto sequuntur: quæ grauia sunt, faciunt: quæ leuia, facere nolunt. [d] Audiuimus, *ait, ille, quem diligebat Iesus*, mandata ipsius: & mandata eius grauia non sunt. *Seruas, quicumque talis es, grauia Christi mandata, cùm ieiunas, cùm vigilas, cùm fatigaris, cùm laboras: & non vis leuia seruare, vt diligas.* Propter verba labiorum eius, custodis vias duras, *per eas fortiter gradiendo: & propter verba eorumdem labiorum eius, non vis custodire viam mollem, per eam leniter, & placidè incedendo. Castigas corpus tuum, & in seruitutem redigis, ne fortè reprobus inuenaris; & dulci charitatis lacte, vel melle te ipsum refouere nolendo, reprobus fieri non perhorrescis? Quid prodest tormentis teipsum absumere, & ad nullum tormentorum profectum, absente charitate, proficere?* 5. d Ioan.5.

Huic

Huic tanto fratrum periculo tu ſubuenire, huic tam noxio animarum morbo, tu chariſſime, mederi poteris: ſi gregem congregationis tuæ, imo oues paſcuæ Chriſti, quæ te poſt ipſum, præ cunctis mortalibus, ſuſpiciunt; quæ tibi maximè innituntur; corpori ſocietatis noſtræ laudabili arte vnieris. Mirabere fortaſſis, quia dixi arte: ſed noli mirari. Profero, quod vſitatum eſt: Ars [e] *eſt artium, regimen animarum.* [e Gregor.] *Ars, inquam, tibi neceſſaria eſt: ſi hoc opus tam laudabile, tam ſalutiferum, tam Deo gratum, implere volueris. Sed interrogas, Quæ? Nouit ſapientia tua, ſtultorum eſſe infinitum numerum; ſapientum finitum, & paruum. Nec ignoras alium eſſe ſpiritualium oculum, alium carnalium. Recordaris ſcriptum eſſe:* [f] [f Corinth. 2.] Animalis homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei. *Vt quid hæc dico? Color varius, habitacula diuerſa, vſus diſſimiles obuiant dilectioni, contraria ſunt vnitati. Aſpicit albus nigrum, & miratur quaſi monſtrum. Intuetur niger album, & miratur velut informe prodigium. Exaſperant mentem aliis aſſuetam vſibus, noua inſtituta: nec facilè poteſt ei placere, quod non conſueuit videre. Hoc tamen apud eos, qui vident in facie, & non attendunt, quid verſetur in mente. Non illa ſic intuentur oculi rationales: non illa ſic contemplantur oculi ſpirituales. Vident, intelligunt, agnoſcunt: nihil in ſeruis Dei differre colorem varium; nihil vſum diuerſum; nihil diuiſa habitacula, cùm iuxta Apoſtolum* [g] [g Galat. 6.] *neque circumciſio valeat aliquid, neque præputium, ſed noua Creatura: & rurſus iuxta eumdem:* [h] [h Galat. 3.] *Quia non eſt Iudæus, vel Græcus; non eſt maſculus, neque fœmina; non Barbarus, & Scytha; non ſeruus, & liber: ſed omnia, & in omnibus Chriſtus. Hoc planè tales vident, intelligunt, agnoſcunt.*

7. *Sed quia non omnes tales ſunt, & rarò inueniuntur, quibus hoc cernere detur: condeſcendendum eſt, vt mihi videtur, inferioribus; eiſque iuxta illum, qui ait: omnibus omnia factus ſum, vt omnes lucrifacerem; iuxta eorum morem, mos eſt diſpenſatiuè gerendus. Non dico, vt color vniatur, hoc eſt vt de albo niger, vel de nigro albus fiat. Non dico, vt vel antiqui vſus in nouos, vel noui transferantur in antiquos. Nihil horum dico, licèt hoc ex parte iure dicere poſſem. Vereor ne ſi quod inde ſentio, dicerem, fortè altera parte offenſa, & verba in irriſum funderem: & quos in inuicem placari deſidero, verbis non placentibus irritarem. Vtatur vnuſquiſque colore, quem elegit: teneat vſus, quibus ſe, ſalua fide, & charitate, deuouit. Vniantur ſaltem habitacula, ſit indifferens diuerſorum colorum, & vſuum cohabitatio: nutriatur, & proueatur in ſeruis Dei tali arte charitas; perturbetur, & expellatur contraria charitati iniquitas. Fiet hoc vel ex toto, vel ex plurima parte, vt arbitror: ſi quando antiqui Ordinis Monachi ad nouorum fratrum Monaſteria, vel habitacula venerint; ab Eccleſia, à Clauſtro, à dormitorio, à refectorio, ſeu ab officinis reliquis excluſi non fuerint. Auferetur ab aduenientis fratris corde ſcandalum, ori ne detrahat, imponetur ſilentium: quando & ſuſcepti, & ſuſcipientis commune ſit habitaculum, vel hoſpitium. Recedent vetera de ore eius, quæ dicere, quæ frequentare conſueuerat. Nunquid ego Iudæus ſum? Chriſtianum me eſſe putabam, & pro Ethnico reputor. Monachum me credebam, & vt Publicanus abiicior. Conciuem me æſtimabam, & vt Samaritanus expellor. Verè nunc agnoui, quod non coütuntur Iudæi Samaritanis. Et quis poteſt cuncta ſimilia iſtis, quæ hac de cauſa prolata ſunt, maledica verba referre? Obſtruatur igitur tali charitatis obice, os loquentium talia, ne dicam iniqua: conſulatur infirmis, quorum ſe medicum Chriſtus dixit. Caueatur puſillorum ſcandalum; timeatur mola aſinaria; quæ non cauentes mergit in profundum maris.*

Non timeatur illud, quod nuper apud Claramvallem, à quibuſdam fratribus mecum inde conferentibus, audiui, timere ſe, ne, ſi aduenientes Monachi hoſpites intra clauſtra ſua ſuſcepti fuerint, tam auſteritate conſuetudinum, quàm inſolita ciborum aſperitate deterriti, inuſitata hoſpitia perhorreſcant: ac malint deinceps in talia clauſtra non ingredi, quam morem tam aſperum tolerare. Ad iſtud ego, quod tunc reſpondi, adhuc reſpondeo. Tollatur tantùm non ingrediendi ſcandalum, ſit pro more, apud veſtros, conſtitutio, hoſpitium. Sit commune vtriſque habitaculum. Sit quale aliis apud vos impendi ſolet obſequium. Sint contenti, qui ingredi voluerint, conſuetudine loci, quam inuenerint. Sequantur in hoc morem Apoſtolicum; ſequantur morem diſcipulorum Chriſti, quibus ab ipſo præcipitur: [i Luc. 10.] *edentes, & bibentes, quæ apud illos ſunt. Hoc ſi pati recuſauerint, non erit iam, quid obiiciant; non reſtabit, quid dicant. Non poterunt vltra conqueri, extrudi Monachos à Monachorum clauſtris: non poterunt læſam deflere charitatem, vel ſchiſma fratrum, clauſtris apertis, & preparatis ad ſuſcipiendum habitaculis deplorare.* 8.

Et licèt hoc dicam, licèt clauſtra veſtra ingredientes, contentos iuxta regulam conſuetudine loci eſſe debere aſtruam: non ſum tamen immemor, nec eſſe te immemorem, vir venerande, credo, quod in capitulo ſuſcipiendorum hoſpitum de talibus Regula dicat: Nam poſt adorationem, poſt orationem, poſt lectionem, de ſuſceptis hoſpitibus ſubdit. Poſthæc, omnis ei exhibeatur humanitas. Credo, quod hæc verba magis aliquid humanitatis exhiberi præcipiunt hoſpiti, quam ciui: aduenæ, quàm indigenæ; peregrino, quàm colono. Non dixit tamen Regula, quod dico, aliquid ei exhibeatur humanitatis: ſed omnis ei exhibeatur humanitas. Omnem verò intelligo, non ſuperfluam, ſed neceſſariam: non illam, quæ quotidiano more impenditur propriis, ſed illam, quæ præter ſolitum maior, iure hoſpitij, impenditur alienis. Vnde mihi videtur, quod non ſolùm extra manentibus clericis, vel laicis, ſed & ipſis clauſtra ingredientibus Monachis, omnis, modo quo intellexi, humanitas eſt exhibenda. Sed quid dixi? non ſolùm clericis & laicis; ſed ipſis Monachis? Imò ſaluo Monachi propoſito, pluſquam Clericis, vel laicis eſt exhibenda Monachis; ſi enim iure præceptum eſt: [k] [k Galat. 6.] Operemur bonum ad omnes maximè autem ad domeſticos fidei: *operandum eſt bonum ad omnes, Clericos, vel laicos; maximè autem ad eiuſdem Monaſtici Ordinis domeſticos. Prætulit tunc in illis verbis ſuis Apoſtolus Iudæis, & Ethnicis, fidei domeſticos, id eſt, Chriſtianos: præfero ego à quodam ſimili, ipſis etiam aliis Chriſtianis, Monachos. Non eſt igitur deteriùs prouidendum à Monachis iuxta congruam propoſito humanitatem, hoſpiti Monacho in clauſtro, quàm hoſpiti Clerico, vel laico, in exteriore hoſpitio.* 9.

Sed non his diu immoror. Habeant tantum monachi, quàdiu hoſpites fuerint, Monachorum clauſtra communia: ſint contenti, ſi ſic veſtris placuerit, veſtro quotidiano cibo, ordine, inſtitutis. Ferant, vt dictum eſt, ſi ingredi ad vos voluerint, quæ apud vos ſunt, quæ apud vos fiunt: quia ſi ingredi noluerint, murmurare ceſſabunt. Si non ceſſauerint, ratio eos deſtituet, charitas pro vobis aget. Præueni ego, quod, non me efferens dico, verba mea operibus: & priùs 10.

verba cœpi facere, quàm docere. Admisi ante quindecim annos vniuersos Ordinis vestri fratres, & recipi præcepi, præter Cluniacense claustrum, in omnia claustra nostra: nec de albo, vel nigro colore simul in locis nostris admixto curaui, nec curantes, cùm multi mihi, ne id fieret, instarent audiui. Securus ergo, vt faciatis, moneo, quod iam feci: vt sicut præter vnum, quod præmissum est, loca omnia nostra patent vestris; sic omnia vestra, absque discretione, pateant nostris. Si hoc factum fuerit, illud maius claustrum, quod exceptum fuerat, cæteris addam: & vt ipsum quoque vestris omnibus aperiatur, præcipiam. Instruatur vtraque species fratrum, si non possunt sermone, saltem paulatim frequenti cohabitatione, nihil discernendum vario colore: nihil distinguendum diuersis vsibus, hos inter, & illos Monachos, quos eadem fides, & Charitas verè facere debet germanos.

11. *Scripsi hoc tibi, mi dilectissime, festinanter, vt festinantius mittere possem: antequam ad diem indictam, quæ sicut audiui, in festo omnium SS. futura est, quidam Abbatum vestri Ordinis tecum conueniant: & cum illis inter cætera de hoc meo capitulo tractans, eos in hanc sententiam, quæ, sicut æstimo, non solum mea, sed tua est, adducas: & vt à cunctis vestri Ordinis fratribus à modo teneatur, vbique promulges. Propone eis verba Domini dicentis:* [l] *Quæcumque vultis, vt faciant vobis homines; & vos eadem facite illis. Si volũt ingredi claustra nostra, non prohibeant. Si seruitutis debitum ex charitatis mandato ab aliis exigunt, reddant vicem illius exemplo, qui dicit:* [m] *Non veni ministrari, sed ministrare. Si sibi seruiri volunt, ipsi quoque fratribus, id est, Christi membris, deseruiant; vt impleant, quod dicitur: Ex charitate seruite inuicem. Sint omnibus omnia communia, non tantum substantia, sed & ipsa habitacula. Vniantur paulatim hoc remedio corda discissa, & dum nil inter se discretum viderint, de diuersis, ne dicam aduersis inspirante eo, qui vbi vult spirat, vnum esse addiscent.* Hactenus Venerabilis Petrus ad Bernardum. At quæ ad Nicolaum, quem solicitatorem interpellabat, totidem item verbis accipiat lector.

l Matth. 7.
m Matt. 20.

12. *Charissimo fratri,* [n] *& filio Nicolao, frater humilis (nosti, cuius hoc cognomen sit) salutem, & syncerum amorem.*

n Epist. S. Bern. 5.

Quoniam te non ficta charitate diligo, diu tui immemor esse non possum. Dilexi te quandiu noster colore fuisti sed & nunc quantum ad me, colore, vt puto, non corde mutato, non minùs te diligo. Maluissem te meum, quàm alterius; sed quia vbique Dei es, meum quoque te vbique reputo. Redde ergo vicem, vt verè te diligentem diligas: quia nec ipse totus cum totis suis viribus mundus, ab hoc me proposito auocare potest, nec te quicquam à simili proposito auocet. Nosti, quod nihil temporalis commodi præstoler à te; nosti, quòd nulla alia causa me mouerit ad amandum te, nisi ea, quæ sola diligenda erat in te. Sed interrogas: Quæ? Quia te litteratum; quia strenuum; quia, quod plus est, religiosum; licet ex tempore, non ab æterno esse aut cognoui, aut æstimaui. Sed de his satis: sequantur reliqua. Scribo epistolam Domino Clareuallensi, quam per te illi præsentari volo. Lege illi eam, intentè, ac studiosè, & quantum poteris exhortare; vt quod, sola Charitatis gratia, scripsi, ad effectum perducatur. Insta ei, quia propter breuitatem temporis instandum est, vt in hoc proximo omnium Sanctorum festo, fiat, quod opto; etsi quos fortè obuiantes inueneris, in meam, quæ (vt puto) & sua est, sententiam transire compellat. Fratrem Regis, quem syncerè diligo, Philippum Leodiensem, Galcherium Cellarium, Garnerium nostrum, Fromundum hospitum custodem; & reliquos, quos meliùs me nosti, fratres, ex parte nostra affectuosè saluta. Hactenus Petrus Cluniacensis ad Nicolaum.

Res ad Capitulum generale delata est, at vtrimque discussa. Nec satis constat, quid consilij cœptum, nisi quod tamen ex rescripto Bernardi satis colligitur, nihil determinatum in ea causa; saltem quod posset litteris mandari. Sic enim habet. 13

Charissimo Patri, [o] *& Domino Petro, Dei gratia Cluniacensium Abbati, frater Bernardus, Clareuallis vocatus Abbas, salutem, & orationes.*

o lib. 6. Petri Venerabilis. epist. 6.

Vidi litteras vestras paruo momento, sed non paruo affectu. Occupatus eram tanta occupatione, quantam vos. vel scitis, vel scire potestis, amantissime Pater. Abripui tamen me, & eripui votis, & responsionibus omnium: & inclusi me cum Nicolao illo, quem diligit anima vestra. Legi, & relegi dulcedinem, & magnam dulcedinem, quæ de vestris litteris emanabat. Redolebant illæ litteræ affectum vestrum; mouebant meum. Dolebam, quia sicut afficiebar, non valebam rescribere: nempe multa dies malitia auocabat. Conuenerat enim multitudo magna, ferè ex omni natione, quæ sub cœlo est. Me oportebat omnibus respondere, quia peccatis meis exigentibus, in hoc natus sum in mundum, vt multis, & multiplicibus solicitudinibus confundar, & vrar. Hoc tantillum interim scribo anima mea, sed cùm accepero tempus, ego accuratiùs, quàm modò dictabo epistolam, quæ lucidiùs aperiat diligentis affectum. Et infrà. *Paratus sum, & non sum turbatus, ad faciendam vestram, vbicumque potuero, voluntatem. In Conuentu Cistercienfi, vestri tanquam specialis Domini, & Patris, & amici Charissimi, & vestrorum tam viuorum, quàm mortuorum, memoria facta est. Salutat vos Beluacensis electus, vt vester: vester est enim. Ego Nicolaus vester saluto vos in æternum, & vltra, & domesticam illam familiam, quæ lateri, & spiritui vestro adhæret.* Ita Bernardus. Quibus satis innuit, nequaquam ad effectum perductum amici votum. Verùm quod ait de electo Beluacensi petit, vt promotionem Henrici Regis fratris, qui hoc ipso anno, quo se Deo per vota consecrauerat, in Episcopum Beluacensem electus est, ex antiquorum scriptis proferamus.

1. Henricum antè, an pòst professionem, grauis infirmitas, 2. Claramuallem egredi cogit: 3. cùm quibus sociis. 4. Emendatus locus epistolæ Nicolai. 5. Priuilegium concessum Claræuallensibus, 6. ac iuri insertum. 7. De Godefrido de Amaio morti iam proximo, admonetur Bernardus. 8. Mors beati viri, 9. atque alterius Conuersi in Claraualle.

Capvt VI.

1. Interea Henricus Ludouici frater, quem anno præcedenti conuersum, ac suæ, vt ipse dicebat, desponsationis solemnem diem præstolantem, commemorauimus (antè, an post professionem, non satis constat) ingenti vitæ, & victus mutatione, in febrem incidit, molestam satis, & periculosam; non sine ingenti dolore Bernardi Patris, qui in Regio sanguine, generosum contemptum gloriæ; quò maioris, rariorem; & altiùs insidens exemplum humilitatis, quo ex altiori maiestate cadebat, arcaniori consilio, venerabatur. Medicos, medicinásque arte factas in Conuentum inferre, nequaquam vtile; sed ægrotanti Henrico non subuenire, penè inhumanum visum Bernardo, & fratribus est, vt Parisios curandus deferretur. Florebat tunc in Clarauallе Gerardus Peroneus, seu de Perona, genere clarus, religione conspicuus, cuius nomine scriptæ à Nicolao [a] leguntur epistolæ, ad Petrum Abbatem Cellensem, & quosdam alios. Hunc simul cum Abbate Regniacensi socios dedit, per quos Henrico de vtraque salute prouideretur. Non curru, non lectica vectus discessit, quamuis infirmus, nec equo ornato stramentis decentioribus; rusticanis insedit Regius adolescens, qualia decebant Monachum, qui se Regum, & filium, & fratrem esse, longè minoris faciebat, quàm Monacharum.

[a] Inter epist. Nicolai epist. 11. & 12.

2. Extat epistola Nicolai ad ipsum, dum absens esset, sub hoc initio.

Speciali fratri, [b] & Domino Henrico, frater Nicolaus, vtriusque hominis salutem.

[b] Epist. 39.

Post discessum tuum, discessit à me gaudium meum, & ad me ipsum turbata est anima mea: nec mirum; quia dimidium animæ meæ me relinquebat, & melior pars mei recedebat à me antè faciem meam. Cùm enim ascenderes equum, & rusticalibus ornamentis ille tanta nobilitatis sanguis insigniretur, cœpi mirabiliter admirari, & turbari vehementius. Vtrique autem rei mihi materia largior abundabat; nec certum erat, vel esse poterat, cui parti magis inclinare deberem. Admirabar siquidem mutationem dexteræ Excelsi: quod tu, qui paulò antè flammeus croco, rutilus auro, lucidus serico: quem equus, imo equi radiantibus gemmis onusti præcedebant, & subsequebantur: ita in sacrarium disciplinæ istius descendisses, vt posses esse exemplo his etiam, quos habuimus in exemplo. Turbabar autem, eo quod abrumpebantur à me viscera mea, quod vel ad horam, corporalem visionem tui mihi, vel spatia locorum, vel interualla temporum abiungebant; sed mea voluntas cum Domini voluntate concordat. Numquam fuisset infirmitas illa, pro qua te misimus peregrinari lumen oculorum nostrorum, & speculum vniuersitatis nostræ; Minimè quidem deserit, vel deseret me dulcis tui memoria, sed quantò memoria dulcior, tantò absentia molestior. Hæc de discessu Henrici Nicolaus.

3. Verùm de sociis viæ, terminique, audi, quod ait in fine illius Epistolæ. *Interim tu mihi eris expectatione dulcis, aduentu dulcior, aspectu dulcissimus; quia etsi loco absum, affectu habeo tecum animam meam, & animam tuam, Dominum Regniacensem, qui te diligit singulariter, me specialiter, quem nos in toto, & de toto ordine, & si non vnum, tamen vnicum super cæteros, & præ cæteris amicum habemus. Habes & tecum Gerardum de Perona per omnia diligendum, qui in huius trinitatem amicitiæ veniens, non quaternitatem addit, sed claudit vnitatem. Nouit Dominus, quia extrema verba cum lachrymis scribo. Reuertere, reuertere dilecte mi, reuertere, reuertere, vt intueamur te. Reuertere propter dolorem meum; reuertere propter honorem tuum; reuertere propter Andræam, & propter conuentum nostrum, qui te exspectat, sicut Angelum Dei. Cùm autem veneris, adduc Dominum Regniacensem tecum, vt festiuum diem habeamus, & abundantiùs gaudeamus in illo, qui super omnia est Deus benedictus in sæcula.* Hactenus ad Henricum Nicolaus.

Porrò quod Regniacensis per errorem, Remacensis vocetur, mirum non est, cum plures alij, grauioresque irrepserint in eisdem epistolis, ex 4
quibus etiam nos quosdam adnotabimus. Regniacensem autem potiùs legendum fore, quàm Remacensem, argumento est; quod loquitur de domo Cistereiensi, *quem nos in toto, & de toto ordine, &c.* Constat autem, quæ Remacum vocetur, in eo nullam; Regniacum, quam præcedenti tomo commemorauimus, vnam esse ex filiabus Claræuallis in Diœcesi Antisiodorensi, quam Pater Sanctus singulari affectu prosequeretur. Verùm quis fuerit Abbas Regniacensis, cui ita adhærerent Henricus, & Nicolaus, in dubio nobis, nec in his satis consultum diuinare.

Circa idem tempus, cùm viri religiosi, vt præstarent calumniæ iuramentum pro emergentibus 5.
causis, non sine aliqua vexatione compellerentur; nec essent pauci, qui propria iura amittere, quàm tribunalibus sisti, longè anteponerent: Eugenius Pontifex prouidè præcepit vt, [c] *In pertractandis causis, iuramentum calumniæ non passim exhiberetur, sed causa, & principalium personarum qualitate inspecta, quandoque per ipsas principales personas, quandoque per œconomos, qui causam omnino non nescirent, in animam iurantis præstaretur.* Verùm cùm ne hoc quidem sufficeret; & Monachi Monasterij Claræuallis, multis nec contemnendis possessionibus spoliari se cernerent, quod iuramentum præstare recusarent: idem Eugenius paterna, qua in omnes, sed in eos specialiùs pollebar, solicitudine, per epistolam suam decretalem ad Episcopos Magalonensem, & Nemausensem directam, de œconomo eis censuit prouidendum. Extat in iure, sub titulo *de iuramento calumniæ*, in aliquibus licèt partibus trunca. Nos integram ex Vaticano Autographo, ad recentiores codices translatam, totidem verbis fideliter reddemus.

[c] Cap. in pertractandis de iuramento calumniæ.

6. *Imperatorum* [d] *sæcularium leges, & SS. Patrum institutiones Ecclesiasticæ viros religiosos in omni potentia Dei servitio protegunt, & defendunt, & nullam eis molestiam, vel perturbationem, quæ sacro Ordini contradicat, irrogari permittunt. Accepimus autem, quod ab Abbate, & fratribus Claræuallis (sicut ab aliis) exigitur calumniæ iuramentum. Ad quod faciendum eos cogere non debemus. Sed (ne aliena iura videantur huiusmodi occasione illicitè detinere, & ipsi à causa sua decidant, si ex parte ipsorum prædictum iuramentum, cùm res postulauerit, non fuerit præstitum) eisdem præcipimus, vt in suo Monasterio œconomum statuant: qui pro eis petere, & excipere, atque iuramentum de calumnia (cùm necesse fuerit) valeat exhibere ideóque per Apostolica scripta fraternitati vestræ mandamus quatenus eosdem fratres, qui in ista causa sunt, sicut ratio exigit, pleniùs instruatis, vt de cætero sua iura per hoc non possint amittere, & aliis, quantum iustitia permittit, in talibus causis, debeant satisfacere. Tu verò frater Nemuacensis Episcope, œconomum idoneum statuas, qui in tali officio conueniens ipsi Monasterio videatur.* Sic, & Eugenius suis Claræuallensibus prouidendum curauit, dum ipse viueret; quin & Greg. IX. longè post ipsum: ille dum legem pro eis ferẽdam duxit; hic, dum in corpus iuris referendã.

d cap. Imperatorum de iuramento Calumniæ.

7. Per idem tempus Venerabilis Gaufridus de Amaio, quem olim cum Bernardo Patre conuersum; aduenisse Cistercium; indéque ab Stephano missum ad Claramuallem, superiùs diximus; post plurimos in Ordine labores, vigiliásque, post multas Abbatias fundatas in Gallia, Anglia, & Belgio; cùm mortem iam instare præcognosceret, & Bernardi responsum accepisset, quod in sua Claraualle consummaretur; ad dilectam sibi Ecclesiam regressus est, corporis sarcinam ibidem positurus. Nec alia causa itineris prætensa, nisi vt in Claraualle mortem obiret. Venit, ægrotauit, decubuit; & morbo inualescente, iam de salute ipsius desperabatur. Sed aberat Bernardus, æquè optatus, qui egredientem præsentia consolaretur, confortaret alloquio, muniret orationibus. Pro publicis, aut fortè Claræuallis, pertractandis negotiis, Trecas ingressum detinebat Henricus, sic disponente Deo: fortè, vt in domo Cisterciensis Præsulis, per Cistercienses nuntios, de Cœlo missos, de morte instante filij, sibi chari, opportunè affuturus admoneretur. Parum esset in Claraualle Gaufridum mori, si non Bernardo coram. At, qualiter & ipse illuc aduenerit, ex altero Godefrido, qui præsens fuit, quò maior fides dictis, transcribamus. [e] *Apparuerunt aliquando viro in Trecensium vrbe posito Venerabiles eius filij, iam quidem carne soluti, Galdricus, & Gerardus: quorum etiam secundùm carnem, alter germanus, alter auunculus eius extiterat. Cúmque velut accelerantes ociùs pertransirent, reuocanti, & retinere volenti responderunt, eundum sibi pro fratre Gaufrido Monacho, qui eorumdem à prima conuersatione socius, strenuè satis in multis Cœnobiis extruendis militauerat Deo. Continuò Pater Sanctus, excitatis fratribus, accelerari iubet, & ad Monasterium veniens ipso die, sicut eis prædixerat, eundem Gaufridum iam positum reperit in extremis.*

e lib. 4. vitæ cap. 2.

8. Consonat M.S. Aureæ vallis ab Henriquez transcriptum, quod, quia latiùs historiam viri narrat, operepretium duxi referre totidem verbis. [f] *Nec multò pòst etiam magnus ille Gaufridus de Amaio desideratam longo tempore in Claraualle meruit dormitionem, vt sermo Abbatis impleretur, qui hoc ipsum antè multos annos promiserat ei. Fuit enim vir ille de primis Monachis Claræuallensibus, & multas tam in Francia, quàm Gallia, Flandriáque ædificauit Abbatias. Hic, cùm aliquando mitteretur in Angliam, & timeret omnino, ne fortè etiam extra Claramuallem moreretur, consolans eum Venerabilis Pater, tota ei fiducia pollicetur, quod in Claraualle dies eum nouissimus inueniret. Vnde & rediens post annos aliquot à quadam Abbatia, quam in Flandria ædificabat, manifestè denunciabat omnibus: quia vado, vt moriar in Claraualle. Factum est autem, cùm iam omnino appropinquaret decessui, Venerabilis Bernardus de Francia partibus rediens, Trecis fuerat hospitatus. Ecce verò nocte ipsa videbatur prædicti Gaufridi decessui interesse, & videre Gaudericum auunculum, & Gerardum fratrem suum, cùm omni reuerentia astantes, & paratos deducere eum. Cúmque crudelitatis argueret eos dicens, non eis sufficere, quod se deseruerant, nisi hunc tollerent; arridentes illi responderunt. Quia non pertinet ad nos, de huiusmodi. Surgens autem cum omni festinatione venit ad eum, & in ipsa domo, ipso in loco, & modo prorsus eodem, quo præuiderat, inueniens eum, proximo iam somno beatæ mortis, ipsos quoque, quos non vidit, Galdricum, & Gerardum dubitare non potuit esse præsentes.* Menologium inter Sanctos Cistercij virum adscribit vigesima prima die mensis Ianuarij.

f Lib. 2. fascic. 1. dist. 26. cap. 37.

9. Quoniam autem de beati viri morte sub Bernardo, loquuti semel sumus, libet Conuersi alterius gloriosum obitum ad calcem huius capitis subiungere, cuius etsi determinatum tempus non constet, haud tamen multum distans ab hoc anno, ipsa Bernardi mors imminens conuincit. Eum, vt in Exordio magno legitur, totidem prorsùs verbis accipiat lector. [g] *Conuersus quidam, qui in vna Grangia Claræuallis bubulci gerebat officium, homo purus, ac magnæ simplicitatis erat: qui omnia, quæ sibi à Magistris suis fuissent iniuncta, promptus, ac deuotus exequebatur, & intuitu retributionis diuinæ quotidianos labores patientissimè tolerabat. Hic quadam vice vidit in somnis, iuxta se Dominum Iesum Christum, iucundo nimium spectaculo, illa sua dulcissima manu tenentem aculeum, atque ex alia parte temonis, boues secum minantem. Cúmque euigilasset, & piissimi collaboratoris sui mansuetudinem, benignitatem, dulcedinémque mente reuolueret, exarsit subitò in præcordiis eius ignis vehementis desiderij ipsum suspirantis, ipsum facie ad faciem videre cupientis, quem in illa beata visione tam socialem collaboratorem habere meruerat. Cúmque dissolui vehementer cuperet, & cum Christo esse; pius Dominus, qui cum mitibus ambulat, & cuius sermocinatio cum simplicibus est, desiderium pauperis sui numquam differre voluit. Sed mox idem frater ægritudine correptus, lecto decubuit, & die septimo laborem, & dolorem cum morte finiuit, vitámque perpetuam, ac requiem sempiternam, quæ est Christus Dominus fœliciter apprehendit. Ad hunc in extremis agentem Reuerendissimus Abbas ipsius B. Bernardus, gratia visitationis intrauit, quatenus filio repatrianti, cuius conscientiam puram, ac simplicẽ nouerat, valefaceret, & iam exire parantem, contra latrunculos spiritualis nequitiæ sua benedictione muniret. Cùm verò prædictam visionem ipso infirmo referente, cognouisset, plurimum indegratulatus est. Quo defuncto, pronunciauit de eo confidenter. Quoniam cum Deo ambulauit, & verè cum ipso operatus est Deus: ideóque trãstulit illum Dominus. Non enim poterat miserator omnipotens seruum suum in supremo agone deserere cui dignantissimus comes, & cooperator fuerat in labore.* Hactenus ex Authore Exordij magni.

g lib. 4. c. 18.

1. Henrici electio in Episcopum Beluacensem. 2. Bernardus dubius, atque Henricus ipse recusans. 3. Petri Venerabilis, super acceptatione consulti, grauis epistola. 4. Cui delatum ab omnibus. 5. Epistola Nicolai ad Petrum Mauricium: 6. atque alia Henrici, acceptare compulsi, querula: 7. & recens quidam auctor inde emendatus. 8. Petrus Cellensis ad Henricum scribit: 9. cuius hortatu, & Gerardi Peronci, Nicolaus suas epistolas colligit. 10. Philippi pro Reinero successio in Claraualle.

CAPVT VII.

1. HOc ipso anno, quo Henricus Ludouici Regis frater per vota solemnia Deo sacratus erat, cum iam saluti, & suæ Claræualli redditus esset; Beluacensi sede vacante per decessum Odonis, huius nominis III. vt aiunt [a] Tabulæ; Episcopus Beluacensis, communi Cleri, & populi consensu, electus est hoc anno M. C. L. vnde & Robertus eandem promotionem Monachatui subiungit, dum ita ait. [b] *Henricus, Ludouici Francorum Regis Germanus, contempto mundi schemmate pro Christo, in Claraualle indutus Monachali schemmate, prouehitur ad Episcopatum Bellnagica*, ita Robertus. Quæ eadem alij ex ipso transcripsere. At de tempore, promotum fuisse constat, mense Octobri: quippè cum Petrus Abbas Venerabilis ad Bernardum, Nicolaúmque scripsit, paulò ante festiuitatem omnium SS. nondum electus; post Capitulum, quod in eam diem inciderat, iam votis omnium fuerat postulatus, vt constat ex epistolis, quæ capite V. à nobis sunt transcriptæ.

a Apud Ioan. Chenu.

b In appendice ad Sigibertum.

2. Cæterum cum suspecta esset Bernardo repentina promotio; & breuis temporis tyro, vix dum miles, quantumuis altas radices emisisset; eò securius, quò tardius, à Conuentu auellendus iudicaretur. Cùm insuper Henricus ipse renueret, nec vllatenus electioni de se factæ, vt assensum præberet, induci posset; res primùm ad Episcopos Prouinciæ ac Rhemensem Metropolitanum: inde ad summum Pontificem deducta; atque à cunctis probata: Demùm cùm nec his quidem acquiesceret, Petrus Mauricius arbiter electus, cuius iudicio, & consilio, pensatis omnibus, electionem acceptaret, aut respueret. Is per Bernardum Parentem de hoc consultus, tale constat responsum tradidisse;

3. *Cum honore recolendo,* [c] *ac nominando Venerabili fratri Domino Bernardo Claraualis Abbati, frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, salutem, & syncera charitatis affectum.*

c Lib. 5. ep. 8.

Placuit Sanctitati vestræ humilitatem meam consulere. Quid mihi, super electione fratris Henrici filij vestri, videretur: vtrùm eidem assensum prabere deberetis, an non. At vos quidem plenus Spiritu consilij, & timoris Dei, meo super hoc consilio non egetis: nec necesse vobis est, ab aliquo talium, qualis ego sum, mutuare, quod ex collata vobis à Deo gratia, aliis affluenter; & nostris soletis accommodare. Quia tamen, quid inde sentiam, audire vultis; breuiter dicam. Si vita meritum quæritur, magnum est. Quomodo enim non magnum est, cùm de tanto tantillum se feceris: cum Regij sanguinis, vt sic loquar, superbiam tam robusta humilitatis pede calcauerit: cum luxus, & pleno cornu fluentes mundi delicias, tormentis innumeris, & mille mortibus commutauerit: cum vndique arridentem mundum irriserit: [d] *Cùm abnegans semetipsum, & tollens crucem suam, Christum morientem sequutus fuerit? Si concors electio: de Clero, vel populo Beluacensi, nec vnus dissentire dicitur: si Metropolitani, & Episcoporum assensus: etiam vniuersorum preces vobis, vt comperi, pro confirmando tam sacro opere, frequenter oblata sunt. Si insuper Domini Papæ voluntas, quantum hoc ei placeat, ipsius epistola Domino Rhemensi, vt audiui, directa, testatur? Quid ergo restat, vir venerande, nisi vt Voluntati Dei, quæ tot indiciis se declarare videtur, vestram subiiciatis; nec vltrà Ecclesiam illam laborare, aut in eundo, vel redeundo, sua frustrà expendere permittatis? Quod si de scientia veluti minus talia experti diffiditis: potens est Deus, qui ei iam dedit magna, etiam præstare maiora. Vnde in quantum cernere datur, non est vltra differendum: sed cùm ad vos magna partium vestrarum persona, quæ, vt mihi relatum est, hac de causa in proximo ventura sunt, venerint: eos alacriter suscipite, benignè audite, & tam diuturnum desiderium eorum, toties, & toties repetitam postulationem ipsorum, causa eius, qui replet in bonis desiderium suum, celeriter, quia sic iustum est, adimplete.*

d Luc. 22.

Crediderim appellatum Petri consilium, cum Bernardus vrgentibus Episcopis, & negaret assensum, & teneram adhuc Henrici verecundiam, id onus recusantem, præferret. Certè epistola eius ostensa omnibus, atque à cunctis gratissimè suscepta, laudatáque, rem satis implicatam explicauit; quod Nicolaus ad eumdem Petrum scribens, his verbis narrat. 4.

Patri suo Domino Cluniacensi, [e] *frater Nicolaus.* 5.

In breui, sicut puto, visurus faciem vestram, mitto vobis epistolas vestras. Librum quoque Domini Abbatis Claraualis ad Dominum Papam: epistolas etiam duas, quas eidem Domno Abbati, & mihi misistis hoc anno. Illud autem non lateat sublimitatem vestram, quia littera vestra multum addiderunt promotioni fratris Henrici: & libentissimè audita sunt ab Archiepiscopis, & Episcopis Franciæ, & serenitati vestræ multæ gratiæ redditæ sunt sicut ego melius, & fideliùs viua referam voce.

e Lib. 6. ep. 7.

Ergo qui communi consensu electus fuerat, votis etiam communibus compulsus, electioni consensit, Sancto Patre Bernardo præcipiente; cui nefas esset omnino contraire. Verùm qui onus abiicere non potuit, quod vnum potuit, saltem conquestus est, litteris datis ad Petrum venerabilem, quibus, dum virum incusat, consolaretur. Exemplar autem epistolæ Henrici, quod inter opera Petri Venerabilis, atque epistolas eius circumfertur, ita se habet.

Inter Patres Reuerendissimo, [f] *& inter amicos charissimo, Domino Petro Abbati Cluniacensium, Fr. Henricus, siue iubente, siue permittente Deo, Beluacensis electus: seipsum, & si quod ampliùs potest.*

f Lib. 5. ep. 9.

Parcat vobis Omnipotens Deus: quid est, quod fecistis? sepultum hominem reuocastis ad homines, & consilio

& consilio vestro, cui nimium creditum est, expositus sum, & repositus in terribile curarum pelagus: vt me iterum honoris altitudo resorbeat. Nesciui, anima mea conturbauit me, [g] propter quadrigas Aminadab, quas suscepi regendas: regi, non regere, opus habens. [h] Manus meas miserunt ad fortia: opus esset fortitudine. Speculator domus Israel factus sum: opus esset prudentia. Sapientibus, & insipientibus debitor factus sum: opus esset iustitia. Prædicator populo Dei datus sum: opus esset temperantia; [i] ne fortè cum aliis prædicauero, reprobus, quod absit, inueniar. Sed quæ sunt ista, & quis sum ego? vel vbi ista, & vbi ego? Domine Pater, & Deus vitæ meæ: [k] imperfectum meum viderunt oculi tui. [l] Domine vim passus sum, responde pro me: quia sola obedientia coëgit me; sine qua iuxta virum [m] Sanctum, infidelis quisque esse conuincitur, etiamsi fidelis esse videatur. Et quia nemo maiori fiducia vtitur, quàm qui ex affectu diligit: nunc vos quasi portionem animæ meæ conuenio, deponens apud vos familiarem, & dolentem querelam. Quid vobis visum est, vt litteris vestris, ad Dominum Abbatem missis, faceretis stultitiam meam eleuari super candelabrum? Credidisti quidem Domine propter quod loquutus es: nec fallere, nec falli voluisti, sed non euasisti secundum. Verumtamen, quoquomodo factum sit, & quaqua versùm vertat exitum rei Dominus Deus noster; ego vester sum, & ad vestrum seruitium, si dignamini, preparatus. Me accipite in seruum, in amicum, in filium: & illi sanctæ multitudini, cui Deo auctore præestis, specialem, & vtrinum Monachum, ne dicam Episcopum, sempiterno fœdere sociate. Hæc Regius iuuenis promotus in Episcopum, ad Petrum sui consensus, extortorem.

g Cant. 6.
h Prou. 19.
i 1. Cor. 9.
k Psal. 138.
l Isai 38.
m Gregor.

7. Hæc electionis, & consensus Henrici series, ex epistolis ipsis comprobata, quibus haud dubia fides esse possit, [n] vt videas facile deceptum Neotericum qui opera Bernardi promotum docet, cum in nullo magis laborandum fuerit, quàm vt ad extorquendum eius consensum, Bernardi Patris præceptum interueniret. Nisi hoc forsan operam appellet, quam tamen, non vt crearetur, sed vt creatus consentiret, impensam constat. Sic & quod ait, electum Beluaci anno. M. C. L X I. Rhemis. M. C. L X V. & tandem obiisse M. C. LXXVII. si non irrepsit, errore amanuensium, à veritate distare, ex inferiùs tradendis apparebit.

n Ioann. Chenu. de Ep. Beluac.

8. Extant ad Henricum Beluacensem Episcopum epistolæ duæ Petri Abbatis Cellensis; altera gratias agens pro beneficiis, quæ sibi contulisset, satis dignanter, satis liberaliter, quippè antequam rogari permitteretur: altera exhortans, schismate emergente post mortem Adriani Papæ I V. quæ suis locis reddentur. Nunc, quia ingenium, & mores viri commendat, priorem illam ad litteram transcribam.

Domino & Patri suo Charissimo, [o] Henrico, Dei gratia Episcopo Beluacensi, Fr. Petrus, Cellensis Abbas, salutem.

o Epist. 14.

Plus satis egena est beneficiorum recordatio, cuius titulus non inscribitur saltem verbo tenus gratiarum actio. Proinde stylo ferreo in vngue adamantino profunda memoria mandaui manipulos liberalitatis vestræ, vt nulla capitis vertigine vacillare; nullo temporalis reuolutionis diluuio absorberi; nulla denique obliuionis rubigine valeant offuscari. Clarum, bonum, & recens penes me retineo semper beneficium acceptum. Quo animo gratiosius cum acciperem, ferebar in dati, & dantis deuotionem; eo in illa senescentis gloria defæcatione mutato, robustior præparor ad obsequium, veriùs eliquesco in amorem benefactoris totum animi balsamum. Superaccessit dono vestro vultus hilaris, animus gratus, modus honestus. Et manus quidem larga in beneficium totam se expandit, sed voluntas in circumstantiis doni se supermensurauit. Quid enim fuit conuocare Diœcesanos Abbates, & Priores? Quid iterum indicij amoris expressit tam benigna, personæ, & negotij nostri, commendatio? Quis non est admiratus tam despectam personam à fratre Regis sic honorari? ab Episcopo Beluacensi sic amplecti? à tanto homine tantillum Monachum sic nominari? Non sustinui, quæ de me suprà efferebantur, præ ruboris verecundia: imò pro veritatis conscientia, quæ admonebat me non esse illum, de quo talia dicebantur; fugi, recessi, sed non longè, quia maiora pati cogebar instanti necessitate. Necessitate reuera pallium erubescentiæ reieci, cum amicorum fores, vt acciperem, intraui. Certè accepi à multis multa, sed à nullo tanta, quanta à Domino meo. Vicis notos; vicit alios amicos; vicit omnes vicinos; & summa doni, & modus donandi. Non sum loquutus, sed quia veni, optimè recessi locatus. Non enim beneficium rogando, sed veniendo consequutus sum. Præuenit spondens lingua, rogantis linguam. Pepercit Regia nobilitas teneritudini frontis citò se in ruborem verecundiæ conspergentis. Hæc omnia beneficia tua, Domine, signata sunt in thesauris meis. Quid ergo retribuam Domino meo pro omnibus his, quæ mihi retribuit? meipsum sine dubio, non contra legem me liberum in seruitutem distrahendo, sed seruum amicitiæ tuæ in libertatem vendicando. Potiùs enim libertate ista gaudeo, si seruus tuus sum munere amicali, quàm libertate, qua sum alienus ab officio seruiendi tibi. Valete. Hactenus ad Henricum Petrus Cellensis.

Per idem tempus Reinerum Claræuallis Priorem per mortem raptum excepit Philippus, quem olim de Tarentina sede depositum Claræuallis susceperat, ex Episcopo Monachum futurum. Hic ille Tarentinus Philippus est, pro quo Bernardus, & totus Claræuallis Conuentus, ipso solo excepto, vt in altari ministrare permitteretur, scripsit epistolam, quæ inter alias eiusdem Sancti ducentesima quinquagesima septima numeratur. *Est negotium, quod cæteris non miscemus; quoniam cæteris ampliùs tangit, & angit nos; & eget singulari propria precis instantia. Philippus noster, cùm se exaltauit, humiliatus est: sed cùm se humiliauit, non est exaltatus: quasi vtrumque pariter Dominus non dixisset.* Et infrà. *Omnes filij vestri, qui mecum sunt, & qui mecum non sunt, mecum tamen sunt in hac supplicatione. Quis numeret eos? solus sanè frater Philippus excipitur, qui nec postulet, nec petit postulari; & an velit, ignoro: magis quod in se est, elegit abiectus esse in domo Dei sui. Sed nec nos quidem pro homine, sed pro ordine postulamus, cui dispensationem in eo factam non parum profuturam confidimus.* Ita Bernardus suo, & totius sui conuentus nomine. Nec vacua omnino petitio Sancti fuit: exauditus est pro reuerentia sua, & cum Philippo ex parte dispensatum; non vt offerret altari sacrificium, sed vt Diaconus offerenti ministraret. Ea erat disciplinæ districtio illis temporibus; is Eugenij zelus, qui temperari ex ratione aliquando consueuisset; numquam deficere. Habemus hæc ex Cathalogo Priorum Claræuallensium de Philippo pro Reinero suffecto ita loquente. [p] *Philippus, qui fuerat Episcopus Tarentinus, & tempore schismatis degradatus, venit ad Claramuallem, cui de misericordia concessum est esse in officio Diaconi. Prior erat*

9.

p Fasciculi. lib. 2. dist. 42.

erat quando obiit B. Bernardus.

10. Hoc ipſo tempore, ſed antequam Henricus promoueretur, Nicolaus Monachus, eius, & Peronei Gerardi ſuaſu,epiſtolas collegit, quas hactenus ſcripſiſſet in Claraualle; quod ipſe in præfatione ſua teſtatur vtrumque alloquens. *Sequentes epiſtolæ, ſi tamen epiſtolarum nomine cenſendæ ſunt, non ſunt in vnum corpus mea primùm voluntate compactæ, &c.* Et paulò inferiùs. *Vos ergo dilectiſſimi, qui eas eligere, & in vnum colligere voluiſtis, ſupprimite verba dicta potiùs, quàm dictata; nec efferatis in publicum, quod publicum erubeſcit: alioquin ego de verecundia, vos de amicitia periclitabimini, &c.* Ergo hoc anno quas hactenus ſcripſerat;congregauit epiſtolas, perſuaſus ab Henrico,dum adhuc Monachus, necdum ad Beluacenſem Eccleſiam vocatus eſſet. Sed antequàm ad alia digrediamur, eumdem Nicolaum, ſeu tædio vitæ, ſeu criminum conſcientia, cum minori iam gratia polleret apud Bernardum, & ſui impotem, & abutentem fauore Petri Mauricij, quo eluderet vtrumque, libet proſequi.

---

1. Nicolaus, ab epiſtolis Bernardi amotus, ſigillum Sancti falſat. 2. Diſceſſum è Claraualle ad tempus cogitat. 3. Petro Mauricio ſcribit, 4. dolens quod ipſum tandiu non inuiſerit; 5. poſtulans peti, 6. & modum etiam ſuggerens. 7. Petri Mauricij ex litteris commotio. 8. Epiſtola ad Bernardum, 9. acris, & efficax: 10. & breues duæ ad Philippum, 11. & Galcherium. 12. Quid Nicolao: 13. & in dubio adhuc euentus.

Capvt VIII.

1. Ergo ſaluti,& Claræualli redditus,quod anno præcedenti commemorauimus, cùm Bernardum ſentiret minùs propitium, quippè auerſantem faſtum, & mores hominis, & Godefridum ſexennio ipſo priorem, (qui vitam poſt Bernardi continuauit) à ſecretioribus, & grauioribus negotiis; nec ſibi iam niſi rara commendari: hærere primùm, & nunc ſe vltrò ingerere; nunc omnino ſubducere, nec copiam ſui parenti ſancto facere, velut à quo, ſi ingruerent negotia, ipſa neceſſitate cogente, quærendus foret. Demùm cùm nec ſic quidem, niſi raro, & velut per diſſimulationem adſciſceretur: quietis impatiens, ſeu magis forſan repulſam palliaturus apud extraneos; qui phraſim Sancti ad viuum exprimebat, ſigillum expreſſit, vt duplici illa nota comprobatæ,fictæ ab ipſo epiſtolæ, facilè ab aliis pro veris, & ſcriptis à Bernardo ſuſciperentur. Extant eiuſdem litteræ ad Eugenium, quibus ſuppreſſo falſatoris nomine,ſi fortè reſipiſceret, crimen tamen admiſſum conqueſtus eſt, ob quod deinceps nouo ſibi ſigillo vtendum foret. Atque en eius verba.[a] *Periclitati ſumus in falſis fratribus; & multa littera falſata ſub falſato ſigillo noſtro, in manus multorum exierunt; & quod magis vereor, etiam vſque ad vos dicitur falſitas peruolaſſe. Hac neceſſitate, abiecto illo, nouello, quod cernitis, de nouo vtimur, continente,& imaginem noſtram, & nomen. Figuram aliam tanquam ex noſtra parte iam non recipiatis, niſi fortè pro Epiſcopo Claromontis, cui ſub altero ſigillo litteras dedi, cùm necdum iſtud haberem.* Sic Sanctus Pater, & ſibi, & aliis cauens, & nihilominus honori hominis prouidens, emendationem in ſilentio præſtolabatur.

a Epiſt. 284.

2. At Nicolaus dubius inter comprehenſum, & indemnem; ſed ſibi ipſi de opinione ſua, contra propriam conſcientiam plus æquo blandiens, abſentia cenſuit infamiam abolendam: ſuſpectum forſan ſtylum dulcem, & acrem, quo nullus alius ſimilior Bernardi ſtylo: verùm ſi auctor ab oculis tollatur,ſuſpicionem ad alios tranſituram. Quid ſi & abſentia deſiderium ſui faceret, per quod indicia qualiacumque contraria, melius quàm per ſeipſum eleuarentur? Itaque placuit abuti Petro Mauricio,viro aliàs Sancto,ſed Nicolai amantiſſimo,de quo nihil timeret: tum cui Bernardus deferret ſupra alios: demum à quo petitum ante annum, nec obtentum, præpediente infirmitate; honeſtior repetendi cauſa prætenderetur. Repetiſſe, ex dicendis infrà, conſtabit. Verùm cùm Sanctus mittendum recuſaret, quem iam dyſcolum nouerat;fortè & negotia aliqua prætenderet, quibus repulſa honeſtior, & Nicolaus, vt multis neceſſarius,non vt ſuſpectus præuaricationis, denegaretur: tùm demùm ipſe ad Petrum efficaciùs, & Petrus ad Bernardum,alióſque, epiſtolas dedit; quibus,citra reuelationem falſitatis, ſi fortè in ea comprehenſus hactenus fuiſſet, aut criminis alterius ſubæqualis (qui multa admiſerat, conſcientia propria teſte)Sanctus Pater nihil poſſet denegare. Atque ecce exemplar epiſtolæ prioris Nicolai ad Petrum plenæ ſimulationis, plenæ affectus, & in qua totam penè artem effuderit.

[b] *Patri ſuo Domino Cluniacenſi. Fr. Nicolaus.* 3.

[c] *Indica mihi,quem diligit anima mea. Quando veniam, & apparebo ante faciem tuam: quando videbo te, quando conſolaberis me? Conſolaberis, inquam; quia conſolatio abſcondita eſt ab oculis meis, donec videam, & deſideratam, & deſiderandam præſentiam tuam: & triſtis eſt anima mea vſque ad te. Minimè quidem deſerit me, quocumque iero dulciſſima tui memoria: ſed quantò memoria dulcior, tantò abſentia moleſtior eſt. Abſit autem, vt me conſoletur illa veriſimilis, ſed non vera ſententia:*[d] *Præſentiores, inquit, ſunt, qui ſe animis,quàm qui oculis intuentur, & plus eſt corde connecti, quàm corpore. Quaſi verò conſpectus, & conuerſatio non habeant aliquid viuæ voluptatis, quæ non poteſt abſentibus prouenire. Sed hæc,ſicut arbitror, ex ratione,non ex affectione loquutus eſt ille Romanæ eloquentiæ ſplendor, cum quo eloquentia nata eſt, & educta in lucem. Tullius hic eſt, de quo & dictum eſt: quia quæ ſtudio informauerat, actu vrgebat, arte exequebatur, pectus in linguam faciliima transferens facultate. Quid facio? Euagatus ſum à negotio meo, nec digreſſio, ſed tranſgreſſio eſt, quod feci.*

b Inter epiſt. Nicolai epiſt. vltima. Apud Petrum lib 6.ep.35.

c Cant. 1.

d Cicero.

Quis mihi recompenſabit, quod non vidi pariter duo illa magna luminaria, & in firmamento cœli, videlicet loco illo, quem elegit Dominus ex omnibus locis terrarum, vt eſſet nomen ſuum ibi? Iraſcor occupationibus meis, quibus factum eſt, non vt non vellem,ſed vt non poſſem,& etiam, vt neſcirem. In cauſa fuit cauſa fratris tui, Domini mei Viziliacenſis Abbatis, ad quam ex præcepto tuo oportuit me

pugnare

e Paralip. 14 f Isai. 29. *pugnare ad bestias, [e] vt non praualeret homo. [f] Auditus est, iuxta Prophetam, annus ad annum, euolutæ sunt solemnitates, & dies pro anno datus est mihi: ex quo non vidi, non dicam Dominum, sed dilectum. Cedit quippè fastus, cum accedit affectus: & personalis reuerentia deperit, cùm cœperit familiaris amicitia perorare. Honoret sanè, qui horret, qui stupet, qui metuit, qui miratur: vacant hæc omnia penes amantem. De te autem iam mihi pridem persuasum est hoc, cuius altitudo adæquata est, cuius singularitas adsociata est: ita vt exemplo esse possit, & his, qui fuerant in exemplo.*

5. *Cuius autem culpa est, quod tandiu fraudatus sum desiderio meo? Mea non est, tàm propter infirmitatem, quam propter occupationem: quæ mihi à te fuit iniuncta. Numquid tua? Absit. Duplici enim epistola, & prouocasti me, & euocasti: scribens Patri meo in hæc verba. Mitte mihi Nicolaum tuum, in quo tuus, vt mihi videtur, ex parte, & meus, ex toto, spiritus requiescit. O vocem amoris, vocem, cui vicem ego rependere non possum omnibus diebus vitæ meæ. Si inueni gratiam in oculis tuis, si te tangit aliqua recordatio Nicolai tui, scribe Patri meo per nuntium tuum, & Priori nostro, & Galcherio tuo (horum enim omnium negotiis intricatus, & implicatus sum) vt in Sancto Pascha mittant me ad te, ita vt nouerim virtutem de stylo, imò stylum de virtute exisse: quia desiderio desideraui hoc pascha manducare tecum, amantissime Pater. Ita autem fiat, vt aliquot diebus liceat mihi commorari tecum: & si non satiari, saltem refocillari præsentia tua. Confiteor enim, & si necesse est, profiteor; quia penè nihil aliud libet, dum non præsto est, quod multum libet.*

6. *Rescriptum autem litterarum illarum, quas mittes, mitte mihi secretò: & tunc, si potero, perferam ad te Alexandrum magnum, referam Augustinum tuum, & quæcumque bona manus mea poterit inuenire. Nunc appareat totum illud gratiæ, quod habeo in oculis tuis. Sanctissimæ animæ tuæ commendo me, quia tuus fui, tuus sum, tuus ero, quandiu fuero in visceribus Iesu Christi. Per præsentium latorem communica mihi de verbis illis cœlestibus, & dulcibus, vt interim speculum videam, donec videam vultum. Si in Pascha non potest euenire, quod mando, saltem post Pascha. Scio ego, quod Dominus Abbas dixit tibi, ne mandares me sine necessitate, sicut & mihi dixit: sed necessitas est, & summa necessitas te videre, quamuis in multis occupatus sim. Quid plura? Præcipe, vt veniam.* Hactenus Nicolaus nihil omittens, quod à se suspicionem amouere; siue quod amantissimum sui virum mouere posset.

7. Verùm quod dolet, non vidisse se simul magna illa duo luminaria in firmamento cœli, loco videlicet illo, quem elegit Dominus, &c. ad vtrumque respicere crediderim, Bernardum, & Petrum, qui Cluniaci paulò ante sibi occurrerint, quod statim constabit, Nicolao absente, communi filio; atque adeò, vt sibi videbatur, ingenti vinculo mutuæ dilectionis. Verum quid Petrus, suscepta
g Lib. 6. epist. 36. tali epistola? ipse respondit. [g] *Quia traxit, fateor; quia non parum traxit, imò rapuit cor meum epistola tua: illa planè epistola, quæ ex abundantia cordis loquuta est, quæ de multo adipe, & pinguedine amoris processit.* Ergo sic tractus Bernardo Patri primum, mox Philippo, & Galcherio, demùm & Nicolao ipsi rescripsit. Sed Bernardo quàm acriter, quàm viuidè, quàm nullis parcens persuadendi legibus! Audi.

8.
h Epist. 6. epist. 35. *Venerabili, [h] & cum honore debito nominando Domino Bernardo Claræuallis Abbati, Fr. Petrus humilis fratrum Cluniacensium Abbas, salutem, quam repromisit Dominus diligentibus se.*

Si de amico, & tanto licet conqueri, queror: & ei, quod à quibusdam cuidam dictum est, dico Pater, & si rem grandem dixisset tibi amicus, certè facere debueras. Quantò magis, quia nunc scripto, nunc verbo, dixit, rogauit, ausùque familiari præcepit: mitte Cluniacum Nicolaum tuum? Nec nego tamen rem grandem, sed iter grande non est. Quid si tu tantum semel, mihi scripsisses: mitte ad me hunc, vel illum, aut plures? Quid ego, inquam, facerem, nisi quod soleo? soleo quippè non solùm roganti cedere, sed & imperanti obedire. Sed quæris causam. Nunquid non illa sufficit, videre dilectum? Tuus quidem est, sed dilectus mihi est. An non placet tibi, si diligo, quæ tua sunt? An non placet tibi, vt eum, quem tu, vt arbitror, multis tuorum teneriùs diligis; ipse affectuosiùs diligam? Et quæ maior probatio veræ amicitiæ, quàm amare, quod amicus amat? Diligo eum causa tui, diligo & causa sui. Causa tui, quia tibi obsequitur: causa sui, quia à tempore Domini Trecensis Episcopi, multis hoc meritis promeretur. Nihil hactenus pro illis omnibus ei retribui, nisi quia semper in Domino eum syncerè dilexi. Cúmque alij obsequia obsequiis, beneficia beneficiis soleant rependere: nónne vltra omnem modum ingratus viderer, si absque sumptibus, si absque expensis, solam saltem gratiam amanti negarem? Hanc vt saltem verborum signis, non ex toto erga illum euanuisse probem: mirum est, si saltem semel in anno, hunc videre, huic loqui, cum hoc de scripturis, aut sanctis, aut philosophicis, quibus vsque ad summum refertus est, in Domino deliciari quæro? Si de Deo, si de diuinis, de summè vtilibus animæ causis loqui, non conferre otiosum est: Nicolai ad nos otiosus aduentus est. Si amorem personæ tuæ cordibus nostrorum inserere; si quæ vestri Ordinis sunt omnibus commendare; si tandem vniuersitatem vestram corpori congregationis nostræ charitatis glutino vnire otiosum est: Nicolai ad nos otiosus aduentus est. Eructat cor eius semper nobis de vobis, vestrísque verbúm bonum: quærit bona genti suæ, rogat ea, [i] quæ ad pacem sunt Hierusalem. i Psalm. 121.

Hæc sunt ludicra, otiosa, vel vana Nicolai apud 9.
nos. Cur ergo, mi charissime, vnus saltem mihi per mensem non conceditur, cùm ego Petrum, cùm Robertum tibi sanguine proximos, cùm Garnerium, cum quosdam alios tractus amore tui, tibi non mense vno, sed perpetuò concesserim? Quot ego Abbates, quot Monachos, aliis, ne dicam alienis Ecclesiis, litteris tuis, vel consiliis victus concessi? Nec me pœnitet amico cessisse, cui & adhuc in pluribus, paratus sum cedere. Sed iustum est, vt ipse vicem reddat: iustum, vt semper sibi cedenti & ipse aliquando cedat. Et istud magis lucrosum vestris, quàm nobis: quia nullo post te, venerande vir, nullo, inquam, interprete efficaciùs ad persuadendum apud nos perorare poterunt: nec copiosiùs hamo aliquo in mari, vel flumine Cluniacensi piscari. Sed recolo, quid mihi nuper sanctitas tua Cluniaci constituta dixerit: Ad quid vultis Nicolaum? Respondi: Non est tale quid, non est magnum. Sed fateor mi charissime, da veniam, si excessi, magis indignantis, quàm, quod verum est, confitentis verba fuerunt. Duplex verè tunc fui, nescio quo casu, quod esse sæpè non soleo, duplex planè tunc fui in verbo. Aliud tunc corde seruatum est, aliud lingua depromptum est. Ita certè mens tacita suggessit. Quid, quod vis toties profiteris? Fortassis, vt iam bis, ita & nunc tertiò petitis, frustrareris. Rogasti, nec auditus es. Quid iterum preces funderes?

Rur

k Ioan. 8. *Respondere volui, quod cæcus ab vtero Pharisæis:* [k] *Dixi vobis, & audiſtis, quid iterum vultis audire? Respondere hoc volui, sed nolui, Ecce confiteor. Profit, quod confessus sum. Profit, quia veritatem falsitatis tegmine non velaui. Profit, vt quia, sicut dicitur, inter amicos omnia nuda, dolum nubilo pectoris tectum coram amico nudaui. Dico, profit. Sed ad quid? vt horreis tuis aliquid mea causa demas? Vt Cellariis aliquid subtrahas? vt de argenti, aurique thesauris, etiamsi adessent, quicquam imminuas? Quid ergo? Vt Nicolaum mittas. Nec nunc tantùm, sed & quando post hæc petiero. Nam cauebo, si potero, ne quid postulem, quod iure negandum sit: vel quod tibi, ne dicam mihi, in aliquo obsit. Fiat ergo mihi; fiat, quod volo, vt hoc pascha proximum Nicolaus apud nos faciat, & more suo cor vestrum nobis, vobisque nostrum rediens à nobis refundat.* Hactenus Venerabilis Abbas ad Bernardum, quem clarè videas iam dudum recusantem hominem mittere, vsque ad contemptum penè viri sancti, qui in re leuissima non exaudiretur. Quin & petitio eius, velut otiosa, pateretur repulsam, ni quid aliud lateret, prorsus indignam: quod tamen, nisi, comprehenso prius homine, numquam fecisset, qui Petrum tanto charitatis, imò & venerationis affectu prosequebatur.

10. Cæterùm Venerabilis Abbas nil planè indignum de Nicolao suspicans, sed nec de gratia cum Bernardo Patre contendens, semel & iterum desiderio suo frustratus, non tamen destitit, quin & aliorum preces suis adiunxit, Nicolao per omnia morem gerens. Ergo ad Philippum Priorem, Galcheriumque, duplicem hanc epistolam scripsit.

l Lib. 6. ep. 37 *Honorando,* [l] *& dilecto fratri Domno Philippo Claraeuallis Priori, Fr. Petrus humilis Cluniacensis Abbas salutem, & amorem.*

m Eccl. 9. *Ait Salomon:* [m] Vinum nouum, amicus nouus. Veterascat, & cum suauitate bibes illud. *Sic tu mihi frater esse videris. Ago gratias Deo, quod nouus amicus es. Spero in ipso, quia veterasces in amicitia: & qui adhuc nouus places, multò magis veterascens placebis? Nam quantò syncerus amor prolixior, tantò suauior esse solet. Placuit semper mihi, ex quo te vidi, esse tuum, & mores placidi, & benigni, vt te multum diligerem, suaserunt. Iube igitur amodò, quod volueris, obedire parato. Sed & tu iure amicitiæ imperanti obedi. Rogo dominum Abbatem, vt mihi ante festum, Nicolaum suum, ac tuum mittat. Fac apud ipsum, vt quod postulo, fiat.* Hæc ad Philippum. Ad Galcherium autem hæc, quæ sequuntur.

11. *Charissimo fratri,* [n] *& filio Galcherio, Fr. Petrus humilis Cluniacensium Abbas, plenam à Saluatore salutem.* n Lib. 6 ep. 38

Quid iam non nouus, sed multorum annorum amicus es, non laboro apud te in loquendo: Neque ad id, quod intendo, longa insinuatione vtor. Nam, qui amicus est, non expectat preces, sed velle amici. Velle meum est, vt frater Nicolaus nobiscum Pascha faciat. Iam, quod volo agnoscis. Tuum est amodò, vt non frustrà velim, neque frustra scripserim. Rogaui inde Dominum Abbatem: si necesse fuerit, roga & tu. His Petrus quantò breuiùs, affectuosiùs; suos apud Bernardum intercessores in spem contra spem firmus sollicitabat.

12. Plura ad Nicolaum, & quæ ad cœlestia reuocare valerent hominis mentem, quem fortasse ex Bernardi renitentia habere iam suspectum incepisset. Sed tandem concludit. [o] *Taceant interim litteræ, sed ipse statim pro litteris veni. Credo, quòd iam non teneberis, nec vltrà iter tuum ad nos, Patris tui Charissimi mei sententia, remorabitur. Scripsi ei de te, quod ipse videbis. Scripsi Priori, scripsi Galcherio. Ante Pascha præstolor te, vt in Pascha habeam te. Est & nobis cœnaculum grande, stratum, vbi Iesus, vt iam premandauit,* [p] *comedet Pascha cum discipulis suis, ad quod ego inuito te.* o Ibidem epist. 36. p Marci 14

13. An impetrauerit Petrus per has epistolas in dubio est: & duo tantùm constantia esse putamus: alterum Nicolaum, integrum adhuc annum fecisse in Claraualle, quippè quem Petrus ex Romana curia redux, illuc inuenerit; quod suo loco latiùs referemus: Alterum numquam vltra ab eo petitum; seu conscio criminum, quæ iam diuulgarentur; seu cedente Bernardo, quem nunquam crederet, adeò restiturum, nisi causa vrgenti, & quidem graui. Qualiter autem post dictum aduentum Petri, tandem turpissima fuga se subduxerit, fœda post se vestigia, non solùm falsitatis relinquens (nouello etiam sigillo effigiato) sed proprietatis etiam, & turpitudinis, non sine graui totius Orbis scandalo, sequẽti anno, quo euenit, dicemus.

---

1. Sanctus Famianus Romam proficiscitur, 2. Inde Gallesium, oraculo cœlesti. 3. Fons ab ipsô de silice eductus. 4. Gallesij hospitio susceptus, 5. in febrem incidit; hospitem suum sanat. 6. Moritur, 7. miracula ad eius corpus. 8. & sepulturam: 9. canonizatio, & Quardi mutatum nomen. 10. Erectum phanum ad sepulchrum eius, & multis gratiis dotatum à Pontificibus. 11. Patronus Gallesinæ vrbis, & quædam alia.

CAPVT IX.

1. HIc idem annus Vrsariæ in Gallecia, & Cistercio per orbem; sed maximè in Italia, Sancti Famiani morte illustris fuit. Peregrinantem ad loca Sancta virum, licentia sui Abbatis, superius vidimus. Tum triennio in eisdem locis peracto, reuersum ad propria; aut mansurum ibidem, si permittatur, aut quo iubeatur, rursum pertecturum. Ea viro resignatæ mentis constantia, ea libertas spiritus, vt nulli loco addictus, nullis operibus, diuinam solam sitiret voluntatem, obedientia magistra, per quam se tandem ad ipsum peruenturum non dubitaret. Instabat tempus mortis B. Viri: & æterno consilio decretum erat, vt sicut suis natalibus Germaniam: Monachatu Hispaniam; peregrinatione Orientem: ita & Italiam illustraret pretiosa morte, & corporis exuuiis, ad finem mundi ibidem permansuris. Igitur rursus de licentia sui Abbatis profectus Romam, sacra limina gloriosorum Principum terræ, visitabat deuotus: *Cùm ecce* (ait, qui eius vitam scripsit author Anonymus [a]) *Eugenio Pontifice Maximo, præsidente Ecclesiæ, iidem Apostoli Petrus, Paulúsque apparentes in somniis admonent virum, vt in Gallesinam peteret ciuitatem, quam Deus Omnipotens* a Ex actis eius.

tens per ipsum visitare dignabatur; ibique onerosam carnis sarcinam deponendam, & Deo spiritum reddendum, prædixerunt. Hæc de intimata viro Dei instanti gloria per Beatos Apostolos, & prælecto loco sepulturæ.

2. Cæterùm de obedientia hominis sancti, vel in hac vita à Deo remunerata, cùm ad ictum baculi eius, aqua erupit (quæ hodie etiam in fonte perseuerat) dum siti, ex itinere fessus, prægrauaretur; eadem acta pergunt ita scribere. [b] *Nec abnuit Sanctus Christi Sacerdos Famianus, sed statim dicto obediens, arreptóque itinere, breui agrum attigit Gallesianum; & in loco quodam ex itinere fatigatus, sedendo (cùm siti laboraret) saxo, vehitorio suo baculo, percusso, aqua optimi saporis illico emanasse visa est, perennem efficiens fontem.* Haud aliter Moyses olim de petra riuos virga eduxit; sed sitiente omni populo; hic vt suam tantùm sitim subleuaret: illum bis petram percussisse lego; hunc semel: & illius quidem miraculum ad tempus, & pro necessitate; huius etiam vltra perseuerat,

b ibidem.

3. De hoc miraculo per Famianum facto, Iulius Roscius Hortinus ita cecinit.

c Ex lib. qui Fabrica Hortana dicitur.

[c] *Quos sitiens muscoso, hauris, sub fornice, duxit*
Marmoris è venis, has Famianus aquas.
Sic olim Hebræus populus miracula Mosis
Obstupuit; fontem quem dedit icta silex.
Ergo nouo meritò iactent se, Mose, Falisci;
Quos alit Hortinus, quosque Amerinus ager.

d De Sanctis Italiæ.

[d] Philippus Ferrarius Seruita, dum idem miraculum recenset, vlterius addit, eumdem fontem ebullientem ex ictu Sancti, non solùm vsque in hunc diem permanere; sed etiam febricitantibus prodesse, eiusdem haustu, saluti restituendis.

4. Sedata siti, & pro tanto beneficio gratiis Deo peractis, ex imo corde, Quardus ad Ecclesiam vrbis primùm, cui se datum custodem, patronúmque, ex tunc iam pro eadem intercessurus, feruentissimo charitatis ardore gratulabatur: deinde ad domum nobilis cuiusdam, Ascaro viro nomen, hospitandus aduenit, obitum suum ibidem præstolaturus. Dies erat vigesima octaua mensis Iulij, qua se canicula venenosiùs soli permiscet, salubres eius radios infectura. Quindecim soles sanctè ibi peregit, orationibus, & operibus sanctis in Christo vacans. *Quinto decimo à sui aduentus die* (pergunt acta) *infirmari cœpit, & cum sui corporis dissolutio iamiam instaret, Blasium Gallesinæ Ecclesiæ Archipresbyterum accersiri fecit; cui post multa, mortem suam octauo ab hinc die futuram esse prædixit: & à Deo confortatus, è lectulo exiliens manuque Archipresbyteri apprehensa, locum sibi iuxta aquam, in quo eius corpus sepeliri desiderabat (erat enim domus Aschari hospitis in mœnibus ciuitatis sita) & speluncam digito demonstrauit. Quem locum parum conuenientem Archipresbyter memoratus, pro tanti viri sepultura, cùm videret; homini Sancto respondit, rectius videlicet esse, vt in Dei Genitricis Mariæ templo, intra ciuitatem posito, quàm hortulo in illo, vbi nec Ecclesia, nec Ecclesiæ locus esset, honorificè conderetur. Sed in proposito persistens; cognito ab Archipresbytero, hortulum, & locum illum dicti Ascari hospitis esse, statim ab illo, & coniuge eius honoranda, præfatum locum ad ipsum sepeliendum (prout petiit) impetrauit.* Ita in Actis. Quæ causa sepulturæ illius electæ in dubio est; forte erigendæ Ecclesiæ sub eius nomine, locum Deus elegit, & præmonstrauit. Sed iam gloriosum Sancti viri transitum, & miraculum ante illius mortem factum, quod plura alia sequuta, referamus.

5. *Octauo die,* [e] *Archipresbytero, & sacerdotibus omnibus dictæ ciuitatis ad eum accedentibus, iniunxit humiliter, vt corpus eius post obitum custodire dignarentur; nam Dei magnalia visuri essent. Nec multo post Ascarus supradictus, qui tunc, & diu iam renum doloribus laborauerat, se ad lectulum Sancti viri per famulos asportari fecit; & illius deuotè manus deosculatus, ab illo, quo detinebatur, morbo continuò liberatus, summas Deo Opt. & Beato Famiano gratias egit. Quo facto Sanctus vir in cœlum suspiciens, Clero adstante, & orante, Christo tradidit spiritum, sexto Idus Augusti, anno à natali Domini. M.C.L. suæ autem ætatis sexagesimo.* Ergo Quardus hospiti suo gratus, priusquam discederet, hospitij beneficium, restituta salute compensauit, Nec potuit non beneficus discedere, tot, pòst discessum, ægris benefacturus.

e ibidem.

6. Tota suppellex hominis, breuiarium, & baculus: hic ob miraculum fontis scaturientis, conseruatus ibidem: illud pagellas quasdam continebat, totius vitæ ipsius velut summarium, ex quo desumpta, quæ hactenus de ipso; Quod meritò adnotare voluit, qui compilauit. [f] *Quadraginta* (inquit) *duos annos in sancta peregrinatione fermè consumpsit; prout ex pagellis quibusdam breuiario annexis, & manu eiusdem sancti inscriptis, compertum est, quem librum penes se moriens habebat.* Hactenus ibi de vita, & morte viri. At de sacro funere, & miraculis patratis ad sepulturam, hæc quæ sequuntur.

f ibidem.

7. [g] *Ad cuius corpus visendum pariter, & venerandum factus est Gallesini populi concursus non modicus; sicque Clero, & populo psalmis, & hymnis Ecclesiastico ritu, summa deuotione decantantibus, beatum corpus ad locum prope, & extra ciuitatem iuxta aquas honorificè deportauerunt, & à mane vsque ad vesperas beatum corpus custodientes, mirum, quod Dominus merito beatissimi viri operatus est, accidit. Nam surdi duo de ciuitate prædicta ad beatum corpus accedentes auditum illico receperunt: Multique alij malè habentes sanitati sunt restituti: beatum deinde corpus Clerus, & populus omnis piè ac deuotè sepelierunt.* Sic Sanctum corpus sepulturæ mandatum est ingenti populi, & Cleri Gallesini acclamatione.

g ibidem.

8. At non miracula cessarunt à sepultura. Increbescebant in dies, & quò plura fiebant, eò longiùs diffusa, plures ad maiora petenda sollicitabant. Nam pergunt Acta scribere in hunc modum. [h] *Nec multi interfuere dies, quod cùm quidam de ciuitate prædicta (qui malè a Dæmonio vexabatur) ad illius sepulchrum fuisset adductus, liberari meruit. Muliercula itidem de Verchiano Castello ancilla, quæ diu cæca fuerat, ad eumdem locum adueniens oculorum lumina recuperauit. Multique alij de eadem ciuitate Gallesij variis detenti languoribus, Deo per preces, & merita Sancti Famiani accedentes, & iuxta tumulum eiusdem orantes, curati sunt. Cuius viri sanctitas, & miraculorum fama, oppida, & ciuitates, & proximiores Prouincias breui peruagauit; & creuit, ita vt virorum, mulierum, puerorúmque penè infinita multitudo dicti Sancti deuotione affecti Gallesium accedere properarent.* Hactenus Acta. Atque in virum Sanctum deuotio in dies crescens, occasio fuit, vt quarto ab obitu anno, quod planè rarum, paucísque concessum etiam sanctissimis, Quardus, seu Famianus, sanctorum numero, per Adrianum IV. adscriberetur; quod acta eius, Ferrariúsque, & alij confirmant.

h ibidem.

Quardi nomen, ex miraculorum fama, in Famianum

mianum transiisse, Ferrarius, aliique authores affirmant; irrepente vocabulo in vulgus; quod postmodum Adrianus confirmauit. Sunt, qui hoc illi vocabulum impositum ob ignorantiam proprij, quod noluerit reuelare. Sic, dum latere cupit, effectum est, vt maius illi nomen tunc accresceret; nec deperiret proprium, non multo post à Deo manifestandum. Inde Ecclesiam constructam ad eius tumulum, eámque longè insignem, & elegantem, populi Gallesini munificentia, eadem acta testantur: vt non tàm locum suo corpori non sacrum elegisse videatur, quam eiusdem exuuiis consecrandum: diuina prouidentia ita ordinante, vt nihil fermè in Quardo inueniretur ad aliorum exemplar; sed omnia, aut plura, rara, & sine exemplo, hominem nobis supra alios commendarent. Vrsariæ parua, aut vix aliqua memoria sancti viri superfuit: quippe, reducto in grangiam Monasterio S. Laurentij, seu fortè eremitorio, cui adscriptus dum vixit: & aliàs hominis in aliena prouincia conditi; & vel in ipsa miraculorum gloria, & Canonizatione, labescentis sub nomine diuerso, facilis absque dubio obliuio fuit.

10. Porrò quod ad Pontifices attinet, vltra Adrianum, qui virum Sanctis adscripsit; sacrum eius sepulchrum illustrarunt Nicolaus IV. & Iulius II. Ille Ecclesiam Archipresbytero, & Canonicis Sanctæ Mariæ intra muros regendam tradens: hic dùm [i] *Eamdem* (Actorum verba sumo) *octauo mensis Augusti (quo die festum in illius memoriam magno hominum concursu celebratur) visitantibus, delictorum omnium veniam; nec non Archipresbytero, & Canonicis amplissimam quæcumque delicta condonandi facultatem concessit; prout in litteris sub Data Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ M. D. XI. decimo Kalendas Augusti, Pontificatus sui anno VIII. cernere licet.* Hæc ibi. Philippus Ferrarius tradit. *Ecclesia dedicata Sancto Famiano, eamdem indulgentiam concessam à Iulio Papa, quæ Sancta Maria Angelorum apud Assisium, à summis Pontificibus indulta dicitur; eò quotannis innumeris Christianis ad diem festum eius, ex finitimis populis, confluentibus.*

i Ibidem.

Sanctum Famianum veneratur Patronum vrbs Gallesina, ingenti deuotione totius populi. Circumfertur effigies sancti viri edita Romæ, sub tali inscriptione. [k] *Sanctus Famianus Monachus Cisterciensis in Gallesia.* Addito disticho miracula exprimente. 11.

k Ibidem.

Claudus adest firmus, cæcus videt, vtitur aure
Surdus, ab obsessis spiritus ater abit.

Circumdant Sanctum acta vitæ eius, quam versus ex antiquo hymno illustrant, inter quos isti.

Inde rediens, terrena cuncta spernens, & amœna
Cisterciensem ingressus est, & Oramem professus.

Et paulò inferiùs.

Post à Papa numeratus inter sanctos, nominatus.
Est à fama, Famianus, & Patronus Gallesianus.

Hæc de S. Famiano placuit colligere, ne lector per diuersa vagus distraheretur.

---

1. Gerardus factus Abbas Nouæ vallis: 2. floret virtutibus, 3. gratiâque apud Principes. 4. Claraeuallis perfectio per hæc tempora, 5. & Bernardus in exemplum cunctis propositus, 6. & cunctos excitans. 7. Eugenius Lusitaniæ Regnum confirmat, 8. & possessiones Monasterij de Persenia. 9. Geruasij Parcoludensis Abbatis obitus, pietas, doctrináque. 10. Atque item Richardi Fontanensis.

CAPVT X.

1. EISDEM temporibus Nouam vallem in Suecia strenuè administrabat Gerardus Abbas, quem iuuenem ad easdem partes transmissum à B. Bernardo, præcedente miraculo, ac promissione regressus ad Claramuallem, vbi tandem cum ipso sepeliretur, latè præcedēti tomo commemorauimus. [a] Porrò eiusdem pro commissa sibi Ecclesia solicitudinem, charitatem, patientiam, humilitatem; demum gratiam ad terræ illius Principes, qua præcipuè pollebat supra mortales, author exordij magni ita describit. [b] *Pastoralis dignitatis apicem, licet inuitus ascendens, malens in humili loco saluari, quam in sublimi periclitari: susceptum tamen, religiosissima conuersationis nitore decorauit. Quia verò propter paucitatem Clericorum, vix aliquis de terra illa conuertebatur, Dominus fideli seruo suo de partibus Germaniæ, & Angliæ literatas, & discretas personas mittebat, per quas disciplina monastica religionis in Regno illo fundata crescebat, & fructificabat competenter in populis, qui monachi quidem nomen audierant, sed Monachum anteà non viderant.*

a Ann. 1143. cap. 7. n. 7.

b Lib. 4. c. 28.

2. *Ipse etiam Dominus Abbas Cellarario suo, Abraham nomine, viro prudenti, vniuersa domus ordinatione in temporalibus, cunctisque negotiis exterioribus commissis, totum se spiritualibus studiis mancipauit, animabus lucrandis: intendens in seruitio Dei vigil, & solicitus inueniri, frequens esse in labore, dum aliàs vacaret; frequens etiam lectioni, corporale subsidium de communi quærere, & per omnia formam pietatis, & religionis fratribus suis studens exhibere. Tanta quoque mansuetudinis, & & patientiæ gratia pollebat, vt cùm quadam vice Monachus quidam, quem pro culpa sua castigauerat, maligno spiritu afflatus, descendentem eum per gradus dormitorij, pugno tam validè percussisset, vt dolor non modicus ictus succederet: tanta peruersitatis hominem non solum non eiecerit, sed nec graui culpæ subiecerit: sed è contrario seorsum eum trahens, veniam coram ipso peteret, supplicante, vt rancorem, quem aduersus se habebat, propter Deum dimitteret. Cæterum quidquid virtutis, quicquid religionis, tam in se, quàm in subditis deprehendebat, non hoc suæ industriæ, sed gratiæ Dei, meritísque sanctissimi Patris sui Bernardi tribuebat.*

Iam verò, si fortè agendorum causa negotiorum, certa necessitas eum de Monasterio progredi postulasset, tantum se, ac talem in omni disciplina, & continentia sæcularibus exhibebat, vt tam Rex, quàm Principes terræ illius, sicut reuera hominem Dei, ipsum venerarentur, & colerent; & audito eo, multa facerent, & libenter eum adirent. Dux etiam terræ illius, vir strenuus, & potens totum se ad reuerentiam B. Viri submittebat: fastigiúmque Principatus sui celsitudini sanctitatis eius adeò humiliabat, vt aliquoties familiaribus suis diceret: Quacumque hora Abbatem Gerardum me videre considero, tanto timore concutior, ac si omnia secreta, & abstrusa 3.

pectoris mei paterent oculis eius. Hæc in Exordio de Sancto illo Abbate, qui præfecturam vsque ad quadragesimum annum, ætatem vsque ad decrepitam produxit. Cæterum de reditu eius ad Claramuallem, iuxta Patris Bernardi promissum, & prophetiam; demum de morte, & sepultura illius dicam in tempore.

4. Interim de statu Claræuallis, ac monachorum illius perfectione sub his vltimis annis S. Patris, & qualiter se in exemplum præberet cunctis; ex sermonibus eius super Cantica, quæ tūc scribebat, non abs re esse putaui, si hic describerem & quidem de aliorum religiositate eximia, in qua cuperet semper permansuros, deque singulorum muneribus diuersis, ne dicam Hyerarchiis, sic S. lo-

c Serm. 57. quitur. [c] *Vtinam ipsa* (scilicet ministeria, siue munera) *in vniuersis nobis, & si non omnia singulis, saltem singula in vniuersis, sicut hodie haberi videntur, longis reseruentur temporibus. Habemus siquidem Martham, tanquam Saluatoris amicam, in his, qui exteriora fideliter administrant. Habemus & Lazarum, tanquam columbam gementem, nouitios vtique qui nuper peccatis mortui, pro recentibus adhuc plagis laborant in gemitu suo, pro timore iudicij; & sicut vulnerati dormientes in sepulchris, quo-*

d Psalm. 87. *rum nemo est memor amplius;* [d] *sic se non putant reputari, donec ad Christi iussionem, & sublato pondere timoris, tanquam prementis lapidis mole, respirare in spem veniæ possint. Habemus quoque Mariam contemplantem, in illis, qui processu longioris temporis, cooperante gratia Dei, in aliquid melius, & latius proficere potuerunt; quando iam de indulgentia præsumentes, non tam versare intra se soliciti sunt tristem imaginem peccatorum, quàm certè in lege Dei meditari die, ac nocte insatiabiliter delectantur: interdum etiam reuelata facie, gloriam sponsi, cum ineffabili gaudio speculantes, in eandem imaginem transformantur de claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu.* Hactenus ibi Sanctus de suis Monachis.

5. At de seipso in exemplum cunctis proposito,

e Serm. 74. sic enim habet titulus sermonis. [e] *De quibus S. ipse Bernardus se præbet exemplum ad ædificationem audientium.* Præcipuè autem de diuinis, quibus sæpè fruebatur, & quibus cunctos perfundi cupiebat, consolationibus, audi, quod sequitur. *Volo dicere (nam & hoc pactus sum) quomodo mecum agitur in eiusmodi. Non expedit quidem: sed prodor sanè, vt prosim: & si profeceritis vos, meam insipientiam consolabor. Si non, meam insipientiam confitebor. Fateor, & mihi aduentasse Verbum, in insipientia dico, & pluries. Cúmque sæpius intrauerit ad me, non sensi aliquoties, cùm intrauit: Adesse sensi, affuisse recordor; interdum, & præsentire potui introitum eius, sentire nunquam; sed ne exitum quidem.* & paulò inferiùs. *Quæris igitur, cùm ita sint*

f Prou. 5. *inuestigabiles viæ eius* [f], *vnde adesse norim? Viuum, & efficax est: moxque vt intus venit, expergefecit dormitantem animam meam, mouit, & molliuit, &*

g Cant. 4. *vulnerauit cor meum,* [g] *quoniam durum, lapideúmque erat, & malè sanum. Cœpit quoque euellere, & destruere, ædificare, & plantare, rigare arida, tenebrosa illuminare, clausa reserare, frigida inflammare, nec non & mittere praua in directa, & aspera in vias*

h Isai 40. *planas.* [h] *Itaut benediceret anima mea Domino, &*

i Psalm. 102. *omnia quæ intra me sunt nomini sancto eius.* [i] Ita Bernardus, verè magister spiritus, qui quæ didicerat longo experimento, docebat filios.

6. Pergit deinde affectus suos fundere, vt similes in illis excitaret. *Ex motu cordis, vt præfatus sum, intellexi præsentiam eius, & ex fuga vitiorum, carnaliúmque compressione affectuum, aduerti potentiam virtutis eius; & ex discussione, siue redargutione occultorum meorum, admiratus sum profunditatem sapientiæ eius, & ex quantulacumque emendatione morum meorum, expertus sum bonitatem mansuetudinis eius. Verùm quia hæc omnia, vbi abscesserit verbum, perinde, ac si ollæ bullienti subtraxeris ignem, quodam illico languore torpentia, & frigida iacere incipiunt; Atque hoc mihi signum abscessionis eius; tristis sit necesse est anima mea, donec iterum reuertatur, & solito recalescat cor meum intra me; idque sit reuersionis indicium. Tale sanè experimentum de Verbo habens, quid mirum, si & ego vsurpo mihi vocem sponsæ in reuocando illud, cùm se absentauerit; qui & si non pari, simili tamen vel ex parte, desiderio feror? Familiare mihi erit quoad vixero pro verbi reuocatione, reuocationis verbum, quod vtique, reuertere, est. Et quotiens elabetur, totiens repetetur à me; nec cessabo clamitare, quasi post tergum abeuntis, ardenti desiderio cordis, vt reddat mihi lætitiam* [k] *salutaris sui, reddat mihi* k Psal. 50. *seipsum. Fateor vobis, filij, nil aliud interim libet, dum non præsto est, quod solum libet, & hoc oro, vt non vacuum veniat, sed plenum gratiæ, & veritatis,* [l] *more vtique suo, sicut heri, & nudiustertius.* Hacte- l Ioann. 1. nus Sanctus: quæ his Annalibus inserenda censui; quo videat lector in Bernardo verum pastorem, verùm Magistrum; qui non aliter pascat, quàm pastus ipse, non doceat, nisi doctus; sed nihil prorsus inuideat ex his, quæ hausit.

Hoc ipso anno si Marianæ credimus, Eugenius 7. III. confirmauit Regium nomen Alfonso Lusitano, de quo multus nobis sermo in superioribus. [m] *In alia parte* (inquit) *Eugenius Pontifex, Alfonso* m Lib. 10. cap. 10. *Lusitano hoc tempore Regium nomen, & auctoritatem rata habuit: & eius exemplo post aliquot annos, Alexander, eius nominis Tertius, diplomate, quod ab Alberto Cardinali, & S. R. E. Cancellario est promulgatum. Ab vtroque Pontifice annuum vectigal imperatum: ab Eugenio quidem, quatuor auri pondo; ab Alexandro autem libra cum triente; quod tributum, an primis temporibus Lusitania soluerit, in incerto est: nostra, & maiorum ætate, immunis prorsus est habita.*

Tradit Renatus Chopinus in Monastico, hoc 8. ipso anno Eugenium stabilisse possessiones Monasterij Perseniæ subiuncta litteris clausula de decimis; quæ vt Ordini in communi, sic singulis eius Ecclesiis concedebatur. *Sanè laborum vestrorum quos propriis manibus, aut sumptibus colitis, siue de nutrimentis vestrorum animalium, nullus à vobis decimas exigere præsumat.* Ita Eugenius: addit verò Chopinus eodem loco. *Hanc decumani muneris exemptionem, quæ ordini data sit antiquitùs, produxere Martinus V. & Xistus IV. vicissim ad latifundia, etiam antè Lateranam Synodum comparata, Bullato illius rescripto, IX. Kalend. Octobris anno. M. C D. L X X X I I.*

Hoc item anno ad Superos translatum lego 9. Geruasium, primum Abbatem Parcholudensem, cuius supra meminimus, & quem Ailredo pietate parem, eruditione supparem vocat Ioannes Pithsæus, dum ita ait. [n] *Ex eo tempore* (scilicet ex quo n in Cathol. scriptorum. Britan. Abbas Parcholudensis creatus est) *Ailredo Abbati Rieuallensi paris pietatis, sed maioris eruditionis viro, cœpit esse familiaris.* Hunc S. Virum edendi speculi charitatis Ailredo auctorem fuisse Pithsæus putat, producta epistola, quæ nomine cuiusdam Abbatis eidem operi præfixa circumfertur. Prodit

Prodit etiam ad eumdem Ailredum, & alios scripsisse epistolarum librum vnum, & alia opera, quæ ad eius notitiam non peruenerunt. Geruasij item Philippus Seguinus, atque Chrysostomus Henriquez meminere cum laude, atque inter scriptores Anglos Cistercij numerant. Geruasio creditur successisse Radulphus Serlo, Ioannis Serlonis frater, de quo infra. Certè Parchorensem, siue Parcholudensem Abbatem per hoc tempus, idem Ioannes Pithsæus adnotauit.

10. Per idem tempus, si eumdem Authorem sequimur, obiit Richardus Bernardi olim Discipulus: Mox Fontanensis Abbas ab eodem creatus. Postquàm Henricus dictus de Murdacho ad sedem Eboracensem euectus fuit. Ita Pithsæus, qui virum inter illustres Angliæ numerat. Sed eumdem loquentem audiamus. [o] *Richardus Phasselphus, natione Anglus, Patria Eboracensis, Ordinis Cisterciensis, Claraualensis Monachus, & Præcentor; tandem Abbas in Anglia Fontanus, propter vitæ Sanctitatem, & eminentem doctrinam, Sancto Bernardo Claraualensi, & Henricho Murdachio Fontano Abbatibus mirè charus. Vnde quando Murdachius, ab Abbatia Fontana, ad Archiepiscopatum eueheretur Eboracensem, hunc Richardum sibi subrogari curauit Fontanum Abbatem. Hæc ego ex Zelando, ex opere Hugonis Kiv Kirstallensis de Origine, & notabilibus Monasterij Fontanensis, decerpsimus. Porro Richardus eruditionis laudata sequentia posteris reliquit monimenta.*

[o] Ætas 11. ann. 1150. num. 111.

Homeliarum *librum* 1.	*Quod opus se vidisse*
De Musica, vel de Harmonia.	*scribit Lelandus. Librum vnum.*

Alia me latent, claruit anno à plenitudine temporis. M. C. L. sub vacillante apud Anglos, Stephani regno. Richardo successisse videtur Ioannes Serlo, dictus Magister Serlo, à professione cognominatus grammaticus, & vt idem Pithsæus ait. [p] *Poeta non inelegans, Rhetor disertus. Hic ex Eboracensi Canonico factus est Ordinis Cisterciensis, Fontanus primum Monachus, deinde Abbas, vir corpore, animo, ingenio magnus.*

[p] Ibidem. ann. 1160. n. 116.

---

1. Chronologia fundationum præsentis Anni. 2. De Bernhen dictum, 3. & de Casa noua, 4. Cumba, Stanleia, Funas, Custodia; Melsa. 5. Insula S. Maria, Benedictio Dei, 7 Forauallis. 6. Balbona domus prolifica in Hispania, 7. S. Stephanus de Vosco, 8. S. Martinus de monte Viterbiensi, 9. & quatuor aliæ breuiter notata. 10. De Nucalibus Monasterium virginum surgit. 11. Donatio loci, 12. atque illius subscriptiones. 13. Demum desertio eiusdem remissiuè.

CAPVT XI.

1. VLTIMO loco assignandæ fundationes ex chronologia, quas decem & octo, hoc ordine, recenset.

Anno M. C. L. Kalendis Maij, Abbatia de Bernhen, vel Vernhen.

Eodem anno IV. Kalendas Iulij Abbatia Casa noua.

Eodem anno VI. Idus Iulij, Abbatia de Cumba.

Eodem anno IV. Idus Septembris, Abbatia de Stanleia in Ardena.

Eodem anno Abbatia de Gunas; vel Funas.

Eodem anno XI. Kalendas Decembris, Abbatia de Custodia Dei.

Eodem anno Kalendis Ianuarij, Abbatia de Melsa, vel Messa.

Eodem anno Idibus Ianuarij, Abbatia de Insula. S. Maria.

Eodem anno VIII. Idus Martij, Abbatia de Forauallis.

Eodem anno Abbatia de Benedictione Dei in Hybernia.

Eodem anno Abbatia de Belbona.

Eodem anno Abbatia S. Stephani de Bosco.

Eodem anno Abbatia S. Martini de Monte Viterbij.

Eodem anno Abbatia de Porta Glorij.

Eodem anno Abbatia de Vlterio, vel Vlteito.

Eodem anno Abbatia de Mataplana in Hispania.

Eodem anno Abbatia Vallis magna.

Eodem anno, Abbatia in Lubens. Hactenus chronologia præsentis anni.

Prima eius Ecclesia nostris adaucta, Bernhen, illustre Suercheri Regis opus; de quo hæc Ioannes magnus scripta habet. [a] *Eisdem quoque annis Suercherus ad senium vergens, duo clarissima Monasteria instituit, aut consummauit, Albastram, & Bernhen, hoc apud Vvesthgothos, illud apud Ostrogothos: vtrique Monachos, ex Claraualle adductos, imposuit.* Hæc ille: & ex eo frater eius Olaus Magnus. [b] Verùm, quod ait, vtrique Monasterio coloniam transmissam ex Claraualle, diuersimode censeo intelligendum: nempe, vt Albastram venientes ex Claraualle immediatè habitauerint, quod supra notabamus: Bernhen mediatè: aliàs in Tabulis Ecclesiarum Claræuallensium Bernhen, Albastræ filia, & neptis Claræuallis commemoratur. Hinc corrigendi veniunt Abraham Bzouius, [c] & cum ipso Henriquez, [d] qui Bernhen putant fundationem Kanuti Regis, qui sanctis monitis Ioannis Vpsalensis id Monasterium, & alia ædificauerit. Verum Kanutus tempore posterior: & Ioannes post triginta annos assumptus, incrementorum forsan; at primæ fundationis, nedum cōsummationis author, nequaquam fuit. In cap Accedens 17. de conuersione coniugatorum meminit Innocentius Pap. 3. Abbatiæ de Vader, siue Vender, Cisterciensis Ordin. quod an loco Bernhen per errorem irrepserit? non de facili audeam iudicare: quippe neque ex prouinciâ, neque ex diœcesi aliqua coniectura desumi valet.

[a] Lib. 18. ad ann. 1148.

[b] Lib. 2. c. 19.

[c] Ad ann. 1161.

[d] Iuly 2.

2. Casas nouas Cisterciensis Ordinis domos duas inuenio; alteram in Calabria, in Lombardia alteram: vtramque ducentis florenis taxatam in libris cameræ. Priorem illam, Sancti Anastasij filiam in Diœcesi Pennensi; posteriorem Tilati in Parmensi (Genesis Lucionensem potius notat) illam augentem lineam Claræuallis, anno salutis. M. C. X C V. vt vult Robertus Claudius in sua Gallia; hanc Firmitatis, hoc anno quinquagesimo. Memoratur Casanoua Cisterciensis (nec satis constat qualis) in litteris Honorij Papæ III. Datis Ferenti. V. Kalendas Septembris, Pontificatus ipsius anno

anno 11. in quibus Monasterium S. Bartholomæi Nigrorum, de Factione, ad titus Cistercienses reformandum, illi committitur. Itemque in aliis Datis Laterani IX. Kalendas Ianuarij, Pontificatus anno VI. Sed in his vltimis posteriorem tempore, filiam S. Anastasij, de qua tomo sequenti, non hanc priorem, quæ Tileto nata, ex ipsa litterarum serie licet conijcere.

4. Sequuntur plures domus ignotiores; Cumba, filia Landesij, de linea Cistercij; de qua tamen nil aliud certum habeo. Stanleiæ in Ardena, Sylua Angliæ, de qua Hottelius in sua Geographia; nec non in vita S. Osithæ Virginis, meminit Nicolaus Arsfeldius in Comitatu Vviltonienſi; nec constat, an eiusdem, an alterius. Gunas, vel Funas non alibi reperio; sed nec Custodiam Dei: nisi quod tamen, in Genesi Ecclesiarum Cisterciensium, inter Obacinæ filias, in lingua Occitana, & Diœcesi Caturcensi commemoratur; atque alio nomine Gratia Dei dicitur. Sic Melsam inter filias Fontium lego de linea Claræuallis, in Diœcesi Eboracensi; de qua hæc pauca Arsfeldius [e] pro suo more. *Melse, vel Meaurie, titulo Sanctæ Mariæ. Fundator Guillelmus Legrosse, Comes Albæ Marlæ. Aliis Henricus primus, Rex; anno Domini M. C. L. Monachi Cistercienses.* Memoratur Melse in litteris Gregorij Papæ IX. Datis Laterani VIII. Kalendas Ianuarij Pontificatus eius anno IX.

[e] In Indice Cænob.

5. Insulas Cistercienses plures lego, Barri Ducis, Porcianam, Insulam Dei: de quibus sigillatim agendum suis temporibus. Cæterum sub hoc nomine expresso insulæ S. Mariæ, non alibi notatam hactenus vidi. Lora-vallis (aliis Forauallis, & fortè melius legitur) in genesi Ecclesiarum Sauigniacentium, Buglondiæ filia; ideoque augens lineam Claræuallis in Diœcesi Eboracensi notatur; in qua tamen Arsfeldius prætermisit. Nisi quod tamen, Buglonda nondum nata, aut Lora-vallis tempore posterior, aut sub alio instituto lucem vidit. Nos in his Ecclesiis, quas ignoramus, sequimur chronologiam, & si quid dubij subest, proponere faciliùs habemus, quam expedire. Sequitur Benedictio Dei in Hybernia, quam filiam Videuasiæ notatam lego in genesi Ecclesiarum Claræuallensium. Itémque aliam filiam Mellifontis in Diœcesi Midensi, de quarum altera hæc habet Vvaræus. [f] *In ea parte Atlone, quæ agri censetur Roscemanensis, Monasterium erat Sanctis Petro, & Benedicto dicatum. Idem puto, quod aliqui Monasterium de Benedictione Dei vocant, fundatum anno M. C. L.* Hæc tantum ille.

[f] In Cænob. Hybern.

6. Bolbona sequitur, Mirapicensis Diœcesis domus, in Vasconia sita, lineam Morimundi adaugens per Bonumfontem. In libris Cameræ præ diues domus ponitur, quippe mille florenis taxata, supra ducentos. De ea hæc habet Robertus in sua Gallia. *Bolbona Cisterciensis Ordinis, Diœcesis Mirapicensis, in Comitatu Fuxensi, apud Petrum de Vallibus historia Albigensium, cap. 58. vbi sepultus Rogerius, Comes Fuxi, anno M. CC. LIII. VI. Kalendas Martij, in Ecclesia Sanctorum Philippi, & Iacobi quam construxerat.* Potuit & addere Gastonem, huius nominis 2. qui anno M. CCC. XLIV. in Hispania in bello contra Saracenos obiisse dicitur. Inuenio Bolbonam auctam duplici prole, vtraque in Hispania, Turri aquilati Lamecensis Diœcesis in regno Lusitaniæ (quáuis hanc Morerolæ alij attribuant, quod mihi certius) atque Ouila in Castella Segontinæ, de quibus infra. Illustrauit Ecclesiam Bolbonensem Iacobus Furnerius, post Benedictus 12. Pontifex Maximus, in Cistercio addictus per vota sacra. Habere dicitur ædes, seu Collegium in Vniuersitate Tolosana, quod Abbati, & Conuentui de Bolbona testamento legauit Dominus Raymundus Mascaron pro erudiendis Religiosis eiusdem domus.

Sanctum Stephanum de Bosco in Diœcesi Squilanensi in Calabria protulit Fossa noua, transmissâ illuc Colonia Monachorũ. Taxatur LXXV. florenis in libris Cameræ, & memoratur in litteris Honorij Papæ III. Datis Laterani V. Kalendas Aprilis, Pontificatus ipsius anno secundo. Atque item in aliis ibidem confectis. V. Kalendas Iunij, Pontificatus ipsius anno V. Porrò ex his vlterius colligi videtur; ingens fidelium in prædictum Monasterium cultus, & veneratio; cui arma, equi, & alia legarentur promerendæ ad Deum intercessioni. *Volentes* (ait) *pro vestra Religionis honestate vobis facere gratiam specialem, deuotioni vestræ auctoritate præsentium indulgemus; vt de mortuariis, quæ hactenus in equis, armis, vel aliis rebus, Monasterio vestro à decedentibus derelicta, seu ab aliis fidelibus pro animabus decedentium sunt oblata, nulli omnino Ecclesiasticæ personæ respondere, vel quicquam soluere teneamini, etiamsi ab aliquo sitis conuenti, vel contra vestrum Monasterium super his sit sententia promulgata.* Hactenus ibi. Hoc illud est illustre Monasterium Ordinis Carthusiani, à B. Patre Brunone primo fundatũ, quod nostris sese dedens ingentem haud dubiè gloriam eisdem tulit. Suscepit institutum post septem annos, vbi plura de ipso: sed antepositum venerationis causa, quod aliis etiam factum non semel vidimus. 7.

Auxit item Italiam noua prole; sub inuocatione S. Martini, secunda filia Cistercij, Pontigniacum, in Diœcesi Viterbiensi, in qua etiam inuenitur in libris Cameræ, modica quinquaginta florenorum taxa notata. Cœnobium hoc nigrorum Monachorum satis antiquum. Vnde & hunc situm meruit in chronologia: cum tamen Cisterciense institutum seriùs susceperit, nempe sub Innocentio Papa III. cum ad summam pauperiem peruenisset: eiusdem Pontificis, & reformatum industria, & munificentia reparatum. De qua reparatione, & reformatione, hæc pauca accepi ex M. S. antiquo eiusdem domus. *Cum autem Monasterium S. Martini de Monte ad exterminationem peruenisset extremam, ita vt vix in eo tres Monachi remansissent; possessionibus eius, vel omnino distractis, vel sub graui fœnore pigneratis; tunc Pontifex ad reformationem ipsius intendens, pro redimendis possessionibus, mille libras exoluit, scripsitque Abbati, & Conuentui Pontigniacensis Cœnobij, quod est vnum de quatuor primus præcipuis Cisterciensis Ordinis Monasterium, vt ipsam Ecclesiam S. Martini in filiam reciperent spiritualem; & ad ipsam dirigerent Abbatem, & Conuentum de Monachis, & Conuersis; quod ipsi libenti animo perfecerunt. Cum ergo venissent, Dominus Papa benedixit Abbatem; &, vt in eodem loco religio pullularet, concessit, & donauit eidem Ecclesiam S. Saluatoris, quæ sita est iuxta Orelem; cum omnibus rationibus, & possessionibus suis, longè quidem maioribus, ac etiam melioribus, quàm cætera possessiones illius; adiuuans fratres in necessariis ad excolenda prædia, & ædificia construenda, magnificè priuilegians locum ipsum sub anno X. sui Pontificatus.* Hæc obiter per anticipationem dicta, Chronologiæ occasione; quamuis reuera Cœnobium S. Martini Cistercium ignorauerit ante tempora Innocentij, quæ proculdubio concernunt sequentem 8.

tem tomum. Memoratur Abbas S. Martini in litteris Innocentij Papæ III. Datis Perusij. III. Kalendas Decembris, Pontificatus ipsius anno IX. Extat & celebris memoria eius in iure, in capite, *Cum causa de emptione, & venditione*, & in cap. sub eodem initio de testibus, & attestationibus. Aliisque, quæ suis nobis locis dicenda erunt.

9. Portam Glonij Scala Dei protulit, Diœcesis Lectorensis in Gasconia, quod probant Tabulæ Ecclesiarum Morimundensium. Reliqua ignota: sicut, quæ sequitur, Abbatia de Vlterto, cuius nulla nobis notitia subeit, & nec in genesibus quidem commemoratur. Nisi fortè Vltertum pro Carnocto, vulgo *Carnoen*, Corisopitensis Diœcesis, filia Langonij, seu Langoneti, quam anno M.C.XLVI. à Conano 3. Britanniæ Duce fundatam domum video ab Authoribus Gallis perhiberi. Nec tamen in exemplaribus Chronologiæ, quæ plura apud me habeo, notari video. Certè quocunque anno Ecclesia cœperit, S. Mauritio, Abbate illius primo, celebris fuit, adeo, vt, mutato ab eius morte nomine, non vltra Carnoctum dicta sit, sed à sancto appellata sanctus Mauritius. Extare dicitur huius sancti vita apud Albertum le Grain, in vitis Sanctorũ Britanniæ Armoricæ. die 30. Septembris; sed quam hactenus non potui inuenire. De sancto ipso nonnulla inferius dicam, ex libris Decretalium, g cum iamiam adscribendus esset Sanctorum Canoni. Præ ianuis Ecclesiæ S. Mauritij, seu Carnocti, hos versus scriptos refert Iongelinus.

g *In cap. Venerabili. 52. de testibus, & attestat.*

Stet domus hæc, donec fluctus formica marinos
Ebibat; & totum testudo perambulet Orbem.

Matamplanam, Hispaniæ nostræ domum, Diœcesis Palentinæ, sed longè posteriorem; quippe ante quinque, & viginti annos nondum exortam, sequenti tomo dicam; ostendamque illo tempore primum incœpisse: nec cum haud dubio sub Cistercio cœperit, cur adeo in Chronologia præuenta sit? facile interim audeam coniectari. Valles magnas duas inuenio, Cisterciensem vtramque, alteram Biterrensem, alteram Agathensem: atque hanc etiam notatam in libris Cameræ, CCC. Florenorum præfixa taxa. Tabulæ, Bonæuallis Viennensis filiam tradunt, & per eam adaugent Cistercij lineam. *Sexta* (inquiunt) *filia Bonæuallis, vallis magna, in lingua Occitana, Diœcesis Agathensis.* Abbati Vallis magnæ scribit Innocentius Papa 3. & habetur in capite *cum dilecti filij* 18. de Accusationibus. Vltima sequitur Abbatia de Lubens, cuius nominis alias duas inuenio in Chronologia; alteram anno M.C.LXIII. alteram M.CC.XXVII. Certè Lubense Cœnobium in Polonia Diœcesis Vratislauiensis celebre satis, Benedictinis Monachis exclusis, nostris cessit anno M.C.LXXV. quod suo loco dicemus. An autem illud ipsum idem sit, quod Chronologia ante signat pro suo more, nihil certi habeo, nec incerta libet promere.

10 Hoc item anno illustres Castellæ Comites, D. Vela Gutierrez, & D. Sanctia Ponze de Cabrera, Comitis Pontij de Cabrera filia, præfecti domus Alfonsi Imperatoris; inter Beneuentum, & Labanezam (oppida Legionensis Regni non ignobilia) in loco, ab Imperatore ante accepto, Monasterium Monialium construxere: Donato termino cum multis possessionibus, Abbatissæ Aldoaræ, sociabúsque, quas ex Gallecia, & Monasterio Bouedæ, altero ab vrbe Auriensi lapide, adductas, traditio magis probat, quam instrumenta; Nam, quæ hodie conseruant archiuia domus, nequaquam produnt Cœnobium vnde exierit. Nomen loco iam olim à Nucalibus, Monasterio remansit, sub S. Virginis Matris aduocatione. Hoc primùm, quod sciamus, Collegium Virginum Cisterciensium Castella vidit; haud tamen diu sub ipsis permansurum. Porrò donatio ampla, æquè ac firma Aldoaræ, & sociabus facta per Comites, totidem planè verbis accipiat lector.

Ego Vela, vnà cum Coniuge mea Sanctia Pontia, donamus bono animo, & spontanea mente Domino Deo, & tibi Domna Aldoara Perez, & tibi successuris pro remedio animarum nostrarum, vel Parentum nostrorum, atque omnium fidelium defunctorum, ipsam hereditatem, quam Imperator nobis dedit per chartam in Valderia, scilicet villam, quæ vocatur Nogales, & Quintanella, & Boueda, & Humagnesos, & S. Stephani: omnia prædicta damus tibi cum suis terminis, & pertinentiis, quibus ad eas pertinent, vel pertinere debent, cum ingressis, & regressis earum, cum solaribus, pascuis, pratis, molendinis, aquis, riuis, montibus, vel eremum, arbores pomiferas, vel impomiferas, sicut superius scriptum est, ita damus tibi, & tuis sociabus, vel quæ post te futuræ erunt, ad seruiendum Deo sub regula S. Benedicti. Et de nostro iure in tua tradimus potestate, modo, & deinceps. 11.

Si quæ verò aliqua persona magna vel parua, nostra, aut extranea filiis, aut parentibus nostris, quæ contra hanc chartam donationis ad irrumpendum venerit: in primis iram Dei inueniat, & sit maledictus, & excommunicatus, & cum Iuda Scharioth, Datan, & Abiron in infernum demersus: & ad Imperatoris palatium pectet mille marchos argenti; & hereditate præcipua in quadruplo componatur in dicta Aldoara, & sibi successuris. Est facta charta in Salmantina ciuitate VIII. Idus Aprilis Æra M.C.LXXXVIII. in præsentia Comitis Pontij patris iam dicta Sanctia pro cuius consilio, vel auxilio habuimus ab Imperatore ipsam hæreditatem. Ego Vela Gutierrez, vnà cum coniuge mea Sanctia Pontia, qui hanc Chartam iussimus facere & proprijs manibus nostris eam firmamus, & roboramus: Imperante Aldephonso Imperatore in Legione, & in Toleto, Baecia, & Almeria, & in Saragoza: Sanctio Rege, filio eius Regnante in Castella, & Najara; Ferdinando Rege, filio eius Regnante in Gallecia. 12.

Raimundus Archiepiscopus Toletanæ sedis confirmat.

Arnaldus, Asturicensis Episcopus confirmat.

Berengarius Salmantinæ ciuitatis Episcopus confirmat.

Stephanus Zamorensis Episcopus confirmat.

Comes Pontius, Maior domus Imperatoris, qui hanc Chartam laudo, approbo, & confirmo.

Comes Fernandus confirmat.

Comes Amalricus confirmat.

Fernandus frater eius confirmat.

Fernandus Gutierrez confirmat.

Ioannes de Tolosa confirmat.

Comes Ramirus confirmat.

Rodericus, filius Velæ Gutierrez Confirmat.

Garsia frater eius confirmat.

Gomez Gutierrez Confirmat.

Petrus testis, Ioannes testis. Roman testis.

Signum Imperatoris. Petrus scripsit.

Hactenus Comites nouis Monialibus, quas iam tunc vndecumque allatas constat, nouæ fabricæ intensius præfecturas. Qualiter autem decedente fundatore ante opus perfectum, nullis illustris Comitissæ precibus, nullis promissis po-

fuerint retineri, quominùs, quasi authore destitutæ, remearent ad propria, deserto loco; & quam hactenus habuissent, extruxissentque, spreta habitatione cum possessionibus, qualiterque in illarum locum Monachis vocati è Morerola breui successerint, singula suis locis dicenda erunt.

IESV CHRISTI ANN. 1151. CISTERCII ANN. 54.

1. *Insignium virorum obitus hoc anno*, 2. *signum præcessit.* 3. *De Rainaldo probabile sub finem præcedentis occubuisse.* 4. *Mors eius reuelata Bernardo Patri*, 5. *Cistercio, ac ipsi grauiter dolenda.* 6. *Sepulchrum, & veneratio Sanctitatis.* 7. *Gozeuinus successor.* 8. *Sugery mors*, 9. *& Bernardi ad ipsum epistola*, 10. *dictum de anno, & aliis circumstantiis.*

CAPVT I.

1. ANNVS sequitur ab orbe reparato millesimus centesimus quinquagesimus primus, à Condito Cistercio quinquagesimus quartus, vtrique tristis; sed faustus cœlo, & Angelis; quippe respersus virorum illustrium sanguine, Episcoporum, Abbatum, Principum; qui, vt terram deseruerint, creduntur cælos sua præsentia lætificasse. De his Robertus, [a] & Vincentius [b] eisdem verbis. *Illustres religione; & prudentia viri obeunt, Sugerius Abbas S. Dionysij, Rainaldus Cistercij, Odo S. Remigij. Episcopi obeunt moribus & scientia clari: Hugo Antisiodorensis, & Iostenus Suessionensis, Gifridus Comes Andegauorum, post simultates habitas cum Rege Ludouico, facta pace, infra vnius mensis spatium obiit. Obiit etiam nobilis, & religiosus Princeps, & pauperum Pater, Comes Theobaldus: multi quoque nobiles hoc anno moriuntur.* Hactenus illi. Quibus videas, ex Episcopis, Hugonem; ex Abbatibus Abbatum omnium Patrem, nempe Rainaldum; ex Principibus, Theobaldum, nostris addictum supra omnes mortales, de viuis intra paucos menses raptos (æqualem ferè cum reliquo orbe partem) ingenti luctu Cistercium cumulasse.

a in Appendice ad Sigebertum.
b Lib. 28. c.127.

2. Porrò, quod signum SS. Virorum mortem præcesserit, iidem, qui supra, Auctores statim subiungunt. [c] *Hanc optimorum virorum migrationem fortè significauit, quod in pago Suessionico eodem anno accidit. Cum enim hyemali gelu terra vehementer indurruisset, cespes plurimæ longitudinis, & latitudinis de terra subitò auulsus, longè ad alium locum est translatus.* Quippe ex materia fragilem naturam; ex magnitudine, ingentes animi dotes; ex migratione vnius loci in alium, translationem ad cælestem patriam significabat. Nos intra eumdem annum consummatos, quà Cistercij concernere Annales, visi fuerint, prosequemur per singulos, alios ab eis euentus auspicaturi.

c Robert. Mont. ad chr. Sigeberti.

3. Ordior autem à Beati Raynaldi obitu; siue quod is communis Pater omnium, siue quia tempore alios præcessisse satis probabile: imò non hoc, sed præcedenti anno obiisse, sub finem eius, nempe XVI. die Decembris, quæ Barbaræ Virgini sacra est, habemus ex Martyrologio Cisterciensi, ea die inter alia, ita dicente. *Decimo septimo Kalendas Ianuarij anno M. C. L. obiit Dominus Raynaldus, IV. Abbas Cistercij.* Nec dissentit Robertus Abbas Montis, dum eius obitum Suggerij morti coniungit: quippe hoc defuncto Idibus Ianuarij, illo in Decembri, intra vnius mensis spatium raptos, nihil mirum, si non anno separauerit. Siue ergo sub finem præcedentis, siue in hoc ipso anno defunctus fuerit, constat extra Cistercium decessisse, in partibus Prouinciæ, dum suæ lineæ Ecclesias visitaret. Hæc Viri Sancti, & vigilantis pastoris fœlix vocatio, nempe ex ipsa, qua aliis prospiciebat, iniuncta sibi paterna sollicitudine.

Cæterum reuelatam eius mortem Bernardo Patri in Claraualle inter filios consistenti, atque ab eo prædictam, habemus expressum in actis viri Dei, Godefrido inter alia ita scribente. [d] *Dominus Abbas Raynaldus Cisterciensis, quem ex Claraualle assumptum, Pater Sanctus, & amplectebatur, vt filium, & reuerebatur, vt patrem; ob quorumdam Monasteriorum ordinationem, Prouinciæ partes intrauerat. De quo Vir Dei in Claraualle consistens, dum fratri cuidam loqueretur, subita inspiratione permotus; Dominus, ait, Cisterciensis aut mortuus est, aut in proximo moriturus. Nec parum frater ille miratus est, audiens verbum: magis tamen obstupuit, cum eiusdem Abbatis obitum post dies paucos audiret nunciari.* Hæc de reuelatione mortis viri sancti, Sanctissimo eius Patri, filióque longè posito, facta; quam ipse euentus sequutus comprobauit. 4.

d Lib.4. vita S.Bern.c.3. in fine.

At, quàm dolenda vniuerso Cistercio fuerit amantissimi sibi Patris mors, sed præcipuè Bernardo, idem Sanctus ad Eugenium Papam scribit, his planè verbis. [e] *Dominus Cisterciensis (scilicet Raynaldus) deseruit nos, plaga magna in Ordine: mihi verò duplex incumbit mœroris ratio, qui in vno homine, & patrem amisi, & filium.* Pergit de Gozeuino successore, quæ statim referam. Rexit Raynaldus decem, & septem annis, plus minusuè, quamuis alij decem, & octo illi attribuant: Vir facie grauis, statura procerus, moribus comis, sed salua lenitate, præcipuus zelo, atque æmulator totius disciplinæ. Denique talis, qualem Sanctus Christianus videre meruit [f] *in superiori illo choro (Sanctorum Angelorum) in stallo suo, stantem, qui, & ipse competenti gloria circumdatus, magna* (inquit) *lucis radios emittebat.* Sed tunc per speciem, & tantum in ænigmate: nunc iam facie ad faciem transformatus in Dei similitudinem, atque Angelorum cœtibus admixtus, longè maiori gloria circumdabatur. 5.

e Epist. 170.
f Lib 1 Exordy c.40.

Quem locum sepulturæ venerabile corpus primum acceperit, in dubio est: constat inde translatum ad Cistercium, ad Patres suos appositum, corpore, & anima eisdem associandum: hac in cœlis æternum regnatura: illo consurrecturo post finem mundi. Constat, inquam ex eodem sepulchro quod hodie arcus lapideus, & in arcu hæc scriptio cohonestat; quæ cum alios contineat Sanctos Abbates, non semel nobis erit repetenda. 6.

BEATI,

BEATI, AC VENERABILES PATRES ABBATES MONASTERII, ET ORDINIS CISTERCIENSIS FVNDATORES, ET AMPLIFICATORES, HIC SIMVL RECONDITI SVNT VIDELICET DOMNVS ALBERICVS II. STEPHANVS III. REYNALDVS IV.

Tabulæ virum inter Sanctos Cistercij memorant, haud aliter cum sanctis sepeliendum: adstipulantur Ioannes Abbas,[g] Renatus Chopinus,[h] & recentiores. Martyrologium Monasticum ex fide, Decembris X V I. Menologium, quàm potuit, aberrauit, transitum viri præfigens decima sexta Maij,qua vix alia distantior,à die obitus.

g In Catal. SS.
h Lib. 1. Monast. tit. 3. n. 15.

7. Raynaldo Patri ad superos translato,Gozeuinus successit: ex Abbate Bonæuallis Vienensis, cuius superiùs fecimus mentionem De eo in Chronico Abbatum Cisterciensium,post Raynaldum.

Inde Gozeuinus, gentes benedictus in omnes,
Isti successit,veluti species speciei.

Sed grauiùs multò Bernardus ad Eugenium, cùm mortem Raynaldi retulisset,ac successorem, & referret, & commendaret.[l] *Et nunc* (ait) *habemus pro eo(scilicet pro Raynaldo) Dominum Gozeuinum Bonaualllis Abbatem. Sit beneplaciti vestri confortare cum litteris Apostolicis, & quod de eo factum est, vestro roborare fauore. Nostis eum, & non est apud vos opus commendatore, quem satis commendat vita sua, & sapientia sibi data à Deo.* Ita Bernardus. Verùm vt Eugenius non solam electionem confirmauerit; sed cuncta etiam Cistercij priuilegia,constitutionesque,& nominatim chartam charitatis ratam,& inconcussam esse voluerit, litteris de hoc datis ad Gozeuinum, anno sequenti, quo euenit, dicemus.

l Epist. 270.

8. Hoc ipso tempore cum Sugerius S. Dionysij Abbas ægrotaret ad mortem, quippe, qui intra mensem decessit, vt dicebamus; Bernardus Pater, qui & hominem à laxiori viuendi modo, ad perfectionem vitæ, & morum traxerat; & ex tunc summo affectu diligebat, & quanta poterat reuerentia, prosequebatur: cum, per seipsum adhuc, ignoraret,an inuisere posset;per epistolam, (quod certò potuit) visit, exhortans virum, ac gloriam repromittens, in qua petit, ne sui obliuiscatur; ipsius è contra nunquam obliuiscendi. Viuidam sanè,& salua grauitate,affectuosam, & acrem, hîc placet reddere.

9. *Charissimo,*[l] *& intimo amico Sugerio, Dei gratia Abbati S. Dionysij, frater Bernardus, gloriam,qua ab intus est,gratiam quæ desuper venit.*

l Epist. 266.

Homo Dei,ne trepides exuere hominem illum, qui de terra est; illum, qui te deprimit vsque ad terram, & conatur deprimere vsque ad inferos. Iste est, qui vexat,qui onerat, qui oppugnat. Quid tibi, & terrenis exuuiis,qui ad Cœlum iturus. stola gloria mox indui habes? Præsto est;sed vestito non dabitur. Vestire nouit illa,non superuestire. Sustine ergo patienter, imo libenter accipe, nudus, & non vestitus inueniri. Denique, & Deus ipse vult vestiri; sed cùm nudus est,non cùm vestitus. Homo Dei non reuertetur ad Deum, nisi, is, qui de terra est; & in terram ierit: Hi enim duo homines sibi inuicem aduersantur; nec erit pax, donec ab inuicem separentur. Etsi pax fuerit, non erit pax Domini, non erit pax cum Domino. Non es tu de illis, qui dicunt,[m] Pax, & non est pax. *Te expectat pax illa, quæ exuperat omnes sensus;te expectant iusti, donec retribuatur tibi; te expectat gaudium Domini tui. Et ego quidem charissime vehementer afficior ante videre te, vt benedictio morituri veniat super me. Et quoniam non est in homine via eius,non audeo, vnde certus non sum pro certo polliceri;sed quod nondum video, quomodo possum;satis ago,vt possim, Fortè veniam, fortè non veniam. Sed quodlibet horum fit, dilexi à principio, diligam sine fine. Fidenter dico, non possum perdere sic dilectum vsque in finem. Non mihi perit, sed præit: cuius anima anima mea adhæsit glutino, quod non dissipabitur, & vinculo, quod non dirumpetur. Tantum memento nostri, cum perueneris, quò nos præuenis, vt, & nobis citò detur venire post te,& ad te peruenire. Interim tamen nullatenus putes, quia tua dulcis memoria recedat à nostra, etsi præsentia dolentibus subtrahatur. Quanquam potens est Deus,te adhuc nobis donare rogantibus, seruare indigentibus; quod vtique non est diffidendum.* Ita Bernardus.

m Ezech. 3.

Ioannes Picardus dilatam Sugerij mortem vsq; ad annum sequentem asseuerat, ex Chronico Dionysij,qui obiter circumstantias alias describit, quas non censeo alienas ab instituto.[n] *Hic* (ait) *est annus vltimus fœlicis recordationis Sugerij Abbatis. Verum quia à conditione moriendi nemo excipitur,cum valetudine;qua mortuus est, vexari cœpisset, fratrum manibus sustentatus est, & in capitulum se duci poscit. vbi post verba ædificationis cum lachrymis,& gemitu, omnium pedibus prouolutus, fratrum se iudicio exposuit, lachrymabiliter postulans, vt quod in eos deliquerat; vel negligentius egerat, respectu pietatis, ei relaxarent. Quod fratres omnes cum maxima deuotione, & copiosa lachrymarum effusione gratissimè fecerunt. Transiit autem idem Venerabilis Pater inter verba Dominica Orationis, & Symboli, die Iduum Ianuarij, & septuagesimo ætatis suæ anno, à susceptione Monastici habitus ferè LX. prælationis verò suæ XXIX. cuius sepultura,& exequiis interfuerunt sex Episcopi, cum multis Abbatibus, Christianissimoque Rege Francorum Ludouico:vbi,& pietatis memor, & immemor Regiæ celsitudinis, dum sepeliretur amarissimè fleuit.* Hæc ex Dionysio in Historia Ludouici. Nobis in opinionum varietate, dum non suppetunt aliæ coniecturæ, conducibiliùs vtramque proposuisse, quàm alteram eligere, quod etiam in Raynaldo parente fecimus. Hæc de duobus quos primos Robertus posuit, nam reliquos Annales concernunt, dicam in tempore: 10.

n In notis ad epistolã præcedentem.

1. Ludou*ici*

1. *Ludouici diuortium ab Eleonora*, 2. *ab aliquibus attributum Bernardo*. 3. *Legati duo ab Eugenio ad Germaniam missi*. 4. *Dissidia inter Cartusienses oborta*, 5. *pro quibus Sanctus ad Pontificem scribit*. 6. *Eorumdem dissidiorum occasio*, 7. *grauitas*. 8. *Perpensum obiter de humanæ conditionis fragilitate*. 9. *De consideratione liber tertius, legatias frequentes, sed præcipuè in Hispaniam, deplorans, & qua de causa.*

CAPVT II.

1. LVDOVICI cum Regina Eleonora diuortium, à Sugerio [a] Abbate memoriæ proditum, atque in hunc annum relatum, indicio est; aut eius mortem dilatam per tempus aliquod; aut concilium, quo auctore factum est, congregatum in ipso anni initio, intra tredecim illos priores dies, quibus diximus, eum superuixisse: Quod vix crediderim; maximè homine iacente diu in lecto, vt colligitur ex epistola Bernardi, nec curaturo de historiæ continuatione. Vtcumque fuerit, ab eo ita describitur. *Interea aliqui venerunt ad Regem, de cognatione sua progeniti, qui ortum, & deriuationem parentelæ suæ nouerant; & dixerunt (sicut & verum erat) quod inter se, & Elionoram vxorem suam erat consanguinitas, affinitas talis, quod inter eos de iure lex matrimonialis non poterat conuenire: & inde per iuramentum, probationem legitimam offerebant. Quibus Rex sic respondit: Quod contra Deum, & contra legem Ecclesiæ, eam nolebat habere; volens per omnia statuta Ecclesiæ, & legem matrimonij inuiolabiliter obseruare. Et vt istius rei veritas posset veracius indagari, die Martis ante festum Paschatis floridi, in Castro Baugenciaci Hugonem Archiepiscopum Rothomagensem .... & quartum Lanfredum Burdigalensem cum pluribus suis Episcopis, & Baronibus Franciæ fecit solemniter conuenire. Ante quorum præsentiam steterunt illi, qui genus inter Regem, & Reginam se probaturos obtulerant; qui etiam eiusdem generis erant parentes, & cognati; & per iuramentum suum dixerunt, quod Rex, & Regina se cognatione contingebant, & quod secundùm Deum, & legem coniugalem debebat inter eos diuortium celebrari. Quo sufficienter probato, in præsentia Prælatorum, fuit inter eos per consensum partium matrimonium dissolutum, &c.* Ita Sugerius, qui postquam hæc scripsit, historiæ simul, & vitæ finem posuit, vt præcedenti capite notauimus.

2. [b] Scio Robertum [c] Vincentium, [d] aliósque, quoscumque Gallicarum rerum scriptores, aliam causam diuortij, vt minùs iustam, sic fortè efficaciorem assignare; incontinentiam fœminæ, de qua vel extra Galliam notata fuerit. Robertus Gaguinus, plerorumque sententiam tradit, Bernardo auctore, solutum matrimonium. Quod cùm apud antiquos non inueniam, adfirmare non ausim: sed nec refellere. Eiusdem verba sat erit, si hic transcribam. *Eadem ferè tempestate, Alienoram Guillermi Pictauiensis filiam, petulantem quidem fœminam, Rex dimisit, plerisque asseuerantibus, cognationis gradu Ludouico attinere, duas licet ex ea filias suscepisset. Consultore (vt plerique asserunt) Bernardo Claraeuallensi in ea re fretus.* Ita Gaguinus, quod seu verum, seu falsum existimes, nefas duxi silentio præterire.

3. Illud omnino mihi certum est, quod obiter Eugenij gesta concernit, hoc ipso anno ex eadem consanguinitatis causa, per Apostolicæ sedis Legatos, Iordanum, & Octauianum, Cardinalem vtrumque, ad hoc specialiter ab Eugenio Papa missos, simile aliud solutum matrimonium, Friderici Sueui, qui post Conradum successit in Imperio: quod Cardinalis [e] Baronius adnotauit. De Cardinalibus ab Eugenio legatis, & à Conrado honorificè exceptis, hæc habet Otto. [f] *Ratisponæ curiam habens, duos ex Cardinalibus Romanæ sedis Legatos, Iordanum scilicet, & Octauianum obuios excepit.*

4. Eiusdem etiam anni principio factum est, certè non longè ab obitu Raynaldi, & Gozeuini pro eo subrogatione, quod ex Bernardi epistola ad Eugenium facile constat, vt Sanctissimus Cartusiensium Patrum Ordo, intestina discordia, & vt apparet, rebellione, in priorem Sanctum diu turbatus, conturbaret Bernardum, intimo affectu amicis condolentem, ac mederi conantem serpenti malo. Vrgebat charitas, qua viros verè sanctos prosequebatur; vrgebat, & pro Eugenio Papa zelus; in cuius litteras extortas per subreptionem, quæcumque inordinatè fiebant, refundebantur. Extat epistola eius ad summum Præsulem (illa nimirum, in qua de Raynaldo, & Gozeuino) de Cartusiensibus scribens in hæc verba.

5. [g] *Qui tentant nos, non dormitant, nec dormiunt. Quomodo nunc de nouo persequuti sunt in montibus, [h] insidiati sunt in deserto? Cartusienses turbati sunt. Turbati sunt, & moti sunt, sicut ebrius, propemodum omnis [i] sapientia eorum deuorata est. Scias Domine mi, [l] inimicus homo hoc fecit. Quid dico, fecit? Et adhuc facit. Adhuc fiduciam habet, vt, & illa sanctitas influat in os eius. Esca eius electa, nostis optimè. Quosdam iam præuaricatores constituit, alios, quos per se expugnare non poterat, per illos impugnat bello domestico, & intestino. Ab ipsa fundatione loci, & Ordinis non est auditum, vt quis exiens sine satisfactione reciperetur. Qui malè exierant, peius redintrauerunt. Addentes præuaricationem. Quid putas, Pater sancte, illi facturi sunt, quorum egressio in transgressione, regressio in superbia? Et nunc superbia eorum ascendit semper. Exultant in re pessima, quam egerunt, insultant iniuriam patientibus. Vicere, triumphant: Prior iam non est Prior. [m] Dum superbit impius, inceditur pauper. Exire etiam vult, non potest videre destructionem Ordinis sui. Et iam exisset, si solus exire potuisset. Qui prior necesse est, vt bonus sit, nam quorum innititur consilio, audiuimus à bonis, bonos esse. Vidésne, Clementissime Pater, quantum subreptum sit tibi? Nihilne dignum recipiat subreptionis auctor? Si bene te noui: portabit iudicium, quicumque est ille. [n] Venerunt ad te in vestimentis ouium, in habitu sancto, species decepit te. Quid mirum? Et tu homo es. Sed iam prodita in lucem fraude, exurgat zelus, & partes suas viriliter exequatur aduersus malignantes. [o] Non veniat anima tua in consilium eorum, dissipetur consilium Achitophel. Te ipsum custodi.*

[a] in Ludouic.
[b] Robert. in Appendice.
[c] Vincent. lib. 17. c. 128
[d] Masonius, Emilius, Paulus.
[e] Ad hunc ann.
[f] Lib. 1. in Friderie c. 63
[g] Epist. 270.
[h] Matt. 13.
[i] Psal. 106.
[l] Matth. 13.
[m] Psalm. 9.
[n] Matth. 7.
[o] 2 Reg. 15. & 17.

Non

Non est paris periculi scientiæ subripi, & zelum dormire. Illud excusat ignorantia, hoc negligentia inexcusabile facit. Fortè ascendat ex aduerso, & aliud persuadere conetur. p Psal.26. [p] *Mentiatur iniquitas sibi, & non Domino meo: nam & veritas, & res sic se habet. Nihil verò iucundius, nil iustius in iudiciis vestris, quàm cùm se istius modi occasio prebet, si* q Psalm.7. *qui nocere voluit,*[q] *cadat ipse in foueam, quam fecit; & conuertatur dolor eius in caput eius, & in verticem ipsius iniquitas eius descendat. Zelus Domini mei faciet hoc. Et priorabitur iterum (vt confido) qui Prior fuit, vt non glorietur omnis iniquitas: alioquin (quod non frustra timemus) nisi Prior restituatur in gradu suo, Ordo non diu erit in statu suo. Inspiret Deus vobis paternè accipere ista, & respondere bona ad nostram omnium consolationem, qui valdè desolati sumus, & afflicti super viros.* Pergit deinde de morte, & Gozeuini electione, quæ suprà dedimus.

6. Causa mali tanti, Gratianopolitani Pontificis electio, displicens cunctis; sed ab aliquibus pertinacius impugnata: aliis liberè, quod sentiebant, proponentibus; haud tamen ea de causa litigaturis. Extat epistola Petri Venerabilis ad Eugenium scripta per hoc tempus, ex qua domesticæ illius perturbationis, & causam, & grauitatem licet colligere. Sic enim ait, post laudatum eximiè Ordinem. r Lib.6.epist. 12. [r] *In causa, de qua adhuc agitur, Gratianopolitana electionis videtur mihi, quod Carthusiensis Ordinis serenam diem inopinus turbo infecerit: & splendorem hactenus chrystallinum nubecula, nescio, vnde exorta, fuscauerit. Diuisa est inter se, & quæ vsque ad hæc tempora specialius aliis vnum in Christo fuerat, hac de causa in inuicem Congregatio Sancta compugnat. Hinc Carthusia, Excubia, Durbonum; hinc Porta, Moiorenum, Syluа, Aluerium: & si qua sunt alia ad sacrarum illum Ordinem pertinentia loca, velut diuersos parietes statuunt: & tam hi, quàm illi se iuxta* s Ezech. 13. [s] *Prophetam pro domo Israel ascendere ex aduerso, & stare in prælio in die Domini, profitentur.*

7. *Dicunt hi, non debere electum episcopari: & causas quasdam, quas non est nunc meum dicere, prætendunt. Et è conuerso alij. Quid, inquiunt, ad vos ista? Chartusiensis Ordinis institutio est, mala, si qua nouerint, his, ad quos spectat, nota facere: non autem, & litigare. Eorum est, simpliciter, quod sentiunt dicere: non autem palatia ad causandum intrare. Non est eremi nostra iudiciis astare, non est eorum, qui mortui mundo videntur, in publicis negotiis actores, vel defensores existere. Nihil simplicitati nostræ, cum astutia sæculari: nec decet, vt qui in sæculo eremum elegimus, nunc de eremo ad sæculum redeamus. Quòd si non decet, vt illuc etiam tracti redeamus: decet, vt sponte cunctis nolentibus, & reclamantibus, iudicum nos tribunalibus ingeramus? Hæc est causa, non quidem litis apertè, sed simultatis occulta sanctorum hominum: quæ expressius nota Patri fieret, si maiestati vestræ, non solùm scripto, sed & verbo, mihi loqui liceret. Nam sunt quædam, quæ litteris tradere nolo: ea tamen, quia scribere non fuit consilij, in ore dilecti fratris nostri, & filij vestri Arnaldi, vobis intimanda, reposui.* Hæc Petrus Abbas, dum virus occultum serperet; sed nondum ad eum statum peruenisset, quem postmodum Bernardus deplorauit; nimirum ad aliquorum egressionem indemnem reditum, & Prioris, ipsius iudicio innocentis, depositionem.

Quæ sanè mihi altius contemplanti, statim ante oculos occurrit humana conditio; quietis impos, adpetens turbarum; & quantumcumque, materia illi substracta, numquam immunis à mutua æmulatione. Certant Reges de orbe subiugando; duces de gloria; milites de vita; antagonistæ de præmio sibi proposito; candidati de republica gerenda; fratres de diuidenda hæreditate; viri de fœminis; fœminæ de viris; sed si orbem, si gloriam temporalem; si vitam in pendenti; si hæreditatem si cuncta de medio tollas; certabunt, vt certant, & vt non certent, etiam decertabunt. Erit æmulandi materia ipsa æmulatio, quæ sanctissimos quosque post se trahat, imò præcipitet. Chartusienses, qui cunctis mundi commodis, qui gloriæ, qui deliciis, & quod multò magis est, qui propriæ voluntati abrenunciauerant; qui nihil prorsus sibi retinuerant, nihil sperabant; qui culmen perfectionis penè attigerant; quorum in cœlis conuersatio cognoscebatur: cùm semel sibi ipsis relicti sunt; de Episcopatu alieno inter se certant, nihil prorsus ex eo reportaturi, & quod mireris, non de Episcopatu, sed de certamine; hoc est, non de re ipsa, sed de litigio; de contradicenda, aut non, illa electione. Ergo lis ipsa, materia litis fuit; nec solùm litigarunt, quibus id placuit, sed quibus displicuit; qui dum ne litigent, tam acriter procurant, litem non effugerunt, sed commutarunt; atque in seipsos periculosiùs conuerterunt; inde in Sanctorum scandala erupturam; sed hæc alias. Nunc quibus cadere permissum ad cautelam; resurgere ad salutem citò concessum: & pax Sanctissimis viris iterum reddita, præterita dispendia cumulauit, præsenti cumulo, & diutiùs duraturo. 8.

Hoc ipso anno Bernardus pensum soluens, & solitum, de Consideratione, librum ad Eugenium Pontificem scribens, multa deplorat in Romana Curia, quæ per ipsum corrigenda esse deberent; sed præcipuè frequentes legationes, in Hispaniam; præsertim quæstuosas Legatis; verùm Ecclesiæ non inutiles tantùm, sed nociuas. [t] *Vestri (ait) qui terram Austri sæpe visitant, ecce tamen sciunt, & possunt dicere tibi: Eunt, & redeunt per medium illorum, aut transeunt secus: sed quid boni hactenus cum illis egerint, nec dum audiuimus. Et forsitan audissemus, nisi pro auro Hispaniæ salus populi viluisset.* Plura alia deplorat in eo libro, nec quia corruptiora sub Eugenio, sed quia non correctiora, atque item vt in ipso alios doceret. Vt enim ipse ad eumdem antea dixerat, *quod tibi soli scribitur, soli prodesse non decet.* Sed de his satis. 9. t Lib.3. de Cõsideratione

1. Hugo

1. *Hugo recens creatus Cardinalis, de successore cum Bernardo Patre conuenit. 2. Non sequuto effectu, Bernardo asperè, suo, & Eugenij nomine; 3. ille Hugoni modestè satis scribit. 4. Rem totam pandit. 5. Discurrit de electione. 6. Quid de electo, 7. quid tandem de seipso. 8. Tum ad Bernardum Eugenius satis summissè.*

CAPVT III.

1. CONVENERANT Cardinales Bernardi filij sub finem præcedentis anni electi, parentem Sanctissimum, nec certum vbi, aut quando, benedictione ipsius muniendi, priùs quàm se præsentarent Romanæ Curiæ. Sed primus omnium Hugo, vel quia dilectior, vel quia baculum eidem traditurus, quo subrogandum pro se Abbatem donaret; actum deinde de eius electione, & Hugonis ipsius consilio, an petitione, nec non & Sancti viri conniuentia, Nicolaus designatus, (non ille qui mentiebatur Bernardi phrasim) qui Tribus-fontibus, velut idoneus minister, præficeretur. Vnde Hugone ad Romanam curiam reuerso conuocati electores; indictus dies, quem haud dubium dilatum vsque ad hunc annum, quo hyemalis bruma deseuiret, fortè & sacrum Quadragesimale tempus in quiete, & silentio peragetetur. Tunc Sanctus Pater, fractus quamuis viribus, quo amico deferret, necnon & primogenitæ filiæ honorem daret, adiisse Tres-fontes, non per alium, vt sæpè solebat, sed per seipsum, electioni præfuturus, & Nicolaum, quà posset, ingesturus cordibus suffragantium, ex epistola eius apparet, quam mox subiungam.

2. Verùm cùm electores non acquiescerent, & Nicolaum ferè omnes auersarentur; nec Sanctus Pater tutum reputaret, extorquere obedientiam: atque spontaneum propriarum voluntatum, quæ acceptissima Deo victima est, oblatum sacrificium in professione, in seruitutem coactam, eóque minus acceptam, præcipitare (quod vtinam omnes, qui præsunt, semper attenderent) Robertum quemdam ab eis petitum primò; sed cùm is displicere Hugoni renunciaretur, quemdam alium Turoldum præfecit: virum probum, atque litteris, prudentiæque ornatum; verùm qui dudum promotus in Abbatem Nigrorum, vt apparet, & mox depositus, recens in Claraualle conuersabatur, cùm antè forsan vixisset paulò liberiùs. Hinc scandali materia sumpta Hugoni, & se neglectum, vt sibi videbatur, cum Dei causa confundens (nam pallians, de viro Sancto numquam credam) defectus hominis attollere in maius; & qui in amico leues viderentur, in ordinato contra eius voluntatem, pro grauibus, & periculosis prædicabantur. Nec pacatus, promoto Nicolao in Abbatiam aliam inferiorem; quin, & Eugenium in partem querelæ traheret, & ex nomine vtriusque Bernardo scriberet, quasi in scandali auctorem; & fautorem malorum nominaret. Ita qui paulò ante Chartusianos; nunc Cistercienses; atque ex eis Sanctissimos, nobilissimósque sibi permisit; permissos, dissensuros, vel sine causa. Extat epistola Bernardi Patris ad ipsum satisfactoria, & totam rem aperiens; sed dolens obiter de amico contristato, quin & de Eugenio, parente sibi dulcissimo.

3. [a] *Domino Hostiensi pro electione Abbatis Turoldi de Tribus-fontibus.*

a Epist. 306. b Matt. 18.

Væ [b] *mundo à scandalis. Ego vos scandalizo? Ego vobis scandalo sum? Quis hoc crederet posse contingere, nisi cui nota non esset nostra vnanimitas, nostra mutua charitas, & quomodo in domo Dei ambulauimus cum consensu? subita, & dolenda mihi mutatio. Qui me portabat, nunc parat opprimere: qui me defensabat, nunc terret minis, blasphemiis impetit, arguit præuaricationis. Protoplasti super graui, & singulari peccato, confessionem requisiti sunt: Niniuitæ* [c] *ad pœnitentiam expectati sunt: Sodomitæ* [d] *non de auditu, sed magis de visu puniti sunt. Mecum eo differentius, quò contemptibilius actum est. Non sum reputatus, qui ponerer ad rationem, qui inuitarer ad satisfactionem, qui causam requirerer, qui pro me respondendi facultatem acciperem. Non conuentus, iudicatus sum; non conuictus, condemnatus sum.*

c Ion. 3. Ioann. 3. d Gen. 19.

Et nunc audite, si dignamini, excusationem nostram: & si fortè minimè sufficientem vobis, veram tamen. Voluistis loco vestri substitui fratrem Nicolaum: & ego memini, non diffiteor. Ita conuenit vobis pariter, & mihi fore: credidi, propter quod loquutus sum. Quod ita non est factum, necessitas fecit, non duplicitas, res in discordiam versa est. Quid dico in discordiam? Concordia magis fuit. Tam concorditer discordes, ab hac nostra conniuentia, omnes inuenti sunt, vt nec vnus quidem Monachus, siue conuersus, præter duos, aut tres, qui vestrates erant, acquieuerit assentire. Tentauimus nihilominus tamen in multis argumentis, nunc blandiendo, nunc terrendo, quomodo res effectum sortiretur: sed vt vnanimiter, ita & pertinaciter obstiterunt. Possemus vim facere: sed sic mihi parcat Deus, quomodo parcendo illi, omisimus, ne homo verecundus, & pusillus corde (vt nostis) & fugitans onus, in hoc tanto turbine remaneret. Nam præter ea, quæ extrinsecus sunt, quæ probastis & vos, supra vires eius esse omnia videbantur. Itaque tollentes eum cum suis, imposuimus onus, quod eò leuius ferat, quod à nostris pariter portaretur. Est enim locus nouiter ordinatus de fratribus nostris, & vicinior nobis, vt possit à nobis faciliùs frequentari. 4.

e Psal. 115.

De Abbatibus ad locum pertinentibus, quia adsensum vestrum non tenebamus, nihil ausi, fratrem Robertum, quo nemo magis idoneus ad manum esse tunc visus est, dare voluimus: Cùm responsum est nobis, à vestra discretione fuisse prohibitum. Quid plura? Acceperunt hominem, qui vestra, sicut accepimus, displicet sanctitati. Nec latet causa. Inhonestum, vt aiunt, publicè prædicatis, & ob turpitudinis notam, è priori Monasterio trusum, cui ante præfuerat. Potest ita extitisse; me (quantum recordari valeo) vsque ad hoc tempus, non audisse huiuscemodi verbum de illo, Deum testor, & Angelos eius. Sed neque ipse Archiepiscopus, cum eum amouere omnimodis niteretur; tale aliquid, vel scripto, vel nuntio nobis aliquando significauit. Egóne turpitudinis adsentator, fotor inhonesti? Si ita de me sentitis, videte, ne vestram quoque excellentiam pariter inuoluat hoc nubilum. Quippe qui tum eiusmodi tam notam omnibus familiaritatem, atque amicitiam, semel initam tanto studio hucusque fouistis. 5.

Et de Archiepiscopo, quid dicitis? quid sentitis? An & ipse quem talem sciret (nec enim poterat nescire, cùm notus esset ex longo) prior promoueret, & in 6.

& in loco, cui ipse præfuerat? Minimè ego, vel tenuiter suspicer illud de tali viro, & tanto amatore honestatis. Et quidem, qui promouit, ipse & amouit, non negauerim. Qua ratione hoc feceris, videris ipse. Nam multis displicuisse factum cognoscitur; nempe nec rationem, nec ordinem, nec consuetudinem in eius amotione cernentibus. Tantum Archiepiscopus sic voluit, & ne contristaremus eum, nostro hortatu, iste in pace cessit, & dedit locum iræ. Vnum dico: ex quo ad nos intrauit (sicut testimonium habet ab omnibus) nihil in eo, quod promotioni huic obuiaret, compertum est. Sine querela conuersatus est. Ad hoc non deest homini litteratura congruens, non doctrina, non affabilitas, non gratia in vultu, & sermone: sed suspecta est vobis breuitas temporis, quod nobiscum fuit; fateor, & mihi. Fortassis benefaciet, fortassis malè. f Iob. 9. [f] *Vereor omnia opera mea, & quod operor, non intelligo. Vnde certus non sum, certos vos facere minimè possum. Factum est, & quod factum est, non potest non fieri. Si Propheta fuissem, non profectò fecissem, vnde amicum offenderem, Sanctum turbarem, Episcopum scandalizarem.*

7. *Quid vultis, vt faciam? sic factum est tali necessitate, talique ordine. Hæc excusatio mea. Si sufficit, tollatur de medio scandalum. Si minus, ego iudicium portem, quod, & quale decreueritis. Nam si quod ædificaui, tam cito iterum destruam, graue: nisi fortè causa conueniens superuenerit, quod fortasse processu temporis accidere potest. Si vultis vos amouere eum, potestatem habetis. Non obsisto, non me oppono torrenti. Iniquè non egi: si insipienter videor, in promptu est vobis insipientiam meam corrigere: aut si hoc dignius indicatis, etiam & punire. Dico tamen si piè, si* g Psal. 140. *Christianè mecum agitur [g] corripiet me iustus in misericordia, & increpabit me: non ira apud alios diffamabit. Habetis formam meam hic nisi hoc indignamini præsentibus litteris. Nempe comperta per alios, & non per vos, vestra indignatione, cautum habui non rependere vicem, sed mox vobis de vobis, per præsentia scripta, conqueri. De cætero benedictus Deus, qui & hoc, quod dederat, & de quo mihi fortè immoderatiùs blandiebar, solatium ante exitum tulit; vestram scilicet, & Domini mei gratiam: vt vel proprio experimento discam non ponere spem meam in homine.* Hactenus Sanctus, per has tribulationes defœcandus, cùm iam exitum vitæ præstolaretur. Hæc licèt multis leuia esse videantur, quia domestica; nequaquam tamen censeo prætereunda documentum venturis, atque solatium. Illud, vt caueant, qua possint, hæc scandala: hoc, vt exemplo Bernardi consolentur, si non potuerint.

At non; quem Patrem charissimum habebant, diutiùs tristari Eugenius, & Hugo passi, quin se per litteras statim indulgere; imò sibi indulgeri postulauerint, non vnquam ampliùs eum contristaturi; sed pariturі, salua dignitate, non aliter, ac olim in Claraualle. Certè quam statim Bernardus ad Eugenium scripsit epistolam, in causa Caziacensis Abbatis, contra consuetum, aliquid tale videtur præsupponere; sic enim ait. [h] *Porrexeram preces, cùm possem fortè iubere.* Et paulò inferiùs. *Facite; inquam, etsi non quia rogamini, certè quia iubemini.* Et demùm. *Ex hoc credimus, quia non contristabitis nos, neque conturbabitis: sic Deus lætificet animam vestram, sic vos ab omni perturbatione conseruet, Pater amande, & honorande, si omnibus seruis Christi, sed nobis specialiter.* Hæc, & similia, ni Eugenius præuenisset, nequaquam à Bernardo dicenda forent. Hactenus quæ ex præcedenti anno pendebant. Nunc reliqua præsentis prosequamur. 8. h Epist. 264

---

1. Eugenius Archiepiscoporum Germaniæ dona contemnit. 2. Moguntinum ad pleniorem cognitionem causæ remittit. 3. Coloniensi priuilegia multa concedit, 4. antiqua firmat, 5. & noua plura indulget. 6. Censura in transgressores, 7. & subscriptiones. 8. Quatuor Archiepiscopales sedes Hiberniæ donat. 9. Bernardi epistola de legatis ab eo missis.

CAPVT IV.

1. HOc ipso anno, vt Cardinalis Baronius habet, & de altero nos statim demonstrabimus, duo primarij Germaniæ Archiepiscopi, vterque hodie elector, Coloniensis nimirum, & Moguntinus, adierunt Eugenium; alter vt priuilegio suæ Ecclesiæ, & instauraret vetera, & noua adiiceret, alter vt de negotio prolixo satis, quo à duobus iam annis implicabatur, quocumque modo posset, se expediret. Et agebatur de viri dignitate; sed quam homo pacificus, & quietus, vt probauit euentus, perdere omnino mallet, quàm litigare. Muneribus Romanos capi, opinio erat; qua ea curia dudum laborabat. Ergo vterque muneribus onustus, vterque siue gratiam, siue iustitiam venalem putans, nec pretium reputans, plurimum ei argentum detulerunt. Sed ad hæc quid Eugenius? Audi Bernardum in libro tertio ad ipsum, qui, vt dixi, correspondet huic tertio anno. *Hic locus auaritiam carpit, à quo vitio immunis satis tua opinio est; an & opus, tu videris. Vidimus tamen (vt oblata à pauperibus taceam, quæ tangere non acquiescis) Germanicos detinuisse saccos, sed pretio, non massa. Argentum reputatum est fœnum? Summarij, Sagenarij vel Sagittarij non leuati sarcinis, onusti nihilominus repatriant, vel inuiti. Noua res. Quando hactenus Roma aurum refudit? Et nunc Romanorum consilio id vsurpatum non credimus. Duo venerunt, ambo locupletes, & ambo rei. Siquidem vnus Moguntinus, Coloniensis alter, alteri gratia gratis reddita est, alter indignus, credo, cui gratia redderetur, audiuit: Cum quali veste intrasti, cum tali egredieris. O vocem magnificam! vocem prorsus Apostolica libertatis! Quid minus ab illa hac habuit:* [a] *Pecunia tua tecum sit in perditionem? Nisi quod in illa plus zeli, in ista plus modestiæ sonuit.* Sic Sanctus Doctor verè Sanctum Papam, dum laudat, confirmat; atque aliis imitandum altius ingerit. b Actor 8.

2. At qui pecuniam accipere non acquieuit, non ideo gratiam, non ideo iustitiam (quas non vendebat) gratis aut differebat, aut recusabat. Moguntinum, cum causa adhuc penderet, nec esset absoluta, pleniori iudicio remisit, per Legatos damnandum, aut absoluendum, quos ipse ad hoc specialiter transmitteret; vt suo loco videbimus. Coloniensi, firmatis priuilegiis obtentis hactenus, noua alia, nec pauca, leuiave, indulsisse constat, quæ

quæ illustrem aliàs Sedem cohonestarent. Quod nulli deinde Primati, nisi soli Romano Pontifici subesset: quòd solus Reges infra terminos suæ Prouinciæ coronaret: quòd primus in quocumque eius consilio post Papam, seu Legatum resideret: demùm quod Sancti Petri Coloniensis Ecclesia summa septem gauderet Presbyteris Cardinalibus, cum totidem Diaconibus, & Subdiaconibus, quibus mitra, dalmaticis, & sandaliis, proportionatè in Missarum solemniis liceret vti. Atque hæc omnia diplomate firmauit, quod hîc ad litteram censui transcribendum.

3. [b] *Eugenius Episcopus seruus seruorum Dei, Venerabili fratri Arnoldo Coloniensi Archiepiscopo, eiúsque successoribus Canonicè substituendis.*

b Seuerin. Binius inter epist. Eug. t. 3. part. 2.

In eminenti Apostolicæ sedis specula, diuina disponente gratia, constituti, ex iniuncto nobis à Deo Apostolatus officio, fratres nostros Episcopos syncera charitate diligere, & Ecclesiis, eorum regimini, & gubernationi commissis, suam debemus iustitiam conseruare. Sicut enim in humani compage corporis naturalis ratio singulis quibúsque membris ad salutem prouidens, speciales, & proprios actus edocet; nobilioribus verò suam dignitatem conseruat: ita in corpore Ecclesiæ Apostolica prouidentia secundùm sacrorum canonum institutiones, vniuersas regit Ecclesias; digniores autem, & famosiores in suis statuis prærogatiua custodit. Æquum itaque, & rationabile est, vt suus vnicuique honor Ecclesiæ, & propria iura munimine Sedis Apostolicæ confirmentur.

4. *Quocirca, Dilecte in Christo frater Arnolde, Archiepiscope, tuis iustis postulationibus benignum impertientes assensum, ad exemplar prædecessoris nostri, fœlicis memoriæ Leonis IX. Papæ, B. Petri Coloniensem Ecclesiam, cui, Deo auctore, præesse dignosceris, sub ipsius Apostolorum Principis, cuius in loco, licèt immeriti, residere conspicimur, & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti priuilegio communimus: statuentes, vt quascumque possessiones, quæcumque bona, eadem Ecclesia impræsentiarum iustè, & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis, Deo propitio poterit adipisci, firma tibi, tuísque successoribus, & illibata permaneant. Pallij quoque vsum, & viuificæ Crucis vexillum, atque Naccum, insigne videlicet festiui equi, quæ prædecessoribus tuis à nostris prædecessoribus concessa sunt, suo tempore, suóque loco ferenda, nos tam tibi, quàm tuis successoribus confirmamus.*

5. *Adiicientes, vt nulli Primati, nisi tantùm Romano Pontifici debeas esse subiectus. Pro amplioris etiam, & specialioris gratiæ prærogatiua ordinationem Regis, infra tuam Prouinciam, tibi duximus concedendam. Et, si, Romanus Pontifex, vel Apostolicæ sedis Legatus, in eadem Prouincia Concilium celebrauerit, tu post eos, primum inter alios locum obtineas. Statuimus præterea, vt septem idonei Presbyteri Cardinales in prædicta Ecclesia ordinentur, qui induti dalmaticis, & mitris ornati, ad principalia duo altaria eiusdem Ecclesiæ, cum totidem Diaconibus, & Subdiaconibus, quibus sandaliorum vsum concedimus, Missarum solemnia in festiuis diebus tantummodò administrent. Vt ergo hæc omnia, quæ supra diximus, plenum imposterum robur obtineant, sicut in priuilegiis prædecessorum nostrorum continentur, tam tibi, quàm successoribus tuis, ea fauoris nostri auctoritate firmamus.*

6. *Decernimus ergo, vt nulli omnino hominum liceat præfatam Ecclesiam temerè perturbare, aut eius possessiones auferre, vel oblatas retinere, aut aliquibus vexationibus fatigare: sed omnia integra conseruentur, eorum, pro quorum gubernatione, & sustentatione concessa sunt, vsibus omnimodis profutura: salua in omnibus Apostolicæ sedis auctoritate. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica, secularísue persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire tentauerit; secundò, tertióue commonita, si non satisfactione congrua emendauerit; potestatis, honorísque sui dignitate careat; reámque se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate, cognoscat; & à sacratissimo Corpore, ac Sanguine Dei, & Domini Redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ vltioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco iusta seruantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum iudicem præmia æternæ pacis inueniant. Amen.*

FAC

IN BONVM. | S. PETRVS. | S. PAVLVS. | MECVM
EVGE- PP. | NIVS III.

WANDIS

Ego Eugenius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus. 7.
Ego Ymarus Tuscul. Episcopus.
Ego Nicolaus Alban. Episcopus.
Ego Hugo Ostiensis. Episcopus.
Ego Gregorius Presbyter Cardinalis, tit. Sancti Callixti.
Ego Hubaldus Presbyter Card. tit. S. Praxedis.
Ego Manfredus Presbyter Card. tit. S. Sabinæ.
Ego Guido Presbyter Card. tit. S. Pastoris.
Ego Bernardus Presbyter. Card. tit. S. Clementis.
Ego Gerardus Presbyter Card. tit. S. Stephani in Monte Cœlio.
Ego Otto Diaconus. Card. S. Gregorij ad velum aureum.
Ego Rodulphus Diaconus Cardin. S. Luciæ in Septisoliis.
Ego Gregorius Diacon. Cardin. S. Angeli.
Ego Ioannes Diacon. Cardin. S. Mariæ Nouæ.
Ego Guido Diacon. Cardin. S. Mariæ in Porticu.
Ego Hyacinthus Diacon. Cardin. S. Mariæ in Cosmedin.
Ego Cencius Diacon. Cardin. S. Mariæ in Al yro.
Datum Signiæ per manus Bosonis, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Scriptoris.
VI. Idus Ianuarij, Indictione XV. Incarnationis Dominicæ. M. C. L I. Pontificatus verò, Domini Eugenij III. Papæ, anno. VII.

Hoc ipso anno, quod S. Malachias summè optauerat, idem Eugenius cunctis Ecclesiis prouidens, pallia in Hyberniam censuit transmittenda; nec duo tantùm, sed quatuor illi indulsit, iuxta numerum Prouinciarum illius Insulæ. Transmisit autem Ioannem Paparonem. S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalem, & Christianum Episcopum Malachiæ successorem, de quo suprà; hunc per Hyberniam Legatum constitutum, illum specialiter hoc anno destinatum ad hoc negotium. Et quidem de Cardinali Paparone, & anno Legatiæ ista Baronius. [c] *Extat & in Vaticana Bibliotheca plenior descriptio* 8.

c Ad hunc ann.

descriptio de Ecclesiis singulis eisdem Metropolibus, ab eodem Pontifice tunc subiectis, & per eumdem Legatum prosequutione completis, cui descriptioni eiusmodi præfixus est titulus: Tempore Domini Eugenij Papæ Tertij facta est diuisio totius Hyberniæ in quatuor Metropoles per Ioannem Paparonem Presbyterum Cardinalem tit. S. Laurentij in Damaso, Apostolicæ sedis legatum. At de Christiano socio legationis, hæc ex Anonimo Antisiodorensi antiquo accipiat lector. [d] *Ioannes Paparo Cardinalis ab Eugenio tertio Pontifice Romano missus, cum Christiano Episcopo Lismorensi; totius Hyberniæ Legato, in Hyberniam venit, &c.* Hæc ibi de Legatis in Hyberniá missis. Verùm quæ, & qualiter per eos facta sint, sequenti anno, quo congregato apud Meilros Concilio (Cisterciensi Cœnobio, in quo, Christiano in Episcopum promoto, Vvalenus successerat) gesta noscuntur, more nostro commodiùs pertractabimus.

d In Bibliot. Romana. S. Pauli.

9. De his legatis, quos paulò antè ad Germaniam, nunc ad Hyberniam Papa destinauit, cùm alter nempe Iordanus de auaritia, è contra alter Ioannes Paparonius de munerum contemptu, notati; ille fœda post se vestigia relinqueret; hic pulchra: Bernardus Pater, quo zelo pro Ecclesia, quo pro Eugenio semper agebatur, quantumuis præ modestia distulisset, tandem scripsit, impellente Priore Chartusiano ad Hugonem Ostiensem, per quem Eugenius, comperta veritate, certiùs nosset, quibus deinceps negotia tutò committere, & quos ab eis deberet longè arcere. Atque ecce exemplar epistolæ Bernardi.

[e] *Pertransiit Legatus vester de gente in gentem, de regno ad populum alterum, fœda, & horrenda vestigia apud nos vbique relinquens. A radice Alpium, & Regno Theutonicorum per omnes penè Ecclesias Franciæ, & Normanniæ, & circumquaque circumiens, vsque Rothomagum vir Apostolicus repleuit non Euangelio, sed sacrilegio. Turpia fertur vbique commisisse, spolia Ecclesiarum asportasse, formosulos pueros in Ecclesiasticis honoribus, vbi potuit, promouisse, vbi non potuit, voluisse. Multi se redemerunt, ne veniret ad eos. Ad quos peruenire non potuit, exegit, & extorsit per nuntios. In scholis, in Curiis, in triuiis, fabulam seipsum fecit. Seculares, Religiosi, omnes malè loquuntur de eo. Pauperes, & Monachi, & Clerici, conqueruntur de eo. Homines quoque suæ professionis ipsi sunt, qui magis exhorrent, & famam eius, & vitam. Hoc testimonium habet, & ab his, qui intus, & ab his, qui foris sunt. Non sic Dominus Ioannes Paperons, non sic; cuius laus est in Ecclesia, quippe honorificantis vbique ministerium suum. Legite litteras has Domino meo. Ipse viderit, quid de tali homine faciendum sit; ego liberaui animam meam. Dico tamen præcipitatione, qua soleo: Bonum est ei, si purget ipse curiam suam, & sic liberet conscientiam suam. Decreueram ista tacere: sed Venerabilis Prior Montis Dei, ad hoc me impulit, & animauit, vt scriberem. Et scitote minus me dixisse, quàm publicè prædicatur.*

e Epist. 290.

---

1. Gigniacenses Abbatiam quamdam demoliti, 2. Cluniaci coram Venerabili Petro conueniuntur. 3. Non acquiescentes deferuntur ad Eugenium. 4. Petrus aliàs iacturam nostris compensat, 5. indultis legatis à Baronio Romano, quæ potuerat sibi reseruare. 6. Compilatum à Gratiano decretum, Bernardi monitu. 7. Miraculum de fonte vinum manante.

CAPVT V.

1. INTERIM inter Gigniacenses, & nostros, graues querelæ aures Eugenij Papæ sollicitabant. Quippe illi, siue antiquæ offensæ memores, qua olim ob extortas à nobis decimas interdicto subiecti per Innocentium; seu recentiori alia exasperati, quæ nondum nota; seu tandem (quod verosimilius apparet) amissarum decimarum, damna compensaturi; integram Abbatiam demoliti (rarum in Monachis tam Sanctæ Congregationis, sed Bernardo attestante, irrefragabile) mobilia etiam illius diripuerunt. Nec negabatur, factum aliàs publicum; sed in paucorum effrænatam audaciam refundebatur. Eugenius vtrorumque, & dignitate pastor, & Pater affectu, & frater professione; nec minùs Cluniacensibus fauens, quam Cisterciensibus; rem aliàs grauem, & graui pœnæ obnoxiam, ad iudicium relatam; amicabiliter censuit componendam: resarcienda damna, restituenda ablata; reliqua fratribus, gratis condonanda.

2. Placuit Bernardo Patri compositio: placuit & Petro Abbati Cluniacensi cui Gigniacenses suberant: nec Bernardus, siue causæ fidens, siue personæ alium arbitrum voluit, per quem res tota ad plenum decideretur. Atque vtinam placuisset Gigniacensibus, vt vel sic tandem factum delituisset; atque ipsa obliuione infectum reputaretur. Verùm eò tardiores ad restituendum, quò ad offendendum faciles: vel proprij patris sententiam recusarunt. Venit Cluniacum senio, & morbis fractus S. Bernardus; venere & ipsi: ibi quatriduò vtrinque disceptatum; sed sine fructu: dissentientibus illis, Petróque, nempe æstimato damno vltra triginta solidorum millia compensationem illi renuebant, hic pro virili, faciendum imperabat. Ergo cùm Sanctus, per hæc nihil proficeret, ad Eugenium recurrit, litteris datis, quæ totius rei memoriam conseruarunt.

[a] *Apud Cluniacum Gigniacensibus occurrimus, spe pacis, pro qua laboratum multum, elaboratum nihil. Nam totum quatriduanum laborem nostrum sola demùm sequuta est ruina spei. Repetita est iuxta tenorem litterarum vestrarum damnorum resarcitio, restitutio ablatorum; sed incassum. Multum visum est ad eos, quia nocuerant multùm: quippe vltra triginta millia solidorum computatio facta est amissorum. Siquidem Abbatia vna (ne per singula exageremur) tota destructa est. Cæterum de tantis amissis multa dimittere parati fuimus; cum illi tam minimum obtulerunt, vt Venerabilis Abbas Cluniacensis, qui affectuosiùs, quàm efficaciùs, pro reformanda pace laborabat, nec dignum relatu, iudicaret. Itaque non prouenit compositio, quia reparatio tam ridicula offerebatur. Dicebant autem: quidam maligni de nostris, totum malum fecerunt. Quid ad nos? Ipsi viderint. Atque id quoque ridiculum. Clarum erat in tota regione, per homines Ecclesiæ, hoc grande facinus perpetratum; Monachos quoque affuisse quosdam;* 3.

a Epist. 283.

dam; consensisse, omnes. Nam, qui contradiceret malefactoribus, ne vnum quidem fuisse, vsque ad hoc tempus audiuimus. Denique ipse Dominus Abbas istiusmodi tergiuersatores palam refellebat, & conuincebat, affirmans iustè ab Ecclesia repeti, quod per Ecclesiam amissum esse constabat. Vltima expectatur manus vestra in eo quod non, nisi in manu valida, posse emendari satis superque probatum est. Hactenus Sanctus Pater ad Eugenium: nec constat, quem res exitum habuerit.

4. At quamuis lateat compensatio facta per Gigniacenses; non latet facta per Petrum Venerabilem, ingenti semper in nostros munificentia: sed tunc fortè maiori, & profusiori. Cùm enim quidam Baronius Subdiaconus Romanus, (forsan is idem, quem sub Eugenio Cancellarij officio defunctum suprà diximus) quædam bona Cluniaci deposuisset, repetenda pro libito, dum viueret, sed si non repeterentur ante mortem, ibidem, vt donata, permansura; & nondum repetita, cum moreretur, Claræualli, Cisterciòque legaret: Venerabilis Abbas, quamuis sciret, semel donata repeti non posse; & iam purificata conditione donationem perfectam irreuocabilem; nihilominus legatum aliàs nullum, exequi voluit, etiam nullo cogente, petentéve; quod ipse ad ostensionem dilectionis, non ad improperandum beneficium, Bernardo Patri scribit his planè verbis.

5. [b] *De testamento Domini Baronis, Romani Subdiaconi, quod vestra Claræuallensi, & Cisterciensi Ecclesia, ex his quæ apud nos deposuerat, moriens fecisse dicitur: factum est, quod à quibusdam personis, qui sibi hoc ab eo iniunctum esse dicebant, mihi scriptum est. Volo tamen vos scire, quia sicut quidam, vt puto, testes veridici astruunt, plus vobis in his contulit gratia Cluniacensis Abbatis, quàm testamentum Baronis. Scio quidem, nec adeo expers sum diuinarum, vel humanarum legum: vt nesciam, quod per posterius testamentum, & legatum, & fidei commissum, causa mortis rata sunt. Sed lego tamen alibi: Nihil tam iuri naturali conueniens est, quàm voluntatem Domini volentis rem suam in alium transferre, ratam haberi. Hoc ideo dico, quia, sicut testes præmissi fatentur, quidquid Cluniaci deposuerat, totum Cluniaco dederat, nisi fortè eum recipere contingeret, antequam præsentem vitam finiret. Nolui tamen hoc vti priuilegio, sed quod iuxta illorum testimonium, meum esse credebam, vobis, vestrísque concessi.* Ita Petrus Mauricius ad Bernardum, qui non aliter legata accepta tradit, quàm si omnino gratiosè data fuissent. Extat responsum eius in hæc verba. [c] *De testamento Baronis, quod nobis misistis, in veritate vobis mandamus: quia non sicut debitum, sed sicut datum accepimus.* Sic quod præcipites filij delinquebant, prouidens Pater, & pius recompensabat. Sed de his satis.

b Lib. 6 ep. 3.

c Epist. 356.

Hoc ipso anno compilatum Decretum per Gratianum Benedictinum Monachum, ex codice Bibliothecæ Vaticanæ Baronius notat. [d] *Decretum Gratiani Monachi Sancti Fœlicis Bononiensis Ordinis Sancti Benedicti, compilatum in dicto Monasterio anno Domini. M. C. L I. tempore Eugenij Papæ tertij.* Verum neque id sine Bernardo factum, lego in notis ad historiam Ioannis Dubrauij. [e] *Sancti Bernardi (inquiunt) Claræuallensis Abbatis hortatu, Gratianus Pontificum decreta compilauit.* Vt opus illud Annales hos concernat duplici titulo; & quia auspiciis, & consilio Bernardi, & quia sub Eugenio collectum fuit. 6.

d Ad hunc ann.

e Lib. 9. G.

Claudat caput miraculum Bernardi satis illustre, per hoc tempus patratum, sed multos adhuc post annos perseuerans. Fons aquæ fœtidæ conuersus in fontem vini; non solùm generosi, sed salubris, eò maiori prodigio quò rariori. Id à Ioanne Eremita memoriæ proditum, cùm eumdem nancisci non potuerim, ex transcriptore Sylua accipiat lector. [f] *Natiua alga & pecorum stercoribus, queis penè solis aptus, conspurcabatur fons, media via, qua Sanctus pertransibat. Ipsum intuitus, dein ad socios versus: Hic (ait) quiescendum nobis est, & si quid subest, etiam comedendum. Obstupuere, spurcitiam loci horrentes: Et quin, dixerunt, vlterius progrediamur; alium, etsi non commodum, mundiorem; saltem minus fœtentem quæsituri. Tum beatus Abbas prophetiæ spiritu plenus, seu præsentiens virtutem, ab eius ore in fontem deriuandum: Nolite (ait) locum dedignari, quem Deus elegit, & quem mox homines ex longinquo quærent, sospitatem ex eo reportaturi. Dixit, & cunctis hinc inde residentibus, comedentibusque, non sine nausea: cùm vinum non haberent, aquam ex fœtido fonte hauriri iussit; hærentibus ministris, ac dubitantibus, an foret obtemperandum. Sed quis beato viro non pareret, cui vel bruta obedirent? Nec deerat innata cunctis curiositas, quæ tanta exitum rei præstolabantur. Mira res, atque hactenus forsan inaudita; qua parte aqua fœtida ebulliebat, vinum erupit, atque intra viscera terræ scaturigines, virtute à Sancto accepta, nouam materiæ formam, nouam formæ virtutem communicabant. Mansisse ferunt fontem per annos plures, salutarem libantibus, quoad vsque fide haurientium tepescente, virtus etiam refriguit, & defecit.* Hæc ex Ioanne Eremita auctore syncrono: vt verè de Bernardo verificetur, quæ Christus Dominus suis olim promisit; eadem opera eos perfecturos: quin & maiora his, quæ ipse fecisset. Quippe pro aqua à Christo in vinum versa, Bernardus fontem aquæ; pro vino simplici, quantumuis generoso, Bernardus salutare, & morbos pellens; demùm Christus ex aqua clara, & pura; Bernardus ex putida fecit, atque fœtenti. Sed de his satis. Nunc ad alia huius anni transeamus. 7.

1. Primum

1. *Primum Capitulum generale sub Gozeuino,* 2. *in quo statutum de Abbatiis non recipiendis.* 3. *Templarij militis per fraudem admissi causa:* 4. *& Bernardi de eo epistola ad Eugenium.* 5. *Mors Theobaldi,* 6. *in filiis cohonestati,* 7. *& Bernardi cum eo sancta amicitia.* 8. *Comprobata epistola.* 9. *Quid de Henrico ipsius primogenito,* 10. *quem patris meritis reducendum Sanctus confidit,* 11. *Reprobatus Theobaldi Monachatus, velut apocriphus.*

CAPVT VI.

1. INSTABAT tempus Conuentus Cisterciensis, qui primus sub Gozeuino Patre celebratur: & conuenerant Episcopi, & Abbates ex omni natione, quæ sub cœlo est, varia negotia in eo expedituri. Sed inter omnia Gozeuini pectus verè humile, verè temperatum, ac vigilem ipsius prouidentiam numerus Abbatiarum solicitabat. Creuisse eas iam tunc vsque ad quingentas; & vix fidelem prouinciam inueniri, cuius deserta Cistercium non repleuerit. Humanum genus, bonorum semper sterile, tot Ecclesiis, nequaquam suffecturum: quæ si discolis etiam semel pateant; breui, aut ex mutuo consortio peruersos omnes, aut inter se diuisos, atque inuicem pugnantes experiantur. Cistercij vitam: si aliis præferendam, minus communem, ipsa natura duce, esse debere. Natura, inquam, quæ pretiosa quæque, non nisi rara: frequentia, sine pretio, & vilia proferre nouit. Tum priuilegia, decimarum exemptionem, & si quæ alia ab Innocentio, & Eugenio sibi indulta, si pauci eis vtantur, tolerabilia; si latiùs serpant, odiosa cunctis fore. Se dum pauciores, in admiratione; postquam creuerunt, vix in reuerentia: si magis adhuc, & magis dilatentur, contemptui tandem futuros ex multitudine. Nec reputandum dispendium proprij nominis; sed opinioni virtutis prouidendum, facile, si vilescat, deserendæ.

2. His, & similibus inuicem collatis, fundationibus placuit terminum ponere; edita super hoc diffinitione, qua vtinam, vt prouidè statuta, sic inuiolabiliter fuisset obseruata. Decretum Matthæus Paris recenset in illa sua historia magna Angliæ, his planè verbis. [a] *Quo item anno,* (scilicet M. C. L I.) *in Capitulo Cisterciensi statutum est, ne de cætero aliquis nouam construeret Abbatiam; quia numerus Abbatiarum illius Ordinis, vsque ad quingentas excreuit.* Hæc Matthæus Paris, similia habet Chronicon Normanorum satis antiquum, quod Andreas Duchesnius recens publicauit. [b] *In capitulo* (ait) *Cisterciensi statutum est, ne ampliùs aliqui aliquam nouam Abbatiam construerent, quia numerus Abbatiarum de illo Ordine vsque ad quingentas ferè Abbatias processerat.* Cæterùm cùm obseruantia huius decreti nulla habita fuerit, sed pariformiter Abbatiæ deinceps creuerint, sine vlla differentia, quod ipsa historiæ series palam faciet; credendum est, aut obuiatum illi per Pontificem, nolentem terminos diuinæ motioni ponere: aut effectum per Principes, nouatum Abbatiarum fundatores, vt frequentibus primùm dispensationibus, mox conniuentia, in desuetudine penitùs abiret.

a Ad hunc ann.

b Ad eundem ann.

3. In hoc eodem Capitulo decretum fuit, vt confirmatio priuilegiorum Ordinis, & nominatim chartæ charitatis ad litteram insertæ ab Eugenio indulgenda procuraretur, in capitulo sequenti præsentanda; quod opportunè factum tunc videbimus. Crediderim ad eamdem synodum adductam Templariorum de nostris querelam, haud contemnendam; quod vnum de militibus illorum, cui ad nostros, sine eorum consensu transire, ex mutua inter vtrosque concordia, non liceret; indutum primum Benedictino habitu nigro, apud Sanctum Vrbanum, dein in Monasterio Vallium non sine fraude pactorum recepissemus. Delator facti Bernardus Pater fuit, vindex Gozeuinus: ille rem in capitulo declarans; hic restituendum militem præcipiens; ne fraus, quouis colore pietatis, in aliquo faueret machinatori. Memorat hunc euentum idem Bernardus ad Eugenium scribens pro Abbate Monasterij S. Vrbani, de quo, malè contenti restitutione, acrius Milites Templi conquesti fuerant.

Ad Dominum Eugenium pro quodam paupere Abbate. 4.

Vnus de Militibus Templi voluit Monachari in Ordine nostro, nec defuerunt de nostris, qui ei in tali voluntate assentirent. Sed cùm non auderent eum in suis claustris recipere, quoniam non licebat, occultè eum adduxerunt ad quandam Abbatiam, quæ dicitur Vallis; mandantes, & suggerentes Abbati, vt nigrum habitum de alio Ordine Monachorum faceret ei tradi, & sic eum reciperent, nostrumque illi darent. Et factum est ita. Res nobis innotuit, & per nos delata ad capitulum est, capituli decreto frater ille foras missus est. At fratres de Templo minimè hoc contenti, litteras nihilominus à vestra maiestate Episcopo Cathalaunensi attulerunt, quibus Abbatem Sancti Vrbani (nam is est, qui Militi habitum tradiderat) ab introitu Ecclesiæ suspenderat, donec se vestro conspectui præsentaret. Inde est, quod Abbas de Vallibus, quo rogante, ille hoc fecit, nil mali suspicatus, compulsus est in magna anxietate animi fratrem latorem præsentium mittere ad pedes misericordiæ vestræ; vt qui per eum intricatus est, per eum expediatur, si tamen hoc tam ipse, quàm etiam nos, & alij filij vestri à vestra sancta paternitate potuerimus promereri. Hæc breuiter de gestis in hoc capitulo.

Sequuta est Theobaldi Comitis mors, quæ incidit in secundam diem Mensis Octobris, vt habet Ioannes Richardus his plane verbis. [c] *Obiit tandem, ex Gallorum numquam abiturus memoria Theobaldus Campaniæ Comes anno M. C. L I. sexto nonas Octobris. Guillelmus Contimus noster Canonicus diem à se electum in Necrologio Sparnensis Ecclesiæ, suis commendauit miscellaneis.* Hæc de tempore. De sanctitate viri multa superiùs: cum tamen plura omissa, quia aliena. Legat, qui volet, Cæsarium lib. 8. Dialogorum cap. 31. & 40. Thomam Cantipratanum lib. 2. boni vniuersalis cap. 15. Vincentium Beluacensem lib. 27. speculi historialis, cap. 13. Bernardum Bonæuallis Abbatem, & plures alios. Funus ad Pontigniacum deductum (nam neque in morte à Cistercio potuit auelli) Guicardus excepit inter lachrymas fratrum, filiorúmque, quos æquè angebat amissi in terra Patris 5.

c In notis ad epist. 37.

amara mors;ac noua in cœlis vita, meliorque; & nouum sibi ab ipſ. patrocinium, ac corporis exuuiæ lætificabant.

6. Virum, dum vixit,à Deo in multis probatum, & fidelem inuentum, cohoneſtauit poſt mortem, qui ſolus potuit: atque ex Adela filia, quæ Regi Gallo;ex Theobaldo, Henrici filij filio, qui Blanchæ,Nauarrorum Reginæ,coniuncti ſunt; vtriuſque regni Reges,atque ex his alios dedit ſucceſſores. Non vllus hodiè ſceptra moderatur in toto orbe Chriſtiano,qua latè patet; qui non Theobaldo glorietur progenitore. Extat Epiſtola Bernardi Patris ad ipſum paulò ante mortem ſcripta, cùm intercedere pro Vuillelmo filio paruulo, in aliquam dignitatem promouendo,rogatus; ſe excuſaret. Hanc quia Bernardi zelum, nulli affectui cedentem, & Theobaldi ſynceram amicitiam, & ſoli Deo nitentem,ſatis oſtendit,non abs re erit ad litteram tranſcribere.

7. [d] *Scitis quia diligo vos,ſed quantum, nouit Deus melius, quam vos. Me quoque diligi à vobis non dubito,ſed propter Deum. Quem ſi offendero, non erit, quod me diligere debeatis,cum iam non fueris in cauſa Deus. Quis enim ego ſum,vt de me tantillo tantus Princeps curetis, niſi quandiu Deum in me eſſe credetis? Ergo vt offendam eum, fortaſſis nec vobis expedit. Offendo autem proculdubio, ſi facio, quod requiritis. Nam honores, & dignitates Eccleſiaſticas non ignoro, debere his, qui eas dignè, ac ſecundum Deum adminiſtrare, & velint, & poſſint. Porro eas acquiri paruulo filio veſtro precibus meis, vel veſtris, nec vobis iuſtum,nec mihi tutum eſſe noueritis. Nam nec cuiquam, vel adulto, plures in pluribus Eccleſiis habere licet, niſi diſpenſatoriè quidem ob magnam, vel Eccleſiæ neceſſitatem,vel perſonarum vtilitatem. Quamobrem, ſi vobis videtur hic durus ſermo, & placet, quod cogitaſtis implere: parcite mihi in hoc, nam vos ſatis (ni fallor) per vos, & per alios amicos veſtros iſtud obtinere poteſtis. Ita nec vos minus, quod vultis,efficitis,nec ego peccaui.Sanè Vuillelmulo noſtro cupio benè per omnia, ſed ante omnia Deum. Hinc eſt,quod contra Deum nolo aliquid habeat, ne non habeat Deum. Quod ſi alius ſecus voluerit, nolo per me habeat, ne perdam & ego Deum. Vbi verò emerſerit, quod ſecundùm Deum habere poſſit, probabo me amicum;& operam meam;ſi opus fuerit, non negabo. Apud amatorem iuſtitiæ in excuſando eo, quod pro iuſtitia eſt, non multùm mihi laborandum. Vos autem apud Comitiſſam per ea, quæ vobis reſcripſi,habete me excuſatum.*

[d] Epiſt. 271.

8. Hactenus Sanctus. Cui nihil familiariùs, quàm ne quid peteret, quod fieri non deceret. Quin ſi petiiſſet,deceptus aliquando, ſtatim depetere, & preces antè porrectas retractare: quod ex epiſtola eius ad Eugenium breui, ſed acri:atque ad hunc eius zelum explicandum, commoda ſatis, lector proſpiciat.

[e] *Serpens decepit me. Homo verſipellis, & verſutus,iuſtitiæ inops,audientiam fugitans, propriæ conſcientiæ inimicus,fraternæ incubans iniuriæ, neſcienti mihi, litteras pro ſe, per Dominum Beluacenſem, elicuit. Quid enim ille à me non obtineret? Si non vultis vltra donum onerare conſcientiam meam, nil lucretur ſubreptione doloſus, nec de litteris noſtris, opprimat innocentes.Quanquam ne hoc quidem mihi ſatis fuerit,niſi & pœnam portet, quam meruit ſubreptor malignißimus,& auariſſimus exactor.*

[e] Epiſt. 269.

9. Reliquit Theobaldus Henricum primogenitum, nec minus pietatis in Ciſtercium, Bernardumque, quam paternarum opum ſucceſſorem: ſed nihilominus ſuperbum, à potentia, laſciuientem ætate; & ſeuera Theobaldi diſciplina detentum hactenus, ab eius morte violentius eruptum. Hic ille Henricus, quem ex Syria reducem, nec ceſſantem ab armis, duelliſque etiam inter Chriſtianos, Bernardus Pater ad Sugerium Abbatem detulit,induſtria hominis, quà poſſet compeſcendum. Ergo recens potitus Paterno regno, degener aliquanto;nec ſolùm exteris, ſed etiam ſuis grauis, imò & parenti viduæ; quod ipſamet ad Bernardum conqueſta eſt. Vtriuſque tamen continuis orationibus, & meritis Theobaldi breui reſipuit; vt non immeritò à cunctis ferè ſcriptoribus, inter illuſtres illius ſæculi viros commemoretur. Extat epiſtola Bernardi ad eius matrem,Theobaldi relictam,cùm adhuc iuuenis filius laſciuiret: in qua fidendum de Theobaldi meritis,ait, inſtandumque orationibus, vt ad meliorem frugem, de quo non dubitabat, conuerteretur ingenuus adoleſcens; & quem aliàs in ſe, & ſuos beneficum, non ſecus atque Patrem expertus eſſet.Atque ecce epiſtolam.

[f] *Si quando,in vos, filius veſter viſus eſt exceſſiſſe, doluimus,& dolemus non minus exceſſum filij, quam matris iniuriam. Quod tamen, & ipſum excuſabile eſt in adoleſcente filio. Nempe delicta iuuentutis,ipſa quæ commiſit, excuſat ætas procliuior.* [g] *An neſcitis, quia proni ſunt ſenſus hominis, & cogitationes in malum ab adoleſcentia? Confidendum mutandum iri in melius, patris meritis, & eleemoſynis. Propterea inſiſtendum magis, magiſque votis, & precibus ad Deum pro eo: quia etſi ille minus interdum, quàm debuit, filialem affectum exhibuit: mater tamen pro ſuis viſceribus maternum deſerere non debet (ſed neque valet) affectum.* [h] *Numquid poteſt mater obliuiſci filij vteri ſui? Et ſi illa*(inquit) *oblita fuerit, ego tamen non obliuiſcar tui. Oremus, & ploremus coram Domino,vt Deus tantæ indolis iuuenem, probitatis paternæ imitatorem(quod non diffidimus) ſua faciat pietate. Agendum cum eo in ſpiritu lenitatis, blandiſque obſequiis: quia ſic meliùs ad bona opera prouocabitur, quàm ſi irritationibus, & increpationibus exaſperetur. Ita ſanè de eius cita, lætaque mutatione poſſe lætificari confidimus cor veſtrum, & noſtrum pariter. Quid ni ego totis cupiam viſceribus quotidie ſeipſo fieri meliorem? Vtinam, qualem inueni in me,talem ſemper in omnes,inueniam. Quid enim,quantum ad nos, vnquam volui, & non fecit? Retribuat illi Dominus.Cæterùm pro vobis,ſicut ſæpè petiſtis, ſæpè prout oportuit,& monui,& moneo.* 10.

[f] Epiſt. 300. [g] Gen. 8. [h] Iſai 49.

Hæc de Theobaldo, Bernardo ſummè amico, noſtris perfamiliari, & ſepulto in Cœnobio Ciſtercienſi. Verùm quod ait [i] Brito Luſitanus,obiiſſe virum in habitu Monaſtico, in Claraualle, ſub S. Patris Bernardi diſciplina: cum nulla antiqua fulciatur auctoritate, nequaquam cenſui transferendum ad hos Annales. Quamuis Henriquez nimium in his credulus,virum,ob id,Menologio ſuo adſcribat,& noſtris adnumeret,eadem die, qua de hac vita migrauit. [l] *In Claraualle* (inquit) *depoſitio Beati Theobaldi Comitis, admirandæ erga Deum pietatis,& incredibilis erga pauperes Charitatis viri, qui poſt varia ſanctitatis opera, aſſumpto ibidem habitu Ciſtercienſi, horam obitus prædicens, fœliciter migrauit ad Chriſtum,cuius gloria, multis reuelationibus, fuit oſtenſa.* Hactenus ibi. Cæterum, nec in Claraualle obiit,nec in Claraualle ſepultus eſt, ſed Pontigniaci,à ſe conſtructa domo:quod tomo præcedenti iam probauimus. 11.

[i] Lib 4.c. 18. [l] Octobr. 2.

1. Hugonis

1. Hugonis Antisiodorensis mors, 2. sepulchrum, & sanctitas. 3. Fraus in morte, 4. detecta per Bernardum, 5. & impedita. 6. Electio successoris duplex irrita: 7. tertia in Alanum conueniens rata, & recta. 8. Alani laudes: 9. & Cathalogus Episcoporum, qui hoc anno viuebant, ex Claraualle. 10. Ioannes Placentinus Rauennati promittit fidelitatem: 11. ob quam, multa perpessus à suis ciuibus, ab Eugenio Pontifice commendatur.

CAPVT VII.

1\. SERIOR parumper, sed semper cita mors, Hugonem excepit, decima die mẽsis Octobris, Sancti Dionysij festum (celebre satis Gallis) subsequente. Sic enim in Martyrologio Pontigniacensi scriptum extat. *Sexto Idus Octobris obiit Dominus Hugo primus Abbas, & fundator huius Monasterij, postea Episcopus Antisiodorensis.* Eam diem Antonius Demochares, [a] & ex eo plures alij [b] contestantur. Qui etiam addunt, apud Pontigniacum obiisse, atque ibidem accepisse locum sepulchri. *Hugo* (ait Demochares) *huius nominis tertius (scilicet inter Episcopos Antisiodorenses) Abbas Pontigniacensis, de Cluniacensi territorio ortus, sicut & prædecessor; obiit sexto Idus Octobris in Pontigniaco, in cuius Ecclesia inuenit sepulturam anno M.C.L I.* Eadem Vuionius, & Ioannes Chenu, ex ipso transcribunt; nisi quòd ab hoc vltimo erratum, dum annos præfecturæ viri exprimit; & pro quatuordecim, quibus præfuisse constat, viginti quatuor per incuriam irrepsere.

a Lib. 2. c. 19. b Arn. Vuion. lib. 1. c. 46. Ioan. Chenu. in Episc. Altisiod.

2\. Relationes transmissæ ex Pontigniaco iuxta maius altare sepultum docent. Porrò corpus circa annum Christi M. D. L X. plus minusue combustum ab hæreticis, corpus S. Edmundi esse putantibus. Vt inde liqueat religiosè cultum sarcophagum, quod cum S. Emundi sepulchro confundi potuit. Cæterum, longè maius adhuc est id, quod Hugo Menardus recens, sed Gallus auctor, adeóque in rebus Gallicis dignior fide; in notis ad Martyrologium scriptum habet. *A die decima suprà dicta mensis Octobris, anni M. C. L I. vsque ad tempora Caluinistarum, paulò supra nostram ætatem, B. præsulis corpus integrum, atque incorruptum, ac si eadem die obiisset, fuisse inuentum.* Insigni miraculo, quod paucis concessum lego, post quatuor sæcula. Atque hæc forsan errandi occasio impiis hæreticis: ac desæuiendi in corpus, quod non alterius, quàm Edmundi esse putarent. Memoratur Hugo in Cathalogo SS. Ordinis, in Martyrologio Monastico, atque item in Cisterciensi Menologio. De eo item in Martyrologio sancti Sulpicij in Sabaudia, cuius Robertus Claudius meminit, [c] hæc habet. *Habebat generosa mater, Pontigniacensis Ecclesia, claro germine Monachorum fœcunda, Hugonem genere, & doctrina conspicuum, charitatis, & abstinentia virtute præcipuum.*

c In sua Gallia.

3\. Cæterùm, in hoc ipso virtutum culmine, humanum aliquid in morte passus est, quo etsi non apud Deum, apud homines potuit eius opinio periclitari. Quidam Stephanus (ô scelus execrabile) cui (vt Bernardus ait [d]) odio religio, cui oneri sapientia, cui terrori iustitia erat: hic, inquam, Stephanus iam in extremis agentem, nec sui compotem, pauperum bona nepoti suo legare, non persuasit, sed compulit, scripto testamento, quod mox proferret, non sine scandalo aliorum, & nota propria; imo totius, ex qua prodiit, religionis. At non permisit Deus legatum exequi, aut serui sui opinioni præiudicari. Bernardus Pater, ad Eugenium scribens, vtrumque perfecit, dum à nesciente factum, simili alio euentu, satis demonstrat; quod si sciuisset, omnino retractasset atque ecce epistolam.

d Epist. 280.

[e] *Ad eumdem* (scilicet Eugenium Papam) *pro obitu Episcopi Altisiodorensis.*

e Epist. 276.

Adhuc suggero aliquid, quod ante non tacuissem, si ante mihi compertum fuisset, sicut nunc est. Adest homo, qui peccare fecit Israel; sanctum loquor Episcopum, qui cùm in morte aliquantum stupidus esset, & turbatus; iste eum fecit mori penè intestatum. Cum enim pauperibus, & Ecclesiis, aut nihil, aut parum daret; nepoti suo Cardinali, adolescentulo sæculari inutili, totum penè quod acquisierat mensæ Episcopali, Stephano suggerente, & sollicitante, dimisit. Aiunt septem Ecclesias, & decimas, & prata in propria sylua Episcopi: insuper (quod pudor est omni religioni) de mobilibus, aureos suos, & proprias equitaturas: & cùm minus illa sufficerent ad conficiendum iter, vt pro his firmandis ad vos veniret, iussisse tradi etiam Monasterij equitaturas. Quanquam quidam existimant Episcopum donationes istas nescisse; sed Stephanum fecisse, & sigillasse, quæ voluit; & credendum: nempe, & anno præterito in articulo, vt putabatur, mortis positum, Ecclesiam quandam eidem nepoti donare fecerunt: quod donum postea conualescens, sicut certissimè comperimus, fecisse se minimè recognouit. Quis denique credat virum sanctum, spiritualem, si sapuit, si compos sui fuit, testamentum tale fecisse.

Hæc de facto. Quod infectum censendum fore adiurat Pontificem, verbis Bernardi zelo prorsus condignis. *Tu ergo* (ait) *serue Dei, qui tenes gladium Petri, amputa confusionem opprobrij à Religione, scandalum ab Ecclesia, crimen a persona, à spiritualium omnium, qui eum, in spiritu, & non carnaliter, diligebant: & tuo ipsius corde amaritudinem, & dolorem.* [f] *Exurge Phinees, sta, & placa, vt sanetur quassatio: sta, inquam, inflexibilis aduersus carnem, & sanguinem: quo ariete murum tuæ constantia filij huius sæculi, proculdubio, concutere conabantur. Vera pietas est in auunculum, si super huiusmodi extiteris impius in nepotem.* Sic S. Pater, quem de nostro Hugone loqui compertum est; numquam aliàs. Altisiodorensi sede vacua sub Eugenio, quippe, quam Hugo, longè ante ipsius Pontificatum possedisset; & Alanus, qui illi suffectus est, longè post eius mortem, continuauerit. Extat, [g] & alia epistola Bernardi ad Abbatem Triumfontium super hoc scripta, quæ facile apud eum videri potest. 4.

f Psal. 105. g Epist. 274.

Antisiodori, pro Hugone defuncto, successit Alanus Monasterij Ripatorij primus Abbas, ante annos X I. à Bernardo missus ex Claraualle, cuius superiùs fecimus mentionem; in quo [h] omnes concordant scriptores. At quæ interuenerint in eius electione, quia à cunctis [i] omissum, nobis ex fide veniet referendum. Duas alias electiones discordes antecessisse, testatur Bernardus, pro vtraque rogatus, vt intercederet. Verùm, cum neutra appa- 5.

h Robert. in append. Vinc. lib. 27. c. 127. i Demochares & Ioann. Chenu.

reret satis firma, indicta tertia, in qua prædictus Alanus electus est concordi omnium suffragantium acclamatione. Et primum illud Sanctus, cùm explorasset, ad Eugenium Pontificem; secundum hoc, cùm præsens adstitisset, ad Ludouicum Galliæ Regem, scripsit: cuius epistolæ rei toti lucem dabunt.

6. *Ad Dominum Papam Eugenium pro Antisiodorensi electione.*

Cùm primùm vobis, pro Altisiodorensi Ecclesia scripsi de prima audieram electione; de secunda nihil. Et ecce me, veluti prophetante, opprobrium, quod suspicatus sum, sequutum est, & timor, quem timebam, euenit. Memento, quomodo actum sit Niuernis, & videte si non simili arte, imò fraude non dissimili, eodemque, se auctore, vt aiunt, & nunc secunda electio præsumpta est, vt scilicet vno nominato duos eiciant, & sic demum tertium, quem volunt, subinducant. Miserunt & isti ad me, vt pro sua parte scriberem, & visum est mihi mittere fratrem à latere meo, qui de vtraque certiùs actione cognosceret, nósque certificaret. Qui intrans Ecclesiam, & de omnibus diligenter explorans, testimonio omnium, qui conuenerant, inuenit nullum Presbyterorum, præter vnum, fratrem scilicet ipsius fratris Gaufridi Hugonem, nullum de Diaconis, præter Stephanum solum, ex parte illa esse: exceptis his, qui auctores extiterant, personis Ecclesiæ, Cantore, Archidiacono, & vt videbatur, Thesaurario, neque enim ipse præsens tunc adfuit. Porrò in parte altera præter alios inferioris Ordinis Diaconos nouem, & Presbyteros vndecim consentire. Duodecimus, qui & Archipresbyter est, pro neutra parte velle se subscribere, pro neutra scripsisse testabatur, quanquam priorem plus vellet. Sigillum Ecclesiæ præfatus Hugo tenebat, homo non pacis, sed partis alienæ; nec considerauit in tradendo, quod debuit, sed quod voluit. Sic se res habet. Et ego solita præsumptione vnum infero: nec malitiam gloriari oportet, nec sapientiam decipi decet, nec Ecclesiam suspendi expedit. Hæc de duabus primis electionibus ad Eugenium Bernardus. At de tertia in Alanum conueniente, cùm eam Ludouicus auersaretur, veluti sine ipsius consensu factam, hæc ad eumdem.

7. *Ad Ludouicum Regem Francorum, pro electo Altisiodorensi.*

Volui ego vnquam in aliquo imminui honorem Regis, dignitatem Regni? Deus scit, nec vestra, vt confido, conscientia in vobis respondet. Videte ne illi magis contra vos faciant, qui electiones disturbant, ne sint in Ecclesiis, qui seruiant Regi; sed ipsis de Ecclesiarum redditibus seruiatur. Ego, ego electioni Altisiodorensi interfui. Concors fuit, quia Clerici, qui ante hac, in partes dissilierant, sine contradictione nunc, tandem Deo miserante, conuenerunt. Electum bene nouimus, testimonium ei perhibemus, quoniam bonus est. Neminem prorsus arbitror affuisse illi celebritati, qui de assensu vestro dubitaret, cum iam idem assensus vestris litteris teneretur. Quis enim, hoc vel cogitare posset, repetendum alterum assensum, nec sufficere vnum; præsertim vbi nulla extunc interuenit altera electio? Numquid quoties dissenserint Clerici, toties erit requirendus fauor Regis? Nec ratio nec consuetudo hoc habet. Denique nuper, si recordamini; in Suessionensi Ecclesia, quoties ad eligendum Clerici conuenerunt, quoties dissenserunt, & infecto negotio discesserunt? nec tamen existimo toties repetisse assensum vestrum, quem semel promeruerant. Ita est Domine mi Rex, non est quod debeatis reprobare factas electiones; quibus, vt fierent, semel vos assensisse constiterit. Sed sunt aliqui, qui vos conturbant, & conturbare nituntur Ecclesias, sua lucra sectantes; quódque grauius est, summi Pontificis, & Serenissimi Regis mutuam gratiam, & amorem diabolico studio dirumpere molientes. Absit hoc iudicium portabunt, quicumque sunt illi; & Rex semper faciet, quod bonus Rex, sicut hactenus fecit. Itaq; cito mandemur iucundiora, ne diutius sedeat in tristitia Ecclesia, tandiu iam vexata, & afflicta. De persona, nulla subeat suspicio, aut ego nimium fallor, aut fidelis erit Regi, & beneplacitum super ea. Confido in Domino, quia non contristabitis multitudinem Sanctorum, qui sunt in illo Episcopatu, nec me seruum vestrum, qui, vt verum fatear, nihil æquè vnquam à vobis molestum pertuli, quàm si in hoc consilio (quod non eueniat) persliteritis. Hic promotionis Alani processus fuit, cedente statim Rege, ac deferente, vt par erat, Bernardi monitis.

Extat, & alia epistola Bernardi ad Eugenium, de hac ipsa electione gratulatoria, quod fuerit exauditus, Alanum laudans, & Pontificem confirmans. 8

[l] *Benè facitis frequenter, & benigno exauditu, tempus breue, quod hic sum, solando sedentem, pusillanimem erigendo. Facitis, etsi non quod mereor ipse, certè quod vos decet.* Et infrà. *Voluistis hominem promoueri, dignè sanè (ni fallor) in quem nimirum quod dicant, non inueniunt, ne hi quidem, qui contra volunt.* Et tandem in fine, quod summè facit ad Alani commendationem. *Multa bona opera ostendistis sæculo nostro ex gratia, quæ data est vobis. At nullum (vt arbitror) quod magis pro gloria vestra faciat, quam si sic feceritis. Testimonium perhibeo eis, quod multos de religione nominauerint, non religione delectati, sed impotentia, qui non possint malignitatem eorum coercere, qui vi vim repellere non sufficiant, vt quorum sanctitatem non amant, non sit quod timeant potestatem.* Ergo talis Alanus, quem mali omnes timerent, boni diligerent, & quem Bernardus de vtroque commendaret.

l Epist. 280.

Cæterùm, priusquam ad alia transeamus, id vnum animaduersione dignum censeo, hoc anno M.C.LI. quem nunc describimus, assequutum Bernardum ex propriis filiis, atque ex vnica Domo Claræuallis, summum Ecclesiæ Pontificem Eugenium, Cardinales tres, Hugonem, Henricum, Bernardum; & fortè quatuor, si Stephanus superstes, quod nódum constat; Archiepiscopum vnum, Henricum Eboracensem, de quo superius; Episcopos duodecim. Quorum decem Bonæuallis Abbas [m] recensuit (alij aut obierant, aut nondum assumpti erant) Hobertum, Amœdum, Christianum, Garinum, Bernardum, Godefridum, Henricum, Giraldum, Alanum, & Algotum. Nepis, Lansanæ, Duni, Seduni, Nannetis, Lingonij, Beluaci, Tornaci, Antisiodori, ac demum Curiæ in Germania præsidentes. Duos reliquos aliunde mutuandos, nempe Ioannem Placentinum, ex litteris Eugenij supra adductis, & ex aliis inferius adducendis: & alterum Gerardum in Palestina, de quo Bernardus ad Andream auunculum suum hæc habet scripta. *Gerardum* [n] *nostrum, qui in domo nostra aliquando conuersatus est, & nunc, vt audiuimus, Episcopus factus est, & ipsum affectu magno deuotissimè salutamus.* Mirum tot alios aliquando ex quocumque Ordine, ex vno Monasterio, vix crediderim simul hactenus visos post Christum natum. 9.

m In vit. S. Bernard. lib. 1. c. 8.

n Epist. 288.

Hoc ipso anno, Placentinis in iudicio victis à Rauennatibus; ac pro his contra illos per Eugenium sententia lata; Ioannes Placentiæ Episcopus, quem 10.

quem ex Abbate Columbæ assumptum superiùs tradidi, tandem à Moyse Rauennate Archipræsule sacratus, fidelitatis eidem omagium fecit, multis aliis præsentibus Episcopis, quod Hieronymus Rubeus in sua historia Rauennæ memoriæ prodidit. [o] *Biennio post, qui fuit annus ab ortu Christi M.C.L I. quinto Nonas Iuly, Ranenna. Moses Archiepiscopus, Ioannem Cœnobij Claraualis Monachum, & Abbatem Columba, Episcopum Placentinum designatum, consecranit. Is autem Episcopum fidelem se fore, & obsequentem Ecclesia Rauennati, eiúsque Archiepiscopis, sacris contactis Euangeliis ad altare reliquiarum in Vrsiano templo, iurauit. Adfuere Henricus Cymacliensium, Petrus Cerniensium, Gregorius Hadrianorum, Robertus Bobiensium, Drudus Forliuiensium, Odo Cesenatium Episcopi.* Hactenus ille de Ioanne prænominato.

o Lib.5.in fine.

II. Cæterùm, quæ statim pericula subierit, Placentinis furentibus, quod Eugenij mandato obtemperasset; ex Bulla quadam eiusdemmet Eugenij ad Moysem Rauennatem, quam idem auctor subiungit, licet colligere. Hanc, quia Eugenij, & in causa Episcopi, ex Cistercio assumpti, operepretium duxi hic transcribendam.

Eugenius Episcopus seruus seruorum Dei, Venerabili fratri Moysi Rauennati Archiepiscopo salutem, & Apostolicam benedictionem.

Quod Venerabilis frater noster L. Placentinus Episcopus, pro sedis Apostolica obedientia, & restitutione Rauennatis Ecclesia, immensis periculis sit expositus, fraternitas tua indubitanter agnoscit. Dignum est igitur, vt in angustiis, & vexationibus suis, quas pro Ecclesia tua sustinere dignoscitur, fraternum ei solatium debeas exhibere: ideóque per præsentium tibi scripta mandamus, monemus, & exhortamur in Domino, vt eidem fratri nostro, in suis necessitatibus debita benignitate, prouideas, & charitatis viscera, sibi fraterna, aperias, ne tu de nimia duritia reprehendi rationabiliter debeas, & eum ad tuam obedientiam se humiliasse pœniteat. Datum Signia, V. Kalend. Augusti. Hactenus Eugenius. In quibus litteris, si hoc anno datę sunt, vt affirmat Rubeus, facilè videas mendum irrepsisse: & pro I. L. scriptum, facili transitu. Neque enim credibile est, intra mensem subrogatum, pro Ioanne, alium: sed neque populus in successorem fureret; sed in eum potius, qui sententiæ consensisset. Imò id expresè tradunt litteræ ipsæ. Reliqua nobis hactenus ignota, nec satis constat, quo anno Ioannes obierit.

---

1. Petrus Mauricius Claramuallem adit: 2. Deinde ad Eugenium in Italiam proficiscitur, 3. prospero itinere, 4. sed apud Pontificem longè prosperiori, 5. ad Consilia secreta etiam admissus. 6. A Cardinalibus Cistercij officiosissimè susceptus. 7. Quanto in honore habitus. 8. Baronij sententia de occasione itineris, 9. impugnata ex epistola ipsius Petri. 10. Efficacia anathematis Eugeniani, 11. & dedicata Ecclesia Casemarij. 12. Radulphi Valcellensis Abbatis mors. 13. Atque Ricardi successoris subrogatio.

Capvt VIII.

I. Hoc ipso anno (neque enim antea potuit, vt Hugo, qui sub finem præcedentis promorus fuerat, Petri Mauritij causam promoueret) idem Venerabilis Abbas, Petrus, inquam, vrgentibus negotiis sui cœnobij ad Eugenium iturus, Bernardum prius, & dilectam sibi Claramuallem visitauit, orationibus sanctorum apud Deum, & litteris iuuandus apud Pontificem. Ea, eius viri, in nostros, charitas fuit, vt quæ pro se facilius longè posset, per eos vellet, & qui ab Eugenio inter primos habebatur, Bernardum semper ad eum interpellaret; quasi quo indigeret commendatore: quàm libens solueret accepta beneficia, quàm largus præueniret, qui vel non necessaria sollicitabat; illic verò amantissimè susceptus, ac dulcissimis cũ Bernardo Patre colloquiis fruitus, Claramuallem, deinde Galliam deserens, atque Alpes vltrà factus, adiuit Pontificem, sua cum eo negotia tractaturus. Cæterum quam fœlix, & faustum totum iter, quam gratus Eugenius, quàm liberalis, demum quàm sibi cunctos Claræuallenses (Henricum ego, Bernardumque intelligo) sed præcipuè Hugonem, proficuos expertus fuerit, verbis ipsius, quæ ad Bernardum Patrem scripsit, quia nulla alia grauiora, describamus.

2. [a] *Quoniam Sanctitati vestræ, mihi tam dulciter, tam benignè scribenti, tot diebus rescribere distuli, nolite mirari. Irruerat fortè tunc tantus negotiorum turbo, tantaque causarum congeries me vndique suffocabat; vt non dicam scribere, sed vix mihi viuere tunc, liceret. Exundabat, disrupto obice, immensa vis aquarum: quas, Romanum iter, me absente, paulatim congregans, stagni mare aliquandiu continuerat, in præsentem largissimè profundebat. Exclamare tunc meritò poteram:* [b] *Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam. Hæc fuit causa, qua illi, cui me totum debeo, debitum respondendi, paucis licet diebus, subtraxi. Nunc tandem respirans, occurro, vt possum, verbis, tanto tanti amici affectui, post verba, in proximo, per Dei gratiam occursurus & ipse.*

a Lib.6.ep. 96.

b Psalm. 68.

3. [c] *Magnificauit verè Dominus facere nobiscum, & vt verba illa vestra, humanum penè os excedentia sonant, prosperum fecit iter nostrum: & gratia sua, studio vestro, precibus vestrorum, duxit, & reduxit incolumes: tribuit nobis secundum cor nostrum, & impleuit petitiones nostras.* [d] *Facta sunt nobis etiam ad litteram praua in directa, & aspera in vias planas. Alpes ipsa gelida, & perpetuis niuibus condemnati scopuli, illius sui antiqui horroris penè obliti sunt. Aër ipse, qui, vt post reditum nostrum accepi, nostra se Gallia, hybernis mensibus importuniorem solito nimiis imbribus prabuit: quinque solis diebus exceptis, toto, quo in Italia demoratus sum, tempore, tam terreno itinere, quam fluuiali (nam aliquantis diebus, ac noctibus, Padus nos nauigantes detinuit) iucundum se semper, ac serenum exhibuit. Lutosas vias, quibus maximè angi, immo cunctis id minantibus infigi verebamur, ferè lapideas siccitate inuenimus. Fratres quosdam itineris socios, pura, ac simplicis vita viros, fluctibus mersos, & iamiámque extinguendos, ab ipsis (vt sic loquar) mortis faucibus, viuos recepimus. Ipse plus solito audax, dum pontem quemdam, quia peditem ire pigebat, conscendere equo conarer:*

c Psal. 125.

d Isai. 40.

tonatret: vltimos multa mea pedes tenacissime retrahente luto, in subiacentem eidem ponti quamdam abyssum penè prolapsus sum. Sed Dei virtute multa vires addente, subito me cum eadem super pontem inueni: sicque præter timorem, nihil triste passus, euasi. Quid multa? Talis nos in eundo, talis in redeundo, non fortuna, sed gratia assiduè comitata est: vt nihil mihi, nihil nostris præter votum contigerit: excepto defectu, vel morte bestiarum, de quibus Deo cura non est.

4. *Læta planè in viâ cuncta reperi, sed lætiora apud Patrem inueni. Bonum illum habui in principio, meliorem in processu, optimum in fine: imò vt quod verius ex corde haurio, fatear, optimum semper. Cúmque vultus ille, illius, in quo verè Apostolicus vigor, & forma relucet, pro varietate causarum, personarum, & euentuum mutaretur, & aliis, atque aliis nunc iucundum, nunc nubilum discretissimè sese præbet: mihi tamen numquam in diuersa mutatus est. Qualem veniens reperi, talem recedens reliqui. Notabam sæpè austeriorem, vel mæstiorem, quam frequenter induere, aliis de causis, cogebatur speciem: ipsum aut priuatim, aut publicè me alloquente, de iudicis forma, in Patris gratiam commutare. Præferebar omnibus etiam maioribus gradu, nec Patriarchalis dignitas, cum etiam Rauennas adesset, præire meipsum plerumque impellente sinebatur. Senatus Romanorum, Episcoporum, vel Cardinalium, non tantùm adiungebar, sed & quandoque adiungi cogebar. Excludebantur vniuersi non Romani, à Romanis consiliis: solus, aut penè solus ad mysteria iurata vocabar. Ista in publico.*

5. *Iam secretiora, & remota ab aliis colloquia, quis explicet? Dico, dico, quod verum est. Nemo me putet aliter loqui, quam sentio. Vt aliquid arrogantius dicam, hoc apud me fas non est. Numquam amicum fideliorem, numquam fratrem synceriorem, numquam Patrem puriorem in huiusmodi colloquiis expertus sum. Auris patiens ad audiendum, lingua prompta, & efficax ad respondendum; non vt maior minori, sed vt aut par pari, aut quandoque vt inferior superiori. Nihil fastus, nihil Dominium, nihil maiestas: sed totum sibi hominem æquitas, totum humilitas, totum ratio vendicabant. Si quid ibi, vel alibi petij, aut indultum est, aut rationabiliter, ita vt queri non possem, negatum. Hæc dicens non glorior, sed vestra vota in me per ipsum impleta declaro. Et nouum quidem non est, Cluniacense Monasterium, in qualicumque Pastore suo, à summo Pontifice honorari: sed nouum est nihil sinistri in eius actu, nihil in verbis, nihil ipso gestu, erga ipsum, potuisse notari.*

6. *Videram eum primo anno Apostolatus ipsius, Romæ, post videram Cluniaci, videram Antisiodori, videram Cathalauni, videram Rhemis, videram alibi: sed talis nunc apparuit, quasi numquam vidissem. Qualem deinde totius Romanæ Curiæ erga me, ac nostra, statum inuenerim, succinctè refero, aut amicorum fidelium, vt dulcissimorum fratrum, vt ex mero, & syncero corde, quantum agnosci potuit, familiarium. Vestri omnes, maximè singularis ille vir Dominus Hostiensis, non minus, non inferius mihi astitit, quam vobis si præsens essetis, adstaret. Ad illum explicandum, quia breuis sermo non sufficit, parco litteris, sed per Dei gratiam cum præsens fuero, non parcam verbis.* Sic Petrus Abbas gratiam rependebat, quam non quia eguerit; sed magis vt rependeret animo præueniente gratitudinem, adeóque verè amanti solicitasset.

7. Verùm quod ait prælatum se Cardinalibus, satis ostendit eorumdem dignationem, ac reuerentiam in virum verè sanctum; & quem, vt Patrem, ferè omnes venerarentur. Certe Eugenius, quo solos honore Episcopos consueuerit, Venerabilem Petrum Mauritium prosequutus est, fratrem ipsum appellans in suis litteris. Vnde in bulla ante quadriennium concessa, Monasterio S. Martini, hæc inter alia. *Eapropter dilecte in Domino fili Odo Prior, tuis iustis petitionibus annuentes, beati Martini Monasterium, cui auctore Domino, ex Venerabilis fratris nostri Petri Cluniacensis Abbatis institutione præsides.* Is illa ætate honor religiosis, hæc viris sanctis reuerentia exhibebatur.

Quæ negotia Venerabilem virum è Gallia traxerint, in dubio est; Baronius[e] putat, colligenda ex alia epistola eiusdem ad Eugenium, in qua conqueritur de Hugone discalceato (id viro nomen) ob arcem contra Cluniacense Cœnobium ædificatam, néc cessante ab opere, etiam ab eodem Eugenio Papa iussum, atque diro anathemati subiectum, nisi cessaret. Cæterum ea, quam ad Bernardum scribit, domestica negotia magis innuit, atque aliquorum fratrum rebellionem, in quos sanctus agendum mitius, scripserat. Sic enim ait. *Hortatur dehinc textus epistolæ dulcis, & sanctæ, tempus, & opus esse, ne reddam retribuentibus mihi mala: mones, vt nunc illi, qui voluerunt, sed non potuerunt aliud agere, experiantur clementiam nostram, & affectus Patris filios recedentes resignet visceribus suis. Instat, vt sentiant nos in gremio sedis Apostolicæ plus Patris, quam iudicis inuenisse: & gladium iam ad percutiendum exertum, in vaginam pietatis esse repositum.* Et infrà. 8.

e Albus ann.

Non fui, non sum, nec esse possum tortor eorum, qui licèt fratribus suis malignè detrahendo, susurrando, obloquendo, multùm deliquerint, licèt carnes eorum dente canino lanianerint, ipsa sua viscera vnguibus propriis discerpserint; corpus Ecclesiæ in quibusdam eius membris, nequiter, vt ego noui, lacerauerint: habeant, si sic vobis vtile videtur, veniam; nec mereantur præmium. Horum vno, si beneficio abuti noluerint, prouocari poterunt ad melius; altero deterreri, ne cadant in deterius. Sed dicetur: Non erit plena charitas, si non nocueris, sed ea erit integra, si profueris. Eia. Velim, nolim, perfectus esse compellar. Ero, quod non putaueram, perfectus;[f] *sicut Pater meus cœlestis perfectus est. Non vlciscar in hostes, imò benefaciam hostibus. Proferantur, principentur, regnent: sed sine me. Sine me, quomodo? Habeant dignitates. Habeant honores, si dici debet, Monasticos à me, sed non circa me. Habeant extrapositi, & res meas, & etiam si merentur, cor meum: non ambiant latus meum.* Hæc vir beatus. Quibus planè constat, in suos magis Monachos permotum, quos in exilium actos, ob sua crimina, reducere omnino recusaret. 9.

f Matth. 5.

Cæterum quidquid sit de causa itineris; de arce contra imperium Eugenij constructa, atque anathemati subiecta, id certum est, quod non credo silentio prætereundum; intra quinquennium terræmotu absorptam, & loco illius lacũ profundissimum in exemplum diuinæ iustitiæ successisse, non sine ingenti totius Italiæ, imo & totius orbis stupore. Quod Robertus Montensis[g] his paucis narrat. *Anno Domini M.C.LVI. factus est terræmotus XV. Kalendas Martij maximè in Burgundia, adeò vt ter in nocte festiuitatis Sanctæ Priscæ Virginis sentiretur apud Cluniacum, & quoddam Castellum, quod erat desertum, haud procul à Cluniaco situm, absorptum, iret in abyssum; & spatiũ in quo Castellum fuerat, impleretur aquis inæstimabilis* 10.

g In Apendic. ad Sigibert., hoc ann.

bilis profunditatis. Ita Robertus. Vt paueant homines terribilia iudicia Dei, & sanctitas Eugenij palam fiat, cuius diras talis effectus sit sequutus.

11. Cæterum quod ad huius anni acta spectat, mense Nouembri dedicatam ab eodem Eugenio Papa Ecclesiam Monasterij Casæmarij, cuius suprà meminimus, ex Chronico Fossæ-nouæ Baronius notat, ipsa verba producens, quæ sunt huiusmodi. [h] *Hoc anno M. C. L I. iuit Castrum, & dedicauit Ecclesiam Monasterij Casamarij Ordinis Cisterciensis, in agro Verulano, & reuersus est Signiam.* At qualiter idem Monasterium post sex, & sexaginta annos, plus minusue iterum, dedicatum ritu solemni, & multis aliis, tum donis, tum priuilegiis ab eo illustratum sit, suis, & loco, & tempore dicemus.

h *Ad hunc ann.*

12. Hoc ipso anno Valcellensis Ecclesiæ primus Abbas B. Radulphus, multis, tum meritis clarus, tum miraculis, sanctè obdormit: orphanos filios, non tamen ideo tristes derelinquens: quippe congratulantes paternæ gloriæ, neque minus patrocinio eius fidentes, quàm fidissent imperio; vt hactenus præceptis, sic deinceps exemplis adhæsuros. Multa de viro, illustriáque narrantur, quæ in præsenti non vacat recensere. Ferunt, cum, fame terram opprimente, larga pauperibus, hospitibúsque, alimenta præberet, adeo, vt quotidie plusquam quinque millia præter prægnantes, nutrientes, & infirmos, pane, & pulmento ad ostium Monasterij sustentarentur: Nicolaum Episcopum, & Simonem Castellanum Cameracenses, prodigentiam damnasse, timuisséque; ne, dum exteris dantur, breui domesticis necessaria omnia deficerent; ideóque parciùs largiendum persuasisse. Tunc Radulphus ad eos hilari vultu: si fruges defecerint, conuertemur ad animalia, atque oues, boues, & quæcumque habuerimus, cum pauperibus in communi manducabimus. *Quæ sanè* (ait Valcellense Chronicon, ex quo Arnaldus de Raise) *non protulit, quasi volens dare fratribus carnes ad vescendum, sed piè, & cautè occultans admirandam in Deo confidentiam, sciens, eum non derelinquere sperantes in se: atque de eodem frumento omnes, tam Monachos, quàm pauperes indeficienter fore sustentandos. Nam Deo largiente, & Radulpho suis precibus impetrante Monachi omnes, hospites, & pauperes, intactis animalibus, necessaria habuerunt, quousque noua fruges superuenirent.* Hactenus ibi. Plura alia omitto satis illustria. Hinc diligebant, & venerabantur virum Sanctum Principes sæculares, Ecclesiasticique, vt Nicolaus, Cameracensis Præsul, videns aliquando eius vultum in se commotum, tanquam commoti Angeli, de cœlo missi, multum pauesceret, exclamarétque: Misericordiam. Misericordiam. Plus enim vos æstimo, quam Dominum Imperatorem.

Fuit Radulphus vir, non solum Sanctus, sed etiam doctus; & quem multa scripsisse Auctores memorant, [i] quæ tamen heu! per incuriam perierunt, præter expositionem in regulam S. Patris Benedicti, cuius Demsterus, & alij meminere. Quod autem idem auctor virum statuit renunciatum Abbatem Sancti Ebrulfi ad annum M.C.LXXVII. stare non potest, cum constet eum obiisse hoc ipso anno. Vnde aut alius est Abbas Sancti Ebrulfi, aut eam dignitatem ante obtinuit, quam à Bernardo in Monachum Claræuallis susciperetur. Reliquit Radulfus in Valcellensi Ecclesia, cum decessit, professos Monachos centum, & septem, præter eos, qui erant in probatione; Conuersos verò, centum, & triginta: adeo ibidem Oliuæ possessiones ab oleo eleemosynarum eius excreuerant, vt tot fratribus affatim suppeterent, neque vltra defectturæ timeri possent. Corpus sepulturæ traditum est, humili primum loco, quæ erat humilitas, & modestia illius æui: sed eleuandum ante triginta annos cum corporibus duorum successorum, vt suo loco latius ostendemus. Successorem habuit B. Richoardum, siue Richardum, *natione Anglum, moribus maturum, discretione præcipuum, hilarem vultu, affabilem alloquio, statura decorum* (sic eum describit Chronicon Valcellense) *& quem, propter eximias virtutes, & singularem pietatem, ac raram sanctitatis opinionem, non solum congregationis suæ fratres, sed sæculares etiam per circumiacentes regiones venerarentur.* Hæc satis, nunc de eius successore. Acta, & obitum, & post obitum eleuationem corporis cum corpore Radulphi; & si quæ alia occurrent, dabo in tempore. Radulphum inter Sanctos Belgij numerant Arnaldus de Raise, [l] Hugo Menardus, Menologium Cisterciense, aliique, qui facile apud ipsos videri possunt. 13.

i *Tho. Demster in histor. Eccles. de gente Scotor.*

l *Decemb. 30. & 31.*

---

1. *Nicolaus præstolatur aduentum Petri Mauritij.* 2. *Ad ipsum scribit:* 3. *colloquio eiusdem cum Bernardo Patre cupit assistere.* 4. *Comprehensum se in multis flagitiis noscit, & fugit.* 5. *Bernardi de eo epistola ad Eugenium.* 6. *Exemplum Sancti Prælatis imitandum.* 7. *Quid de Nicolao.* 8. *Petri Superadensis Abbatis gesta.* 9. *Bernardi miraculum in conuerso Superaddi* 10. *Obitus Petri,* 11. *& successio Ægidij, gestáque* 12. *Miraculum in Petro Asturicensi.* 13. *& quis ille fuerit.*

CAPVT IX.

REDEVNTEM à Romana Curia Petrum Mauritium, ingenti Nicolaus affectu præstolabatur; conscientia conteste, Bernardo Patri infensus, nec per quem alium, aut gratiæ restituendus; aut si non posset, offensionem euasurus. Quippe Mauritius Sancto viro charus aperiret arcana; & vel comprehensum de Claraualle educeret, Cluniaci recipiendum; vel indemnem à suspicione vendicaret. Posse adhuc ignorari sua delicta, posse, & patere: si ignorarentur, cur vacet à negotiis, non sine nota, ad quæ semel admissus; & quibus gerendis præ aliis aptior esset: si pateant, quid vlterius illic agat, inter conscios infamiæ, cunctis inuisus, cunctis contemnendus? Inglorium viuere se facile posse, infamem nolle: quippe illud ad humilitatem fortè faciet; hoc ad effrænem peccandi licentiam, tantum conducat. Mutandum sibi cœlum, terrámque, mutandos vitæ, & socios, & rectores, fœlici prorsus, si mores simul mutet; sin minus, cohibendo fræno honoris, quo iam illic non possit cohiberi.

Ergo, cùm primùm Cluniacum aduenisse Venerabilem 2.

nerabilem virum compertum habuit, præmaturas ad eum litteras dedit, charitatem captantes ex querelis, quod nihil sibi à discessu rescripsisset; quod obliuioni traderet, quem vt alterum se semper habuerit; quod contempsisset filium dilectum olim, & nihil tale merentem, atque affectus humanos exuisset in curia, pro more vulgi, aut potentum in aulis Principum. Sic inter has, & similes querelas teneras satis, delicias extorquere parabat, dum præferebat. Is porrò scopus totius scripturæ, vt vtrique Abbati conuenturo (namque id destinatum) ipse assisteret, rimaturus secreta, atque alterutrum ex notitia prosequuturus. Extat rescriptum Petri Venerabilis ad eumdem Nicolaum, vltimum inter omnes eius epistolas, in quo hæc
a Lib. 6. ep. 47. inter alia. [a] *Et tu ille es, cui dicatur,* [b] *modica fidei*
b Matth. 14 *quare dubitasti? sed neque ego Christus sum, nec tu Petrus. An bone vir, vt cum stomacho loquar, me putasti alium esse factum? Ergo tam firmas radices fixerat opinio mei amoris erga te, vt quem in fortissimam quercum euasisse credideram, vix in vimem tenerrimum coaluisse agnoscam? An fortè putasti cum mutatis regionibus, mutasse & me animum?* Et paulo inferius. *Non adeo, non adeo in me præualuit, Romanum, vel Campanum littus; vt quod eram, me obliuisci cogeret, & non in melius, sed in deterius commutaret, &c.* Hæc, & alia ad Nicolai querelas Petrus Mauricius.

3. Verum ad id, quò querelæ dirigebantur, hæc pauca sub epistolæ finem addenda censuit. *Da operam, quæso, vt dies colloquij inter me, & Dominum Claræuallensem, tertia post Pentecosten Dominica, apud Diuionem, si fieri possit, habeatur. Dominum Abbatem, vt te nobis citissimè mittat, rogaui: tu verò nullo modo citiùs venire graueris; es enim mihi & propter ista, & propter quædam alia multum necessarius.* Sic Venerabilis Petrus, dum ignorabat hominem, eius delicias non solum acceptabat, sed
c Ad Rom. 11. præueniebat. [c] Sed ô Altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius! quod Nicolaus pro se solicitauit, contra ipsum conuersum, vltima perditionis illius occasio fuit. Nam audi, quod sequitur.

4. Ante se missum, an secum à Bernardo parente ductum, in dubio est: certum interfuisse colloquio vtriusque Sancti, quod exoptauerat. Cæterum dum curiosus scrutatur, non tam suam, quod salubrius forsan foret, quàm Bernardi conscientiam; & quid de eo sentiret per Venerabilem Petrum rimari satagit; tot se flagitiis deprehensum nouit, quot irretitum nouerat: nempe super falsitatis reatum in duobus sigillis Abbatis Sancti, & in altero Prioris, præter plures epistolas scriptas ad diuersos vtriusque nomine; violatorum votorum castitatis, paupertatisque, atque aliorum non inferioris notæ criminum, incurrisse se notam tam certò nouit, vt inde iam, nec redire ad Claramuallem, nec transire ad Cluniacum, iudicaret expediens; de quo talia constarent vtrique Sancto. Itaque fuga consulendum sibi censuit, quam hactenus nequaquam præconcepisset. Hinc factum fuit, vt qui sic è Claraualle discessisset non rediturus; sigilla, & nummos secum asportasset; siue quia vtilia, seu ne ipsum proderent; in ea nihilominus reliquerit criminum testes omnino insuperabiles; per quos, veluti ipsa comprehensione facti, sine tergiuersatione, condemnaretur. Tum S. Pater medius inter gratantem, dolentémque; gratantem, inquam, de abscisso membro inutili, & à quo tabes in alia posset serpere; dolentem verò de hominis interitu, quem aliàs multis dotibus ornatum, & sibi olim percarum non dubitabat; hanc ad Eugenium Epistolam scripsit, dignam, quæ ante prælatorum omnium oculos, & præ manibus semper circumferatur.

Nicolaus ille exiit à nobis, quia non erat ex nobis. Exiit autem fœda post se relinquens vestigia. 5.
Et ego longè ante hominem noueram, sed expectabam, vt aut Deus eum conuerteret, aut instar Iudæ ipse se proderet. Quod & factum est. Præter libros, denarios, & aureos multos, in ipso exitu eius inuenta sunt super eum sigilla tria: vnum eius proprium, alterum Prioris, tertium nostrum: ipsumque non antiquum, sed nouellum: quod & ob ipsius dolos, & furtiuas subreptiones mutare nuper coactus fueram. Hoc enim est, quod vobis tacito nomine scripsisse me memini, quia videlicet periclitati sumus in falsis fratribus. Quis possit dicere, ad quam multas personas sub nomine meo, me ignorante, quæ voluit, scripsit? Quis mihi det, vt ipsa curia vestra ad purum purgetur fæce mendaciorum eius? Quis mihi det, vt vel eorum innocentia, qui mecum sunt, satis valeat excusari, apud circumuentos, & præuentos impudentissimis eius mendaciis? Vobis quoque aliquoties in eadem falsitate scripsisse, & non semel, partim conuictus, partim & confessus est. De turpitudinibus eius, quibus terra sordet, & facta sunt omnibus in parabolam superſedeo polluere labia mea, & vestras aures. Si ad vos venerit (nam hoc gloriatur, & amicos se habere confidit in curia) mementote Arnaldi de Brixia; quia ecce plusquam Arnaldus hic: nullus perpetua dignior inclusione, nihil ei perpetuo silentio iustius.

Hactenus Sanctus Pater ad Eugenium, suspiciendum, imitandumque exemplum cunctis relinquens, præcipuè Religiosis, quibus paternam suarum ouium curam Christus crediderit, non solum tolerantiæ supra consuetum, sed conseruandi honoris subditorum, sine quo vix in officio contineantur. *Et ego* (inquit) *longè ante hominem noueram, sed expectabam, vt aut Deus eum conuerteret, aut instar Iudæ ipse se proderet.* Expectabam, inquam, occasiones peccandi subtrahens, sed peccata non detegens; quoad vsque ipse, qui peccat, seipsum prodat. Sic Prælatus bonitatis diuinæ æmulus; quos genuit filios, semper valeat alloqui. [e] e Oseas 13. 6.
Perditio tua ex te; Israel: tantummodo ex me auxilium tuum. Sic etiam Deo cum Christo valeat dicere. [f] *Quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis* f Ioann. 13.
quemquam. Non quasi nullus perierit omnino, sed à seipso: imitatoribus veris Christi Domini, non solum animas, quoad potuerint conseruantibus, verùm honorem. Sed de his satis.

Quid vlteriùs de Nicolao factum, non inuenio 7.
notatum apud auctores; nisi quod tamen in Angliam transfretasse, quasi non Gallia, non vicina Italia, Germaniave hominem caperet, atque vltra mare iactatum velut euomeret; ibidémque in Monasterio S. Albani vitam finiisse, argumento sunt plures epistolæ cuiusdam Nicolai ab eodem Monasterio in Galliam missæ detrahentes Bernardo, & quod mireris, non mortali adhuc, sed iam glorioso, quibus Petrus Cellensis latè respondit, quod suis locis inferiùs referemus. Ne quemquam alium inueniri potuisse, credendum est, qui in Bernardum scripserit, præcipuè ex sancta familia Benedictina, præter hunc vnicum, qui ab eo desciuerit: neque aliter, vt sibi videbatur, bonus haberi posset, quàm si Bernardum malum persuaderet. Hic igitur Nicolai exitus fuit, post sexennium in Ordine peractum, post Principum, populorúq; notitiam, post fauores

fauores Bernardi, Petrique, & propter ipsos acclamationem continuam totius orbis. Verùm diuina prouidentia factum est, vt qui innotescere tam inordinatè concupierit, vir aliàs magnus, atque ingenio inter primos illius æui, ex quo virtuti vel fictæ se subripuit, tam obscurus latuerit, vt nisi epistolæ illæ, incerto casu, inter alias Petri Cellensis inuentæ fuissent, nulla prorsus illius notitia esset: sed neque hæc, nisi dubia adhuc habeatur.

8. Hoc ipso anno, Venerabilis Petrus Abbas Superadi piè obdormit; cuius res gestas breuiter perstringo. E Claraualle missus in Hispaniam Superadi Cœnobium, à centum ferè annis sub sæculari potestate positum, & ab eisdem recepit; & sancto Patri Benedicto restitutum, Cisterciensibus imbuit disciplinis. Possessiones illius recuperauit; aut sponte oblatas; aut per censuras extortas à detentoribus: nam & eas ab Eugenio tunc Pontifice summo, olim ipsius confratre in Claraualle, statim ac præfecturam iniit, obtinuisse, habemus ex quodam scripto pe rantiquo, in quo qui hæreditatem quandam restituit, vt firma maneat, subdit in hæc verba. [g] *Qui contrarium fecerit, ex me sit maledictus: & ex vestro Romano priuilegio sit excommunicatus, nisi satisfecerit.* Cœnobium item cum omnibus suis bonis sub Pontificia, & Imperiali protectione imperrauit admitti, charus ipse Imperatori, atque Pontifici; alterum anno Christi. M. C. X L V I I I. alterum hoc M. C. L I. quo ipse obiit. Auxit præterea non paucis possessionibus; inter quas non inferiorem locum obtinet S. Pelagij Benedictinarum Virginum conuentus (Cascas nunc vocant) tunc recens erectus; & anno M. C. X L V. Petri interuentu, vnitus Superado; Monialibus, seu alio translatis, seu dispersis, non tamen vltra in loco permansuris; Bernardum Patrem visitauit in Claraualle, atque ab ipso impetrauit salutem Alberto Fabro, quem ab eodem S. Patre suæ peregrinationis socium accepisse, dum ad Hispaniam venit, supra diximus. Sed præstat miraculum, qualiter acciderit, verbis Godefridi, scriptoris illius temporis, ex vita S. Bernardi, [h] hîc transcripsisse.

g Lib. 1. fol. 71.

h Lib. 4. c. 4.

9. *Albertus quidam Faber, in loco, cui nomen est* Superado, *grauissima valetudine occupatus, per multum tempus iacebat paralyticus in grabato. Interim per Abbatem suum (is fuit Petrus) incommodum suum nunciauit Patri sancto; & vt sui misereatur, exorat. Eadem autem die, qua vir beatus in Claraualle pro eodem paralytico, ad petitionem sui illius Abbatis orauit, currente velociter verbo virtutis, & virtute orationis, ille in Hispaniis repentè conualuit, tamquam vas plenum aqua suo sentiens capiti superfundi. Regressus siquidem Abbas, cum prædictum fratrem incolumem reperisset, diligenter sciscitatus ab eodem modum, & tempus suæ liberationis, certissimè comperit aliter extante, orante in Galliis viro Dei, Albertum in Hispania esse curatum.* Hæc Godefridus. Quibus verbis, etsi miraculum, vt par est, soli Bernardo tribuere videatur, haud tamen dubitem, ipsum S. Patrem fidem filiorum admissurum coadiutricem. Certè Petrus interuentor ad Bernardum fuit, Bernardus ad Deum.

10. His ergo, & similibus operibus intentus, tandem post decennium fere expletum in regimine, quo tempore radicata iam noua plantatio, & longè, & latè fructus germinauerat, adeo vt de ipsa scriptum reperiamus per ea tempora, quod [i] *mutatione dextera Excelsi, qui fecit eam crescere, & sublimari in altum, in omnem terram exiuit sonus eius, & in fines orbis terræ religio illius.* Sator emeritus à Deo vocatus est, suorum operum mercedem recepturus. Luxere pij filij mortem patris, cui tamen veriùs viuenti congaudebant. Res ad Bernardum Patrem delata est, qui statim Ægidium substituit loco Petri: & hic è Claraualle olim transmissus, Prioris, vt ferunt, officium exercebat. Hæc de Petro.

i Lib. 1. fol. 10.

Ægidij præfecturam, vltra electionem Bernardi, tria commendant quæ vel singula eam possent illustrare. Conuersio Magni Comitis Beremundi, qui relicto sæculo, Monasticen professus in Superado, sanctam vitam, sanctiori morte consummauit illius tempore. [l] Extat charta testamenti Beremundi, facta anno M. C. L I I I. quo fortè ad professionem est admissus. Ingentes piorum fidelium donationes, quibus ab anno M. C. L I. quo electus est, vsque ad annum M. C. L X X X. quo decessit, vix reperitur vacuus vnus, aut alter. [m] Et tandem duorum Regum priuilegia, Alfonsi Imperatoris, & Ferdinandi Secundi ipsius filij, quorum primus [n] vectigalia, & prouentus Burgi de Faro, hodie de la Coruña, anno M. C. LIII. secundus verò tertiam partem medietatis monetæ, quæ in Compostella pertinebat ad ius Regium, anno M. C. L X V I. sed & decem marchas argenti annuatim persoluendas, in templi fabricam Regia munificentia contulêre. Æquaret Superadi Potentia magnos Principes, si quæ acquisiuit solius Ægidij tempore, illibata, & intacta retinuisset. Qualiter autem idem prudens Abbas anno. M. C. LXXXIX. plenus dierum, & virtutum ad Dominum migrauerit, & qualiter Humbertus ei successerit, eodem anno commodius referemus. 11.

l Lib. 1. fol. 10.

m Lib. 1. fol. 11.

n Lib. 1. fol. 19.

Cæterum quoniam miraculum à Bernardo patratum in Hispania semel tradidimus, libet etiam ad calcem præsentis capitis aliud subiungere, incerti quidem anni, sed certæ fidei, quod idem Godefridus memoriæ prodidit. [o] *Illud quoque, quod contigit de viro Dei Reuerendissimo Petro Asturicensi Episcopo, prosequamur. Is quidem Petrus nobilis genere, Monachus professione, pietate deuotus, in Cœnobio quodam, quod eo tempore ipse regebat, tam vehementi dolore capitis laborabat, vt nec regulam obseruare ieiunij, nec sine pelliceis posset pileis stare. Audiens autem celeberrimarum virtutum famam, quæ per Dei hominem efficiebantur, per quemdam fratrem legationem mittit suæ supplicationis, & opem flagitat suæ intercessionis. Cui vir sanctus laneum, quo ipse vtebatur, pileum misit, & promisit ægro capiti de Domini virtute remedium. Suscepit ille missam sibi benedictionem maxima cum reuerentia, & deuotione. Confitens enim quam solicitè potuit, delicta sua, & stola sese induens sacerdotali, ita demùm velut Christi fimbriam tangens, seruus Christi pileum sumpsit, & imposuit capiti suo. Nec tardauit fidei fructus, & benedictionis effectus; sed miratus & ipse est, celerem protinus sentiens medicinam; & ex tunc vsque hodie ab huiusmodi languore sanus, & incolumis annunciat omnibus, quam experiri meruerit ipse virtutem. Nam & Episcopus factus xenia illa diuisit, partem mediam suis secum in scriniis honorificentissimè ferens, mediam in Monasterio sub eadem veneratione deponens; nec locum scilicet vnde vocatus, nec sedem, cui prælatus est, volens tanta benedictione fraudari.* Hactenus ibi. 12.

o Lib. 4. c. 4.

Hunc Petrum, cognomento Christianum, Carracetensem primum Monachum, mox Abbatem Monasterij S. Martini dicti de Castañeda, Benedictini (Nigrorum) vtriusque Ordinis, mox ad Cister- 13.

cij leges transituri, habemus ex Cathalogo Episcoporum Asturicensium [p] vbi etiam insignitur titulo Sancti. Verùm quod, ait, promotum in Episcopum ad annum Christi M.C.XXI. qualiter stare possit, non satis capio. Quippe Bernardus hominem sanauit, dum adhuc Abbas. *In cœnobio*, ait, *quodam, quod eo tempore ipse regebat.* Constat autem ante annum supradictum, non eatenus diffusam Bernardi famam; vt quæreretur ab Hispaniæ vltimis finibus, quasi per quem salus proueniret, etiam absentibus. Sed hæc aliorum erit examinare: nos interim ad alia properemus.

[p] *Apud Ægid. Gonzal. cap. 11.*

1. ***Prima domus Hortæ fundatio apud Cantauos.* 2. *Donatio loci,* 3. *& Alfonsi Imperatoris munificentia,* 4. *excerpta quædam ex ipsa donatione,* 5. *Monachi ex Berdonarum Cœnobio missi.* 6, *Hortæ accessio,* 7. *littera Eugenij,* 8 *in fauorem noui Cœnobij:* 9. *atque ex eis illata notabilia.* 10. *Qui recentiores de Horta latè scripserint.***

Capvt X.

1. Remissa huc vsque Hortensis Monasterij, itemque Vallis bonæ prima fundamina, quæ Chronologia septennio ante notauerat, iam tandem nobis erunt recensenda; & quidem vallis Bona sequenti capite, Horta in hoc quantum constat per instrumenta. Vocati ne ab Imperatore venerint, an vltrò missi ab Abbate Berdonarum, in dubio est: constat hoc anno Venerabilem Rodulfum, Monachósque ex prædicto Monasterio, donatos loco ab Alfonso Imperatore in finibus Castellæ iuxta Almazanum (quod hodie oppidum Marchionatus titulo gaudet) *Cantauos* illi nomen, vt noua in eo Ecclesia construeretur. Extat, legiturque Regia donatio, quam æquum duxi ad litteram transcribere. [a]

[a] *Ex tabul. Hortæ.*

2. *In nomine Domini Amen. Decet inter cæteros homines Regiam, siue Imperatoriam præcipuè potestatem, quoniam plura cæteris possident, Ecclesiis benefacere; viros sanctos amare, & eis loca Religioni conuenientia dare; data manutenere, venerari, & fouere. Idcirco, ego Alfonsus Hispaniæ Imperator, vna cum filiis & filiabus meis, & omni generatione mea, pro amore Dei, & pro animabus parentum meorum, & peccatorum meorum remissione, facio chartam donationis, & textum firmitatis Deo, & Ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Cantauos, & vobis Abbati Domno Radulfo, & Monachis in eodem Monasterio commorantibus, de ipsa Villa de Cantauos, cum montibus, & fontibus suis; cum pratis, & pascuis; cum ingressibus, & regressibus, & cum suis molendinis, & cum omnibus suis terminis, & pertinentiis, & omnibus directuris, sicut exterminauit eam Gutier Fernandez cum Concilio de Almazan: & hoc facio vt faciatis ibi Ordinem de Cistel, & seruiatis ibi Deo in perpetuum.*

3. *Si verò in posterum aliquis de meo, vel alieno genere, meum factum rumpere voluerit sit à Deo maledictus, & excommunicatus, & cum Iuda Domini proditore in inferno damnatus; & insuper pectet Regiæ parti mille marauetinos. Facta charta in Calafurra, III. Kalendas Februarij. Quando Sanctius filius Imperatoris accepit vxorem filiam Regis Garciæ; eodem anno, quo Imperator pugnauit cum illis Mazamutis super Cordubam, & deuicit eos. Æra millesima octogesima nona, Imperante ipso Alfonso Imperatore Toleti, Legione, & in Gallecia, Castellaque, in Nagera, Saragocia, Baezia, & Almaria, Comes Barchilonia, & Sanctius filius Regis Garciæ tunc temporis Vasallus Imperatoris.*

Ego Alfonsus Imperator Hispaniæ hanc chartam, quam fieri iussi, propria manu mea roboro, & confirmo.
Dom Rodericus Nazarensis Episcopus confirmo.
Sanctius Rex, filius Imperatoris confirmo.
Gutierrez Fernandez confirmo.
Sanctius Rex Nauarræ confirmo.
Comes Pontius maior domus Imperatoris confirmo.
Lupus Lupiz de Carrion confirmo.
Didacus Muñoz de Saldaña confirmo.
Nuñus Perez Alferez confirmo.
Comes Iatro de Nauarra confirmo.
Vela filius eius confirmo.
Rodericus Dazafra confirmo.
Ioannes Ferdinandez Canonicus Ecclesiæ B. Iacobi inscriptor Imperatoris scripsit.

Hactenus priuilegium Imperatoris, quo palam videas Monasterium nequaquam fundatum ante hunc annum, donato loco eo præcipuè fine, vt conderetur. Sed nihilominus præcessisse Abbatem, Monachósque, & ecclesiam sub inuocatione Beatæ Virginis; siue illic ab antiquo ædificatam, siue ab eis constructam, diuinis in ea officiis persoluendis. Vt non immeritò liceat coniectari, præmissos, Monachos ibidem habitasse, quasi precariò; nec vt incolas loci, sed velut hospites; queis Imperator pius, & religiosus dederit terram, quam sibi ipsi in hospitium præelegissent. Sic habitatio eorum minus fluxa, sed neque omnino firma: quippe noua acquisita possessione, tertio à Cantauos lapide, ad ripas Salonis (illustris natalitiis Martialis, fluminis) post paucos annos, sedes transtulêre. 4.

Missos ex Berdonarum Ecclesia Monachos tabulæ omnes concordes affirmant. Quin, & in Tabulario eiusdem domus adhuc visuntur duo instrumenta; alterum Arnoldi Abbatis Berdonarum irritantis electionem Abbatis Hortæ ipso inconsulto, factam, sub hoc initio. [b] *Frater Arnoldus Dei gratia Abbas Monastery Berdonarum Cisterciensis Ordinis: Auxitanæ Diœcesi, pater Abbas, & superior immediatus Monastery de Horta eiusdem Ordinis, Seguntinæ Diœcesis; vniuersis, & singulis præsentes litteras inspecturis, &c.* contractus alter pacti, & conuentionis inter Don Placentinum Episcopum, ex vna parte; & Abbatem, ac Conuentum Hortæ, ex alia, ad cuius calcem subscriptio talis subest. [c] *Nos autem. F. V. dictus Abbas Berdonarum, ad domum de Horta filiam domus nostræ, anno ab Incarnatione Domini. M.CC.XXVI. mense Maio venientes, & quæ præmissa sunt approbantes, præsenti chartæ nostrum fecimus apponi sigillum, &c.* 5.

[b] *Ex eisdem Archiuis.*

[c] *Vnde suprà.*

Mansit in illo loco Monasterium, sub Abbate Radulfo, per annos aliquot, priusquam per Blasium Radulfi successorem, à Cantauos in Hortam (id loco nomen ab antiquo fuit, quod hodie etiam conseruat) transferretur. Quis locum Hortæ Monasterio dederit, in dubio est; neque enim vlla eius donatio extat, non emptio, aut acquisitio: Nisi 6.

Nisi quod tamen in quodam priuilegio, velut à Monachis emptus, commemoratur. *Dono itaque vobis* (ait Rex Alfonsus, Imperatoris nepos) *& concedo omnem hereditatem, quam in Aldea, qua Horta dicitur emisti; vt liberam eam habeatis, & possideatis; ita quod, neque ego, neque aliquis meus successor, aut alius, contrarium aliquid inde vobis faciat, &c. Facta charta in Molina. VII. Kalendas Iunij, Æra M. C C. X X X I I I.* Igitur Horta per Radulphum Abbatem empta (incertum à quo Domino) & quod mireris, intra annum sui aduentus. Certè sequenti, vt ex litteris Eugenij constabit, quas mox subiungam, iam inter possessiones Monasterij, & post Cantauos, prima nominatur. Crediderim ab Alphonso Imperatore, vnà cum primo loco, pecuniam datam, de qua emptus secundus, ex cuius fructibus, emolumentísque Monachi viuerent, tum & pauperibus simul, & hospitibus necessaria pro more ministrarent. Vtcumque fuerit, Venerabilis Rodulfus, cum primum Regio dono veluti radicatum Cœnobium vidit; ne qua illi deesset firmitudo, neque authoritas; ad Pontificem censuit recurrendum. Extat, & legitur Eugenij Papæ diploma, sequenti anno expeditum, confirmans Monasterium, & eius bona, inter quæ nominatim grangiam de Horta, nec tanquam quid annexum loco de Cantauos, sed velut separatum, distinctumque, [d] cum propriis appendentiis, siue terminis. Sed Eugenium loquentem audiamus.

d Ex eodem Tabulario.

7. *Eugenius Episcopus seruus seruorum Dei. Dilecto filius Radulpho Abbati Monasterij Cantauocis, eiusque fratribus, tam præsentibus, quàm futuris regularem vitam professis in perpetuum.*

Quoties illud à nobis petitur, quod honestati, & religioni conuenire dignoscitur, animo nos decet libenti concedere, & petentium desideriis congruum impertiri suffragium. Ea propter, dilecti filij in Domino, vestris iustis postulationibus benigno concurrentes assensu, præfatam Ecclesiam, in qua diuino mancipati estis obsequio, sub Beati Petri, & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti patrocinio communimus, statuentes, vt quascumque possessiones, quæcumque bona eadem Ecclesia impræsentiarum iustè, & Canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, siue aliis iustis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus, & illibata permaneant. In quibus propria designatione confirmamus vobis, & Ecclesiæ vestræ per vos, grangiam, quæ vocatur Horta cum appendiciis suis.

8. *Sanè laborum vestrorum, quos propriis manibus, aut sumptibus colitis, siue de nutrimentis vestrorum animalium, nullus à vobis decimas præsumat exigere. Decernimus ergo, vt nulli omnino hominum liceat præfatam Ecclesiam temerè perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu aliquibus vexationibus fatigare; sed illibata omnia, & integra conseruentur, eorum, pro quorum gubernatione, ac sustentatione concessa sunt, vsibus omnimodis profutura. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica, sæcularisue persona, hanc nostram constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire tentauerit, secundò, tertiòve commonita, nisi temeritatem suam congrua satisfactione correxerit, dignitatis, honorisque sui dignitate careat; reamque se iudicio diuino existere, de perpetrata iniquitate, cognoscat; & à sacratissimo corpore, & sanguine Dei, & Domini Redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ vltioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco sua iura seruantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus & hinc fructum actionis bonæ percipiant, & apud supremum Iudicem præmia æternæ pacis inueniant. Amen.*

Hactenus priuilegium Eugenij Papæ; quo clarè videas, & Rodulfi Abbatis curam pro tenera, & nouella plantatione; & grangiam Hortæ, ad quam post translata domus, Monasterio accessisse, ab ipsa prima eius fundatione: Non vt contentam in prima donatione Alfonsi Imperatoris, quod præter insinuatam eius emptionem locorum distantia, ad nouem millia, & vltra passuum protensa, & termini interrupti alienis terminis; quin plura alia indicia manifestant: sed velut nouam nouæ possessionis, ipso, an alio authore, accessionem; quæ adeo indiguit speciali confirmatione. Sane Cantauos versus Almazanum, notum Castellæ oppidum, Horta versus Harizam sita est, Aragonensium villam, vnde & Horta Farizæ dici solet. In instrumento sequuntur subscriptiones Eugenij, & Cardinalium: inter quos duo ex nostris, Hugo, & Henricus (Bernardus fortè aberat) ac demum locus & tempus concessionis. *Datum Romæ apud Sanctum Petrum per manum Bosonis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ scriptoris. V. Nonas Martij, Indictione prima, Incarnationis Dominicæ anno M. C. L I I. Pontificatus verò Domini Eugenij Papæ III. anno I X.* Hæc initia Monasterij Hortensis (cuius nos filij immeriti) in loco de Cantauos; reliqua suis locis pandenda erunt. 9.

Vterque locus Cantauos, & Horta in veteri Castella, qua parte tangit fines Aragonum, Seguntiam inter, Calataiubámque, notam vtramque vrbem vtriusque Regni; vterque pertinet ad Seguntinam Diœcesim, in qua etiam Monasterium notatur in libris Cameræ, sub titulo Sanctæ Mariæ de Horta, mediocri taxa florenorum duum & viginti supra ducentos. De Horta multa Henriquez in fasciculo, Lepius suorum Annalium tomo septimo, Ægidius Dauila in Episcopatu Seguntino: omnes ferè ex his, quæ nos tradidimus in nostro sanctorali, atque adeo errantes, si quid errauimus; quare & in multis nobiscum corrigendi. Lego & in libris cameræ Apostolicæ Hortam de Faisia Ordinis Cisterciensis in Toletana Diœcesi, sed, quæ prorsus me lateat, vt qui non alibi mentionem eius viderim. Et quidem de Faisia, pro de Fariza amanuensium errore, non difficile potuit irrepsisse: sed quod concernat Toletanam Diœcesim, vnde potuit irrepere, non capio. 10.

1. *Vallis bonæ initia*, 2. *fundatióque*, 3. *sub obedientia Palentini Episcopi*, 4. *& legum Cisterciensium obseruatione*. 5. *Probatum id ex verbis donationis*. 6. *Admissa postea adoptio Berdonarum*, 7. *successio Abbatum*, 8. *& incrementa domus sub his initiis*, 9. *demum alia notitia remissiuè*. 10. *Quintana Xuarij Imperiale Monasterium*, 11. *reformatum sub eius filiatione*.

CAPVT XI.

1. VALLEM Bonam, in Palentina Diœcesi, sexto lapide ab vrbe Vallisoleti, ad ripas Durij fluminis, illustris Comitissa Stephania, filia Armengoldi Comitis, fundauit ante septennium, idque sub instituto Cisterciensi, quod ex aliquibus coniecturis facile constat: haud tamen Monachis accitis ex alia domo, nec Monasterio commisso alterius curæ; sed sub Episcopi Palentini (quod hactenus inusitatum) visitatione. Itaque Monasterium instituit reformatum, ad normam Cisterciensium; & eorum leges per omnia obseruaturum; nequaquam tamen subiectum Cisterciensibus; sed Diœcesano Episcopo, atque eius tantùm erectum authoritate. Quibus Monachis sumpserit initium, in dubio est: de primo Abbate, constat Martinum dictum. Porrò adeo feruentes incepisse, vt donati Vasallis à fundatrice, renuerint accipere nisi alterius subessent iurisdictioni. Extat, legitúrque hodie, donatio verbosa, & elegans supra morem illius temporis; quam, quia multa singularia continet, non pigebit ad litteram transcribere.

2. [a] *Principium scripti fiat sub nomine Christi, scriptum ius firmum faciat, Dominus alliget ipsum. In nomine omnium plasmatoris Dei, sanctæ indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, à quo omnia, in quo omnia, per quem omnia procedunt, viuunt, subsistunt; cui seruire, in quem credere, in quo sperare, quem diligere; regnare, viuere, summum bonum est. Ea propter, Ego Stephania, humilis Comitissa, bonæ memoriæ, Armengoldi Comitis filia, quia iustum est Xenodochia construere, Monasteria ædificare, necessitati pauperum prouidere, maximè eorum, qui sæculo renunciantes Crucem Christi in suo corpore baiulant, iuxta illud: qui vult venire post me abneget semetipsum, & tollat crucem suam: mea spontanea voluntate, spiritu diuino suggerente, optaui animo, fieri opere, & facere proposui Monasterium de Ordine Sancti Benedicti, in Valle bona secùs Durij fluuium, in honorem Dei omnipotentis, & Beatæ Mariæ semper Virginis, ac gloriosorum confessorum Martini, atque Syluestri, omniúmque Sanctorum. Hoc facere disposui propter salutem, & peccatorum remissionem gloriosi Imperatoris Hispaniæ Domini mei Alfonsi, & piæ recordationis Dominæ meæ, Vrracæ Reginæ matris eius, qui sua benigna voluntate, cum essem mulier aliena terra, multa bona mihi fecit, & de supradicta villa, & multis aliis hereditatibus, sua clementia, me hereditauit. Hoc etiam facio pro salute animæ meæ, & corporis mei, atque Parentum meorum, necnon omnium fidelium Christianorum. Igitur ego Comitissa Stephania, vnà cum filiis, ac filiabus meis, dono iam dicto Monasterio, & iure perpetuo, post decessum meum, sub perenni testamento concedo Vallembonam integram, cum terminis suis; Munbiedro ex integro cum terminis suis, secundùm quod mihi iure hereditario pertinent. Hoc tamen ea conditione facio, vt quandiu vixero, in mea potestate sint, & consilio, voluntatéque mea se habeant, qui secundùm Ordinem suum in Monasterio vixerint.*

[a] Ex Tabul. Vallis Bonæ.

3. *Vobis ergo Domine Martine Abbas, qui iam dicto Monasterio authoritate patris nostri Domini Petri Palentini Pontificis, Deo disponente, præestis, & fratribus vestris præsentibus, & futuris facio hoc testamentum de eodem Monasterio; vt iure hereditario, in perpetuum totum habeatis, secundùm quod ad meum ius pertinet; scilicet ingressus, & egressus, syluas, montes, pascua, colles, prata, fontes, piscarias, amnes, hortos, molendina, vineas, terras cultas, & incultas, per sua loca, & per terminos antiquos, secundum quod inquiri, & inueniri poterit. Verum, quia dicitis quod consuetudo vestra non patitur Villanos tenere, vt liberiùs Deo possitis vacare, volo & post obitum meum vobis, & posteris vestris placendo, vnus de filiis, vel filiabus meis, vel filiis eorum, aut nepotibus, quem vos elegeritis, aut Abbas, qui tunc temporis præfuerit Monasterio, eos de manu Abbatis, sub dominio, & censu teneat, reddens Monasterio per annum viginti marauetinos, vel amplius, æstimata præsenti, & futura quantitate villæ; & ita conseruet homines, qui sunt in supradicta villa, vt ad nutum Abbatis, suum rectum forum, iuxta priscam consuetudinem, habeant. Quod si noluerit censum secundùm præsentem, & futuram villæ quantitatem soluere, & præcepto Abbatis in omnibus satisfacere: det Abbas Villanos, cui voluerit de nostra progenie, qui sibi obtemperet, vel ipse teneat, si maluerit.*

4. *Si quis autem mei generis, aut alterius cognationis, hoc eleemosyna testamentum irrumpere, aut annullare tentauerit, sit anathema maranatha; necnon cum Iuda traditore, qui suspensus crepuit medius, & cum Datan, & Abiron, quos terra absorbuit, in perpetuum damnatus; si non satisfecerit Deo, ac Sanctæ Mariæ malefactum restaurauerit. Insuper pectet Regiæ dignitati duo talenta auri, sicque testamentum firmum, & indissolubile omni tempore perseueret. Facta charta in Vallebona, Æra M.C.LXXXI. mense Februario. XV. Kalendas Martij, Regnante glorioso Imperatore Domino Alphonso in Toleto, Legione, Galletia, Nazera, Cæsaraugusta.*

Ego Stephania Armengoldi humilis Comitissa iussi fieri hoc testamentum, & ad maiorem confirmationem hoc meum signum feci apponi, & propria manu roboraui. Sequuntur subscriptiones Episcoporum, & procerum Regni, ac tandem signum Alfonsi, ne quæ instrumento firmitas, ne quæ excellentia, aut prærogatiua domui deesse posset.

Ego Alfonsus Dei gratia Hispaniæ Imperator, vna cum vxore mea Berengaria, Comitissæ D. Stephaniæ supradictam donationem factam recipio, & firmam, stabilémque permanere præcipio, ac in huius meæ confirmationis testimonium hoc signum facio. †.

Ioannes Canonicus Sanctæ Mariæ Vallis-Oleti, præsente, & dictante Domino Guillelmo Abbate Sancti Fœlicis, iussu Comitissæ Dominæ Stephaniæ scripsi.

Giraldus

Girardus scriptor Imperatoris hanc confirmationem, iussu eiusdem scripsi. Hæc prima Monasterij Vallisbonæ fundatio fuit.

5. Porrò quod dicitur in ipsa fundatione. *Quod consuetudo vestra non patitur Villanos tenere, vt liberius possitis Deo vacare.* Argumento est in ipsa fundatione Cistercienſia instituta professos fuisse. Aliàs Benedictinis non reformatis, siue Cluniacensibus, aut aliis, nihil obstabat, quominus tale dominium habere possent. Consonat priuilegium Imperatoris non multo post, Monasterio præfigens terminos, atque donum confirmans, quod ita habetur. *Ego Alfonsus totius Hispaniæ Imperator Monasterium Vallisbonæ sub nostra protectione suscipio, & Fratribus tam præsentibus, quam futuris, ibidem sub regula Sancti Benedicti, secundum instituta Cisterciensium Deo seruientibus, Vallembonam, & Murbiedro, sicut olim eis dedi, & nunc, & in perpetuum concedo, & per eosdem terminos, per quos inter homines Pennæ Fidelis, & ipsos, dum eram in Penna Fideli cum Comite Barchinonensi, per Sanctium Petri Portarium meum determinari iussi, &c.*

6. Mansisse creditur Monasterium Vallisbonæ, sub Episcopi cura, vsque ad hunc annum, quo Monachis accitis ex Berdonis (fortè & ex his, qui ad fundandam Hortam venerant) sub eiusdem Cœnobij, & Abbatis ipsius visitatione, plenariè se Cistercio incorporauit, consentiente Episcopo, vt Abbas Vallisbonæ obedientiam, quam absolutam hactenus, saluo extunc ordine, vt alij, profiteretur. Porrò dilatam vnionem ad hoc tempus, vel inde non obscurè videtur colligi; quod Vallisbona post Hortam recensetur in Chronologia, & tamen constat Hortæ Monasterium nequaquam surrexisse ante hunc annum, ex donatione Imperatoris. Porro Martinus Abbas Vallisbonæ, aut decessit, aut cessit circa hoc tempus, succedente Ebrardo, quem ex Cœnobio Berdonorum missum, vel ipsum nomen nostris inusitatum videtur prodere. Vndecumque aduenerit, curauit consulere tenellæ plantationi; & vt Radulfus, statim suæ Ecclesiæ (tunc in Cantauos sitæ) sic Vallibonæ Ebrardus Apostolicæ protectionis robur adauxit; scilicet obtento ab Eugenio priuilegio eisdem prorsus verbis, & subscritionibus, sub data. [b] *Roma apud S. Petrum per manum Bosonis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ scriptoris. V. Nonas Martij, indictione prima, anno M.C.LII. Pontificatus verò Eugenij Papæ tertij anno VIII.*

b Vnde supra.

7. Sexennio post, defuncto Imperatore, & subrogato in Regno Castellæ Sanctio, idem Ebrardus priuilegium impetrauit. [c] *Vt Vallis bona domus, ganatúmque vbicumque fuerit, haberet eamdem potestatem, & securitatem, & cautum, sicut ganatum Regium; & securè pascat per omnes montes, & per omnia pascua, sicut ganatum meum proprium, &c. Et quicumque inuaserit domos vestras pectet, sicut pro inuasione, aut violatione domus Regiæ. Facta charta in Almazam sub Æra M.C.XCVI. mense Ianuario, anno quo Dominus. Alfonsus famosissimus Hispaniæ Imperator obiit, Rege Sanctio Nauarræ Regnante existente Vassallo Domini Regis.*

c In eisdem Archiuiis.

8. Ebrardo credimus Guillelmum successisse, quem anno M.C.LXIII. & M.C.LXIV. Vallembonam rexisse, duo nobis ostendunt priuilegia. Alterum Alexandri Papæ Tertij. [d] *Datum Senonis per manum Hermanni Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Subdiaconi, & Notarij, Nonas Octobris, Incarnationis Dominicæ anno M.C.LXIII. Pontificatus verò Domini Alexandri Papæ tertij, anno V.* Alterum inuictissimi Alfonsi Regis Castellæ, Sanctij desiderati illustris filij. [e] *Facta charta apud Septimancas Æra M.CC.II. (hoc est anno M.C.LXIV.) tertio Kalendas Decembris die Dominica, Regnante Domino Rege Alfonso in Toleto, & Castella.* Porrò, ex vtroque priuilegio, constat auctam iam domum multis possessionibus, quas vterque recenset: confirmatque; sed latiùs Alexander pro more curiæ. Idem Alfonsus post annos vigintiquinque, quædam alia indulget Nunio Abbati, præcedentia confirmans, & post eum alij eius successores.

d Vbi supra.

e Ibidem.

Memoratur Vallisbona in libris Cameræ in Palentina Diœcesi. De ea item Lepius in Annalibus. Illustrant domum filiæ breui susceptæ Riuus Siccus, Bonauallis, & Palatiola; quarum prima in Burgensi Diœcesi sita; secunda in Toletana, & tandem tertia intra propriam Palentinam. Illustrat, & Hispana Congregatio, cuius magna pars ipsa, & post montem Syon prope Toletum, totius nostræ obseruantiæ initium fuit. Quin Palatiola (Palacuelos nos vocamus) Reformatoris generalis sedes, quasi cesserit mater dilectæ filiæ. Illustrant tandem multi viri docti, sanctique, inter quos Macharius humilis conuersus, de quibus suis locis erit agendum. Nunc de prima eius filia Riuo Sicco, quæ in hunc locum remissa, breuiter dicam. 9.

Fundationis Riui Sicci (id nunc Cœnobio nomen, post varias sedium, & vocum mutationes) incertus annus, discrepantibus inter se tabulis Ordinis, & traditione eiusdem Monasterij. Nam hæc ad M.C.XXXV. initia refert: illa ad M.C.XLVII. quod iam notauimus. Nec concordabis, si priori anno cœpisse Monasterium sub habitu nigro (quamuis sub eo cœpit) posteriori suscepisse Cistercium dicas. Quippe hoc vltimum stare omnino nequit cum certo magisterio Vallisbonensium, quos constat non habuisse Cistercium ante hunc annum. Vtcumque fuerit, Monasterium Riui Sicci Imperatore Alfonso authore gaudet, saltem dotatore, atque in Quintana Suarij, nunc Prioratu, olim Abbatiæ illius primaria sede. Vtrumque testatur Alfonsus, Alfonsi nepos, aui sui priuilegia confirmans Monachis. [f] *Confirmo vobis (inquit) & omnibus successoribus vestris, omnes donationes, quas auus meus Alfonsus Imperator pia liberalitate omnibus prædecessoribus vestris de Quintana Suarij, & de Sancto Vincentio, in eleemosynam contulit, sicut in priuilegiis aui mei perspexi, Quintanam videlicet Suarij cum omnibus terminis suis, &c.* Crediderim Monasterium Sancti Vincentij Monasterio Quintanæ esse vnitum, atque ex vtroque olim Benedictino vnicum Cisterciense factum: sed & alterius Monasterij de Hoz ibidem meminit, quod æquè constat accessisse Quintanæ Suarij. *Et confirmo vobis Monasterium de Hoz, quod est situm in Alfoz de Arriba, cum hereditatibus, & cum omnibus pertinentiis, &c.* Ergo tria Cœnobia, nec exigua, in vnum conflata, Vallisbonensium Monachorum initia, per quos reformarentur, præstolabantur. 10.

f Ex Tabulario Riui Sicci.

Iacet Quintana in Diœcesi Burgensi, septimo ab vrbe lapide, loco montuoso, & alto, eoque nimium patenti brumæ incommodis. Primùm eius Abbatem, Christophorum, namque id viro nomen, ad altiora tendentem Vallembonam adiisse recens fundatam, atque Monachos petiisse, traditio est, per quos Quintana Suarij, cum suis filiis, ad normam Cisterciensium instrueretur. Et de Monachis missis ex Vallebona nullum est dubium, 11.

bium;conteſtantibus tabulis,& multis inſtrumentis vtriuſque domus delatum antiquitati Cœnobij eſt, vt inter acquiſita anno M. C. X L V I I. numeraretur. De Chriſtophoro Abbate minus certum quamuis, qui anno M. C. X X X V. quo Monaſterium cœpit;ſuſcepit eius regimen, potuit vſque ad hoc tempus continuare. Quicumque fuerit, fundamenta iecit parum firma, & de loco ad locum mouenda per longum tempus. Quippe anno M. C. L X X X I V. Quintana deſerta, ad montes Auxitanos perrexerunt(eadem ferè diſtantiā ab vrbe Regia)Inde ad ripas Iberi traiicientes, anno M. C. LXLVI. duplo ſe ferè à Burgis, elongarunt. Sed neque in eo loco adepta quies,aut firmior,diuturniorve domus conſtructa;quippe, imbrium ſuperuenientium impetu diruta, circa annum M. CC. XXXVI. quartam adhuc ædificare coacti ſunt. Sed hi euentus, & qualiter acciderint, aptiùs multò inſerentur.

---

1. Chronologia fundationum huius anni. 2. Inſula Varenſis,Floranum,& Clarus locus, 3. Pontiſ-alti notitia, 4. & Kylos in Scotia, 5. Sacrato loco ſepulchro S. Duſi, 6. Ratio nominis, 7. miraculum pandentis,& conſeruantis,8. & Sanctitas Abbatum eiuſdem loci. 9. Olunmcultris: 10. Miſericordia Dei,Frameda,Campania, & Villalonga,11. & tandem nonnihil dictum de Flageleya, & Eſron remiſſiuè.

CAPVT XII.

1. HOc tandem caput impleat Chronologia, recenſitis Cœnobiis, quorum initia vidit præſens annus: ea autem numerantur ſequenti Ordine.

Anno M. C. L I. X I I. Kalendas Maij, Abbatia de Inſula Barriducis.

Eodem anno I I I. Nonas Martij Abbatia de Florano.

Eodem anno VIII. Idus Maij Abbatia de Claro Loco.

Eodem anno & eodem die Abbatia Pontis Alti.

Eodem anno XII, Kalen. Iunij Abbatia de Kilos.

Eodem anno X V. Kalen. Octobris Abbatia de Miſericordia Dei.

Eodem anno I I. Kalen. Octobris Abbatia de Frameda.

Eodem anno X V I. Kalen. Decembris Abbatia de Campania.

Eodem anno I I I. Kalend. Ianuarij, Abbatia de Olumcultru.

Eodem anno Abbatia de Villa-longa.

Eodem anno I I I. Idus Februarij Abbatia de Eſron in Dacia.

Eodem anno Abbatia de Flegeleya, aliàs de Flegeleya. Hactenus,quæ huic anno tribuuntur, duodecim Cœnobia, de quorum ſingulis proferemus ex more, ſi quid habemus.

2. Inſulam Barri Ducis inſigne,& opulentum Monaſterium,vt ait Recens quidam, in Lotharingia, in Ducatu Barrenſi, protulit domus S. Benedicti, de linea Morimundi, in Diœceſi Virdunenſi, filia prima Criſtæ de qua ſupra. Inuenio memoratam in libris Cameræ,& centum florenorum, hoc eſt infra mediocrem,notatam taxa. Neque maior notitia Florani ſeu de Florano,niſi quod tamen Scalæ Dei prolem in Auxitana Diœceſi Vaſconiæ, produnt tabulæ Eccleſiarum Morimundenſium. In quibus etiam inuenio Clarum locum Bethaniæ filiam natam in Burgundia. Sic habet geneſis. Claudius Robertus [a] de eadem, an de diuerſa. *Clarus locus*, Clayr lieu, *fundatur iuxta Nanzienum anno M. C. L I X. à Matthæo Comite Lotharingiæ,Ordinis Ciſtercienſis.* Sed de hoc Galli certius iudicabunt. Itáque hæ tres priores fundationes Geneſim Morimundi propagarunt. In Notitiis Abbatiarum Lotharingiæ, nuper excuſſis, Clarus locus Tullenſis hoc anno natus, fundante locum Matthæo Lotharingio, & Bertha coniuge, Sueuiæ Duciſſa,Friderici Barbaroſæ Imperatoris filia, qui ibidem ſepulti iacent,dicitur. Primus Abbas Viricus,ſiue Vvericus ex Bethania cum conuentu ſuo adueniens conſecrauit initia naſcentis Domus.

a In Gall. Chriſti.

Pons altus ſequitur,loiaco matre nata, de linea Pontigniaci, quem in Gaſconia in Adurenſi Diœceſi libri Cameræ agnoſcunt; modica quinquaginta florenorum contenti taxa. Meminit eius Claudius in ſua Gallia, nulla tamen notitia clariori. Extant litteræ Honorij Papæ tertij ad Abbatem Pontis alti, Ordinis Ciſtercienſis, Diœceſis Adurenſis vt Archiepiſcopum Auxitanum, in Sedem Apoſtolicam rebellem, per cenſuras compeſcat, Apoſtolica promulgandas authoritate, Datis Anagniæ I V. Idus Iunij, Pontificatus ipſius anno primo. Et rurſus aliæ pro Abbate Sendracenſi. Datis Laterani Pridie Nonas Octobris, Pontificatus ipſius anno tertio. Ac demum aliæ Gregorij Papæ I X. pro Epiſcopo Eccleſiæ Baiocenſis,Datis Laterani Nonas Februarij, Pontificatus ipſius anno V I I.De Riueto,Nauetum alij dicunt,Biſuntinenſis Diœceſis, filia Pontis Alti ſuo loco, & tempore dicemus. 3.

Quintum Cœnobium Kylos in Scotia, quod protulit Meilrotia in Morauienſi Diœceſi, celebre ſatis inter multa illius tractus. De eo Hector Boetius Scotus author. [b] *Multis etiam percelebris eſt Morauia Abbatiis, & Cœnobiis, quorum præcipua Kilos,& Pluſcatre. Benedictini vtrumque Ordinis, Ciſtercienſe illud; hoc Cluniacenſe.* Cæterùm Kyloſenſis Monaſterij locus,& nomen,ſacra, & fundatores ſanctitate inſignes, vel execrata potuiſſent expiare. Locum ſanctificauit Sepulchrum B.Duffi, quondam Regis Scotiæ, quem Donevaldus, cum perfidè occidiſſet,in flumine proiectum,aut abluere voluit,aut occultare. Narrat idem Boëtius [c] totidem verbis. 4.

b In deſcript. Regn.

c Hiſtor.Scot. lib. 11.

Donevaldus quatuor ſeruos corruptos largitione, & ad ſe vocatos,vt ſecum Regi Duffo mortem,quam propria, atque iniqua Coniugis temeritate dudum fuerat machinatus, inferrent; blandis verbis, nouis additis muneribus,eſt hortatus. Et poſt Regem Duffum,in ſoporem ſolutum,cubicularios longa commenſatione fatigat, variiſque potionum, obſoniorúmque generibus. Tunc paruere ſerui, Regémque ſub Canticinium nullo ſtrepitu,ferro iugulo impreſſo, dormientem facilè obtruncant. Cadauérque per poſticum exportatum.Cubiculariis alto ſopore perſeuerantibus, equóque 5.

equoque impositum ad secundum à cadis loco milliare deuexit, vbi amne ea per loca labente paulum deriuatur, ac inde terra altius defossa, in imam scrobem est iniectus. Hæc de indigna cæde Regis piissimi.

6. Porrò in eo loco Monasterium conditum, vbi sacrum Cadauer proiectum, inuentúmque, pergit scribere. *Amni, eo loco, vbi casi Regis corpus conditum fuerat, pons (sed aliquot post sæcula) est impositus. Vicum ad Pontis terminum* (Kylflos *vulgò, id est* tempus floris) *inde nomen, quod ad nostram peruenit ætatem, ferunt sortitum. Nunc ibi Cœnobium est cum Augustissimo templo Diuæ Virgini sacro. Ædibúsque magnifica architectura, piorum cœtu Cistercienfis instituti insigne, nulli in Albione Regionis obseruatione secundum.* Ergo Cœnobium post duo ferè sæcula (nam Duffus anno D. CCCC. LXXII. occubuit) in eo loco fundatũ, in quo S. Regis cadauer proiectum fuerat; dictúmque Kylos, quasi Kylflos; id est templum florum: nec sine causa; quippe in memoriam miraculi illustris, quod contigisse ibidem credebatur, cum B. Viri corpus detegeretur. Idem Hector Boëtius, eodem loco.

7. *Non desunt, qui scribant Duffi Regis Corpus, tametsi sex menses luto infossum iacuerit, integrum tamen, viuidoque colore, & in nullo labefactum; inuentum sole, lumine plus solito, micante; & (vnde hominés ingens cœpit admiratio) vicinos campos, præter temporis naturam, multa florum varietate fuisse ornatos.* Hæc ille, vt meritò, & locus, ex thesauro pretiosæ glebæ, & nomen ex miraculo impositum, Sanctos viros illuc tandem appulsuros, iam ferè à ducentis annis præstolarentur.

8. Porrò aduenisse non indignos loco, & nomine, Sancti Anselmus, & Neruus manifestant. Ille qui primo loco Abbatem egit; hic qui secundo. Vterque adscribendus, post mortem, Sanctorum Canoni (vt habet Demsterus sumptum ex Scoti Chronico) vterque celebrandus ab Ecclesia ritu solemni. Sed periit, heu! vtriusque actorum notitia, paucis quibusdam demptis. Quæ suis locis erunt disserenda. Numeratur inter domos fundatas per Dauid Regem; & inuenitur Cœnobium Kylosense in libris Cameræ, in proprio Episcopatu Morauiensi, vbi trecentorum florenorum taxa notatur.

9. Haud minus Celebris Abbatia de Holuncultris, siue de Hulmo, vulgo de *Holmecultraine*, quam Rex Dauid in Cumbria ædificauit, atque Sancto Vualleno in filiam dedit, per Monachos Meilrosiæ propagandam. Primus illius Abbas Everhardus, quem sancti titulo historiæ omnes honorant: hic ex Canonico Regulari in Kirkeam, atque Vvilleni socio, cum eodem conuersus, aut saltem ad illius æmulationem ad Cistercium perductus, hoc tempore Meilrosiam inhabitabat, Abbatis Sancti excipiens confessiones; atque adeo ab eo amatus, redamánsque, vt nisi Dei causa intercessisset, ægrè ab altero vtérque diuideretur. Vicit tamen vtrúmque Cistercij amor, & nouæ prolis cura, quæ non ab alio, aut nutriri religiosiùs, aut citius adolescere potuisset. Cœnobij ipsius, & primi eius Abbatis, in Actis Vvalleni [d] memoriæ subest: Clarior tamen, distinctiórque apud Thomam Demsterum, qui inter alios scriptores Scotiæ (nam & hoc etiam habuit) memorat virum Sanctum verbis sequentibus. [e] *Sanctus Euerhardus, Confessor, & Abbas Ordinis Cistercienfis, natione Scotus, Sancti Vvalleni Confessarius, & in Canonica de Kirkeam Socius, primúsque Abbas Monasterij illius celebris in Cumbria, à Sancto Dauide, Scotia Rege, aut eius fratre Simone Comite fundati, quod de Hulmo dici solet, vulgo* Holmecultraine. *Nam, cum in Meilrosensi Claustro vna cum sancto viro Vvalleno habitum induisset, eo ad curam eiusdem loci subsistente, hic in nouum Monasterium de Hulmo missus, regimen exorsus est, cum Henricus, filius Sancti Dauidis, Cœnobium à Patre erectum fundis dotasset, vt loquitur Scot. chronicon lib. 6. capite 32.* Ita Demsterus: qui etiam memorat Henricum, Hulmensem, Scotum, eiusdem domus Priorem circa hoc tempus, quia ordine secundum, qui quædam scripsit, quæ Abbati Meritoniæ consecrauit. De Euerhardo nulla alia notitia subest; adeo obtexit caligo viros sanctissimos: nisi quod tamen ab eodem Demstero dicitur Vvalleno superstes, atque eius vitam cum aliis scripsisse. Henricus, Sancti Alcuini socius dicitur, atque cum eo in Martyrologio Sanctæ Crucis commemorari: vt credi possint in eadem domo plures, quos nobis, tùm incuria, tùm antiquitas, tùm euersa in prouinciis illis religio, cum iniuria inuiderunt, siue per oscitantiam occultarunt.

d Lib. 1. c. 16.

e Lib. 5.

Sequuntur domus aliæ minus celebres, de Misericordia Dei, quam Caroli locus (Kalisium alij dicunt) Pontigniaci filia, in Diœcesi Pictauiensi ædificauit. In libris Cameræ quinquaginta florenorum taxa notatur. Nec quicquam aliud de ea Robertus Claudius: sicut nec de Frameda, quam Obacinæ filiam constat ex Tabulis in Sanctonensi Diœcesi, inqua ducentis Florenis taxatam lego. De Campania idem Claudius hæc, quæ sequuntur. *Campania Ordinis Cistercienfis, Diœcesis Cœnomanensis, fundatur M. C. LI. XVI. Maij, à Domino Fulcone Biuaxillia, qui illic iacet ante maius altare, cuius Ecclesia dedicatur M.CC. LXIX. Kalendas Nouembris à Guillelmo Fresson, Episcopo Cœnomanensi.* Abbati, & Conuentui B. Mariæ de Campania, Cistercienfis Ordinis, Cœnomanensis Diœcesis, scribit Innocentius Papa IV. sub datis Lugduni V. Nonas Martij, Pontificatus ipsius anno III. Aliquanto notior Villalonga, quam Bonus-fons de linea Morimundi in Diœcesi Carcasonensi propagauit. Memorant Domum Robertus in sua Gallia, sed nulla alia notitia nobis exhibita; & libri Cameræ, in quibus trecentis florenis taxatam video. Abbati item Monasterij de Villalonga, Cistercienfis Ordinis, Carcasonensis Diœcesis, scribit Alexander Papa IV. grauem ei, & Episcopo Agathensi causam committens. Litteris datis Laterani IX. Kalendas Martij, Pontificatus ipsius anno II. quæ suo tempore à nobis reddendæ erunt. Esron in Dania, insignis Abbatia, filia Claræuallis, quia admiranda occasione fundata est, Eskillo magno, authore, sequenti capite veniet referenda. 10.

Vltima tandem Domus Flageleia in parte Angliæ, quæ cedit Glocestriæ Comiti: In qua de eà Arsfeldius hæc pauca habet. *Flageleia in Sylua Deanensi. Fundator Rogerius, Comes Herefordia, ad tempora Henrici secundi Regis. Monachi Cistercienses.* Hæc tantum ille. Pertinet domus ad lineam Cistercij per Bordesleiam, filiam Geroldome, quam Boaberlea natam, Eleemosynæ neptem, & proneptem Cistercij commemorauimus. Nunc occasione Erosnensis Monasterij, partem historiæ Eskilli (nam integram inferius daturi sumus) quippe Cistercio tandem adhæsuri, describamus. 11.

1. Occasione Esfronensis Monasterij Eskilli cum Bernardo Patre amicitia. 2. Infantia, & agritudo. 3. Damnatio imminens. 4. Beata Virgo à salute eius auersa, 5. Dein propitia sponsione redemptionis. 6. Qualis ea?. 7. Visionis comprobatio, & adimpleta largiter promissio. 8. Esron fundata in Roskildensi Diœcesi, 9. & Granadium, siue Hermandium in Lundensi. 10. Itemque alibi alia aliorum Ordinum.

Capvt XIII.

1. Celebre Monasterium Esron in Dania, in hoc anno nata commemoratur in Diœcesi Roskildensi, colonia, illuc transmissa ex Claraualle. Fundator magnus Archiepiscopus Eskyllus Danorum Primas, qui suam olim Ecclesiam Roschildensem, non secus, ac Lundensem, cui postea præfuit, Cistercij prole censuit fœcundandam, construxerat & alia Monasteria pro diuersis Ordinibus, queis tota illa prouincia refulget, sanctorum varietate circumamicta; sed Cistercienses præ aliis sibi chari, seu reuerentia in Bernardum, quem magno licèt terrarum spatio dissitum, adeo sibi dilectum, semper habuit, adeo se diligentem expertus est, vt Sanctus Pater in hæc verba proruperit, dum ad eumdem Pontificem a Epist. 314. scriberet [a] *Quicquid enim gratia, & dilectionis impendere sibi possunt absentes amici, puto & me debere tibi, & mihi deberi à te.* Siue ergo charitate in virum Dei, siue præsagio suæ consummationis, quæ iam Cistercio destinata præoccupabat affectum; Cistercienses præ aliis venerabatur. Cæterum qua occasione hæc Monasteria, pretium suæ redemptionis, dum de vtraque salute periclitatur, Beatæ Virginis iussu construi fecerit, quia mirabilem continet visionem, ipso exteriori euentu comprobatam, fructum historiæ eiusdem Sancti Viri, quam integram mox dabimus, Exordij magni verbis libet prosequi.

2. [b] *Vir magnificus, & cum omni reuerentia nomi-* g Li.3.ep.25. *nandus Eskyllus, quondam Danorum Archiepiscopus, & Apostolica Sedis in Insulis Aquilonaribus, Legatus, postea verò humilis Cisterciensis Ordinis Monachus, & Cœnobij Claraeuallis professus, cum adhuc esset adolescens, annos natus circiter duodecim, transmissus à Parentibus causa study in Saxonia morabatur, qua tunc in nobili illa Hildesimensi Ecclesia fortissima à Clericis diuersarum regionum, celebri concursu frequentabatur. Itaque cum aliquandiu ibi moratus fuisset, in grauissimam valetudinem incidit, & diuturno languore tabescens, tandem à Medicis desperatus est, ideòque procuratum est, vt Oleo sancto vngeretur. Cumque Presbyteri, cateriquo fideles, huius rei gratia lectulo eius assisterent, subito factus est in agonia omniúmque membrorum, ac sensuum officio destitutus est, ita vt ferè mortuus putaretur. Exemptus ergo carnis sensibus, ductus est in spiritu ad quandam mansionem, totam interius quasi clybanum ardentem. Ad quam cùm propius accederet, & illam curiosiùs inspicere vellet, subito erumpens vapor incendij apprehendit incautum, móxque in illam fornacem flammiuomam traxit inuitum.*

3. *Qui cum protinus ardere cœpisset, iámque nihil aliud, nisi mortem, & ignem aternum sibi superesse cogitasset; ecce, miserante Deo, apparuit ei in vno diuersorij latere meatus quidam, quasi tramitis angusti de ostio ad ostium ducens, qui etiam flammis vacuus videbatur esse. Quem cernens, & spe euadendi animatus, conatu quo potuit reptans, ad locum illum refrigerij peruenit, & per illum ad ostium tendens celeriter exiit, & fugit palpitans, ac tremens à facie ignis deuorantis. Móxque palatium quoddam regale, & amplum reperiens, & illud ingrediens, vidit in eo Reginam Cœlorum, & Dominam Angelorum vultu, & habitu mirabili coruscantem, atque in throno gloria residentem. Ad quam pauidus, & anhelus accedens, flagitabat obnixè, vt sui misereretur. Quem protinus illa dedignanter aspiciens, atque minaciter alloquens, quod ausus fuisset in conspectu ipsius apparere, mandat quantociùs egredi, & cruciandum ad ignem reuerti.*

Porrò inter alios Matri misericordia assistentes apparebant ibi tres viri Venerabiles, quorum vnus eiusdem ciuitatis Episcopus erat, alter verò Decanus, tertius nihilominus, nescio, quid officij in eadem Ecclesia administrans. Hos itaque prafatus adolescentulus intuens, ac recognoscens, lachrymabiliter precabatur, quatenus piissima Domina, pro ipso supplicare dignarentur. Quod cum deuotissimè facerent, Misericordissima dissimulatrix respondit eis, dicens: Quid est, quod rogare prasumitis pro adolescentulo isto vanissimo, meoque conspectu indigno. Hic enim peruersus, & lubricus numquam me honorauit, numquam salutationem meam mihi, vel vna vice repræsentauit. Cùmque illi rogarent, vt solita pietate delicta iuuentutis, & ignorantias illius dimitteret, si de catero se emendaturum promitteret, accessit iterum tremebundus adolescens obsecrans eam, & dicens: miserere mei, piissima Domina, miserere mei Miseratrix generis humani, & ne claudas à me misero inexhausta viscera misericordia tua; quia paratus sum à modo, & vsque in sempiternum seruire tibi, & te super omnia, post Deum, venerari. Quia si genitor meus istam calamitatem meam agnosceret, maxima auri pondera pro mea libertate libenter impenderet. 4.

Talia itaque cum lamentabili voce depromeret, Beatissima Virgo Maria mater misericordia serenata facie respiciens illum, dixit: Quid igitur? Putas ne valere te ipsum apud me condigno pretio redimere? In hoc enim forsitan placare me posses, si congruum mihi pretium pro tua redemptione persolueres. Tunc ille modicè exhilaratus in verbo isto, fiducialiter accessit, & dixit: Etiam, atque etiam, Clementissima Domina, ego me optimè redimam, & quicquid mihi iniferis dignatio tua, libentissimè faciam, tantummodo esto mihi propitia, ne me in illum ignem ampliùs cruciandum remittas. Cui Regina Virginum respondit: Volo igitur, vt de quinque generibus annona, quinque mihi modios, hoc est, de singulis singulos, non negligas reddere. Quo, ille, audito, latanter accepit, respondénsque alacriter dixit; charum est mihi, charissima Domina, quod imponis, valdéque iucundum: & ego mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem dabo in horreum tuum. Quod cùm in fide sua firmiter promisisset, datis etiam fideiussoribus, 5.

ribus supradictis intercessoribus, dimissus est tandem liber ad humana reuerti.

6. *Redditus itaque sibi, confestim aperuit oculos: receptóque vsu loquendi surrexit, & sedit in lectulo suo. Móxque in iubilum erumpens, cœpit clamare cum gaudio magno dicens: Benedictus Deus, ego liberatus sum, & amplius non ardebo. Gratias ago tibi, S. Dei genitrix Virgo, quia liberasti me de incendio isto, & amplius non ardebo. Videntes autem cuncti, qui aderant, adolescentem illum de mortis ianua iam reuocatum, ita clamantem, & ita præ gaudio gestientem: mirati valde sciscitabantur ab eo tanta lætitiæ causam. Ipse verò per multum temporis spatium nihil aliud dicere poterat nisi tantummodo: Deo gratias; ego non ardebo. Et cùm sæpiùs illud repetisset conuersus tandem ad illos, quid sibi accidisset, aut quid vidisset per ordinem indicauit. Vnus autem ex ipsis, vir bonus, & eruditus, hæsitantem de visione adolescentem secretius alloqui, atque instruere curauit, dicens. Scito, prænoscens, futurum te esse magni nominis virum, & gradum maximæ dignitatis in Ecclesia sortiturum. Quem, cum, fauente Domino, adeptus fueris, oportet te in honorem Dei, & Sanctæ Virginis Matris eius diuersorum Ordinum Cœnobia quinque de tuo construere: in quibus, iuxta mensuram tibi propositam rationem habeantur adminus personæ duodecim, diuino iugiter obsequio famulantes.*

7. *His ille auditis, interim tacuit: sed quem res exitum habitura foret, semper sollicitus fuit. Porrò in ipsa visione significatum est ei tres illos Venerabiles viros, qui pro eo intercessores extiterunt, cum adhuc in carne degerent, eodem anno fore de mundo migraturos: quod etiam celerius subsequuta mors eorum, verum fuisse comprobauit. Processu verò temporis, cùm præfatus adolescens ætate pariter, & sapientia crescens, iam in virum optimum profecisset: Ordinante Deo, ad regimen Lundensis Ecclesiæ, quæ Daniæ Metropolis habetur, assumptus est. At postquam iamdudum prophetatæ sibi dignitatis culmen ascendit, illico reddendi voti sui tempus adesse cognouit; in quo sub quinque generibus annonæ, secundum interpretationem voti sui, diuersorum Ordinum Cœnobia quinque se fundaturum Regina Cœlorum deuouerat. Nactus igitur opportunitatem, de remotis Galliarum partibus, vbi fontem Religionis esse cognouerat, non solum quinque, sed etiam plures spiritualis professionis Conuentus euocare curauit. Inter quos Cisterciensis Ordinis duos Conuentus obtinuit, vnum scilicet de ipsa Domo Cisterciensi, & alterum de Claraualle, quósque in optimis terræ suæ locis, tanquam vites fructiferas, vinum iustitiæ germinantes, pastinauit. Vt enim semetipsum perfectè redimeret, mensurámque bonam, & supereffluentem Piissimæ Liberatrici suæ, sicut promiserat, persolueret, quinque Cœnobiorum fundatione contentus esse noluit, sed alia, atque alia tam de suo, quàm de aliorum fidelium dono studuit ædificare.* Hæc de occasione fundatorum Monasterioium ab Eskyllo Archiepiscopo, præcipuè Esron; quod condidit hoc anno.

8. Interuenisse fundationi Domus Guillelmum Monachum, Eskyli in sæculo, sed Bernardi in Religione, discipulum, eadem, quam superius memoтauimus, B. viri epistola, argumento est, quæ eumdem Guillelmum communem filium euntem, redeuntémque commemorat. *Refectus sum per charissimum fratrem nostrum filium tuum Guillelmum de abundantia pectoris tui.* Et paulò inferiùs. *De secreto autem verbo illo, quod tam ardenter ascendit in cor tuum, respondebit tibi ex parte nostra Guillelmus tuus; tuus, inquam, & specialiter tuus in visceribus Iesu Christi. Posui enim verba mea in ore eius, & ipsum audies tanquam me in negotio isto.* Quid si & primus eiusdem loci Abbas? quem Sanctus Pater non filium, sed fratrem vocat. Certè post annos aliquot Gerardum Esronensi Cœnobio præsidentem, virum religiosissimum, ingentísque apud Danos authoritatis, plura, quæ inferiùs [c] de ipso dicturi sumus, manifestant. Verùm verbum secretum nequaquam dubitem, ea præcipuè respicere, quod iam de sæculi, & gloriæ eius fuga, ac Monachatu assumendo deliberaret; id enim satis sonant verba illa, *quod tam ardenter ascendit in cor tuum.* Sed de his suo loco erit dicendum. Numerantur Esron quinque filiæ in Genesi Ecclesiarum Claræuallensium: Sora, Vitæ schola: Aurea insula: Coluan, atque Hilda. Sed Sora à nobis ante triennium dicta: vt liqueat facile, aut tardius natam esse, aut incepisse tunc ædificari, sed nondum incoli, post hunc annum à Monachis ex Cœnobio Esron missis inhabitanda. Inter Monachos à Bernardo Parente missos, Henricus fuit, quem ad hoc ipsum dudum præmunitum, atque præmonitum; infra dicemus, cum Vitæ scholæ, Esronensi secundæ proli, in Abbatem præfectum tradiderimus. Est & aliud Cœnobium Esron nomine, in Diœcesi Pragensi, quod suo loco veniet referendum.

c *Ann. lib. 1160. c. 2. n. 2. & 3.*

9 Alterum ab Eskyllo Cœnobium conditum, Hermadium, seu Granadium; quod tamen vtrum diuersum ab Heruiado, siue Eriuado sit, quod tomo præcedenti anno M. C. XLIV. genitum ex Cistercio memorauimus, non de facili ausim diffinire: quippe in genesibus tanquam diuersum ponitur. *Eriuadum* (inquiunt) *in Dania Lundensis Diœcesis.* Et rursus. *Granadium in eadem Diœcesi, & prouincia.* Post quæ Persenia Cœnomanensis ponitur, quam constat natam anno M. C. XLV. At Chronologia præter Eriuadum, siue Herniadum, non meminit Hermadij: & Granad, seu Granadium, quod commemorat, anno M. CC. XIV. natum tradit, quod ab Eskyllo, defuncto ante viginti, non potuisse fundari palam constat. Quodcumque fuerit in Lundensi surrexit Diœcesi: quo duplex sedes Eskylli, prima, & vltima, duplici Cisterciensi Cœnobio, atque inde pluribus aliis tota Danorum prouincia fœcundaretur. Nam præter quatuor ab Esron producta, ab Hermadio, aut Granadio septem constructa lego. Tutam Insulam: Insulam Dei: Locum Dei: Partum; vel de Ponte Vverdmond, Isulten, & Ziberulum. Sic in Genesi Ecclesiarum Cistercij, cui magna ex parte concordant cæteræ tabulæ corruptis tamen nominibus locorum, in his præcipue, quæ carent significatu, Hæc de Cœnobiis fundatis ab Eskyllo Claræualli, & Cistercio. Reliqua eius inferius prosequemur.

Verum de Ecclesiis aliarum Religionum, Præmonstratensis nimirum, & Carthusiensis extat epistola ad ipsum Petri Cellensis, in qua hæc inter 10
alia. [d] *Ex vestra dignatione in mandato ab anno præterito accepi, quatenus Carthusienses fratres expeterem, & de maturando negotio vestro eos commonefacerem. Erat autem negotium, sicut scitis, quatenus ad vos mitteretur frater Rogerius, ad locum Ordini illorum in partibus vestris perquirendum, & praparandum. Disposuerat namque in animo vestro plena, & perfecta charitatis effusio noua seminaria de omni genere Sacrorum Ordinum seminare prouinciam vobis à Deo commissam, vt ex inde fructus, qui permanent in æternum, susciperetis: & manipulos iustitiæ de laboribus eorum ad æterna tabernacula reportaretis.*

d *Li. 1. ep. 23.*

reportaretis. Iam non solùm in herbam, sed in spicas, Cisterciensis, siue Claraualliis Ordo, ibi multiplicatione fratrum excreuit: nihilo minus & Religio Premonstratensis. Quia igitur gustaui, & vidi prudentia vestra, quod bona sit negotiatio ista, ad vlteriora manum porrexistis, & de illo ordine, qui quasi Cherubim, siue Seraphin, immediatè residenti Agno, qui habet oculos septem, & cornua septem, in throno gratiæ accedunt, gazas vestras exornare voluistis. Ecce factum est, vt imperastis. Acquieuit Sanctus Carthusiensium fratrum Conuentus iustis petitionibus vestris. Hæc ad Eskyllum Petrus Cellensis Abbas,[e] ex quibus corrigendus venit Ioannes Isaacius Pontanus, qui quinque Monasteria ab Eskyllo fundata, vni Bernardo, & Cistercio sacrata tradit. e *Rerum dinimarum. lib. 6.*

IESV CHRISTI ANN. 1152. CISTERCII ANN. 55.

1. *Eugenius, pace cum Romanis facta, vrbem ingreditur.* 2. *Quorum mores, ab ipso corripiendos, Bernardus monet.* 3. *Friderici ad eumdem Legati, atque inter arbitros, Bruno Claravallis.* 4. *Pacta conuenta,* 5. *ex parte Imperatoris:* 6 *dein Pontificis.* 7. *Correctus Baronius.* 8. *Et occasio discordiæ inter vtrumque.* 9. *Epistola Eugenij ad Germaniæ Episcopos,* 10 *seuera,* 11. *& grauis ab Ottone prodita.* 12. *Erecta Roma ædificia, & illustrata.*

CAPVT I.

1. ANNVS millesimus centesimus quinquagesimus secundus, qui fuit Cistercio quintus, & quinquagesimus, variis, vt fit, euentibus insignis, Eugenium Romæ, & Conradum terræ reddidit; hunc, nec sine suspicione veneni, per mortem raptum; illum, composita pace cum Romanis, vrbi tandem in quiete restitutum. Sic completa Hildegardis prophetia, quæ pacem quidem Eugenio Papæ promiserat, sed non nisi sub fine Pontificatus. Et quidem de ingressu eius in vrbem, ista Robertus Montis, in appendice.[a] *Eugenius Papa, cum Romanis pace facta, vrbem ingreditur; ibique cum eis hoc anno primitus commoratur.* Carolus Sigonius triennio anticipat, quod satis mirum, cum Robertum auctorem proferat; sed nihilominus diplomata etiam citat, queis maior fides, si verè tali extant. Verba eius ad litteram transcribam.[b] *Postero anno, qui fuit M. C. L. Conradus Henricum filium, quem sibi successorem animo, & suffragiis Principum destinauerat, extulit. Eugenius, vt ex diplomatibus eius apparet, ad Sanctum Petrum, sedit. Sigebertus auctor est, ipsum, multa cum Romanis certamina, obtinendæ vrbis causa, contraxisse.* Chaconius addit, Tusculi commorantem per legatos vocatum à Romanis,[c] *Cum tot calamitatibus vexati, ac Bernardi Abbatis monitis, & oratione, compuncti, tandem resipiscerent.*

a *Ad hunc ann.*

b *De Regn. Italiæ lib. 11. in fine.*

c *Apud hunc ann. in Eugenio.*

2. Vtcumque fuerit, Bernardus Pater hoc anno, seu præuidens Eugeniū obtenturū, seu, vt vult Baronius,[d] obtinuisse iam vrbem compertum habens, dum solitum de Consideratione librum illi scriberet, multa de Romanorum fastu, proteruiáque; & de adhibenda quacumque medicina, morbo etiam incurabili, persuadet, satis emphaticè. Sic enim ait.[e] *Quid de populo loquar? populus Romanus est. Nec breuius potui, nec expressius tamen aperire de tuis parœtianis, quid sentio. Quid tam notum sæculis, quàm proteruia, & fastus Romanorum? Gens insueta paci, tumultui assueta; gens immitis, & intractabilis, & vsque adhuc subdi nescia nisi cum non valet resistere. En plaga! tibi incumbit cura hæc, dissimulare non licet. Rides me, forsitan fore incurabilem persuasus. Noli diffidere, curam exigeris, non curationem.* Et inferiùs.[f] *Scio induratum cor populi huius; sed potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Quis scit, si reuertatur, & ignoscat, conuertat, & sanet eos?* Ita Bernardus. Quæ etsi absolutè ab eo prolata sunt, haud tamen de omnibus Romanis, sed de discolis tantùm intelligenda fore, & aduertit Baronius, & ipso etiam tacente, perspicuum foret. Atque de regressu Eugenij ad vrbem.

d *Ad hunc ann.*

e *Lib. 4 de considerat. cap. 2.*

f *Ioel. 2.*

Mortuo Conrado, Fridericus ei sufficitur, Sueuorum Dux, decedentis delectu, & Principum Imperij approbatione. Non quod Conradus careret prole propria; sed quia tenera ætate, & moderando Imperio, parum apta. A nouo Rege legati destinantur ad Eugenium Pontificem, Hillinus, Treuirorum electus post Alberonem, & Eberhardus Bambergensis vterque Pontifex: quod Otto Frisingensis his verbis narrat.[g] *Peractis omnibus, quæ ad Coronæ decorem spectabant, Princeps in Palatij secreta se recepit, vocatisque prudentioribus, seu maioribus ex numero Principum, de statu reipublicæ consultans, legatos ad Romanum Pontificem Eugenium, vrbem, ac totam Italiam destinandos disponit, de promotione sua in Regnum significaturos. Mittuntur itaque Hillinus Treuerensis electus, & Euerhardus Bambergensis Episcopus, viri prudentes, & litterati.* Hi ergo Romam ad Eugenium profecti sunt, debitam obedientiam præstituri, & tractaturi quæcumque conuenientia firmandæ paci, & regni, & Sacerdotij. Sex viri designati per Pontificem, qui concordiæ capitula sancirent; quinque selecti ex Collegio Cardinalium, Gregorius, Humbaldus, Bernardus, Octauianus, Rolandúsque; & vnus ex Abbatibus Cistercij, Bruno Claræuallis ad Mediolanum, quem superius, ni fallor, commemorauimus. Fridericus, vt dignitate inferior, ita & numero, quinque tantùm pro se adhibendos censuit; duos Episcopos, Hamburgensem, & Constantiensem, & tres Comites; Oldericum, Guidonem Guerram, & Guidonem Baldatensem. Verùm quæ ex eo congressu concordiæ leges, inter vtrumque gladium sancitæ sint, quia maximè ad Eugenij gesta pertinent, & quia interuentu Brunonis Cisterciensis; capitulis ad litteram transcriptis ex Vaticano codice, quem vulgauit Baronius, hic consequenter duxi referendas. 3.

g *Lib. 2. Frider. c. 4.*

[h] *Venerabili in Christo Domino Eugenio, Dei gratia Apostolicæ sedis Pontifici, Fridericus, eadem gratia, Romanorum Imperator Augustus, filialem dilectionem,* 4.

h *Ad hunc ann.*

dilectionem, & debitam in Christo reuerentiam.

Regia maiestatis dignitas postulat, qua ad pacis, & concordia bonum spectare noscuntur, attenta solicitudine stabilire;& vt inter sacerdotium,& regnum, indissolubili charitate bonum ipsum perpetuò perseueret,diligenti studio, & exacta diligentia laborare. Huius itaque rationis prospectu, concordiam inferius annotatam,qua inter vos,& nos(auctore Deo)statuta est,sicut ab vtraque parte stabilita est, & ordinata, ne aliquid arbitrio nostro immutasse videamur, per eadem verba prasentis serie scripti pracepimus annotari.

5. *IN nomine Domini. Amen. Hac est concordia forma,& conuentionis inter Dominum Papam Eugenium, & Dominum Fridericum Romanorum Imperatorem constituta,mediantibus Gregorio S. Maria trans Tyberim, Humbaldo S. Praxedis, Bernardo S. Clementis,Octauiano S. Cacilia,Rolando S. Marci,Gregorio S. Angeli,Guidone S. Maria in Porticu, & Brunone Abbate de Claraualle,ex parte Domini Papa: Anselmo verò Hamburgensi (aliàs Aldelbergensi) Hermano Constantiensi Episcopis, Olderico de Insprucb (aliàs Zembruch) Guidone Guerra, & Guidone Baldatrensi Comitibus, ex parte Domini Regis. Dominus siquidem Rex, vnum de maioribus Regni fecit in anima Regis iurare, & ipse, propria manu, data fide in manu legati Domini Papa promisit, quod ipse nec treguam, nec pacem faciet cum Romanis, nec cum Rogerio Rege Sicilia, sine libero consensu,& voluntate Romanorum, & Domini Papa Eugenij,vel successorum suorum, qui subscripta concordia cum eodem Rege Friderico tenere voluerunt, & pro viribus laborabit,Romanos subiugare Domino Papa, sicut melius vnquam fuerunt, à centum retro annis. Honorem Papatus, & regalia B. Petri, sicut deuotus,& spiritualis aduocatus. S.R.E. contra omnes homines,pro posse suo;seruabit, & defendet, qua non habet, recuperare pro posse iuuabit; recuperata defendet, Gracorum quoque Regi nullam terram ex ista parte maris concedet. Quod si fortè ille inuaserit, pro viribus regni quanto citiùs poterit, ipsum eiicere curabit. Hac omnia faciet, & obseruabit sine fraude, & malo ingenio.*

6. *Dominus verò Papa, Apostolica auctoritatis verbo, vna cum pradictis Cardinalibus, in prasentia prascriptorum Legatorum Domini Regis promisit, & obseruabit, quod eum sicut B. Petri charissimum filium honorabit, & venientem pro Corona sua plenitudine,sine difficultate,& contradictione, quantum in ipso est,Imperatorem coronabit, & ad manutenendum, augendum, & dilatandum honorem Imperij, pro debito officij sui,iuuabit, & quicumque iustitiam, aut honorem Regni conculcare, aut subuertere, ausu temerario prasumpserit, Dominus Papa, à Regia dignitatis dilectione pramonitus, eos ad satisfactionem Canonicè commonebit. Quod si Regi,ad Apostolicam monitionem,de iure,& honore Regio, iustitiam exhibere contempserint, excommunicationis sententia innodentur. Regi etiam Gracorum,ex ista parte maris, terram non concedet: quòd si ille inuadere prasumpserit, Dominus Papa viribus. B. Petri eum reijcere curabit. Hac omnia ex vtraque parte sine fraude, & malitia seruabuntur, nisi fortè libero, & communi consensu vtriusque immutentur. Testes autem,quorum nomina subscripta videntur, Arnoldus Coloniensis Archiepiscopus,Hermanus Constantiensis Episcopus, Anselmus Hamburgensis (aliàs Auelbergensis) Episcopus, Arditio Cumanus Episcopus,N. Curiensis Episcopus. Vvibaldus Stabulensis Abbas, Albertus Coloniensis Decanus, Magister Henricus Notarius,Gotifredus Viterbiensis Capellanus Regis. Ex laicis, quorum Vvlpho Dux, N. Marchio. Hermanus de Baden Comes, Vlricus de Luzemburch Comes, Anselmus ministerialis,& Camerarius Regis. Signum Domini Friderici Romanorum Imperatoris inuictissimi. Ego Arnoldus Cancellarius recognoui. Datum Constantia. X. Kalendas Aprilis, Indictione XV. anno Dominica Incarnationis M. C. LII. regnante Domino Friderico, Romanorum Rege glorioso,anno verò Regni eius primo.* Hactenus sancita vtrinque concordiæ capita.

Circa quæ id occurrit adnotandum, ne lector 7.
erret,Cardinalem Baronium,dum ea reddit, loco Brunonis,Bernardum correxisse, quasi Bernardus Pater Abbas fuerit,qui sextus Cardinalibus sit additus,negotia pacis,pro Eugenio,tractaturus. Sed hunc congressum, aut in Italia habitum, aut in Germania,compertum est; quo S.Pater hoc anno non adierit,fractus iam viribus, & vix intra Alpes valens peregrinari, nedum transire. Et aliàs constat de Brunone Claræuallensi ad Mediolanum, ad quem extat epistola Bernardi, quam nos adduximus,qui citra Alpes, in Italia degens, facilè aut interesse, aut mitti potuit, capitulis paciscendis interfuturus. Hæc de pactis conuentis inter Eugenium, & Fridericum electum Imperatorem. At quàm non firmas emiserint radices, demonstrauit euentus,hoc ipso anno.

[i] *Circa idem tempus* (ait Otto Frisingensis) 8.
Magdeburgensis Ecclesia,qua Saxonia Metropolis esse dignoscitur, pastore suo viduata, ad electionem faciendam resedit. Dumque alij eiusdem Ecclesia prapositum Gerardum, alij Decanum eligerent; diuisis hinc inde personis, Regem, adhuc in Saxonia morantem, adire disponunt. Quos dum multis modis ad vnitatem, & vinculum pacis Princeps reducere satageret,ac proficere non valeret;alteri parti, id est, Decano cum suis persuasit, vt Guicmanum Cicensem Episcopum,virum adhuc iuuenem, sed nobilem, eligerent: eique accersito, regalia eiusdem Ecclesia concessit. Hæc dissidij inter Fridericum, & Eugenium occasio fuit. Nam Fridericus pertinere ad se dicebat,[k] *& ab Ecclesia eo tempore,quo sub Henrico quinto, de inuestitura Episcoporum decisa fuit inter Regnum,& sacerdotium controuersia, sibi concessum autumat, quod obeuntibus Episcopis, si fortè in eligendo partes fiant, Principis arbitrij esse, Episcopum, quem voluerit,ex Primatum suorum consilio, ponere; nec electum aliquem, ante consecrandum, quam ab ipsius manu regalia per sceptrum suscipiat.* At Eugenius,quidquid esset de hoc iure (quod notauit Baronius [l]) certum habebat. *Non fuisse, nec esse in facultate alicuius Regis, aut Imperatoris, à sede ad sedem absque causa, sede Apostolica inconsulta, Episcopum transferre.* Pergit ergo Otto scribere in hunc modum.

[m] *Hanc rem,quàm grauissimè Romanus Pontifex* 9.
exceperit,tam ex litteris,in quibus nonnullis Episcopis,qui pro eo, ob amorem Regis, Romana Ecclesia, scripserant,respondit;quàm ex Cardinalium,qui postmodum ad Transalpina directi sunt, viua voce percepimus. Litterarum autem talis tenor fuit.

EVgenius Episcopus seruus seruorum, Dei Venerabilibus fratribus Eberhardo Saltzburgensi, Artubico Bremensi, Hillino Treuerensi Archiepiscopis,Eberhardo Banbembergensi, Hermanno Constantiensi, Henrico Ratisponensi, Ottoni Frisingensi, Conrado Pataniensi, Danieli Pragensi, Anselmo, Hammelburgensi,& Burchardo Eistaensi, Episcopis, salutem,& Apostolicam benedictionem.

Litteras

i Lib. 2. Frid cap. 6.

k Idem ibid

l Ad hunc ann.

m Lib. 2 c. 8.

Litteras quas pro causa Magdeburgensis Ecclesiæ, vestra nobis prudentia, delegauit, debita dignitate suscepimus. In lectione, autem, & cognitione earum stupore nimio, & admiratione repleti sumus, eo quod longè aliud in eis, quàm vobis, ex officio Pontificatus, immineat, perspeximus contineri. Cùm enim in Ecclesiæ vertice sitis, ex diuina prouidentia constituti, vt de medio eius, quæ fuerint nociua, propellere, quæ vtilia, debeatis attento studio conseruare; in causa ista, sicut & suggestione litterarum vestrarum nobis innotuit, non quod expediat Ecclesiæ Dei, quod sacrorum Canonum sanctioni concordet, quod exinde à Cœlesti arbitrio approbetur; sed quod terrenis principibus placeat, attendistis: & qui eorum animos à sua minus recta debuistis deflectere intentione, atque vbi esset via Domini demonstrare; non persuasistis quod rectum est, nec stetistis murus pro domo Israel;
n Ezech. 13. *quinimo ipsis, vt ait* [n] *Propheta, parietem ædificantibus, vos, quod sine grandi animi rancore vix dicimus, liniuistis illum luto absque paleis.*

10. o Actor. 5. *Non ita sentiebat* [o] *Princeps Apostolorum, qui ex fidei suæ confessione, vt totius Ecclesiæ fundamentum esset, accepit: sed comminantibus sæculi filiis, & Apostolis, si prædicarent in nomine Iesu, mortis exterminium intentantibus, confisus de Domini virtute respondit: Oportet obedire Deo magis, quam hominibus. Vos autem, ne à terenis videamini principibus dissentire, illi causæ fauorem vestrum impenditis, cui, & Ecclesiastica authoritas constitutionis, & supernæ voluntatis examen, pro certo creditur obuiare. Cùm enim translationes Episcoporum, sine manifestæ vtilitatis, & necessitatis indicio, diuinæ legis oraculum non permittat, cùm etiam multò amplior, quàm in aliis electionibus Cleri, & populi, eas debeat præuenire concordia, in facienda translatione de Venerabili fratre nostro Guicmanno Cicensi Episcopo, nihil horum est: sed solus fauor principis expectatur: & nec inspecta necessitate illius Ecclesiæ, nec considerata vtilitate personæ, Clero nolente, imò (vt dicitur) ex parte maxima reclamante, in Magdeburgensi eum dicitis Ecclesia supplantandum super quo tanto amplius admiramur, quanto persona illa, cuius grauitatis sit, atque scientiæ, ab antè actis agnouimus, ac perinde quantum Ecclesiæ illi sit vtilis, non penitus ignoramus.*

11. *Quoniam igitur quicumque temporalis auræ flatibus agitentur, nos in illius petræ soliditate fundati, quæ in fundamento meruit Ecclesia collocari, sicut non debemus, ita nec volumus omni vento circumferri doctrinæ, aut à sacrorum Canonum rectitudine impulsu aliquo deuiare, per præsentia vobis scripta mandamus, quatenus causæ isti fauorem vlteriùs non præstetis, & apud charissimum filium nostrum Fridericum, quem Deus hoc tempore, pro seruanda libertate Ecclesiæ in eminentiam Regni euexit, efficere vestris exhortationibus studeatis, vt & ipse à sua super hoc intentione desistat, & contra Deum, contra sacros Canones, contra Regiæ dignitatis officium, eidem causæ fauorem suum vlteriùs non impendat, sed Ecclesiæ Magdeburgensi, sicut & aliis Ecclesiis regni, à Deo sibi commissis, liberam facultatem, quem voluerit, secundùm Deum, eligendi, relinquat, & electionem ipsam postmodum fauore suo, sicut decet maiestatem Regiam, prosequatur. Nos enim, si quod de supradicto fratre nostro facere nititur, videremus ratione fulciri, nec voluntati eius, nec postulationi vestræ duceremus aliquatenus obuiandum. Contrà Deum autem, & sacrorum Canonum sanctiones, nulli omnino petitioni possumus præbere consensum; Datum Signiæ XIV. Kalend. Septemb.* Hactenus Pontifex. Qui, & sequenti anno, duos Romanæ Ecclesiæ Cardinales ad Germaniam legauit, de his, & aliis causis cognituros, quod suo loco ex more referemus. Interim adnoto inter Episcopos, quos Eugenius taxat his litteris, Ottonem, & Conradum fratres fuisse, ex Cistercio vtrumque; siue quod translationi consensum dederint, quod in fauorem patrui Imperatoris nequaquam negem irrepere potuisse: siue quod pro iam facta, ipsis inuitis, ignorantibúsve, Sanctum Pontificem fuerint deprecati. Quodcumque fuerit, notatu dignum iudico, hanc ipsam maculam, qualiscumque sit, nisi ab eodem Ottone proderetur, ad posteros nequaquam transituram. Sed præualuit in homine, aliàs sancto, veritatis affectus; nec iudicauit parcendum sibi, aut fratri; in quo alios notandos, ex debito historiæ non dubitabat. Sed redeo ad Eugenium.

Qui, ne quod esset officium, ne qua pietas, quibus non sibi deuinceret curaret ingratam vrbem. 12.
Animum vetustis fabricis reparandis, vel nouis excitandis intendit. Palatium enim apud Sanctum Petrum à fundamentis extruxit; signum prætorium condidit; Porticum ante Basilicam Sanctæ Mariæ Maioris refecit, & picturis opere vermiculato, quod Mosaicum vocant, exornauit, vt inscriptio capitalibus litteris adhuc ostendit. Ita Chaconius. [p] Porrò p In Eugen.
inscriptionem constantem ex tribus distichis, imperfectam ab ipso, Andræas Victorellus integram dedit, quæ talis hodiéque ibidem conspicitur.

Tertius Eugenius Romanus Papa benignus
Obtulit hoc opus, Virgo Maria, tibi:
Quæ mater Christi fieri meritò meruisti
Salua perpetua virginitate frui.
Es via, vita, salus, totius gloria mundi;
Da veniam culpis, Virginitatis honos.

Hactenus inscriptio, recentior fortè fabrica; sed quæ probat authorem Eugenium tertium. Sic nihil fuit, quod non Eugenio Roma semper debuerit, etiam cùm ipse Romæ nihil deberet.

1. Eugenius ad instantiam Gozeuini, 2. post commendatum Cisterciensem Ordinem, 3. Chartam charitatis denuò confirmat: 4. & quædam alia priuilegia indulget, 5. (quibus sexdecim Cardinales subscribunt, 6. tres Cistercienses) confirmata deinde per successores. 7. Ecclesiam Deiparæ del Pilar, *Cathedralemque Cæsaraugustæ, Regulares instituit. 8. Bernardo viuenti successorem, & sub eo priuatam vitam indulget. Tarraco Raimundo Comiti traditur eiusdem indulgentia. 9. Petri de Atares obitus, & sepultura.*

CAPVT II.

1. DVM sic Eugenium publica exercebant, censuit domesticis non minus prouidendum; & propriam sibi familiam Cisterciensem muniendam diplomate, quod chartam charitatis, non in genere tantum, & quasi abstractè; sed speciatim per singula capitula, Apostolica sanciret auctoritate, additis etiam quibusdam priuilegiis, declarationibúsque, quæ Gozeuinus Pater postulasset. Ergo cum præcedentibus negotiis, expeditio dilata, vsque ad hunc annum, & iam Capituli generalis tempus instaret, Kalendis Augusti, cum Signiæ demoraretur, capitulo eidem præsentandas, has, sub sigillo plumbeo, litteras dedit, proprio, & sexdecim sibi tunc assistentium Cardinalium subscriptas nomine, ex quibus tres ex Cistercio erant assumpti.

2. *Eugenius Episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filiis Gothonio* (ipse est Gozeuinus) *Cisterciensi, & cæteris fratribus, ac Monachis, tam præsentibus, quàm futuris regularem vitam, & Cisterciensis Ordinis statuta professis, in perpetuum.*

Sacrosancta Romana Ecclesia, sicut in B. Petro Apostolorum Principe, à Domino promissionem obtinuit, quod vniuersalis Ecclesiæ fundamentum existeret, & præceptum accepit, vt Christianæ fidei professores, in fide, religione, omnique sanctimoniâ confirmaret, ita, pro vniuersarum Ecclesiarum profectibus, solicitam se semper exhibuit: & de instituendo, conseruando, & prouehendo in omnibus Ecclesiis cultum sacræ religionis, fuit omni tempore studiosa. Vt, ab ea, sicut à fonte, ad vniuersos Ecclesiæ filios sit religio deriuata: &, quod ab aliis, qui spiritus primitias acceperunt; religiosè, ac salubriter institutum est, per eamdem immutabilem acceperit firmitatem. Inde est, dilecti in Domino filij, quòd sacræ religionis vestræ opinione, tanquam odore agri pleni, cui benedixit Dominus, prouocati, religiosis postulationibus vestris, benignum impertimur assensum, & regulares institutiones vestras, auctoritate Apostolicâ, confirmamus: in quibus, sub certis capitulis, quæ inferiùs annexa sunt, decreuimus exprimenda.

3. *Statuistis equidem inter vos, ne in alicuius Antistitis Diœcesi Ordinis vestri Abbatia fundetur; donec ipse Antistes decretum, quod inter Ecclesias Ordinis vestri ad custodiam disciplinæ firmatum est, ratum se habere promittat. Et vt in omnibus Monasteriis de Ordine vestro, sicut in Cisterciensi Ecclesia, beati Benedicti regula perpetuis temporibus obseruetur; & in lectione ipsius nullus Ordinis vestri professor, præter simplicem, & communem intelligentiam, quemlibet alium sensum inducat; sed vniformiter, sicut quæque diffinita noscuntur; intelligantur ab omnibus, & inuiolabiliter obseruentur. Easdémque penitus obseruantias, eumdem cantum, & eosdem libros, qui ad officium Ecclesiasticum pertinent; per vniuersas Ecclesias vestri Ordinis teneatis; nec aliqua omnino Ecclesia, vel persona Ordinis vestri, aduersus communia ipsius Ordinis instituta, priuilegium à quolibet postulare audeat, vel obtentum quomodolibet retinere. Ordinatum est etiam inter vos, vt omnes Abbates de Ordine vestro singulis annis ad generale capitulum Cisterciense, omni postposita occasione, conueniant, illis solis exceptis, quos à labore viæ infirmitas corporis retardauerit, qui tamen idoneum nuncium delegare debebunt, per quem necessitas remorationis illorum valeat capitulo nunciari; & illis item exceptis, qui in remotioribus partibus habitantes, sine grandi, & euidenti difficultate se nequiuerint capitulo præsentare. Qui nimirum eo termino venient, qui eis in ipso fuerit capitulo constitutus. Præterea, si aliqua controuersia inter quoslibet Abbates de Ordine vestro emerserit, vel de aliquo eorum tam grauis culpa fuerit propalata, vt suspensionem, aut depositionem etiam mereatur, quidquid inde à capitulo fuerit Canonicè definitum; sine retractatione aliqua obseruetur.* Deinde in summario prosequitur principaliora puncta chartæ charitatis, & circa finem addit, quæ sequuntur. *Personam autem de alio Ordine nulla Ecclesiarum vestrarum sibi eligat in Pastorem, sicut nec vestri Ordinis aliquam Monasteriis aliis statuistis ordinari posse Abbatem.*

4. *Hæc nimirum, dilectissimi filij, de multis institutionibus Ordinis vestri excerpsimus, & propriis curauimus capitulis designare. Quia verè singula, quæ ad Religionis profectum, & animarum salutem regulariter ordinastis: præsenti abbreuiationi nequiuerunt annecti; Nos cum his, quæ præscripta sunt, omnia, quæ continentur in charta vestra, quæ appellatur Charitatis, & quæcumque inter vos religionis intuitu regulariter statuistis, auctoritate Apostolica roboramus, & vobis, vestrísque successoribus, & omnibus, qui Ordinem vestrum professi fuerint; inuiolabiliter perpetuis temporibus decernimus obseruanda. De cætero, quia propositum firmum habetis habitationis vestræ loca, extra conuersationem sæcularium eligendi, grangias vestras, sicut & atria Ecclesiarum à prauorum incursu, & violentia liberas, & quietas fore statuimus; & vt nullus ibi hominem capere, spoliare, verberare, aut rapinam exercere præsumat, in virtute Sancti Spiritus inhibentes. Sancientes etiam, vt propter communia interdicta terrarum, nulla Ecclesiarum vestrarum à diuinis compellatur officiis abstinere; sed liceat omnibus de Ordine vestro, excommunicatis, & interdictis eiectis, clausis ianuis, submissa voce, fratribus suis diuina celebrare solemnia. Interdicimus item, ne aliqua omnino persona, fratres Ordinis vestri audeat ad sæcularia iudicia prouocare; sed si quisquam sibi aduersùs eos aliquid crediderit de iure competere; sub Ecclesiastici iudicis examine experiendi habeat facultatem. Decernimus ergo vt nulli aliquando liceat, his, quæ in hac pagina, ex authoritate Apostolorum Principis à nobis confirmata, & constituta sunt,* ausu

ausu temerario contraire; ac nostra huius sanctionis vigorem aliqua præsumptione infringere. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, & culpam suam satisfactione congrua contempserit emendare: diuina animaduersionis iudicio se nouerit subiacere. Cuncta autem ista seruantibus sit gratia, & pax à Deo, ac Domino nostro Iesu Christo: quatenus & hic fructum piæ deuotionis, & actionis bonæ percipiant, & apud supremum Iudicem præmia æterna pacis inueniant. Amen,

5. *Ego* EVGENIVS *Catholicæ Ecclesiæ Episcopus. S.*

Ego Imarus Tusculanus Episcopus. S.

Ego Hugo Hostiensis Episcopus. S.

Ego Hubaldus Presbyter Card. titulo S. Praxedis. S.

Ego Aribertus Prasbyter Card. tit. S. Anastasiæ. S.

Ego Rolandus Prasbyter Card. tit. S. Marci. S.

Ego Gerardus Prasbyter Card. tit. S. Stephani in Cœlio monte. S.

Ego Ioannes Prasbyter Card. tit. SS. Ioannis, & Pauli, S.

Ego Henricus Prasbyter Card. tit. SS. Nerei, & Achillei. S.

Ego Ioannes Prasbyter Card. tit. S. Equitij. S.

Ego Otto Diaconus Card. S. Gregorij ad velum aureum. S.

Ego Guido Diaconus Card. S. Mariæ in Porticu. S.

Ego Ioannes Diaconus Card. SS. Sergij, & Bacchi. S.

Ego Ildebrandus. S. R. E. Diaconus Card. S.

Ego Gerardus S. R. E. Diaconus Card. S.

Ego Odo Diaconus Card. S. R. E. S.

Ego Bernardus S. R. E. Diaconus Card. S.

Datum Signiæ per manum Bosonis S. R. E. Scriptoris. Kalendas Augusti indictione XV. Incarnationis Dominicæ anno M. C. L I I. Pontificatus verò Domini Eugenij Papæ tertij, anno V I I I.

6. Hactenus priuilegium Eugenij Papæ, cui inter alios subscribunt Hugo, Henricus, Bernardúsque? Episcopus, Presbyter, & Diaconus, Cardinales ex Cistercio omnes assumpti, non secus, atque Pontifex; quò maior, & expressior notitia rerum omnem subreptionis aboleret suspicionem. Hoc idem priuilegium Anastasius IV. Adrianus IV. & Alexander III. tres ordine Pontifices sequuti, paucis verbis mutatis, confirmauere.

7. Quo anno Eugenius Cistercij constitutiones, & chartam Charitatis firmam voluit; insignem illam toto orbe Ecclesiam, & fortè primam, Deiparæ sacratam, Cæsar-augustæ, dictam *del Pilar*, quam ad iconem columnæ superpositam, vtramq; è cœlo missam (sic fert traditio) Apostolus Iacobus ædificauit; è sæculari in regularem vertit ad instantiam Episcopi Bernardi, qui Canonicis eam vitam instillauerat. Ita in Annalibus Cæsaraugustanis.[a] Nec dissimiliter Ecclesia cathedralis (Seruatori dicata, postquam diu inseruisset paganis ritibus) eisdem prorsus, Bernardo, Eugenioque, illo postulante, hoc annuente, transiit in regulam Patris Augustini, cum nullam hactenus Canonici illius profiterentur. Prior huc vsque regularem obseruat vitam, quæ sancita ab Eugenio posteriorem, ad instantiam Regis Catholici, hac nostra tempestate reuocauit ad sæculum, Pontificis Romani indulgentia; siue, vt consuetudini cæterarum Cathedralium Hispaniæ gereret morem; siue, vt per ministros sæculares, si non deuotiùs, saltem majestuosiùs, splendidiusque, diuina, in ea, officia celebrarentur. Illud compertum;[b] quos Eugenius instituit Regulares, adeo piè conuersatos vsque ad hæc tempora, vt Alphonsus Gregorius, Præsul Sanctissimus, sub quo cœpit tractari reuocatio, sæpiùs attestaretur, super triginta, & eis ampliùs, annis, quibus illis præfuisset, Ecclesiæque, nihil reprehensione graui dignum inuenisse in aliquo, cum omnium mores exactè perscrutaretur.

[a] *Murillus tract. 2. c. 18.*

[b] *Idem tract. 1. c. 30.*

8. Indulsit & Eugenius hoc ipso anno Pontifici Bernardo absolutionem à cura pastorali, simulque successorem, Petrum Tarrozam, sub quo regulam, quam aliis procurauerat, primus ipse, & feruentior profiteretur. Quin & eiusdem Eugenij concessione Bernardus alius, Archiflamen Tarraconensis, vrbem sibi à Principibus indultam, desertam adhuc videns, nec de facili ciues habituram, vt exoptabat; Raimundo Comiti Dominium eius cessit, conniuentia capituli, atque omnium comprouincialium Episcoporum. Ita Zurita[c] in suo compendio historico, ex Tabulariis Ecclesiæ Tarraconensis. Inde Tarraco creuit frequentia ciuium in opulentam vrbem; tunc demum Alchiepiscopis, quibus subiacet modò, restituenda. Plura alia Eugenij indulta circumferuntur, expedita hoc anno; inter quæ confirmata priuilegia Mironensis Ecclesiæ: nec non & alia apud Ferreolum Locrium, aliósque; sed quæ non faciunt ad præsens institutum.

[c] *Li. 32. c. 2.*

9. Hic idem annus Verolensi Monasterio in Aragonia, nondum satis adulto, fatalis fuit, morte Petri Ataresij fundatoris: sed sepultura illustris: quas in Indicibus rerum Aragonum, simul cum Regia in Teresiam, defuncti matrem, munificentia his verbis proditas, ab eorum authore lego.[d] *Petrus Ataresius, Garsiæ Infantis filius, Sanctij Comitis nepos, qui certus regni competitor fuerat, ad IX. Kalendas Martij, nullis superstitibus liberis decedit. Verolæ Cœnobio, quod ipse Diui Bernardi Monachis construxerat, sepelitur. Princeps Teresiam Caxalem, Petri matrem, Turiasone vrbe, & Oppido Bergia donat.* Fallebant orbitatem matris noua Dominia: & filios orphanos exuuiæ Fundatoris, atque matris potentia consolabantur.

[d] *Ad ann. 1152.*

1. Magnus Eskyllus ad Bernardum peregrinatur. 2. in Claraualle, per aliquot dies manet. 3. Monachum induere prohibetur. 4. Panem à Bernardo Patre benedictum, & dentem, & capillos eius, secum defert. 5. Quid in pane contigerit, 6. quem sola benedictio praeseruabat. 7. Eskylli consanguineus, antea discolus, Monachus Esronensis sanctè obdormit. 8. Dæmon Monachum quemdam illicò obsidet: 9. sed capillis, & dente Sancti fugatur. 10. Ratio temporis, & alia remissiuè.

CAPVT III.

1. INTER hæc, Venerabilis Eskyllus Lundensis Archiepiscopus, Danorum Primas, idémque Apostolicæ sedis Legatus per totam Daniam, cuius superiùs fecimus mentionem, seu tædio gentis duræ, & peruicacis, seu deponendi honoris, simul & oneris, quod secretum Bernardo reuelauerat; seu tandem charitate in virum Dei, quem, suprà cunctos mortales, venerabatur; Claramuallem adire deliberauit, parentem Sanctum, per tot pericula terræ, marísque, per sumptus, per incommoda viæ, visitaturus. De ea peregrinatione Saxo Grammaticus.[a] *Eodem tempore Eskyllus domesticis supra vires negotiis fatigatus, dum quieti intentius consulit, proficiscendi licentia à Rege difficiliter extorta, nobile Galliarum Cœnobium, quod Claraualis nuncupatur, petiuit, ibique asperum patria consultum voluntaria peregrinationis lenitate mutauit, iocundiorem rerum vsum apud exteros, quàm inter ciues habiturus.* Hactenus ille de itinere suscepto. Verùm aduentum eius ad Claramuallem[b] Godefridus Bernardi Notarius, qui præsens fuit, atque eius verbis Exordij magni auctor, ita describunt.

[a] Pagina 310. ad medium.

[b] Lib. 4. vita S. Bern. c. 4. & lib. 3. Exord. c. 25.

2. *Sanctum Bernardum Claraualis Abbatem Reuerendissimum, licèt longiùs à se remotum, vnico venerabatur affectu (scilicet Eskyllus) vnicaque deuotione colebat. Nec contentus est in filiis eum videre, cùm nouum Cœnobium extruxisset, & impetrasset ab eo desideratum sacræ congregationis examen. Praualuit apud eum desiderium vehement, vt homo tantæ auctoritatis, & in insulis illis, tam Ecclesiastica, quam sæculari auctoritate, singulariter potens, expositis suis omnibus, etiam semetipsum periculis multis traderet, & labori. Nam de expensis dicere non est magnum, quamuis eumdem audierimus protestantem, quod expenderit in itinere ipso argenti marcas amplius quàm sexcentas. Venit ergo ad Claramuallem tam humilis, & sublimis; quem à finibus terræ non curiositas audiendæ sapientiæ, sed fidei zelus, & plenitudo deuotionis attraxerat. Vbi quantum fleuerit, qualem sese non modò erga eum, quem tam vnicè suspiciebat, sed etiam erga minimos quoslibet fratrum exhibuerit, non est facilè dictu.* Hactenus eisdem verbis vterque Auctor, quippe ab Exordio mutuatis ex Godefrido.

3. Voluisset Venerabilis Præsul, relictis infulis, in Claraualle priuatam vitam agere, nunquam à Bernardo diuellendus; sed S. Pater virum multis pervtilem, imò & necessarium; nequaquam censuit sibi permittendum. Redeat, & sibi commissas oues pascat, duritiam frangat, ignorantiam instruat, incrementa promoueat; nec recuset laborem, quem copiosa hactenus Deus benedictione, & cumulauerit, & in dies semper speretur cumulaturus. Olim Monasteria fundare sibi iniunctum, non Monachum esse. Nec decere metas transilire, quæ ipsa piissima sua liberatrix, misericordiæ mater, illi iniunxerit. Id ipsum peroptanti Malachiæ ante duodennium, à Bernardo, à Pontifice obuiam itum; prælata quippe salute totius Regni quieti propriæ; quam, non nisi post emeritam militiam, consequeretur. Præfectum vtrumque à Deo populo rudi: vtrumque Apostolica fungentem Legatia; nec minùs se necessarium Daniæ fore, quàm illum Hiberniæ. Quin in Dania superesse adhuc paganos, queis conuertendis, dum sedulus insisteret, Apostolatus sui defectus, si qui obrepserant, maiori cum prouentu compensaret.

His, & similibus persuasus S. Pontifex, qui neque in Claraualle cum Bernardo manere permittebatur; nec poterat Bernardum secum ducere; quod potuit saltem Bernardi ducendum censuit; dentem nimirum, qui ab eius ore diffluxerat; & capillos abrasos ab eius capite. Quippe ad Bernardum, vt peregrinationes fiebant, viuentem adhuc; sic & eius exuuiæ pro reliquiis, à grauissimis viris reportabantur. Cæterum, qualiter pusillam eius fidem circa panem, quem ab eodem Sancto benedicendum, quo diutiùs perduraret, bis coqui fecerat, Bernardus arguerit: atque ei communem panem benedixerit, sola benedictione præseruandum à corruptione: qualitérque per dentem, & capillos fugatus dæmon hoc ipso anno Bernardum, & per Bernardum, Deum glorificauerit; ex eisdem auctoribus descriptum, præcipuè ex Godefrido, qui quædam vidit, quædam, eodem Venerabili Eskyllo prodente, hausit, præstabit iam lectori meo proponere. 4.

Et quidem quod ad panem attinet, hæc habet Godefridus in actis Sancti.[c] *Demum rediturus ad propria, vt benedictum à Dei famulo panem referre posset, & diutiùs conseruare, humano sensu præcipit, vt in clibano recoquatur, sicut solent, qui maria transeunt, panem ferre biscoctum. Audiens autem Sanctus, non est passus errare hominem tam deuotum, sed amicabiliter arguens in hac parte, fidem eius modicam inueniri; itáne (inquit) non poterit panem ipsum benedictio magis, quam recoctio conseruare? Et non acquieuit benedicere illum, sed communem sibi panem præcipiens exhiberi, benedixit, & dixit: Ecce hunc, tolle tecum, nihil deinceps, de corruptione solicitus. Tulit, & ad suos rediens vsque hodie gloriatur fidei suæ defectum, euidentissima rei veritate, conuinci.* 5.

[c] Lib. 4. c. 4.

Fidem Bernardi effectus sequutus est; benedictionem panis incorruptio. Sic enim subdit. *Confessus est etiam nobis* (nempè Eskyllus) *de pane, quem retulit, quod nunc vsque cùm iam tertius annus transierit, illæsum eum beati viri fides, & benedictio custodiuit.* Sic Godefridus, quo anno id scribebat, nam credendum, per plures perseuerasse à corruptione immunem, eumdem panem. Certè de aliis incorruptis post annos septem, aliis post vndecim, idem auctor affirmat, productis testibus. 6.

Neque illud (inquit)*tacendum, quod ipsam quoque substantiam panis,ab omni corruptionis iniuria, eadem benedictio vendicabat; adeo, vt plures viderimus,qui per septennium,& vltra eosdem, seruauerint panes,nec colore,nec sapore mutato. Ante hos paucos dies,Venerabiles Abbates Girardus, & Henricus, de Suecia partibus venientes, dum super his conferremus, testati sunt nobis, panem ante annos vndecim, eius benedictione signatum, manere adhuc apud se penitùs incorruptum. Nec dissimilem apud aliquos nostrum, vsque hodie nouimus, & apud alios multos credimus esse repositum.* Hæc de pane ab Eskyllo deportato, seruatóque, & præseruato Bernardi benedictione.

7. Verùm de dente, & capillis eiusdem Sancti subest adhuc historia, quam Eskyllo regresso ad Claramuallem post mortem Sancti Patris, accepisse se ab his,qui cum eo venerant, idem qui supra, Godefridus memoriæ prodit. Hanc concernentem Cœnobium Esronense (nam in eo reposuit exuuias sacras, promouendæ tenellæ plantationi) adeóque hos Annales duplici titulo, ipsius verbis præstat hîc describere. *Narrauerunt* (ait) [d] *etiam nobis viri religiosi, qui cum eodem Archiepiscopo venerant, miraculum dignum memoria, nuper factum in Cœnobio,quod (vt suprà meminimus) in terra sua, ipse fundauit. Erat enim* (inquit) *in regione eadem adolescens nobilis, ipsius quoque Archiepiscopi secundum carnem propinquus, sed ob multa sua flagitia minus charus. Correptus autem grauissima valetudine, visitationem eius vix impetrauit, & per manum eius ad Monasterium, quod fundauerat ille, se contulit. Vbi & cum maxima cordis compunctione renuncians sæculo, per dies aliquot in humili, & fidelissima confessione persistens, magis, ac magis, eadem ægritudine laborabat. Qua demum inualescente,exitum sibi imminere agnoscens, Abbatis, & fratrum præsentiam miro amplexabatur affectu; mira eos deuotione monebat,vt spiritualia arma corriperent, egressuram protinus animam sibi commendatam efficaciter protecturi; & exhibituri fideliter necessarium prorsus, inter imminentium hostium crudelissima tela, conductum. Cùmque in huiusmodi supplicationis diuinis iam sacramentis munitus, & de eorumdem seruorum Dei patrocinio, & Domini miseratione, piissima deuotione præsumens, ac proinde circumstantibus omnibus multam sua salutis relinquens fiduciam expirasset; offerebant fratres, pro commendatione animæ eius, quam deuotissimè poterant, Dominici corporis hostiam salutarem.*

d *Vbi suprà.*

8. *Tum subito inimicus humanæ salutis, ex eiusdem (sicut indubitabile esse videtur) liberatione animæ, quam ex multis diebus irreparabiliter sese occupasse credebat, iram magnam concipiens, & eamdem, permittente Deo, crudeliter satis exercens, vnum è fratribus repentino furore peruasit. Clamabat igitur horrendis vocibus miserabilis homo, & vix multorum manibus tenebatur. Demum cum maximo quidem labore asportatus,& in lectulo religatus, tam sua, quam astantium membra dentibus appetens, dirissimè vexabatur. Nec illa, quam prius nosset, lingua,sed noua quadam (quam nec astantium quisquam nouerat)loquebatur. Et cùm nihil, quod diceret, intelligerent, tam liberè tamen, & sine offendiculo non inconcinnas eum audiebant edere voces, vt indubitanter crederent, quod lingua aliqua loqueretur.*

Post aliquantas igitur horas,cum vehementer confusi fratres,quid agere possent, anxiè cogitarent, & studiosè conquirerent; vnus ex eis salubre consilium, Domino inspirante, conspiciens, sacra pignora, ab ipso Archiepiscopo eodem anno istic deposita, videlicet de capillis, & barba, & dentem vnum beati Patris nostri Bernardi afferri monet, & eius pectori superponi. Quod vt factum est, Germanica lingua per os eius cœpit horrendis vocibus nequam spiritus exclamare: Tollite,tollite, amouete Bernardum: & dicebat: Heu quam ponderosus factus es Bernarde, quàm grauis,quam intolerabilis factus es mihi. Cúmque hæc,& similia aliquandiu clamitans loqueretur, factum est breue silentium; & subitò frater idem, Domino miserante,purgatus, aperuit oculos, ac velut de graui somno euigilans, circumstantes fratres, & sua plurimùm vincula mirabatur; verecundè satis quidnam sibi vellent hæc, vel quid accidisset, interrogans. Ex ea igitur hora pristinam sanitatem mentis, & corporis per Beati Patris merita sancta recepit, nil penitùs, quod in illo tam graui casu fecerit,aut loquutus fuerit recordatus. Hactenus ibi. 9.

Rationem temporis,ex Exordio magno, colligo, vbi aduentus Eskylli ad Claramuallem haud multo ante S. Patris obitum dicitur. *Haud multò verò post hoc elapso tempore (scilicet post Eskylli in Daniam reditum) tristissimus rumor aures eius perculit, de dormitione beati viri* (Bernardi) *specialis amici sui,&c.* Quare,cùm Sanctum Patrem obiisse constet anno post hunc immediatè subsequenti; consequitur,hoc ipso,aut paulo ante, ab Eskyllo visitatum, panem ei benedictum tradidisse: nam capillos, & dentes numquam credam à Sancto Patre traditos;sed ab ipsius filiis, qui ipso ignaro, talia reseruassent. Verum est tamen Godefridi narrationem,quod attinet ad tempus, paulò confusam: & nisi per Exordium, atque Daniæ scriptores corrigatur,aut saltem declaretur, vix posse ad certos annos adaptari. Sanè Eskyllum, non iterum tantùm,sed tertiò etiam reuersum ad Claramuallem; semel ad visitandum sepulchrum Sancti; & rursus,abdicata præfectura, permansurum ibidem vsque ad mortem, ipsa series historiæ demonstrabit. 10

I. Beati

1. Beati Martini Vallis paradysi gloriosus obitus. 2. Miracula, 3. & locus sepulturæ. 4. Emendata legenda eius officij: 5. semel, & iterum, tertióque impedita translatio. 6. Tandem concessa. 7. Tabula, quæ ad sepulchrum eius antiquum, 8. & quæ ad nouum. 9. Annua festiuitas, & memoria sanctitatis.

CAPVT IV.

1. BEATI Martini Abbatis Bellifontis, seu de Pelleas (quod Monasterium Vallis paradysi, in Zamorensi Diœcesi, tandem nuncupandum, in præcedenti tomo commemorauimus) obitus gloriosus, satis supérque insigniuit præsentem annum: ad cuius sacrum corpus crebra miracula deuotionem fidelium, deuotio rursus miracula excitabant. Incidisse in hoc tempus memoriæ produnt, quarum hæc verba. *Æra M.C.XC. Pridie Nonas Octobris obiit Domnus Martinus Cidis, primus fundator, & Abbas loci istius.* Æra, inquam, M.C.XC. à qua si octo, & triginta annos de more tollas, relinquens hunc, quem modo transuadamus, nempè centesimum quinquagesimum secundum supra millesimum. Reliqua ignota, præter successorem; Egeam, vnum ex quatuor illis Monachis, quos Bernardus transmisit, sub Martino, Cistercium plantaturos. Neque id tacendum, hos quatuor primos Monachos, & Martino, & sibi ipsis successisse, subrogatos per ordinem ætatis, vt Egeæ, Gerardus, Gerardo, Petrus dictus Pictauiensis substitueretur. Ea Bernardi in Martinum reuerentia, cui nullum subdiderit, nisi quos sciebat dignos præesse aliis: ea Hispanorum modestia Monachorum, qui nullum vnquam ex suis sibi præfecerint, quandiu missi à Bernardo perdurarunt.

2. Miracula testantur antiquæ tabulæ, tam viuentis, quàm vita iam defuncti, seu translati ad meliorem; quibus non solum ipsius propria capella, per multos annos, mansere cineres Sancti; sed fanum ipsum constructum post annos aliquot decorari conspicitur, atque ad altare maius affixæ imagines, non minùs ex antiquitate venerandæ, quàm ex situ. Ibi complures sanitati restitutos, ex variis morbis; atque ipsum sanctum imponentem singulis manus; tum flagris se cedentem, orantémque, adque id genus alia; per picturas (ignorantium hominum libros) miracula, & virtutes exprimentes, cernere licet. Verùm de Viri Sancti glorioso obitu, atque item de loco sepulturæ, & duplici translatione sacrorum cinerum: altera post octuaginta annos, altera hoc sæculo, extractam, ex officio proprio relationem, quo aniuersaria depositionis ipsius dies, non sine populorum concursu celebratur, præstat describere.

3. *Transactis* (ait) *à fundatione domus, quindecim annis, charos filios suos relinquens sanctitatis heredes, & terram suam suis virtutibus decoratam, signísque mirabilibus, ac innumeris beneficiis ditatam, & illustratam; mundi despector, eiúsque Principis debellator, supra mundum ascendit, diuitiis meritorum abundans, clarus triumphis, miraculis gloriosus, mensis Octobris die septimo, anno Domini millesimo quinquagesimo secundo. Sacrum sui Patris Sancti corpus filij eius, & fratres in Ecclesia prioris situs honorificè condiderunt: ibique per octoginta annos est asseruatum. Postmodum circa annum M.CC.II.* (*in quo, pro translatione Domus, Rex Ferdinandus ex Abula ciuitate regales litteras expediuit*) *ad sacellum quod sibi antiqui Patres adquisierant, pretiosum illum thesaurum asportauerunt. Ac tandem honorificentissimè, apparatu insigni, magnoque populorum, nobiliúmque virorum, ac fœminarum, & Cleri, ac religiosorum concursu, ex sacello prædicto, in humeris sacerdotum, aductum per manus Ioannis Episcopi Zamorensis, in tabernaculo Ecclesiæ Monasterij Vallis paradysi, summa lætitia, affectuque feruentissimo, collocatum est, die septimo mensis Octobris, anno ab Incarnatione Domini M.DC.XIX. ad honorem, & gloriam Dei omnipotentis Patris, & Filij, & Spiritus sancti, qui viuit, & regnat per infinita sæcula sæculorum. Amen.*

Hactenus octaua lectio sólita recitari ad horas matutinas, in annua depositionis Sancti solemnitate. In qua tamen per incuriam mendum irrepsit, 4.
dum circa annum M CC.II. primam corporis sacri translationem factam ait, quam contigisse post octuaginta annos ab eius obitu, immediatè tradiderat, atque ipsum priuilegium translationis, quod suo loco reddemus, satis ostendit. Quippe anno M. C. LII. quo Sanctus obiit, vsque ad M. CC. II. non octuaginta, sed quinquaginta tantum intersunt: debuit ergo dicere circa annum Domini M. CC. XXXII. vt tempus constet: & aliàs priuilegio translationis fides maneat, quod expeditum Æra M. CC. LXX. annum M. CC. XXXII. designat, & nullum alium.

Traditione, quàm scripto, aut pictura compertius est, ab anno M. CC. XXXII. quo prima fuit 5.
translatio celebrata, vsque ad M. DC. XIX. quo secunda, & celebrior, hoc nostro sæculo, multorum animis insedisse sacri corporis exuuias inuisere: quos tamen omnes, aut inflicta audaciæ pœna, aut repente de cælo terror incussus, ab inceptis arcuerit. Excæcato primum sacerdote, Suppriore conuentus, qui solus ausus: cui postmodum, peracta pœnitentia ad S. Viri sepulchrum, visus redditus. Dein cum totus conuentus accessisset, & sacerdos in albis præparatus aggrederetur opus, repentino tremore perculsos omnes, abstinuisse ab opere: satis supérque gratos diuino numini, quod indemnes euaderent. Demum sæculo Patrum diffusa nebula, ac replente capellam; destitisse, id ipsum ausos, non sine ingenti omnium admiratione.

Hæc ergo gloria reseruata nobis cœlesti pro- 6.
uidentia; non quia melioribus, sed quia egentioribus Sancti patrocinio, prædicto anno, Christi nimirum M. DC. XIX. Reuerendo Patri fratri Andreæ de Corduba, tunc Vallis paradysi Abbati, cæterisque alumnis eiusdem domus, imo & toti Ecclesiæ Zamorensi, fœlix contigit; post multas sanè preces & sacrificia; vt sacrum corpus, à sepulchro priori erutum, atque ad sacellum maius Ecclesiæ, ipso Sancto volente, translatum sit, ingenti concursu confinium populorum. Extant Epistolæ Ecclesiæ Zamorensis, atque ipsius Episcopi ad eumdem Abbatem, Conuentumque gratulationis plenæ, ac reuerentiæ in Sanctum, ex cuius ossibus

frustum accepissent. Extant & aliæ Abbatis, & Conuentus Carracetensis idem sibi conferri postulantium: sed quas vulgari idiomate conscriptas, referre nobis satiùs, quàm transcribere.

7. Priori tumulo, de quo corpus extractum, talis inscriptio inest. *Sub hoc lapideo tumulo est lapis planus, & sub eo lapide est cauum lapideum, in quo sacrum corpus Patris nostri Sancti Martini Cidis, Abbatis primi huius Monasterij (quod alibi constructum in initio dicebatur Monasterium Sanctæ Mariæ de Peleas, & huc translatum dicitur Vallis paradysi) sepultum est anno ab incarnatione Domini M.C. L I I. in qua sepultura fuit asseruatum per octoginta annos, videlicet vsque ad annum. M. CC. XXXII. in quo anno transuecta sunt dicta sepultura, & præfatum sacrum corpus ex Ecclesia prioris ædificij ad hoc sacellum, quod ex tunc vocatur Sancti Martini Abbatis; vbi per tercentum, & duos annos mansit reconditum in prædicta sepultura, lapide cooperta, & per multos annos clatro ferreo circumsepta. Postmodum, ablato clatro, superpositus est hic tumulus lapideus non rudıter elaboratus, anno M. D. XXXIV. dictum S. Patris nostri corpus translatum est ad Ecclesiam Monasterij, ibique in perpulchro tabernaculo, iuxta altare maius, gloriosissimè est collocatum, per manus Illustrissimi, ac Reuerendissimi D. D. Ioannis Zapata Osorio Episcopi Zamorensis, die VII. Octobris. Itaque sub iam dicto lapide plano, ex eo die, in dicto cauo tantummodo est terra, qua prænominatum S. Patris nostri corpus fuit obuolutum, & ea in quam fuit resolutum; simulque aliquot parua reliquia eiusdem sacri corporis, ac denique ibidem reperietur occlusa lapidea capsula alio lapide plano cooperta, in qua per aliquot dies sæpè iam dictum sacrum corpus mansit repositum, vsque ad tempus translationis supra assignata. Insuper & terra fuscior, qua immediatè reperietur superposita ipsi lapidi plano, qui operit sepulturam (& relicta est ibi tempore translationis) reuerenter tractetur, quia debuerat supponi dicto lapidi, si caperetur, sed superfuit, & operta remansit albiori terra, & lapidibus solutis, & rudibus in superiori cauo prædicti sepulchri. Ad honorem, & gloriam Domini nostri Iesu Christi, qui cum Patre, & Spiritu Sancto viuit, & regnat Deus per infinita sæcula. Amen.* Hæc sepulturæ vacuæ superscriptio. Sed nouæ ista.

8. *Sacrum corpus S. Martini Cidis, primi Abbatis huius Monasterij, alibi statim post fœlicem eius transitum, sepultum est; in Ecclesia videlicet prioris ædificij, vbi per octoginta annos requieuit. Inde translatum est circa annum M. CC. XXXII. ad Ecclesiam, quæ ex tunc dicitur S. Martini Abbatis, ibique per CCC. LXXXVII. annos est asseruatum: tandem honorificentissimè, apparatu insigni, magnóque populorum concursu, virorum nobilium, ac illustrium fæminarum cœtu non paruo, sericisque tapetibus, hoc magno templo perornato, cantorum melodia, permultis, multiplicibusque artis poeticæ varietatibus, circumstantibus diuersorum Ordinum viris Religiosis, comitantibus Reuerendis Abbatibus Monasteriorum S. Martini de Castagneda, de Nogales, de Benauides, & illius Domus; in humeris Monachorum è sacello sui nominis asportatum, per manus Illustris. ac Reuerendis. D.D. Ioannis Zapata Osorio Episcopi Zamorensis, assistentibus, sibi prædictæ Ecclesiæ Sanctæ illustribus dignitatibus, associantibusque eiusdem Sanctæ Ecclesiæ viris nobilibus, in tabernaculo Ecclesiæ huius Monasterij Vallis paradysi ab antiquissimis temporibus communiter nuncupati, summa lætitia, affectúque feruentissimo collocatum est, Die septimo mensis Octobris, anno ab Incarnatione Domini M. DC. XIX. totam sanctam Ecclesiam Catholicam summo Pontifice Paulo V. huius nominis gubernante, Catholicissimoque Rege Philippo III. regnante, ad honorem Dei Omnipotentis Patris, & Filij, & Spiritus sancti, qui viuit, & regnat per infinita sæcula sæculorum.* Sequitur alia inscriptio, seu Epitaphium. *Quis hic? Cid ille fortis? Haud is. Marsne fortissimus? Neuter: sed fortior vtroque Martinus Cidis, Cistercij splendor, decus Hispaniæ, Castellæ scutum, Zamorensium gloria, Soli gemma præfulgens, Poli sydus præclarum, Domus basis firmissima, sacræ, & magnæ prosapiæ Archimandrita primus, in Paradysi Valle arbor salutis.* Hactenus inscriptio.

Festum B. Martini celebratur non solùm in proprio eius Monasterio, sed in tota alma Hispaniarum congregatione, die septima mensis Octobris, qua simul obitus, & translatio contigere. Qua item die ipsius mentionem faciunt Martyrologium Monasticum, & Menologium Sanctorum Cisterciensium, [a] Ioannes Abbas, & Missale antiquum Ordinis, Aubertus Miræus, [b] & alij recentiores. Ex his quædam breuiter, per anticipationem dicta, reliqua fusiùs dicemus suis temporibus. Translatio quia in eumdem diem incidit, non habet peculiarem celebritatem. 9.

a O. Tolētā. b In Catal. SS. Ord.

1. *Concilium Prouinciale Hyberniæ in Mellifonte.* 2. *Creatio sedium Metropolitarum,* 3. *& palliorum traditio sub Christiano legato.* 4. *Eugenij in populum Romanum eximia merita:* 5. *pro cunctis orbis Ecclesiis solicitudo.* 6. *Beati Balsami aduentus in Claramuallem, adoptióque.* 7. *Nouus ipsius feruor.* 8. *Secundi Aureæ vallis Abbatis mors, & subrogatio successoris.*

CAPVT V.

1. IAM Ioannes Paparo Cardinalis Romanæ Curiæ, atque idem legatus, prosperè in Hyberniam traiecerat; & Lesmoricensi Episcopo Christiano, qui & Legatum agebat illius Insulæ, iuxta Eugenij mandatum, se associauerat. Cum ecce vterque negotiis religionis, quo maturius, fœlicius; quo consultiùs, cordatiùs pertractandis, Concilium indicunt; cui Archiepiscopi, Episcopi, Abbates; quin Reges insulæ, Duces, Baronesque vnusquisque pro munere, interessent. Illi nimirum, vt iura, & leges darent, hi, vt susciperent: vtrique, vt conuenientias rerum discuterent, & iunctis oculis, altius prouiderent; mutuis auxiliis, expeditius exequerentur. Locus Concilio designatus Mellifons fuit, Cisterciense Cœnobium perillustre, supra à nobis, nec semel commemoratum. Vt non solùm Eugenij delegantis, atque alterius Legati Christiani, sed loci itidem causa Concilium ipsum, his Annalibus veniat inserendum. Quin & ratione Palliorum transmissorum, quæ

Sanctissimus Pater Malachias, secundus post Patritium gentis Apostolus, Claræuallensis Monachus, qua licuit, etiam vsque ad mortem sollicitasset.

2. De hoc Concilio à Seuerino Vinio omisso, vt multa alia, in Anonimo Antisiodorensi antiquo hæc scripta lego, notataque ad hunc annum.[a] *Ioannes Paparo Cardinalis ab Eugenio tertio Pontifice Romano missus, cum Christiano Episcopo Lismoriensi (hic Cistercienfis fuit) totius Hyberniæ legato, in Hyberniam venit. Idem Christianus in Melli, siue Mellifontis Monasterio Cisterciensi Concilium celebrauit, cui interfuerunt Episcopi, Abbates, Reges, Duces, & maiores natu Hyberniæ; quorum consensu Archiepiscopatus constituti sunt quatuor, Armacanus, Dublinensis, Caselensis, Tuamensis: quibus præfuerunt eo tempore Gelasius, Gregorius, Donatus, Edanus.* Hactenus ibi.

a In Histor. Cœnobior. Hyberniæ.

3. Eiusdem etiam Concilij meminit Iacobus Vvareus, in tractatu de Præsulibus Leganiæ, siue Prouinciæ Dublinensis, loquens de Gregorio illius sedis Antistite, de quo hæc habet. *Postquam circiter viginti, & vnum annos sedisset (anno scilicet Domini M. C. LII. Ioannes Paparo Cardinalis, & Christianus Ochonarchi Episcopus Lismoriensis, Legatus Pontificius, in loco quodam dicto Mellifontis, synodum coëgerunt, vbi pallium ei* (intellige Gregorio) *traditum est, & Archiepiscopalis dignitas tum primum huic cathedræ concessa.* Sic Malachias, quod mortalis minùs potuit, gloriosus perfecit: idque exequendum per suos, nec sine fœnore. Quippe dum viueret, duo tantùm pallia Hyberniæ concupierat, sed post obitum quatuor impetrauit.

4. Dum hæc ab Eugenij legatis in Hybernia; Eugenius ipse Romæ, non cessabat vrbi, & orbi vtilia prouidere. Primò autem erga populum Romanum, quem adeo sibi infensum expertus esset, tam munificus extitit, atque adeo tandem ab eo dilectus est, vt nisi imminente iam morte præriperetur, haud dubio illi tolerantiam legum, atque totius seruitij patientiam infudisset. De his ex Bibliotheca Vaticana pauca Chaconius.[b] *Eugenius tertius Papa adeo populum Romanum gratiis, beneficiis, & largitione sibi deuinxerat, vt nisi morte præuentus esset, Senatores in Ordinem redegisset.* Atque hæc in vrbe.

b Apud hunc ann.

5. Extra, populis cunctis iura dare, rebelles compescere, optimos quosque priuilegiis suis munire; demum Vicarij Christi, & veri successoris Petri, munia incessanter explere; quò morti proximior, solicitiùs properabat. Leguntur adhuc plura ipsius diplomata concernentia hunc annum, quæ longum esset in præsenti recensere. Illud compertum expeditum aduersùs Duacenos, suo rebelles Antistiti, quod Ferreolus Locrius refert ad annum Christi M. C. XLVIII. in hunc potius, aut sequentis initium referendum. Quippe. *Datum Romæ apud S. Petrum.* Vbi constat non sedisse Eugenium ante hunc annum.

6. Circa idem tempus (nec annus certus constat, nisi quod parum à præsenti distare potest) Sancti Balsami memoria primùm incidit, Sancti Anastasij in vrbe, per professionem Monachi, sed postmodum adoptati in Claraualle, vbi & fœliciter erat consummandus. Verùm, qua occasione facta adoptio, Beato Patre Bernardo adhuc viuente, ex auctore Exordij magni libet describere.[c] *Frater quidam non minus sanctæ conuersationis odore, quam naturali nomine Balsamus, qui erat Monachus Sancti Anastasij; quod est Cœnobium Cisterciensis Ordinis, ad Romana vrbis mœnia situm: Hic, cùm venisset aliquando propter iniuncta sibi negotia ad Beatum Bernardum in Claramuallem, vidissétque sancta, & numerosa illius congregationis disciplinam, & in obseruantia Sacri Ordinis maturitatem: concaluit cor eius in ipso, & in meditatione eius exarsit ignis, ita vt si non charitas,[d] quæ nunquam, quæ sua sunt, quærit, aliud imperasset, viuere, & mori in Claraualle cunctis deliciis, & diuitiis mundi præposuisset. Ne tamen vacuus inde recederet, & tam religiosum desiderium debita mercede priuaretur, humilibus precibus à Sancto Abbate petiit, quatenus pro feruore suæ deuotionis, in obitu ipsius plenarium ei seruitium à Conuentu Claraualis persolueretur. Quo adepto, Claramuallem iam suam, seque Monachum Clarauallis reputans, exultabat in Spiritu sancto. Reuersúsque ad propria, solebat ab illo tempore singulis fratribus Claraualis, quorum obitum cognouisset, singularia semper reddere officia, & insuper vnoquoque anno duodecim Missas pro cæteris omnibus quorum finem ignorabat.* Hactenus ibi.

c Lib.6.c.3.

d 1.Cor. 13.

7. Nouam Bernardi Patris adoptionem noua obligatio filij; obligationem noua item deuotio sequuta est, addito, solitis priùs exercitiis, Psalterio integro, & vnica sui ipsius verberatione; hac suscipienda, & illo recitando, sine vlla intermissione, per dies singulos. Quod quam fideliter per octo annos expleuerit, idem qui suprà Auctor, his narrat verbis. *Hic itaque vir deuotissimus, licet in curis Monasterij, quibus admodum vtilis, ac necessarius erat, obedientia cogente, assiduè detineretur, hanc tamen sibimetipsi temporis partem redimere studuit, vt inter easdem occupationes, præter communes obseruantias Ordinis, & alia bona, quæ soli Deo conscio faciebat, singulis diebus, per octo annos, diceret Psalterium, & vnam ad minus quotidie disciplinam acciperet.* Hæc in Exordio. Cæterum quibus eum postea Deus illustrauerit signis: qualiterque consummationis suæ tempus præueniens, in Clarauallé tandem occubuerit, animam non amittens, sed emittens, atque exhibenti proximior, quàm offerenti; suis temporibus, ex more commemorabimus.

8. Hoc ipso anno, vt habet Martyrologium Aureæ vallis, quod vulgauit Henriquez, Theodoricus, secundus eius Abbas, cognomento Viuij, cum annis septem laudabiliter præfuisset, fœliciter in Domino obdormiuit, succedente item alio Theodorico, eius nominis secundo, qui ad annos quindecim præfecturam administrauit. Martyrologij verba hîc subscribam. *Quinto Idus Septembris Theodoricus Viuij, secundus Abbas, (scilicet Aureæ vallis) anno M. C. LII.* supple obiit.

1. Guillelmi Raymundi Moncadæ flagitium atrox, 2. expiandum Cœnobij fundatione, 3. Correcti Mariana, Henriquezque: 4. & Grandis sylua opinio sub Alexandro. 5. Monachi inde transmissi ad Sanctas Cruces, 6. tum ex Gemundo alij in Aragoniam, 7. fundatio Rotæ, atque varia notitia vtriusque Domus, 8. Chronologia: 9. & sex aliæ Ecclesiæ dictæ: 10. deinde reliqua.

CAPVT VI.

1. ILLVSTRAVIT hunc annum in Laletania prouincia Hispaniæ (Cataloniam hodie dicimus) insigne Monasterium Sanctarum Crucium, Eugenij iussu surgens, abolendo piaculo, quod non licet silentio prætetire. Laborabat, vt solet, ea prouincia intestinis factionibus, & diuisi in partes Primores terræ, cæteros inuoluebant bellis domesticis, Cerbellonios inter, & Castelluinos (perantiquas familias) continua odia: & provt affinitate, aut amicitia cæteras contingebant, inuicem vniuersas præcipitabant. Guillelmi Raimundi de Moncada consilio, auxilioque Cerbellonij egressi, dum Casteluinos opprimere moliuntur, inuersa forte oppressi, fugatique; & Guillelmus Raimundus in bello captus, atque turri inclusus, etiam ligneo scyrpo pedes dedit. Compeditum visitauit Præsul Tarraconensis ex Casteluinis, non vt consolaretur, sed vt illuderet. Oranti sibi vincula alleuiari, promisit in dolo. Mox arrepto cultello, scyrpum rasit, & frustulum excerpit; quasi ea parte detracta, subleuandum. Doluit ludibrium nobilis Guillelmus; sed dolorem repressit, occuluitque, quoad vsque tandem sui iuris effectus, & probri memor, de Pontifice indignam vindictam sumpsit. Quippe ditionem eius peragrantem præuenit insidiis, atque lanceis confossum interfecit immemor, aut contemptor Pontificatus. Hæc ad annum M. C. XLIX. vt prodit Beuter,[a] qui ex instrumentis antiquis rem totam hausit.

a Lib. 2. c. 18.

2. Excanduit grauiter Princeps Barchinonensis in Guillelmum Moncadam, quod in ipsius legatum (nam Romam tunc ab ipso legatus ibat) quod in virum illustrem, atque inter primos totius Principatus; demum quod in Pontificem misisset manus sacrilegas: & luisset haud dubiè pœnas patrati sceleris, si non extorris Cathaloniæ finibus, ad Aragonios situs transmigrasset. Addixit fisco cuncta illius bona, & publicauit hominem: sed temporis, & loci distantia tandem effectum est, vt ira efferuescente, & Moncadarum, quorum caput Guillelmus erat, delinitus obsequiis, aut, (quæ in Potentia illius sæculi Principum) necessitate compulsus; tandem consensit, vt impetrata ab Eugenio absolutione, Guillelmus Laletaniæ, & sua omnia Guillelmo restituerentur. Cessit Eugenij zelus angustiis temporum: neque putauit, oppressa adhuc Hispania per Sarracenos, amputandam à fidelium parte familiam nobilem, & formidandam hostibus; quæ tota in vno Guillelmo (adeo ei adhærebat) condemnabatur. Ergo ad eximiam illius humiliationem, resipiscentiamque, & Principis instantiam absoluit hominem; graui imposita illi pœnitentia: & inter alia, vt construeret Cœnobium Ordinis Cistercienfis, in quo pro sacrilegio perpetrato, floreret Religio; & iuge Deo obsequium, pro iniuria sacerdotio illata, exhiberetur. Hæc fuit occasio erectionis Monasterij SS. Crucium, primi quod habuit Cistercium in Cathalonia: concurrentibus ad eius fundationem, non Guillelmo Raimundo Moncada solum, sed Affinibus cunctis, amicisque, præcipuè Garcerando Pinosio, & Petro Alemano; vt quorum omnium commune flagitium fuit, penitentia communi, & communibus expensis expiaretur. Ita idem, qui supra Petrus Antonius Beuter;[b] sumpsit ex instrumentis ipsius Monasterij SS. Crucium. b Vbi suprà.

Hinc corrigendi veniunt Chrysostomus Henriquez, & Ioannes Mariana: ille,[c] dum necem Tarraconensis Præsulis, Petro Regi attribuit, sine vllo probando fundamento, sine auctore; & quod miretis contra veram Chronologiam, nullo Petro regnante per hoc tempus, à quo Præsul occisus præsumi posset. Hic, dum annum postponit admissi sceleris, quod M. C. XCIV. contigisse, non minùs contra omnem Chronologiam testificatur. *Berengarius*, inquit,[d] *Tarraconensis Præsul Februarij mensis XII. die, salutis anno M. C. XCIV. trucidatus est. Cædis auctor Guillelmus Moncada traditur fuisse: simultatis causæ ignorantur.* Sed simultatis causæ satis notæ, præcipuè in Prouincia factionibus obnoxia: & annum necis longè anteponendum, constat ex Monasterij fundatione, pœnitenti iniuncta hoc ipso anno; quam non potuit non scelus antecessisse.

3.
c Octobris 16
d Li. 11. c. 18

4. Electus statim fundationi locus iuxta Moncadam, non longè ab eo in quo facinus patratum (*Valldaura* illi nomen) vt vnde scandali prodierat materia, inde exempli remedium propagaretur. Et surrecturæ in eo deuotæ fabricæ asportari cœperunt ligna, & lapides; certantibus vicinis, remotisque, quis fundationem fœliciùs promoueret. Fundatorum auctoritas, potentia; expertitæ familiæ opinio, nouitas; pœnitentia à Pontifice indicta, atque ipsa etiam atrocitas delicti, pro quo imposita fuit, admirationem operi, & admiratio gratiam conciliabat. Florebat tunc Ecclesia Grandissyluæ in Tractu Tolosano sub Alexandro Abbate Viro Sanctissimo, quem à se dudum de sæculo conuersum Bernardus transmisisset ex Claraualle. Addebat reuerentiam eidem domui Guillelmus, quondam montis Pesulani potentissimus Dominus, tunc pauper Monachus: sed clarior longè meritis, quàm potentia extitisset; & quem, dum gloriam fugeret, maior vbique, & præibat, & sequebatur. Placuit inde deducere coloniam fabricandæ Ecclesiæ: & placuit Alexandro Guillelmum mittere inter reliquos Monachos, cuius auspiciis cresceret; cuius exemplo fundatores loci, pro materiali quod dabant ædificio, spiritualiter ædificarentur. Extant in eodem Cœnobio multa instrumenta, queis subscripsit Guillelmus Monpesulanus, ab hoc anno, vsque ad M. C. LVII. vt credi possit saltem per quinquennium, aut incoluisse locum, aut vt minus euntem, & redeuntem ex filia ad matrem eumdem ipsum pluries frequentasse. Certè anno proximè sequenti mense Augusto, cùm Bernardus decessit, in Grandisylua fuit; sed potuit forsan illuc perrexisse tractandæ translationi, quam

quam ex Valldaura in Anchosam, per idem tempus factam, memoriæ produnt.

5. Hoc ergo anno properatis habitationibus Grandissylua haud exhausta recenti partu (nam aliam recens prolem tunc ediderat) transmisit conuentum, qui in Laletania Valldauram inhabitaret. Præfectus in Abbatem Guillelmus alius, qui locum adiens reuerenter susceptus, præcipuè à Fundatoribus, Raimundo Comiti (Barchinonensem loquor) sancta, fecit inuidiam, quod non & ipse adduxisset similes Monachos, quod non tales haberet Capellanos, qui pro ipso dum viueret, orarent; post mortem funus, corpusque exciperent, atque animam de corpore abeuntem per continua sacrificia, & opera pietatis prosequerentur. Hinc nouæ ab eo struendæ fundationis concepta semina, quæ breui pullulantia in fabricam ingentem Populeti Abbatiam fructificarunt, quam nos anno sequenti referemus. At Valldaurenses, cum locum inportunum suis vsibus paucos intra dies experirentur, ex Valldaura in Anchosam anno sequenti transtulere sedes, priori licèt nomine retento. Neque tamen in hoc secundo loco, nec cum nomine primo permansuri. Cæterùm qualiter Anchosa adhuc relicta, ad tertium rursus locum pertransierint, auspicatum cœlestibus luminibus, atque ex crucibus illis superpositis, nouo nomine assumpto, cum reliquis, quæ concernunt eamdem Domum, suo tempore latiùs referemus.

6. Vt Grandissylua Valdauram in Catalonia, in SS. Cruces posteà transituram; sic Gemundus Tuncariam in Aragonia protulit, non multo post in Rotam transferendam. De ea in indice rerum Aragoniæ, notato licet sequenti anno in margine. *Ad XVI. Kal. Aprilis Cœnobium Iuncariense Cisterciensis Ordinis, & instituti, Cæsaraugustano in territorio situm, fundatur; quod postea in amænum locum è regione Stratonis oppidi, quod Iberi amnis ripis alluitur, est translatum, & Rotense cognominatur.* Ita Zurita. Fundatores habuit Gerardum, & Hodiernam nobiles coniuges, qui Raimundo (id primi Abbatis nomen) monachisque cum eo ex Gemundo missis, locum ipsum spontaneè tradidere. Verum non satis, illustri Monasterio, Fundatores priuati, quantumuis magni. Non multo post Aragonensium Rex Alphonsus, secundus eius nominis, dotauit locum multis possessionibus; atque inter, alias, ipso oppido Stratonis circa annum Domini M. C. LXXX. in cuius terminum Cœnobium transferretur. Cœpta ædificia secundæ, & maioris fabricæ sub Abbate Martino, post annos quindecim, id est M. C. XCV. consummata decennio (præter Ecclesiam) in cuius fine conuentum translatū lego, nempè anno M.CC. V. Ecclesiæ initia post viginti annos sub eodem Abbate: consummatio post plures adhuc fuit. Porrò hæc omnia, pluraque constabunt ex his, quæ à nobis suis locis dicenda erunt.

7. Vtraque Domus memoratur in libris Cameræ sub secundis nominibus, Sanctarum Crucium nimirum, Rotæque; illa in Episcopatu Barchinonensi, hæc in Cæsaraugustano: illa taxata totis mille florenis, quam taxam vix adæquat Episcopatus; hæc quadringentis. Cæterùm de territorio Sanctarum Crucium certant Illerda, & Barchino: & nunc vnius esse dici consueuit, nunc alterius; nunc nullius. Sanctas Cruces memoratas etiam lego in litteris Honorij Papæ Tertij: Datis Laterani XV. Kalen. Nouembris Pontificatus ipsius anno IV. Multa sunt, quæ illustrant illam Ecclesiam, quæ inferiùs dicenda. Sed supra omnia illustrauit Sanctus Bernardus cognomento Caluonius, ex eius primum Monacho, mox Abbate, Episcopus Vichensis in Valentia, clarus meritis, clarus miraculis, nec minus clarus gestis, quæ nos multa in sequentibus dicemus.

His duabus Ecclesiis in Hispania, alias hoc anno natas addere libet per diuersas regiones, 8.
quas Chronologia recenset sequenti ordine.

Anno M. C. LII. decimo sexto Kalen. Iunij, fundata est Abbatia de Claromonte.

Eodem anno IV. Kalend. Iulij, Abbatia de Bellofonte.

Eodem anno VII. Kalend. Augusti, Abbatia Candelij, vel de Candelio.

Eodem anno VI. Kalend. Augusti Abbatia de Bellabranca.

Eodem anno IV. Kalend Septembris Abbatia de Gratia Dei.

Eodem anno VI. Idus Septembris. Abbatia de Morolis.

Eodem anno XVIII. Kalend. Octobris. Abbatia de Cambonio, vel de Cambolio.

Eodem anno XIX. Kalend. Ianuarij, Abbatia de Laude.

Eodem anno XVII. Kalend. Ianuarij, Abbatia de SS. Crucibus,

Eodem anno Abbatia de Sareb, vel de Sareth.

Eodem anno XVI. Kalend. Aprilis, Abbatia de Rota. Hæc Chronologia. Porrò ex his vndecim Ecclesiis, tres supradictæ; nempe hoc capite Rota, & SS. Cruces: de Laude ante quadriennium, si tamen eadem: nam extat alia in Polonia Gnesnensis Diœcesis in libris Cameræ notata, sed sine taxa; & fortè potuit hoc anno surrexisse: quamuis Iacobus Marchantius [f] in Commentariis, Meierusq; in Annalibus, Tornacense hoc anno fundatum tradant. De Laudensi Poloniæ Monasterio hæc à Martino Cromero [g] scripta lego. *Muzislaus, Poloniæ Princeps, Laudense, & Vangrouecense Monasteria, iam inde à pulso fratre Vladislao, condidit, & locupletauit: & in ambobus Teuthonas Cisterciensis sodalitatis ex Monasterio veteris montis, tertio à Colonia milliario, deductos collocauit: edictóque perpetuò sanxit; vt non nisi Colonienses ad ea Monasteria cooptarentur, & reciperentur; propterea quod honorificè à Coloniensibus habitus esset, cùm eò adolescens religionis causa venisset.* Hæc ille. Legitur & in Tabulis Ecclesiarum Morimundensium filia veteris montis; quamuis pro Diœcesi Gnesnensi Poznauiensem designet; nec satis sciam vtra corrigenda. Reliquas leui calamo percurram.

[f] Lib. 1. in lila.

[g] Fol. mihi 179.

9. Ex his Clarum montem in Diœcesi Cœnomanensi protulit Clarauallis, quamdiu Bernardus vixit, semper fœcunda. Vtrùm autem ex transmissis ab eo Monachis fuerint illi duo, qui intra triginta annos, plus, minusve Redonensem Ecclesiam gubernarunt, non de facili ausim definire. In libris Cameræ taxatur Clarus mons florenis sex, & sexaginta supra ducentos. Memoratur in supplemento Sigeberti, & à Roberto Claudio: nec non in litteris Innocentij Papæ tertij Datis Anagniæ V. Idus Martij, Pontificatus ipsius anno III. Fundator Domus Guido Dominus de Laual, ibidem tumulatus cum multis aliis ex successoribus. Bellusfons in Hungaria, Candeliumque in lingua Occitana, vtraque pertinet, ad lineam Claræuallis; illa Tribus fontibus nata, hæc Grandisylua; quæ duplici hoc anno prole fœcunda fuit. Cistercij lineam auxere etiam Cambolium, & Bellabranca,

vtraque

vtraque in Gallia; illa in Episcopatu Viuatiensi, filia Sinanquæ; hæc in Cœnomanensi, filia Oratorij, de qua in Claudio Roberto hæc pauca lego. *Bellabranca Diœcesis Cœnomanensis confirmatur ab Alexandro III. anno M.C.LXV. mense Augusto: vnitur postea ab Henrico IV. Collegio Flexiano.* Abbati Bellæbrancæ Cœnomanensis Ordinis Cisterciensis scribit Vrbanus Papa IV. litteras Datas apud vrbem veterem VII. Kalend. Aprilis Pontificatus ipsius anno III.

10. Gratiam Dei vnam, filiam Claræuallis in Diœcesi Pictauiensi superius dedimus: Verum tres aliæ restant: altera in Burgundia, in Gallia altera, & tertia tandem incerta nobis sede; quæ annis M.C.LII. & M.CC.XXVI. M.CCC.LI. surrexisse, in eadem Chronologia commemorantur. Priorem, quæ concernit præsentem annum, illam puto, quam Claudius Robertus in Bisuntinensi Diœcesi locat: nam quæ in Anglia diutius expectauit vt notat Miræus, & suo loco nos etiam memorabimus. Porro Gratiā Dei, quæ in Burgundia, filiam Charitatis lego, in Genesi Ecclesiarum Morimundensium. De Morolis, (Moroliam alij dicunt) in Maleacensi Diœcesi, quæ sedi Burdegalensi suffragatur, protulit Claræuallis exiguam Domum, sexaginta Florenis taxatam in libris Cameræ. Quippe Bernardus inter Regias fundationes humiles acceptabat; nec paupertatem, cui semper adhæsisset, dedignabatur. Robertus Claudius initia domus refert ad annum M.C.XXXIII. quod stare non potest, nisi fortè præcessit sub aliis ritibus. Memoratur Morolia, seu de Morella in litteris Gregorij Papæ IX. ad illius Abbatem: Datis Pelusij. XVI. Kalend. Maij, Pontificatus ipsius anno IX. & rursus in aliis, de Morolia, & de Gratia Dei Abbatibus Ordinis Cisterciensis, Datis Asisij, Idibus Septembris eodem anno, quæ forsan suis locis reddendæ erunt.

IESV CHRISTI ANN. 1153. — CISTERCII ANN. 56.

1. Illustres obitus Cistercium concernentes. 2. Bernardi sub initium anni, grauis infirmitas, 3. & qualiter in ea se Sanctus gesserit. 4. Filiorum mœror, & preces ad Deum supplices. 5. Visio de differenda morte Sancti, 6. atque item alia de Odone precessuro. 7. Odonis felix mors, 8. cuius vestigia veneratus Bernardus impressis osculis. 9. Quid liber sepulchrorum Claræuallis? Quid plures alij?

CAPVT I.

1. CENTESIMVS quinquagesimus tertius supra millesimum reparatæ per Christum salutis annus, qui fuit Cistercij sextus & quinquagesimus, desperata Bernardi valetudine; dein ipsius: atque Eugenij Papæ morte, Cistercio simul, & orbi fatalis fuit. Vix vllus alius fœcundior in his Annalibus, nunc mœroris, nunc gaudij: vix ab vtroque extremo gloriosior: quippe quæ gaudij mansura, & sine fuco; quæ mœroris caduca; nec amissos dolore quispiam potuit, quos ad meliora assumptos, & Christo conregnantes non dubitabat. Antecessit vtrumque B. Odo, successit Henricus: ille, à Priore, secundus in Claraualle, hic in Anglia Eboracensis Metropolita: vt Bernardus decenti comitatu discipulorum (nam omnium ipse Pater, & Magister) ingrederetur cœlos, Angelorum agminibus sociandus. Nos singulorum acta, exitusque pro temporis ratione prosequamur.

2. Initio anni, hoc est in media hyeme ægrotasse Bernardum vsque ad mortem, ipse ad Hostiensem Episcopum scribit.[a] *Verum est* (ait) *quod audisti; infirmatus sum vsque ad mortem. Sed interim, vt sentio, reuocatus ad mortem; atque hoc* (vt me sentio) *non diu.* Hæc de iam desperata Sancti vita; at de tempore morbi ingrauescentis, ad filios mox, dum recidiuum patiens, currente iam æstate, consúmaretur.[b] *Hæc sunt verba, quæ loquebar ad vos, cum præterita hyeme ægrotarem, &c.* Itaque intrante hoc anno, lecto decubuit, in qua infirmitate quantumuis graui, quantumuis mortali, qualiter se vir Dei per omnia gesserit, Godefridi ipsius Notarij, qui præsens fuit, verbis, grauiùs, & certiùs oportet describamus.

a Epist. 30.

b Lib. 5. vitæ cap. 2.

3. [c] *Cùm post multos iam labores Dominus dilecto suo Bernardo Claræuallensi Abbati diu desideratum pretiosæ mortis somnum dare disponeret, & fidelem seruum in requiem introducere suam, cœpit magis, ac magis promptus in ipsum proficere spiritus, caro infirma deficere. Cognoscens enim Vir Sanctus prope esse iam brauium, solito currebat alacrius; & terrestris suæ habitationis dissolutionem sentiens imminere, votis vberioribus aspirabat ad habitationem ex Deo, domum non manu factam æternam in cœlis. In cuius purissimo pectore sacri sese desiderij flamma non capiens, crebris erumpebat indiciis, & ignitum eloquium vehementer feruoris interni vehementiam declarabat: sicut in Sanctis animalibus per*[d] *Prophetam, inter cætera, describuntur scintillæ, quasi aspectus æris candentis. Corpus lectulo decubans, variis exercebatur incommodis; animus nihilominus tamen liber, & potens, quæ Dei erant, exercebat inuictus, non cessans in mediis quoque doloribus meditari sacrum aliquid, aut dictare; orare affectuosiùs, fratres exhortari. In oblatione hostiæ salutaris, quam vsque ad defectum vltimum vix aliquando intermisit, artus sibi vix cohærentes vigore spiritus sustentabat, semetipsum pariter offerens acceptabilem hostiam Deo in odorem suauitatis. Quo tempore ad auunculum suum Andræam, militem templi, qui & regionis Hierosolymitanæ maxima columna habebatur, epistolam scribens inter cætera ait:*[e] *Ego enim delibor, nec puto me longum facere super terram.* Hactenus Godefridus de S. Patre.

c In vita Sancti.

d Ezech. 1.

e Epist. 288.

Mœrebant interim filij eius discessum, atque orationibus simul, lachrymisque abeuntem retinere, quà possent, sollicitabant.[f] *Interea fratres* (pergit idem auctor) *instare supplicationibus, & obsecrationibus, quibus poterant apud Deum. Vnde etiam Sanctus ipse cognoscens eorum precibus desiderium suum differri, cum aliquantò melius secundum* 4.

f Ibid. c. 3.

dum corpus habere cœpisset, congregatis fratribus hæc eadem verba loquutus est: Quid tenetis miserum hominem? Fortiores estis; & innaluistis. Parcite, quæso, parcite, finite me abire. Sed nihilominus prophetiæ spiritu plenus, nec minùs interim paterno amore æstuans, consolari lugentes, dilationem promittere, instillare fiduciam, atque in spem cunctos erigere: & se ad æstatem vsque differendum, datis dolori induciis, promittebat. [g] *Hæc sunt verba, quæ loquebar ad vos, cum præterita hyeme ægrotarem; non vobis esse, quod adhuc timeretis, æstate proxima imminere me, mihi, credere huius corporis dissolutionem.*

g Cap. 2.

5\. Tarda solet magnis rebus adesse fides. Nec quid maius, quam vita Bernardi, Bernardi filiis. Ergo dum inter spem, & metum fluctuarent ancipites; atque diu imminentem sententiam mortis, vix, aut ne vix, sperarent posse differre; minus fortè fidentes Bernardi verbis, confirmauit visio, quam idem auctor scripsit in hæc verba.[h] *Cùm in summo periculo, & timore fratres omnes in orationibus humiliarent animas suas, vni eorum visio talis apparuit. Occurrebat cum multa exultatione viro Dei extrà Monasterij claustra innumerabilis multitudo. In qua tamen processione solos quatuor præeuntes idem frater, qui videbat, agnouit; magnum illum dilectorem eius, atque dilectum, cuius & ipse in libro quarto de consideratione cum laude meminit, Gaufridum Episcopum Carnotensem; Humbertum quoque, qui Igniacensis Cœnobij fuerat primus Abbas, & duos eius fratres germanos, Guidonem scilicet, & Gerardum. Exceptus itaque reuerenter, & post osculum pacis, amica diu colloquia miscens Pater Sanctus, ac beatus, cum his quatuor stabat, expectante seorsum multitudine cæterorum. Nouissimè salutantes eum prædicti viri ex hoc sibi iam redeundum esse dicebant. Tum verò expalluit ille, & circumfusa sibi mæstitia internum declarans animi dolorem; Quid ergo, ait, sine me vultis abire? Et illi: Non potest adhuc tuo, & nostro satisfieri desiderio, donec veniat tempus nouorum. Dicebant autem tempus nouorum, quo fruges nouæ colligerentur, sicut euidenter post modum probauit euentus, dum in Augusto mense decessit. Mane ergo frater ille, cui hoc ostensum fuerat, consolatus est cæteros, velut iamiam imminentem Patris obitum formidantes, & quod viderat, & audierat, indicauit. Adhuc autem hyems erat.* Hæc tertia iam de Bernardi obitu visio, quam tamen quarta alia sequuta est, qua differendum, etsi minus clarè; haud tamen nimis obscurè confirmabatur.

h Cap. 3.

6\. Explebat Supprioris officium in Claraualle emeritæ militiæ senex Odo, quem supra memorauimus; sed vigens pro ætate, valensque, dum S. Pater in lecto detineretur. Ergo cùm fratres instarent orationibus pro Bernardi salute, vitáque; talis Monacho cuidam visio apparuit, quam eisdem ferè verbis Godefridus,[i] atque auctor Exordij[l] post eum, ita describunt. *Eodem tempore altera quoque visio prioris confirmatio fuit: nisi quod euidentius iam vtriusque completa veritas probat, quam euidenter in vtraque, quod futurum erat, Dominus reuelauit. Videbat enim frater quidam, & ecce parabat vir beatissimus ascendere Hierosolymam; iamque ipso in procinctu itineris erat. Ad quem Venerabilis Odo, qui à primis ferè annis strenuè satis, & laudabiliter conuersatus in Monasterio, absentium consueuerat præpositorum supplere vices, reuerenter accedens, dicebat se præcessurum. Cuius visionis sic ostensa est veritas, vt prædictus vir Deo dignus ad Cœlestem Hierusalem, vbi verè visio pacis, parantem iam egredi, & paulò pòst sequuturum Patrem Sanctum, fœlici functus legatione præiret.* Hæ differendæ ad tempus mortis B. Viri præcessere visiones, quibus paululum filij respirarent.

i Lib. 5. c. 3.
l Lib. 3. c. 6.

Interim Odo Bernardo substituendus, siue magis Bernardum præcessurus; in febrem incidit, qua tandem consummatus, expediuit ænigma, ipse iam facie ad faciem Deum visurus. Fœlicem viri transitum, ac Bernardi iudicium de eius gloria, quia in hoc tempus incidisse constat, verbis Exordij magni referre libet. [m] *Post prædictam visionem* (eamdem námque narrat auctor Exordij) *idem famulus Dei Odo molestia corporis tactus, ad extrema peruenit. Ad quem visitandum cum B. Bernardus ingressus fuisset, videns eum pauere, & anxiari, quasi minus perfectè vixisset, & ob hoc ancipitem sententiam adhuc iudicis expectaret, sic eum alloquutus est: Quid trepidus? quid turbaris, ô anima beata? A diebus adolescentiæ tuæ deuotum Christo famulatum in multis, & magnis laboribus exhibuisti, & exire formidas? Perge, perge, securus; ego in veritate tibi dico, quia recto cursu ad creatorem tuum peruenies; & Sanctus coram ipso apparebis. Qua consolatione dilecti Patris sui, humilis Odo roboratus, placidiori vultu ad exitum tendens, & post modicum hominem exuens, mortem perdidit, & vitam veraciter apprehendit.* 7.

m Lib. 3. c. 6

Hæc de Odone Sanctus, dum adhuc viueret; nam post mortem maiora, tum osculatis vestigiis sacrorum pedum, tum sancti corporis repositis exuuiis cum Humberti cineribus, quem verè Sanctum nequaquam dubitabat. Audi eumdem Auctorem de his loquentem.[n] *Vt autem Pater sanctus sententiam, quam de eo protulerat, pia humilitatis obsequio veram esse probaret, corpore sancto adhuc in arta iacente antequam deferretur ad lauandum, reuerenter accedens, funeris Deo digni vestigia sacra deuotè osculatus est. Patenter ostendens cunctis, quanto honore digni sunt, qui in exercitiis Regulæ, quam professi sunt, sine dissimulatione exercentur, & in via mandatorum Dei,[o] sicut in omnibus diuitiis delectantur. Benedicta corporis eius exuuia in monumento, quo pia memoria Humbertum locatum diximus, ob reuerentiam Sanctitatis ipsius recondita sunt. Vbi fœlici pausatione requiescens,* [p] *Saluatorem expectat Dominum nostrum Iesu Christum, qui reformabit corpus humilitatis eius configuratum corpori claritatis suæ.* Hæc de B. Viri Odonis obitu, quem S. Pater præcursorem transmisit ex Claraualle. 8.

n Ibidem.
o Psal. 18.
p Philip. 3.

In libro sepulchrorum eiusdem domus, hæc pauca lego. *Secundum locum post ipsum* (id est post beatum Humbertum) *obtinet Dominus Odo Venerabilis, qui Supprioris officium sub B. Bernardo cum multo fauore vniuersorum fratrum, vsque ad vltimam senectutem adimpleuit. Hic fuit in diuinis officiis deuotus, & strenuus; nec non in corporalibus exercitiis laboriosus. Et quamuis esset in corpore grauiter lasus; semper tamen ad vniuersos labores præcedebat alios, & deducebat, exemplis, & verbis efficacibus admonens, & inuitans. Specialiter autem in oblatione hostiæ salutaris se tam deuotum exhibebat, vt admodum Simeonis, ipse quoque tenere puerum, & mira iucunditate blandiri paruulo videretur. De cuius meritis, & virtutibus quid B. Bernardus sentiret, ostendit, dum post eius transitum mox, vt primam orationem pro commendatione ipsius animæ compleuit, prostratus solo, omnibus cantantibus, non sine multa lachrymarum effusione, osculatus est pedes eius. Obiit autem XII. Kalend. Martij.* 9.

q Apud Henriq. in fascic. & in cod. nostro M.S.

Hoc

Hoc est, XVIII. die mensis Februarij.

10. Odonem inter SS. Cistercij numerant Ioannes Abbas, & Missale antiquum Ordinis, Hugo Menardus in suo Martyrologio Februarij XVII. Menologium, Nouembris XVIII. quamuis aliàs verum diem obitus notet; Aubertus Miræus in Cathalogo [r] SS. & plures alij antiqui, & recentiores,

[r] Origin. Monast. lib. 5. cap. 15.

---

1. Sardiniæ Regulus Bernardum visitat. 2. Henricus in Romana Curia non benè audit, 3. quid Bernardus de ipso, ad Hugonem? 4. Quid de propria salute? 5. Dictum obiter de Tusculano Episcopo. 6. Eugenij priuilegium pro Canonicis Ecclesiæ S. Petri. 7. Quid concesserit illis, 8. & quam ob causam? 9. subscriptiones; 10. atque ex eis confirmata dicta numero quinto.

CAPVT II.

1. AD primos itidem menses huius anni credimus pertinere, quod Gumarus Sardiniæ Iudex, & Regulus, cùm ad B. Martini Turonensis sepulchrum peteret, visitauit Bernardum, hospes primum futurus; sed mox domesticus. Quippe ab eodem, ad sæculi contemptum solicitatus, viuenti dissensit, qui mortuo statim foret consensurus. Auctor Exordij magni de eo ista. [a] *Quidam nobilissimus Princeps Gumarus, iudex quondam, & Dominus Sardiniæ, de Trachalis, cùm aliquando gratia orationis Sanctum Martinum Turonensem Episcopum petiisset, in reditu transiens per Claramuallem, & à B. Bernardo deuotè exceptus, de salute quoque animæ copiosè admonitus, conuersioni minimè consensit: licet Pater S. ipso præsente, & multum gratulante, cæcum quemdam illuminasset. Cui abeunti vir Domini, sic loquutus est. Ego quidem instanter pro tua conuersione Dominum rogaui, sed ad præsens exaudiri non merui. Et nunc abire te patior, quia retinere non licet inuitum. Scias tamen te huc iterum de Sardinia reuersurum. Abiit ergo in patriam suam, sed verba, quæ ex ore viri Dei audierat, incessanter animum eius stimulabant, spiritu intus suggerente, prophetiam quam tantus Propheta sibi de se prædixisset, cassari penitus non posse.* Hactenus ibi. Verùm qualiter post elapsum modicum tempus, cum Sancti Patris mortem audiuisset, relictis omnibus redierit ad Claramuallem, ibidem Monachus vsque ad mortem permansurus, suo tempore ex more commemorabimus.

[a] Lib. 3. c. 17.

2. Per idem tempus Henricus Beluacensis, seu iuuenili ætate minus expertus, seu fortè quo zelantior pro Christi gloria, eo patentior zelatorum murmurationibus, dubia opinione periclitabatur; præcipuè Romæ, locorum interuallo, distantiáque: & quæ plerumque illustres viros sequitur, propensione innata, eorum actus in deterius interpretari. Et duxerat Robertum ex Claraualle, in quem cuncta reciderent, quasi eius plerumque consiliis obtemperaret. Id qualecumque leuamen prioris pensi; vt qui peiora de Principibus præsumunt, minùs tamen in eos indignentur, quàm in ministros, in quos putant errata referenda. Non latuit rumor Beluacensem Præsulem: nec propriæ famæ iacturam contemnendam putauit, Regali sacerdotio, quo se quasi bis vnctum non ignorabat. Iter ad Romanam curiam aggressus est, in ipsa Quadragesima, pro se, & pro veritate satisfacturus. Sed cum prius Claramuallem accessisset, inuisurus Bernardum, fratresque; atque horum orationibus, illius etiam muniendus benedictione: monitis Sancti ad propria reuersus est, Romanum iter non penitus omittens, sed tantum differens. Ergo cum rumor ab ipsa permissione, vires acciperet; Cardinalis Episcopus Ostiensis, non solùm Dei, sed Bernardi causam zelans, quem etiam, vt Magistrum, & Patrem conspergebant, quæ de discipulo, & filio dicebantur; ad eumdem scripsit, rogans primùm, vt vagationem Henrico dissuaderet: dein vt Robertum reuocaret ad Claramuallem: & tandem, vt Episcopo consuleret, quatenus ad obiecta satisfaceret; quod melius per se ipsum, si Romam iret, quàm per quoscumque legatos exequeretur. At Pater Sanctus, his litteris susceptis, talia noscitur Hugoni respondisse.

3. [b] *Festinè ista dicto, & ob hoc minus festinè: siquidem viator transire festinans vrget. Res mira, sed magis læta. Frater G. Fulcherius cum litteris Domini mei, pariter & vestris, simulque præsentium lator peregrinus, vno penè momento adfuerunt. Deo ita sine dubio prouidente, vt haberem, per quem festinanter rescriberem: quod vtique cupienti mihi non poterat satis esse festinum. Inde est, quod hæc in infirmitate mea ipsa dictaui, quod non esset tunc alter ad manum; de Domino Beluacensi, quod primum posuistis, primùm ita respondeo. Sui iuris est. Iam non est in mea potestate, sed in ciuitate vita eius, & conuersatio. Si secus quàm debet, vel decet, interdum agit; dolere possum, sed emendare prout volo, non valeo. Verumtamen quod vobis suggestum est de vagatione eius, nimium extitisse in ea vsque adhuc nos non comperimus: nec inde notatum apud nos quandoque audiuimus. Ex quo ad eum venit frater Robertus, qui cum eo est, turpe, & graue aliquid perpetrasse, aut Episcopo persuasisse, ad aures nostras nondũ omnino peruenit: & mirum, si ad vos potuit peruenire, quod latere nos potuit. Dabo tamen operam facere, quod vultis de reuocatione eius, si quando honestè, & opportunè potuero. Iámque fecissem, si cum pace Episcopi potuissem; & non timuissem inutiliorem huic subrogandum. In Quadragesima venit ad nos ipse Episcopus, paratus ire ad Curiam, causa cuiusdam appellationis: & venisset, nisi nos dissuasissemus. Porro dissuasionis intentio fuit, quod non ita videretur esse paratus, siue in consilio, siue in comitatu, vt iuuenis Episcopi personam decuisset. Propositum tamen eius est proficisci tempore opportuno. Frater vester est, facite cum illo misericordiam, vt aduersarij eius non præualeant aduersùs eum. Vellem vos ad ipsum potiùs, quàm ad nos scripsisse, & fraternè monuisse super his, quæ de eo audistis.* Hæc Sanctus Pater in causa Beluacensis, charitate imitanda cunctis hominibus.

[b] Epist. 307.

4. At de salute propria, de qua eumdem Hugonem Cardinalem, quin & Eugenium ipsum nimis solicitos, ex eadem epistola cognouerat; cum iam aliquantisper conualuisset; semper tamen sentiret se dissolui: & tum visiones aliis de ipso factas, tum ipsius prophetiam impletum iri, hæc, quæ sequuntur, censuit subiicienda. *Deinde super statu corporis mei*

mei cognoui vos esse solicitum. Verùm est, quod audistis: infirmatus sum vsque ad mortem; sed interim reuocatus ad mortem: atque hoc (vt me sentio) non diu. Longè enim sum debilior, quam credi possit. Quod tamen dixerim absque praiudicio diuinæ prouidentia, qua & mortuos suscitare potest. Et in hoc sit responsum non modò vobis, sed & Domino meo: cui volo, & oro, vt in quantacumque deuotione poteritis, accito vobis pariter Domino Tusculano, plenissimas grates referatis pro tanta dignatione, & sollicitudine tam pia. Hactenus Sanctus.

5. Verùm quod ad Episcopum Tusculanum attinet, quem in partem gratiarum agendarum ab Hugone assumendum postulat; notatione inter alia dignum censeo, quod hic Ymarus esset, ex Monacho Monasterij S. Martini de Kempis propè Parisios, Congregationis Cluniacensis,[c] ab Innocentio II. summo Pontifice, ad Cardinalitiam dignitatem assumptus: atque à Lucio item secundo non multò post in Angliam delegatus, non sine laude prudentiæ, atque constantiæ; & quod tunc rarius & paucis contingebat, integritatis. Vt non immeritò coniectari liceat affectum S. Patris in Cluniacenses; & Cluniacensiũ in ipsum vice versa; qui grates vel Eugenio peracturus; hoc est, proprio filio, Imarum interpellat, sicut Hugonem, quasi non minùs sibi coniunctum censeat Cardinalem assumptum ex Cluniaco, quam ex Cistercio; imo ex Claraualle. Quin & Henricum omittat, Bernardúmque proprios itidem filios (nec minus tunc morantes apud Pontificem, quod statim videbimus) vt Imarum ex Cluniaco interponat.

c *Chacon. in Innocent.*

6. Interea Eugenius, vt Cardinalis Baronius notat [d] *Quarto Idus Aprilis Canonicis Basilica S. Petri concessit quartam partem oblationum, qua ex more fierent in altari maximo, super confessionem S. Petri, & eorum, qua inferrentur in arcam; de qua concessione eiusmodi diploma scribendum curauit, cuius autographum; in Bibliotheca eiusdem Ecclesia asseruatur.*

d *Hoc ann. in princ.*

EVgenius Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filiis Bernardo Presbytero Cardinali S. Clementis, & Ecclesia B. Petri Archipresbytero, atque cateris eiusdem Ecclesia Canonicis, tam præsentibus, quàm futuris canonicè substituendis, in perpetuum.

Beatorum Petri, & Pauli tam eminens est, & tam gloriosa societas, vt & ambo sint doctores gentium, auctores Martyrum, Principes Sacerdotum: Et cùm inter vniuersos Apostolos peculiari quadam prærogatiua praecellant, aqualitatis in cælo meritis disparitatem non sentiunt. Petro, ab ipso Saluatore nostro Domino Iesu Christo, claues regni calorum sunt commissa: Paulus electus est à Deo, vt, de multitudine gentium, regnum cælorum impleat sua prædicatione. Petrus petra est, vt fundamentum fidei, & ne ruamus, in soliditate nos firmâ sustentat: Paulus, ne prauo hareticorum dogmate vulneremur, moralitatis honestate, & inuincibili ratione fidei nos armat. Petrus Principatum tenens, ex potestate ligat, & soluit: Paulus diligens prædicator, ne quid reprehensibile, vel ligatione dignum in nobis appareat, mirabili nos exhortatione præmunit. Petrus firmamentum nostrum est, ac domus fortitudinis, & in fide eius plantati, & radicati sumus: Paulus vas electionis, pradestinatos à Deo, & electos, cælestis tuba sonoritate, vocauit, & pro nobis sine intermissione orans, ne à fide, & veritate deuiemus, apud Deum interueniendo nos protegit.

7. *Cùm igitur ij duo maxima luminaria, Dei Ecclesiam illustrantia pari, & amicabili splendore & fraterno amore præfulgeant, aquitatis, & iustitia persuadet ratio, vt nos, qui licèt indigni, Christi vices in terris agimus, & in eiusdem Apostolorum Principis cathedra residere conspicimur, domesticam B. Petri familiam paterno diligamus affectu, & pia eam prouisione, in suis necessitatibus adiuuemus. Huius itaque rationis debito prouocati, dilecti in Domino filij, quartam partem omnium oblationum, qua de altari eiusdem B. Petri Apostoli, & tam de arca, quàm de ministeriis omnibus ipsius Ecclesia, prater quam de ministerio B. Leonis proueniunt, vobis, ex consensu fratrum nostrorum Episcoporum, & Cardinalium, sedis Apostolica auctoritate concedimus, & præsentis scripti pagina confirmamus: ita videlicet, vt semper cùm volueritis, facultatem liberam habeatis eamdem oblationem in vestris manibus retinendi, atque custodiendi, seu aliis quibus volueritis; cùm nostro, atque nostrorum successorum consensu vendendi, salua in omnibus aliis, & retenta in nostris, & successorum nostrorum manibus ipsius Ecclesia libera dispositione, atque custodia.*

Hoc autem ideo facere dignum duximus, vt vos die, ac nocte studiosè in Dei laudibus desudantes, tam in Missarum celebratione, quàm in Matutinis, & aliis horis, pro viuorum, ac defunctorum salute, attenta diligentia, & honestè decantandis, prædictam B. Petri Ecclesiam, obsequio debito, veneremini, & Dei fideles Apostolorum limina, deuotione debita, visitantes, locum ipsum in maiori deuotione, ac veneratione semper habeant. Decernimus ergo, vt nulli omnino hominum fas sit huius nostra concessionis paginam temerario ausu infringere, seu quibuslibet modis perturbare. Si qua igitur, in futurum Ecclesiastica, sacularisve persona, id attentare præsumpserit; secundò, tertiòve commonita, nisi præsumptionem suam congrua satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reámque se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore, ac sanguine Dei, & Domini Redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districta vltioni subiaceat. Cunctis autem hanc nostram constitutionem eidem loco seruantibus, sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus & hic fructum bona actionis percipiant, & in futurum præmia aterna pacis inueniant. Amen. Amen. Amen. 8.

Ego EVGENIVS *Catholica Ecclesia Episcopus subscripsi.* 9.

Ego Conradus Sabinensis Episcopus subscripsi.

Ego Ymarus Tusculanus Episcopus subscripsi.

Ego Hugo Ostiensis Episcopus subscripsi.

Ego Gregorius Presbyter Card. tit. S. Calixti subscripsi.

Ego Guido Presbyter Cardinalis, tit. S. Chrysogoni subscripsi.

Ego Hubaldus Presbyter Cardinalis, tit. S. Praxedis subscripsi.

Ego Manfredus Presbyt. Cardinal. tit. S. Sabina subscripsi.

Ego Aribertus Presbyt. Cardinal. tit. S. Anastasia subscripsi.

Ego Hubaldus Presbyt. Card. tit. S. Crucis in Hierusalem subscripsi.

Ego Guido Presbyter Cardinalis, titulo Pastoris subscripsi.

Ego Iordanus Presbyt. Cardinalis, tit. S. Susanna subscripsi.

Ego Octauianus Presbyt. Cardinal. tit. S. Cacilia subscripsi.

Ego Astaldus Presbyter Cardinalis, tit. S. Prisca subscripsi.

subscripsi.

Ego Rolandus Presbyter Cardinal. tit. S. Marci subscripsi.

Ego Gerardus Presbyter Cardinal. tit. S. Stephani in Cœlio monte subscripsi.

Ego Ioannes Paparo Presbyt. Card. tit. B. Laurentij in Damaso subscripsi.

Ego Ioannes Presbyt. Card. tit. SS. Ioannis, & Pauli, tit. Pammachij subscripsi.

Ego Centius Presbyt. Card. tit. S. Laurentij in Lucina subscripsi.

Ego Henricus Presbyt. Card. tit. SS. Nerei, & Achillei subscripsi.

Ego Odo Diaconus Card. tit. S. Gregorij ad Velum aureum subscripsi.

Ego Guido Diaconus. Card. tit. S. Mariæ in Portica subscripsi.

Ego Hyacintus Diacon. Card. S. Mariæ in Cosmedin subscripsi.

Ego Ioannes Diacon. Cardinal. SS. Sergij, & Bacchi subscripsi.

Ego Gerardus Diacon. Card. S. Mariæ in via lata subscripsi.

Ego Odo Diacon. Cardin. S. Nicolai in Carcere Tulliano subscripsi.

Ego Bernardus Diacon. Card. tit. SS. Cosmæ, & Damiani iuxta templum Romuli subscripsi.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum per manum Bosonis S. R. E. scriptoris, IV. Idus Aprilis, Indictione prima, Incarnationis Dominicæ anno M. C. LIII. Pontificatus verò Domini Eugenij III. Papæ anno IX.

Locus plumbi.

Ex huius priuilegij subscriptionibus facilè videas, non solum Hugonem Episcopum Ostiensem, sed & Henricum item, Bernardumque adstitisse Eugenio, illum Presbyterum titulo SS. Nerei, & Achillei, hunc Diaconum SS. Cosmæ, & Damiani, vtrumque ex Clarauallе: cùm Bernardus ad Hugonem Ostiensem scribens, vt pro se grates Eugenio Papæ referat; neutrius meminit: Sed Ymarum proponit, quem ad hoc munus censeat præeligendum: non quia vterque Bernardo minùs charus; sed vt vtriusque filij posthabitione, affectum suum in Cluniacenses patefaciat, quos propriis filiis propriores sibi constituat. Sed de his satis. 10

---

1. Cardinales ab Eugenio in Germaniam missi: 2. ad quos Bernardus pro Henrico Moguntino Præsule scribit, 3. Qui vario auctorum iudicio tandem depositus. 4. Henrici historia, ex Conrado Moguntiaco. 5. Consensus in sententiam, citatis ad Tribunal Dei legatis. 6. Secessus, in Cœnobium Cisterciense, eiusdem viri. 7. Pauenda vtriusque legati mors. 8. Perpensum de hoc ipso Baronij dubium. 9. Et quid de Cœnobio, cui se Henricus inclusit. 10. Suppressio Abbatiæ de Buxia Engolismensis, 11. occasio facti, 12. & sententia Bernardi Patris.

CAPVT III.

1. PERGIT Baronius, post hæc, ad partem historiæ de Henrico Moguntino, quem præcedenti anno commemorauimus, duplici titulo spectantem ad hos Annales; & quia sub Eugenio, & per legatos ipsius homo depositus; & quia, post abdicatum Pontificatum, elegit Cistercium, in eo, vsque ad finem vitæ, permansurus. Rem grauem, & nimium singularem ex circumstantiis, quamuis Baronio dubiis, quia grauiter ab eo scripta est, non pigebit ad litteram transcribere.[a] *Post hæc autem* (ait) *eodem anno, decernitur ab Eugenio Papa legatio in Germaniam, ad iudicandum Archiepiscopum Moguntinum. Fuerunt delecti ad hoc munus obeundum duo Cardinales, Bernardus Presbyter, & Gregorius Diaconus, vt*[b] *Otto Frisingensis, qui aderat, tradit. Id autem cum Sanctus Bernardus accepisset, ad eos de eodem Moguntino ista breuiter scripsit.*[c]

a Baron. ad hunc ann.

b In Frider. lib. 2. c. 9.

c Bernar. ep. 302.

2. *DOminis, & Patribus reuerendis Apostolicæ sedis legatis, puer sanctitatis eorum Bernardus Claraeuallis vocatus Abbas, per omnia Deo placere, & gratos fructuosæ suæ legationis manipulos reportare.*

Etsi corpore remoti, sed affectu, & bona voluntate vobis appropiauimus, optantes, & orantes duci actus, & studia vestra ad omne, quod decet, & expedit. Inde est quod audientes, miserandum illum Archiepiscopum Moguntinensem vocatum ad vestram præsentiam, ibique responsurum aduersariis suis, ausi sumus vestram, pro eo, interpellare bonitatem. In hoc enim credimus honorificari ministerium vestrum, si (quatenus salua iustitia licèt)[d] *parieti inclinato, & maceriæ depulsæ humeros vestræ auctoritatis supponitis,*[e] *nec calamum quassatum conteri, nec lignum fumigans (quod in vobis est) extingui permittitis. Sentiat, obsecramus, sibi profuisse, & precem nostram, & suam simplicitatem; ob quam fertur à falsis fratribus circumuentus, potius quàm inuentus in aliquo dignus depositionis.* Hæc S. Bernardus in ipsius excusationem, & commendationem.

d Psal. 61.

e Isai. 42.

Cæterum liquet, ipsum vna cum aliis fuisse per eosdem legatos ab Episcopali dignitate depositum. Ita namque hoc anno Dodechinus in Appendice ad Marianum his verbis. *Henricus Archiepiscopus Moguntinensis in Pentecoste, ex præcepto Eugenij Papæ depositus est, & Arnaldus Cancellarius electus est.* Ita ipse per Eugenium actum asserens, quod per eius legatos factum sciret. Cæterum iustè, an iniustè, diuersa est assertio diuersorum. Excusandam esse simplicitatem, ingessit S. Bernardus: Conradus Episcopus in Chronico Moguntinensi itidem ipsum innocuum prædicat. Otto tamen Episcopus Frisingensis, & ipse sicut scientia, ita vita integerrimus, moribusque purissimus, noxium eum asserit, qui de hac legatione verba faciens, de legatis sic meminit.[f] *At Rex* (Fridericus videlicet) *in proximo Pascha Babemberg, coronam gestans, duos Cardinales, videlicet Bernardum Presbyterum, & Gregorium Diaconum; ad depositionem quorumdam Episcoporum, ab Apostolica sede destinatos, secum habuit. Proximam de hinc Pentecosten VVormatiæ ferians, Henricum Moguntinæ sedis Archiepiscopum, virum pro distractione Ecclesiæ frequenter correptum, nec correctum, per eosdem Cardinales deposuit; ac Arnoldum Cancellarium suum, per quorundam ex Clero, & populo, qui illuc venerant, electionem, ei subrogauit.* Hæc de his Otto. 3.

f Otto in Friderico lib. 2. c. 9.

Conradus

4. Conradus autem Episcopus, qui post centum annos Chronicon scripsit Moguntiacum (vt ipse testatur) ab exordio rem gestam cum narrat, omnem culpam reiicit in Arnoldum eiusdem Archiepiscopi proditorem, atque in Legatos Apostolicæ sedis pecunia corruptos. Sic enim ait. *Præsidente tunc (Ecclesia Moguntina) quodam Henrico Archiepiscopo, viro vtique pacifico, ac benigno, quia veritatis, & pacis amator erat, lites, & incommoda excitauit. Nam quia semper ei erat cordi, vt Clerus honore debito gauderet, populus iustitia regeretur, terra pace publica exultaret: ecce accusatur apud Papam, quod somnolentus, & inutilis haberetur. Quod vir Venerabilis vt cognouit, solemnes Nuntios, pro sua excusatione, ad summum Pontificem decreuit protinus destinare.. Misit ergo omnium suorum secretissimum cognitorem quemdam Arnoldum Clericum, quem ipse Archiepiscopus, ad Præposituram maiorem promouerat iam recenter, tamquam eum, qui non posset esse immemor beneficij tam nouiter consequuti, & propterea eidem iam Præposituram S. Petri etiam contulerat, insuper & Camerarium constituit ciuitatis Moguntinensis. Erat autem idem Arnoldus miri ingenij, & facundiæ, atque congestor pecuniæ infinitæ. Is itaque veniens ad Curiam Romanam, Pontificatúmque ambiens Moguntinensem, primum sibi Cardinales pecunia fauorabiles acquisiuit, deinde duos specialiter pecunia corrumpens, qualiter de sua propria promotione ageret, & postmodum consummaret, cum illis familiariùs pertractabat. Tandem ab illis instructus, & de se certificatus, cœpit in suum Dominum accusationis iacula dirigere, quem venerat excusare. Breuiter tantum in sua processit audacia, & effecit, vt duos Legatos destinari peteret, huius rei cognitores, & iudices, obtinuitque eosdem duos, quos corruperat.*

5. *Tandem, tractu temporis, multa interuenerunt facta, quæ referre, sicut scribentibus esset onerosum, ita legentibus tædiosum. Veniunt ergo legati Vuormatiam, Henricus Episcopus citatus comparet. Nihil prætendere poterat pro se, quod admittere vellent iudices, siue legati supradicti. Præsidentes autem iudicio, in loco, qui* Neuhusen *vocatur, Henricum laudabilem virum ab Episcopatu amouent Moguntinensi, Arnoldum substituunt. Dicebatur autem, quod Fridericus Imperator huic negotio assensum præbuerit, sed occultum. Venerabilis vir Henricus, tam manifesta peruersitate turbatus, ipsos peruersos alloquitur in hunc modum: si ad sedem Apostolicam appellarem contra vestrum iniquum processum: Papa forsan ipse nihil ampliùs attentaret, & nihil mihi accresceret, nisi labor corporis, amissio rerum, & afflictio spiritus, & euisceratio mentis, & euacuatio gratiæ. Appello ergo ad Dominum Iesum Christum, tanquam iudicem iustissimum, vos cito ad eius tribunal, ibi vobis coram summo iudice, me responsurum exhibeo. Non enim iustè, nec secundùm Deum, sed mercede corrupti, sicut placuit, iudicastis. At illi: Cùm tu præcesseris, nos sequemur. Hæc autem ridentes, & deridentes dixerunt. Acta sunt hæc, anno gratiæ M. C. LIII.*

6. *Dominus Henricus abiit ad quoddam Claustrum Cisterciensis Ordinis, non Monachus effectus, sed in consueto habitu vitam ducens. Arnoldus non moram faciens, cùm fuisset, vt moris est, ab Imperatore Regalibus inuestitus, Moguntiam venit, ibique solemniter est susceptus. Post annum ferè, & dimidium Venerabilis Henricus Præsul defunctus, Deo, ad quem appellauerat, totum processum lacrymabiliter assignauit.* Hæc de obitu. Verùm in tempus obitus mendum irrepsisse puto: si quidem Dodechinus affirmat, hoc eodem anno Kalen. Septemb. eumdem Henricum esse defunctum. De iudicio Dei, aduersus Cardinales, exhibito, hæc inferiùs, vt libuit, an ex fide, idem; qui suprà, Conradus scribit.

Rem refero fratres, omnibus illius sæculi notissimam. Mors Venerabilis Henrici multis innotuit; peruenit etiam ad aures illorum Cardinalium, qui ab Episcopatu eum amouentes, se promiserant sequuturos; & ludentes ad alterutrum dixerunt: Ecce præcessit; suo tempore nos sequemur. Et ecce transiit tempus breue, & ambo vna die moriuntur. Nam vnus sedens in sede naturæ, vt purgaret ventrem; omnia intestina sua in cloacam eiecit, & animam miserabiliter exhalauit: alius manuum suarum digitos articulatim abmordens, & de ore expuens, deformatis manibus, quasi seipsum deuorans, expirauit, [g] ô Deus vltionum Domine! Deus vltionum Dominus, *hoc est, iustum exercens iudicium. [h] Et in his omnibus non est auersus furor eius, sed adhuc manus extenta. Audita sunt hæc in terra nostra, & fama celebri diuulgata, nec à quoquam aliud dicebatur, quàm Benedictus Dominus, qui Venerabilis Henrici iustè iniuriam vindicauit.* Hactenus ex Baronio grauiter dicta: vt nihil ei siue demi, siue addi conueniens duxerim. At quæ vindicta tantorum malorum causam, nempe eumdem Arnoldum, sequuta sit; quia præmonente Abbate Ebèrbacensi, sed non audito, hos Annales concernit, suo tempore nos etiam referemus. 7.

g Psal 93.

h Baruch 1.

8. Interim adnoto, Cardinalem Baronium, dum hæc scribit, quod attinet ad mortem Cardinalium intra annum, ab obitu Henrici, suspectum habere: quod Gregorius, Bernardúsque, quos ab Eugenio Legatos [i] Otto prodit, eius temporis auctor, & quidem indubitatæ omnino fidei; superuixisse longè post id tempus; quin, & Bernardum presbyterum Cardinalem, titulo S. Clementis, alia in Germania functú legatione, sub Adriano IV. in comperto sit. Quid quod Conradus posterioris sæculi auctor; cùm nihil tale scripserint coæui? Nobis res dubia, in dubio etiam remaneat, dum neutram partem proponimus, vt certam. Mirum est sanè, quod Sinchroni Auctores rem tam mirabilem omnino prætererint: sed mirabilius longè si Conradus eamdem scripserit; vt notam, publicámque, quam ipse confixisset; & de qua statim falsitatis conuinci posset. Priuata quæque facilè inuertas; quia latent alios: publica difficiliùs immutaueris, nisi re patiaris comprehendi. Et probra nulla historia magis tegit, quàm quæ author conspexit: quippe amicis, propinquisque viuentibus timet offendere, quos studet conciliare. Quid quod vt nullus alius vindictam prodit, sic neque est, qui prodenti refragetur? Euentum tristem auctores conticuisse, persuadere potuerunt varij affectus: finxisse, vix vllus: & vt persuaserit; at audacissimum in materia graui mendacium dissimulare, quæ scriptorum inter se æmulatio est, posteriores nequaquam acquieuissent. Sed de his satis.

i Vbi supra.

9. De Monasterio, cui se Henricus tradidit, in dubio est: certè Ottemburg in Moguntina Diœcesi, itémque Vvalkenrode, alterum intra paucos annos fundatum, antiquius aliud. Sed neque constat, an Diœcesim exierit; ne vel spoliatori suo subesset, aut se spoliatum, vel ab ipso spolij loco, cui semper inhæreret, recordaretur. Et suppetebant illustria monasteria, quorum se posset obsequiis commendare: orationibus, & exemplis etiam muniri.

10. Hoc ipso anno, Bernardi Parentis vltimo, Abbatia de Buxia Engolismensis, quæ decem abhinc annos in Ordine Cistercij perdurauerat; eiusdem Sancti interuentu suppressa est, & Monachi reuersi ad Claramuallem. Is viro Dei quietis, & pacis amor; talis non litigandi affectus fuit. Cæterum qualiter, & qua occasione gestum, non aliunde certius eruemus, quàm ex ipso instrumento suppressionis, quod ab Ecclesia Engolismensi acceptum, Ioannes Picardus, vir de vniuerso Cistercio optimè meritus, in suis ad Bernardi epistolas, notis, euulgauit. Illud autem sic habet.[k] *Monachi S. Amantij (ad quos locus spectabat, & cum quibus de ipso litigatum, vt supra vidimus) locum prædictum* (scilicet de Buxia) *quadam die adierunt: ibique præsente Hugone Engolismensi Episcopo, qui eodem die conuentum ibi mandauerat, & cœmeterium sacrare volebat, contradixerunt, vt nullum ibi diuinum celebrarent officium. Ob hoc itaque Monachi Claraualienses super Monachis S. Amantij querimoniam facientes, apud vicum S. Amantij, cum multis viris religiosis tam Abbatibus, quàm Monachis, & compluribus terræ Baronibus, conuenerunt: ibique Monachi Claraualienses, & Monachi S. Amantij, quidquid Abbas Claraualiensis super hac re, iustitia dictante, decerneret, se facturos promiserunt.*

k ad Epist. 299.

11. *Tali itaque conuentione facta, Petrus Abbas S. Amantij, & Monachi Claraualienses, apud Claramuallem perrexerunt: ibique Abbas Claraualiensis, auditis causis vtriusque partis, & prædictum locum, Ecclesiæ S. Amantij, in manu Petri Abbatis eiusdem Ecclesiæ, præsente Domino Hugone Engolismensi Episcopo, & Iunio Abbate de Corona, & Gaucellino Archipresbytero de S. Ciryco benignè concessit, tali quidem conditione, quòd sexaginta marcas argenti monachis Claraualiensibus, propter ædificia, & cætera ab eisdem loco acquisita Monachi S. Amantij redderent. Scripsit itaque hoc modo.*

IN nomine Domini. Ego Bernardus Claraualensis, vocatus Abbas, notum volo esse, quod locum de Buxia, & quidquid in eo habemus, ex dono Comitis Engolismensis, & Petri Austentij, Ecclesiæ S. Amantij concessimus. Testes fuerunt Dominus Hugo Engolismensis Episcopus, Dominus Godefridus Lingonensis Episcopus, Iunius Abbas de Corona, Frater quoque Philippus Prior noster, & Frater Gerardus, & Frater Gaufridus. Monachi domus nostræ. Actum apud Claramuallem anno ab Incarnatione Domini M.C.LIII. 12. Hactenus instrumentum Engolismense. Quo videat lector, non historiam tantùm, sed apud omnes Bernardi auctoritatem, cui vel causæ filiorum iudicandæ, ab ipsis aduersariis committerentur. Quin & integritatem, siue modestiam: hanc, si cùm posset, iustè, non absoluit; illam, si ideo filios non absoluit, quia iustè non potuit.

---

1. *Metensium turbæ.* 2. *& Illini in Claramuallem aduentus, petitióque.* 3. *Bernardo Patri vires de cælo reddita.* 4. *Desperata pax primùm,* 5. *mox à Bernardo promissa, & consequuta.* 6. *Per miracula Principes coërciti:* 7. *atque item ciues.* 8. *Godefridi lachryma in Bernardi Patris vltimo opere.* 9. *Regressus Sancti eiusdem in Claramuallem.*

CAPVT IV.

1. DVM hæc in Germania, & Aquitania peraguntur, varij in Lotharingia tumultus, apud Metenses, Bernardum tanquam Angelum pacis, fortè ad hoc reseruatum, præstolabantur. Quin & Illinus Treuirorum Metropolita, sub quo Metensis sedes, ad Claramuallem veniens, eumdem Sanctum humilis, supplexque, vt tantis subueniret malis, sollicitabat. Rem Godefridus, qui viro Dei adstitit, simul, & eius industriam, & efficaciam ita describit.[a] *Cum adhuc Pater S. in suo Claraualensi cœnobio, licèt lectulo decubans, cursum vitæ viriliter consummaret, grauis admodum plaga Metensi populo superuenit. Egressi enim in multitudine graui aduersùs vicinos Principes, à quibus præter morem lacessitam se esse tanta ciuitas indignabatur, traditi sunt multi in manus paucissimorum. Conclusi denique inter Frigidi montis (sic enim eum appellant) & Mosellæ amnis angustias, ac mutuo sese impetu collidentes, vna hora (sicut dicebatur) plusquam duo millia corruerunt, quidam gladiis trucidati, plures amne submersi. Vehementi igitur indignatione concepta, nobilis illa ciuitas, totis ad vltionem viribus parabatur, cum è regione aduersarios quoque, & fortiores præda copiosa, & audaciores fecisset euentus.* Hactenus de mali imminentis occasione; qua item scripsisse Bernardum Patrem epistolam trecentesimam octauam, ad tres Episcopos Cardinales Romanæ Curiæ, Ioannes Picardus inseruit suis notis.

a Lib. 5. vitæ. cap. 1.

2. At de supplici aduentu in Claramuallem Treuirensis Antistitis, audi quod sequitur. *Imminebat totius Prouinciæ certa vastatio, cùm venerabilis eorum Metropolitanus Illinus Archiepiscopus Treuirensis, dolens anxiè de præteritis, sed adhuc grauiora formidans, vnicum in tanta necessitate refugium petiit, & expetiit, virum Dei. Veniens ergo Claramuallem, ipsius, atque omnium fratrum vestigiis tota humilitate prostratus, rogabat, & obsecrabat, vt se tantis dignaretur opponere malis, quibus alter nemo posse modum ponere videretur.* Hæc Godefridus de aduentu Illini, & petitione. Pergit de statu salutis beati viri, & morborum, quibus grauabatur, induciis, ad hæc opera.

Dominus autem, sicut semper fidelis serui sui direxerat vias, & in præcipuis quibusque causis aptissimo vsus fuerat instrumento, ex paucis ante diebus ægritudinem corporis eius aliquatenus releuarat. Et paulò inferiùs. *Quod quidem sæpiùs erga eum prouidentia diuina disposuit, in cuius manu erat ei placita anima illius; vt quoties eum grandis aliqua necessitas euocaret, vincente omnia animo, vires corporis non deessent; mirantibus, qui videbant eum, & robustos homines in tolerantia superare. Expletis namque negotiis, velut in se rediens, multiplicibus infirmitatibus laborabat, vt vix viueret feriatus, qui occupatus deficere nesciebat. Cui in opere nouissimo tam manifestè, támque magnificè diuina affuit virtus, vt ex laboribus vires capere videretur.* 3.

Iam arma vtrimque, & clamores audiebantur: & alteri ex ardore vindictæ, alteri ex victoriæ recentis elatione, fremebant vtrique. Cùm S. Pater admonitus per visum nulli repulsæ cedere; tandem 4.

dem quæcumque vellet impetraturus, Treuirensium Antistitem sequutus, peruenit ad castra, quæ iamiamque in se inuicem irruitura, Mosellæ ripas longiùs occupabant, *Accidit autem* (pergit Godefridus eodem loco) *cùm in prædicti Mosellæ fluuij littore residentibus hinc inde partibus, mediator fidelis rogaret, quæ ad pacem erant, vt pars altera, ex tanta siquidem hostium strage ferocior, quod exigebatur, obstinata animositate renueret. Subitò denique tanquam agitati furiis discesserunt, virum Dei insalutatum, solam verò cæteris omnibus relinquentes desperationem pacis. Nec sanè ex contemptu aliquo, sed ex metu reuerentiæ eius, iniere fugam: quidam verebantur, ne præsentium mentes (quamlibet improbas) facilè flecteret; minùs considerantes, quid ille per spiritum nusquam absentem, posset, etiam in absentes. Iam Conuentus in magno turbine soluebatur; sola vtrinque meditabantur arma, sola inibant consilia malignandi, cùm vir Sanctus eos, qui secum venerant, consolatus fratres: Ne turbemini, inquit, licèt enim per multas difficultates, omnino tamen pax desiderata proueniet. Quibus etiam, vnde id nosset, innotuit, dicens: Videbar mihi per nocturnum soporem Missam celebrare solemnem. Cúmque expleta paulo minùs oratione prima, recordarer Angelicum ex more canticum* (*id est*, Gloria in excelsis Deo) *præcedere debuisse, erubui, & quod oblitus omiseram canticum incboans, vobiscum pariter ad finem vsque compleui.* Hæc Pater S. ad populum, cui aderat.

5. At quem euentum tanta illius fiducia, atque ipsa præcedens visio sortitæ sint, ex eodem auctore etiam audiamus [b] *Iam medium noctis transierat, cùm vir Sanctus, de prædictorum pœnitudine Principum legatione suscepta, iucundè satis conuersus ad suos: Agnoscite* (ait) *promissa nobis canenda gloria, & cantici pacis præparationem. Interim ergo, partibus conuocatis, per dies aliquot de pace tractatum est; & ob maximas difficultates occurrentes vtrimque sæpiùs desperatum; nisi quod omnes iam consolabatur, quæ omnibus innotuerat Abbatis sancti tam certa, de reformanda pace, promissio. Nec parum ipsa dilatio profuit, his præsertim, qui variis incommodis laborantes remedia consequebantur in carne, seu etiam, qui fidentes ædificabantur in fide. Tantus enim concursus erat, vt multitudine pariter, & importunitate sua, ipsum quoque negotium componendæ pacis, penè desperabiliter impedirent; donec quæsita tandem in medio flumine insula, partis vtriusque Primarij in nauiculis accesserunt. Vbi compositis omnibus secundùm quod fidelis arbiter definiuit, datis sibi inuicem dextris, reconciliati sunt osculo pacis.*

b Lib. 5. c. 1.

6. Premebat homines auctoritatis Bernardi pondus, premebant miracula, cùm nefas ducerent vtrique non exaudire, quem Deus exaudiebat, & cui ipsa natura obtemperabat. Præter alios illuminati duo cæci ad tactum viri Dei, claudi item duo donati libero gressu, Deum in Bernardo præsentem manifestabant. Sed [c] *inter omnes sanè, quas per manum serui sui ibidem præstitit Dominus sanitates, celeberrima fuit cuiusdam curatio mulieris. Hæc ab annis octo pessima ægritudine laborabat, vehementi tremore, & validis motibus vniuersa pariter membra concutiens. Cùm autem videretur grauioribus ortis difficultatibus, propemodum excidisse spes pacis, Domino disponente, venit mulier ita tremens, nec minùs horribilis, quàm miserabilis, & omnes pariter ad spectaculum conuenerunt. Orante denique famulo, sub oculis omnium, paulatim concussione sedata, perfectam adepta est protinus sospitatem. Quæ res in tantam admirationem etiam durissimos quosque permouit, vt percutientes pectora sua, per horam ferè dimidiam, cum lachrymis acclamarent. Tantus denique factus est impetus, & concursus procidentium, & deosculantium viri Dei sacra vestigia, vt propemodum comprimeretur, donec tollentes eum fratres, & imponentes in nauiculam, à terra modicè subduxerunt. Cumque accedentes ad se Principes (vt cœperat) pro pace rogaret; suspirantes dicebant: Oportet nos libenter audire eum, quem (vt ipsi cernimus) Deus diligit; & audito eo multa facere, pro quo tanta facit in oculis nostris. Quibus ille (vt semper cautus erat competenter huiusmodi gloriam declinare) non propter me, inquit, sed propter vos facit.*

c Vnde suprà.

Simili quoque miraculo, & in simili opportunitate, ipsa etiam die Metensium animos Dominus inclinauit ad pacem. Ingressus enim Sanctus Metensium ciuitatem, Episcopum simul, & populum ad ea, quæ pacis erant, vehementer vrgebat. Grauiter autem vrebat illos vulnus acceptum: quibus enim validè satis reponere cogitauerant, secus quàm vellent, remittere cogebantur. In ipsa hora oblata est ei mulier paralytica, de ciuitate eadem; cui manus imponens, & orans, dignatus est palliolum quoque proprium, quo vtebatur ipse, superextendere ei, tenendúmque Episcopo tradere propè astanti, & sub eodem velamine debilia tangere membra. Expleta autem oratione, & benedictione data, erexit illam: omnibúsque mirantibus, per medium illorum incolumis ibat, quam attulerant in grabato. Sic per miracula, & vtrisque communia, & peculiaria singulis vtrosque ad mutuam charitatem, & pacem solicitabat; quin & trahebat etiam reluctantes, & voluntariè inuitos, vt ita dicam. 7.

Ast Godefridus, dum hæc scriptis mandaret, resolutus in lachrymas, eò dulciori memoria parentis Sancti, quò tristiori absentia, ad eum conuersus prorumpit in hæc verba. *Cæterùm nimis difficilè, aut omnimodis impossibile foret itineris illius magnalia vniuersa complecti. Sed neque propositi nostri est eiusmodi modò prosequi signa, & narrandis virtutum operibus operam dare. Hic enim viarum tuarum Pater dulcissime finis beatus, & hic labor vltimus fuit. In hoc opere non minus vtili, quàm difficili, nec minus desperata, quàm necessaria pacis, labores tuos gloriosè compleuit, qui magnificè semper honestauit te in laboribus tuis, et in suo nomine, & nomen suum in te glorificans, Rex gloriæ Dominus Deus tuus.* 8.

Pergit deinde de reditu ad filios, non vltra ab eis auellendi, nisi per mortem. [d] *Vt expleta Metensium reconciliatione, & prouincia illi pace reddita, Abbas Sanctus ad Monasterium rediit, graui admodum iamiámque deficientis incommodo corporis occupatus, in tanta animi suauitate, & dulcedine spiritus, quotidie propinquabat ad exitum, ac si in portu nauigans, paulatim vela deponeret. Euidenter quoque fratribus aiebat: Hæc sunt verba, quæ loquebar ad vos, cùm præterita hyeme ægrotarem; non vobis esse, quod adhuc timeretis, astatè proximâ imminere, mihi credite, huius corporis dissolutionem. At quam euidenter proprio didicimus experimento, quod de Sanctis Apostolis Euangelia sacra testantur, quod dum suam illis prædiceret Dominus passionem, erat verbum absconditum ab eis, & capere non valebant. Nimirum quod tam vehementer horrebat animus, minùs facilè persuadebatur, vt crederet; præsertim cùm, & ipse compatiens filiis, eiusmodi verba supprimeret. Cæterùm factis quodammodo clamans, opera consummaui, quæ dedit mihi Pater,* 9.

d Lib. 5. c. 1.

vt facerem, magis, ac magis actus omittere, affectus retrahere, & sacrorum funeribus desideriorum sedula intentione praeactis, vicino iam littori haerere firmiùs, & commodiùs applicare. Denique cùm Venerabilis Antistes sedis Lingonicae Godefridus, de quibusdam eum solicitaret agendis, & miniùs apponere animum miraretur: Ne mireris (inquit) [e] ego enim iam non sum de hoc mundo. Hactenus ibi. Sed nos appropinquantem gloriae Parentem Sanctum relinquamus parumper, dum Eugenium in ea praecessurum, & iam repatriantem comitamur. e Ioan. 8.

---

1. *Eugenij Papae mors, & ante mortem multa recuperata sedi Apostolicae:* 2. *idque sine sanguine.* 3. *Abstinentia à muneribus.* 4. *Tarracinae superposita inscriptio de eius laudibus.* 5. *Litterarum, & litteratorum fauor.* 6. *Beneficentia in omnes penè diffusa.* 7. *Sepultura.* 8. *Successor Anastasius.* 9. *Miracula:* 10. *& memoria sanctitatis.*

CAPVT V.

1. ORDINE sequitur Eugenij Papae mors, vt foelix ipsi, sic Ecclesiae tristis, & quam summè doluerunt quicumque boni. Incidit ea in octauam diem mensis Iulij, intra Octauam Virgineae Visitationis, cùm Tiburim aestiualium calorum causa secessisset. De circumstantiis mortis auctores; scripsit tamen de eis auream epistolam ad Bernardum Parentem adhuc superstitem, quamuis breui, heu! tempore, Hugo, Cardinalis Episcopus Ostiensis, quae extare dicitur in Bibliotheca Morimundi Mediolanensis; in qua iustitiam, pietatemque, & Sanctitatem viri luculenter extollit, vt ait Ferdinandus Vghellus in suis ad Chaconium additionibus. De rebus gestis alij breui periodo; sed quae paginas multas implere possent. In veteri Codice Bibliothecae Vaticanae, quem transcripsit Baronius, haec de Eugenio. *Hic recuperauit Tarracinam, Setiam, Narniam, & Arcem Fummonis, quae à Domino Beati Petri iam diu alienata fuerant.* [a] *Hic vniuit Episcopatum Velitrensem cum Ostiensi, & S. Rufinae. Fecit hic ordinationes per mensem Decembrem, in quibus Diaconos decem, Presbyteros vndecim, & Episcopos sexaginta vnum creauit. Defunctus est apud Tibur dicta die VIII. Idus Iulij, & inde per stratam publicam, & mediam Vrbem, atque in Vaticanum cum totius Cleri, & populi Romani frequentissima turba, maximo luctu, communique omnium immensa tristitia deportatus est, & in ipsa B. Petri Ecclesia coram maiori altari tumulatus est.* Haec ibi. Quibus clarè videas, Romani Populi affectum in S. Virum. Vt non immeritò superius dictum fuerit, reducturum ad ordinem Senatum, si diutius vixisset: nec quicquam aliis, aut hactenus negatum, aut post concessum: quod non eidem longè religiosius, cunctorum foret suffragiis concedendum.

a Hoc item apud Sigiber. Chron. ann. 1181.

2. Quin in Eugenio id summè notatu dignum, quòd oppida, arcesque recuperauit quae à B. Petri dominio desciuissent, non Reges contra Reges ad bellum prouocans, non ipsos populos populis obiiciens: non congesta pecunia seruitium emens; denique non potentia temporali. Ante Pontificatum pauper Monachus, extra Collegium Cardilium assumptus ferè sine exemplo; in ipso Pontificatu plerumque exul; qui nec collectas per Ecclesias indixerit, & à muneribus prorsus abstinuerit. Pugnauit ergo solo gladio spiritus, nunc verbum Dei ad homines assumens, nunc Deum, alloquens; & per arma iustitiae virtutis eius rebelles non tam deuicit, quàm emolliuit: atque eo modo Ecclesiae reconciliauit.

3. Porrò quod attinet ad abstinentiam à muneribus, quae inter aliàs Eugenij, praecipua laus, Ioannes Sarisberiensis haec habet scripta. [b] *Amplectenda memoria, & imitandae sanctitatis summus Pontifex Eugenius, quem vidisti, nullum omnino munus hominis litigantis recipiebat, aut cui litem crederet imminere. Vnde cum in aduentu suo Prior quidam modicae facultatis, cuius causam nondum audierat, ei marcham auri, deuotione multa, instanter offerret: Nondum, inquit, domum ingressus es, & iam vis corrumpere Dominum? Corruptionem namque vir Sanctus esse dicebat, quod offerebatur indici, lite pendente.*

b Lib. 5. c. 5. in Polycratico.

4. Vtramque laudem conseruat hodie inscriptio, Tarracinae, in arce, in media turri, parieti Orientem versùs superposita, Eugenij tertij elogium paucis complectens.

EVGENIVS PAPA III. HOC OPVS, GLORIAE IPSIVS MEMORIAM REPRAESENTANS, FIERI IVSSIT, QVI MIRA ANIMI .... ET HONESTI STVDIO PRAEDITVS, REGALIA MVLTA LONGO TEMPORE AMISSA B. PETRO RESTITVIT. QVORVMDAM VITIVM IN MODVM HONESTATIS REDEGIT. NE QVID IVDICES, A QVOQVAM PETERENT: NEVE QVID A QVOQVAM ANTE DECISAM CAVSAM ACCIPERENT: POST DECISAM OBLATVM QVID VERECVNDE, ET CVM GRATIARVM ACTIONE SVSCIPERENT.

Ita, inquam, ne quid à quoquam peterent, etiam non litigante: facilè ad extorsionem transitura cuiuscumque potentis petitione. A litigante verò, ne quid acciperent, etiam vltro oblatum; inhumani, si acceptis nihil deferant; si deferant, iniusti; & neutro modo periculum euasuri.

5. Antoninus [c] inter laudes Eugenij numerat, quod litterarum eximius cultor, atque doctorum hominum promotor, quin & decretum synodi Romanae, quod habetur in capite *de quibusdam* 37. dist. eidem attribuit; verum quoad hanc posteriorem prorsus immeritò. Nam neque Eugenius III. Synodum Romae habuit, nec in Rhemensi, cui praefuit, id sanciuit. Est autem textus ille, vt notauit Anselmus, extractus ex Synodo habita Romae, in Consistorio Lateranensi; cui in Polycarpo additur nomen Eugenij, subscribente Yuone: Non tamen huius tertij, sed secundi, vt reliqui omnes alij notauerunt, innouato à Leone quarto decreto, quod iterum post firmauit Gregorius VII. Caeterùm quod

c Part. 2. tit. 17. c. 1. §. 7.

quod ad priorem partem attinet, indubitatum est, Eugenium litteras, ac litteratos viros promouisse egregiè; vnde & curauit Decreti compilationem à Gratiano faciendam, vt suprà vidimus; & eius tempore inter plures alios insignes viros, duo illi Petri noscuntur floruisse, Lombardus, & Comestor, qui plurimùm illustrarunt Ecclesiam suis scriptis. Adde libros S. Ioannis Damasceni de fide Orthodoxa sub ipso translatos, per Burgundionem iudicem, & ciuem Pisanum, de quibus Genebrardus [d] ex Antonino.

d *in Chron.*

6. Habent & Lusitani, quem glorientur, ab Eugenio acceptum, vltra titulum Regni, de quo superius, Archiepiscopatum Vlysiponensem, ab ipsa ciuitate capta, erectum. De quo apud Genebrardum hæc pauca lego, ex Meiero [e] desumpta. *Archiepiscopatus Vlysiponensis in Hispania instituitur, anno M.C.XLVII.* Hyberni quatuor sedes de quibus supra. Habent Rauennates adiudicatam sibi aduersus Ferrarienses Masan Firmianam, de qua prolixam satis, & grauem litem definiuit Eugenius, Rubeo inter alia de ea ita scribente. [f] *Moyses Vercellensis (Archiepiscopus Rauennas) cum diu de Masa.........cum Ferrariensi Episcopo litigasset, eam tandem recepit, ita iubente Eugenio Pontifice, qui rationibus vtrinque auditis, communicatoque cum Cardinalibus consilio, id litteris suis ad posteritatem mandauit.* Porro qualiter implenda sit lacuna, ex aliis litteris Adriani Papæ quarti, facile deducitur, quas idem auctor adducit paulò inferiùs. Debent etiam Eugenio Benedictini, vltra charitatem ardentem in Cluniacenses, quæ pluribus indiciis sese prodidit; quod Burchardum Aistetensem Episcopum deposuerit in hoc vltimo Pontificatus sui anno, ob Abbatem, & Monachos eiectos ab Heidemheymio. Extat memoria in Cathalogo Episcoporum Aistetensium, carminibus de Burchardo ipso subiectis. [g] *Burchardus à Conrado tertio constituitur: præfuit annis quatuor, tandem exauctoratur ab Eugenio tertio Pontifice maximo, quod Abbatem, & Monachos Benedictinos ex Hendeyhemio Monasterio eiecisset, Roma accusatus ab Abbate, anno M.C.LIII. Extant de isto hi versiculi.*

e *in Chron. ad ann. 1148*

f *In histor. Rauenna. lib. 6 in principio.*

g *Apud Demochar. to. 2. cap. 35.*

Non virtutis egens Burchardus, erat benè degens:
Dedecus Ecclesiæ se facit esse suæ.
Præsulis hic morem nullum tenuit, neque honorem.
Sed tantùm nomen, cuius & vmbra fuit.

Debent item Germaniæ Imperatores, atque Ecclesia vniuersa Eugenio III. quod Henrici primi memoriam gloriosam cælitibus adscripsit, anniuersario cultu celebrandam. Hic ille Henricus Imperator est, qui Bambergense templum amplè extruxerat: cum Cunegundè vxore, & ipsa virgine, virgo ad mortem permansit: qua post obitum viri, in eodem sepulchro sepelienda, vxor de cœlo audita, hæc verba protulit: *cede virgini, virgo locum.* De eo Martyrologium Romanum XIV. Iulij. Demum vix gens, vix populus, vix lingua, vix hominum status inuenitur, qui non Eugenio III. aliquid debeant.

7. Eugenium Papam apud Sanctum Petrum sepultum ante altare maximum, Baronius ex Codice illo Vaticano, nos ex Baronio supra demonstrauimus. Haud tamen in sepulchro hactenus vacuo, sed in quo Venerabilis Petrus S. Gregorij Magni quondam Diaconus, reuerenter sepultus venerabatur. Id siue casu, seu consilio factum, blasphemiæ in Sanctum primo; dein miraculo præbuit occasionem, quod mox subiungam. Vsu receptum in Romana vrbe nouis SS. corporum exuuiis cumulare sepulchra, quæ aliis sacra; siue quò maior illis reuerentia: seu ne vilescant ab ipsa multitudine; vix tota ciuitate suffectura, sacris cineribus si singuli seorsim reponerentur. Hinc præter Martyrum puteos, seu cauernas; cœmeteria referta SS. ossibus. Hinc Stephanus in sepulchro Laurentij positus. Hinc plures alij inducti aliorum tumulis: quod ex eiusdem vrbis locis sacris, quæ etiam scripto mandata circumferuntur, facilè liquet.

Eugenio tertio sepulturæ tradito cum lachrymis totius Vrbis, & Orbis, Anastasius successit, die sequenti; de cuius electione ita Baronius. [h] *Die verò sequenti sexto Idus Iuly, conuenientibus Patribus, summa concordia elegerunt in Romanum Pontificem Conradum ciuem Romanum ex regione Suburra, filium Benedicti, Canonicum Regularem, Episcopum Cardinalem Sabinensem, qui & nomine mutato, dictus est Anastasius eius nominis IV. de quo Otto Frisingensis:* [i] *Eugenius Papa vir iustus, & religione insignis, ab hac luce transiens, Anastasio homini veterano, & in consuetudine illius Curiæ exercitato sedem reliquit.* Atque hæc satis de Eugenij successore. 8.

h *Ad hunc ann.*

i *In Frider. lib. 2. c. 10.*

Eugenium ipsum miraculis claruisse post sepulturam, antiqui, grauésque Auctores affirmant. Godefridus in primis, qui tunc viuebat, & cui tanquam alumno Claræuallis, de Claræuallis Monacho, facilior indagatio, & maior cura. Is Sancti Patris Bernardi mortem describens, hæc ait. [k] *Facta sunt hæc eodem anno, quo B. Papa noster Eugenius tertius, eiusdem Patris Sancti in conuersatione sancta filius, ab hac luce, vel ab hac magis caligine migrauit ad lucem; cuius merita in ipsa, cui insigniter præfuit, Vrbe, miraculis pluribus illustrata coruscant.* Hæc Godefridus. Nec dissimilia Robertus Montensis Abbas in appendice. [l] *Papa* (inquit) *Eugenius, S. Bernardi in sancta conuersatione filius, ab hac luce, vel ab hac potius caligine migrauit. Hic mirabilis iustitiæ, & pietatis amator, & cultor eximius, cuius merita in ipsa, cui insigniter præfuit, Vrbe miraculis pluribus illustrata coruscant.* Transcripsere Robertum, paucis mutatis, [m] Vincentius Beluacensis, antiquus auctor, [n] & Chronicon Antisiodorense æque antiquum, auctore Anonimo, quin & Normaniæ Chronicon vetustum, nunc per Andream du Chesne recens vulgatum, hæc eadem luculenter satis confirmat [o] *Mense Iulio VII. Idus eiusdem mensis, viam vniuersæ carnis ingressus est venerabilis memoriæ Eugenius III. Papa, vir admodum religiosus, in eleemosynis largus, in iudiciis iustus; omnibus tam pauperibus, quàm diuitibus affabilis, & iucundus. Ad cuius tumulum, qui in Ecclesia B. Petri venerabiliter factus est, miracula post transitum eius statim apparuerunt.* Breuius Vvernerus Vvestpholus Carthusianus in Fasciculo temporum hoc anno. *Obiit tandem* (scilicet Eugenius) *in magna sanctitate, suis meritis illustrando Romam, miraculis pluribus.* Chronicon magnum Belgicum ex Bernardo (auctore sincrono) quo sæpius vti solet. *Tandem Eugenius Papa moritur, qui fuit Claraeuallis Monachus, à quo facta fuisse miracula certissimum est.* Hæc de miraculis abstractè, & quasi in genere, nam pauca quædam inferiùs declarabimus. 9.

k *Lib 5 c. 2. in fine.*

l *Ad hunc ann.*

m *Lib. 28. Specul. histor. cap. 1.*

n *Ad hunc ann.*

o *Ad ann. 1141.*

Hinc factum est, vt quamuis Beatus Pontifex, hactenus (quod sciamus) nequaquam fuerit solemniter adscriptus Sanctorum numero, nihilominus, quasi cómuni acclamatione veneretur pro Sancto; 10.

idque eo maiori auctoritate, quo in oculis illius successorum. Memorat virum ipsa, qua obiit die, p Martyrologium Monasticum, itémque Cisterciense Menologium, multis aliis citatis, quos lector facile ex eis haurire poterit. Extat tractatus de miraculis Eugenij M. S. auctore Anonimo, sed oculari, & sincrono, quem ex Codice Dunensis Monasterij vulgauit Henriquez, in suo Fasciculo, cuius hic titulus. *Incipiunt miracula Domini Eugenij Papa tertij.* Cæterùm ipsum ocularem omnium testem, quinimo, & visæ veritatis comprobarorem, confirmant verba eiusdemmet tractatus, quæ ita habent. *Pauca de pluribus, qua Dei operatione, atque virtute, diebus nostris facta vidimus, & visa vera probauimus, sicut memoria mandari, ita & scribi digna indicauimus.* Verùm quæ isthæc miracula fuerint, etsi non omnibus, paucis enarratis, sequens caput commodius declarabit. Interim dabo epitaphium eiusdem viri, quod ab aliis Auctoribus omissum, Collector Chronici Belgici vulgauit.

p Hugonis Menardi.

Hic iacet Eugenius defunctus: cerne sepulchrum,
Cui pia cum Christo viuere vita fuit.
Pisa virum genuit, quem Clarauallis alumnum
Exhibuit, sacra relligionis opus.
Hinc ad Anastasij translatus martyris adem:
Ex Abbate, Pater summus in Orbe fuit.
Eripuit solemne iubar, mundique decorem.
Iulius,, octauum Sole ferente diem.

---

1. *Primum miraculum Eugenij iam sepulti, ad quod ipse inuitauit,* 2. *deinde aliud,* 3. *& aliud eadem die,* 4. *quinta decima ab eius sepultura:* 5. *item duo alia,* 6. *patrata biduo post.* 7. *Et Dæmon post viginti annos fugatus.* 8. *Clericus discolus ab eo quondam correptus, his signis detrahens,* 9. *blandè admonetur magis, quàm castigatur.* 10. *Perpensus obiter modus admonitionis.*

CAPVT VI.

1. HACTENVS miracula Eugenij quasi in genere: nunc sigillatim quædam commemorabimus. Ordior autem ab ipsorum primo, vt credo; & quod dum in vno infirmo omnes inuitat; deuotioni mortalium in Sanctum virum, ac fructuosæ ipsius intercessioni, simul & gloriæ ianuam patefecit. Id Anonimus ille, qui supra, auctor, integra fide testatur in hæc verba. *Quadam die (paucis admodum transactis à morte Sancti) cùm quidam Romanus genere; nomine Stabilis, iaceret in choro nostro, apparuit ei in somnis Dominus Eugenius dicens: Stabilis. At ille: Domine. Cui B. Eugenius: Cognoscis me? Et respondit: Optime Domine, tu es Dominus meus Eugenius. Cui ille: Quare non visitas me? & respondit: Vbi possum visitare te? cùm dicatur, quia mortuus sis? & ille apprehendens per manum, adduxit eum ad sepulchrum suum dicens: si hic me quæsieris, sine gratia non redibis. Qui mox, cùm pulsaretur ad Nonam, surgens festinus ad sepulchrum accessit, ac promissam sibi à suprà dicto Domino Eugenio gratiam cum lachrymis, & suspiriis multis postulans, meruit per misericordiam Dei protinus impetrare. Nam brachium sinistrum, & manus, quam per multos annos ita aridam habuerat, vt ad nullum vsum, aut vtilitatem mouere eam posset, misericordia Dei, & meritis nostri Eugenij, ita ex integro sanitati restituta est, vt ad omnem vsum, & vtilitatem moueri posset; quasi nihil infirmitatis in brachio, & manu aliquando passus fuisset: Et quod post multas expensas à Medicis consequi non potuit, à bono Iesu Christo, per merita supradicti Domini nostri, mirabiliter consequutus est.*

2. Hoc credo primum Eugenij Papæ signum, quod fecit post mortem, volente Deo manifestare gloriam, qua iam in cœlis regnans coronabatur. Cæterùm cùm ex ipso miraculo, deuotio; ac supplices ad sepulchrum Sancti preces, aridorum præcipuè, & contractorum (nam de similibus fiducia cunctis maior) adipiscendæ salutis increbescerent; ea miraculorum aliorum copia, sed præcipuè similium sequuta est, vt non potuerit auctor cuncta describere. Pauca tantùm ex pluribus decerpsit, vt ipse ait, quæ nos ex eo fideliter reddemus. *Ioannes quidam nomine, cognomine Ritius, natione autem, & ciuitate Castellanus, manus, & brachia, pedésque cum cruribus contractos habebat. Qui cum fide, & deuotione plenus ad sepulchrum Domini Eugenij tertij Papæ, Dominum, pro infirmitate sua, fletibus, & suspiriis multis precaretur, subito compunctionem fletus, gaudium; & infirmantis precem, sanitas petita sequuta est. Hoc Canonicis vespertinam horam canentibus, publicè factum est, & visum est ab omnibus. Hic passus fuerat tribus annis.*

Alius quidam Petrus nomine, de Castello Fermello, manum sinistram debilem habens, & rigiditate extensam; ita vt ad nullum vsum eam curuare, vel flectere posset; sed & brachium dextrum sic contractum habuit, vt nec erigere, nec mouere illud valeret ad vsum aliquem. Isti eodem die, & eadem hora, scilicet dum vespertina laus ageretur, ante præfati Domini Eugenij sepulchrum, Dei misericordia ad integrum membra debilia restituta sunt. Hic passus mensibus quinque, & sanatus est in vigilia S. Apollinaris. Sic quasi singulos parum sanitati; binos, aut fortè plures restituebat, largus salutis, vt munerum dum vixit; nec paucioribus spiritualem vitam, gratiam, dona, & auxilia impetraturus. 3.

Cæterùm quod vtramque sanitatem patratam legimus in Vigilia S. Apollinaris, Rauennatis Episcopi, à B. Petro Apostolo ordinati, cuius natalis dies anniuersaria incidit in vigesimam tertiam mensis Iulij; tria nobis obseruatu digna offert. Alterum est, quod verus successor Petri, Petri discipuli memoriam planè festiuam gloriosus ipse in terris celebrauerit, miraculis editis, per quæ populus feruentior in Dei laudes, eumdem Sanctum religiosiùs coleret, ac maiori charitatis affectu veneraretur. Alterum quod miracula hæc patrata sint, quinta decima, à morte Eugenij, die, recenti adhuc eius sepultura: quam non potuerit obliuio vlla delere, maximè intercedente primo miraculo. Et tertium tandem sepultum in domo Petri, Petri natales, qua potuit, præuenisse, per signa, & mirabilia, quæ præpararent populum, ad ipsorum solemnia celebranda: nam continuata illuc vsque, quæ 4.

quæ sequuntur, declarant, quæ ita habent.

5. *In secunda die, post hoc, puella quadam nomine Romana, annorum fermè duodecim, cuius Pater Petrus, mater verò Clara nominata est, cùm ad sepulchrum beatæ memoriæ Eugenij decubans, plorans, & eiulans, & orans, sanitatem brachij contracti, & manus dextræ penitus inutilis curationem, cruriúmque, & maximè tibiarum, quas amiserat, & pedum similiter; non fraudatur à desiderio suo. In Matutinis namque in festo S. Apollinaris, operatione, & virtute Spiritus Sancti, ab infirmitate sua curata est, & officiis suis membra sunt reddita, ita vt & ambularet, & omnia, quæ necessaria sunt, faceret. Hæc nata fuit de Renano.* Hactenus ibi. Sed neque hoc simplex signum ea die; qui bina semper patrabat, Eugenius, fecit, nam audi, quod sequitur.

6. *Eadem die quidam, nomine Romanus, filius Saxonis, & Gaita matris eius, de regione, quæ appellatur, Possessio S. Petri, ante sepulchrum Patris prædicti recubans, sanatus est. Infirmitas autem, quâ tenebatur, hæc fuit. Sinistrum latus, & manum sinistram maximè, quæ ferè arida fuerat, amiserat; & sinistro pede claudicabat. A qua omni hac infirmitate, modicum ante horam Matutinalem, liberatus est.* Hæc, & similia Eugenius larga manu, seu magis Deus per Eugenium operabatur.

7. Nec tamen arida tantùm membra, contractáve, quamuis in his frequentior, restituebat; diuersa etiam genera morborum; quin & Dæmones pellebat ab obsessis, longo licèt imperio dominatos. Celebre illud, quod idem, qui vidit, probauítque, per certa testimonia, auctor describit. *Quidam* (ait) *de quodam Castro, quod vocatur Cassamarin, per viginti annos, à dæmonio crudeliter vexatus, ita vt nullatenus aliquam Ecclesiam, sine maximo sui miserrimi corporis detrimento, & tribulatione, intrare poterat; mox cùm Ecclesiam Apostolorum Principis intraret, & ad sepulchrum præfati Patris nostri Eugenij inuitus traheretur, cœpit clamare: Quo me ducitis? Qui tandem adductus est ad sepulchrum eius, licèt inuitus; & protinus liberatus est.* Sic vnicus adspectus S. Pontificis, communi generis humani hosti præualuit; atque viginti annorum possessionem (præscriptionem dixissem, si bonæ fidei possessor esse posset) abstulit in momento, creaturam restituens Creatori.

8. Hæc, & similia ad sepulchrum Sancti patrata, vulgabantur per vrbem: Cùm ecce, siue pulsus ab ipso Dæmon; siue alij auxiliares ex Orco missi Clericum, quondam ab ipso Sancto correptum, sed non correctum, quà poterat, sanctitati eius detrahere, eleuare miracula; & quà non poterat, alterius meritis fieri; ac Petro Diacono, ibidem iacenti dudum, non Eugenio adscribenda, per blasphemias proferre, per conuitia sacrilega instigabant. At quàm leuem ab eo vindictam Sanctus, quàm plenam misericordiæ, & pietatis, nec mortem intentantem, sed conuersionem, macula culpæ, si fortè resipiscat, abolenda faciliter; atque ipsa gleba induratæ voluntatis, impinguanda ab oleo, meritis Sancti, ex eodem auctore, qui vidit, accipiat lector.

Romæ (ait) *quidam Presbyter erat, qui vitam reprehensione dignam agebat. Hunc ergo beatus Papa Eugenius, vt prauitatem suam desereret, admonere solebat; & aliquando etiam culpis suis exigentibus, acriùs corripiebat. Ille verò infaustus, non solùm monitis Sancti non acquiescebat, verum etiam malum pro bono reddens, quantum valebat, Sancto Dei detrahebat, conuitia ei ingerendo, & semper eum, huius rei causa, odio habendo. Contigit ergo quadam die, vt ad sepulchrum viri Dei, præ fama Sanctitatis, ac venerationis, præque miraculis, quæ per eum Dominus ibidem operatus est, multitudo magna populi, cum pia deuotione, accurreret; inter quos & præfatus Presbyter pellibus amictus nouis, aduenisse perhibetur; cumque omnes Sanctum Dei præ sanctitate vitæ suæ, & miraculis, quæ fiebant, glorificarent, & vocibus extollerent; indignatus Presbyter ille furibundus, omnibus dixit: Putatis, quod miracula Eugenius faciat? Non hæc facit Eugenius, sed Petrus Diaconus. Erat enim Petrus beatæ memoriæ S. Gregorij Papæ Diaconus; nam cum eo, in suo, conditus est Papa Eugenius, sarcophago. Vix ille verba finierat, & ecce vltio diuina repente blasphemum subsequuta est. Nam lampas desuper pendens, super eum cecidit, & effuso oleo supra pelles, quas secum nouas attulerat, vindice Deo, oculis omnium, qui aderant, confusibilem reddidit. Ille verò vindictam, Deo retribuente, super eum venisse sentiens, nimio pudore suffusus, subsannationem, & derisum populi insultantis sibi non ferens, cum magna confusione latenter aufugit.* Hactenus ibi. 9.

Talis decebat vindicta Sanctum mitissimum, quæ non tam castigaret proteruum, quàm emolliret; sed neque plagas applicaret blasphemo, sed medicinam. Oleum effusum sponsi Christi nomen, cuius vices Eugenius exequutus corripuisset errantem: & quod rebellis in ipsum blasphemasset oleo misericordiæ dilueretur. Nec quicquam aliud inflicta pœna fuit; siue homini edocendo vereri Sanctum, vnctione magistra; siue ex abusu tanti beneficij, si nollet discere, atrociora supplicia luituro. Hinc suppositæ pelles effusioni; quô altiùs haustus liquor, aut impensiùs alterutrum protenderet, aut salubriùs, siue etiam terribiliùs significaret. Hæc de Eugenio triumphante dicta sint, postquam in summæ præfecturæ solio, annos octo, menses quatuor, dies terdecim summa cum laude, & gloria, militasset. Nunc ad Bernardum Parentem redeamus. 10.

1. Clara

1. Claraeuallensium de desperata Bernardi salute, dolor. 2. Sancti pro filijs Orphanis compassio. 3. Testamentum. 4. Status morbi: 5. & epistola ad Arnoldum Carnotensem. 6. Godefridi de ea epistola iudicium. 7. Quarta reuelatio de morte Sancti instante, 8. atque item quinta pridiè gloriosi obitus. 9. Responsum eius, ad Ducissam Lotharingiæ. 10. Episcoporum, Abbatúmque conuentus, Amoris lucta erga Deum, & erga filios. 11. Pondus diuini altè præponderans. 12. Sancti obitus: 13. atque visio in eo cunctis apparens.

CAPVT VII.

1. IAM Pater Sanctus morti, iam mors victoriæ, iam victoria triumpho appropinquabant. Iam beati Angeli, iam Spiritus Cœlestes nouum ciuem cum gaudio; quin ipsi Dæmones Bernardum abeuntem, per quem tot millia animarum perdidissent, qua poterant, cum tripudio præstolabantur. Soli fratres, & filij, destituendi tanti Patris solatio, tanti magistri ductu, mœrebant tristes, eius vitam, vel propriis redempturi. Quippe sub eo discedere, in fœlicitate; sine eo viuere in miseria reponebant. Videres homines penè extra se factos, ipso, quem amittendum deplorabant, vt apparebat, morti propinquiores: & vt vnius ex illis verbis vtar.[a] *Vultus exangues, singultus graues, crebra suspiria, anxias cogitationes: nimirum: cùm thesaurus tantus, & tam amabilis adhuc nobis esset in manibus; & tamen nec spes esset diutius retinendi, nec facultas pariter commeandi. Nec lugendum nobis vllatenus super illum, qui in gaudium Domini Dei sui fœliciter inuitatus intrabat; sed super nos vtique, quibus erat iam vita tædio, & adhuc mors timori.* Sic Godefridus.

a Lib. 5. c. 2.

2. *At Pater Sanctus* (idem auctor loquitur, quamuis ordinem parum immutauerim) *compassionis, & misericordiæ visceribus affluens, charissimos sibi fratres, & filios miserabiliter admodum tabescentes, & arescentes præ timore, & expectatione superuenientis desolationis grauissima, & lamentabilis orbitatis, dulcissimis eos consolationibus refouebat. Et monens eos in tuto diuina clementia sinu spei, fideique suæ anchoram per inconuulsibilem charitatem firmiùs radicare, se quoque promittebat, nec post mortem aliquando defuturum. Propensiùs autem, quàm noster queat exprimere sermo, rogans, obsecránsque, per multas lachrymas timorem Dei, & sacra puritatis, ac totius perfectionis amorem nostris imprimere animis conabatur. Sed & monebat, & cum lachrymis obtestabatur, vt si quid fortè virtutis, aut exemplo nobis aliquando commendasset aut verbo, id æmularemur, id firmiter teneremus, & proficeremus in eo: aliis quidem verbis, sed eodem spiritu illud Apostolicum loquens: Rogamus vos, & obsecramus in Domino Iesu, vt quemadmodum accepistis à nobis, quomodo vos oporteat ambulare, & placere Deo per omnia, sic & ambuletis, vt abundetis magis. Atque vtinam tam efficaciter persuaserit, quam affectuosè suasit.* Hæc Sancti Patris pro filiis solicitudo.

3. Hinc ortum habuit, quod communiter solet circumferri, Bernardi testamentum, quo actiones suas, nam quid aliud poterat? imitandas reliquit dilectis filiis, vtinam ad eorum filios transituras. Haud aliter passionis suæ Christus hæredes voluit, antequam pateretur instituere; nec calicem perire cum eius vita, sed transire ad ipsius successores. Vnde, & illud, vt multi Patres sentiunt.[b] *Pater si possibile est, transeat à me calix iste.* Et meruit exaudiri pro sua reuerentia, dicente Paulo.[c] *Vobis datum est pro Christo non solum vt in eum credatis, sed etiam vt pro illo patiamini.* Quasi cunctæ fidelium passiones illius concernant legati executionem. Bernardus, qui visibilem crucem non sustinuit, legauit actiones, posteris suis æternùm imitandas. Circumferuntur de Bernardi testamento vulgares versus, sed quos non licet silentio præterire. Veréne euenerit, an poëtæ inuentum fuerit, in dubio est. Introducitur Philippus Prior quærens, & suo, ac omnium nomine loquens cum Sancto Patre.

b Matth. 26.

c Philip. 1.

[d] *Quæ vitæ forma, qui mores, quæ sacra norma:*
Quid deceat, quid non, instrue Sancte Pater.

d Apud Bern. in eius laudibus.

Tum Bernardus respondens in hæc verba.

Quæ feci primò, vobis facienda relinquo.
Nullum turbaui, discordes pacificaui,
Læsus sustinui, nec mihi complacui.

In additis ad Exordium magnum hæc scripta lego.[e] *Vt Olor dulcissimus, qui canoro, & suaui modulo, ad limina mortis ductus cantare solet, sic & B. P. Bernardus iam in extremo vitæ præsentis, ac perituræ constitutus, dulciora, multò magisque mellisflua verba sonabat, Adeò vt præ gaudio mixto tristitia, omnes, qui ibi aderant, ingenti luctu, ac gemitibus inenarrabilibus, in lachrymas dissoluerentur.*

e Lib. 7. c. 10.

Interim Sanctus, quem à primæua sua conuersione, defectum stomachi magis, ac magis sentiens, nec sine victu viuere, nec victum poterat sumptum sustinere. Accesserat, & in modum hydropici, crurium, & pedum tumor: neque vllum ferè membrum in toto corpore, quod non ruinam, quod non iam immineret dissolutionem. Scripsit tamen vltimam epistolam ad Bernardum (Arnaldum alij nominant) Bonæuallis Carnotensis Abbatem, qui acta Sancti à Guillelmo scribi cœpta, nec vltrà schisma Petri Leonis producta, graui admodum stylo continuauit: scripsit, inquam, ad eum epistolam vltimam, pro munusculis gratam, & suæ statum describentem infirmitatis. 4.

[f] *Ad Arnaldum Bonæuallis Abbatem, qui & quadam xenia mittens, de valetudine eius fuerat sciscitatus.* 5.

f In vita S. Bern. lib. 5. cap. 2.

Suscepimus charitatem vestram in charitate, & non in voluptate. Quæ enim voluptas, vbi sibi totum vendicat amaritudo? Nisi quod solùm nihil comedere, vtcumque delectabile est. Somnus recessit à me, ne vel beneficio sopiti sensus dolor vnquam recedat. Defectus stomachi, ferè totum quod patior, est. Frequenter, & in die, & in nocte exigit confortari modico admodum qualicumque liquore. Nam ad solidum omne inexorabiliter indignatur. Hoc parum quod dignatur admittere, non sine graui molestia summittit: sed timet grauiorem, si sese vacuum omnino dimiserit. Quod si pluscculum quid interdum admittere acquiescat, id grauissimum. Pedes, & crura intumuerunt, quemadmodum hydropicis contingere solet.

ſolet. Et in his omnibus, ne quid lateat amicum de ſtatu amici ſolicitum, ſecundum interiorem hominem (vt minus ſapiens dico) ſpiritus promptus eſt in carne infirma. Orate Saluatorem (qui non vult mortem peccatoris) vt tempeſtiuum iam exitum non differat, ſed cuſtodiat. Curate munire votis calcaneum nudum meritis, vt is, qui inſidiatur, inuenire non poſſit, vnde figat dentem, & vulnus infligat. Hæc ipſe dictans, ſic me habens, vt per notam vobis manum, agnoſcatis affectum.

6. Hanc eamdem epiſtolam Bernardi, ipſe qui excepit Godefridus, referens, in hæc, ab ea tranſcripta verba prorumpit. [g] *Hoc exemplar epiſtolæ, quam, vt nos diximus, & ipſa quoque eiuſdem verba declarant, pater Sanctus exitu iam imminente, dictauit. Ex cuius tenore poſſit nimirum diligens lector ſacrum illius, vel ex parte aliqua pectus agnoſcere; quanta illi in ipſa ſui ruina corporis, tranquillitas mentis, ſerenitas animi, ſuauitas ſpiritus, quanta ſub fiducia culmine radix humiliatis.* Hactenus ille, qui ſtatim ad alia tranſiit, quæ nos ex ipſo ſupra iam tetigimus.

g Ibidem.

7. Hoc ipſo tempore in Abbatia Claræualli proxima, nec ſatis certum adhuc, in qua fuerit, quarta de Sancti morte reuelatio Abbatē ſimul inſtruxit, & inuitauit, affuturum, ſi vellet, obitui ſancto, cui curia omnis cœleſtis præſens aſſiſteret. Eam his, idem auctor, verbis recenſet. [h] *Abbas quidam ſatis ei* (Bernardo) *habitatione vicinus, nec minus affectione deuotus, paucis diebus ante feliciſſimum Patris huius exceſſum, videbat eum pretioſiſſimis ornatum ſacerdotalibus indumentis, & excellenti perfuſum gloria, cum ingenti ſolemnitate deduci. Ad cuius introitum Eccleſia magna, magnis reſultans vocibus, exclamabat: Puer natus eſt nobis. Verè etenim puer ipſe erat, mitis, & humilis corde, & ſicut paruulus accipiens regnum Dei: in cuius meritò gratulabunda natali, Angelica multitudo, & omnis pariter Sanctorum Eccleſia, dum nobis videretur mori, ſibi illum naſci dum hîc conſummaretur, ibi incipere, non tam ſonoris vocibus, quàm votis paribus concinens exultabat.* Hæc ibi. Vt inde iam, & gloria eius in proximo, & tranſitus inſtare, facili coniectura, comprobaretur.

h Lib. 5. c. 3.

8. At quod hæc minus inſtantia eſſe putaret, in cauſa fuit, vt noua alia cœleſti admonitione, ſerus tandem poſt eam affuturus, nec obitui glorioſo, ſed ſepulturæ, per eiuſdem Monaſterij Priorem excitaretur. De qua, quinta, ante tranſitum Sancti, reuelatione, hæc idem Auctor. [i] *Sanè in Monaſterio prædicti illius Abbatis, qui ſic eius natale præuiderat, ea nocte, quam nobiſcum Pater Sanctus manè profecturus vltimam fecit, venerabili eius præpoſito apparens, vale fecit illi; & ait: Noueris, quia iam migro, nec vlterius hîc morabor. Quod vt ille indicauit Abbati, accelerans Abbas, & Claramuallem veniens, ipſo die Abbatem Sanctum, ſicut dixerat, reperit iam migraſſe.* Hæc quinta reuelatio mortis Sanctiſſimi Patris. Quam, quia reuera tempore præceſſit, hîc etiam duxi eidem præponendam. Sed iam ad ipſum tranſitum fœlicem, & ſi quæ alia eumdem anteceſſerunt, ex eodem auctore tranſeamus.

i Ibidem.

9. *Inſtabat tempus ſacræ dormitionis, atque omni ſpe abiecta, mærentes filij, nil præter orbitatem, atque inde emerſuram deſolationem, præſtolabantur: cum ecce nuntius veniens à Lotharingia, & Duciſſa à Bernardo olim conuerſa; litteras deferens, lugentes animos aut erexit, aut reuocauit. Auditum imminentem Sancti diſceſſum, ſine quo ipſa nec vellet, nec poſſet viuere. Miſereatur diſcipulæ, quæ nullum alium Magiſtrum agnouiſſet, nullum ſit agnitura: & vel, ſi fieri poſſit, expectet modicum, vel poſt ſe trahat vltrò ſequuturam. Audiit vir Sanctus petitionem piæ fœminæ: conuerſus ad nuntium: Reuertere (ait) ego reſponſum feram, ſi Deus dederit. Hinc dubij fratres, & nihil non ſperantes ſurrecturum de lecto adhuc incolumem, & Lotharingiam adhuc perrecturum, ſicut optabant, interpretabantur. Aſt qui rem altiùs, & minùs ex affectu meditabantur, viſitandam ſpiritu, nec niſi priùs impertita filiæ benedictione, parentis animam cœlos conſcenſuram, vt reuera euenit, declarabant.* [k] Hæc ex Anonimo antiquo M.S. à quo ſe Brito hauſiſſe teſtificatur. k Lib. 3. c. 18.

10. Conuenerant inuiſuri Doctorem Sanctum vicini Epiſcopi, conuenerant Abbates, & inter alios totius Ciſtercij Parens, Gozeuinus; benedicendus, & benedicturus; nempe & pater, & filius; illud officio, hoc veneratione. Aſt homo Dei cunctis valedicens, cunctos ſalutans, atque omnium ſe commendans orationibus: filios præcipuè, quos deſolatiores agnoſcebat, conſolabatur. Extant dulcia colloquia inter vtroſque, ab Auctore, qui affuit, delineata, quæ non pigebit ad litteram tranſcribere. [l] *Igitur ante patris huius exceſſum accedentes ad eum filij, quos per Euangelium genuerat, piiſſimum eius animum lachrymabili ſupplicatione pulſabant; & hæc atque huiuſmodi loquebantur: Nunquid non miſereris huic Monaſterio, Pater? Nunquid non compateris nobis, quos tantæ pietatis affectu maternis lactaſti vberibus, paterna conſolatione fouiſti? Quomodo ſic exponis labores tuos, quos in loco hoc laboraſti? Quomodo tam dilectos hactenus filios ſic relinquis? Tunc verò flens ipſe cum flentibus, & columbinos oculos in cœlum porrigens, ac mente tota Apoſtolicum illum concipiens ſpiritum, teſtabatur coarctatum è duobus, & quid eligeret ignorantem, diuinæ totum tribuere arbitrio pietatis. Nam & hinc paterna illum vrgebat charitas filiorum votis annuere, vt maneret; & inde trahebat Chriſti deſiderium, vt migraret.* l Lib. 5. c. 2.

11. Sic dubium, ancipitémque Parentem Sanctum, tandem, propter quem filios diligebat, amor Dei leuauit, traxitque, minus pondus vincente, maiori pondere. Haud aliter iactatum Petrum in vndas; & terra, ſurſum; & pondus animi ferebat ad Redemptorem; ſed incipientem mergi pondere terræ, ſubleuauit potentior amoris vis, atque incolumem ad magiſtri perduxit pedes. Niſi quod in Bernardi lucta nihil terrenum, ſolus amor amori repugnabat: nec quidquam Deo obſiſtebat, quod non ex Deo. Igitur circumſtantibus cunctis, qui conuenerant, circūſtantibus filiis, quos deſerebat, nec dubium, quin & cœleſtibus ſpiritibus, quibus æternum ſociandus, proficiſcebatur; fœlicem animam Creatori ſuo reddidit, intra Octauas Aſſumptionis B. Virginis, non ſecus, ac Eugenius Viſitationis. Ætatis ſuæ anno ſexageſimo tertio, Chriſti verò M. C. L I I I. vigeſima die menſis Auguſti, tribus ante meridiem horis, plus minúſve; cum annos X L. ſub iugo Ordinis, in præfectura cœnobij Claræuallis XXXVIII. expletos peregiſſet. De eius obitu Godefridus hæc habet verba.

12. [m] *Hora autem diei penè tertia, ſingularis lucerna ſuæ generationis, S. ac verè beatus Abbas Bernardus à corpore mortis, in terram viuentium, fœliciter, Chriſto duce, migrauit, ex filiorum circumſtantium, & inter graues ſingultus, ac lachrymas vberes, vtcumque pſallentium choro, ad multorum, quos ipſe præmiſerat, cœtus tranſiens lætabundus, ad Sanctorum* m Lib. 5. c. 4.

cœtus?

cunctis gratulantes, ad obuia agmina Angelorum. Fœlix anima, quam sic leuabant excelsa suorum priuilegia meritorum, quam sic pia filiorum prosequebantur inferiorum vota, sic quoque superiorum desideria sacra trahebant. Fœlix ille, & verè serenus dies, quo plenus ei meridies Christus illuxit. Dies, cunctis vita sua diebus, tantis ab eo expectatus desideriis; expetitus suspiriis; frequentatus meditationibus; orationibus præmunitus. Fœlix transitus de labore ad refrigerium; de expectatione ad præmium; de agone ad brauium; de morte ad vitam; de fide ad notitiam, de peregrinatione ad patriam; de mundo ad Patrem. Hactenus de gloriosa morte viri Sanctissimi. Iam reliqua; reuelationes gloriæ; sepulturam, diuersas ad diuersos apparitiones, Monasteria fundata, scripta, filios, & si quæ alia, specialius prosequamur.

13\. Sed ante alias ea enarranda est, quæ in Claraualle, non vni, alterive, sed cunctis visa, in additis ad Exordium magnum, integra fide, descripta est in hunc modum.[n] *In ipso verò momento, quo vltimum exhalauit spiritum, visa est in eodem cubiculo, quo Sanctus vir iacebat; piissima Dei Genitrix, specialis B. Bernardi patrona, largissima suorum omnium remuneratrix, innumeram Angelorum, ac cælestium spirituum multitudinem, prout Reginam Cæli, & Dominam Angelorum decebat, secum in comitatu habens; quæ cernentibus omnibus, qui ad funus venerant, Sanctissimam viri Dei animam; quasi ab ore eius rapiens, vsque ad penetralia cæli, cum eodem comitatu, lætantibus Angelis, hymnósque Cælestes per aëra cantantibus, perduxit, quo pia sui memorum immemor nequaquam existeret. Similiter & visa est eadem cæli Regina, illam B. Patris nostri Bernardi animam in cælesti beatitudine ad latus suum collocasse.* Sic beata Virgo dilectum sibi famulum, gratulabunda suscepit, deduxitque: sic filios Orphanos parentis sui gloria, atque spe intercessionis confortauit. Eamdem visionem descripsit Philoteus, dysticis tribus, mortem Sancti narrans in hæc verba.

n Lib.7.c.10

[o] *Cum niueus, lachrymas inter, gemitúsq; suorum,*
Spiritus, abiecto corpore, celsus abit:
Ipsa per aëreos Virgo nitidissima tractus,
Visa est cælestes ducere læta choros.
Purpureámque trahens animam, super arce locauit
Empirea, lateri composuitque suo.

o Philoth. in laudib. D.Bernard.

1\. *Cælum scandens Bernardus visus ex Anglia.* 2. *Quid ingens anima?* 3. *Visus etiam Guillelmo in Grandi sylua:* 4. *itémque Regulari cuidam Canonico.* 5. *Pauenda alia eiusdem diei visio.* 6. *Effigies Sancti lapidi impressa.* 7. *Corpus biduo in Ecclesia cunctis expositum,* 8. *in quo curatus Monachus,* 9. *& sæculares duo saluti redditi.* 10. *Maturatum sepulchrum,* 11. *& prohibita miracula Sancti, à Gozenino.* 12. *Perpensa obedientia illius, huius imperium.* 13. *Quid Damon post, de ea prohibitione.*

CAPVT VIII.

1\. ASCENDENTEM in cœlum beatam animam, ex variis mundi plagis conspexere Viri Sanctissimi; sed inter alios duo commemorantur, alter in Anglia, in Vasconia alter existens; hic Montis Pesulani Guillelmus Comes, quem dudum in Grandi sylua conuersum, inde in Hispaniam missum, sed nunc fortè reuersum commemorauimus, ille Anonimus, sed magnæ sanctitatis, nec similibus dissuetus reuelationibus. Vterque eadem die, qua decessit, sed alter alloquens, alter tantum videns. Et de Anglo hæc auctor Exordij magni.[a] *Ferunt in regione Angliæ, quemdam Religiosum magnæ virtutis existere, qui in ipsa die, qua B. Bernardus Abbas in Claraualle de mundo migrauit, cùm esset in Anglia, vidit in spiritu maximum quemdam Angelum de cælo transmissum, maximam nihilominus animam quamdam de terra assumentem, & eam cum ingenti gaudio secum ad astra ferentem.*

a Lib.1.c.38.

2\. Ita sanè maximam animam, nempe crescentem, ex gestorum magnitudine; quod vel antiqui Ethnici adnotarunt. Vnde illud Poetæ.

[b] *Et nunc magna mei sub terras ibit imago.*

Et de alio quodam post mortem apparente.

——————— [c] *& nota maior imago*

b Virg. Æneid. 4. vers. 638. c Id. Æneid. 2. vers. 773.

Vnde & antiquis, speluncas, pro sepulchris; & vestes scissas, pro funesto amictu vsurpatas, plures grauesque auctores. Quippe laxandis frænis incremento, quod neque à loco, neque à vestibus strictis retardaretur. Ergo Bernardum solutum vinculis carnis, non magnum, non maiorem, sed planè maximum, sanctus ille, qui vidit, asseuerauit: neque à quouis, sed à magno deductum Angelo, quasi ea ipsa ingenti magnitudine, ingens gestorum moles; ab ipsa morte crescens, innotesceret. Sed de his satis: nunc ad Guillelmum Montis Pesulani in Grandi sylua motantem, transeamus. Vtar autem Godefridi Claræuallensis verbis, qui rem ab ipso Guillelmo haurire potuit.

Frater Guillelmus (ait) *de Monte Pesulano, cuius,* 3. [d]
& supra fecimus mentionem, vir magnificus olim in sæculo fuit; sed magnificentior in sæculi fuga. Hic in Monasterio Grandis syluæ Monachus factus, Patrem sanctum deuotissimè visitauit. Rediturus autem lachrymabiliter querebatur, quod non esset eum vltra visurus. Cui vir Dei: Ne timeas (ait) adhuc sine dubio me videbis. Huius effectum promissionis deuotissimus ille Guillelmus expectans, ipsa nocte cùm B. Pater ex hac vita decessit, in Monasterio Grandis syluæ apparentem sibi videre meruit, & dicentem: Frater Guillelme. Et ille: Ecce ego Domine. Veni, inquit, mecum. Ibant igitur pariter, & ad montem quemdam altissimum peruenerunt. Interrogabat autem Sanctus, an sciret, quò venissent. Ille verò se nescire professus est. Cui ipse: Ad radices, inquit, montis Libani venimus. Et nunc manebis hîc, ego autem ascendam in montem. Interrogatus, qua de causa vellet ascendere: discere volo, inquit. Miratus ille: Quid, inquit, vis discere pater, quem nulli hodie in scientia credimus esse secundum? Ad quem Sanctus: Nulla (ait) hîc scientia, nulla veri cognitio; sursum scientiæ plenitudo, sursum vera notitia veritatis. Et in hoc verbo dimittens eum, in montem altissimum subiit coram illo. Cumque intueretur euntem illum, expergefactus est, & occurrit protinus ei verbum illud, quod ad Ioannem olim de cælo sonuit: [e] *Beati mortui*

d Lib.5.c.3.

e Apoc.14.

mortui qui in Domino moriuntur. Vt ergo manè loquutus est Abbati suo, & fratribus, Patrem Sanctum ex hac vita migrasse dicebat. Et notantes diem, ac diligentius inquirentes, vt audierant, inuenerunt. Hactenus duplex reuelatio discessus patris Sanctissimi.

4. Verùm vtrique tertiam superaddam, quatuor à Claraualle dietis factam Regulari Canonico, qui post Monachum induit in Claraualle. Is eadem, qua Sanctus obiit die, imo & eadem hora, videre sibi per somnum visus est Monachos plures in cucullis albis splendidos, binos, & binos lentè procedentes; ac deducentes corpus beati viri à cella, vsque in Ecclesiam, vbi funebres eius exequiæ celebrabantur. Dolentem inter, furentemque euigilans, de morte, & de visione; solicitus, ac dubius distrahebatur: an Sanctus doctor de mundo iam migrasset; & an pro illo orandum, an ipse potiùs; quasi qui posset pro aliis intercedere. Repentè extra se factus stellam vidit claritatis ingentis, & pulchritudinis; atque eam esse amici & patris animam, voce è cœlo delapsa, clarè cognouit; ante Dei thronum æternùm micaturam. [f] Hæc ex Anonimo Gallo, quem Sylua transtulit, graui; & antiquo auctore, & vt creditur, sincrono; & qui potuit haurire ab ipso fonte. Similem aliam in Italiam factam ibidem habes; & apud Britum quintam in Lotharingia, Ducissæ à se conuersæ, de qua supra; & quam mox sequuturam, prout petierat, & tunc prædixerit, & euentu sequuto confirmauerit. Vt nulla prorsus totius Europæ pars, quem parentem viuentem agnouisset, ignoraret translatum: & siue amissum omnes deplorarent; seu Christo iam conregnanti gratularentur. Hactenus visiones gloriæ diei huius.

5. Sed claudat numerum alia pauenda satis, eadem item die in Anglia facta, quam, vt à Iacobo de Parady Carthusiano descripta est: atque in additis ad Exordium magnum transcripta, nequaquam duxi silentio prætereundam. [f] *Refert ergo* (ait) *Doctor Iacobus de Paradyso, qui fuit de Ordine Carthusiensium, quòd illa hora, qua B. Bernardus de hoc sæculo fæliciter migrauit, triginta millia hominum è vita decesserunt. Inter quos etiam fuit vir quidam Decanus Ecclesiæ Lincolniensis, qui, dum vixit, vir vitæ laudabilis fuit. Qui mundanos honores fugiens, vitam solitariam elegit in quadam eremo, in qua per viginti quinque annos Sanctissimè conuersatus est. Obiit igitur etiam hic Decanus eodem die, quo beatissimus Pater noster Bernardus. Post mortem autem apparuit Lincolniensi Episcopo, cum magna gloria, pro ipsius Episcopi, & omnium audientium admonitione, dicens ei: Age pœnitentiam, emenda vitam, corrige conscientiam, dimitte superbiam simul, & auaritiam; aliter nunquam habebis cælestem gloriam. Non enim tam facilè est saluari hominem, sicut multi credunt. Quoniam, dum ego præsentarer tremendo Dei iudicio, affuerunt ibi triginta millia animarum, de quorum numero vir beatus Bernardus, & ego sumus saluati: tres descenderunt in Purgatorium; alij omnes ceciderunt in infernum. His dictis, disparuit Decanus. Sed Benedictus sit Deus in sanctis suis, & sanctus in omnibus operibus suis, qui Sanctum Patrem nostrum Bernardum ita in omni gente, & natione glorificari dignatus est.* Hactenus in Exordio Cisterciensi. Refertur etiam in Magno speculo exemplorum; [g] atque à Tritemio in Chronico Hirsangiensi, paucis mutatis.

f Lib. 7. c. 10.

g Distinct. 9. exemp. 81.

h Tritem. hoc ann.

6. Cadauera ex antiquo more lota, certiùs constat; quam vt vllis indigeat probationibus. Bernardi corpus filiorum lugentium manibus, non tam lauandum, quàm aquas suo modo consecraturum; deductum, & crateri lapideæ impositum, traditione, quam scripto, compertius est. Porrò qua parte lapidi adhæsit, impressisse vestigia, quæ nunc vsque deleri non potuerint, multis licèt rasuris inde substractis. Visitur hodie, teste Villalpando, qui adhuc viuit, & hæc omnia lustrauit ante annos quadraginta, ex Fiteriensis Præsulis Ignatij Fermini Hiberi legatione: Visitur, inquam, in Clarauallе lapis, & in lapide vmbra, seu species corporis, corrosa passim, & effossa superficie, sed conseruatis lineamentis corporis, figura impressa penetrante profundum lapidis. Haud aliter Christus olim ductus ad victimam sacratissimi sui oris effigiem impressit lino, quem hodiéque Hispania nostra conseruat, ingentẽ thesaurum Ecclesiæ Gienensis: sed Christus viuens, Bernardus vel post mortem: Christus solius faciei iconem reddidit; Bernardus totum corpus delineauit. Christus in lino, in lapide Bernardus: & ille quidem superficie tenus tantùm; hic lapidem, aut intimius penetrauit, aut nouo toties miraculo colorat, quoties effoditur. Vt verè credens in Christum comprobetur, qui opera, quæ ipse fecit, facit, quin & maiora. Aqua ablutionis corporis Sanctissimi conseruata decennio, sine vlla permansit corruptione: quin & multas curasse infirmitates, eadem etiam traditio testificatur.

Ablutum corpus, atque indutum tunica, quam Sanctus olim cum Sancto (nempe cum Malachia) cunctis aliis ignaris, commutauerat; biduo iacuit in feretro, stipatum concursu populorũ adeo frequenti, adeo supra consuetum, vt Gozeuinus Parens, qui cunctis aderat, communicato cum Episcopis, & Abbatibus consilio, sepulturam præueniendam fore conueniens duxerit; nec diem tertiam indictam expectauerit; si sustineret, impediendus à multitudine, quod nec sic quidem satis cauere potuit. Sed nos, qui vidit, loquentem profe- 7.
ramus. [i] *Corpus etiam ritè paratum, & ornatum sacerdotalibus indumentis, oratorio beatæ Dei Genitricis infertur. Plurima quoque nobilium, & ignobilium de vicinis quibusque locis gemebunda protinus turba conuenit, & vallem totam ploratus, & vlulatus multus implebat. Amarius tamen pro foribus Monasterij lamentabatur sexus miserabilior mulierum, quod accedentibus ad beata vestigia viris; monastici Ordinis disciplina inexorabiliter eis etiam tunc negaret ingressum. Biduo mansit in medio gregis pastor extinctus, dum pristina illa dulcissimi gratia vultus nil minorata, sed aucta magis, omnium in se figeret oculos, animos traheret, sepeliret affectus.* Et paulò inferiùs de reliquiis Sancti Thadæi, Sancto consepeliendis, ipsius iussu. *Sed & pectori eius ipso in tumulo capsula superposita est, in qua B. Thadæi Apostoli reliquiæ continentur, quas eodem anno ab Hierosolyma sibi missas, suo iusserat corpori superponi; eo vtique fidei, & deuotionis intuitu, vt eidem Apostolo in die communis resurrectionis adhæreat.* Hæc Godefridus de biduo ante sepulchrum, quod ante altare Beatissimæ Virginis paratum, Chronicon Antisiodorense memoriæ prodit.

i Lib. 5. c. 2.

At quæ in ipso patrauerit miracula, ab eodem 8.
omissa, ex auctore Exordij magni mutuemur. [l] *Cùm enim Sanctum corpus sacerdotalibus indumentis decenter ornatum, reuelata facie, manibus quoque discoopertis, in medio positum esset; quidam Frater diuturno, & graui morbo epilepsia detentus, reuerenter, ac humiliter accedens, Sanctum Patrem tanquam adhuc viuentem lachrymosis precibus, vt sui misere-*

l Lib. 2. c. 20.

retur, orare cœpit. Nec poterat pius Pater adhuc in medio positus tam grauem filij calamitatem dissimulare: sed tanquam diceret, [m] *Fili ego dormio, & cor meum vigilat, continuò, quod petebat, per gratiam Dei concessit. Nam ex illa hora Frater ille perfectè conualuit, & Abbatem Sanctum viuere post mortem fœlici experientia didicit.*

m Cant. 5.

9. Sed neque solis domesticis beneficus: etiam in exteros liberalis, & largus salutis fuit. Nam pergit de alio miraculo idem Auctor. *Pridie etiam, quàm reconderetur ille pretiosus thesaurus, puer quidam de primo viculo aduenit, præ siccitate neruorum, aridum habens brachium, & manum contractam. Cuius ætati, & debilitati; qui aderant, compassi, tantò hunc fiducialiùs ad sacri corporis tactum inuitauere post horam orationis nonam, quàtò ad minus innocens ætas per se præsumere audebat. Vbi verò brachium aridum brachio sancto, & manus contracta manui benedictæ applicata est, repentè vigore naturæ redeunte, brachium conualuit, & manus liberè se extendens, & reflectens digitos, sub oculis totius multitudinis, quæ sacrum funus quaquauersum circumdederat, perfectæ sanitati restituta est. In cuius curatione tantus illico factus est clamor omnium, qui aderant, vociferantium in laudem Dei, vt vix potuerit eum fratrum disciplina reprimere. Superueniente nocte, allatus est alius toto corpore debilis: procubuit loculo, & coram psallentibus erectus est, & deductus ad altare.*

10. Hic populi concursus immoderatus, hæc irruentis turbæ multitudo, duplicis Gozeuino actionis occasio fuit: anticipandæ nimirum sepulturæ, & quod longè specialius, & mirabilius, credo sine exemplo, imponendi præceptum Patri S. ne talia vlteriùs miracula patraret, quæ quietem, quæ altam filiorum contemplationem aliquatenus, ex frequentia perturbarent. Primum illud enarrat Godefridus; posterius hoc, qui supra Exordij auctor. Igitur Godefridus ita scribit. [n] *Crescebat autem supra modum ruens vndique populi multitudo, & intolerabilis iam fiebat impetus concurrentium, ac desiderabiles tenentium pedes, osculantium manus, applicantium panes, baltheos, nummos, & alia quæque seruanda sibi pro benedictione, & variis necessitatibus profutura. Maximè autem parati in diem tertium, solemnem per loca proxima præstolabantur reponendi sacri corporis eius horam, copiosius vndique conuenturi. Nam & secunda die tantus circa meridiem populus fuerat congregatus, & tanto pietatis zelo stipati vndique sacrum corpus obsederant, vt nulla penè Episcopis reuerentia, nulla fratribus haberetur. Vnde veriti, ne quid simile, aut fortè grauius accideret die tertia, præoccupantes horam, & manè diuina ex more sacrificia consummantes, sicut, & biduum iam in celebratione Missarum & iugi fecerant psalmodia, purissimum illud balsamum suo vasculo commisere; in lapide reponentes lapidem pretiosum, optimam Margaritam.* Sic Godefridus præuentam sepulturam. At iniunctam eidem Sancto Patri miraculorum vlterius patrandorum prohibitionem, Gozeuino mandante, auctor Exordij.

n Lib. 5. c. 1.

11. [o] *Enim verò (ait) Dominus Gozeuinus Cisterciensis Abbas, qui cum aliis pluribus Abbatibus sui Ordinis, ad exequias viri Dei venerat, considerans tantam importunitatem tumultuantis populi, & ex præsentibus futura coniiciens; vehementer timere cœpit, ne si crebrescentibus signis, tam intolerabilis illic populorum turba concurreret, earum improbitate disciplina periret Ordinis, & Sancta Religionis feruor in eodem loco tepesceret, ne signa vlteriùs faceret, inhibuit. Sed cùm dicat Apostolus* [p] *de Domino Iesu,* quia factus est obediens vsque ad mortem, *& ipsius exemplo Legislator noster,* [q] *Sanctissimus Benedictus obedientiam nobis vsque ad mortem in Regula proponat: Sancta, & verè humilis anima Patris nostri, mortali homini etiam post mortem carnis obediens fuit. Nam signa, quæ tunc radiare cœperant, ita cessauere; vt ex illa die, & deinceps nunquam publica miracula facere visus sit: licèt aliquibus fidelibus, præcipuè sui Ordinis fratribus, pro variis incommoditatibus ad se clamantibus vsque hodie deesse non possit.* Hactenùs ibi.

o Lib. 2. c. 20.

p Philip. 2.

q In Reg. prolog.

Cæterum, vt Bernardi obedientiam vltra mortem prolatam, ad nouos limites; Gozeuini virtutem quis non miretur? quis non fidem, & zelum? Feruidum hunc pro rigore disciplinæ, quæ ne vel parum diffluere videatur, diuinæ se potentiæ etiam opponat: illam constantem, nec cedentem impossibilibus: quippe vocantem ea, quæ non sunt, non secùs, ac si essent: ac demum primam adeo efficacem, potentémque, vt imperet vel Deo, quem vtique obedientem experiatur: cessantibus ad imperium eius miraculis, quæ à solo Deo, vt à causa principali, patrari posse, nullus ibit inficias, qui rectè sentiat. Huius mandati virtute effectum est, quod in Italia post annos aliquot contigit, vt Diabolus per virtutem Bernardi iussus, à fœmina exire, quam possidebat; Sancti obedientiam prouenientem ex præcepto primum iactaret: sed mox compulsus etiam obediret. Rem his Annalibus satis, supérque dignam, & aliàs hoc præceptum concernentem, quia nullum adhuc tempus certum subest, hîc consequenter censui describendam. 12.

[r] *Euolutis itaque dehinc post transitum beati viri* (Bernardi) *pluribus annis, erat in partibus Italiæ Matrona quædam, quam correptam spiritus malignus atrociter vexabat. Quo tam lamentabili casu propinqui, & amici eius vehementer consternati, si quid remedij foret, sedula meditatione pensare cœperunt. Erat autem in vicinia eorum cœnobium quoddam Ordinis Cisterciensis. Et sicut mentibus in angustia constitutis, spes vndecumque concepta solet parere fiduciam; ad tamdem domum Dæmoniacam illam causa curationis ducere, communi consilio, decreuerunt. Quod vt factum est; sistitur misera ad portam, & aliqui ex simul comitantibus, qui tantum malum Abbati, & fratribus denuntiarent, opemque flagitarent, mittuntur. Abbas verò quosdam de senioribus, quos magis nouerat spirituales, assumens, cum cruce Dominica, & Sanctorum reliquiis egreditur ad patientem. Cumque ille malignus spiritus per Domini Crucem, & per sacra Sanctorum pignora coniuratus nihil moueretur: recordatus est Abbas habere se venerandas reliquias de capillis, & barba S. Bernardi, quas eodem (ni fallor) anno ad capitulum vadens, in Claraualle pro benedictione acceperat; & ad tutelam sui continuè secum ferebat. Et nihil dicens, manus sub cuculla misit, quatenus, extractis iis reliquiis, Dæmonem per has vrgeret. Quod pestifer ille lynceis oculis deprehendens, cœpit continuò scabellum pedibus terere, sputa iacere: totius quoque corporis indecenti motu, quod intùs pateretur, fatebatur inuitus: & erumpens in vocem: Eia (inquit) Abbatule, quid vis facere? Quid modò mali contra me sub illa veste tua machinaris? Frustra niteris, incassum laboras: serua Bernardulum tuum: nec enim proficies quidquam. Dicente verò Abbate, per Domini gratiam, & huius Sanctissimi merita modò egredieris: ille respondit. Quid? An excidit tibi, quod prohibitum est ei signa facere? Hoc ergo facto, securus in hoc meo domicilio requiesco.* 13.

r Lib. 2. c. 20. Exordij.

requiesco. Audiens autem Abbas, & fratres, qui cum eo erant, valde mirati sunt, quod scilicet Spiritus nequam in scutum defensionis suæ, interdictum illud tam celeriter inuenisset. Sed iterum, atque iterum adiurans Abbas Dæmonem, & præcipiens in nomine Domini nostri Iesu Christi, & per merita B. Bernardi, vt ab illo corpore obsesso exiret; tandem illud eiecit, & qua ab illo immundo Spiritu miserè vexabatur, recepit sanitatem. Hactenus ex auctore Exordij magni occasione præcepti à beato Gozeuino, Sancto, imposito, quod non duximus silentio prætereundum. Meminere eiusdem præcepti plures auctores, obedientiam mirati, atque imperium: in Bernardo illam; hoc, in Gozeuino.

---

1. Plura Bernardi epitaphia, sed inferiora. 2. Adami Victorini præstantius cæteris. 3. Laudatus summè ab Angelico Doctore, 4. itemque à Seraphico Bonauentura. 5. Sermo Godefridi Abbatis in eius anniuersaria solemnitate. 6. Qualis Bernardus in vtroque homine fuerit? 7. Quot Monasteria per se, & filios fundauerit? 8. Quot Religiosos in Claraualle reliquerit. 9. Bernardus Aduocatus, & Pater omnium gentium. 10. Ab hæreticis etiam veneratus. Sancti cubiculum, lectus, & quædam alia.

CAPVT IX.

1. BERNARDI tumulum, ab ipso Sancto sepulto ornauerunt elogia, seu epitaphia, quæ simul cum operibus eius circumferuntur, bonitate, quam numero inferiora. Eneruia ea pro argumenti qualitate, & nunc dura, nunc frigida, aut si quando incalescant, inæqualia. Certè quæ ideo plura esse videantur, quia nullum satis. Nec tamen sine nutu diuino factum credam, vt summa aliàs ingenia, velut in luce Bernardi cæcutirent, & quæ laudandis aliis superessent, in ipso deficerent, quasi qui solus sibi sufficiens foret: & laureatus Spiritu sapientiæ, non aliis coronandus veniret, quàm suis scriptis. Adsensisse videtur Baronius [a] huic coniecturæ, atque etiam ipsam iudicio suo adprobasse: nam Sancti laudibus cœptis, sed vix libatis, ad Adamum de Sancto Victore properè transit, vnum præ aliis Bernardi laudatorem. Et tandem concludit. *Ista in laudem laudatoris S. Bernardi redundent.* Ac si apertius diceret: qui non possumus dignè laudare Sanctum, laudasse laudatorem illius contenti sumus. Vocat nihilominus Bernardum, *Verum Apostolum missum à Deo, potentem in opere, & sermone, illustrantem vbique, & in omnibus suum Apostolatum sequentibus signis, & planè nihil minus habentem à magnis Apostolis.*

[a] Al hunc ann.

2. Epitaphium Adami Victorini, quia reuera præ aliis dulcius sonat, omissis reliquis hîc duxi transcribendum.

[b] *Clara sunt valles: sed claris vallibus Abbas*
Clarior, his clarum nomen in orbe dedit.
Clarus auis, clarus meritis, & clarus honore.
Clarus & eloquio, religione magis.
Mors est clara, cinis clarus, clarúmq; Sepulchrum.
Clarior exultat Spiritus ante Deum.

[b] Inter Epitaphia D. Bernardi.

Sic Victorinus Adam lusit, adlusitque ad Sancti Abbatis, & loci claritudinem. Cætera languent: & nec Bernardi operibus digna erant, neque his Annalibus.

3. Cæterùm, vt in his elogiis Bernardus laudatus minus, sic aliàs extat ingens eius laus; non solùm grauibus, sanctissimisque viris vitam eius, & gesta describentibus, quos suo loco nos etiam commemorabimus: sed & Seraphico, & Angelico Doctoribus declamantibus certatim eius encomia: hoc in speciali sermone de ipso edito; illo, è floribus Bernardi respersis libris, à quo se cuncta hausisse, quæ Spiritum inflammant, gloriatur. [c] Thomæ sermo præcedit sub hoc themate. [d] *Aurum, & multitudo gemmarum, & vas pretiosum labia scientia.* Dein inter alia, Bernardum Angelis comparat: neque vni, aut alteri tantum, sed cunctis simul. *Fuerunt* (ait) *in eo* (scilicet Bernardo) *nouem gemmæ, de quibus dicitur: omnis lapis pretiosum operimentum tuum, sardius, topazius, &c. Lapides isti significant nouem Ordines Angelorum, quibus dotatus B. Bernardus: qui habuit in se virtutes, & officia omnium nouem Ordinum Angelorum.* Sic D. Thomas, in vno Bernardo agnoscens velut collecta, quæ dispersa in aliis; nec hominibus tantum, verum & Angelis.

[c] Inter sermones. [d] Prou. 10. [e] Ezech. 27.

Ast in Bonauentura mirabilius, quod primus post Dionysium, magister Theologiæ mysticæ, Bernardi se discipulum fateatur: sic enim ait, cum ex ipso multa hausisset. [f] *Audisti ergo verba pulcherrima altissimè contemplantis, & orationis dulcedinem degustantis Bernardi. Rumina in ea, si vis, vt sapiant tibi. Ideo autem libenter ipsius verba in hoc opusculo intersero, & adduco, quia non solùm spiritualia sunt, & cor penetrantia; sed & decore plena, & ad Dei seruitium excitantia.* Et statim de Sancto. *Ipse enim fuit eloquentissimus, & Spiritu sapientiæ plenus, & sanctitate præclarus: quem te desiderio imitari, & ipsius monita, & verba opere exercere, propter quod sæpè tibi ea propono.* Hactenus Sanctus. Qui tandem gratus fonti, à quo hausisset, salutaris, quam nobis propinat, sapientiæ aquas, tractatum suum concludit in hunc tenorem. *Deo gratiarum actio, & B. Bernardo seruo eius dulci, & fideli.* Vt nullus alius post Deum illi occurreret, cui grates referret, Bernardo Patre excepto: & sicut vulgo dicere solemus: laus Deo, & Virgini Mariæ: sic loco Virginis, substituto Sancto Abbate, laudem Deo, & Bernardo pronunciauerit. Atque hæc duo illi magni testes, atque illustres Doctores Christiani Orbis, post quos, quamuis innumeros possemus, tamen nec libet, nec licet plures producere. Quippe Bernardo cum Angelis collato, & Deiparæ loco substituto: idque per Thomam, & Bonauenturam, vnicos post eumdem Sanctum Ecclesiæ patres, nec laudibus plus vltra energiæ subest, nec laudatoribus plus vltra auctoritatis. 4.

[f] In meditat. de vita Christi c. 37.

Edidit tamen in anniuersaria sacri obitus illius solemnitate perelegantem sermonem Godefridus, eius notarius, cum postmodum Abbas esset in Claraualle. Qui licèt mendis pluribus respersus, in posterioribus, quæ circumferuntur, editionibus, simul cum operibus Sancti lucem accepit, sub hoc initio. *Quàm dulcis hodiè, dilectissimi filij, paterna debet esse memoria.* In quo præcedens Angelicum Doctorem, nam obiit priusquam ipse nasceretur, 5.

Bernardum in singulis Ordinibus, & Sanctorum Angelorum choris locandum probat: & tandem concludit. *Fælix proinde, qui sic in omnibus, & inter omnes requiem inuenit: sic* [g] *Agnum sequitur, quocumque ierit. Fælix, qui sic multiplicium meritorum præmia recipit, vt multò magis nihil ei iam desit in illa gloria, cui nihil in vlla gratia ante defuerit.* Nihil, inquam, in vlla gratia, cùm homines, cùm Angelos, cùm Apostolos, cùm Prophetas, cùm Patriarchas, cùm Martyres, cùm Virgines, cùm Thronos, Potestates, Dominationes, Cherubim, quoq; ac Seraphim; & quæ in terris, & cœlis cõnumerasset.

g Apoc. 14.

6. Fuit Bernardus, vt in eius vita legitur. [h] *Serenus vultu, modestus habitu, circumspectus verbis, in opere timoratus, in sacra meditatione assiduus, in oratione deuotus, de omni re magis fidens orationi, quam industria propria, vel labori: magnanimus in fide, longanimis in spe: profusus in charitate, summus in humilitate, præcipuus pietate; in consiliis prouidus, in negotiis efficax, nunquam minus, quam in otio, otiosus; iocundus ad opprobria, ad obsequia verecundus, suauis moribus, meritis Sanctus, miraculis gloriosus, affluens denique sapientia, & virtute, & gratia apud Deum & homines.* Hæc interioris hominis descriptio. Nam exteriorem effigies repræsentant, quæ plures per Christianum Orbem circumferuntur.

h Lib. 3. vitæ cap. 1.

7. Reliquit Sanctus, cum ex hac vita decessit, centum sexaginta Monasteria, quæ vulgo ab ipso esse fundata creduntur, errore orto ex verbis Godefridi, qui totidem subesse illi, vt Patri, cùm obiit, memorat. [i] *Consummatis* (ait) *diebus vitæ suæ, & annis circiter sexaginta tribus expletis, dilectus Domini Bernardus Claraualensis Cœnobij primus Abbas, aliorumque amplius, quam centum sexaginta Monasteriorum Pater XIII. Kalendas Septembris, inter filiorum manus, obdormiuit in Domino.* Et paulò inferiùs, capite sequenti. *Aut quis numeret eos, qui sub eius cura in centum sexaginta Monasteriis, per Dei benignitatem, ad pænitentiam sunt adducti.* Cæterùm, non hæc omnia per seipsum, vt multi falsò putant, sed per se, vel per filios, aut erexit, aut erecta ad Cistercium reformauit. Octuaginta, aut genuisse, aut adoptasse, plus minúsve, quamuis aliqua tempus aboleuerit, hactenus dicta satis manifestant.

In Gallia, viginti, Sabigniacum, Fusniacum, Regniacum, Igniacum, Vrsicampum, Longumpontem; Vallemclaram, Gratiam Dei, Busaium, Domum Dei, seu Nigrum lacum, Benedictionem Dei, Bellum-locum, Bellam-perticam, Prateam, Fontem Mauriniacum, de Albis petris, de Los, Clarummontem, Morollam, & Petrollam.

Vndecim in *Hispania*, Moretolam, Sanctum Ioannem de Tarouca, Vrsariam, Melonem, Superadum, Meyram, Vallem paradysi. Alcobatiam, Spinam, Montem ramorum, & Armentariam.

In Campania, Septem, Tres fontes, Albam ripam, Ripatorium, Vallem Richerij, Longumvadum, Bullencuriam, & de Moris.

In Belgio, sex. Vallemcellarum, de Dunis, Clarum-mariscũ, Villarium, Alnam, & Camberonem.

In Anglia quinque, Rieuallem, Fontes, Blancamlandam, Bogelciam, & Margam.

In Hybernia totidem, Mellifontem, Benehot, Buellium, Beatitudinem, seu Liellrede, & Rupem, Casell.

In Burgundia quatuor, Fontanetum, Carum locum, Ballernam, & de Bullione paupere.

In Italia, totidem, Claramuallem, Columbam, Sanctum Anastasium, & Casamarium.

Nec pauciores *in Sabaudia*, Altamcumbam, de Alpibus, Bonummontem, & Altam cristam.

In Alemania duas, Claustrum, & Eberbacum.

Duas *in Suecia*, Aluastram, & Nouam vallem.

Ac demum *in Hungariâ, & Dania* singulas, Bochian, & Esron. Hæ Sancti Patris immediatæ filiæ. Reliquæ neptes, pronneptésve, quæ simul omnes lineam protendebant ad dictum numerum. Atque hæc satis de Monasteriis, quæ reliquit.

De filiis lacte eius nutritis in Claraualle, vltra eos, quos cœlestis curia susceperat (ingentem numerum) & quos ipse fundandis aliis domibus iam quasi manu miserat, septingenti degebant in Claraualle. Quod idem, qui cætera, Godefridus affirmat, dum ita scribit. [i] *Nam ex his solis, qui speciales eius filij videbantur, præter eos qui iam cursum vitæ fæliciter consummauerant, præter eos, qui per alia loca, fuerant propagati, ea die qua fælicissimus Pater ex Claraualle montem ascendere meruit clariorem, reliquit habitantes in ea septingentas fermè animas domino seruientes.* Vix huius æui septem Monasteria, quantumuis pinguia, numerum Monachorum adimplebunt, quem sola tunc habebat Clarauallis; & si antiquissima illa demas, quæ fide magis, quàm vsu nobis nota, vix, quod huic compares inuenies in toto orbe. Porrò ex his, quot Sancti, quot claro sanguine, quot doctrina, & potentia præcelluerint, ex dictis hactenùs facilè deducas; sed ex dicendis clariùs apparebit. Quippe quæ hactenus sole prælucente, latebant stellæ; iam sub eius occasum apparebunt; ac suæ lucis radiis fugabunt tenebras, quæ imminebant, ni ipsi successissent. 8.

i Lib. 5. c. 3.

Apud Chrysostomum Henriquez, in Menologio, lego, Fontanum Castrum, natale Bernardi solum, hoc nostro sæculo in cœnobium transiisse, Sanctissimæ Fullientinæ congregationis; quæ primitiuum illum rigorem adultæ sub Bernardo Claræuallis, imitatur præ aliis in toto orbe. Creuisse autem auspiciis Christianissimi Regis Ludouici, huius nominis XIII. qui nunc regnat: primum lapidem, antea benedictum ritu solemni, ponente illustri Principe Rogerio de Bellegarde, Duce Pari, & pro Rege Burgundiæ, cuius in altera parte Regis votum, in altera Proregis scriptum erat. Primum his litteris. 9.

CHRISTO IESV ANNVENTE, MERITIS S. BERNARDI, INCLYTVS REX VIVAT, VINCAT, REGNET, PIVS. POTENS, FOELIX.

Subtus autem hæc erant. *Ludouici XIII. Francorum, & Nauarræ Regis Christianissimi mandato, & nomine, serenissimæque eius coniugis Annæ Austriacæ. Ædis Sacræ D. O. M. in honorem S. Bernardi (cuius fœlici ortu, signisque patentibus, hunc sibi diuina clementia collem sanctificauit) construendæ, D. D. Rogerius de Bellegarde, totius Burgundiæ à Rege moderator meritissimus, Galliarum Hipparchus, &c. hunc capitalem lapidem deuotissimus posuit, die sexta Ianuarij, anno salutis M. DC. XIX.* Posterius votum breuius, modestiusque. *Deo, & Regi charus vigeat.* Nempe Rogerius addit nihilominus, in quibus Reges, Regna, status, Ordines, & quotquot genera, siue differentiæ Ecclesiam Dei componunt, Bernardo se, & deuinctos, & deuotos, diuersis profitentur inscriptionibus, quas tu, si voles, consules apud ipsum.

Facit & ad Bernardi laudem non modicam, quod 10.

quod non solùm Catholicis in pretio, venerationéque; verùm hæreticis semper habitus fuerit: neque vllum alium Ecclesiæ agnoscant Patrem; cui æquè deferant. Doctrina id comparatum, an sanctitate? non ausim dicere: an quæ frequenter Nouatorum conditio est, libertate loquendi magis, atque inuehendi in corruptos multorum mores? Vtcumque fuerit, qui cæteros condemnant, Bernardum laudant: vt verè Cardinalis Belarminus de eo dixerit. [l] *Ipse etiam Sanctus Bernardus, quem vel Lutherani ipsi admirari, colere, & Sanctum appellare coguntur.* Et Petrus Canisius. [m] *Bernardus* (inquit) *& iam ab Ecclesia hostibus sæpe multumque laudatur, velut qui non modo doctissimus, sed etiam ab omni suspicione alienissimus sit.* Et alibi. *Bernardus Claraualensis vir in Gallia, Germania, Italiaque percelebris, quem omnes, non solum ob doctrinam diuinitus inspiratam, sed etiam propter vitæ sanctimoniam, innumeris miraculis illustratam, meritò ipsi etiam heretici suspiciunt, ac venerantur. Quo vno, vel ipso etiam Luthero fatente, melius nec scripsit, nec vixit quis in vniuerso cœtu Monachorum.* Legat, qui volet, Franciscum Amboësium in Apologia pro Petro Abailardo, operibus eius præfixa circa finem. Quin & is ipse, qui contra Sanctum scripsit, si legi per tribunal sacrum permitteretur, Berengarius subscriberet, almum Doctorem Venerari conuictus inter conuicia.

l Lib. 1. de indulg. c. vlt. m Lib. 5. de B. Virg. c. 11.

11\. Hæc occasione illarum inscriptionum, quæ natali eius solo, sculptæ lapidibus surgentis Monasterij cunctorum Ordinum vota continebant. De loco obitus, ex quo conscendit cælos; & in quo post Godefridus Lingonensis, & post ipsum Alanus relicto Episcopatu, priuatam vitam sanctè consummauit; dicam in tempore. Interim adnoto extare hodieque fœlix cubiculum, longitudinis ad quadraginta pedes, latitudinis sex, supra viginti, quadrato lapide in parte pauimenti, cui stramineus Sancti lectus imponebatur. In medio lapidis cauitas conspicitur, dubium cui vsui apta: & sunt, qui dicant, reponendo igni effosam, quo caloris naturalis defectus, namque eo præcipuè Sanctus ægrotabat, repararetur. Visitur & in eodem cubili ligneus lectus, cui incubabat, cum spiritum emisit, conseruatus, ob Sancti reuerentiam, integer post annos, atque illæsus. Demum inter reliquias Claræuallis, de quibus aliquæ nobis dicendæ erunt, ostenditur [n] *Scrinium paruum ligneum deargentatum, cuius sera est de argento, plenum reliquiis; videlicet de vestimentis sacerdotalibus S. Bernardi Abbatis Patris nostri.* Hoc enim titulo prænotatur in inuentario. Itémque. *Pulcher quidem, sed paruus calix, cum pede, & pomello rotundo per totum, tam intra, quàm extra, bene deauratus, cum sua patena, & cochleari etiam deauratis, ponderis vnius Marchæ, & quinque vnciarum, qui propter reuerentiam S. Bernardi, qui eo vti solebat in sacrificio, in inuentario primum locum obtinet.*

n Ex Inuent. Claraualliis.

---

1. Bernardi scripta ingenti vsui Ecclesiæ, 2. ab initio vndequaque conquisita. 3. Mariæ Virginis iussu tandem vulgata. 4. Certa, & indubitata. 5. Quid de sententiis? 6. & de sermone in Natiuitate Virginis? 7. Quis continuauerit sermones super Cantica? 8. Opera dubia: 9. & quæ certò aliena habentur. 10. De cæteris iudicium Bellarmini. 11. Floretus Sancti, cum commentario Ioannis Gersonis: 12. & expositio in Psalmos pœnitentiales. 13. Demum relatum ab Episcopo Abulensi speculum Virginum, & ab aliquibus de contemptu mundi libellus.

CAPVT X.

1\. SEQVVNTVR ordine libri, quos reliquit, ingens volumen operum: sed pondere, quàm mole longè præcellens; nempè gemmea omnia, seu verius aurea, & de quibus [a] Philoteus, qui supra Monachus, cum collecta, & vulgata recens fuissent, pia quidem licentia, sed poëtica, non aliud maius donum (huius generis) à Virgine accepisse genus humanum, quàm quod scriptis Bernardi frueretur, fidenter ait.

a Inter laud. Bern.

Hoc tamen audenti liceat dixisse camœna
Atque animi sensus exeruisse mei.
Humano nunquam generi, nostróque decori
Parthenica tantum muneris alma dedit;
Quantum grata suo, nuper cum munere nobis
Protulit, hæc breuibus scripta legenda notis.

Attribuit autem Virgini hoc munus, quia eius iussu collecta Sancti opuscula, atque in volumen vnum conglobata, vsui publico lucem aspexêre: quod idemmet declarat sequenti disticho.

Protulit ipsa quidem; proprio nam Diua clienti
Iussit, vt egregij quæreret orsa senis.

Sed hæc latiùs in tempore dicemus.

2\. Sancti opuscula, vel ipso adhuc viuente, vndequaque quæsita, non sine sumptu, & labore transcribenda; satis constat ex his, quæ supra adduximus. Sed ab obitu ipsius maior inopia; & si quæ suberant, minus correcta, & mutila; maius sui desiderium excitabant. Quippe ante typographiam mundo exortam, rara exemplaria, eáque scriptorum incuria plerumque mendosa; quo longiùs à prototypo ibant, mendosiora; nec omnia simul; sed dispersa, & separata: quædam etiam, & trunca reperiebantur. Extant epistolæ Ioannis Sarisberiensis ad Petrum Cellensem (Bernardo Patri ambo subæquales) altera petens epistolas Bernardi; florésque: altera gratulans de epistolis remissis, ac florum petitioni insistens iugiter. *De cætero* (ait in hac posteriori) *liberalitati vestræ pro epistolis beati Bernardi gratias ago: antiquis insistens precibus, vt flores verborum eius, quos inquirere poteritis, mihi transcribi faciatis.* Hactenus ille. Quibus clarè videas iam tunc Bernardi flores passim conquiri, passim decerpi solitos; idque à maioribus viris illius æui. Vt nihil mirum immediatè sequentes illustres viros, Bonauenturam, Thomam, aliósque, Bernardum recens tunc Sanctis adscriptum, imò & recens defunctum, inter præcipuos Ecclesiæ Patres coluisse, nec minus ei detulisse, quàm antiquioribus [c] certè Hugo Victorinus, adhuc viuentem, non aliter citabat, ac Augustinum.

c Lib. 1. inst. monast. c. 18.

Ergo hæc ipsa Doctoris Sancti opera, quæ dispersa, & rara; Beatæ Virginis iussu conquisita, collectaque, ante ducentos annos plus minúsve, publico vsui prodierunt Christiani Orbis. At non 3.

omnia simul potuere, fortè nec sola: quibusdam aut amissis, aut non inuentis; aliis Bernardi nomine notatis, siue suppositis. Vtcumque fuerit, à prima collectione in dies aucta, collatis pluribus ex variis Bibliothecis, in quibus, quo reuerentiùs, eo occultius, ac minùs indagini peruia eorumdem operum exemplaria, conseruabantur. Porrò id præstitum opera, & industria insignis Parisiensis Academiæ, & Theologorum eius; neque minori fructu, quam labore, Ioannes Gilolotius Campanus scriptum habet, in epistola præfixa Sancti operibus. Non quia reuera omnia adhuc collegerint, aut à supposititiis expurgauerint; quod quidē quotidie, siue animaduersiones produnt, siue opuscula, satis ostendunt. Sed quia negotium eo vsque perduxerint, vt posteris addidisse aliquid, facilè; aliàs in re tam graui nihil ausuris. Nos ea omnia discernere in hoc capite: & de singulis, non tam nostrum iudicium ferre, quam aliorum grauissimorum virorum, præcipuè Cardinalis Roberti Bellarmini, quam poterimus breuius procurabimus.

4. Godefridus, dum inscriptis Sancti Patris nihil non inueniendum lectori censet, Germana ferè omnia exactè enumerat; dum ita scribit. [d] *Si quis enim nosse desiderat, quam solicitus ab initio sui ipsius diiudicator, & scrutator extiterit, primum opus illius de gradibus humilitatis inspiciat. Inde si queritur pia mentis religiosa deuotio, transeundum ad Homilias in laudibus Virginis Matris, & illum, quem, de diligendo Deo, edidit librum. Si feruens contra suorum, vel aliorum vitia zelus, legatur is, quem Apologeticum vocat. Si iugis in zelo cordis, & circumspecta discretio, de præcepto, & dispensatione differens audiatur. Quam verò fidelis cuiuslibet pia conuersationis commendator fuerit, & adiutor, exhortatorius ad milites Templi sermo declarat. Quam non ingratus gratiæ Dei, ex his liquet, quæ de gratia, & libero arbitrio tam fideliter, quàm subtiliter disputauit. Quàm liber in voce, quàm disertus, & in rerum superiorum pariter inferiorumque scientia locuples, in his, quæ ad Papam Eugenium de Consideratione scripsit diligens considerator agnoscet. Quam deuotissimus prædicator alienæ sanctitatis, tam diligenter Episcopi Sancti Malachiæ vitam prosequutus ostendit. Nam in sermonibus super Cantica, & indagator mysteriorum, & morum ædificator magnificus innotescit. In epistolis, quas ad diuersas personas, ob negotia diuersa dictauit, prudens lector aduertet, quo feruore Spiritus iustitiam omnem dilexerit, omnem æquè oderit iniustitiam.*

d Li. 3. c. vlt.

5. Agnoscit igitur Godefridus Bernardi propria, tractatum de gradibus humilitatis; Homilias super *Missus est*; librum de diligendo Deo, Apologeticum ad Guillelmum S. Theodorici; librum de præcepto, & dispensatione; sermonem exhortatorium ad Milites templi; librum de gratia, & libero arbitrio: libros quinque de consideratione: vitam S. Malachiæ; sermones super Cantica; & epistolas. Quibus proculdubio sermones de tempore, & in psalmum, Qui habitat, addere potuisset: neque enim de his licet dubitare. Addit, & pro indubitatis [e] Bellarminus de diuersis argumentis sermones triginta, & quinque. De altitudine cordis quatuor: de conuersione ad Clericos, vnum. Sermones paruos sexaginta sex, de donis Spiritus Sancti vnum: atque item librum sententiarum, & declamationem in illud Euangelicum: *Ecce nos reliquimus omnia.* Addit nihilominus in obseruationibus. *De libro sententiarum B. Bernardi ambigo, an sit scriptus ab ipso Sancto Bernardo, an ab aliquo alio, qui collegerit eas sententias, ex libris, & sermonibus eiusdem Sancti viri.* Sic Bellarminus, & quidem in hoc bene. Sententiæ enim Bernardi, sicut, & Flores ab alio, non ab ipso collectæ sunt: quod ipsa ratio instituti, atque humilitas Sancti declarant. Verum illud, quo se moueri dicit, barbarum nomen guerræ, pro bello, inuentum in his sententiis; vt verum fatear, parum, aut nihil probat. Id enim ipsum vsurpatur à Sancto Patre in opusculo omnino indubitato, dum ita ait, *Inimicitias exercet, & guerram crudelissimam.* Neque hoc tamen sine arte, vt ego puto, siue naturæ opus mauis in Sancto viro. Quo vis facundiæ magis elucescat, quam nihil dedecet; quæ omnia æquè illustrat; siue, vt ex næuo, iuxta Ouidij mentem, pulchrior sit facies totius orationis.

e Lib. de scriptoribus Ecclesiast.

Notatione dignum censeo in his prioris ordinis operibus, quod idem Cardinalis adnotauit; 6.
non vt Bernardi proprium dubitetur, sed vt ipsius argumentum intelligatur; sermonem de Natiuitate Beatæ Mariæ. *Non esse, vt multi putant, de natiuitate, ex Sancta Anna Matre sua in hunc mundum: sed de natiuitate per dormitionem mortis in cœlum, quomodo dicuntur natalitia aliorum omnium Sanctorum. Quod ex contextu facilè potest intelligi*; hæc enim sunt prima illius verba. *Fœcunde Virginis amplectitur cœlum præsentiam, terra memoriam veneratur.* Sic Bellarminus. [f] Quod ideo notatione dignum, & ipse censeo, quod sermo ille in Ordine aliorum, non solùm à sermonibus in Assumptione Mariæ distinctus est, sed etiam correspondet Natiuitati, qua in hunc mundum Virgo prodiit ex B. Anna.

f Ibid. in obseruationibus

Notandum etiam occurrit in his operibus, sermones in Cantica, perfectum quidem opus, sed 7.
imperfectum: nempè exactè perpensis primis capitibus; sed intactis sequentibus, quibus, & otium, & vita defuere: post annos aliquot cœptum continuari per Gillibertum, Oiliandæ Abbatem, siue de Suvinshede, Sancti discipulum: graui quidem stylo, atque eminus imitante Bernardi phrasim; sed neque ab ipso absolutum simili causa. Circumferuntur sermones Gilliberti post sermones Bernardi, digni legi; sed longè fœliciores, si seorsim, aut ante præmitterentur. Hoc illud opus, de quo S. Thomas, cum à fratribus Fossæ nouæ vt consummaret, instantius rogaretur; humiliter, ac satis reuerenter dixisse fertur. *Date mihi spiritum Bernardi, & ego perficiam opera Bernardi.* Et explanauit quidem illis Cantica, ab initio incipiens; sed non Bernardi sermones continuauit.

Dubiorum operum, idem Cardinalis titulos 8.
item recenset, in hunc Ordinem. *Ad Fratres de Monte Dei; Meditationes de interiori domo; de ordine vitæ: Scala claustralium: forma honestæ vitæ: speculum Monachorum: sermones varij; liber de conscientia. Descriptio Claræuallis. Lamentatio Virginis Mariæ. Doctrina S. Bernardi. Homilia de euntibus in Emaus: De amore Dei: de natura, & dignitate diuini amoris: de Passione Domini sermo: Tractatus de Passione Domini: Ritmica S. Bernardi: de modo beneuiuendi, ad sororem: de conscientia: sermones de diuersis argumentis super* Salue Regina: *Epistola, quid à nobis requirat Deus: sermones de oneribus.* Sic Bellarminus inter dubia Bernardi opera, ea etiam commemorat, quæ sine dubio aliena esse creduntur: sed nonnulla etiam prætermittit, de quibus statim.

Tractatum de vita solitaria, ad fratres de Monte 9.
Dei, non eius, sed Venerabilis Guillelmi Abbatis S. Theodorici,

g In medit. de vita Christi c.44. 54. 56. & 57. S. Theodorici, superiùs diximus: quamuis g Bonauentura Doctor Seraphicus, nec Bernardo parente multò posterior, Bernardi opus agnoscit, idque non semel. Meditationum, & de interiori domo, libelli, Hugonis Victorini esse putantur: & reuera inter opera ipsius circumferuntur, suntque primus, & tertius liber de anima: sed positi sub hac adnotatione. *Libri de anima, quorum primus, & tertius, ob summum in eis rutilantem piæ deuotionis affectum, sub meditationum, & de interiori domo titulis deuoto Doctori Beato Bernardo Claraeuallensi adscripti sunt.* Sic inter sermones varios habetur vnus de purificatione, qui beati Guerrici esse putatur, & inter paruos, numero 36. 39. & 43. apud eumdem authorem inueniuntur vltimi omnium. Habetur, & inter opera Bernardi syluestris epistola, quam tamen constat ab alio esse conscriptam. Descriptionem Claræuallis, sermones de Natali Domini, lamentationem B. Virginis Mariæ, sermones super *Salue Regina*, & in Cœna Domini, ab spiritu, & stylo Bernardi longè dissentiunt: nec merentur inter opera eius, adhuc dubia, connumerari. De reliquis Cardinalis Bellarmini iudicium prodam, quo tutius me, & facilius ab eis expediam. *Tractatus de ordine vitæ, siue Doctrina, puerorum similis est superiori: hoc est, tractatui de interiori domo, de quo dixerat nequaquam malum esse; sed ad meditationes non pertingere. Scala claustralium, siue de modo orandi non habet stylum S. Bernardi: sed aliàs insignis libellus est, & lectu dignus. Formula vitæ cum annexo documento, & speculo Monachorum, vtilissima continet documenta: ac religiosis viris planè necessaria, quamuis ab stylo S. Bernardi longè absint.* Hactenus Cardinalis Bellarminus. Cui tamen mihi addendum fore videtur, libellum de quatuor modis orandi, citari à

h ibid. c.17. Bonauentura,[h] tanquam Bernardi. Pergit posthæc de reliquis sequentibus.

10. *Inter Sermones, est vnus de villico iniquitatis, cui præmittitur epistola Bernardi ad Matthæum Episcopum Albanensem, cui sermo ille transmittitur. Et quidem sermo stylum S. Bernardi non habet; sed alioqui eruditam explicationem continet. Itaque vel Sanctus Bernardus solitam suam eloquentiam in hoc sermone neglexit: vel alius Bernardus est, qui sermonem istum composuit. Liber de conscientia, pius & vtilis est, quamuis Sancti Bernardi esse non videatur: sermo de duobus discipulis euntibus in Emaus insignis est, sed Sancti Bernardi stylum non habet. Liber de amore Dei stylum potius Sancti Augustini, quàm Sancti Bernardi habere videtur. Qui enim librum illum composuit, imitari voluit Sanctum Augustinum in libris Confessionum, cum Deo colloquentem. Liber de natura, & dignitate amoris Diuini, subtilis, & obscurus est, nec cuius sit, affirmare possum. Sermones duo de Passione Domini, quorum prior incipit.* Iesum Nazarenum: *& posterior longè prolixior:* Ego sum vitis vera; *docti sunt, & vtiles; sed non videntur S. Bernardi, si è stylo iudicium fiat. De Rithmis hoc solum dicere possum, illum qui incipit,* Iesu dulcis memoria; *longè præstare cæteris omnibus . . . . Liber de conscientia; de gradibus humilitatis; &c. vsque ad finem secundi ordinis, non solùm longè distant ab stylo Sancti, sed etiam verosimile non est toties de eisdem argumentis differuisse.* Hactenus Cardinalis Bellarminus: nam quæ de modo bene viuendi ad sororem tradit supra à nobis adducta, complosáque, nequaquam opus iterum repetere.

11. Plura qui volet, de operibus Bernardi, legat Iacobi Pamelij præfationem in Appendicem ad eiusdem Sancti opera, itemque Ludouicum Miræum Rosetanum in alia non dissimili, vbi vterque sui Auctarij rationem reddit; & vnde libros excerpserit, depromit. Interim nos duo alia Sancti opera, quæ hactenus (sed extra volumen) sub nomine ipsius circumferuntur, hîc adnotare operæ pretium duximus: alterum prosa; versa oratione aliud. Atque hoc quidem, quantum licet coniectari, satis autenticum; quippe à Ioanne Gersone, graui quidem auctore, & perantiquo, illustratum commento, velut opus Germanum, & verum eiusdem Sancti: Titulus libri Floretus, carmen heroïcum, cadentia carminis, plerumque leonina; eruditio Bernardo patre digna; argumentum, quale declaratur sequenti titulo. *Liber nomine Floretus à Sancto Bernardo Claraeuallis Abbate metricè accumulatus, cum commento magistri Ioannis Gersonis, tractans de virtutibus, & vitiis, secundùm præcepta Dei, & Ecclesiæ, ad fugam peccatorum, & electionem illorum operum, quæ hominem perducunt ad Deum.* Hactenus titulus. In ipso autem opere de articulis fidei, de peccatis in genere, & in specie, de Sacramentis in communi, & in particulari, de virtutibus; de donis; de beatitudinibus; de pœnis inferni, purgatoriique; de gaudiis paradysi, & de aureolis latè disputatur. Vidi, & habeo apud me, eumdem libellum impressum in folio Lugduni, apud Ioannem Marion, anno Domini M. D. X X. die verò VIII. mensis Ianuarij. Nec dubium quin alias iterum cussus, plura exemplaria per orbem dispersa habeat.

Alterum opus, ante quinquaginta annos, vulgatum, Venetiis in quarto, apud Fabium, & Augustinum Zoppinos fratres, in lucem prodiit, Illustrissimo, & Eminentissimo Romanæ Ecclesiæ Cardinali Augustino Valerio consecratum, cuius hic titulus. *Aurea Psalmorum septem pœnitentialium expositio, diui Bernardi Abbatis Claraeuallensis, Doctoris mellitissimi, nunc primum in lucem edita.* Continet prologum, & singulas singulorum Psalmorum expositiones. Stylus (fateor) à Bernardi stylo diuersus, sed eruditus, nec raro Bernardum sapiens: vt reuera aut eiusdem Sancti sit, aut compositus ad illius imitationem. Nec degenerat scribendi causa præfixa prologo, cuius hoc initium. *Ne inter occupationes multiplices, & solicitudines vehementes, quas non solùm ex cura regiminis, sed etiam ex malitia temporis patior vltra vires quasi totus absorbear à profundo; libenter aliquas horulas mihi furor, quibus ad reuocandum, & reducendum spiritum ad seipsum, ne à seipso diuidatur, & alienetur omnino; & in lege Domini aliquid meditetur, quod ab hoc ipso proficiat, inspirante, cuius spiritus,* [i] *vbi vult, spirat; ne sic semper sim traditus aliis, vt numquam restituar ipse mihi.* Hactenus Bernardus. i Ioann. 3.

13. Abulensis in caput X I X. Genesis circa finem refert & duos libros eiusdem Patris speculi Virginum; quos neque extare, neque ab aliis referri audio. Certè diuersos esse ab eo libello, quem ad Sororem scripsit; & numerus librorum, & id, quod dicitur in ipsis contineri, planè conuincunt: quippe ait. *Refert Beatus Bernardus in libro secundo speculi Virginum, de clerico, qui volens ad quamdam Monialem secretum habere concubitum; in ipso ascensu ad lectum à Dæmone præfocatus est. De quo tamen postea orantibus Monialibus reuelatum est, quod vitam beatam acquisiuisset: quia, dum à Dæmone præfocaretur, in ipso aliquantulum durante cruciatu contritus, veniam promeruit delictorum.* Hactenus Abulensis. Et tamen constat, in tractatu ad sororem, imo neque in aliquo reliquorum librorum,

V 4

18 Vol. 2

brorum,qui inter opera Bernardi circumferuntur, nil tale referri. Vnde conuincitur diuersum omnino opus ab his, quæ extant. Hæc de operibus Bernardi Patris dicta; nec dubium quin plura alia extent,aut vera ipsius, aut sub eius nomine, quæ ad nostram adhuc notitiam non peruenerint. Circumferuntur, & quædam orationes, Bernardi nomine,quas Nicolaus Salicetus [1] euulgauit; dignæ, quæ recitentur, sed quas non ausim Bernardi adscribere. Demum,aureum libellum, vulgaremque, qui de contemptu mundi nuncupatur, nullis non linguis e latina redditum,necdum satis laudatum, etsi tot ferè lectores, quot Christianos; tot laudatores habeat, quot lectores; Bernardi opus à multis reputari,eidem ipsi libello in aliquibus editionibus præfixum video,quamuis in aliis,aliis adscribatur. Sed de his satis.

[1] In Antid. Anima.

---

1. Primus scriptor vitæ S. Bernardi Guillelmus Abbas. 2. Post quem Arnoldus: 3. & post hunc Godefridus eius Notarius, 4. quo quisque tempore? 5. sed omnes tres Alanus compilauit. 6. Tres alij libri de miraculis Sancti, diuersis auctoribus. 7. In Valle Regia inuenti, 8. & miraculo alio comprobati, 9. ingenti gaudio eorum, qui adstiterunt. 10. Quidam aly auctores eiusdem vitæ.

CAPVT XI.

1. HACTENVS dictus nobis Bernardus scriptor;nunc scriptus idem dicendus breuiter erit:sed nec recentes,qui de ipso, linguis maternis,seu qui latinè ex aliis,velut ex fontibus, sed fontes ipsos antiquos commemorabo. Igitur primus viuentis adhuc Sancti Guillelmus, Sancti Theodorici quondam Abbas,tunc Signiaci Monachus,scripsit primordia,genus, patriam, parentes, adolescentiam, conuersionem, Monachatum, & præfecturam nascentis tunc Cœnobij Claræuallis, cum reliquis vsque ad schisma Petri Leonis. Cæterùm ipso, vt timuit, per mortem rapto,continuauit Arnoldus,seu Bernardus (vtroque enim consueuit vocari nomine) Bonævallis Carnotensis Abbas, ad quem vltimam Doctoris Sancti Epistolam scriptam superiùs vidimus. In quo animaduersione dignum est, quòd multi eum Cistercíensem putant, crasso errore; cum tamen Bonauallis Carnotensis nigri habitus sit, in qua Arnoldus vsque ad finem vitæ perseuerauit. Scripsit autem eiusdem Sancti vitam ad petitionem Monachorum Claræuallensium,quibus, vt dulciùs de Bernardo patente loqui, sic modestius audire, atque eo fortasse delectabilius, quo ab affectu filiali liberius foret. Certè Arnoldus continuaturus historiam Sancti hæc luculenter tractat in Præfatione.

2. *Quot in Monasterium eius litteratos viros, quot Rhetores,quot Philosophos,sæculi huius Scholæ, miserunt ad conuersationem theoricam, & mores diuinos? Quæ non ibi floruit disciplina, vbi erant examina magistrorum, & egregij viri exercitato intellectu insignes,qui diuinis studiis inhærentes,multis gratiarum auctoramentis inuicem seipsos edocent, & accedunt? Debuerant vtique viri illi, quibus nihil in aliqua gratia deest, hunc laborem assumere; & venerabilis patris insculpere monimenta, vt esset eorum studio delectabilis pagina, quam quasi viuentem traderent legendam discipulis, & perpes fieret consolatio, secus positis reliquiis sacri corporis,& sermonis. Sed extrema æmulari,& quæ homines lateant, Claræuallis consueuit humilitas, & proferre in publicum aliqua sui indicia viri illi nobiles erubescunt; & quietiores facit eos contemptus, & abiectio, quàm qualibet oblatio dignitatis, in qua sibi professio humilitatis periclitari videtur. Ob huiusmodi causas sese intra silentij cardines retinentes,magis in sacro eremi, quàm in sacro palatij delectantur; nec iam in stylo, sed in cruce gloriam quærunt. In hoc ergo,sicut & in cæteris eiusmodi negotiorum suorum, sarcinas aliis libenter imponunt. Et nunc sublato venerabilis memoriæ Domino Guillelmo,qui eiusdem viri Sancti gloriosa primordia fideliter & deuotè conscripsit, ad meam exiguitatem huius operis deuenit petitio;& imposuit mihi dilecta Ecclesiæ charitas,vt coquam pulmentum filiis prophetarum. In quo si colocynthidas miscuero negligens,superiecta,vt confido,farinula, amaritudinem condiet Helisæus;& excessus insipientiæ,obedientia excusabit affectus.* Hactenus ille, & scripturæ causas prætexens,& se excusans,quòd impar oneri humeros supponat, quod fortiùs, viriliusque, vt ipse putabat,plures ex Claraualle præstare possent.

3. Cæterum, cum ne ipse quidem Arnoldus finiret opus, quod sola morte interruptum fore crediderim; ad se interesse censuit Godefridus fidus Sancti notarius,si sicut ille,vnde Guillelmus olim, sic vnde Arnoldus desiit, continuaret: addens, si quæ ab vtroque prætermissa; sed quibus ipse plerumque præsens fuisset,aut certa aliorum nouisset relatione;quod se facturum non minus pollicetur, dum ita ait. [a] *Inde est quod intactis eorum libris, qui de eiusdem beatissimi Patris nostri initiis, seu etiam mediis conscripserunt, ne tanquam super alienum ædificasse videar fundamentum, circa ea potissimum noster sermo versatur, quibus penè omnibus præsens affui,interdum etiam,licèt pauca,interserens, quæ fidelissima fratrum,qui aderant,relatione cognoui. Verumtamen opus istud libellus tribus partitum lector inueniet: quorum Primus quidem ea maximè quæ ad habitum,mores, atque doctrinam huius beati Patris videntur pertinere,prosequitur. Secundus autem virtutes multas per eum factas eloquitur. Tertius in eiusdem bono fine completur.* Hactenus Godefridus de suis libris.

[a] In prologo.

4. Ergo Bernardus hos tres scriptores habuit suorum operum,insignes religione, & scientia viros; nec minùs omnes testes oculares; vt neque falli possent, nec fallere voluisse credendi sint. Porrò Guillelmus,vt dixi,viuente Sancto;Arnoldus Abbas statim ab eius obitu: Godefridus biennio post scripsit. Ideo enim de pane benedicto, atque ab Eskyllo in Daniam asportato, loquens,ait,tertium tunc annum esse, & nihilominus incorruptum conseruari. Tertium, inquam, ab Eskili aduentu in Claramuallem viuente Sancto, quem anno Christi M.C.LII. vno, vt minimum, ante Bernardi Patris obitum contigisse, Exordio magno auctore commemorauimus. Vnde obiter corrigendus

gendus venit Tritemius in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, vbi non solùm Arnoldum Cisterciensem (quasi vno homine ex suis, nostris adscripto, innumeros, quos aufert, compensaret) sed circa annum M. C. LX. floruisse tradit, non minùs in hoc errans, quam in illo. Quippe Godefridus nequaquam assumpsisset opus, ipso viuente; qui sine dubio argumentum implebat pro dignitate. Quare assumptum, vt ex liquido, paret, circa annum Domini M. C. LV. Arnoldum ante obiisse planè conuincit: ideóque Godefridum continuasse, quod iam Arnoldus, qui cœpit, nequaquam posset.

5. His quinque libris constat vita Sancti, quæ simul cum operibus eius circumfertur; & quam Surius transcripsit mense Augusto. Sed Godefridus Lingonensis præsul, Bernardo ab ipsa infantia familiaris, cùm quædam, nescio, quæ in illis notasset, parabat corrigere: & correxisset; si non preuentus morte, vix notas, nedum opus, consummasset. Demum Alanus Altisiodorensis, cuius supra meminimus, qui anno Christi M. C. LXVI. pontificio abdicato, ad suam est reuersus Claramuallem; cùm in easdem notas incidisset; & aliàs tædium vitæ longius scriptæ lectoribus intenderet leuare; historiam totam redegit ad compendium, libello edito, quem beato Petro cognomento Monoculo, tunc Claræuallis Abbati dedicauit, sub hac inscriptione. *Venerando Fratri Petro, Dei prouidentia Claræuallis Abbati, Frater Alanus, Altisiodorensis Ecclesiæ, humilis quondam Sacerdos, æternam in Christo salutem.* Et statim reddit instituti rationem operis. *Quod autem nos ex eadem ratione nonnulla omittentes, & apponentes per pauca, breuiore perstrinximus schedula: non tam præsumptio, quàm (vt credimus) ratio persuasit. Primò, quòd Scriptorum (tametsi vera sint) prolixitas onerosa solet esse legentibus. Deinde quod Godefridus venerabilis Lingonicæ sedis Antistes eiusdem Patris Bernardi secundùm carnem propinquus, secundùm spiritum in conuersione socius, & in laboribus coadiutor, quædam in pagina, quam breuiandam suscepimus, minus veritati consona denotabat, vtpotè qui ab infantia cum Sancto illo nutritus, visa melius, quàm aliàs narrata, didicerat. Morte verò idem venerabilis sacerdos præuentus, quod inde cœperat, & optauerat, imperfectum reliquit.* Ita Alanus. In quo tamen, vt id obiter dicam, breuiata omnia, multa prætermissa: perpauca addita: correctum, seu prioribus contrarium nihil hactenus potui reperire.

6. Hos libros vitæ Bernardi opera præferunt: antiquiora, abbreuiatum Alani opus; recentia extensius, & constans, ex quinque libris. Sed præter hos tres alios commemorauimus, qui communiter miracula inscribuntur: nec tamen omnia; sed ea præcipuè narrant, quæ circa annum M. C. XLVII. dum crucem prædicaret contra Paganos in Gallia, Germania, & Belgio perpetrauit. E quibus primum Philippus Claræuallis ad Henricum Ludouici Regis fratrem, iam tunc promotum Rhemorum Archiepiscopum: Secundum Ebardus cum duobus aliis Monachis, & duobus Nouitiis conscripsere, ad Colonienses Clericos; & tandem tertium Godefridus alter, non Lingonensis, nec qui Sancti vitam scripsit; sed ab vtroque diuersus, vt iam notauimus, ad Hermanum Constantiæ vrbis Episcopum. Porrò hi libri vltra auctorum suorum grauitatem, antiquitatémque, & fidem rerum, quæ propriis hauserũt oculis; commendatur miraculo, quod in ipsorum inuentione factum, quamuis tempore aliquanto posterius sit, hîc nihilominus duxi transcribendum. Narrat, qui vidit Herbertus in hæc verba.

Visitante nuper venerabili Abbate Claraualensi Petro Cœnobia sua, quæ in Rhemensi prouincia, flante spiritu Dei, venustissimè florent: nos quoque cum illo profecti venimus die quadam, vna cum ipso, ad Monasterium Vallis Regis. Inuenimus autem ibidem miraculorum Sancti Bernardi multitudinem copiosam, quæ propter legentium tædium in codice vitæ eius inseri non potuerunt. Nam si prolixius scriberentur, plurima inde volumina conficerentur. Hunc ergo miraculorum librum, quem in Claraualle non haberi comperimus, acceptum mutuo nobiscum ferre curauimus, vt eum transcribi faceremus. Portabatur autem in mantica cum aliis septem libris tam maioris, quam minoris voluminis. Venientibus itaque nobis ad Monasterium Longipontis, contigit; vt eorumdem librorum portitor equus, cum cæteris, ad aquam duceretur. Qui dum incautè dimissis habenis vadum excederet, lapsu in profundum stagni, fluctuando, & natando fermè vnius horæ spatio, huc, & illuc anxiè peruagabatur. Exclamantibus autem, qui aderant, quod equus ille librorum, atque vestimentorum sarcinam habens cum puero superposito mergeretur: accurritur vndique, vt ei succurratur. Interim autem quadrupes, & ipse puer sub aqua latebant, nisi quod ora protensa modicè superius apparebant. 7.

Quidam verò iuuenis indumentis exutus, & natando diutius insecutus pereuntes, eripere voluit; sed fugiente caballo minimè potuit. Tandem verò quæsita, & de longè adducta nauicula, miserante Domino, reducti, & liberati sunt simul adolescentulus, & caballus, non modo viuentes, verum etiam salui & alacres. Mantica verò continens libros ipsos inuenta est aquis, in modum vtris plena, atque distenta. Quæ dum postmodum incuria ministrorum, clausa diutissimè permaneret, tandem ea reserata inuenti sunt libri à minimo vsque ad maximum, ita madefacti, atque deleti ac si in profundo stagni diutius iacuissent. Verùm tamen solus ille miraculorum liber, cum tamen cæteris aqua imbutis, atque submersis, esset immixtus, ita repertus est incorruptus, & siccus; ita pulcher, ac floridus, vt minimè tunc extractum de viuario crederes, sed potius assumptum de armario diceres. Nam quemadmodum vsque hodie cernitur, ne vnam quidem in eo litterulam magna, vel modica aqua stilla deleuit, aut tetigit; cum cæteri, sicut dictum est, libri ita fluctibus obliterati, & pellium more confecti viderentur, vt nullis deinceps vsibus indicarentur apti. Vnde mirati, & magna iucunditate repleti, gratias agere multis modis diuina clementiæ, qui dilecti sui Bernardi merita veneranda voluit, etiam nunc huiusmodi signo, glorificare. 8.

Nos quoque magnificè consolati proprium damnum de submersione librorum non modò leuissimè, verum etiam lætissimè tulimus: quippe qui in eius restitutione, iocunda verè piscatione, tantum & tale miraculum de immensitate aquarum cum libris extulimus. Et quidem duplex nobis incubuit exultandi materia, tum pro ipsa miraculorum gloria commendata, de quorum certitudine præsenti miraculo certiores existimus: tum pro ipsa pueri vita donata, cuius liberationem Sanctissimi Confessoris huius precibus, & meritis attribuendam esse non dubitamus. Hactenus de miraculo illo Herbertus Abbas, quo libri miraculorum beati Patris fidem sibi concilient, vel ab incredulis. 9.

Extant, & quædam alia fragmenta vitæ S. Patris, incertis auctoribus, quæ ante hos miraculorum 10.

rum

rum libros vulgata inuenio: nec non in additis ad Exordium magnum, quod Ignatius Firminus publicauit. Ex eodem Exordio item habemus, Notarium Sancti (Godefridum, de quo superius) scripsisse libellum de eius transitu ad Eskylum Lundensem Archiepiscopum; sed dubium, an diuersum à tertio libro vitæ, siue inter omnes quinto, quem nos habemus. Lego & eiusdem Sancti acta scripsisse Ioannem, cognomento Eremitam, dubium an Monachum, aut cuius Monasterij, si non fortassis ille Ioannes fuit, qui Morimundi initia consecrauit. Hunc primò Gallicè, an Latinè loquutum, incertum nobis: proximo sæculo Lusitanum factum compertum est, interprete Alcobaciensi quodam Monacho Gundisaluo à Syluą; Catherina Regina, insigni pietate fœmina, iubente, & typographiæ expensas ministrante, quod ex prologo constat haud dubia fide. Lego & Gerardum quemdam Claræuallensem, Abbatem Longipontis, scripsisse accuratè Bernardi gesta. Demum, ne virtutibus heroicis laudis genus deesset, cecinere Bernardi Patris vitam Philorhæus Monachus, & Franciscus Mauroy, carmine vterque satis eleganti, & quod non minus neruosè, quàm dulce fluat. Mitto Baptistam Mantuanum, aliósque, qui vitas plurium Sanctorum, & inter eos Bernardi, concinnarunt. Mitto & recentes, qui solius illius acta, quos recensuisse longius, quàm vtilius iudicaremus.

---

1. *Bernardus Pater tum Virginis, tum Christi fauoribus præuentus:* 2. *& de hoc vltimo Exordij testimonium.* 3. *Tabula antiqua Cœnobij Claræuallis*, 4. *atque alij auctores*, 5. *& Philotheus.* 6. *Complosa Bertellij dubitatio.* 7. *Authenticum Abbatis Cisterciensis:* 8. *aliud Castellionensis adhuc exactius:* 9. *atque alia prætermissa, quia apocrypha.*

CAPVT XII.

1. INSIGNES Christi, & Virginis fauores Bernardo patri exhibitos, & sub quibus plerumque depingi solet, nunc irroratus lacte Mariæ Virginis, nunc strictus brachiis pendentis Redemptoris; atque item alium, etsi minus vulgarem, non minus certum, quo mater, filium, eidem Sancto obtulit; quia fixum tempus concernere non reperi, in hunc locum consultò reseruaui. Et quidem eos, traditione, quam scripto acceptos compertum est: constanti illa, atque à Patribus ad filios deriuata, quasi per manus; cuius aut minor fides, aliquando inconuulsior esse solet: hoc, in Antiquis, fateor, rariori; & picturis expresso magis, quam litteris: non tamen ideo minoris æstimando. Sed neque desunt antiqua testimonia, queis vtrumque fulcitur, quæ breuiter sunt nobis recensenda. Dabimus vnicuique proprium pondus; neque incerta pro certis, aut pro exploratis dubia propalabimus: & vt omnia per humanam fidem habenda sint, at sciat lector, non solùm quæ, & quanta; sed quibus credit.

2. Et quidem, vt à Christo incipiamus, eius imaginem è cruce ipsa pendentem, cum à Bernardo teneriùs salutaretur, soluisse brachia, ruisséque in amplexus salutantis, omni exceptione maior, auctor Exordij magni memoriæ prodit: nec minori, aut minùs certò testimonio, quàm B. Medardi, qui se, inscio Bernardo, rem vidisse, & fauori interfuisse contestabatur. Verum est tamen quod in visu potius, quàm in externo adoratæ imaginis motu, contigisse insinuat, dum ita ait. [a] *Dominus Medardus quondam Abbas de Moru, quod est monasterium vicinum Claræualli, Vir religiosus, mirabilem quamdam rem, quasi de alio, retulit familiaribus suis; quam tamen sibimet contigisse putamus, ita dicens. Notus est mihi quidam, qui Beatum Bernardum Abbatem aliquando reperit in Ecclesia solum orantem. Qui cùm prostratus esset ante altare, apparebat ei, quædam Crux cum suo Crucifixo, super pauimentum posita coram illo. Quam idem vir Beatissimus deuotissimè adorabat, ac deosculabatur. Porrò ipsa maiestas, separatis brachiis à cornibus crucis videbatur eumdem Dei famulum amplecti, atque adstringere sibi. Quod dum Monachus ille aliquandiu cerneret, præ nimia, admiratione stupidus habebatur, & quasi extra se erat. Tandem verò metuens, ne Patrem Sanctum offenderet, si eum veluti secretorum suorum exploratorem, ita sibi de proximo imminere conspiceret; silenter abscessit. Intelligens nimirum, ac sciens de homine illo Sancto, quod verè supra hominem esset tota ipsius oratio, atque conuersatio.* Hactenus ex Auctore Exordij Magni.

[a] Lib. 2. c. 7.

Consona tabula Monasterij Claræuallis in claustro refectorij satis antiqua, delineato fauore; & subscriptione posita, quæ rem non semel, sed pluries contigisse; neque per visum tantùm, sed reipsa, alterum asseuerat, alterum probabiliter præsumit. 3.
Alibi legitur (ait) quod cùm Beatus Bernardus quandam deuotissimam orationem composuisset, quæ incipit,

Salue mundi salutare,
Salue salue Iesu chare:
Cruci tuæ me aptare
Vellem verè: tu scis quare.
Da mihi tui copiam.

& eam coram imagine Crucifixi recitaret; tunc imago Crucifixi, solutis de cruce brachiis, amplexabatur eum: & piè credendum est hoc sibi pluries contigisse. Hanc subscriptionem transcripsit ex ipsa tabula Bernardus Villalpandeus anno M.D.XCIX. cùm illuc ab Abbate Fiteriensi ad hæc, & alia lustranda transmissus esset. Meminit & illius Antonius Hiepius Centuria septima ad hunc annum [b] eisdem verbis.

[b] Cap. 5.

4. Ad idem faciunt Nicolaus Salicetus, & Philotheus, ante ducentos annos plus minúsve, alter prosa, oratione versa alter scribens; & quidem Salicetus adeo constanter, vt producat antiquam orationem ad Bernardum Parentem, in qua idem Christi amplexus commemoratur. Transcribit primùm Bernardi ad Christum verba, sub hoc titulo. [c] *Oratio deuotissima B. Bernardi Abbatis Claræuallensis, quam cùm semel diceret ante imaginem Crucifixi, ipsa imago de Cruce se inclinans, eum amplexata est.* Dein subiungit orationem ad Bernardum, in qua per hunc dulcissimum amplexum quasi adiutatus, pro aliis intercedere rogatur ad eum, à quo meruit tantum fauorem. Quin, & Henriquez

[c] In Antidotario animæ.

d Mart.23. Henriquez in suo Menologio [d] constanter affirmat, in quodam libro Cœnobij Cistereiensis adnotatum amplexum ipsa qua contigit die designata, nempe vigesima tertia mensis Martij. *Imago* (inquit) *Christi, in Cruce pendentis Bernardum amplexatur vigesimatertia, die Martij.* Et in annotationibus. *Vt in Martyrologio Cistercij notatum legitur.* Quod si ita est, non leue pondus addit cæteris omnibus,

5. At Philotheus eiusdem temporis auctor, (nam scripsit recens cussis Bernardi operibus, quæ à nascente in Europa Typographia vidisse lucem, ipsa, quæ hodie etiam perseuerant, perantiqua exemplaria, manifestant:) Philotheus, inquam, eiusdem sæculi auctor, hunc ipsum Christi amplexum non minùs prodit, cùm Sanctum Patrem ante illius effigiem, orantem descripsisset his planè versibus.

O decus, ô nostri lenimen Christe doloris!
O mihi, tam duro parta labore, salus:
Fœlix, si tantas in me conuertere pœnas,
Et liceat misero sic mihi posse mori.
Ipse immaturos ausim decerpere fructus:
Christe tamen dentes obstupuere tui.
Sydera, terra, fretum, Domini miserescite vestri:
Flete meos casus, sydera, terra, fretum.
Talia dum memorat, Christi pendentis imago,
Soluit in amplexus brachia nexa suos.

Hactenus Philotheus, & nos de hoc fauore Christi Domini: quem tamen in Bernardo non stetisse, sed transisse ad filios, quæ inferiùs reddemus, declarabunt.

6. Quod attinet ad lac Beatæ Virginis, receptius adhue, & vulgatius sactis Ieonibus. Vt magis varient de tempore auctores, locóque, quàm de ipso fauore; quem Bernardo concessum, non est qui ambigat. Vnus Ioannes Bertelius; quem ego videtim, reuocat in dubium: [e] sed adeo crasso, & supino fundamento, vt nec mereatur à nobis confutari. *Quia nemo dubitat* (ait) *super multa sæcula Mariam ante Bernardum præcessisse.* Quasi verò quis vnquam cogitauerit Virginem sacram, mortalem, ac passibilem sugendum pectus Bernardo propinasse: aut quasi post gloriosum ipsius transitum, tum in cælis gloriosa, tum in suis imaginibus in terris, non maneret æternum duratura. Cæterum his omissis, quia leuibus; ex aliis nullum video dubitasse. Verum est tamen quod de loco Auctores variant, quibusdam referentibus ad Spiram cùm matrem Virginem, clementem, piam, dulcem, Bernardus pater deuotus salutasset. At non Spiræ, sed apud Castellionem Lingonum oppidum, neque in tanta frequentia contigisse, vero similius est: fortè cùm Sanctus Pater, ad vnam aliquam ex illis legatiis, ad quas mitti solebat humilis perrecturus Virginis matris auxilium imploraret. Porrò tunc creditur oblatus à matre filius, quem Bernardus susciperet, & cui portando, seu manibus exteriùs, seu interiùs in corde, se totum daret; & qua auspice, nihil timere posset.

e Dialog.8.in Regul.S. Benedicti.

f Guillel. Eisingrenius. Costerus, & alij.

7. Extat authenticum R. Domini Edmundi à Cruce, tunc Abbatis Cistercij ad Fiteriensem Ignatium Firminum transmissum, anno M. D. XCIX. (quod ipsum, inter alias eius schedas, apud me habeo) de hoc fauore, loquentis in hunc tenorem. *In Ecclesia S. Beroli Castri Castellionis super Sequanam, Lingonensis Diœcesis, quædam imago in veneratione, & honore Beatæ Virginis Mariæ antiquitùs extitit constructa, quæ quidem imago S. Bernardo oranti, filium suum obtulit miraculosè in Ecclesia dicens.* Bernarde suscipe puerum meum totius mundi Redemptorem. *Deinde quoque vltra omnem humanæ naturæ virtutem, ac si Christi frater naturalis fuisset, manu dictæ imaginis suscepta mammilla, illico Beato Bernardo sibi deuoto tres guttas lactis, ab eiusdem imaginis mammilla profluentes, miraculosè distillabat.* Hactenus testimonium Venerandi Abbatis: Quod Antonius Hiepius, [g] & Franciscus Biuarius, [h] aliique memorant. Quin & Henriquez in suo Menologio, [i] Iconis meminit (eiusdem vt puto) & subscriptionis Gallieæ, quæ in latinum conuersa priorem partem fauoris testificatur, sic enim habet.

g Alhum ann.c 5.

h Lib. 1. Ber. vendicati.

i Maij.23.

Bernarde multum dilecte, mi Capellane
Cape, suscipe de mea manu,
Dulcem Iesum, Seruatorem mundi.

Quasi ea, Bernardo adhuc viuenti, orantíque, puerum Iesum obtulisse perhibeatur.

Idem qui supra Chrysostomus Henriquez, aliud recentius adhue testimonium superinducit ex ipso, vt ait, Castellione Lingonensi ad R. Abbatem Castellionis Virdunensis nuper transmissum, à quo & se illud testatur accepisse. Porrò in eo, vltra facti traditionem; sacram effigiem hodieque manere, & quod miteris, conseruare adhuc, seu repetere magis memoriam facti, productis testibus, idemmet, qui perhibuit, testificatur. *In Castellione* (ait) *imago est B. Virginis, quæ Sanctum Bernardum suo lacte quondam irrorasse fertur. Cùm enim in B. Virginem singulari flagraret amore; se quoque in eum, coram prædicta imagine indefessè orantem, matrem esse monstrauit. In dicto Castro sacellum erat in cuius parte sinistra, Beatæ Virginis imago consistebat. Ibidem miles quidam demoratur vocatus* Picant, *qui suo fungens officio in bellis ciuilibus circumeundo Castrum in dicto sacello, plus quinquagies, voces canentes:* Aue maris stella *audiisse testatur. Dictum enim miraculum accidisse memoratur, cum,* Monstra te esse matrem, *à Sancto Bernardo proferretur. Bellis sopitis, castróque destructo in templum tutius conseruanda deportata est; vbi magna cum veneratione, & populi concursu, maximè verò, vbi temporis necessitas exigit, in loco celebri, & eminenti asseruatur, ex quo deponitur à tribus Sacerdotibus trium dierum ieiunio præparatis, & solemni in processione, vna cum reliquiis Sancti Veroli, à plurimis Virginibus, eodem ieiunio tridnano præmisso, deuotissimè circumfertur. Sunt Castellione, qui dicant, eamdem imaginem lactis guttas, cùm demittitur, stillare. Nunc quoque supersunt duo vita probata Presbyteri illic demorantes, vnus Edmundus vocatur, alter Clemens, quondam Præceptor Domini vicetenentis Gaillard, qui clarè, & palam affirmant; in manus tertij sacerdotis, qui Iacobus Viandot dicebatur, modo defuncti, lactis copiam defluxisse, ita vt sacristiam petere, illicque manus abluere cogeretur.* Hactenus ibi: quæ si certa sunt, ingentem facto conciliant, & ferè supra humanam fidem, auctoritatem. 8.

Philotheus de fauore lactis pressius succinctiúsque; verùm non semel concessum Bernardo tradit. 9.

Quid referam quoties summi Regina theatri
Nectareos illi visa mouere sonos?
Sæpè suum Virgo famulum venerata solebat
Visere: & ambrosias sæpè referre dapes.

In Hiepio lego, traditione item acceptum, apparuisse Bernardo Christum simul cum matre; ac S. medio, hinc inde velut certatim obtulisse cruorem simul, & lacillum de Christi vulnere manantem, hoc de Virginis mamma; vtrumque Cœleste, vtrumque irradians, & fœcundans Bernardi ora.

Tum

Tum verò Sanctum, vtrumque, veneratum, & neutro se fraudari æquè ferentem, tandem in ea verba prorupisse, quæ communiter Augustino tribui solent. *Hinc pascor à vulnere: Hinc lactor ab vbere. Positus in medio, quo me vertam nescio?* Sed hæc vt credo, piarum mentium deuotio, quam rei veritas, aut euentus simultaneas magis coniunxit: & neque video improbato alio auctore traditionis notitiam; neque de facili credenda, nedum asseueranda similia puto. Extant & inter opera Nicolai Saliceti quædam alia Bernardo Patri adscripta, minori digna fide, quàm vt, locum mereantur in his Annalibus.

---

1. Bernardus, altera à sepultura die, in magna gloria Conuerso sancto apparet. 2. Nec multò post Religioso alteri viro, suam, & Malachiæ gloriam reuelat. 3. Tertia apparitio cum miraculis vtriusque; 4. & quarta post septuaginta dies Guillelmo facta. 5. Quid Sanctus Regulari cuidam Canonico. 6. Bernardi gloria in prouerbium Sanctis Manibus. 7. Laurentius ad Rogerium Siculum missus; 8. Sed nuper mortuum, Bernardum Patrem orat. 9. Sanctus illi apparet, & iubet pergere. 10. Quàm cuncta prosperè in via, 11. & Roma in reditu. 12. Periculum latronum, vt euaserit. 13. Emendati de Rogerij morte errores.

CAPVT XIII.

1\. PRÆCESSERANT gloriosum Bernardi obitum cœlestia oracula; quin & eumdem non parca comitata: atque vtraque à nobis ex fide hactenus tradita. Nunc iam quæ alia eumdem sequuta sunt, pro ratione instituti prosequamur. a Lib.5.c.5. *Proxima nocte* (Godefridi verba sunt) a *postquam sacrum corpus sepulturæ traditum fuerat, quantam adhuc pro filiis solicitudinem gereret, euidenter ostendit. Apparens enim cuidam fratri in multa gloria, & fulgore magno vestis, ac vultus, & desiderantem tenere, citò pertransiens aiebat: quia pro quodam fratre simplici venio. Audierunt hoc fratres, & mirabantur: sed circa horam diei tertiam veritas comprobata est visionis: defunctus est enim quidam frater laudabilis admodum simplicitatis: & sicut omnino credibile est, animam eius tanto Duce fœlicem, qui pro ea se venire dixerat, secum tulit.* Hæc prima à Sancti tumulo apparitio.

2\. Sed paucis post diebus alia sequuta, quæ permutatas vtriusque Sancti tunicas, Malachiæ, & Bernardi, simul, & gloriam vtriusque reuelauit. Eam, qui supra Auctor sic describit. *Paucis quoque expletis diebus alteri cuidam fratri magnificè satis apparens, & arguens, de suo nos doluisse discessu, post verba multa consolationis, & promissionem fœlicitatis æternæ in sua perseuerantibus obedientia, & doctrina: hoc etiam scito (ait) & dicito fratribus. Cuiusdam verè Sancti corpus, cuius & ego habeo vestem, in Oratorio esse sepultum. Dicebat autem Episcopum Malachiam, ipsius enim tunicam, in qua Sanctus ille fœliciter obdormierat, ad Missarum sibi seruauerat celebrationem, & moriturus in ea sese iusserat sepeliri, sicut & Sanctum illum in sua sepelierat veste. Quod tamen verbum, & ipsi fratri, & quampluribus aliis vsque ad hanc visionem prorsus erat ignotum.* Sic Sanctus Pater pro Sancti amici gloria, gloriosus ipse gerebat solicitudinem. At qualem? quam amicam? quam reuerentem? Audi quod sequitur.

3\. *Post dies circiter quadraginta, Abbas quidam ex maioris Britanniæ Insula, sacra illius societatis virtutem fœliciter experiri meruit in seipso. Qui eodem tempore cũ cæteris Coabbatibus suis, ex more Cistercium petens in Claraualle remanserat gemino quodam desperabiliter occupatus incommodo, pleuritidis, scilicet, & febris quotidianæ. Iamque catenus longa vexatione defecerat, vt solùm animæ eius exitum fratres, qui ei numquam deerant, obseruarent. Cùmque animum eius angeret non tam desiderium vitæ præsentis, quam absentium desolatio filiorum, quod peregrè moreretur, obnoxiè petiit, vt ad tumulum Sancti deportaretur Abbatis. Vbi cùm orasset tota deuotione quâ potuit, Beati quoque Episcopi Malachiæ in Aquilonali ipsius Oratorij latere positum cogitauit visitare sepulchrum, auxilium flagitare: sed fatigationem veritus, & quasi iam securus de incolumitate, quod cogitauerat non impleuit. Die altera iterum fratres aduocans, vt ad Oratorium veniat, opem sibi postulat exhiberi. Causantibus illis (periculum siquidem verebantur) omnimodis (inquit) oportet, vt S. Malachiæ tumulum petam. Cùm enim nocte præterita vix tenuiter obdormissem, expergefactus subitò, audiebam vocem dicentem mihi: sanatus iam ab ægritudine tua, si ab altera vis sanari, Episcopum pete. Fecerunt illi, vt ille voluit, & continuò factum est, sicut dictum erat ad illum. Eadem die sanus factus, post paucissimos dies iter arripuit, & incolumis reuersus est ad suos.* Pergit deinde auctor altè perpendere, quam hoc opus Bernardi primum fuerit, qui nihil non commune sibi, & amico; in nullo non deferre hospiti Sancto, nil non vtrique voluit æquè attribui.

Quin & Guillelmo Abbati quondam nigro (S. Albini) tunc albo Monacho, Monasterij Claræuallis, viro Sanctissimo, atque ob id, præ aliis, Bernardo charo, apparere cum vellet; haud tamen solus, sed cum Malachia; atque vterque mitratus illi apparuit, nisi quod hospes sacrificium Missæ offerens, Bernardus Pater assistens, & velut satagens circa omnia, quæ occurrebant, demonstrabatur. Sic enim ab Exordij magni Auctore scriptum lego. b *Factum est in vna dierum, dum Prima cantaretur in choro, & ipse (scilicet Guillelmus) coniunctus psallentibus stabat in ordine suo, vitulos labiorum suorum in voce exultationis Domino reddens; & ecce apparuit ei vigilanti, & psallenti S. Malachias Hybernensis quondam Episcopus, qui in eadem Basilica iacet honorificè tumulatus. Residebat verò in cathedra, iuxta Altare, annulo, baculo, mithra, cæterisque Pontificalibus mirificè decoratus, tanquam Missarum solemnia post finem illius horæ celebraturus. Erat autem tunc anniuersaria dies depositionis eiusdem beatissimi Præsulis, quæ etiam omnium fidelium defunctorum memoria est solemnis. apparuitque cum eo beatus Bernardus eiusdem Ecclesiæ fœlicissimus Pastor, atque Patronus. Qui & ipse erat vestibus* 4. b Lib.3.c.14

vestibus pretiosis, & candidis micans, atque mithratus; minimè tamen infulatus. Et meritò quidem: erat enim Pater-familias in propria domo deferens, atque congratulans, venerando, specialique hospiti suo. Dignoque honore praeueniens amantissimum Patrem, cedebat ei libentissimè solemnia Missarum, ea potissimum die, qua S. ille Pontifex curiam supremam ingressus, & Caelestibus hymnis primo fuerat honoratus. Vnde etiam ipse B. Pater officiosum, atque sedulum circa eumdem Sanctum Episcopum Altaris ministerium exhibuit. Porrò Beatus Antistes baculo pastorali innixus, defixa lumina versus chorum assiduè tenebat. Sanctus verò Bernardus modo Episcopum, modo Conuentum, modo ipsum Altare, tanquam solicitus omnium, omnia respiciebat. Hec visio tam manifesta Dei famulo vigilanti, & corporeis oculis intuenti visibiliter apparuit, quandiu psalmus vnus, in eadem hora, à Conuentu decantaretur. Finito itaque psalmo, finita est visio; sed in corde videntis deinceps finiri non potuit visionis illius pia deuotio. Hactenus ibi. Quae ad hunc annum, & diem quartum supra septuagesimum ab obitu Bernardi nequaquam dubitem fore referenda.

5. His, quae determinatos dies concernunt, reuelationibus, addendae aliae quas Sylua latè commemorat, praecipuè, quae Regulari illi Canonico, cuius supra meminimus, antè, & post Monachalem susceptum habitum diuinitus ostensae, sicut Bernardi gloriam, sic videntis commendant sanctitatem. Huic, cum in suo adhuc Monasterio, pro beato viro orare non desisteret, [c] gloriosus apparuit, Pontificalibus ornamentis indutus, longè fulgentibus; ac recto tramite è terra ad Coelum scandens, ab oculis illius tandem euanuit. Mox cùm se miserum omnino reputaret, qui S. Patris caruisset magisterio, quandiu discere ab eo viuente potuit in Claraualle: [d] iterum ei in figura operarij visus est, qui spicarum manipulis ligatis, collectisque, alios, & alios, in horrea congregabat, vt inde se intelligeret vocari, non minus procurandum à S. Patre, quam si sub ipso in carne conuersus esset. Nec fefellit vocatio respondentem; vix cellam Nouitiorum ingressus erat, cùm Bernardum magistrum laetus agnouit, docentem per frequentia consilia mentem, atque inflammantem cor, seu voluntatem, sed haec inferiùs ex Exordio magno latiùs: & huius generis tot, ac tanta inuenio, vt si omnia venirent referenda, vix eis solis sufficerent Annales. Dabimus tamen aliàs, nec sanè paucas, quas ipsa Historiae series postulabit, eiusdem S. Viri apparitiones.

c Lib.7.c.51.

d Ibid c.55.

6. Interim adnoto, adeo his diebus percelebrem vbique haberi Bernardi gloriam, vt vel post annum elapsum, & menses aliquot, in remotissimis etiam regionibus in prouerbium exierit, quo ipsi sacri Manes vti consueuerint. Extat apud Helmodum Buzouiensem Sancti Pontificis Vicelini mors, quae incidit in duodecimam diem mensis Decembris sequentis anni: pro quo cùm Religiosus quidam anxiè oraret, [e] *Post mortem Pontificis, necdum expletis triginta diebus, audiuit eum in visione dicentem, repositam sibi requiem cum famosissimo illo Bernardo Claraualensi.* Ita, inquam, gloriam suam Sanctus expressit, cum exactiùs voluit; cum minus potuit decipere, seu decipi.

e Lib.1.c.72.

7. Caeterum, quia de Bernardi apparitionibus foelicem eius transitum sequutis sermo incidit, quod paulo infra narrandum nobis erat, hìc consequenter censui subiiciendum. Laurentium loquor Conuersum Claraeuallis virum Sanctissimum, nec semel tantùm nobis commemorandum; in Siciliam à Philippo Priore missum, sede vacante, per mortem S. Patris, priusquam Robertus pro eo substitueretur. Referam autem Exordij magni verbis, quibus non sola visio declaratur; sed reliqua, quae illi, & Claraeualli per illum contigerunt hoc ipso anno. [f] *Post transitum* (ait) *Beati Bernardi contigit, vt idem frater à Domino Philippo, venerabili Claraualle Priore, ad Regem Siciliae Rogerium mitteretur pro negotio eiusdem Ecclesiae. Qui cùm Romam fuisset ingressus, comperto quod idem Rex nuperrimè mortuus fuisset, consternatus est animo, & quid in tali articulo facere deberet, prorsus ignorabat. Et recordatus S. Patris sui Bernardi, sub quo pro diuersis negotiis frequenter missus, prosperè ibat, & redibat: cum gemitu, & lachrymis multis conuersus ad orationem, eumdem Sanctum Dei, inuocabat, dicens.*

f Lib.4 c.33.

8. *Pater mi, Pater mi, [g] currus Israel, & auriga eius, vt quid dereliquisti nos? Heù me Pater Sancte, quid dicam, vel quid faciam ego pauperculus, & misercuIus, ego omni auxilio, & consilio destitutus? Te viuente, & te iubente, securus procedebam ad terras, & ad nationes diuersas: & vbique recipiebar ob gratiam tui; deferens nimirum salutationes, & litteras tuas, quas Reges, & Praesules cum caeteris omnibus, tanquam caelitùs missas benedictiones, suscipiebant: & eulogiis tuis nobiliores quique se nobilitari gaudebant. Nunc autem te defuncto, defuncta est & pariter gratia mea, nec erit iam, qui peregrino, & inopi manum porrigat adiutorij. Et ecce mortuus est Rex, qui te syncero diligebat affectu: surrexitque filius eius pro eo, puer, qui te forsitan ignorat. Quem adhuc tam longè remotum si adire voluero, & repulsam ab eo pati contigerit, inconsolabilis mihi erit dolor post tanti laboris, & longissimi itineris defatigationem, infecto redire negotio; qui te viuente, bonis omnibus in Claramuallem tuam cumulatus redire solebam. Si verò incontinenti reuersus, negotium intempestiuum reliquero; torporis, & insipientiae argui pertimesco. Porrige, precor: auxilium, prabe consilium indigenti, & ne despicias gemitum seruuli miserandi.*

g 4.Reg.13.

9. *Eadem itaque nocte apparuit ei idem Beatissimus Pater, & magnificè consolatus est eum dicens: Quid tibi visum est frater, de Dei misericordia, & mea interuentione diffidere? Quando enim vel sensisti defuisse tibi adminiculum meum in tuis necessitatibus? An fortè impotentiorem me existimas, quando iam introductus sum in potentias Domini, quàm olim fuerim, dum in carne vixi? Vade ergo securus, quia prospera cuncta euenient; & in hoc ipso scies, quia ego te miserim. Hac & alia plurima Sancto loquente, Frater ille, prae nimio pietatis ardore, totus in anima liquescebat; & corde eius immensam parturiente laetitiam, foris quoque deuotionis lachrymae erumpebant. Cùmque euigilasset, madentibus oculis, atque maxillis; etiam puluillum, in quo caput reclinauerat, eodem lachrymarum profluuio vndique perfusum esse cognouit.*

10. *Summo igitur mane iter arripiens, cum de vrbe fuisset egressus, reperit cuneum institorum, mercimonij gratia Siciliam adeuntium. Qui cognoscentes eum esse de Claraualle, mox eum in suo conductu, atque conuictu gratanti animo receperunt; & ei quaeque necessaria gratis quotidie ministrabant. Tandem ingressus ad Regem Siciliae, inuenit gratiam magnam in oculis eius; & non solùm de negotio, pro quo fuerat ad patrem destinatus, prosperum euentum obtinuit; verùm etiam Rex apertis thesauris suis ad aedificationem nouae Basilicae Clarauallis, pro eiusdem Patris sui anima, non modicam summam auri* per

per eumdem fratrem magna deuotione transmisit.

11. *Reuersus itaque Romam prædictus frater, talem nihilominus gratiam ibidem reperit, vt de donariis Cardinalium, aliorúmque Romanorum, plurimam acciperet benedictionem. Ita vt etiam largientibus eis, ex vrbe vsque ad decem bubalos educeret, quos non sine ingenti omnium stupore, Deo se protegente, Sanctique Patris sui meritis patrocinantibus, Claramuallem vsque perduxit. Quis enim satis mirari sufficiat, quod homo debilis, ac veteranus, cum duobus tantùm puerulis, tanta enormitatis, & ferocitatis animantia (quæ & boues multa corpulentia, & fortitudine superant) per tot locorum discrimina, per tanta latronum, prædonumque molimina, tam longo itinere, salua, & incolumia minari potuerit; præsertim cum genus illud animalium citra Alpes (vt asserunt) in toto Occidenti hactenus visum non fuerit? Vix enim, vel vna die malignantium occursus, ac violentias poterat declinare. Quæ tamen omnia, Deo fidelem famulum suum per orationes S. Bernardi tutante, idem frater pertransiuit indemnis.*

12. *Factum est autem, vt transire cogeretur per quoddam municipium, cuius principatum latronum principes obtinebant: quorum manus nullus immunis euadere poterat, nisi qui fortè viribus præualebat. Manè autem rutilante aurora, cum de aliquo prato, in quo cum animalibus pernoctarat, egrederetur, rogabat attentius Dominum, Sanctumque Bernardum, vt ab imminenti periculo erueretur. Et ecce apparuerunt ei in promptu quasi duo viri obuiam venientes, & singulos cereos accensos in manibus ferentes. Qui paulatim appropinquantes, cum iam penè ad ipsum peruenissent, subitò ab oculis suis euanuerunt, multamque fiduciam euadendi Dei famulo contulerunt. Ingressus itaque illum Diaboli nidum, illico sciscitatur, atque ad prædam diripiendam vndique accurritur. Nutu vero Dei superuenientes eadem hora quidam honesti viri, cùm eum Claraualensem esse cognouissent, de manibus irruentium liberauerunt, & cum suis omnibus abire fecerunt. Tandem verò perueniens ad Claramuallem, mirantibus vniuersis noui generis bestias intulit. Quæ multiplicatis fœtibus quotidie propagantur, atque ex eo loco per multas iam prouincias dilatantur. Ipse vero frater ad spiritualia reuersus studia, sacra disciplinæ, quam Sanctus tradiderat Bernardus, seniles humeros tota alacritate supposuit: pia confidentia præsumens, eius se meritis, & precibus ab æternis malis eruendum, sempiternísque bonis perfruiturum, qui ipsum de præsentis itineris tam multiplicibus periculis misericorditer absolutum, ad Claramuallem suam saluum perducere dignatus est.* Hactenus in Exordio magno de hoc euentu, qui proculdubio plurimùm promouit Claræuallis translatæ, viuente Sancto, sed nondum consummatæ, constructionem.

Ex his Exordij verbis obiter corrigas Romüaldum Salernitanum, auctorem aliàs grauem, & eum sequentem Baronium Cardinalem, qui Rogerij Siciliæ Regis obitum anteponunt biennio, quamuis Baronius in dubio rem proponat. Non adeo potuisset latere Rogerij mors, maximè Claræuallenses, quibus tum per Bernardum, tum per filios transmissos, familiaris; vt ea biennio ignorata, mitteretur Laurentius post Sancti obitum. Sed neque Romæ iamdiu decessisse, sed nupertimè mortuum vir Sanctus comperit, vt videas facilè incidisse in hunc annum Regium funus, fortè inter Sanctos Eugenium, atque Bernardum. De successore Rogerij nullum dubium, etenim filius eius Guillelmus fuit. 13.

---

1. Ioannes Episcopus de Bernardi morte nimium dolens. 2. à Petro Cellensi per epistolam reprehenditur. 3. Eiusdem Ioannis pauca, quæ sciuntur, 4. ex epistolis, quas ad eum scriptas legimus. 5. Henrici Eboracensis mors. 6. Mortis occasio. 7. Restitutus Guillelmus, sed non hoc anno, 8. Henrici laudes, & gesta, quæ pauca extant. 9. Canonicus Regularis vocatur ad Claramuallem, 10. instruitur, inflammatúrque à Bernardo Patre. 11. Eiusdem sancta vita, & consummatio.

CAPVT XIV.

1. BERNARDI morte multos desolatos, aut fuisse, aut apparuisse, ipsa eorum tristitia declarabat. Quippe quantumuis translatum ad superna, quem non videbant, amissum deplorabant, sed inter alios beatus ille Ioannes S. Maclouij, siue Aletensis Pontifex, quem supra memoraui, pauperem exulem, ac S. Patris fauorem implorantem ex Claraualle. Hunc, cum se destitutum scripsisset Doctoris almi auxilio, post eius obitum, Petrus Abbas Cellensis reprehendit, miro in sanctum affectu, mira fide; qua suis crederet Christo conregnantem, longè potentius, & libentius affuturum. Extat epistola ad eum super hoc scripta, reuerentiam, fiduciamque præ se ferens; illam, dum Sanctissimum Patrem nostrum Bernardum nominat, congregatione exterum, & vix dum carnis vinculis solutum, neque hactenus adscriptum Sanctorum numero; hanc, dum numquam futurum profitetur, vt ipse Petrus de gratia eius diffidat, siue desperet de illius intercessione. Sed nos epistolam ipsam proferamus.

2. *Domino & Patri charissimo, Ioanni, Episcopo S. Maclouij, frater Petrus Cellensis, indignus Abbas, cum Apostolo in labore, & ærumna.*

Etiam in amaritudinibus nostris congratulatur anima mea: quanto magis in consideratione gloriosæ remunerationis? Reminiscor siquidem, quia iusti in paucis vexati, in multis benè disponentur, & quia reddet Deus mercedem laborum Sanctorum suorum: atque ideo non vana est expectatio, vbi tam certa, tam grata, tam larga speratur remuneratio. Certa propter veritatem promittentis; grata, propter consummationem desideriorum recipientis: larga propter exuberantiam bonorum cælestium in communicatione diuinitatis. Hæc reposita est in sinu nostro, hæc inter vbera commoratur, hac qualibet insipida condiuntur, & gustui nostro commodissimè aptantur. O anima mea dulcedo, quid putatis Dominum non attendere miserias compeditorum suorum? non librare in statera æternorum iudiciorum pœnas filiorum? Nonne, *inquit*, [a] hæc condita sunt apud me, & signata in thesauris meis? *Miror vos scripsisse destitutum patrocinio Sanctissimi Patris nostri Bernardi, cum sancta eius anima nexibus expedita mortalitatis, non charitatis;* a Deut. 32. 34.

ritatis;corruptionis,non afflictionis; necessitatis, non voluntatis,liberius aures nunc appellet pussimi conditoris pro necessitatibus populi sui. Non mihi contingat de gratia ipsius diffidere, de orationibus eius desperare. Nimio vobiscum loquendi teneor desiderio, vix finem facio. Quem enim sine fine diligo, numquam satis ei scribere, numquam satis loqui valeo. Conuentus noster vester est, populus noster populus vester est, anima nostra vestra est. Vtinam videremus vos,antequam transiretis ad montes illos,vbi tot sunt, sicut audiuimus,pericula. Valete. Hactenus Petrus.

3. Cæterùm quia de Sancto hoc Episcopo,ex Cistercio assumptum, cum Iacobo Sirmondo superiùs diximus,quæ pauca ex epistolis Petri Cellensis ad eius acta illustranda licet colligere,hîc etiam nobis paucis perstringenda. Et quidem de intima amicitia cum ipso Petro extant indices plures,nimirum septem:ab epistola quintadecima libri primi,vsque ad vigesimamprimam inclusiuè. *Hæc*(ait, [b] & de charitate loquitur) *interno coagulo suo coniunxit nostros ad inuicem affectus. Hæc inter nos mediatrix, vnico amore dulciter, fortiter; & sapienter animas nostras conglutinauit. Hæc in me vestrum tenaciter amorem effudit, & ad vos non dissimiliter me ipsum totum diffundendo contulit.* Deinde exulem,pauperémque apud eumdem Petrum hospitatum,à quo, & sæpè, & plurimum rogatus, vt rursum redeat;aliæ epistolæ eius manifestant:quæ ita habent. [c] *Episcopos diuites multos habemus; pauperem quærimus,qui non habeat, vbi caput suum reclinet. Adhuc penes nos reclinatorium non aureum, sed luteum,in quo aliquando quieuistis,habemus.*Et alibi. [d] *Ad vnicum itaque, & specialem amicum singulari spe, & vnica rogo accedat vestra sanctitas. Non diffidat suum esse, cuius veraciter affirmat se esse. Nisi autem iusta occasione inuenta, ad nos veneritis satis de integritate amoris nostri diminuetis.* Hæc de paupere,hospitióque à Petro suscepto,& vt rediret rursus inuitato.

b Epist. 17.

c Epist. 19.

d Epist. 17.

4. At de exule à proprio Episcopatu, & siue exauctorato,siue expulso, audi eumdem scribentem in hæc verba, cùm Sanctus Ioannes scribere omisisset,inuento nuntio. *Et Episcopum quidem excusat instantia laborum,sollicitudo Ecclesiarum, compassio afflictorum,reconciliatio dissidentium. Clericum quid vetat scribere? quid impedit amicales litteras componere? &c.* Hunc effectum ex multis aliis nouimus, causam autem nequaquam hactenus inuenimus. Nisi quòd hominem verè acceptum Deo, necesse erat, vt probaret talis tentatio scripsit ad ipsum idem Petrus Cellensis, de aduentu Domini sermones tres, & vnum de natiuitate, quod ipse epistola vltima testatur: sed quos non video insertos eius operibus. Hæc in honorem beati Viri Ioannis,præcedentibus addenda esse putaui, dum plura aliunde hauriunt doctores: à quibus vtinam augeatur,aut etiam emendetur hoc nostrum opus.

5. Eugenium,& Bernardum vita functos, Henricus, Eboracensis Præsul sequutus est, cùm annis septem Eboraci præsedisset, de quibus hæc Guillelmus Neubricensis. [e] *Tres viri memorabiles, & in vita sua amicissimi tempore illo decedentes, in morte quoque breuibus interuallis separati sunt; scilicet Eugenius Papa Romanus, Bernardus Claræuallis Abbas, & Henricus Eboracensis Archiepiscopus. E quibus Eugenio, & Bernardo prius assumptis, Henricus è vestigio sequutus est.* Ast vt initia sui Pontificatus obnoxia litibus;sic & nouissima, Deo ita disponente;quò S. Præsul igne examinatus,defæcatior in Sancta Sanctorum ingrederetur. Nam

e Li.1.c.26.

primò quidem Hugonem clarum sanguine, sed eo moribus longè deteriorem, in Episcopum Dunelmensem promotum, cùm consecrare omnino recusaret, Regem Stephanum denuo sibi infensum expertus est:dein Eugenij, Bernardique decessu, Guillelmum dudum ab Eboracensi sede depositum,repetitorem habuit;quasi vtroque fautore de medio facto; facilè deponendus speraretur. De primo idem, qui suprà,Auctor hæc habet. *Defuncto Guillelmo de S. Barbara, Dunelmensi Episcopo viro religioso, Hugo Eboracensis Ecclesiæ Thesaurarius, propter nobilitatem generis (erat enim propinquus Regis Stephani) ad Pontificatum Dunelmensis Ecclesiæ electus est Venerabili Henrico Eboracensi Archiepiscopo,ad quem Dunelmensis Episcopi spectabat consecratio,plurimùm obtinente, & minus canonicam electi ætatem, & minùs probatam morum grauitatem obtendente. Ascenderunt ergo maiores ex electoribus cum ipso electo ad sedem Apostolicam, pro negotio tam electionis, quàm consecrationis: iam dicto Archiepiscopo pro se responsalem mittente, qui & electioni contrairet,& consecrationem impediret.* Hactenus de primo. Nec minus clarè & expressè de secundo: *Vulgato* (ait)*duorum transitu* (Sanctorum nimirum Eugenij, Bernardique) *tertio adhuc superstite,(nimirum Henrico) Guillelmus olim Eboracensis,qui Vuintonia morabatur, spe recuperationis concepta (nam prior eum deposuerat, secundus, vt deponeretur egerat,tertius deposito successerat) sedem Apostolicam celeriter adiit,iudicium non accusans, misericordiam humiliter postulauit.* Ita de his Guillelmus Neubricensis.

6. At qua ratione, morte Sancti viri pax reddita vtrique,si tamen pax; atque vetis vterque potitus fuerit, pergit Auctor scribere in hunc modum. [f] *Et ecce certus de transitu ex Anglia Eboracensis Episcopi*(Henrici)*nuntius superueniens, verecundissimas eius*(Guillelmi scilicet) *preces multùm adiuuit. Et quidem Dunelmensis electus, qui prior illuc venerat,à Domino Papa solemniter consecratus, illius,qui posterior aduenerat,pendente adhuc fortuna, discessit. Sed tandem prioris iudicij rigore sublato, Apostolicæ mansuetudinis clementiam expertus, miserante eius canos Papa cum Cardinalibus, & satagente circa eius negotium maximè quodam Gregorio magni nominis Cardinali,homine facundissimo, & profundissimæ astutiæ,in integrum restitutus, & pallio, quod nunquam ea tenus impetrare potuerat, insignitus est.* Hic exitus vtriusque litis post mortem Sancti: sed Guillelmo non diu profuturus. Nam vix duobus in Ecclesia restituta peractis mensibus, vt idem Auctor ait, *Febre corripitur, & rapitur ex hac vita:propter inopinatum eius transitum à multis creditus veneno extinctus, &c.* Hæc ille paucis, & historiæ intentior,quàm chronologiæ.

f Vbi supra.

Nam reuera Guillelmi restitutionem nequaquam in hunc annum incidisse, argumento est, quod contigerit, vt idem auctor ait, *circa Albas Paschales*, siue quod ego tantundem valere puto, circa Dominicam in Albis,quæ est Octaua Paschæ Resurrectionis; mortuus est autem post festum Pentecostes. Quare cùm Henricus post Bernardum Patrem decesserit,qui mense,vt dixi,Augusto, adeóque longè post hæc festa conscendit cœlos; consequitur,vt neutrum in hoc anno, sed vtrumque in sequenti gestum sit, sub eodem Pontifice Anastasio,qui ad eius vsque finem perdurauit. Ergo qui Henrico primùm antepositus, mox depositus,cesserat viuenti,eidem tandem mortuo successurus; non statim subrogatus in eius locum; sed 7.

post semestre: nec restitutus, nisi illico auferendus. Laudatur tamen à pluribus auctoribus, & post infulas sustinuisse priuatam vitam satis modestè, nec sine exemplo constantiæ, perhibetur.

8. Sed de Henrico, quandiu Eboracensi Ecclesiæ præfuit, vltra continuas offensas abs Rege discolo, ne dicam tyranno (nam talis ferè Stephanus) & continuos labores pro grege Christi; quod ex antiquis auctoribus collegit, tradidit Nicolaus Arspheldius [g] in hæc verba. *Tradunt Henricum, munere suo præclarè tam in concionando, quam egregia, syncera, & inculpata vita exemplo publicè perfunctum; Quam etiam priuatim duram, & austeram, corpus ieiuniis, ciliciόque premens, transegit.* Hæc ferè omnium discipulorum Bernardi laus, quam inter alios Henricus æmulatus, & consequutus, etiam præ aliquibus. Debet, & illi Ecclesia Eboracensis, quod optatum insignem pietate, & scientia virum, Insularum Orcadum consecrauit Episcopum: & iurata obedientiæ promissione Eboracensi Archiepiscopo subdiderit. Cætera, aut ab auctoribus omissa, aut meam prorsus notitiam effugere.

g Saecul. 11.

9. Eisdem diebus, & crediderim, Claraualle adhuc vacante, & sub Philippi Prioris cura posita, Canonicus ille Regularis (nomen heû! excidit) cuius suprà meminimus, à B. Patre Bernardo vocatus est, sub operarij typo satis soliciti, quod Auctor Exordij magni [h] ita describit. *Post paucos autem dies* (scilicet à glorioso Bernardi obitu) *adparuit ei in visu isdem venerabilis Pater, quasi strenuus operator præcinctus ad laborandum in agro beatissimo* (Cisterciensi) *in quo manipuli triticea messis innumerabiles esse videbantur. Ex quibus multitudinem magnam in aceruum grandem congesserat, reliquis verò, qui supererant (qui etiam multò plures erant) comportandis, & coaceruandis pertinaciter insistebat. Quod cùm vidisset, intellexit illico, congeriem illam manipulorum, figuram tenere multitudinis fratrum, quam isdem egregius prædicator quandiu vixit in carne, Christo Domino aggregarat: adhuc autem restare innumeros, qui eius meritis, & exemplis ad saluationis gratiam essent perducendi. Vnde multùm exultans, séque vnum ex illis fore non desperans, Claramuallem, quantocius potuit, adiit, postulans, & impetrans se ad probationem admitti.* Hactenus de hominis sancti vocatione.

h Lib. 4. c. 7.

10. Ast de instructione, cùm iam Nouitius esset: audi quod sequitur. [i] *Qui cùm adhuc Nouitius ibidem esset, & beati viri memoriam penè incessanter, atque incessabiliter animo volueret; quadam die Dominica, circa finem Vigiliarum, fatigato illo, & modis pluribus afflicto, sopor obrepere cœpit. Et ecce apparuit ei Reuerendissimus Pater, cuius amore ipse flagrabat, dignanter alloquens eum, & monens de dirigenda ad Deum intentione iugiter, cum quotidiana lachrymarum effusione: quod si faceret, diuinam misericordiam, & sui ipsius visitationem securus expectaret. Et cùm ista dixisset, recepit se in tumbam suam, quæ ibidem coram Altari Beatæ Mariæ Virginis Matris posita erat. Quæ videlicet receptio tam euidens fuit, vt frater ille nesciret, vtrum dormitans, aut vigilans hoc vidisset. Cúmque aperuisset oculos, & piissimi Patris admonitionem dulci recordatione pensaret: subitò iterum apparuit illi iam plenè vigilanti; & corporeis oculis obtulit se intuendum. Stabat igitur cominus coram ipso, ita vt manu tangi facilè posset, diligenter eum considerans, & quasi explorans vtrum dormiret, an vigilaret, more videlicet eorum, qui excitant ad vigilias dormientes. Quem cùm Nouitius stupidus, atque attonitus intueretur, protinus ille, qui videbatur, euanuit, & (quod mirum dictu est) visum est illi, quòd quasi sensibiliter præcordiis illius elapsus fuisset. Vnde vehementer accensus in amorem Dei, & eiusdem beatissimi viri, ad susceptionem vitæ Monasticæ in gaudio, & exultatione spirituali de die in diem instruebatur. Denique sequenti nocte, cùm vigiliis fratrum similiter interesset, talem, ac tantam diuinæ visitationis gratiam ibidem expertus est, qualem ac quantam in vita sua numquam antea senserat. Quod totum vtique meritis eius, quem diligebat, se obtinuisse gratulatus est. Cúmque per dies plurimos memoriam abundantiæ suauitatis eius recolendo frequentius eructaret, fundebat vbertim dulces, & pias lachrymas, quibus diu, noctúque satiari non poterat.* Hactenus ibi.

i Ibidem.

Pergit deinde solemnia eiusdem vota, & Monasticum habitum susceptum: sed longè magis Monachi virtutes viro impressas, quę verum redderent discipulum Bernardi, paucis describere. Quæ quia non alibi veniunt referenda (neque enim tempus constat) hîc subiungam. *Transacto autem anno probationis eius, sacrum habitum, cum multa deuotione, suscepit, vestem innocentiæ, quâ non tam foris, quam intus vestitus fuerat, iugi meditatione, perpetuáque solicitudine illibatam seruare contendens. Sícque post vestigia venerandi Patris, quem vnicè diligebat, indefesso studio, pro modulo suo gradiens, & vitam suam in bona perseuerantia consummans, illi confidimus associatum esse in cœlis, cuius in terris positus ardenter consortium desiderauit, & vigilanter exquisiuit.* Hæc de Canonico isto Regulari, in terris anonymo, sed in cœlis parante sibi nomen iuxta nomen magnorum, qui mortem nesciunt. 11.

1. Actum

1. Actum de Bernardi Patris ſucceſſore, præſidente Gaufrido Lingonenſi: 2. & electus Robertus Dunarum Abbas, 3. An renuerit, 4. & quando confirmatus. 5. Robertum Dunis excepit Albero. 6. Serlo abdicata præfectura Sabigniacenſi; 7. Roberto in Clarauallè pernecceſſarius. 8. Emendatus Henriquez in Menologio. 9. Edictum de Haymone Sabigniacenſi ſemel, 10. & iterum: & de beato Petro remiſſiuè. 11. Tertia confirmatio charta charitatis.

CAPVT XV.

1. INSTABAT iam electio Claræuallis: & Bernardo quamuis non omnino dignus (nam quis talis?) aliquis tamen ſucceſſor debebatur. Neque alia Gozeuini Parentis cura, quàm vt ſimilior, qui poſſet, eligeretur.. Rogauerat Doctorem Sanctum, cùm adhuc viueret, quemnam digniorem cenſeret ad tantum opus: & ille quidem Robertum deſignauerat, Dunenſem Abbatem, quem ſciret ſcientia, prudentiáque, & religione in primis commendatiorem. Quin & de cœlo eumdem præoſtenſum, ante ſeptennium, ſuprà, ni fallor, in tempore obſeruauimus. Itaque cùm alia negotia, quæ plurima occurrebant totius Ordinis, Abbatem Sanctum vocarent ad alias plagas: nec Claræualli neceſſarius videretur: eò faciliùs, & promptiùs moderandæ, quò ex Sanctioribus Monachis, atque recentibus Bernardi Patris conſiliis, quaſi manu directis, componebatur: Reuerendiſſimo Gaufrido, olim Priore tum Lingonenſi Epiſcopo, & Claræuallis Patre, ſubrogato, liberam illis dedit electionem; vt ſibi, quem vellent, aſcirent, ex propria linea. Haud planè hærens, ſeu dubius de eligendo: ſed vt eligeretur; & ne Bernardi Patris deſignatio in exemplum producta, in poſterum electionis leges eneruaret. Verùm de his in libro ſepulchrorum eiuſdem domus, fidelis prorſus narratio hæc habet verba.

2. *Hunc virum venerabilem* (ſcilicet Robertum) *Sanctiſſimus Pater noſter Bernardus, ante paucos dies ſuæ fœliciſſimæ migrationis, præſentibus ſuis fratribus, non ſine multa recommendatione perſonæ eius, ſuum eligi monuit, & conſuluit ſucceſſorem. Ipſum ergo poſt tranſitum eius Godefridus Lingonenſis Epiſcopus, quondam Prior Claraualllis, de conſilio electorum in Capitulo Claræuallis Abbatem nominauit.* Hactenus ibi. Rexerat Dunas Robertus quindecim annis, in quibus tamen, vt ibidem legitur, *Totum idem Monaſterium ædificatum, & locupletatum eſt, poſſeſſionibúſque ditatum, & in ea benedictione præuentum, quæ eidem loco vſque hodie perſeuerat.* Sunt, qui aſſerant, [b] Dunenſis diſciplinæ famam in tantum ſub Roberto floruiſſe per totum Belgium, vt ſæculares, Eccleſiaſticique Principes, quò ſe meritis illis aſſociarent, certatim conuenerint, ſeu potiùs, velut ex condicto decertarint, bona ſua Roberto Patri offerre, ex quibus Dos cœnobio illi accreſceret: plura oblaturi, ſi plura ſuſciperentur.

a Apud Henriquez in Faſcicul. tom. 2.

b Rayſe Aprilis 19.

3. De ſucceſſione Roberti in Claraualle, hæc tantùm in Exordio magno [c] ſcripta lego. *Succeſſit beatiſſimo Patri Bernardo in regimine Claræuallenſis Cœnobij Dominus Robertus Abbas Monaſterij de Dunis in Flandria: cuius prælationem, per ſeptem ferè annos antequam ipſa promotio fieret, Dominus reuelare dignatus eſt.* Henriquez, & Arnoldus de Rayſe, [d] virum Sanctum, nequaquam, niſi violenter impulſum, conceſſiſſe, Epiſcopis etiam, & Abbatibus prouolutis ad eius pedes, vt onus prælatiæ nouæ ſuſciperet (ex appendice vt credo, Valcellenſium deſumptum) habent. Porrò appendicis verba Miræus profert, hîc non incongruè à nobis ſubijcienda. *Anno M. C. L I I I. Bernardus ille Claræuallis toto orbe nominatiſſimus Abbas tranſiit ad æterni luminis claritatem. Cuius ſucceſſor factus eſt Dominus Robertus Dunenſis, ab ipſo præelectus, & prænominatus, & à Claræuallenſibus violenter conpulſus; Epiſcopis etiam, & Abbatibus ad pedes eius prouolutis. Tunc domus de Dunis quatuor menſibus abſque paſtore vacabat, donec Dominus Albero, ab ipſo Domino Roberto tranſmiſſus, in regimine ſucceſſit, quod duobus annis tenuit.* Hæc in appendice. At in Exordio magno hæc tantùm ſcripta. *Idem Religioſus Abbas paſtoralem curam tantò humilius exercuit, quantò ſe inferiorem meritis prædeceſſori ſuo iudicauit. Quantò enim eminentiores penſabat illius virtutes, qui præceſſerat; tantò in ſe magis deſpiciebat, quidquid boni facere poterat. Sicque factum eſt, vt cùm magnæ Religionis ſpeciem daret, comparatione tamen melioris, in oculis ſuis propria ſibi vita vileſceret.* Hæc de electione, & ingreſſu viri Dei, vacuam Bernardi ſedem occupaturi.

c Li. 2. c. 21.

d Locis ſupra

Confirmatum coniector menſe Octobri, quod 4.
certus temporis calculus confirmat, quippe extinctus, vt ſuo loco dicemus, tertio Kalendas Maij, anni M. C. L V I I. annos legitur præſediſſe tres cum dimidio. Ex quo fit iniiſſe præfecturam, vigeſima nona die menſis Octobris, plus minúſve, cùm ſedes vltra duos menſes vacaſſet: intra quos Eboracenſis Henricus obiit; & Canonicus ille Regularis ad Claramuallem venit, & ſi quæ alia huiuſmodi euenerunt.

Dunis ſucceſſit Roberto beatus Albero (fœlix 5.
ſæculum, in quo omnes penè beati!) ſanguine, an moribus clarior; neutro inferior, & erat nepos Theodorici Flandrenſis Comitis, de quo Adrianus Butzius [e] hæc habet verba. *Secundus Abbas Dunenſis erat Dominus Albero, nobilis tam virtute, quàm ſanguinis claritate, Theoderici de Elſatia Comitis Flandriæ nepos. Hic receptus fuit in Abbatem anno Domini M. C. L I I I.* Hinc corrigendus error nimis ſupinus Chryſoſtomi Henriquez [f] in Faſciculo, qui Alberonem ſub Eugenio promotum tradit, cùm tamen conſtet Eugenium obiiſſe ante tres menſes. Quin nec ſucceſſio Abbatum aliud patitur. Quippe Bernardo mortuo poſt Eugenium, qui ſucceſſit Bernardi ſucceſſori, non potuit, non poſt Eugenium promoueri. Adde quod in Appendice Valcellenſium, quam idem auctor non multò [g] ante adduxerat, Abbatia Dunenſis vacaſſe dicitur quatuor menſibus poſt Roberti promotionem. *Tunc* (ait) *domus Dunenſis quatuor menſibus abſque paſtore vacabat, donec Dominus Albero, ab ipſo Domino Roberto tranſmiſſus, in regimine ſucceſſit.* Quibus clarè videas non ſolùm non ſub Eugenio Papa ſucceſſiſſe Alberonem, ſed neque hoc anno. Videas etiam eumdem illuſtrem virum, Claræ-

e In Chron. Dunenſ.

f Lib. 1. diſt. 5. c. 9.

g Diſt. 5. c. 1.

vallensem; non Dunensem Monachum, quippe à S. Roberto illinc transmissum: vnde & post biennium abdicata præfectura, quod dicemus in tempore, non Dunis mansit, sed rediit ad Claráuallem.

6. Hoc ipso anno, quo Robertus Bernardo substitutus, venerabilis Serlo Sauigniacensis, qui se, & domum suam, imò & totam Sauigniacensem congregationem, ante sexennium subdiderat Cistercio, sub B. Patris Bernardi, & successorum eius correctione; quod, ipso Sancto viuente, non impetrauerat, post mortem saltem eius executus, Sauigniacum, præfecturámque deseruit, priuatam vitam acturus in Claraualle. In libro sepulchrorum Claræuallis hæc scripta lego, de hac abdicatione. *Serlo vir Deo Dignus, qui Sauigniacum cum triginta Abbatiis in generali Capitulo Cistercij, præsente beatissimo Papa nostro Eugenio Tertio, per manum Sancti Bernardi Ordini nostro sociauit, & Claræuallensi Cœnobio submisit, & contulit: cùm nomen, & officium post aliquot annos deposuisset Abbatis, eodem anno, quo Sanctus Bernardus ab hac vita migrauit, & Dominus Robertus ei fœliciter, Domino disponente, successit, eidem sese indiuiduum comitem (priuatam vitam agens in Claraualle) & in omnibus officiosum se exhibuit.*

7. Cæterùm, quæ officia illi præstiterit, & qualiter velut alteri Moysi pro Aarone, quandiu vterque vixit, habitus sit, vt quæ Robertus ab eo immediatiùs hauserat, Serlo ad fratres dissereret, idem, qui suprà, liber ita prosequitur. *In opere Sanctæ prædicationis ad ædificationem fratrum, toto tempore, quo præfuit, ad eius imperium iugiter laborauit. Id enim officium eidem imponebat; quem adhuc ipsum promptissimum fecerat exercitatio diuturna, & benignitas gratiosa* Quis Serloni successerit in regimine Ecclesiæ Sauigniacensis, nobis ignotum: certum inter Sanctissimos viros, quos tunc habuit, facile idoneum ministrum substituendum.

8. Henriquez,[h] qua promptitudine ad credendum ingenij pollet, sequutus Montaluum, Albericum successisse Serloni docet, de quo Sanctus Bernardus ad Falconem electum Lugdunensem.[i] *Filius noster Albericus, etsi suis meritis commendabilior, nostris tamen precibus, vobis vt commendatior sit, obsecramus. Tenerè quippe diligo eum, tanquam mater vnicum filium, & diliget eum, qui diligit me. Denique in eo experiar, si me curatis: quò enim longè à me positus est, eò magis necessariam habet paternam vestram consolationem.* Verùm, si Serlo præfecturam abdicauit post Bernardi decessum, quantumuis Albericus suffectus esset, non tamen Abbas ille, de quo Sanctus; aut si ille, alterius domus, non Sauigniaci. Certè Albericus ille tam longè abfuit, à Sauigniacensi præfectura, vt potiùs Monasterium, cui præerat (Benedictionis Dei Lugdunensis, quod constat ex epistola) acriter tunc à Sauigniacensibus infestaretur. *Hoc* (ait Sanctus) *præcipuè obsecramus, vt Sauigniacenses Monachos prohibeatis ab infestatione eorum, qui calumniantur eos iniustè, vt putamus.* Mirum ex verbis his potuisse colligi, Albericum præfuisse Sauigniacensibus. Sed neque video inter Sanctos memorari, qui domum illam insignem illustrauere, cum tamen sanctus asseratur ab his Auctoribus.

9. Reliquit Sauigniaci Serlo viros Sanctissimos, Haimonem, & Petrum quorum superiùs fecimus mentionem. Et quidem de Haimone multa, & mira, è quibus hîc, quia sub Serlone facta leguntur, illustrem quandam visionem memorabo, quam primus ex Actis eius Henricus, Gran[k] dein Seguinus,[l] & alij transcripsere. *Legitur, quod in Monasterio Sauigniacensi, sub venerabili Patre eiusdem Monasterij Serlone contigit, quod relatu dignum credimus. Nam die quadam, cùm frater quidam* (Haimo) *diuino fungeretur officio, veniens ad illa verba:* Supplices te rogamus, omnipotens Deus, iube hæc perferri, *&c. inclinans se iuxta morem, & supplicans; vidit Angelicos ciues in circuitu Altaris, hilares, & iucundos, & stolis miræ pulchritudinis indutos, inter quos vnus supereminens apparebat statura sublimior, & forma venustior, qui & præ cæteris solus de Altari sacram Hostiam accipiebat, solus sursum deferebat, & solus diuinis conspectibus præsentabat. Cæteri verò, qui adstabant, in tantum illi Angelo congratulabantur, ac si quisque Hostiam acciperet, si deferret, si præsentaret. Reflexis oculis Sacerdos ad Altare deposita reperit; reperta sumpsit sanctificantia se, & sanctificata; & sic plenus gaudio agenda impleuit.* Hactenus Magnum speculum exemplorum, ex Actis Sancti: quæ eadem Seguinus, & ex ipso Henriquez[m] adnotarunt.

10. Addit vterque[n] illustrem aliam eidem Sancto factam, in eodem sacrificio Missæ, quod deuotissimè quotidie celebrabat, consolationem, quæ ita habet. *In tremendis Missæ sacrificiis, cùm hac aliquando proferret verba:* Qui pridiè quam pateretur; *respiciens sursum, vidit cœlos apertos, & Iesum stantem, facie ad Orientem conuersa, & inclinato capite, blandè eum per pietatis spiritum visitantem; & cor, & conscientiam suam, vnctione misericordiæ suæ, lætificantem exultatione inenarrabili; & inæstimabili dulcedine, sua viscera animæ medullitus adimplentem. Et spiritus loquebatur in eo, qui dicebat: Quia hic est filius Dei; & tibi sic, ob tuæ consolationis gratiam, apparere dignatus est. Qui dum tanta gratia vbertate frueretur, luminis immensitate perfunderetur, dulcedinis suauitate reficeretur, insensibilis animo factus, exiit carnem, carnis nō relinquendo habitaculum, sed carnis nullum sentiens adminiculum. Nihil terrenum intuebatur; nihil corporeum; præsentiam vllius personæ non sentiebat, Calicem, vel altare, quibus assistebat, non videbat. Solus cum suo iucundabatur; homo Deum, sed in homine, contemplabatur, sacerdos cum sacerdote epulabatur. Celebrato denique tam amica congratulationis gaudio, rediit ad se, qui fuerat extra se, semper tamen manens in se.* Hæc de S. Haimone, quia nullum alium propriorem locum habent, hîc recensenda censui. Nam reliquas virtutes, & dona viri, anno M.C.LXXIV. quo obiisse constat, enarrabo: si tamen prius de Petro aliqua dicam, ante Haimonem biennio coronando. Hæc occasione abdicatæ à Serlone præfecturæ Sauigniacensis: sed iam nos alia vocant præsentis anni.

11. Per idem tempus, petente Gozeuino, cui de rebus Cistercij præcipua cura, Anastasius Pontifex[o] confirmationem chartæ charitatis, & alia priuilegia ab Eugenio indulta, corroborauit. *Excepto* (ait compilator Priuilegiorum) *quod in fine circa celebrationem diuinorum officiorum, tempore interdicti sic dicit. Sancientes etiam, vt propter communia interdicta terrarum, nulla Ecclesiarum vestrarum à Diuinis compellatur officiis abstinere. Interdicimus item, ne aliqua omnino persona fratres Ordinis vestri audeat ad sæcularia iudicia prouocare, sed si quisquam sibi, aduersùs eos, aliquid crediderit de iure competere: sub Ecclesiastici iudicis examine expetendi habeat facultatem. Decernimus ergo, vt nulli omnino liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel præscriptas institutiones vestras, ausu*

h In Menol. Iuly 11.
i Epist. 173.
k Tom. 1 dist. ex 88.
l Li. 3. c. 67.
m April. 30.
n Eisdem locis.
o Tom. 1. priuileg.

ausu temerario, violare. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem ommipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. Et post nomina ipsius summi Pontificis, & quatuordecim Dominorum Cardinalium signantium, & approbantium, ponitur sic. Datum Laterani per manum Rollandi S. R. E. Presbyteri Cardinalis, & Cancellarij, quinto Idus Decembris, Indictione secunda, Incarnationis Dominicæ anno M. C. L I I I. Pontificatus verò Domini Anastasij Papæ IV. anno primo.

---

1. Chronologia surgentium Monasteriorum. 2. Montis-Rami illustres Fundatores, 3. donatio loci, 4. & conditiones donationis, 5. tempus, & locus, ac subscriptiones Principum, 6. incrementa Cœnobij Sancti Martini. 7. Donatione firmata Imperatoris, 8. vt Montis-Rami Cœnobio subiiceretur. 9. Imò & alia incrementa singularia. 10. Ab Alexandro tertio designata. 11. Demum varia notitiæ eiusdem domus.

CAPUT XVI.

1. SEQUUNTUR fundationes Monasteriorum, in quibus duæ Hispanæ, vtraque insignis, sed altera excellens; septem aliæ ad diuersas prouincias pertinent. Eas Chronologia recenset sequenti ordine.

Anno M. C. L I I I. tertio Kalendas Aprilis, fundata est Abbatia Montis-Rami, in Gallecia.

Eodem anno Idus Augusti Abbatia de Petrosa.

Eodem anno VII. Idus Septembris Abbatia de Castellione.

Eodem Anno VI. Idus Septembris, Abbatia de Moris.

Eodem anno, Abbatia de Gurlande, siue Giitlande.

Eodem anno Abbatia de Tiloteya.

Eodem anno III. Idus Februarij, Abbatia de Esron, Pragensis.

Eodem anno Abbatia Populeti in Hispania.

Eodem anno Abbatia de Viridi ligno. Hactenus recensitæ fundationes.

2. Montem-Rami antiquius Monasterium à Comite Raimundo, Imperatoris Alfonsi quondam Patre fundatum Monachis Sancti Benedicti Athanasius Lobera,[a] Regius Chronographus atque eiusdem domus alumnus, adseuerat. Indéque appellatum Rami-Montem, quasi Montem Ramonis: qui Raimundus Hispanè Ramon dicitur. Cæterùm aliam domus fundatricem instrumenta conuincunt, inferiorem ætate, non claritudine. Tarasia ea Imperatoris filia, Henrici Portugalliæ Comitis coniux, Alfonsi Regis mater, dein Ferdinando Galleciæ Comiti nupta, de qua in priori tomo plurimus sermo. Hæc locum dedit longum, latúmque Arnoldo, & sociis, in quo non vnam construerent Abbatiam, sed Prioratus plures; omnes vni maiori parituros. Porrò hunc in Riuoira sacrata posuit, ad leucam dissitum ab ea parte loci, in qua nunc Monasterium fundatum est; sub ea tamen expressa conditione, vt ad quamcumque aliam commodiorem transferri posset. Extat, & legitur instrumentum donationis ex quo hæc omnia constant; simulque secundæ nuptiæ Tarasiæ Fundatricis, quod in hunc locum remissum in superioribus, ad litteram est nobis transcribendum.

[a] In vita S. Athilani.

3. *IN nomine Sanctæ, & Indiuiduæ Trinitatis Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen. Oportet nos, qui plus cæteris videmur possidere in hoc mundo, misericordiæ operam dare, videlicet pauperes recreare: Monasteria ædificare: loca pauperum Iesu Christi, & Ecclesias construere. Sanctorum necessitatibus communicare. Quapropter Ego Teresia bonæ memoriæ Alphonsi magni Hispaniarum filia Regis, Magni Comitis Henrici quondam vxor, nunc verò Comitis Ferdinandi coniux, Dei gratia Portugallis Regina à mari Occeano, vsque ad riuulum Hipaliosum, qui currit inter Tybres, & Geurres, facinorum meorum memor, & vt mei memoria in congregatione Fidelium perenniter perseueret, pro salute animæ meæ, & Parentum meorum præcedentium, dono Deo omnipotenti, & tibi Arnoldo seruo eius, & sociis tuis & seruientibus, tam præsentibus, quàm futuris locum qui dicitur Riuoira sacrata, qui est in monte de Ramo, territorio* das Dolas; *termini verò loci illius sunt per Humanum vsque ad Colebrenum maiorem. Deinde per cubitos de Folgoso, & per collem, qui est inter Folgosum, & Humanum: posteà per Carreiram maiorem, quæ ducit ad Nugariam, & clauditur per Humanum.*

4. *Tali verò tenore do tibi iam dicto Arnoldo Dei serua, & sociis, ac successoribus tuis suprà memoratum locum Riuoira sacrata, vt nulla Ecclesiastica, sæcularisve persona præsumat à vobis censum vllum exigere, aut forum, vel homicidium vel rausum si intra terminos supradictos ab aliqilo fuerit factum; sed vobis exoluat quicquid ad ius pertinet Regium. Nullus denique Præpositorum loci illius præsumat iam dictum locum de Riuoira sacrata vlli Episcoporum, seu Abbatum, aut Ecclesiæ, vel Monasterio subiugare, vel donare. Sed si in prædicto Monte de Ramon, siue territorio Caldellas, seu Limiæ melior inuentus fuerit locus à vobis, siue à successoribus vestris ad habitandum, qui melior fuerit, ipse sit caput, & cætera inferiora loca membra sint, capitíque honestiori obediant. Si quis autem vir, aut fœmina mei generis, aut alterius germinis, hanc meæ eleemosinæ chartam irrumpere aut ancillare tentauerit, sit anathema Maranatha: & à matre Ecclesia separatus, & cum Iuda Domini traditore, &c.*

5. *Hanc chartam fieri iussi, & vnà cum viro meo Comite Ferdinando Perez & cum Filio meo Alfonso Henriquez propria manu roboraui. Facta charta donationis XII. Kalendas. Septembris Æra M.C. LXII. Regnante Regina Domina Teresia in Portugalia, & Limia vsque ad Riuulum Hipaliosum; soror eius Regina Domina Vrraca in Castella, & Legione, Gallecia, Asturiis, & Estrematura.*

Pelagius Dei gratia Bracharensis Archiepiscopus, Capellanus, & Cancellarius Reginæ confirmat.

Alus Asturiacensis Episcopus confirmat.

Didacus Auriensis Episc. confir.

Alfonsus Tudensis Episcopus confirmat.

Pelagius Suarez, Dapifer curiæ conf.

Sanctius Nuñez confirmat.

Ermigius Benegas, Signifer, confir.

Pelagius Muñez confirmat.
Sueda Menendi confirmat.
Gomez Menendi confirmat.
Sanctius Gundisaluiz confirmat.
Menandus Velazquez confirmat.
Petrus Bidularis confirmat.
Garcia Velazquez confirmat.
Archidiaconus Goter in Camba super Caldelas confirmat.

Petrus qui notauit, vicibus vtens Cancellarij confirmat. Datum Allariz. Hactenus fundationis instrumentum, ex quo non solum fundatrix, & eius, vt promiseramus, secundæ nuptiæ, sed filij etiam scientia, patientiaque de Vitrico post patrem, superinducto, liquidò constant. Quippe præbentis consensum donationi ab vtroque firmatæ, cum contracti coniugij expressione.

6. Eodē, quo Regina Teresia anno, Montem-Rami donauit Arnoldo, & sociis, Ferdinandus vir eius impetrauerat ab Alfonso Hispaniarum Imperatore, vt Monasterio Sancti Martini de Pineira (incertum cuius Ordinis) multas & amplas donaret possessiones. Non vt nulli subesset, sicut Teresia in Riuoira sacrata cauerat, sed vt cui vellet alteri se dederet, quatenus accessione tanti Cœnobij, instantem fundationem vxoris amplificaret. Extant litteræ Alfonsi Imperatoris, Comitis Ferdinandi notantes preces, & precum finem, haud obscurè manifestantes, quæ ita habent.

7. *IN nomine Patris, & Filij & Spiritus Sancti. Amen. Tanto in eleemosinis; & aliis bonis pro salute sua faciendis quisque promptior debet esse, quanto plura à Domino videtur beneficia suscepisse. Quod ego Alfonsus Hispaniarum Dei gratia Imperator, intelligens, & intelligendo complere satagens, pro mea, Parentúmque meorum, remissione peccatorum, atque animæ salute, Comitisque Domini Ferdinandi petitione; dono Deo omnipotenti, & tibi Pelagio Bermudi Presbytero Dei seruo, & Fratribus tam præsentibus, quàm successoribus tuis, loca quadam super flumen Sile, ad Deo seruiendum, videlicet Pineira medietatem de toto transmonte, & Lupiam ab integro, & totam ipsam fragam cum olineto vsque in illum terminum vbi intrat Lor in Sile, quantum ad Regiam pertinet dignitatem: dono, & concedo ipsas villas integras, cum omnibus illarum appendicibus, cum redditibus, montibus, pascuis, aquis, piscariis, molendinis, cassus casarum, arbores fructuosas, & infructuosas, petras mobiles, cum suis locis, & terminis antiquis, prout inueniri, & inuestigari potuerint.*

8. *Quoniam autem, sicut iam dictus Comes Ferdinandus mihi notificauit, & suggessit, supradictus locus de Pineira, arctus, & breuis est, ad multorum cohabitationem; tribuo tibi, & fratribus tuis, tam præsentibus, quàm subsequentibus facultatem, liberamque potestatem, cuicumque Monasterio sanctæ Ecclesiæ mea ditionis vos conferre, & mancipare, cum omnibus, qua sursum nominata sunt, & aliis, qua acquirere, & habere poteritis, ipsique Monasterio cui vos, vel vestra contuleritis iure hæreditario concedo habenda, & possidenda, quatenus ea liberè, & quietè habeatis, omnium hominum inquietate semota, in perpetuum: & in eis quidquid voluerit Abbas, vel Prior illius Monasterij, ad vtilitatem sua Ecclesiæ cum fratribus suis faciat. Canto etiam loca supra scripta Pineira, Olsuetum, trans montem, quomodo diuiduntur in illa plana, & cum ambas mestas per riuulum ferruginetum, per aquam Sile, quomodo diuidit cum Lagares, & ibi inchoauimus cum illa plana. Siquis autem vir, aut fœmina, &c. Facta charta Idibus Ianuarij. Æra M. C. LXII. Regnante Imperatore Domino Alfonso, eo tempore Toleto, Legione, Zaragoca, Nagara, Castella, Gallecia, & Asturiis.*

Ego ALFONSVS *Imperator hanc chartam, quam fieri iussi, confirmo, & manu mea roboro, & omni tempore firmam esse commendo.*
Ioannes Legionensis Episcopus confir.
Ioannes Lucensis Episcopus confirmat.
Petrus Asturicensis Episcopus confir.
Comes Fernandus de Gallecia, huius eleemosyna petitor confir.
Martinus Auriensis Episcopus confir.
Comes Pontius Dapifer Curia Imp. confirm.
Comes Ramirus confirmat.
Pontius de Minerua signifer confirm.
Menendus Abbas confirmat.
Aluarus Roderici confirm.
Petrus nutu Geraldi scripsit, iussu Imperatoris, per manum Magistri Hugonis, eius Cancellarij.

Vix Teresia Monasterium suum fundauerat, cum Presbyter Pelagius, sociique morem gerentes Comiti, sese, & Monasterium Sancti Martini, Præposito Arnoldo, & Riuoræ sacratæ, tradiderunt: haud dubium quin amplexati Sanctam Regulam, vt cuncti eosdem ritus, atque eadem instituta profiterentur. Cesseritne Abbatiali dignitati, statim ab vnione nomen Præpositi, an sustinuerit loci translationem; non satis liquet: sicut neque annus, quo translatæ sedes, aut quo Guillelmus Arnoldo substitutus; certum intra viginti annos mutata omnia, prodente id priuilegio Imperatoris, anno M. C. X L I V. sub hoc initio. *Alfonsus, &c. cum consensu vxoris mea Berengaria, dono Deo, & Ecclesia Sancti Ioannis Montis-Rami, & eiusdem loci Abbati Pelagio, caterisque fratribus ibidem sub regula S. Benedicti, Deo famulantibus, præsentibus, & futuris, &c. Facta charta Legione secundo Kalend. Iulij Æra M. C. LXXXII.* Mansit Cœnobium sub habitu nigrorum vsque ad hunc annum: fallitur Yepius decennio rem anteponens, quod ex ordine Ecclesiarum Claræuallis, vel ipsa Chronologia tacente, facilè constat: quippe Mons-Rami inter Moroliam, & Petrosam, quarum illa præcedentem annum sacrauit, hæc præsentem. Quid quod vnà cum habitu aduocatio domus mutata, quod Yepius confitetur; & subrogata Ioanni, Maria Virgo? & tamen constat ex prædicto priuilegio, quod ipse item adducit, Ecclesiam Ioanni addictam, post illum annum. 9.

Ergo hoc anno M. C. L I I I. procurante, vt putatur, Imperatore in Cisterciensia iura, & Virginis tutelam transiere; accitis Monachis de Bernardi filiis, atque ab ipso educatis in Claraualle, per quos noui instituti mores edocerentur. Quis primus Abbas sub Cistercio fuerit, in dubio est; nam quod Arnoldum Cisterciensem aliqui putant, Guillelmum alij, ex Chronologiæ errore desumptum video. Quicumque fuerit, in immensum adduxit domum, adeo vt ab Alexandro summo Pontifice, intra decennium, sexdecim illi Grangiæ, ex quibus olim multæ, Prioratus confirmarentur. Sanctius, tertius, an quartus, Abbas fuit, qui diploma impetrauit, cuius hæc verba. *Alexander Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filiis Sanctio Abbati S. Maria Montis-Rami, eiusque fratribus, tam præsentibus, quam futuris, &c.* Sequuntur clausulæ de protectione Apostolica; de obseruatione Cisterciensis Ordinis, de confirmatione possessionum, & statim subditur. *In quibus hac propriis duximus exprimenda* 10.

menda vocabulis: locum ipsum de Monte-Ramorum, in quo Abbatia sita est, cum omnibus pertinentiis suis. Grangiam S. Cypriani de Peña, cum omnibus pertinentiis suis. Grangiam Sancti Adriani, cum omnibus pertinentiis suis. Grangiam Sancti Michaëlis, cum omnibus pertinentiis suis. Grangiam de Sancta Martha, cũ omnibus pertinẽtiis suis. Grangiam de Pineira cum omnibus pertinentiis suis, Grangiam de Salcedo cum omnibus pertinentiis suis. Grangiam de Pratis Humanis. Grangiam Sancti Ioannis veteris, cum omnibus pertinentiis suis. Grangiam de Pratu-Cœlis, cum omnibus pertinentiis suis. Grangiam de Pelagionis, cum omnibus pertinentiis suis. Grangiam de Cerdera cum omnibus pertinentiis suis. Grangiam de Lanza, cum omnibus pertinentiis suis. Grangiam de Baronala, cum omnibus pertinentiis suis. Grangiam de Sancta Columba, cum omnibus pertinentiis suis. Grangiam de Sancto Ioanne de Cota, qua sita est in terra de Lemos, cum omnibus pertinentiis suis. Grangiam de Coba de Ruaco, cum omnibus pertinentiis suis. Hæc incrementa insignis Monasterij, quod hodie etiam prædiues perseuerat.

Iacet Mons-Rami in Diœcesi Auriensi, sexto lapide ab vrbe Episcopali. Porrò inter possessiones confirmatas ab Alexandro, Grangia Sancti Adriani recensetur; Monasterium antiquum ad ripas Sili, à multis annis conditum, vt habet inscriptio lapidea, ad ostia domus perseuerans vsque ad hanc diem. *Deo iubente instauratum est templum hoc, ob honorem Sanctorum Adriani, & Natalia: seruus Dei Froila Abbas ædificauit cuncta Cœnobij loca. Æra. D.CCCC. & XIII.* Hactenus inscriptio, ex qua planè videas, quantæ antiquitatis Ecclesia fuerit, quæ ante ducentos octoginta annos, iam ab olim destructa, restaurabatur. Porrò de sanctitate habitatorum alius est lapis notitiam præseferens: quamuis ob frustum eius fractum, detractúmque & multa corrosa; materia potiùs velut in communi elici possit, quam singulares personæ, aut alicuius gesta commemorari: atque hæc initia primæ fundationis (quæ in Hispania) reliquas dabimus capite sequenti. Sed Populetum seorsim præ magnitudine, & maiori notitia demus. 11.

---

1. Monasterij Petrosæ parua notitia. 2. Morarum maior, eiusdem donatores. 3. Epistola Sansonis Rhemensis ad Bernardum parentem super hoc ipso. 4. Primus Abbas, & eius sanctitas. 5. Sanctæ Belinæ Virginis historia, atque aliæ notitiæ eiusdem domus. 6. tres aliæ breuiter. 7. De Esrom Pragensi aliqua. 8. Demum de Viridi ligno, domo Hyberniæ.

CAPVT XVII.

1. QVo anno Claræuallis Montem-Rami; eodem etiam Petrosam, & de Moris, vtramque in Gallia; alteram in Petragoricensi Diœcesi genuit, alteram intra propriam Lingonensem. Petrosam Cisterciensis Ordinis domum ducentis taxant Florenis libri Cameræ. Claudius Robertus Petrolam potius nominat, sed nullam maiorem lucem loco præfert; nec nos aliam potuimus inuenire.

2. Notius Monasterium de Moris, siue Morarum, vltima, vt creditur, proles Bernardi Patris, non longè transmissa, in locum Lingonensis Episcopatus, quem Abbas, Canonicíque Sancti Dionysij, Sansoni Rhemensi; Sanson Pontifex Bernardo Parenti dedit. Moras appellant instrumenta donationis, atque Robertus Claudius [a], Reliqui omnes de Moris, quasi inflexa nominis pluralis declinatione. Proximum Claræualli locum, vltra Diœcesim, contestantur Exordium, & Godefridus; ille hoc anno adductus, hic in hoc capite statim adducendus. Demum quod possessionem Monasterij Sancti Dionysij rogatus à Bernardo, Sanson Rhemensis rogans impetrauerit, construendo Monasterio, quod Monachi Claræuallis inhabitarent, probant litteræ eiusdem Archiepiscopi ad Bernardum scriptæ, quæ ita habent.

[a] In sua Gallia.

3. *Sanson Dei gratia Rhemorum Archiepiscopus, charissimo, ac precordiali amico suo Bernardo, Claraualensis Monasterij Venerabili Abbati, salutem, & in Sancta Religionis proposito beatam perseuerantiam.*

Sanctitatis vestræ petitionibus debita solicitudine annuentes, apud Abbatem, & Canonicos beati Dionysij multum, diùque laborauimus, vt Ecclesiam, quæ est apud Moras nobis donarent, cum omnibus appenditiis suis; ad faciendam ibidem Abbatiam Ordinis Claraualensis; quod quidem vix impetrare potuimus. Cæterum Domino propitiante, tandem ipsam Ecclesiam cum omnibus appenditiis suis, nobis donauerunt; ea conditione videlicet, vt ibidem Abbatia Claraualensis Ordinis fieret. Nos itaque Ecclesiam illam, cum omnibus appenditiis, vobis, & sanctæ congregationi Claraualensi concedimus, & donamus: ita videlicet, vt ibidem Abbatiam Claraualensis Ordinis, absque longioris moræ obstaculo, faciatis. Valeat sanctitas vestra in Domino, & pro nobis, & pro Ecclesiis nobis commissis, iugiter Dominum exoret.

4. Accepto loco, Bernardus Conuentum misit, cui præfecit Abbatem B. Medardum, illum nimirum, cui sacram Christi effigiem Bernardum amplexantem per visum an reapse, conspectam, diximus. Porro vir Dei Sancto familiaris, sanctus & ipse, plures aliæ visiones videre meruit, præcipuè de dilecto sibi parente, è quibus vnam, quia non aliud tempus nouimus, à Godefrido scriptam transcribamus. [b] *Abbas Medardus* (Gerardum alij scribunt) *de Moris (quod est Monasterium proximum Claraualli) testatus est nobis, vidisse se eum aliquando psallentium fratrum circuire choros, & sicut frequenter agebat, excitare torpentes ita vt affectuosius, & virilius psalleretur, quod reliquum fuit vigiliarum. Cúmque die sequenti apud Deum familiariter causaretur, tardiùs illum, quàm oportuerat, visitasse psallentes. Ego, ait, nocturnis horis corporeo occupabar incommodo: sed quò non potuit corpus, spiritus venit. Expauit ille audiens non fuisse in corpore, quem tandiu ipse corporeo spectasset obtutu circumeuntem vtrumque chorum, & vt consueuerat singulis manum imponentem.* Hæc Godefridus, ex quibus facilè liceat computare, non solum de Bernardo sed de Medardo, quanti apud Deum vterque meriti

[b] Lib. 3. vita S. Bern. c. 1.

riti fuerit. Memoratur Medardus in Menologio ad diem octauam Iunij inter Abbates sanctitate illustres illius æui. Nec nos hoc ipsum in tempus mortis deferimus, quia quo anno obierit ignoramus.

5. Inter alia, quæ illustrare dicuntur Moras inuenio caput Virginis, & ob virginitatem tuendam, Martyris, beatæ Belinæ, de qua hæc habet Nicolaus Camuzatius describens Moras. *In hoc Moriensi Cœnobio asseruatur religiosè caput S. Belinæ Virginis, quod ei amputatum fuisse dicitur à Domino Landreuille (qui vicus est circa mille passus distans à Moris) quod Virgo stuprum pati noluerit ab hoc impuro homine, cognomento de Dracey pudicitia sæpè frustra tentata.* Hactenus de notitiis huius Cœnobij, quod video ducentis florenis taxatum in libris Cameræ. Memorantur Moræ in litteris Innocentij Papæ III. ad Episcopum, & Decanum Sancti Stephani Trecensis, Datis Reati XIV. Kalend. Februarij, Pontificatus ipsius anno X.

6. Sequuntur domus aliæ minus notæ: de Castellione nihil aliud nobis occurrit vltra notata tomo præcedenti. Gutland in cunctis Genesibus inuenio de linea Claræuallis, incerta matre. Sed neque Diœcesi, aut prouincia designatis, in qua etiam Titelciam ponit Henriquez nulla maiori, aut clariori notitia domus.

c Ann. 1131. c.1.n.vlt.

d In fascic. dist.42.lib.2.

7. Notitiæ Esfron in Diœcesi Pragensi, Metropoli Bohemiæ, diuersa ab ea, quam supra memoranimus: Extant ad Abbatem illius litteræ aureæ Gregorij Papæ IX. Datis Laterani VI. Nonas Octobris, Pontificatus ipsius anno IX. Titulus autem litterarum talis est. *De Pomuch, & de Esfron Abbatibus Cisterciensis Ordinis.* In libris Cameræ notatum locum video in Diœcesi Pragensi, sed sub hoc titulo. *Sancta Maria Montis Sion, alias Esfron, Ordinis Præmonstratensis, florenis centum.* An per errorem Ordo mutatus sit, quod non semel contingit, an aliud sit Cœnobium, quis diffiniat? Populetum seorsim dicendum nobis, perillustris Ecclesia, & quam vix alia adæquet in Hispania; siue ædificia, opulentiámque mireris, seu sanctitatem.

Vltimum locum tenet Viride lignum; Diœcesis Erfordensis in Hybernia quod Mellifons, hoc anno, propagauit si Chronologiæ credimus, & tabulis Ecclesiarum Claræuallensium. Quamuis ab aliis integro quinquennio, ab aliis etiam nouennio anteponatur, quod suprà vidimus; certè Vvaræus Monasterium Viridis Ligni idem cum Neboracensi esse existimat; & anno M.C.XLIV. fundatum tradit. Ab Henrico VIII. in Ecclesiam Collegiatam primum, mox Nicolao Bagnall militi, Hyberniæ Mariscallo concedendum. Verba eius superiùs à nobis tradita; nec quidquam aliud habemus, quod addamus. Sed iam ad Populetum. 8.

1. *Situs, & etymon Monasterij Populetani*, 2. *& Auctorum varietas*, 3. *ad concordantiam reducta*, 4. *per instrumenta.* 5. *Cælestia signa auspicantia fundationem.* 6. *Quid in ea Bernardus?* 7. *& quanta sanctitas Raymundi Fundatoris*, 8. *sepulchra Regum*; 9. *opulentia domus*; 10. *atque eius incrementa in spiritualibus.*

CAPVT XVIII.

1. POPVLETVM ad radices Montis Pradensis vulgo de Prades Tarraconensis Diœcesis in Catalonia, Raymundus Berengarius fundauit illustris Princeps, qui Regnum Aragonum dotali titulo, cum Petronilla coniuge; Comitatum Barchinonensem, hæreditario iure possidebat. Nomen loci, ab arborum frequentia, quas Populos appellant, sunt qui deducant; quod eiusmodi plantis abundaret. Alij à crescentis domus magnitudine, quasi oppidulum dictum, quod vernacula lingua *Poblet* vocant. Melius qui à S. Eremita eiusdem nominis, qui locum illum, ab aliquot annis, inhabitabat. Hunc à vicinis Sarracenis captum, qui ibidem frequentes, ac vinculis compeditum in Siurana (id arci Regiæ nomen) miraculosè ereptum, ac suæ restitutum eremo traditio est; atque hoc ipsum toties contigisse, vt tandem, Agareni cedentes numini, indemnem hominem ibidem conseruauerint. Quin donauerint loco circumiacente, quem, cum sociis, quos vellet, inhabitaret. Demum adiunctos Cistercienses Monachos missos ex Fonte-frigido, eremum in Cœnobium commutasse, Ita ferè per omnia Ioannes Alnatus Solsonensis Episcopus, in originibus Monasteriorum Aragonensium.

2. Yepius [a] desumptum nomen ab Eremita, & miraculum traditione acceptum, quasi per manus, non inficiatur: Verùm, locum donatum à Sarracenis Christiano homini, haud ita facilè sibi persuadet; nec credendum Raymundum Barchinonensem fundaturum Cœnobium, quod sibi, & suis eligat in sepulturam, extra terminos propriæ ditionis; aut obiecisse Cistercienses Monachos ex longinquo vocatos, infidelium perfidiæ; quam toties ipse cum suis esset expertus. Certè locum condendo Monasterio, non Eremitæ à Sarracenis datum, sed Sanctio Abbati Cœnobij Fontis-frigidi à Comite Raymundo, descriptis terminis, indices rerum Aragoniæ testificantur. *Ad Populetum in Cosetanis Cænobium, D. Mariæ Cisterciensis Ordinis, insigni, & Regia ædificiorum magnificentia, dicatur: & præclaris, excelsis, & splendidissimis operibus adornatur à posteris regibus. Principes locum construendo Cænobio designatum, & terminatos fines, ad VII. Idus Septembris, Sanctio Abbati Monasterij Fontis-frigidi, Narbonensis Diœcesis donant.* Siue ergo Eremita iam obierit, seu superuixerit Cœnobij fundationi, locus iam tunc ereptus à Sarracenis, intra fines Christianos continebatur. Sed neque idem Monasterio locus, quem Eremita incoluit, quamuis non longè distans, & intra terminos, vterque continetur.

a Ad hunc ann.

3. Inter has traditionum varietates in diuersa distractus, cùm diu anceps hærerem, nec fas putarem illustrissimam totius Hispaniæ domum sub dubio tradi; ipsius censui tabularia consulenda. Porrò in eis donatione inuenta duplici; altera Arabicè, atque Arabicis litteris scripta, latinè altera; hæc Catholici Principis Raymundi facta Sanctio Abbati Fontis-frigidi anno M.C.LI. (nam præcessit aduentum Monachorum) illa Pagani Almira Almominiz Poguleto Eremitæ, Æra Mahometis DC.XIV.

DC.XIV. quæ incidit in annum M.XIV. facilè nodum vidi posse dissolui. Quippe ante centum triginta septem annos, cum tota terra à Paganis possideretur; Populeto concessa pars illius, quam ipse inhabitabat, & cui in eodem instrumento, vinculis ruptis, dicitur restitutus diuina manu. Verum cum expugnata à Sarracenis, multis post Populeti obitum annis (neque enim tandiu valuit vitam protrahere) subiaceret Imperio Raymundi Principis, eadem pars, siue quia opportuna vitæ monasticæ, siue in memoriam sancti, tributa Monachis, construendo Cœnobio; quod ex nomine illius, hactenus conseruato, nuncuparetur. Sic enim habent verba donationis. *Cunctorum notitia fidelium pateat, quod Ego Raymundus Comes Barchinonensis, Princeps Aragonum, & Tarraconensis, Dertosa, Elerdaque Marchio, dono, & trado Deo omnipotenti, & B. Mariæ semper Virgini genitrici eius, & Abbati Fontis frigidi nomine Sanctio, ad construendum, & conseruandum Ordinem de Cistello, locum de Poblet. &c.* Ita Raymundus in sua donatione. Cæterum Agareni Reguli indultum ex Arabico redditum, vt hodiéque in membrana scriptum extat, quia singulare, in gratiam mei lectoris hîc transcribam.

4. *IN nomine Dei pij, & pietatem facientis, salutatio Dei sit super Mahometh Prophetam eius honorabilem, & super sectatores illius. Laus vni Deo.*

Hæc est donatio honorabilis Regis Almira Almominiz filij Regis Almira Almominiz. Roboret vos Deus, & adiuuet ad interio suo, Eremita Poblet, qui habitatis in partibus de Lardeta. Roboret vos Deus, & adiuuet, & faciat vos propinquos misericordiæ sua magna; in quo vos capti fuistis in arce Slurana tempore belli: & propter vestram dignitatem, & gratiam, quam à Deo accepistis, Eremitario vestro restituti estis. Quapropter ego dictus Rex Almira Almominiz facio vobis donationem Montium, & Vallium, quæ in prædictis terminis sunt; vobis, inquam, & cui vos volueritis, distinctè, & sine vlla reuocatione. Cui donationi nullus Maurorum audeat contrauenire, nec vobis, aut vestris rebus damnum inferre. Ita subscribo subscriptione mea honorabili, & Deum testem induco, magnum, vnum, vltra quem non est Deus. Facta donatione XX. die mensis Februarij. Æra Mahometis. DC.XIV. Hactenus instrumentum donationis, quod barbarè sonare satius duximus, quo verbum verbo ex fide redderemus. Ergo in hunc locum, qui olim à Sarracenis Poblet Sancto Eremitæ traditus fuerat, vocatos Monachos à Raymundo Comite, atque ipso donatos facilè constat.

5. Venientibus præfectum Abbatem Gerardum nomine, Guerardum alij dicunt, Indices rerum Aragoniæ testificantur; quibus consentiunt Populetanæ tabulæ, atque omnes Authores; quamuis intra annum cessisse, ac successisse Grimoaldum ex Cathologo Abbatum compertum habeo. Gerardo, & fratribus ad Deum preces fundentibus, vt locum sibi acceptum eis ostenderet, in quo nouum Cœnobium fabricarent; cœlestibus luminibus radiantem, neque vnum tantùm, sed triplicem ostensum noctibus successiuis; Populetanæ Tabulæ concordant. In quorum primo Cathatinæ Virgini, in secundo Proto-Martyri Stephano oratoria fundata: per quæ ad ingens illud, & magnificum, quod B. Virgini sacrandum intentabant, gradatim ascenderent, & veluti per tutelas inferiores, ad excellentius illud patrocinium, cui destinati erant, disponerentur. Extant, visuntúrque prima Oratoria, ad iactum lapidis inuicem distantia, atque à templo maiori; cuius altare maximum surrexit in loco, vbi apparuerunt postremæ luces. Porrò in tanti fauoris memoriam gratam, Virgini salutandæ antiphonâ, quæ incipit *Salue Regina* (quod vsurpatum à nostris, post officium peractum per dies singulos) Populenses luminaria tria accendunt, cum aliis vnicum tantùm sit in vsu. Quæ omnia veritatem traditionis seriò firmant: euentus ipse Gerardi sanctitatem, sociorúmque; queis talia, ac tanta diuini fauoris indicia concedebantur.

[b] Beuter, Vitiana, & alij authores Hiberi Raymundum Comitem fundando Monasterio petiisse Monachos à Bernardo parente tradunt, quos tamen ipse non ex propria domo (incertum qua de causa) sed ex Fonte-frigido (Filia Vrsicampi, filiæ Claræuallis) voluit transmittendos. Designati ergo creduntur à Bernardo, qui primi Cistercium plantarent in Populeto. At non eo viuente missi sunt, saltem ad designatum locum non peruenerunt. Quippe Bernardus Augusti die XX. cœlos ascenderat: cum tamen ipsi ingressum retardauerint vsque ad Septembris septimam, in quo omnes Authores [c] contestantur. Nec dissentit Chronologia, quæ in correctioribus saltem exemplaribus, diem nequaquam variat, sed omittit. Et verè inchoando templo Mariano non aptius tempus, quàm in quo Virgo mundum ingressa est; vt in noua familia sibi sacra, ipsa natalis sui memoria, veluti reuocata renasceretur. Fallitur ergo Solsonensis [d] Præsul, qui dum Esronensem fundationem, quæ immediatè præcedit, tertio Idus Februarij notatam videt, neque aliam diem præfixam Populetanæ; eamdem illi attribuit; reclamantibus licèt instrumentis, ex quibus cæteri Authores desumpsere. 6.

b *Lib. 2. c. 18.*

c *Beuter. Vitiana suprà.*

d *In Orig. Monast. Aragonia.*

7. Non parum facit ad gloriam Populetanam fundatorem habuisse Raymundum Principem, quem, vltra regiam maiestatem, illustrat sanctitas comprobata miraculis, quibus in vita, & post mortem claruisse, tradit Antonius Vincentius Dominicanus, [e] itavt incuriæ successorum tantùm adscribat, quod non in numerum Sanctorum scriptus fuerit. Ferunt, cum corpus eius iam defuncti, ex Italia in Hispaniam transferretur (nam illic obiit, quamuis noluerit illic sepeliri) multos infirmos, cæcos, mutos, claudos, redditos sanitati per totam viam. Neque vllum ferè locum attigisse, quem non eiusmodi signis illustrauerit: quæ etiam continuauit per multa tempora. Verum pretiosum thesaurum B. glebæ non habet Populetum, quamuis in tanti Principis sepulchrum, & successorum eius conditum fuerit. Quippe ipsa ædificij magnificentia effectum est, vt non potuerit consummari ipso viuente, sed filio eius perficiendum relinqueretur. Ergo Raymundus in Monasterio Ripolensi Benedictino, patrum eius sepulchro, sepultus est. Inde ad æternam gloriam surrecturus.

e *In Sanctis Cataloniæ.*

8. Post Raymundum vix vllus Regum Aragoniæ fuit, vsque ad hæc nostra sæcula, qui non in Populeto sepeliretur. Primus omnium Alphonsus Raymundi filius, qui Monasterij ædificia consummauit. Omisit Petrus secundus huius nominis, dum faueret Hæreticis, interemptus in bello contra Catholicos: sed filius eius Iacobus Conquisitor, vulgo *Don Iaime el Conquistador*. Populetum illustrat suo sepulchro. Inde sequuti Petrus, Ioannes, Martinus, qui omnes cùm obiissent Barchinone, depositi ibidem in templo maximo, sed mox ad Populetum translati sunt, vt suis annis de singulis

gulis dicemus. Denique vsque ad Ferdinandum dictum Catholicum, qui expugnata Granata à Saracenis, proximo hoc nostro sæculo, ibidem sibi elegit sepulturam, vnico dempto Alfonso, dicto magnanimo, qui Neapoli obiit, nullus est, qui Populeti templum non illustret. Sed neque Alfonsus propria voluntate, quippe qui se Populetum adduci iusserat; sed successorum incuria illic relictus, iacet in Ecclesia Patrum Dominicanorum eiusdem vrbis, vbi alij Neapolitani Reges sepulti erant. Reginarum sepulchra, aut plura, aut totidem. Nec Principum, Infantúmve, pauciora, sacellum maius ex vtroque latere implent apparatu insigni, qui maiestatem, vel post mortem præferat; & quod mireris, crescentem à multitudine. Neque omittam iacentem inter Reges, & corona insignitum. D. Raymundum Folch, Comitem Cardonæ sub inscriptione metrica Hispana, quam ob tantæ familiæ venerationem, dignam censui transcribi nostris Annalibus.

A quien esta tumba esconde,
Porser varon de su ley.
Entre los Reyes es conde
Y entre los condes es Rey.

Por hacaña señalada
Gano el conde esta Corona,
Pordo queda Coronada
La Real Casa de Cardona.

Murio en Barcelona en el año de nuestra salud de M. CCC. XX.

9. Horum Regum insigni munificentia, & liberalitate effectum est, vt Populetum crescens, proficiénsque, in eam, quam nunc habet potentiam dilataretur. Subsunt Abbati sexaginta & duo oppida, quorum aliqua ad quinquaginta domos & supra cunctorum redditus ad quadraginta millia ducatorum pertingere dicuntur, per annos singulos. Plura ex his Comitatus Barchinonensis, quædam Regni Valentiæ partem occupant; atque ex vtrisque in vtriusque ditionis Comitiis suffragio gaudet; & summos Magistratus sortitur pro more gentis; exercétque quoties sorte fauente designatur. Inde vulgo obtinuit, crediturque, si attendamus dominium temporale, post Duces Cardonæ, immediatos Abbates Populeti, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, atque Episcopis etiam præferendos. Habet subiectos Priores sex; Grangias minores decem: in quibus, domique centum viginti Monachi, conuersi quadraginta Christo militant: illi diuinis laudibus, & quieti; hi mancipati externis ministeriis. Claudius Robertus [f] vsque ad quingentos Monachos in Populeto ali, memoriæ prodit: quod, vnde hauserit, nescio; nam Garibayus, quem citat, nil tale profert. Fortè tot habuit, cùm viliùs reficiebantur. Est idem Abbas Sacellanus Regis maior, obtento Priuilegio, vt quoties non potuerit per se ipsum, id munus administret per duos Monachos. Habet & multa alia priuilegia, ex quibus quædam forsan inseremus suis temporibus. In libris Cameræ taxatur tribus millibus florenis; quam taxam nullum aliud Cœnobium, in tota nostra Hispania video pertingere. Nam Alcobatia, quod opulentissimum in Lusitania, superiùs memoraui, bis mille tantùm soluere iubetur in eisdem libris. Hæc temporalia incrementa Populeti.

f *In sua Gallia Christi.*

10. Spiritualia, haud quaquam inferiora: Reges, Principes, fideles, infideles, sapientes, humiles, regenerauit Christo; ex quibus plures Episcopos, Ecclesiæ successores, Apostolis; Magistros, populis; Tyrannis, illustres Martyres; & tandem Cœlis gloriosos ciues dedit. In his Bernardus cognomento Anciranus, Bartholomæus Conillus, Petrus Marginetus: in illis Iacobus dictus Conquisitor, Rex Aragonum, & Ferdinandus Infans, tum Princeps Guienę Carolus, & plures alij eximiè floruere. Adauctum item Populetum triplici prole, hoc est triplici Ecclesia, Petra, Benifazano, Regalique, in Aragonia, Valentia, atque Maiorica, insignibus Cœnobiis, de quibus infrà; & quæ vel solæ parentem illustrem redderent. Pertinent & ad diuitias spirituales eiusdem domus Sanctorum Corpora, quibus meruit nobilitari. Inter quæ integrum S. Columbinæ, illustris Virginis, Martyrisque, & alterius Sociæ; quorum Ioannes Vincentius [g] Dominicanus, & Antonius [h] Yepius meminere. Ossa circundata argento fabrefacto earumdem Virginum figuram præseferentia; circumferuntur in anniuersaria earum solemnitate, atque item quoties Populi conueniunt petendæ pluuiæ, seu serenitati, aut aliud à Deo beneficium impetraturi. Iacent ibidem, & illorum Sanctorum corpora, quos modò memorabam, dempto Bernardo Martyre, qui Algeziram illustrat suis exuuiis. Et Petrus Marginetus tumba inclusus, vsque hodie beneficus in suos, crebris ictibus monet, præuenitque, quoties aliquid triste fratribus imminet, quod iidem, qui supra, Authores testificantur. Venerantur & in eadem domo corpus integrum Caroli Guienæ Principis, in cuius brachio dextero præciso, donum, quod habuit, dum vixit, sanitatis, perseuerat post mortem, frequentibus miraculis: Vnde ad ipsum frequentia populorum. Seruari etiam audio in eadem domo duorum Monachorum integra corpora (nomina perierunt) quæ in Cœmeterio humata, integra post trecentos annos inuenta sunt. Nec non & alia duorum Conuersorum eleuata in Claustro. Demum in eadem Ecclesia extare lego corpus Leonoræ Virginis Illustris Petri Vrgelitanæ Comitis filiæ, quæ post peractam vitam solitariam iuxta Monblacum; multasque à Dæmone victorias comparatas; migratura ad cœlum, quo manibus Sanctorum Angelorum deduci visa, sepulturam elegit in Populeto, vbi iacere dicitur; superpositis sepulchro eius instrumentis Cilicinis, & ferreis quibus corpus, dum vixit, macerabat. Hæc de corporibus integris SS. aut Beatorum; nam frusta & ossa, longum numerare. Extat Populeti celebris in iure mentio in cap. *cum oporteat. 19. de Accusationibus* & in cap. *Abbate sane in 6. de sententia, & re iudicata.*

g *In SS. Cataloniæ.*
h *In Annalib. tom 7.*

IESV

IESV CHRISTI ANN. 1154. CISTERCII ANN. 57.

1. *Peregrinationes ad sepulchrum Bernardi statim cœptæ.* 2. *Prima Eskyli,* 3. *nondum adhuc Monachi,* 4. *sed excubias acturi ad tumbam Sancti.* 5. *Deinde Gumari ad habitum suscepti:* 6. *& Simonis Abbatis Caziacensis.* 7. *Quid Virdunensis Andreas, & Gaufridus?* 8. *Præcedente visione in eis impleta.* 9. *Visio Guillelmi,* 10. *de duodus fugitiuis:* 11. *& idemtitas videntis confirmata.* 12. *Atque alia gloriosa illi ostensa.*

CAPVT I.

1. BERNARDO Patre ad superos translato, vota ad sepulchrum eius, non secus, ac ad alia loca sacra, ex toto pene orbe frequentabantur. Primus, vel inter primos, Eskylus fuit, illustris Daniæ Primas, de quo superiùs, hoc anno millesimo centesimo, quinquagesimo quarto, qui fuit Cistercij quinquagesimus septimus, ex vltimis finibus terræ veniens ad Claramuallem. Porro incidisse in hunc annum eius aduentum, sicut & Gumari Reguli Sardiniæ, de quo statim; ex eo facilè mihi persuadeo, quod à morte Bernardi ad sæuam hyemem, arctius tempus, quàm vt illuc notitia perueniret, nedum vt ipsi se ad iter accingerent: intrante autem hyeme, vix credam commisisse se ratibus, quoadusque parumper desæuiret. Ergo hoc anno centesimo quinquagesimo quarto supra millesimum, sub Veris initium, qui ante biennium Bernardum visitauerat, cùm viri transitum gloriosum agnouisset, scribente Gaufrido, sepulchrum eius veneraturus aduenit magnus ille Archiepiscopus Dunelmiæ, quem tota Dania, & Suecia venerabantur. De quo aduentu hæc habet Exordium magnum.

2. *Haud multo verè post hoc elapso tempore, (scilicet* a Lib. 3. c. 25. *post reditum ipsius à Claraualle) tristis rumor aures eius perculit de dormitione beati viri, specialis amici sui scribente sibi libellum de transitu eius Domino Gaufrido Monacho Clarauallis, qui Notarius eiusdem Sanctissimi Patris non paruo tempore fuerat. Tunc verè concaluit cor eius intra ipsum, & in meditatione ipsius exarsit ignis, vana, & transitoria, atque caduca reputans omnia, quæ hominis intentionem impedire possent à recto cursu, quo ad patriæ Cœlestis beatitudinem tenditur. Itaque commendans Ecclesiam, cui laudabiliter præfuerat, Deo, & Principibus terræ; relictis parentibus, & propinquis, notis, & amicis, ipsique cespiti patrio valedicens, exul egregius Claramuallem venit: sepulchrumque beati viri, intimi quondam amici sui, visitauit; & ad sacratissimam tumbam ipsius viuere, & mori delegit.* Hactenus ibi.

3. Verùm quod ait, Pontificem eumdem viuere, & mori elegisse ad Sancti tumbam; non sic intelligendum est, quasi hoc anno mundo abrenunciauerit, quem constat diu in Lundensi sede mansisse, vt multa eius acta manifestant, quæ nos suis locis commodiùs adducemus. Sed quia tandem Cistercio addictus est, & Monachum humilem, spreta mundi gloria, in Claraualle induit, sepulchro Sancti æternum adhæsurus: & tunc fortassis, aut habitum suscepit, retento Pôtificio, quod à multis factum; aut suscipiendum firmiter proposuit, quod fortè verius. Vnde etiam videas venerabilem Gaufridum auctorem vitæ Sancti, qui biennio post mortem eius scripsit, vt iam notauimus; de hoc aduentu Eskyli satis latè: [b] de Monachatu, nec b Lib. 4 c. 4. verbum protulisse; quippe tempore longè posteriori. Nos iam ex hoc concernentia eius historiam, ne nimium inuertantur, in tempore dabimus: anteriora, quàm Monachum indueri, in Claraualle mansurus, referemus.

4. Sunt, qui, velint Saxonem in sua Dania, cùm dixit, [c] *Eskylum domesticarum rerum negotiis supra* c Lib. 14. *vires fatigatum, dum quieti consuluit, asperum patriæ conuictum, voluntariæ peregrinationis leuitate mutasse; & proficiscendi licentia abs Rege difficulter extorta, nobile Galliarum Cœnobium, quod Clarauallis dicitur, petiuisse, ibique priuati more tranquillam vitam degentem, iucundiorem rerum vsum apud exteros habuisse, quàm inter suos.* Quæ nos ex ipso supra memorauimus. Hæc, inquam, de hoc aduentu intellexisse; non de priori, Bernardo adhuc viuente: quod non penitus audeam improbare. Quod, si ita est, duo alia vlterius addenda puto. Alterum, demoratum virum per dies multos, excubias ad sepulchrum Sancti agentem: id enim satis sonant Exordij verba. *Ad sacratissimam tumbam ipsius viuere, & mori delegit.* Viuere, inquam, tunc per tempus aliquod: Et mox reuerti ibidem moriturus. Sed & quæ modò ex Saxone dicebamus: *Ibique priuati more tranquillam vitam degere*, nequaquam verificari posse aliter video. Alterum est, si hæc peregrinatio, eadem est cum illa, de qua ibidem; quæcumque diximus in reditu euenisse, ad hunc annum consequenter transferenda.

5. Eodem anno, & eodem eius tempore, quantum licet coniicere, Sardiniæ Regulus, cuius superiùs fecimus mentionem, primogenito in solio substituto, relicto Regno; qui hactenus adhærere viuenti noluit, adhæsit cineribus, humilis Monachus factus in Claraualle. De eo item Auctor Exordij magni. [d] *Modico post elapso tempore* (scilicet à Bernardi Prophetia, qua prædixerat illuc reuersurum) *cum nunciatum esset ei beatum virum transiisse de hoc mundo ad Patrem; consternatus est animo vehementer, arguens semetipsum, & pœnitens valdè, quod ad illius prædicationem conuersus non fuisset. Mox ergo igne illo, quem Dominus mittit in corda electorum suorum, & vult vehementer accendi, totus incanduit; nec omnino moram facere sustinens, primogenitum filium suum pro se in Regno suo Principem constituit. Ipse verò, dum adhuc quadragenarius esset, ætate corporis, & animi vigore præpollens, relicta Sardinia, omníque gloria mundi spreta, pauper, & humilis ingressus est in Claramuallem; ibique sub disciplina suscepti Ordinis, vsque ad decrepitam ætatem, imo vsque ad mortem perseueranter militans, regnum terrenum, pro cælesti, se commutasse gloriabatur.*

batur. Sic Bernardus diuisus corpore, & spiritu; atque illo terræ, hoc Cœlis restituto: illo cadente in terram, fructificabat; hoc eleuato ad Cœlos, cunctos trahebat, verus Christi imitator in vtroque, atque verus successor ipsius gloriæ.

6. Vtrumque virum Caziacensis Abbas Simon sequutus est, & qui antea de filio sibi credito, cum Bernardo contenderat, seipsum tradidit Bernardi successori. Audi eumdem Auctorem Exordij Magni.[e] *Post transitum verò beati viri* (nempe Bernardi) *cùm iam* (scilicet Simon Caziacensis Abbas, siue, vt malè in Exordio, Carriacensis) *desiderij sui stimulos, nullo reprimente, tolerare nequiret; dimisso regimine Claramuallem se contulit. Ubi etiam magno Dei dono, magnóque miraculo septennium superuiuens, mirabile prorsus in tali ætate, ac firmitate, feruoris, ac deuotionis exemplum nobis omnibus in fine reliquit.* Sic venerati omnes Bernardi cineres; religiosi in Simone Caziacensi, Principes in Gumaro, Pontifices in Eskylo, nec sola peregrinatione suscepta, sed constituta apud eos habitatione; atque ad normam vitæ eiusdem Sancti, quod excellentius; & ipso absente, arduius iudicabatur.

e Lib. 3. c. 28.

7. Addam de Andrea Virdunensi, Gaufridóque, vt & Clericos in partem cultus vocem, qui licèt prius oratum tantùm venerint, illustri ibidem manserunt vocatione; quam sub Roberto secundo Abbate factam, adeóque intra triennium; dum de determinato anno non constat, huic adscribere libuit, consonam satis materiæ similitudine. Referam prius visionem Monacho factam, quam mox vtriusque conuersio declarauit.[f] *Tempore* (ait Exordium Cisterciense, nam omnia penè ex ipso in hoc capitulo (*tempore, inquam, huius venerabilis Abbatis* (nimirum Roberti) *erat in Monasterio Claraualllis Religiosus quidam Monachus, qui vidit gloriosam quandam visionem, quam ad eius consolationem, & humilis familiæ suæ Claraualllensis, Dominus reuelare dignatus est. Verum frater ille, qui eamdem visionem videre meruit, vtrum dormitans, vel planè vigilans eam viderit, incertum habet: magis autem vigilans, & in ecstasim raptus vidisse se credit. Igitur secunda feria Paschæ, cùm esset ad Vigilias in choro Claraualllensi, facta est super eum ibi manus Domini. Et ecce sursum in aëre contra medium chori ei apparuit dextera refulgens, atque gloriosa, quæ præsentem familiam in Psalmis, & Hymnis, & Canticis spiritualibus sancto nomini suo confitentem, benedixit; & viuifica Crucis signaculum semel, ac secundo, longo tractu super eam impressit. Spiritus autem reuelans mysteria loquebatur in corde videntis hæc, atque dicebat: Istud est brachium dominantis: hæc est dextera omnipotentis.* Hæc de visione.

f Lib. 2. c. 21.

8. At de declaratione eiusdem, ac plenitudine per Andreæ, & Gaufridi conuersionem; déque vtriusq; modo, & circumstantiis, pergit Auctor scribere in hæc verba. *Eadem itaque die conuersus est ibi vir nobilissimus Andreas Virdunensis Archidiaconus, qui causa orationis illuc aduenerat: nec tamen aliquod conuersionis propositum habebat. Sed, cùm orationum suffragia petiturus, Capitulum fratrum introisset, videns sancta illius multitudinis ordinem, & velut Angelicam conuersationem, compunctus est vehementer; & insiliente in se Spiritu Domini, mutatus est in virum alterum. Tanto namque feruore mundum deseruit, vt, ne ad horam quidem, vel pro amicis salutandis, vel pro domo, rebúsque disponendis, ad suos remearet: sed incontinenti omnia, rumpendo magis, quam soluendo reliquit, vt Christo citiùs adhæreret. Vt autem gemina Crucis impressio euidentiùs appareret; alius quidam Clericus, Gaufredus nomine, cum eo se reddidit, genere quidem humilior; sed probitate morum, & generosa conuersatione forsitan non inferior. Ambo igitur intrantes, ambo simul perseuerantes in ordine, bonam militiam militarunt. Iámque consummato certamine, benedictionis æternæ participes existunt.* Hactenus auctor, qui vtrique superuixit. Verùm quas idem Andreas tentationes in probatione pertulerit, & qualiter eisdem penè cedens, ingenti Dei miraculo firmatus, per merita Roberti, perseuerauerit; sequenti anno; quo euenit, dicemus.

Hos, & alios eiusdem notæ viros, Robertus Pater ad habitum suscepit. Sed interim, ne sibi quid tribueret, alios amisit, præcedente de eis reuelatione, beato Guillelmo facta, (Sancti Albini olim Monacho) quam admirabilem satis, & singularem, idem qui supra auctor his verbis narrat[g]. *Sed quoniam iucundum satis exemplum de iis duobus Athletis Christi retulimus, ad incitandum teneros, & delicatos, ne conuersionem refugiant, (quoniam non est inualida manus Domini ad tenendum, roborandum, & confirmandum in sacro Ordine, quantumlibet delicatos) nunc triste nimis exemplum de aliis duobus subiungimus, qui suscepto habitu Religionis, redierunt retro post Sathanam. Ne fortè quis Sancto Ordini incorporatus, continuò sibi securitatem promittat, cum tunc primum manus ad fortia mittere debeat: & nisi legitimè certauerit, coronam propositam minimè consequatur. Quidam seniorum Claraualllis Guillelmus nomine, religione pariter, & ætate prouectus (quem etiam Dominus Robertus Abbas, ob ipsius dignitatem, plurimum venerabatur) premente corporis molestia, quadam vice in Infirmitorio decumbebat. Nocte verò quadam post Matutinas, quiescentibus cæteris fratribus, ipse, sicut erat feruentissimus, more solito vigilabat, & orabat in lecto. Et ecce per ostium Infirmitorij Dæmonium intrans, oculis eius manifestè apparuit, in vestitu, & vultu fornicariæ mulieris. Quæ coram eo transiens, circuibat oberrans, & quasi aliquem quærens. Erat autem in medio domus lampas accensa, quæ copiosè refulgens, petulantis illius monstri motus, & gestus lasciuos apertè videri faciebat.* 9.

g Lib. 2. c. 22.

Ibat ergo phantastica meretrix, obtutu gyrouago, cuncta perlustrans, & singulorum penè lectulos explorans; quis dormiret, quis vigilaret, diligentius inuestigans, si quem fortè ibidem de suis agnosceret; si quis blandienti, ac lenocinanti occurreret; illum citò præteriens, hunc morosius intuens; istum de longè visitans; illi magis appropinquans; manus quoque interdum vsque ad ora quiescentium molliter applicans; nihil intactum, vel indiscussum relinquere volebat. Et quod per suggestionem interius actitabat, hoc permittente Domino, ad admonitionem, in oculis spiritualis viri illius visibiliter exercebat. Tandem verò, quem quærebat, offendens, sistitur ante lectum: erat autem iuuenis Monachus, & nouiter conuersus, ac monachizatus. Tunc illa, procaci manu iniecta, à parte capitis coopertorium parumper amouit, & tactu leni pulsitans dormientem, clara voce sic ait: ô homo insensate, quid hîc habes facere? Surge celeriter, & sequere me, & dic etiam socio tuo, vt exeat post te. Ego autem foris ianuam præstolabor vos. Hoc itaque dicto, peruicax bellua festinanter recessit; & per ostium; quod intrauerat, exiuit.

Expergefactus verò iuuenis resedit in lecto: & frontem manibus fricans huc illucque respiciebat, scire cupiens, quis eum excitasset. Qui cùm neminem cerneret, capite iterum reclinato obdormiuit, sed non in 10.

in Domino. Manè igitur facto, vir Dei, qui talia viderat, Abbati suo, piæ memoriæ Domino Roberto, rei gestæ ordinem intimat. Ille verò tanquam bonus Pastor solicitus, ne aliquam, de sibi creditis ouibus, perderet, iuuenem super cogitationibus suis secretius conuenit, diligentiùs admonet, cautiùs instruit. Accepitque ab eo responsum, quod nulla turpi cogitatione aliquatenus pulsaretur; verùm ad perseuerantiam
h Psal. 26. *propositi sui voluntate firmissima traheretur.* [h] *Sed mentita est iniquitas sibi. Erat enim cordi eius, præsidente diabolo, confessionis aditus obstructus, ne per pœnitentiæ portam veniæ salutaris ingrederetur. Cùm ergo Abbas prædicto viro Dei iuuenis responsum insinuasset, ille respondit: Expectate paulisper, & ex factis fine probabitis verum esse, quod dixi. Quid multa? Non multi fluxerunt dies, & ecce iuuenis ille libidinum furiis agitatus, immemor tremendi iudicij Dei, professionis vinculum rupit: & ad vomitum reuersus apostata vilis efficitur: & sic demum phantastica illius meretricis seductio deprehenditur. Porrò socius ille, quem secum adducere iussus fuerat, ipse cum eo Nouitius extiterat; & sacrum habitum, licèt frustrà, cum eo susceperat. Qui ad aliam transmissus domum, cùm audisset socium suum iugum Ordinis abiecisse, tunc & ipse; rupto professionis vinculo, cum eo apostatare non distulit. Vnde patenter innotuit, quod Spiritus fornicationis ille, qui secun-*
i Isai 54. *dùm Prophetam:* [i] *sufflat prunas in igne; virulentas carnalis voluptatis delectationes in cordibus eorum accenderat: & per hos vtrumque seduxerat.* Sic Sanctus Pater prosperis aduersa, inter lucra animarum, quæ ardebat, humilis, & deuotus compensabat.

12. Verùm quod ait visionem factam Guillelmo, de Monacho S. Albini intelligendum idemmet auctor expressit alio in loco, vbi de ipso loquens, hæc subiungit. [k] *Iste est Guillelmus, quem supra memorauimus, spiritum fornicationis, in specie phantastica meretricis vidisse infirmitorium curiosè circumeuntem; & ex his quæ ab ea audierat, & viderat, Domino Roberto ClaraualIis Abbati, apostasiam duorum adolescentium prædixisse: quod etiam verum fuisse fœda eorum fuga incontinenti subsequuta demonstrauit.* De hoc item Guillelmo ibidem dicitur. *Altera quoque die apparuit ei nihilominus idem B. Bernardus, vultu, & habitu gloriosus. Quem cùm ille vidisset, procidit ad pedes eius, orans, & petens aliquid ab eo. Cui Sanctus ait: Quid tibi vis faciam? Et ille: Domine mi Pater, si inueni gratiam in oculis tuis, indica mihi, vtrum saluus fieri debeam. Et Sanctus ad eum: Nunquid parua res est ista, quam postulas? Hodie, cùm egrederer de Paradyso, quàm multa millia hominum foris ad ianuam reliqui; qui vtique istiusmodi timore torquentur, ignorantes vtique vtrum amore, vel odio digni habeantur. His itaque præmissis, dedit ei responsum super verbo, quod implorauerat. Sed quid ei definitè responderit, incertum est nobis; quia vana gloria pestem vitans, hoc nobis indicare noluit. Erat enim vir ille circumspectus, & grauis in loquutione; multúmque cauebat, ne quid diceret, quod suam ipsius gloriam redoleret. Verumtamen ex fiducia sermonis, & vultus illius hilaritate satis dabatur intelligi, quia iucundum à Sancto Patre super tale verbum, responsum acceperit.* Atque hæc satis de his, quæ in Clarauaile post obitum Bernardi contigere circa hunc annum.

k Li. 3. c. 14.

---

1. *In Grandisylua senex quidam Sanctus*, 2. *dum cupit ardenter dissolui, & esse cum Christo,* 3. *gloriosissimè voti compos efficitur.* 4. *Quid de Sancto Siluano*, 5. *cui, Virginis attactu, curantur morbi.* 6. *Cereus ardens, nec lædens ipsius manum.* 7. *Restitutus saluti contractus puer*, 8. *& Siluanus adscriptus Sanctorum numero.* 9. *Fastradus Villariensis Abbas, cedit; succedente Odelino.* 10. *Decedunt Hugo, Gerardus, & Raymundus, primus in Belgio:* 11. *Duo alij in Hispania.*

CAPVT II.

1. DVM hæc in Claraualle, sub Roberto; in Grandisylua, sub B. Patre Alexandro, non minus mira, minusue gloriosa peragebantur. Vltra Guillelmum Montis-Pessulani, semel, & iterum supra memoratum, florebat Pontius, insignis spei iuuenis, quem demum Claræuallis Abbatem, nec indignum successorem, Bernardus præstolabatur. Florebat & communis vtrique pater, quem tyrones magistrum æquè agnouerant, vir prouectæ ætatis, & virtutis, Deo gratus, Angelis reuerendus, atque hominibus. Adeo familiaris antiquis contemptus gloriæ, vt ne propriam admitterent, diuinæ deessent; & prius hanc frustrari paterentur, quàm suam exponerent. Hinc pleraque inuoluta silentij tenebris; vel si quæ in lucem data, manca, & mutila: plura etiam anonima; quò taliter exempla aliis proficerent, vt nihil sibi præsumptio vendicaret. Referam admirandam mortem Sancti Senis, hoc anno, aut circiter, concessam ad eius votum (nam inflictam non dicam) in ipsa sacra vigilia Resurrectionis. Referam autem Exordij magni verbis, quò maior fides dictis, ac maius
2. pondus.
Lib. 2. c. 24. [a] *Inter cæteros* (ait: & loquitur de Pontio) *vni spiritualius adhæsit, qui Nouitiorum magister erat in eadem domo; vir eximiæ sanctitatis, & in omni virtutum puritate fundatus. Hic ergo, velut emeritorum laborum senex cœpit de requie fœlicitatis æternæ cogitare; vniuersa, quæ mundi & carnis sunt fastidire. Ad Christi Domini nostri beatissimam præsentiam, totis medullis cordis, suspirans, feruentissimum habens desiderium dissolui, & esse cum Christo. Ipso namque in hoc spiritualis desiderij agone, constituto, & dicente quotidie in orationibus suis:* Quando veniam, & apparebo ante faciem Domini? *superuenit sacratissimus dies Cœnæ Domini, in quo solemniter (sicut moris est) Conuentus ad mensam Dominicam accedere, viuificisque Sacramentis participare debebat. Cùmque iam instaret hora diuini sacrificij, & fratres ad percipiendam sacram Communionem, in ordine suo, ad Altare accederent: ipse quoque inter cæteros accessit, diuini muneris particeps fieri gestiens. Sumpta verò Sanctissima Communione, cùm adhuc eamdem Eucharistiam in ore teneret; præ incredibili, & inenarrabili dulcedine, liquefacta est anima eius in ipso: & præ impatientia sacri desiderij, admonens gutturi suo digitum, petiit animæ suæ, vt moreretur, huiusmodi orationem fundens ad* b Psal. 141.

Dominum: Domine Iesu Christe fili Dei viui, Saluator generis humani, qui hanc purissimam, & innocentissimam carnem, quam indignus sumere presumpsi, ex immaculata, & intemerata Maria Virginis vtero, pro nobis peccatoribus sumere dignatus es; si tibi non displicet ista petitio, qualiscumque seruuli tui, precor, & supplico pietatis tuae clementiam, quatenus par meatum gutturis huius, per quod nunc caelestem cibum, panem vitae aeternae, traiicere debeo, terrenum panem, seu quamcumque aliam terrenam substantiam de caetero nullo modo transire permittas. Et hac dicens, Hostiam salutis, quam ore tenebat, cum summa alacritate, & deuotione, ad interiora potius animae, quàm corporis traiecit.

3. Hæc Sancti viri flagrans petitio fuit, hoc eius votum, hæ preces ad Deum fusæ. At qualiter exauditus sit, pro reuerentia eius, per quem petiuit, ingenti sanè, gloriosóque miraculo, idem Auctor prosequitur, sic scribens. *Continuò itaque, tanquam si Dominus responderet ei, Fiat tibi sicut petisti; eadem hora, & eodem in loco cœpit viribus corporis, repente destitui; & die tertia, hoc est Sabbatho Sancto Pascha, obdormiuit in Domino, vultu illo, quem tantis suspiriis, & votis quæsierat, aeternaliter satiandus;* [c] *& in quem desiderant Angeli prospicere. Beatus vir, qui sic impleuit desiderium suum. Fœlix oratio, quæ tam celerem, suæ petitionis, consequi meruit effectum.* Hactenus ibi de fœlici viri transitu, in eo fortasse præferendo transitui Moysis, &, si ita loqui licet, etiam Christo; quod; vt hi tres spiritum tradiderint, quando, & vbi voluerunt, & cui voluerunt; duo priores præcepto velut impulsi; hic sola, & mera sua voluntate: & illi quidem, alter non petiuit, alter refugit; hic quanto potuit affectu, desiderauit. Eumdem Sanctum apparuisse post mortem Pontio in magna gloria, claritate præfulgidum, & velut vitrum, crystallúmve purissimum, toto corpore pellucentem; idem auctor testatur eodem loco. Verum quod addit, ex persona eiusdem senis, collatum sibi corpus illud fulgens, vsq; ad diem generalis Resurrectionis, in quo proprium resumat, retinendum: difficultatem continet: & vel in ordine ad apparitiones intelligendum venit, & non aliter: vel solum denotat conditiones spiritus, nobis, nisi per corporum species, dum in hac vita sumus, imperceptibiles. Sic & quod dicit de obscura pedis macula contracta ob negligentiam in operibus; ad videntis, audientiumque ab ipso, eruditionem spectat, non ad effectum: alias in cœlo nec macula, nec ruga: excoctis prius ad purum, si quæ purganda.

c 1. Petri 1. d Psal 126.

4. Hoc item anno, Siluanus narrandus venit, nec quia actis præfixo sed quia nullo: nec alibi commodius Bernardi filium, quam post Patris decessum, referamus. Hic quò illustrior, obscurior ab antiquis: & qui, dum adscriptum recensent Sanctorum numero, reliqua omnia silentio obtenebrarunt. Vix præter nomen, quicquam ad nos venisset, si non beati Richardi, penè sincroni, permansisset epistola, quam [e] Brito Lusitanus ex Belgio, vt ait, transmissam, publicandam curauit in suis chronicis. Mirum profectò, & penè supra fidem insignem sanctitate virum, discipulum Bernardi, clarum miraculis, atque eousque in Ecclesia Dei notum, vt simul venerandus, & imitandus omnibus eius filiis proponeretur; nihilominus neque in vita Sancti Patris; nec in exordio; nec in libro sepulcrorum Claræuallis, sed neque in Dialogis Cæsarij Heisterbacensis, vel leuiter, siue orta occasione, commemorari. Vt non immeritò coniectari liceat, transmissum à Bernardo, dum adhuc iuuenis, nouellæ alicui rigandæ plantationi; quæ eius, & exemplis viuentis, creuerit, & mortui exuuiis pretiosis sit ditata. Quæcumque fuerit, fœlix, faustaque: sed nobis hactenus penitus ignota. Verum quæ de Siluano pauca nouimus, ex epistola illa; deinde ex aliis auctoribus hauriamus.

e Li.6.c.23.

Genus, & patria viri adhuc ignota; nisi quod sub Bernardi disciplina Monasticem professum conueniunt omnes. Virgini in primis Matri deuotissimum, atque ab ipsa dilectum: quo nimirum Magister in discipuli, discipulus in Mariæ fauore cognosceretur. Ferunt, cum pectore, & capite ægrotaret, visitatum ab ipsa: ac piissimo attactu vtriusque partis, restitutum saluti; quam, Deipara, compensandam obsequiis, voce exteriùs audita, non consuluerit tantùm, sed imperauerit. Inde pronior affectus in Matrem Dei; vt totus in amorem eius absorptus, cui se totum debere, gratulabatur; Mariam semper in ore, semper in corde: nec Christum alibi frequentiùs cogitaret, quàm in Maria. Quippe in seipso, inaccessum, præ reuerentia: in Cruce miserandum; in iudicio, pauendum repræsentari: at in vtero matris; diligendum, paruulum nempe dulcem, & amabilem; atque aliàs viscera misericordiæ indutum (talia namque materna) asseuerabat. 5.

Celebre est illud, quod idem Richardus narrat, & plures eius picturæ contestantur; dum cereum lumen in manibus gestaret, incidisse in iconem eiusdem Virginis. Vnde ad prototypum eleuatis oculis mentis, & primùm meditantem, mox abiorptum, tamdiu in ecstasim raptum perdurasse, quoadusque cereus omnino absumeretur. Addit rem miram, & dignam his annalibus: quod inter digitos manus viri Dei ardens, sed non comburens, flamma emicuit: ac contrectatus ignis vim cohibuit, & nec mentem distraxit, nec carnem læsit. Mirum; si sensit calorem, non sibi reddi: sed si non sensit, longè mirabilius: quippe illud mortificati tantùm fuit: hoc penè signum corporis gloriosi. Sed pergo ad alia. 6.

Siluano, vt ex contactu Virginis salus, atque ex salute affectus proueniebat; sic deriuata ad contactum ipsius virtus; quem salutiferum alij experti sæpius in Dei, & Virginis, atque vtriusque serui amorem accendebantur. Inde iacentem media via puerum, corpore debilem, membrísque contractum, cum iussu Abbatis sui in vlnas tolleret, ad commodiorem locum asportandum; ad tactum viri Dei membra extensa; agiles artus, viresque firmatæ: Nec sustinuit portari diu puer, quin suum medicum, & in ipso Deum, exiliens, inter lachrymas gaudij, celebraret. Imperent alij morbis, pellántque: Siluano obtemperant, etiam non iubenti: & vt miracula cæterorum expectent preces, Siluani præueniant: quin sciant omnes volenti nihil arduum, nihil difficile, cui vel nolenti parebat humana salus. 7.

Hactenus ex epistola Richardi scripta ad annum M.C.LXXVIII. nempe Gerardo Abbate Claræuallis, tunc recens gloriosè adepto Martyrij palmam Siluanum, inter Bernardi Patris filios, memorat etiam Ioannes Cistercij Abbas, in Cathalogo SS. Claræuallis, inter Gaufridum Pontificem Lingonum, & beatissimum Papam Eugenium tertium. *Humbertus* (inquit) *Prior Godefridus, postea Lingonensis Episcopus, Siluanus, Bernardus, postmodum Papa Eugenius tertius, & alij.* De morte, aut sepultura viri, hactenus nihil; nisi quod 8.

numero

numero Sanctorum adscriptum per Cœlestinum, exteri etiam Auctores adseuerant, Ioannes Molanus in Appendice ad Martyrologium Vsuardi. *Sanctus Siluanus* (ait) *discipulus S. Bernardi, per Cœlestinum Papam est Canonizatus.* Similia [f] Aubertus Miræus, & recentiores. Dies obitus incertus, sicut & annus. Verùm Henriquez in suo Menologio, ne nullibi poneret, adscripsit decimæ octauæ diei mensis Aprilis. Certè Canonizatio viri Dei per Cœlestinum Papam, non potuit præuenire annum centesimum nonagesimum, supra millesimum, in quo idem Pontifex conscendit sedem Petri, sicut nec subsequi nonagesimum octauum, in quo iam Innocentius præsidebat.

f Origo Monast. lib. 5. c. 14.

9. Hoc ipso anno Villarij Abbas Fastradus, qui Giraldo successerat, cum laudabiliter præfuisset eidem domui, nec certum, quanto tempore; præfecturam deposuit, succedente Odelino, viro grauissimo; quem Leodiensi Episcopo, & Godefrido Duci acceptum supra alios, [g] Grammajus affirmat; sed & Ioannes Cameracensis Præsul [h] apud Henriquez, plenum dierum, & famæ suaue olentis. Fastradum, dum Villario præsideret, visitatum à S. Patre Bernardo, circa annum Christi M. C. LI. idem Grammaius testatur in suis Tabulis. Nec dissentit Henriquez, tempus licet per annum, anteuertens. Verum Bernardum post annum. M. C. XLVIII. quo Treuerim cum Eugenio Papa adiuit, à finibus Gallorum non egressum, ex ipso Historiæ contextu, satis deducitur. Et de tempore adauget suspicionem, quod Henriquez subiungit: vocatum inde, interfuisse Concilio Rhemis, ibidémque controuersiam ortam inter Villarienses, & Ecclesiam Sancti Froilani, per Beatum Robertum primum Abbatem Dunensem, sedauisse. Námque Concilium Rhemense celebratum eodem anno, quo Eugenius, Bernardúsque perrexerunt Treuerim, siue ante, siue pòst, clariùs constat, quàm vt nouis indigeat probationibus. Relinquitur ergo Bernardi Patris aduentus ad Villarium, tempore anterior: atque adeo fortaßè, non sub Fastrado, qui tertius fuit Abbas illius Domus. Id etiam in præsenti notandum, ne lector erret; hunc Fastradum diuersum à Fastrado Camberonensi, cuius suprà meminimus; & quem inde translatum ad Claramuallem, ac demum ad Cistercium, infrà dicemus.

g In sua Gallobrabantia. ad Comit. Hannon.

h In fascic. lib 1. dist. 4. cap. 30.

10. His Abbatibus cedentibus hoc anno; decedentes accedunt, magni nominis viri, Hugo, Geratdus, Raymundúsque: primus in Belgio, reliqui in Hispania. Et de primo Ferreolus Locrius hæc habet verba. [i] *Anno M. C. LIV. Hugo secundus Caricampensis Cœnobij Antistes fato concedit; succeditque Vrbanus, atque annos duodecim principatur.* Porrò in Cathalogo Abbatum Caricampensium, hæc de eodem Hugone scripta reperio. *Hugo: eius tempore inchoatum fuit Cœnobij Templum, quod longè est amplissimum. Obiit XIII. Maij anno M. C. LIV.* Præfuisse per duodecim annos constat, plus minúsue: nempe ab anno M. C. XLII. quo Iordanus obierat, vt suo loco reliquimus notatum. Atque hic in Belgio.

i In chronico Belgic.

In Hispania duo alij obiere: alter Giraldus Populetanus Abbas, ante annum transmissus ex Fonte Frigido; Raymundus alter præfectus sacris mœnibus, post tredecim expletos in Præfectura. Hic sacra mœnia à fundamentis erexit, nouis Christi militibus instruxit, & iaculis armauit bonorum operum, B. Ioannem ad habitum suscepit, hoc est Baltheo, prætextaque donauit militiæ sacræ. Sed neque defuit subsidiis temporalibus, quæ dotationis nomine ab Imperatore Alphonso ampla obtinuit. Ea à nobis superiùs recensita, superuacaneum foret hîc repetere. Annus obitus nequaquam omnino certus, nisi quod tamen constat contigisse ante annum Christi M. C. L V I. Dies ex Martyrologio constat, eiusdem domus, quæ fuit mensis Aprilis X V. Raymundum excepit Arnoldus, cuius vix mentio; nisi quod secundum Abbatem fuisse constar, anno M. C. LVI. inter viuos agentem; mortuum V I I I. die Aprilis, incerto anno, tamen ante annum M. C. LXII. quo Petrus, magnæ spectationis vir, illi successerat; Primus Pater ex filio istius domus, vtroque prædecessore, ex Scala Dei transmisso, cum primis Monachis. Huius tempore in multis creuere sacra mœnia, pingui accessione aliorum Monasteriorum; nec non & prole suscepta nobili satis, & pretiosis donanda exuuiis S. Prudentij, de qua nos in sequentibus agemus. Giraldus teneram, & adhuc nascentem domum relinquens orphanam, non sine ingenti opinione sanctitatis, conscendit superos, vt piè creditur, in gloria coronandus. Successit Grimoaldus, non minus illuc transmissus ex Fonte-frigido, æqualis meritis, discipulis illustrior: maximè, si Bernardum Alciranum ad habitum suscepit, quod probabilius. 11.

---

1. Hadrianus IV. nequaquam Cisterciensis. 2. Henrici Cardinalis legatio ad Regem Siculum. 3. Petri Tarantasiensis in miraculis, & populi concursu, cum parente Bernardo similitudo. 4. Erepti vincti de Lausanensi carcere, 5. & collati Gerardo Bernardi fratri. 6. Satiati in Tarantasia hominum millia, de vna tantùm coctione vnius ollæ. 7. Rainaldus Morimundensis Abbas cedit, subrogato Lamberto, viro insigni.

CAPVT III.

1. SVB finem anni Anastasius Papa moritur, succedente Hadriano, quem multi Cisterciensibus annumerant, cum Onuphrio Panuino, in eius per Eugenium creatione in Cardinalem Episcopum Albanensem. *Frater Nicolaus* (ait) [a] *de Malmesbiria, Bathoniensis diœcesis, Anglicus Monachus, & Abbas S. Rufi, propè Valenciam, Ordinis Cisterciensis, Episcopus Cardinalis Albanensis,* Supple creatur. Verùm est tamen eumdem Panuinum, cùm, de eo in Pontificem promoto, inferiùs agit, manere ancipitem: & Monachum affirmare Benedictinum, incertæ tamen sibi Congregationis. Ast Hadrianus (quod palam est videre) nec Cisterciensis, nec Benedictinus, neque Monachus: sed Canonicus Regularis omnino fuit. Quippe in Monasterio Sancti Rufi, & professus, & Abbas; quod caput Congregationis Regularis Canonicorum à Sancto Rufo, siue Arnulfo, vt alij malunt

a In Eugenio 3.

Lugdunensi Archiepiscopo institutæ: inter alias Viennensis prouinciæ, seu Delphinatus (in quo, & magna Carthusia, & Sancti Antonij corpus; & prima domus) prærogatiuas, [b] Halmarus Falco recenset in sua historia. Quod item, ex eiusdem Hadriani verbis, constat, quæ Ioannes Sarisberiensis gentilis eius, & pro statu amicus, à gemente sub Pontificali onere dicta, refert in Policratico. [c] *Hoc etiam* (inquit) *sæpissimè adiecit* (scilicet Hadrianus) *quod cum de gradu in gradum, à claustrali Clerico, per omnia officia, in Pontificem summum ascenderit; nihil vnquam fælicitatis, aut tranquillæ quietis vitæ priori adiectum est ab ascensu.*

b Part. 2. cap. 23.

c Lib. 8. c. 23.

2. Hoc ipso anno, quo Hadrianus conscendit sedem, cùm audisset Vuillermum Siciliæ Regem aduenire Salernum, venerabilem Henricum Diaconum Cardinalem, ex Cistercio assumptum, creauit legatum, quem in eius occursum misit, de suo latere; litteris datis amicis, & beneuolis, sed in quibus non Regem, vt volebat, & Rogerius, aut impetrauerat, aut extorserat; sed Dominum tantùm Siciliæ consalutabat. Hæc Regiæ indignationis causa fuit; cui adeo succubuit, vt inauditum remiserit Henricum, non sine iniuria legantis, & legati. De his hæc Romoaldus in suo Chronico. [d] *Post autem Hadrianus Papa, audito aduentu Salernum Vuillermi Regis Siciliæ, Henricum Cardinalem SS. Nerei, & Achillei, ad eum misit, quem Rex recipere noluit, sed Romam redire præcepit, eo quod in litteris Apostolicis, quas Regi portabat, Papa eum non Regem, sed Vuillelmum Dominum Siciliæ nominabat. De quo facto Hadrianus Papa, & tota Romana Curia contra Regem turbata est, & commota.* Verùm quæ inde mala sequuta fuerint, Vuillelmo inuadente terras Ecclesiæ, & Pontifice anathematis in illum librante fulmen videre qui volet, consulat Cardinalem Baronium sequenti anno.

d Apud Baron. hoc anno.

3. Inter hæc, ab occiduo Cistercij Sole, nempe Bernardo, Petrus Tarantasiensis, qui dudum ortus; ascendebat meridiem; & continuata vnius post alium luce; perennis in Ecclesia dies (Soles ministrante Cistercio) prorogabatur. Et quidem quod ad miracula attinet, atque ad concursum populi sequentis, adeo similis Petrus Bernardo fuit, vt sicut ille conscendere fenestras, aliàs opprimendus à turbis, compellabatur; sic iste turres. Audi, quod in Monasterio S. Eugendi non dudum factum, Gaufredus Altæcumbæ Abbas narrat in eius vita. [e] *Ibi* (ait) *tantas per eum præstitas sanitates regio tota cognouit, vt incredibilis turba concurrens, ac si iurata foret in eius necem, non modò comprimeret, sed opprimeret imbecillem. Vix tandem locus idoneus, locus tutus potuit inueniri, nisi turris Basilicæ S. Eugendi, per duas hinc inde cochleas ascendenda. Illic posita sedes lignis fortioribus circumsepta, vt solam manus impositionem, vel auditum, & responsa perciperent, qui per alteram seriatim cochleam ascendentes, per alteram exinde descendebant; vt neque hi illis, nec sibi inuicem possent esse molesti. Tam multis inibi cæcis visum; surdis auditum; mutis loquelam; clandis gressum; & incommodis variis laborantibus, contulit desiderata remedia; vt difficilè quis dinumerare, nedum scribenda seruare potuerit signa virtutum, quibus in seruo suo glorificatus est Deus. Omnes tamen ad sacram Eugendi beati memoriam transmittebat, vt gratiarum actionem Deo, & venerabili soluerent Confessori.* Haud aliter Bernardus antea defensus: haud aliter quoties id permittebatur, miracula referebat in sanctos hospites.

e Cap. 13. Apud Suri.

4. Cæterùm vltra donum sanitatis, quod illi familiare, & quasi in habitu; signis aliis diuersis coruscabat, queis non minus Bernardum æmulabatur; in aliquibus etiam superabat. Nam pro Gerardo ab eo olim erepto; tres ille viros de carcere eduxit, illustriori prodigio, & pro annona ad annum prorogata, lento, & vix perceptibili incremento; Petrus coctionem vnam vnius ollæ, multis millibus pauperum, subitaneis augmentis, ad satietatem, sine vllo interuallo, multiplicauit. Audi ex eodem Auctore vtrumque euentum. [f] *Affuerunt* (ait) *tres viri de ciuitate Lausanna, sub obtestatione diuini nominis firmiter asserentes, verbum dignum memoria, dignum reuerentia, dignum admiratione; sed quod in ore trium testium stare debeat. Clausos siquidem in ergastulo perhibebant aliquamdiu sese fuisse detentos. Interim cœpit in ciuitate illa, virtutum, quas per B. Bernardum Dominus actitabat crebrius, fama crebescere. Ad cuius nominis inuocationem, fideli supplicatione conuersi sunt, eius sibi meritis postulantes diuinitus subueniri. Contigit igitur die clara custodes ludere alea ante ostium carceris obseratum; illos clausos, & compeditos interius lamentari sua calamitatis ærumnas. Adest interea Pontifex inuocatus, soluit compeditos, manum porrigit, aperit ostium, iubet vt exeant. Sic manifestus apparens, viros extrahit, & educit. Et cum nulla foret mora, vel opportunitas diuertendi; sequentes præuium ducem suum, super tabulas, quibus ludebant, inter medios transiere custodes. Nec mirum, si videri ab hostibus præsentes ipsi non poterant, qui sic sibi videre videbantur absentes. Nec ab eis Pontifex ante disparuit, quàm euasisse pericula, & ad locum sese cognoscerent peruenisse securum. Vnde etiam voto sese obligantes, non gustauere cibum, donec ad sui præsentiam liberatoris accederent, noua, & mira Dei magnalia prædicantes.*

f Vbi suprà.

5. Hæc de primo miraculo Gaufridus; quod si Gerardi à Bernardo Patre obtentæ libertati componas; forsan in multis censeas præferendum. Quippe Bernardus vnum; sed tres Petrus: ille propriis, quibus summè flagrabat, assistens votis; hic alienis: ille inuisibilis, hic manifestus: ille pauperes tantum obuios habens; iste custodes: & ille quidem eduxit de domo vinctum, sed non deduxit; hic solutos perduxit vsque ad tutum, illico sibi corporaliter præsentandos, atque ex intimo gratias redituros. Nunc iam multiplicatam suis particulam, cum modica viciarum quantitate, multis millibus hominum alendis, non secus, ac à Christo olim panes, & pisces; ex eodem auctore proferamus,

6. *Verumtamen* (ait) *sicut multis innotuit, locus ille* (scilicet Tarantasiæ) *admodum sterilis est, & nihilominus grauis accessu; vt cibaria vix ex se proferat, vix aliundè recipiat. Compatiens proinde vir misericors multitudini confluenti, quæ à domo, vel à Diœcesi sua, per fideles nuncios, poterat obtinere, quidquid ab aduenientibus suscipiebat oblatum, in cibos pauperum erogabat. Accidit autem, vt die quadam Sabbathi, propter aëris intemperiem, ad venundandum conuehere solitis negaretur accessus; & ministri suggerent nullam penitùs facultatem, consilium nullum suppetere, vt instanti Dominica posset refectio consueta pauperibus exhiberi. Erant enim plura millia, & vna tantùm porcina sibi perna, cum modica viciarum quantitate remanserat, vt totum simul caperet olla vna, grandis quidem, sed hæc quid inter tantos? Imperat tamen, vt quod possunt, id faciant: quod habent, hoc præbeant, quandoquidem spes nulla suppeteret, aut facultas amplior quærendi. Manè facto,*

facto, coctis cibariis, in atrium introducta pauperum multitudo, cui viderentur præparata posse sufficere. Refectis illis, cùm adhuc esca suppeteret, alij sunt introducti: & ipsis itidem satiatis, mirabantur, quod cibus adhuc superesset. Nec prius cessauere, quam dies cum escis simul, & pauperum numerositate deficeret. Hactenus ibi. Mitto alia miracula innumera, quibus prius satieris, quam exhaurias. Cæterùm qualiter, cum hæc ipsa miracula fauorem populi, atque vtriusque aulæ Principum plausum, & cultum sibi conciliarent; fugam tandem ignotus arripuerit, vitam, si posset, in latebris acturus; sequenti anno, quo euenisse coniectamur, plus minúsve, more nostro fideliter reddemus.

7. Per idem tempus, venerabilis Rainaldus Friderici Tullensis Comitis frater, qui Ottoni in Episcopum promoto, Morimundi successerat, post quindennium, si [g] Roberto Claudio credimus, in præfectura exactum laudabiliter, baculum pastoralem, cedens Lamberto tradidit, insignis gloriæ viro: sed Morimundi non diu permansuro. Cathalogus Abbatum hæc habet verba [h]. *Quartus Morimundi Abbas Raynardus, Friderici Comitis Tullensis frater, sedit annis quindecim, & cessit: obiitque decimo tertio Kalendas Februarij.* Sequitur mox de Lamberti successione. *Quintus Lambertus ex Abbate Clarifontis annis sex: obiit decimo quarto Kalend. Februarij.* Lambertum hunc professum in Morimundo, atque ex hac domo transmissum ad Clarumfontem, inde coniector; quod postmodum promotus ad Cistercium, cùm post sexennium præfectura se abdicasset, ad Morimundum rediit; id est, ad propria: vbi mortem instantem senex emeritus, in quiete, & silentio præstolaretur. Verùm quod dicitur præfuisse Morimundi per annos sex, non satis video, quo pacto stare possit: cùm constet clarè, defuncto Gozeuino sequenti anno, subrogatum Lambertum in Cistercio. Nisi fortè sexennium ad hanc vltimam, quam per tot annos tenuit, non ad priorem præfecturam referas, quæ vix vnius anni, si constant tabulæ, & quæ communiter amanuensium inscitia est, potuit hic error facilè irrepsisse,

g In sua Gallia.

h Ibidem.

---

1. Multiplicata annona per Vuallenum, 2. & panes fratrum; qui partiti, mox integri inuenti. 3. Dictum de Vualtero Conuerso Meilrosensi, 4. visitato per Angelum. 5. Mysteria plura reuelata Sancto Abbati. 6. Lucta cum Dæmone: 7. & Cælestis gloria visa. 8. Qualis illius equus, quandiu vixit. 9. Recusatus Archiepiscopatus Santandreanus.

CAPVT IV.

1. FLOREBAT interim in Scotia S. Vuallenus, illustris meritis; reuelationibus, miraculisque clarus: & vt Petrus per Galliam, Sabaudiámque; sic per Angliam, & Scotiam Bernardi amissi damna consolabatur. Et verè, vt Petrus; quippè qui ingens in omnibus virtutibus; at in misericordia indeficienti, atque materiæ multiplicatione, quod sine aliorum præiudicio dicam, inter maximos etiam, summus fuit. Pauca de pluribus, quæ in eius actis narrantur, Iosselini, qui sancti vitam scripsit, transcribam verbis. [a] *Quodam tempore, ingruente extinctoria famis calamitate, confluxerat ad Meilros inopum turba copiosa; vt putabatur, numero quasi quatuor millium; construxerúntque sibi tuguria, siue tabernacula in campis, & syluis circa Cœnobium, ad spatium duorum milliarium. Abbas, more solito, cum quibusdam fratribus, & Cellerario, nomine Tina, re, & cognomento bono, exiit, vt videret multitudinem magnam: quam, vt vidit, ait:* [b] Verè castra Domini sunt hæc. *Et subiungens:* [c] *Misereor, inquit, super turbam hanc, & quid ponam ante eos, ad manum non habeo. Magnopere curandum est, vt vsque ad autumnum victualia habeant, ne (quod absit) inedia deficiant. Irruit spiritus in prædictum cellerarium, vt pote virum misericordiæ, & ideo Abbati charissimum; taleque sancto dedit responsum. Habemus, Pater, pecora plurima, boues, & oues, & porcos pingues; casei, & butyri non modicam quantitatem; mactabimus animalia; apponemus & reliqua libenter; & liberaliter in victum eorum expendemus omnia. Panis tamen penuria cor meum tangit, & angit; quia frugibus nostris penè cunctis expensis, per modica, in horreis duarum grangiarum, tritici, & siliginis pars adhuc remansit. Pius ergo Pater, Cellerarij verbis adgaudens, gratias multas egit, & benedixit illum in nomine Domini. Perrexit deinde Abbas, comitante Cellerario, ad grangiam de Heldum, & ingressus horreum, baculum, quem manu gestabat, cumulo infixit, genua flexit, signo crucis edito, messem illam benedixit, & recessit. Deinde ad Galdim iuit, & eodem modo, quod antefecerat, iterauit, Cellerarioque dixit: Disperge nunc & da securè nobis, & pauperibus; quia Deus incrementa dabit, & augebit, & multiplicabit sufficienter necessaria nostrorum, & pauperum vsibus. Res mira, raráque; fruges, quæ in vtriusque horrei angulis continebantur, nec censebantur sufficere victualibus, duarum hebdomadarum circulo, trium mensium protendebantur spatio, velut inconsumptibiles, & in eodem statu suo permanentes: itaut speciem farinulæ viduæ Sareptanæ præseferrent, vsque ad nouorum fructuum perceptionem. Ex quo verò nouarum frugum suffecit assumptio: præscriptarum frugum apparuit consumptio. Sic quondam manna, quod filios Israel, quadraginta annis in deserto pauit post ingressum illorum in terram repromissionis, & nouorum perceptionem, illis defecit.*

a Lib. 1. c. 21.

b Gen 32.
c Matt. 1.

Pergit Auctor narrare simile quid, & quodam modo maius, quod quia consensu totius Conuentus factum, nec sine propria iactura singulorum, ni diuinitus omnia suffecissent; præcedentibus censui subiiciendum. [d] *Alio autem tempore vocauerat Dominus famem super terram, & inæstimabilis multitudo, penè penuria victualium expirantium concurrerat ad Meilrosense Cœnobium; commune, consuetúmque eorum cellerarium, & ad pijssimum Patris nostri Vualleni præsidium, sicut ad penu proprium. Non sunt ergo fraudati à desiderio suo, nec frustrati à beneficio sperato. Abbate namque imperante, & Cellerario obtemperante, & Conuentu conueniente, mactabatur pecudum multitudo: mactata expendebatur, pauperes sustentabantur. Nondum aduenerat autumnalis messis, cum iam assumptis victualibus, pane deficiente, acrius instaret mortis* 2.

d Idem ibid.

minax oppressio. Quod cum innotuisset Abbati, exibat de more ad visitandum, & videndum, si quod remedium; vel leuamen famelicis ipse dare posset. Anxiebatur autem spiritus eius in se, & in amaritudine morabatur oculus eius; quia non inueniebat ad emendum quidquam victualium, circum circa, pro quolibet pretio. Reperiens tandem salubre consilium, conuenit Conuentum; humiliter obsecrans, vt illo die dimidiari panperibus pacificè paterentur panem suum. Annuunt omnes animo libenti Abbatis voluntati. Secatur panis per medium; impletur cophinus: ad multitudinem deinde pauperum discumbentium taliter oneratus traditur: æqua portione singulis panis cum casei parte distribuitur. Hæc miraculosa distributio panis quotidie iterato miraculo, pauperes sufficienter recreauit, & vsque ad noua messis delibationem pascebantur. Hæc in pauperes Deus per Vvallenum. Sed in Monachos adhuc gloriosius. Nam *cum conuentus adesset ad mensam cœnaturus, inuenere singuli panes integros candidos, & recentes, quasi qui infirmis, & minutis ministrabantur.*

3. Habebat Vvallenus filios sanctissimos; sed inter alios eminebat Vvalterus conuersus præfectus hospitio, quem Christus Dominus, & Maria Mater eius, multis, & magnis dignabantur consolationibus. Eius, an Abbatis sancti meritis datum, in dubio est: constat allatum hospitibus panem per hoc tempus, succedentibus multis, & comedentibus, integrum semper, illibatumque mansisse; donec gaudio accepti beneficij prorumpente in vocem; communicatóque; beneficium cessasse competerunt, docti exinde in silentio conseruandam diuinam gratiam. Verùm ablatum prius beneficium compensauit secundum, immisso Angelo, qui vtrumque visitaret, in speciem hospitis. Et quidem Vvalterum visitatum, nequaquam dubium; cui & per visum postmodum apparuit. De Vvalleno, laudatum, vt minus constat, atque eius merita eximiè commendata, quæ vtique coram Deo essent gratissima. Sed Ioselinum loquentem audiamus.

4. [e] *Tres hospites peregrini Meilros venientes, & pernoctandi petentes gratiam, deuotè iuxta consuetudinem Ordinis, & maximè domus illius suscipiebantur. Suscepti, in Oratorium, secundum Regulam S. Benedicti, orandi causa deducebantur. Oratione verò facta, sermone diuinæ legis ædificabantur; & sic ad hospitium ducti, fratri Vvaltero prænominato commendabantur. Post paululum pedibus lotis, iuxta ritum, ad refectionem locabantur; locati enim nisi duo tantum, tertia persona non apparente, reperiebantur. Adueniens verò Hospitarius, quo socius eorum tertius deuenisset; vel vbi fuisset? inquisiuit. Illi verò tantùm se duos aduenisse, ac receptos asserebant. Frater autem indubitanter asseruit tres introductos, & ad mensam applicatos fuisse. Et illi contrà, interposito iuramento, se nullatenus, vel tertium conspexisse. consuluit frater portarium, & susceptorum hospitum Monachum, super hac re: responsumque est ab illis, se tres vidisse, & suscepisse. Inquisiuit diligenter, si quisquam illum abeuntem vidisset? Nec inuenit. Nocte sequuta, vidit in somnis personam præclaram, vultu sereno, sermonéque blando dicentem sibi. Frater Vvaltere, cognoscis me? Quo respondente: Non, Domine mi; subintulit, dicens: Ego sum hospes externus ille tuus, qui euanuit ab oculis vestris, huius Monasterij custos à Domino constitutus. Fixum teneas, quod eleemosyna, & orationes vestræ ascendunt ante Dominum; & præcipuè Vvalleni Abbatis vestri, deprecatio penetrans cœlum ascendit in conspectu Domini, sicut fumus aromatum. Hæc dicens, disparuit, & frater vigilans, tempore opportuno, quod vidit, Abbati retulit. Quod audiens ipse vir Dei, exultauit in Domino, & gratias egit Domino salutari suo.*

e Li. 1. c. 24.

Referam quædam alia de Vvalleno, quorum cùm annus certus ignoretur, præcedentibus adiungenda esse putaui. Referam tamen, breuitatis causa, non Ioselini verbis, qui diffusior, sed Antonij Gentij, eius, ni fallor, in multis abbreuiatoris. [f] *Quadam vigilia Epiphaniæ Domini, fratribus in Choro psallentibus, vidit, in spiritu, stellam radiantem, Reges ab Oriente cum magno apparatu venientes, præcedentem; & puerum Iesum in gremio Matris mysticis muneribus ab ipsis honoratum; & demum in somnis diuinitus Reges admonitos, vt per aliam viam redirent in regionem suam. In quadam nocte Paschæ, dum matutinis insisteret, videbatur sibi videre Dominum Iesum post flagella, & illata ludibria, coronam spineam capiti impositam, crucifixum in patibulo, palmas, & plantas clauis expositas, in manus Patris animam commendantem expirasse, etiam ex latere lancea perforato sanguinem, & aquam fluxisse. Contemplabatur animam, exuto corpore, barathrum spoliare, & ex eo innumeram multitudinem educere; corpus resumere, & milites sepulchrum custodientes, velut mortuos terrefactos iacere, & demum lætantibus Choris Angelicis cœlum intrare.* Sic Sancto viro nostræ redemptionis illustriora mysteria, tanquam alios de iis illustraturo, maiori cum claritate reuelabantur. 5.

f Apud Henriq. in fascic. lib. 2. dist. 26. cap. 58.

Habuit tamen & cum communi hoste congressus, nec spirituales tantùm, verum visibiles; vt qui magnum Antonium in virtutibus, eumdem etiam in cunctis imitaretur. [g] *Completorio dicto, precibus in Ecclesia incumbere solitus, vidit, quadam nocte: Angelum Sathanam in varias formas se transfigurantem. Cumque se signasset, & ille euanesceret, demum in loricati militis specie apparet, & ignem de ore, & naribus emittens, lanceam contra virum Dei vibrabat. Abbas pixidem corporis Domini, continenter, & reuerenter assumpsit, & se cum illo signās contra Dæmonem processit dicens: Ecce, pessime miles, funeste satelles, iudex tuus te missurus in abyssum; expecta, si audes, illum. Ad hanc vocem victus, & confusus inimicus, velut fumus euanuit.* Sic & Bernardum Parentem reuelationibus mysteriorum Cœlestium; & Dæmonum assiduis infestationibus, reddebat Antonium. Nisi quod ille solius Natiuitatis, & puer ipse; hic iam prouectus totius vitæ, & mortis, quin & gloriosa mysteria noscere meruit. Sed & si cum Antonio conferamus, non minùs infestatum ab aduersario: sed fortiora corripientem arma, eoque citius vincentem inueniemus. 6.

g Idem ibid.

Sequitur ingens pignus cœlestis gloriæ, quod idem Sanctus inuitus euulgauit, eadem gloria, mortali adhuc, ostensa. Quod cum veluti alteri concessum, ad ædificationem fratrum eis proponeret, casu, an diuino consilio effectum est, vt sibi contigisse, quasi calore loquendi pronunciaret. Rem à Gentio plus nimis abbreuiatam, Ioselini antiquioris verbis prosequar. [h] *Sedebat S. Vvallenus inter laicos fratres dispartiens eis spirituales escas, quas præparauerat sibi, loquens de Regno Dei. Et cum de beatitudine sanctorum sermonem faceret, de seipso, sed tamen quasi de alio, tertiam personam in narratione assumens, sic exorsus est. Quidam Monachus Ordinis nostri ad Cœlestem patriam eleuans* 7.

h Cap. 31.

eleuans cogitationem, & auiditatem, sitiuit anima eius ad Deum fontem viuum: & vt citius venire, & apparere posset ante faciem eius, precibus quotidianis, continuísque lachrymarum profluuiis, petebat dissolui, & esse cum Christo; vt ipsum Regem Regum videre posset in decore suo. Quadam vice, dum orationi diutius cum lachrymis incumbens, auidius contemplando cogitaret de fœlicitate sanctorum, & Cœlesti Regno: Vidi (inquit) cœlos apertos, & gloriam Dei, mansionésque Sanctorum in Regno Cœlesti. Sic profectò quod sub tertia persona nomine narrauit, nolens, & nesciens de se, sibi diuinitus reuelata denudauit. His dictis, homo Dei in se rediens, sermonem illico finiuit, & recessit: & quia secretum suum ibi, licèt inuitus, detexit, multis lachrymarum profluuiis se afflixit. Fratres verò, quod semel emissum fuit, irreuocabile verbum ex ore sancti, pro vero, & fixo habuerunt, & sic accepta absentibus, & posteris narrauerunt. Hactenus ibi. Nec ideo dixerim diuinam ei essentiam ostensam palam, sed vidisse arcana, quæ non hominem loqui vnquam fas esset. Quid si nec minus à Benedicto Parente viderit, qui in vno solis radio collectum mundum? sed hic cælis apertis, Dei gloriam in sanctis suis diffusam contemplabatur.

8\. Mitto miracula, quia ea communia multis; at quod de equo Sancti memoriæ proditum, vterque Auctor scriptis commendauit, nefas esset silentio præterire. *Equus* (ait Gentius) *dum Sanctum haberet sessorem, quasi agnus mansuetus modestè se habuit.* Et post pauca. *Cumque famulus Dei ab illo descenderet, fremitu & vario motu membrorum se agitare consueuit (nempè vt non alium sessorem pateretur) vnde mortuo Abbate, equus expilatus emarcuit: & vsque ad interitum languens, nulli operi aptus fuit.* De hoc equo singulare etiam refertur. Quod *cùm aliquando famulus Dei ascendere non posset, genua flexit, & ventri terra adhærens latus versus Abbatem vertit. Qui postquam ad placitum in sella se composuit, equus maturè surgens, recto gressu viam capessit.* Id etiam obseruatum in ipso pluries. *Si quando Sanctus dormitare inciperet, moderatè incedere, montuosam, & asperam viam semper declinare. Excusso autem sopore, celeri gressu insequi, & consequi præcedentes consueuisse.*

His & similibus, quæ multa prætermittimus, per vniuersam Scotiam, Angliámque vbique Sanctus Meilrosensis Abbas celebrabatur. Cùm ecce Santandrena sede vacante, quæ Metropolis obtinet Primatum totius Regni: *Cùm ecce*, inquam, (Ioselini verba resumo) *populi petitio, Cleri electio, Principum assensu Sanctum Abbatem elegerunt in Episcopum, & Pastorem animarum suarum, voto vnanimi, communi consensu. Venerunt igitur Clerici cum magnatibus terræ satis instructi Meilros, gratia assumendi, & educendi secum electum suum; Abbasque Rieuallis, qui tunc ibi affuit, iniunxit, vt illi obtemperaret electioni, subiret onus, susciperet officium. Ille verò prætendebat imbecillitatem virium, & impotentiam sustinendi tanti ponderis negotium; indicauitque secretiùs Abbati Rieuallis, se non diu super terram victurum, si cogeretur. Illis autem persistentibus in electionis factæ perficiendo proposito, & Patre Abbate in imperio suo, respondit Sanctus in spiritu vatidico, & ore veridico: [k] spoliaui (inquit) me tunica mea; quomodo induam eam? laui pedes: absit; vt iterum puluere sæcularis solicitudinis inquinem eos. Et adiiciens: Credite (inquit) mihi; quoniam eligetis, & alium habebitis Pontificem, quam me: extensóque digito, designans suæ sepulturæ locum: En hac (inquit) requies mea; hic habitabo quandiu Domino placuerit, in filiorum meorum consolationem.* Hac animi constantia verus humilis, non onus, sed honorem à se abiecit. Nec diutius restitit Beatus Ailredus, quippe, qui nouit diuinum in eo spiritum. Sed de Vualleno satis, supérque dictum, rursus in sacratissimo eius obitu; atque item post mortem. 9.

i Lib. 1. c. 24.

k Cant. 5.

1\. *Proposita fundatio domus Hybernæ, 2. & Gilbertus cum iussis illuc missus, cùm linguam ignoraret, 3. Oenum militem interpretem accepit, 4. mox professionis socium, & Monachatus. 5. Oeni crimina, & pœnitentia: 6. admirandæ visiones illi ostensæ; 7. & tormenta intentata. 8. Deinde Paradysus demonstratus, 9. & totius voluptatis habitationes, 10. Redditus mundo, peregrinus primùm, dein Monachus effectus: 11. & conuicti errores, qui nuper irrepserunt eius historiæ.*

CAPVT V.

1\. INCIDENS in hunc annum Stephani mors, ex Bonensi Comite Angliæ primum tyranni, deinde Regis; adoptato Henrico, qui verus aliàs regni successor erat, & consentiente sceptra tenere Patrem, quandiu viueret; dum tamen ipse, prætermisso, quem genuerat, in regno succederet, & naturali adoptiuus præponeretur: mors, inquam, Stephani, concernens hunc ipsum annum, ingerit nobis Regiam fundationem, ab ipso factam in Insula Hyberniæ, fortè aliquam ex his, quas intra octo annos, neque enim antea potuit, commemorauimus: sed cuius, cum quæ fuerit ignoretur, hactenus prætermissa, hoc saltem anno, quem transgredi non potuit, digna his Annalibus, veniunt referenda. Lindæ, seu Ludæ, Monasterium in Noruegia, ante octo annos fundatum, breui fœcundum, vltra suæ etiam terminos prouinciæ, nempè in Hybernia, Cistercium propagasse, superiùs vidimus: [a] deducente propaginem Stephano, & condente Cœnobium; cuius initia præter Regium nomen opusque; Oeni militis (Ludouicum Enium Recentes vocant) admiranda historia non parum illustrauit, si vera fuit. Certè in visionibus eius nihil absurdum; & eas ipsas Authores graues [b] probant defenduntque: [c] & aliàs video Henricum Salteriensem, coæuum Authorem, nec loco dissitum, & professione socium, eas omnes memoriæ commendasse; nec relatione vulgi vaga, & dubia; sed sanctissimi, & grauissimi viri Gilberti, cui Oenus interpres, à Rege primum, mox à Deo etiam frater datus est; & qui cuncta audiuit ex eius ore. Neque vnquam credam viros religiosos, tot, ac tanta finxisse; aut ficta in tantum potuisse præualere, vt ab eis ad tot alios (nam multi eis subscribunt)

a Ann. 1146. cap. 11.

b Messingha cap. 1.

c Dionys. Carthus. de part. animæ iud. art. 18.

d *Apud Messingh. vbi suprà.* scribunt [d]) post se traherent. Ergo censura Purgatorij S. Patricij reseruata in posterum [e] ; quæ de domus Hyberniæ fundatione, & milite Oeno, in ea professo, author coæuus ; & ex ipso transcribit Matthæus Paris, [f] ex quibus plures alij; in hoc capite censui discutienda. Henricum ipsum Massinghamus Thomas vulgauit in suo Florilegio, ex quo & nos hauriemus integra fide.

e *Tom.4. an. 1221.* f *In hist. Angl.*

2\. Stephanum, Anglorum Regem, quantumuis turbidum, quantumuis turbatorem, aliqua pia opera illustrarunt. Nemo adeo vndequaque malus est, vt non aliquod bonum præseferat flagitiorum obtentui; quæ nisi sub ea vmbra delitescerent; ne à consimilibus possent tolerari. Inter expilationes Ecclesiarum Monasteria construxit, dotauitque; ex quibus quædam Cistercio contigere. In Anglia Furnesium, & Coggeshalen, de quibus suprà. In Hybernia donasse nostris locum, idem, qui supra, Henricus testificatur. Vocati Monachi ex Ecclesia Lindæ, aut Lidæ, missique à Geruasio eius Abbate, qui & locum de manu Regis susciperent, & primi omnium eum inhabitarent. Inter reliquos Gilbertus missus est, vir religiosus æquè, industriúsque; qui Cellerarij officio fungeretur. Eo præ aliis id munus recusante ob ignorantiam linguæ, sine cuius notitia se putabat ad externa inutilem; miles Oenus à Rege interpres datus, non recusauit onus; doctus nimirum, ex his, quæ antea vidisset, haud aliam viam, hac excellentiorem, si eam ingrederetur; & cum interprete tandem non egerent, Monachis associatus, reliquum vitæ in Cistercio consecraret. Itaque Monachorum sequutus ductum, ad locum venit: ibi duobus annis, dimidióque interpretem Gilberti, atque noui Conuentus procuratorem: at postquam neutro Monasterium egere vidit, Monachum egit, tempora plura explens breui periodo. Hæc summa fundationis Hyberniæ domus, & Monachatus Ludouici Enij: quæ tamen verbis Matthæi Paris; atque Henrici Salteriensis, quò maior dictis, dicendisque auctoritas subsit, non pigebit repetere, vt inde ad anteriora pateat aditus, eorumdem item verbis referenda.

3\. [g] *Expleto laudabiliter peregrinationis voto reuersus, Regem Anglorum Stephanum Dominum suum, cui prius familiaris extiterat consulturus adiit, vt eius, tanquam industrij, & prudentis viri Consilio, in sanctæ Religionis ordine reliquum vitæ suæ expleret, ac Regi Regum de cætero militaret. Contigit autem eo tempore, quod Geruasius, Ludensis Cœnobij Abbas, Rege Stephano donante, locum ad Abbatiam construendam in Hybernia obtineret: qui Monachum suum, nomine Gilbertum, cum quibusdam aliis ad eumdem Regem direxit, vt ab eo locum acciperet, & Monasterium ibidem fundaret. At Gilbertus ad Regem veniens, & ab eo gratulanter susceptus; conquestus est nimis, quod illius patriæ linguam ignoraret. Quod audiens Rex ait: optimum tibi, Deo auxiliante, interpretem inueniam: & vocato milite Oeno, misit Rex, vt cum Gilberto iret, & cum eo in Hybernia remaneret. Quam iussionem miles libentissimè suscipiens, ait ad Regem: Gratanter Monacho seruire debeo; sed & vos, ô Rex, cum gratiarum actione Monachos . . . . . in regno vestro suscipere debetis: quoniam, vt verum fatear, in Sanctorum requie non vidi homines tanta gloria præditos, quanta huius Religionis viros.* Hactenus illi, qui Cisterciensem Ordinem, quem Thomas Messinghamus occultat quò aliorum Ordinum inuidiam deuitaret, expressè produnt: facilè aliàs ex Monachis, atque ex ipsis Cœnobiis detegendum. Certè Gilbertum in Abbatem Cisterciensem non multò post assumptum, idemmet Messinghamus notat ad marginem. Quin & Ioannes Pitsæus, vbi de Henrico Salteriensi, eius discipulo, qui hæc cuncta scripsit, eumdem Cisterciensem Abbatem vocat, verbis, quæ nos ex ipso supra dedimus, 1147.c.19.n.5.

g *Apud Messigha c.10. de Purgat. Sancti Patritij.*

Pergunt Matthæus Paris, Henricusque. *Transeuntes autem in Hyberniam, Monasterium construere cœperunt, manentes simul ibidem duobus annis cum dimidio. Gilbertus Monasterij illius erat Cellerarius; miles autem forinsecus erat in omnibus procurator, & minister deuotus, interpresque fidelissimus. Monachalem igitur habitum ibidem suscipiens, vixit sanctè, ac religiosè, sicut ipse Gilbertus testabatur. Quandocumque verò Gilbertus solus alicubi cum milite fuit, de statu Purgatorij, & pœnis mirabilibus, quas miles viderat, & experimento didicerat, curiosè ab eo quæsiuit. At miles, qui numquam audire potuit de Purgatorio loqui, quin prorumperet in fletum amarissimum, cœpit sub sigillo secreti, amico ad ædificationem ea, quæ audierat, & viderat, & experimento didicerat, enarrare: affirmans sese corporeis oculis omnia conspexisse. Huius autem Monachi industria, & diligentia huius militis, experientia redacta est in scripturam, simul cum relatione Episcoporum regionis, & aliorum religiosorum, qui causa iustitia testimonium perhibuerunt.* Hactenus illi. Pergit Henricus de Gilberto referre testimonium, quod ipsemet audiisset ex eius ore. Eo autem tendit, vt asserat omnia, quæ Ludouicus Enius viderat, nequaquam in visione imaginaria, intellectualive: sed oculis corporeis visa; quod tamen ad rem ipsam non multum interest. Nunc quæ fuerint illa, quæ vidisset, & quæ illum ad perfectam vitam traxerunt, post varios casus, imo post varia crimina, ex eisdem authoribus videamus. 4.

5\. [h] *Miles quidam Oenus nomine, qui multis annis sub Rege Stephano militauerat, licentia à Rege impetrata, profectus est in Hyberniam ad natale solum, vt parentes visitaret. Qui cum aliquandiu in regione illa demoratus fuisset, cœpit ad mentem reducere vitam suam adeo flagitiosam, quod ab ipsis incunabulis, incendiis semper vacauerit, & rapinis; & quod magis dolebat, se Ecclesiarum fuisse violatorem, & rerum Ecclesiasticarum inuasorem, præter multa enormia, quæ intrinsecus latebant, peccata. Miles igitur pœnitentia ductus, ad Episcopum quemdam illius regionis accessit; cui cum peccata sua deuotus per ordinem detulisset, increpauit eum grauiter Episcopus, asserens illum nimis diuinam Clementiam offendisse. Vnde miles multum contristatus Deo condignam facere pœnitentiam cogitauit. Habent enim hoc quasi naturaliter homines illius patriæ, vt sicut alterius gẽtis hominibus per ignorantiam promptiores ad malum: ita dum se errasse cogitauerint, promptiores, & stabiliores sunt ad pœnitendum. Cùm autem Episcopus, vt iustum sibi videbatur, vellet ei iniungere pœnitentiam, miles respondit: dum igitur, vt asseris, factorem meum tam grauiter offendi, pœnitentiam assumam omnibus pœnitentiis grauiorem; & vt peccatorum meorum merear remissionem accipere, purgatorium S. Patritij volo intrare.* Ita Matthæus Paris in sua historia. Sequuntur dissuasiones multæ Episcopi, quasi rem arduam, & periculis plenam miles assumeret. Sequitur & Prioris, Conuentúsque, qui in loco consistere dicuntur. Et tandem, cum ea se omnia superaturum, diuina fultus gratia, miles promitteret; neque à proposito desistere acquiesceret, processionaliter ad speluncam ductus est.

h *Apud Messingh. cap.4. Purgator. S. Patritij.*

Qualiter

Qualiter autem eam ingressus sit, redeuntibus, qui eum illuc adduxerunt; idem, qui supra, Author [i] ita prosequitur. *Miles autem viridem gerens animum, quod alios audiebat absorbuisse, non formidabat periculum; & qui quondam ferro munitus pugnis interfuit hominum; modo ferro duriori; fide, spe, & iustitia armatus, de Dei misericordia præsumens, confidenter ad pugnam prorupit Dæmonum; atque omnium se orationibus commendans, frõtem suam viuifica Crucis signo muniuit, ac intrepidus portam intrauit; quam Prior deforis obserans, Ecclesiam cum processione repetiuit.* Hactenus ille.

i Apud Missingha. Vbi suprà.

6. Longum esset, quæ in antro passus est, quæ audiuit, & vidit, cuncta transcribere, cum maximè in Messinghamo, si desit Matthæus Paris, videri possint. Decem pœnarum loca pertransiuit, adeo plena horrore, adeo exquisitis tormentis torquentia homines, vt quod vnum in eis mitius erat, crudelissimum foret, nimirum quod afflictos non necarent, æternis semper cruciatibus superstites, quos numquam se sperarent non passuros. Erant, qui proni iacentes super terram, clauis ignitis per manus, pedésque altè transfixi: terram mordere, præ doloris angustia, conspiciebantur. Erant, qui resupini, præter clauos, quos germinabat terra; ventre, & reliquis membris, dracones igneos, bufones, & diuersos serpentes continuò pascerent, non vnquam absumendi, nec perituri. In tertio campo densis transfixos clauis alios homines vidit, quibus ab omni parte circumdabantur, vt nullus locus in miseris corporibus ab ea pœna vacuus, nec vnius digiti spatio conspiceretur. Diuersa exinde genera cruciatuum in quarto campo. Alij suspendebantur catenis igneis super sulphureas flammas: alij ab vncis pendebant, per oculos, per nares, per genitalia: hi verubus infixi; illi super sartagines impositi æternùm torrebantur; insultantibus spiritibus malignis, queis loca plena erant, & per flagella, fustes, tunsionésque, verberibus, vstiones; & tormentis, tormenta cumulantibus. Quinto, illi, loco, ostensa rota ferrea vncis plena candentibus, queis homines infixi rotabantur; parte inferiori terræ adeo coniuncta, vt miseros contereret, & inter flammas sulphureas dilaniaret. Tum sexto loco balnea illi monstrata, liquatis igne metallis inundantia, quibus animæ immersæ ab igne fluido, vsque ad intimas singulorum ossium medullas penetrabantur. Inde pallidi alij septimo loco, quasi, qui mortem, aut quid morte molestius præstolarentur. Miseri summitatem montis tenebant, à qua; violentia venti mox deiecti, in flumen æquè fœtidum, ac frigidum præcipitati sunt; Oeno milite pariter proiecto, & perituro ibidem, nisi inuocato nomine Iesu, ipsius gratia fauente, substractus esset. Neque hoc solum contigit in flumine, sed in singulis pœnis, nam nullam non Oenus expertus est, agentibus Dæmonibus: sed neque vlla etiam ex eis fuit, quam statim ac sentiret, non euaderet, sola nominis Christi inuocatione.

7. Restabant adhuc duo illi superanda genera tormentorum, puteus nimirum igneus à violentia flammarum proiiciens sursum, quos statim iterum foret resumpturus. Quippe ab innata ignis inquietudine, dum nunc sursum erumpit, nunc recedit; aut proiiciebat miseros patientes, aut cedebat proiectis, iterum erupturus; vt cadentes susciperet, & nouo impetu rursum iacularet. In hunc proiectus miles penè defecit, & *tantas angustias* (ait Matthæus Paris) *ac tam intolerabiles miserias pertulit, vt diu Saluatoris sui oblitus sit nominis: sed, Deo tandem inspirante, rediens ad se; nomen Iesu-Christi, vt potuit, exclamauit; statimque vis flamma, eum sursum in aerem leuauit. Descendens itaque iuxta puteum, aliquandiu attonitus stetit, ignorans quò se verteret. Sed ecce noui, & quasi incogniti Dæmones ex ore putei prorumpentes, dixerunt ei: Et tu quid ibi stas? socij nostri tibi dixerunt, quod hîc sit infernus; mentiti sunt; non ita fore scias: nam consuetudinis nostra semper est mentiri, vt quos per verum decipere non possumus, decipiamus per mendacium: hic non est infernus, sed nunc ad infernum te ducemus. Trahentes igitur militem hostes noui cum tumultu magno, & horrisono, peruenerunt ad flumen quoddam latissimum, & fœtidum, ac totum tanquam sulphurei incendij flamma coopertum, Dæmonúmque multitudine repletum. Dixerunt ergo ei: sub isto flumine noueris infernum esse. Pons verò protendebatur vltra flumen, in quo tria quasi impossibilia, & transeuntibus valde formidanda videbantur: vnum quod ita lubricus erat, vt etiam si latus fuerit, nullus vel vix aliquis in eo pedem figere posset. Alterum, quod tam strictus, & gracilis erat, & à flumine remotus, vt horrendum esset deorsum aspicere. Oportet te, inquiunt Dæmones, per hunc pontem transire: nos autem ventos, & turbines commouentes de ponte proijciemus te in flumen: socij verò nostri, qui in eo sunt, te captum in infernum demergent. Volumus enim probare, quam tutum tibi sit, super pontem istum ambulare.* Hic vltimus cruciatus Oeni fuit, quem fœliciter etiam pertransiuit.

At postquam cunctis per ipsum superatis, fugati Dæmones; & vltra pontem sui iuris effectum liberum reliquerunt, indemnémque. Tum verò miles. *Vidit ante se murum altum* (pergit author [l]) *& in aerem euectum: erat enim murus mirabilis, incomparandi decoris, & structura impretiabilis; in quo portam vnam, sed tamen clausam, cernebat, quæ metallis diuersis, ac pretiosis exornata lapidibus mirabili splendore radiabat. Ad quam cum miles appropinquasset, sed adhuc quasi spatio dimidij milliaris abesset, porta illa contra eum aperta est; & tanta suauitatis odor per eam exiit, vt, sicut ei videbatur, si totus mundus in aromata verteretur, huius suauitatis abundantiam non vinceret; tantasque vires ex ea recepit, vt æstimaret se tormenta, quæ pertulerat, iam posse sine molestia sustinere. Respiciénsque intra portam, vidit portam Solis splendorem claritate vincentem. Cum autem aliquantulum distasset, egressa est in occursum eius cum crucibus, cereis, & vexillis, ac velut palmarum aurearum ramis, talis, ac tanta, & tam ordinata processio, qualis, ac quanta in hoc mundo, prout æstimauit, nunquam visa est. Sequebantur prædicta, vtriusque sexus, diuersæ ætatis, & vniuscuiusque Ordinis homines: Alij quasi Archiepiscopi; alij vt Episcopi, alij vt Abbates, & Monachi, Canonici, Presbyteri, ac singulorum Ecclesiæ graduum ministri, sacris vestibus suo ordine congruentibus induti. Omnes verò tam clerici, quàm laici, eadem forma vestium ibi videbantur amicti, in qua Deo seruierunt in sæculo. Militem verò omnes cum magna veneratione, & iucunda lætitia susceperunt, eorúmque cum concentu harmonia sæculo inaudita, intra portam secum fœliciter conduxerunt. Finito itaque conuentu, & soluta processione, recedentes seorsim duo, velut Archiepiscopi, militem in suo Comitatu susceperunt, secumque duxerunt, quasi patriam, & eius amœnitatem ostensuri: qui cum eo loquentes; primò benedixerunt Deum, qui tanta constantia in tormentis, per quæ transiit, & pertulit eius animam roborauit.* 8.

l Vbi suprà.

Ipsi igitur militem per amœna patria conducentibus, 9.

tibus, huc, illucque pertransiens multo plura quam ipse, aut aliquis hominum peritissimus, lingua, vel calamo posset explicare, delectabilia, iucundaque prospexit. Tanta verò lucis erat illa patria claritate lustrata, vt sicut lumen lucernæ, Solis obscuratur splendore; ita Solis claritas meridiana posse videbatur obtenebrari, lucis illius patriæ mirabili fulgore. Nox illam nunquam obnubilat, quia splendor eam purissimi cæli perenni claritate perlustrat. Erat autem tota patria quasi prata amœna, atque virentia diuersis floribus, fructibúsque, herbarum, & arborum multiformium decorata: quorum, ait, odore sine fine vixisset, si ibidem ei viuere licuisset. Finem verò Patriæ; præ nimia ipsius magnitudine scire non potuit, nisi tantum ex ea parte, qua per portam intrauit. Tantam in ea hominum vtriusque sexus vidit multitudinem, quantam in hac vita neminem æstimabat vidisse, aut residuum sæculi credidit continere posse: quorum alij in his, alij in aliis locis per conuentus distincti commanebant; sed tamen prout volebant, alij de istis in illas, alij de illis in istas cateruas cum lætitia transibant; sicque fiebat, vt alij de aliorum visitatione gauderent. Chori choris per loca assistebant, dulcisque harmoniæ concentu Deo laudes resonabant. Et sicut stella differt à stella in claritate; ita erat quædam differentia concors in eorum vestium, & vultuum claritatis venustate. Alij enim inclusi videbantur vestitu aureo, hyacinthino, cæruleo, candido; forma tamen habitus singulorum erat eadem, qua vtebantur in sæculo, quæ proinde militi indicabat, cuius meriti quisque fuerit, vel ordinis: quorum habitus, varius color, varia videbatur claritatis splendor. Alij quasi Reges coronati incedebant; alij palmas aureas in manibus gestabant. Talium igitur, & tantorum fuit in illa requie iustorum militi delectabilis aspectus, nec minor eorum harmonia, suauis, & ineffabilior dulcis auditus: vndique audiuit Sanctorum concentum Dei laudem personantium, singuli verò de propria fœlicitate gaudebant, sed & de aliorum gaudio singuli exultabant. Omnes verò qui militem intuebantur, de eius aduentu Dominum benedicebant, & de eius à Dæmonibus ereptione congaudebant. Et videbatur ibi de ipsius aduentu quodammodo quasi noua exultatio fieri. Non æstum, non frigus ibi sentiebat, nec quod vllo modo posset offendere, aut nocere videbat: omnia enim pacata, omnia placida, omnia grata; multo plura vidit in illa requie quàm aliquis hominum loqui sufficeret, aut scribere. Pergit de aliis venerabilium Præsulum dictis ad militem Oenum; & tandem de discessu eius concludit.

10. [m] *Miles igitur Oenus acceptâ benedictione, nolens egreditur, & tristis admodum, eadem, qua venerat, reuertitur via, à Præsulibus ad portas paradysi reducitur, & ipso egresso, porta post ipsum clauditur. Egressus itaque de Paradyso, mœrens, & lugens, eo quòd alterata fœlicitate, ad huius sæculi miseriam reuerti coactus fuerit, via, qua venerat, reuersus, ad aulam præfatam, in qua eum Dæmones primitus inuaserunt, peruenit. Dæmones autem in suo reditu vidit, sed ad eius aspectum, quasi timentes, per aëra diffugerunt: & tormenta, per quæ transiit, eum lædere nequierunt. Cumque intrepidus aulam prædictam intrasset, ecce quindecim viri, qui ibidem primò ei apparentes illum instruxerunt, confestim occurrunt ei, Deum glorificantes, qui tantam illi constantiam in tormentis contulerat. Eiusque victoriæ congratulantes dixerunt: Eia frater noster, ecce iam in patria tua, lucis aurora clarescit; ascende igitur quantocius, nam si Prior Ecclesiæ, post Missarum solemnia, cum processione veniens, ad portam te redeuntem non inuenerit, de tuo reditu desperans, obserata porta ad Ecclesiam redibit. Miles igitur accepta benedictione protinus ascendit: & eadem hora, qua Prior portam aperuit, miles de intro veniens apparuit; quem cum gaudio, & Christi laudibus Prior suscipiens, in Ecclesiam perduxit; ibique eum diebus quindecim orationibus insistere fecit. Deinde signaculo Dominicæ Crucis in humero suscepto, & in terram sanctam deuotè proficiscens, sepulchrum Domini Hierosolymis, cum locis aliis venerabilibus, in sancta contemplatione petiuit. Inde, expleto laudabiliter peregrinationis voto, reuersus, Regem Anglorum Stephanum Dominum suum, cui familiaris extiterat, consulturus adiit, vt eius tanquam industrij, & prudentis viri consilio, in sancta Religionis ordine, reliquum vitæ suæ expleret, ac Regi Regum de cætero militaret.* Et cætera, quæ suprà memorauimus.

[m] *Apud eūdem c. 10.*

Hactenus historia Oeni militis sanctè in Cistercio tandem consummati; quæ siue verè, & realiter acciderit, siue in visione tantum, planè admirabilis, & digna, quæ inseratur nostris Annalibus. De Purgatorio ipso S. Patritij in quarto tomo annalium: de Henrico Salteriensi Gilberti discipulo, qui primus hanc historiam scripto mandauit, súperiùs diximus. De Gilberto; in Abbatem promotum constat, incertum cuius domus, nisi quod tamen Thomas Messinghamus [n] ad marginem libelli de purgatorio S. Patritij, Abermorech notum designare videtur, quæ in Scotia. Cæterum ex vniuersa hac historia (nam & id obiter libet adnotare) videat lector, quàm turpiter errauit author Hispanus, [o] qui libellum, sub titulo purgatorij S. Patritij, vnà cum Ludouici Ænij historia, Serenissimæ infanti sorori Margaritæ dicauit. Quippe qui Oenum Prædicatori fratri, siue Dominicano detexisse peccata sua ait, pœnitentiam ab ipso recepturus, quem tamen constat; viuente Rege Stephano, qui sexaginta ferme integris annis Prædicatorum Ordinem præcessit, reducem ex Oriente, cum antea purgatorium ingressus esset. Rursus eumdem à pueritia exulem, in Tolosa vrbe Galliæ vixisse primùm: dein, rapta Moniali consanguinea, reliquum vitæ in Hispania consummasse: & tamen familiaris Regis Stephani, in Anglia magis eguit commorari. Tertio, quod ait absolutum Romæ à fratre pœnitentiario summi Pontificis, ex coæuis authoribus conuincitur, qui non in vrbe, sed magis in Hybernia; neque à pœnitentiario, sed ab Episcopo absolutum affirmant, vt iam ostendimus. Demum quod ait, mansisse in Monasterio speluncæ vicino, vbi & religiosam vitam professus fuerit; aduersatur eisdem manifestè: qui ab egressu, ante omnia cruce signatum perrexisse in Orientem, & loca sancta deuotè visitasse, memoriæ produnt. Inde in Angliam reuersum, authore Stephano, non ad Canonicos regulares in Hyberniam, qui Monasterium vicinum antro tenebant: sed cum Gilberto, & Monachis Ludensibus reuersum in Hyberniam, quorum pòst professionem sequutus fuerit. Vt inde etiam, quæ de eius flagitiis memorat, suspecta reddantur, & exornandæ historiæ magis conficta, quam vera meritò debeant reputari. Ex veris selectiora colligit Dionysius Carthusianus libro de quatuor nouissimis, quæ eadem inculcat aliis in locis [p]. 11.

[n] *Cap. 10.*

[o] *Montaluā.*

[p] *Art. 48 de partic. animar. iudicio.*

1. *Beati*

1. *Beati Quardi per Adrianum Papam canonizatio.* 2. *Franconis, primi Abbatis Alnensis, mors; laudesque, tam ipsius, quàm successoris.* 3. *Fundationes paucæ, & obscuræ præsentis anni;* 4. *Odornai, seu Kyrieleyson* 5. *de qua aliquid dictum:* 6. *Deinde Stanleia;* 7. *& Bonusfons de Taresca;* 8. *ac tandem Egles.*

CAPVT VI.

1. EIVSDEM anni fine, Sanctorum Canoni adscribitur. B. Quardus, mutato, (vt diximus) per Pontificem Adrianum, recens electum, nomine, in ipsa Canonizatione. Quippe à fama crebescentium miraculorum, Famianum eum voluit appellari: sic enim scriptum extat in eius actis. *Quapropter ab Adriano IV. Pontifice maximo, anno ab eiusdem salutiferi Domini natali M.C.LIV. mutato sibi Quardi nomine, ob miraculorum famam, latina nuncupatione Famianus dictus, & in Diuorum numero relatus fuit.* Porrò hinc constat inter Sanctos relatum mense Decembri, cum vix Adrianus conscendisset cathedram Petri. Quippe creatio secunda eius mensis, vt habet Baronius, [a] non extra illum potuit, si in hoc anno. Certè si Monasterium S. Laurentij, vbi Monachum induit, in Hispania huc vsque permaneret; illic haud dubiè foret celebrandus. Nunc Vrsariam concernere videtur, siue quia illi vnitus Sanctus Laurentius; siue quia ex illa prodiit, tempore quamuis breui permansurus.

a *Ad hunc ann.*

2. Hoc item anno decessisse in Belgio lego venerabilem Franconem, primum Abbatem Alnæ, à Bernardo illuc missum; insignem pietate virum, doctrinaque; cum annis sex præfuisset tenellæ domui. In locum eius Gerardus subrogatur, dictus de Græuio, qui creditum à Deo sibi gregem eximiè promouere curauit vtrisque bonis. Extant de eo versus, honorifici satis; quos ab Henriquez adductos in Fasciculo,[b] quia annus mortis latet, hìc censui à nobis fore describendos.

b *Li. 1. dist. 4. cap. 10.*

Dum sibi vita fuit, quod ius, quod fas erat egit;
Hunc à iustitia nec opes, nec inedia fregit.
Vas virtutis erat, nihil basis ei vitiorum;
Mentibus istud idem conspersit discipulorum.
Namque, volente Deo, curam retinens animarum;
Auxiliante Deo, curam benè gessit earum.
Sanus, & æger enim, virtutibus vsque studebat:
Hos sibi commissos verbo, factóque docebat.
Sic subiectorum lucra gerens interiora,
Quærere propterea non desinit exteriora.
Nam pariter Moras, & muros ædificabat.
Ergo, fauente Deo, non in pœnis teneatur,
Sed cum Christicolis æterna luce fruatur.

Hæc in laudem Gerardi, cantata olim, permanere dicuntur in Bibliotheca inferiori Alnæ, consetuandæ memoriæ Præsulis sancti.

3. Sub idem tempus floruisse in Gallia lego venerabilem Petrum, Episcopum Podiensem, siue Anicensem, ex Cistercio assumptum, quo præsidente, eiusdem Ecclesiæ bona, possessionesque, Anastasius IV. sub sua, & B. Petri protectione suscepit, atque Apostolica muniuit auctoritate, anno M.C.LIV. vt habent Tabulæ Episcoporum Podiensium. De anno mortis eius non satis constat, sicut nec de electione, adeóque ignotum quanto tempore præfuerit. Ainardi, quem habuit successorem, nulla memoria ante annum M.C.XCII. Vnde probabile Petrum, post hunc annum multo tempore vitam produxisse. Quocumque obierit, Cistercij sepultus est cum duobus Robertis, Lingonensi, Cabilonensique, addita tumulo communi inscriptione.

Hic duo Roberti, Lingonensis, Cabilonis,
Pontifices pausant, simul & Petrus Podiensis.

Hæc, quia non alium annum certum habent, in hoc, quem habent, censui inserenda.

Fundationes tres tantùm numerantur præsentis anni; quippe a morte Bernardi, Eugeniique, quasi deiectis animis, satis supérque fore videbatur, si non decrescerent. Sed reuera ab hoc anno, & deinceps, etiam si nullus ferè sine aliquibus, rariora tamen surrexere Cœnobia per totum orbem, quod ipsa historiæ series manifestabit. Quæ nunc concernunt, tria Monasteria Chronologia recenset sequenti ordine. 4.

Anno M.C.LIV. III. Kalendas Iulij, fundata est Abbatia de Kyrieeleyson.

Eodem anno, & die, Abbatia de Stanleia, Imperatricis.

Eodem anno, Abbatia Bonifontis de Taresca.

Hæc tantùm ibi. Quibus & quartam aliam addere possumus, Abbatiam de Egles, quia hoc anno fundatam auctores produnt: & aliàs video prætermissam in Chronologia.

Primum Cœnobium binomium apud auctores, Odonai etiam dictum, illustre reddit sepulchrum Sancti Christiani, Lismoriensis Episcopi, qui in eo tandem elegit inhumari. Fundata domus in Diœcesi Herfordensi, colonia Monachorum ex Magio missa, & dilatante lineam Claræuallis. Ita in Genesibus Ecclesiarum Claræuallensium. De eo hæc habet Iacobus Vvaræus. [c] *Odornai, aliàs Kyrieleyson, in Comitatu Kerriensi, fundatur anno Domini M.C.LIV. In hoc sepultus est. M.C.LXXXVI. Christianus, illustris ille Præsul Lesmoriensis, quondam legatus Hyberniæ, æmulator virtutum (inquit auctor anonymus Annalium nostrorum) quas viderat, & audierat à sancto suo Bernardo, summoque Pontifice, viro venerabili Eugenio cum quo fuit in probatorio apud Claramuallem.* Hæc Vvaræus. 5.

c *In Cœnob. Hybern.*

Sequitur Stanleia Imperatricis, quam, vt existimo, Nicolaus Arsfeldius memorat in Comitatu Vvarvvichiæ; quamuis non à Mathilde Imperatrice, quod nomen sonat; sed ab Henrico filio fundatam tradat. [d] *Stanleia (ait) Fundator Henricus secundus Rex. Monachi Albi.* Potuit facilè confundi cum matre filius, atque alter pro altero substitui: potuit vterque fundationi cooperari. Demum potuit fundatam à filio domum, singulari fauore complecti mater, à qua nomen acciperet; & Stanleia Imperatricis ad differentiã alterius appellaretur. Nata hoc anno domus satis ostendit pietatem Henrici fundatoris, eodem tempore construentis Abbatiam, quo ad regnum est assumptus; aut fortè magis diuinam bonitatem, atque retributionem, eodem tempore Henricum assumentem ad Regni solium, quo ipse Deo præparabat habitationem: quippe Stanleia surrexit mense Iunio; Henricus verò Stephano successit mense Octobri. 6.

d *In Cathal. Sacrarum ædium Angl.*

Memoratur Stanleia Cisterciensis Ordinis in litteris Innocentij Papæ III. Datis Reati V. Idus Nouembris, Pontificatus ipsius anno VII. graui Abbati ipsius causa commissa, cum Bergensi Episcopo, super Regis Noruegiæ coronatione. Video & Stanleiam Likefeldensis Diœcesis, Ordinis Cisterciensis, memoratam ab Honorio Papa IV. sed, an sit eadem, Anglorum linquo iudicio.

7. Bonumfontem, cognomento, de Taresca, diuersam domum à Bono-fonte Conuennarum, filia Morimundi, Chronologia conuincit: quippe, quæ alteram ad annum M.C.XXXI. alteram hoc M.C.LIV. natas commemorat: Secundam hanc in Rhemensi Diœcesi sitam notat Robertus Claudius in sua Gallia: & filiam Signiaci de linea Claræuallis memorat Longelinus, quamuis annum nimium anteponens, & cum priore confundens, licèt immeritò. Fundatores creditur habuisse Dominos de Rumigny, qui & in eadem Ecclesia sepulti iacent. Extant indulta Innocentij Papæ IV. Gregorij X. Clementis VI. ad Abbatem, & Conuentum Bonifontis, Diœcesis Rhemensis, Ordinis Cisterciensis. Illustratur insigni Priore, B. Thoma, quem inter viros sanctitate celebres, quos protulit Cistercium, Ioannes Abbas,[e] & Missale antiquum Ordinis: tum & Cathalogus de prospero, & aduerso eius statu; atque ex eis recentiores [f] omnes commemorant. Haud tamen certum, qua ætate floruerit, sed neque quibus Actis: quod, ô vtinam, alij superaddant.

e In suis Cathalog. f Miraus lib. 5. Orig. c. 15. Menol. Iul. 3.

Fundationem Cœnobij dicti de Egles in Scotia, neque hic, neque alibi inuenio notatam in Chronologia, nisi fortè sub alio diuerso nomine, quod non semel in ea solet contingere. Vnde confusio aliquarum Ecclesiarum, & aliquarum etiam repetitio facilè prouenit. Extare tamen in eo regno domum, & surrexisse hoc anno, Rogerius Ovvedenius, antiquus auctor;[g] & ex eo Thomas Demsterus, [h] testificantur. *Egles (ait hic vltimus) in Mers, Ordinis Cisterciensis. Fundatrix Comitissa Marchiæ, siue de Mers, anno M.C.LIV. Rogerius Ovvedenius; in limine partis secundæ.* Ita Demsterus. Chrysostomus Henriquez [i] in Menologio dolet, quod Comitissæ fundatricis nomen perierit. 8.

g In Annal. h In apparatu. i Maij 3.

Iesu Christi Ann. 1155. Cistercii Ann. 58.

1. B. Patris Gozeuini mors, 2. sepulchrum, Sanctitas, 3. Lamberti successio, 4. & sub ipso primum Capitulum: 5. ad quod epistola Friderici Imperatoris, 6. Cisterciog loriosa, 7. pro se humilis, in fratrem Ordinis admitti postulantis, 8. & gratias referentis, atque referri optantis pro beneficiis. 9. Perpensa in ea quædam notatu digna. 10. Fundata Runa; 11. & Albertus, ex Monacho Cisterciij, Cardinalis ab Adriano creatus.

Caput I.

1. Qvinqvagesimvs quintus salutis annus, supra millesimum, centesimúmque, Cistercij vero octauus & quinquagesimus, sequitur enodandus, funestus nostris morte Gozeuini vniuersalis Patris, quæ incidit in vltimum diem mensis Martij præsentis anni. Et quidem quod ad diem attinet habemus fidelem testem Martyrologium Ecclesiæ Cisterciensis in quo SS. Abbatum notantur obitus: ac Gozeuini inter alios sub his verbis.[a] *Pridie Kalendas Aprilis obiit Dominus Gozeuinus, quintus Cistercij Abbas.* De anno verò, si iungas priuilegium Adriani IV. indultum successori eius Lamberto, IV. Kalendas Martij indictione, V. Anno salutis M.C.LVI. facili calculo præsentem computans. Quippe non potuit in illo decessisse Martij XXXI. in quo ante biduum successorem sortitus fuerat. Obiit ergo hoc anno S. Pater, cum quinquennio (quadriennium alij volunt) præfuisset Cistercio, magna cum omnium bonorum approbatione. Corpus viri sepulturæ mandatum est iuxta Sanctissimos suos prædecessores, Albericum, Stephanum, Raynardum, quibus hodie coniunctus perseuerat, inscriptione iam sæpius repetita, nempe communi ipsi cum aliis pluribus.

a Martyrol. Cister.

BEATI, AC VENERABILES PATRES ABBATES MONASTERII, ET ORDINIS CISTERCIENSIS, FVNDATORES, ET AMPLIFICATORES HIC SIMVL RECONDITI SVNT, VIDELICET DOMNVS ALBERICVS II. STEPHANVS III. RAYNALDVS IV. GOZEVINVS V.

2. Hinc videas Gozeuinum inter Beatos, ab ipso transitu cultum obtinuisse, Stephano, Albericóque compositum: ac seriem illam gloriosam continuasse (dubium, an hactenus visam extra Cistercium) viginti quatuor Abbatum successorum, quos adeo antiquitas venerata est, vt omnes putaret adscriptos Sanctorum Canoni; quod multi, & graues Auctores affirmarunt. [b] *In dextro* (inquiunt Vvernerus Vvestpholus, Chronicon cum figuris, atque ex illis Renatus [c] in Monastico) *in dextro, inquam, latere eiusdem Ecclesiæ* (nimirum Cisterciensis) *viginti quatuor Abbatum SS. corpora cernuntur.* Cùm tamen plures sancti, quam qui ibidem: vt de Lamberto, & aliis dicam in tempore. De Gozeuino (Gotonium alij nominant, alij Goduinum, inflexa, seu corrupta parumper voce, pro modo articulantium, aut scribentium) Ioannes Cistercij Abbas Missale antiquum Ordinis; atque item Dialogus de prospero, & aduerso statu eius, & ex ipsis ferè omnes [d] Recentiores, Philippus Seguinus eruditionem viri commendat, cuius vtinam monumenta aliqua extarent.

b In suis Chronicis. c Lib. 1. tit. 3. num. 25.

d Apud Henriquez in Menologio Martij 31.

Gozeuino ad superos translato successit Lambertus, ex Abbate Morimundi, cuius superius fecimus mentionem; vir planè æquè Sanctus, Doctúsque, de quo Chronicon metricum hæc habet.

Sextus accessit toto venerandus in orbe
Nomine Lambertus, redolenti plenus odore.

Sedit

Sedit ad clauum annos sex,& paucos menses; post quos adhærens vestigiis Parentis Stephani, vltro se abdicauit præfectura, plenus æquè virtutum, atque dierum. Sed de his suo loco erit agendum. Interim adnoto in Tabulis sepulchrorum Cistercij irrepsisse mendum,quod multis sanè errandi occasio fuit;numeratur Fastradus V I. Abbas, qui Stephanus deberet numerari. Nempè Lamberto omnino prætermisso : Ideo forrassis,quia ibidem non sepulto;cum tamen,si hæc ratio quid conuinceret, nec Albericus I I. nec I I I. Stephanus,deficiente Roberto,sed primus,secundusque dici deberent. Lambertum V I. vltra Chronicon metricum conuincit Carhalogus Abbatum Cistercij, atque indultum Adriani Papæ I V. ad ipsius petitionem, quod infra reddam. In Morimundo Henricus substitutus, quem annalem Abbatem Tabulæ produnt; quod tamen puto de Lamberto potius dictum,qui reuera vno tantum anno sedit,successori applicatum per errorem.

e Apud Robertum in sua Gallia.

4. Verùm quia de Lamberto semel cœpimus, florentem statum Cistercij sub eius ferula, ex facto Friderici, tunc recens coronati Imperatoris; factum ex ea,quæ hodie extat, epistola ad Abbates Cistercij congregatos, his annalibus digna, perpendamus. Itaque hoc ipso, quo Lambertus promotus anno, primæ cui præfuit generali synodo, cum Fridericus Romanorum hactenus Rex, armata manu,in Italiam descendisset, vt ab Adriano in Imperatorem coronaretur : Cúmque post varias vtrinque legationes,varios vtrinque metus,potitus votis,cum magna gloria ad suos reuerteretur : illud in primis grati in Deum animi, argumentum putauit posse ostendi, id vinculum firmandæ fœlicitatis : si Capitulum generale, quod minus per se poterat; per Legatos adiret; ac se per eos eis in Cistercij fratrem admitti supplicaret humilis, postularet deuotus : haud melius aliter, vel beneficiis acceptis gratus, vel accipiendis dignus inueniendus. Extat Epistola eiusdem, ad Abbates, grauis sanè,sed humilis:& Cistercensium supra modum, sub id tempus,aut sanctitatem commendans, aut opinionem. Atque ecce exemplar.

5. [f] *Venerabilibus in Christo Patribus, & amicis dilectissimis,omnibus Abbatibus Cisterciensis Ordinis,Fridericus Dei gratia Romanorum Rex, semper Augustus, & Rex Siciliæ, salutem in Domino, & ad omne beneplacitum ipsorum paratum, & expositum.*

f Tom. 2. priuileg. fol. 179

Si (iuxta veritatis vocem) vbi duo, vel tres congregati fuerint in nomine Domini nostri IesuChristi, ipse in medio eorum est:quid credendum est, vbi non solummodo duo,vel tres, sed tot nobiles athletæ Christi,tot excelsæ columnæ Ecclesiæ suæ in nomine suo, imo ad honorem nominis sui, de diuersis mundi partibus coadunati sunt, & congregati : nisi quod ipse in medio vestrum habitat, & Spiritum suum : quem in vos ipse transfudit, & sanctissima pectora vestra seipso inflammauit : De qua igitur re, succensi flamma charitatis consenseritis, certissimè obtinebitis, & fiet vobis,& quidquid postulaueritis Patrem in nomine dilectissimi filij sui Domini Iesu, dabit vobis affluenter,& non improperabit.

6. *Credimus enim,immo verè scimus, quod tanta est sanctitas huius reuerendi Ordinis,tamque est placens, tamque suaue, & acceptabile holocaustum orationum vestrarum, quod ei, quotidie offertis sub carnis vestræ maceratione,& mortificatione : quod omne id, quod à Creatore nostro duxeritis petendum, cùm pius ipse sit, & promptus ad benefaciendum, obtinebitis à multitudine miserationum suarum. Est etiam fides nostra non vtique parua, quod hic mundus, qui lubricus, & immundus est, & in maligno positus; orationibus vestris sustentatur, & à facie furoris illius tremendi iudicis, cuius iram peccatis nostris accendimus, defensatur, auertendo suam, quam meremur indignationem.*

Cum igitur hoc firmissimè credamus, quod ab ipso Patre misericordiarum piis orationibus vestris impetretis, quidquid ab ipso in nomine vnigeniti Filij sui humiliter postulaueritis: nos, qui peccati pondere recognoscimus oppressos nos esse,omni humilitate,omni deuotione ab vniuersis vobis & singulis, qui in nomine Christi hic conuenistis; petimus, & obsecramus omnium precum instantia,quatenus in fraternitatem vestram nos recipientes, & in consortium sanctissimum orationum vestrarum nos colligentes, speciales Creatori nostro preces effundere dignemini, vt gratia sua misericorditer in nobis deleat,& emendet, quidquid hactenus commisimus, humanæ carnis infirmitate; & in his, quæ sibi placita sunt, nos conformare dignetur : & licèt peccatores simus, cùm tamen per ineffabilem misericordiam, Romani Imperij gubernacula susceperimus, det ipse nobis, vestro pio interuentu, spiritum iudicij, & veritatis; vt sic sub nobis regatur Imperium, & disponatur, vt ad laudem, & gloriam nominis sui,sancta sua Ecclesia,quam in ara crucis sanguine suo redemit, pacis gaudeat optata tranquillitate; & nos post decursum temporalis huius Imperij, vna vobiscum ad Imperium sine fine mansurum peruenire possimus, & ipsum videre in decore gloriæ suæ, qui pro nobis humilis, & despectus fieri, non despexit. Et quia hoc, timore meritorum nostrorum, obtinere formidamus, piis orationibus vestris hoc consequi posse speramus,& optamus. 7.

Cæterum,quia signum viuificæ Crucis,die nostræ coronationis accepimus, vt labore,& studio nostro,terra sancta,terra,quã calcauerũt pedes Domini;terra illa, in qua Dominus salutem omnium nostrorum operatus est;à manibus inimicorum Crucis Christi, qui eam violenter detinent, capiatur; suppliciter petimus, vt vestris sanctissimis orationibus desiderium nostrum compleatur. Adhuc quia recognoscimus,quia omnino ea,quæ diuina clementia circa nos, & in nobis misericorditer,& miserabiliter operata est,per Dominum, & Patrem nostrum summum Pontificem, sicut per Vicarium, & ministrum suum dignata est operari; petimus humiliter,& deuotè,vt quia ad persoluendas debitas gratiarum actiones, pro tantis beneficiis nos ipsos iudicamus insufficientes,vos vice,& loco nostro, hoc apud ipsum velutis piissimis orationibus vestris promereri : vltimò orationibus vestris nos recommendantes, scire vos volumus quod omnibus diebus nostris, huius Sanctissimi Ordinis defensores esse volumus, & per omnia facta sua tanquam nostra propria promouere. Datum apud S. Naborem X I I. Kalend. Septembris Indictione I I I. 8.

Hactenus Imperator in suis litteris. Quibus planè videas flagrantem sanctitatis odorem familiæ sacræ, in quem vltro se Principes offerrent:nec solum boni,& modesti,sed etiam discoli. Qui nuper Adriani I V. terror extiterat; qui mox rebellis Alexandro I I I. vrbem, & orbem erat diuisurus,turbaturus Ecclesiam, vnitatem, & pacem fugaturus; Cistercium quærit, etiam non quæsitus: atque vltro sibi ipsi frænum imponit (fraternitatem hominum sanctorum) quo solo postmodum foret coërcendus. Videas secundò fixam, omnium sententiam de sacro Ordine,cuius meritis mundus permaneret, & cui nihil à Deo denegandum, non 9.

solùm homines se credere putarent, verum & scire. Videas tertiò, sub Lamberto primum Capitulum celebratum hoc anno, satis illustre, supplici prece noui Imperatoris; quin & potenti, quam repromittebat, perpetuaque procuranda per ipsum retributione. Sed, quod magis mireris, videas quartò, eius Ordinis constantiam pro Ecclesia: quam non dignatio, non fauor tanti Principis, non nomen fratris, non amor, non spes, non metus, labefactare, aut euertere potuerint; quin se eidem viriliter opponeret; quoties ipse Ecclesiæ, & (quod de hominibus despectis, pannosísque, longè adhuc mirabilius) præualeret. Videas vltimò, quod notauit Baronius hoc ipso anno, sub his initiis fœlicitatem hominis, prospera omnia, & fausta diu, experti; vt non immeritò liceat coniectari, impetratam à Deo Cistercij precibus; nec fortasse euacuandam, quandiu vixit, nisi in Cistercium etiam debacchatus, prior ipse euacuasset fraterna vincula. Sed hæc latè in sequentibus dicenda.

10. Interim adnoto, eumdem Imperatorem sub his initiis, non solùm pium, deuotumque; sed liberalem: quippe, qui Runam, illustre Monasterium, iuxta Gracium, Metropolim Styriæ, fundasse dicitur, ac dotasse magnificè. Quod, quia non video notatum in Chronologia; aut saltem non sub ipso (nam Runam aliam tempore anteriorem superius dedimus) hic mihi duxi fore referendum. Meminit huius fundationis Aubertus Miræus in Chronico Cisterciensi, paucis pro suo more. [g] *Fridericus primus, Imperator, cognomento Barbarossa, in terra sancta moritur, die XVI. mensis Iunij, anno M. C. XC. Tyri sepultus. Is Runam Abbatiam apud Gracium, Styriæ Metropolim, fundauit.* Vtrùm autem huius Runæ mentio fiat in litteris Innocentij, Papæ IV. atque item in Concilio Constantiensi, cum cæteris, quæ supra memorauimus, [h] an alterius diuersæ; peritioribus Styriæ, Austriæque, & Geographis linquo discernendum.

g Fol. 184.

h Ann. 1130. c. 7. n. 3.

11. Hoc eodem anno Adrianus Papa IV. inter alios Ecclesiæ Cardinales creauit Albertum, cognomento de Mora Beneuentanum, quem ex Cistercio assumptum, Guido Claræuallensis, nobilis author, atque ex ipso Ferdinandus Vghellus in additis ad Chaconium, adnotarunt. Initia eius nobis subobscura, nisi quod filium Sertorij de Mora Beneuentani, aliàs Spanedrionis, Chaconius memorat. Cæteri authores Monachum pronunciant, congregationem reticent: Guido, & Vghellus Cisterciensem, vt dixi, produnt, sed tacita etiam Ecclesia professionis. Accepit titulum Diaconi Cardinalis Sancti Adriani, in Presbyterum S. Laurentij in Lucina ab Alexandro III. & in Romana Ecclesia Cancellarium; demum in Gregorium Octauum, summum Pontificem, vt suis locis dicemus, promouendus.

---

1. *Andreas Virdunensis in ipso tyrocinio multa perpessus, meditatur discessum.* 2. *Roberti patris pro eo ad Deum oratio,* 3. *quam miraculum ingens est sequutum.* 4. *Eiusdem Sancti visio,* 5. *in obitu cuiusdam ex suis filiis.* 6. *Henricus, futurus Cardinalis, susceptus ad habitum:* 7. *atque Gaufridus, qui post Soræ Episcopus.* 8. *Eiusdem visio in obitu Tiezcelmi,* 9. *quam multa alia sequuta:* 10. *recuperata salus per miraculum.* 11. *Reuelatio de morte S. Rainaldi, & quædam alia de eodem Sancto.*

CAPVT II.

1. IN Claraualle, sub Roberto Patre, multa, & mira, quæ nequeant præteriri sine piaculo. Andræas ex Archidiacono Virdunensi, potenti manu Dei, recens conuersus *multa* [a], (ait Auctor Exordij Cisterciensis) *in nouitate conuersationis suæ tentamenta sustinuit: sed dextera cœlestis, quæ benedictionem dederat, eum in omnibus illæsum conseruauit. Erat enim quasi vermiculus ligni tenerrimus, mollis, & delicatus nimis: vt tantò gloriosius in eo dextera Domini triumpharet, quantò infirmius erat vasculum, in quo virtutem operabatur. Cum enim teneritudinem pristinæ conuersationis ægrè dedisceret; & nouiter inchoatæ Religionis laborem nimis arduum reputaret; cogitauit vt Loth, egressus de Sodomis, non posse animam suam saluare in monte: vnde & proposuit ad aliquem, remissioris obseruantiæ, Ordinem declinare. Quod cum spirituali Patri suo Venerabili Roberto iam sæpius indicasset; & eius salutaribus monitis ab hac intentione pedem aliquandiu cohibuisset: tandem vna die victus à pusillanimitate Spiritus, & tempestate, denunciauerat ei, quia non poterat amplius sustinere.*

a Lib. 2. c. 21.

2. *Tunc Abbas precibus, & blandiciis multis extorsit ab eo, vt sibi ipsi vim faceret, & vsque ad diem tertium, patientiam haberet. Quo tandem vix impetrato, Capitulum Fratrum ingressus, orationem à Conuentu, ad Deum fieri pro eo instituit. Ipse etiam pius Pater toto mentis annixu conuersus ad Dominum deuotissimis precibus orabat, vt ouiculam, quam Diabolus rapere conabatur, Dominus, sua misericordia, conseruare dignaretur. Eadem itaque die, cùm idem Nouitius ad mensam accederet, pisorum edulium appositum reperit. Quod genus leguminum ita præ cæteris omnibus fastidire solebat, vt etiam ei nauseam prouocaret interdum. Intuitus verò pulmentum, quod nimium abhorrebat, conturbatus est: & vix, fame compellente, vt inde aliquid sumeret, reluctanti stomacho, persuadere poterat. Et (ô Deus bone) quàm diues es in misericordia, teneris, & delicatis morem gerens, vt in omnibus consilium voluntatis tuæ adimpleatur, & nomen Sanctum tuum glorificetur. Præfatus Andræas, cùm cibum sibi inuisum tenuiter vix gustare cœpisset, miserabilem in eo sensit quamdam suauitatem, ita vt carnium, vel piscium esum, saporis illius præstantia vinceret. Quod vbi deprehendit, arrepto protinus cocleari, catinum propius admouit: oblitúsque parsimoniæ, coctionem leguminis vorauit vsque ad fundum. Inter edendum autem, digitum in os frequenter mittebat, existimans se deprehendere posse cremia lardi, in quo legumen illud frixum esse putabat.*

Finita autem refectione, festinanter Abbatem adiit, solicitè perquirens, vtrum nam præcepisset pulmentum illud sagimine, vel quauis alia pinguedine, propter ipsum, ex industria, condiri. Illo verò negante, conuenti sunt etiam, super hoc, pulmentarij. Tunc & ipsi protestati sunt in veritate, nihil in eo, præter aquam, & sal, apposuisse. Quo audito Neophytus 3.

phytus ille, diuina gratia, ac visitationis circa se, miraculum latus aduertit; & gratias agens Deo, deinceps à proposito Ordinis moueri non potuit. Cumque, magno munere Dei, secunda, & tertia die, & multo posteà tempore prædictam suauitatem in eiusmodi cibariis persentiret: magistra tandem experientia didicit, quia potens est Dominus, cum voluerit, ad consolationem seruorum, eamdem saporis gratiam conferre leguminibus, & oleribus; quam carnibus, & piscibus indidit. Vnde & sæpè dicebat, quia magis nunc delectabatur in comestione pisorum, & olerum; quàm antè faciebat in comestione altilium, & venationum. Hæc iam secunda mutatio dexteræ excelsi oratione Roberti, fratrumque, dubium, in eis facta, an in edente.

4. Per idem tempus, gloriosus quidam transitus vnius, ex eiusdem Cœnobij Monachis, non solùm Sanctos Angelos in cœlis; verum Patrem, & filios in terris adfecit gaudio; præcedente visione Roberto facta, quam idem, qui supra, Auctor memoriæ prodidit. [b] *Quidam* (ait) *de spiritualibus filiis Reuerendissimi viri Roberti, cum viam angustam, & arduam, quæ ducit ad vitam, indeclinabili studio cucurrisset; tandem placuit Domino laboribus eius finem imponere, vt in pace in id ipsum obdormiens requiesceret. Cúmque iam instaret hora, qua de mundi huius stadio euocandus, & ad Cœleste brauium esset inuitandus; Domnus Abbas, cum cæteris fratribus, gratia quietis, in lectulo suo se collocauerat: & ecce sopor Domini irruit super eum; viditque in somnis duos pulcherrimos adolescentes, vultu, & habitu insigniter relucentes, qui quasi lilia, rosas, violas, ad diuersi generis flores, in Choro Claraualensi copiosè spargebant: ita vt pauimentum omne pictum, ac variis coloribus venustatum esse videretur. Quo viso miratus est valde: & quasi simplicitatem Ordinis Zelans, dixit ad eos: Quid vobis visum est, ô boni iuuenes, contra consuetudinem nostram, pauimentum hoc floribus sternere, & Monasterio nostro huiusmodi nouitatem inducere? Illi verò dixerunt ad eum: Noli ista mirari, neque molestus sis in hac executione officij nostri: quoniam modo in choro isto celebrabitur noua cuiusdam noui sancti festiuitas, de cuius festiuitate gaudebunt Angeli, & Hymnus cantabitur Domino in Sion.*

5. *Adhuc loquebantur illi, & animum videntis, & audientis hæc in admirationem rapiebant; cum ecce concitatus tabulæ strepitus excitabat dormientem; & vt festiuitatem, quam celebrandam intus in Spiritu cognouerat, foris secundum dignitatem officij sui exequeretur, signo cõsuetudinario inuitabatur. Accurrens ergo, cum cæteris fratribus, properanter venit ad eum, & magna deuotione commendauit eius animam. Certissimè credens, atque confidens, quia hic erat nouus ille Sanctus, de quo in requiem assumendo, Angeli Sancti nouam festiuitatem, nouum gaudium essent illico celebraturi.* Sunt, qui hunc Sanctum virum Guicardum nominent: nec satis mihi notum, vnde id hauserint. Quicumque fuerit, térque, quaterque fælix, cuius exitum præuenere Angeli sancti, non solum honorandum in cœlis, sed & in mundo. Nec minus fælix beatissimus Robertus, cui tales contigit filios generare.

6. Cæterùm, inter filios eiusdem Patris, quos hoc eodem anno, aut ad summum, sequenti, Christo genuit, duo alij nobis veniunt recensendi, vterque Sanctus, vterque doctus, vterque à Deo in hac vita sublimandus, & qui non solum ad Cistercij gloriam faciant, verum Ecclesiæ. Primus Henricus, quem Romana Curia Cardinalem Episcopum Albanum præstolabatur: secundus Godefridus, quem Sora ciuitas in Pontificem erat electura. De primo, ex libro sepulchrorum Claræuallis hæc lector habeat. [c] *Henricus vir nobilis, & clarus, de Castro Marciaco, iuxta Cluniacum fuit natus, & sub Domino Roberto de Bruxis secundo Abbate Claræuallis, in hac domo habitum sacræ Religionis assumpsit.* Hæc de genere. De moribus, auctor Exordij Magni nobiliorem describit, virtutum gloria: demum de ætate, illud compertum est, puerum nimis ad Ordinem venisse. Quippe post quadriennium in eo actum, imberbis adhuc vt suo loco dicemus. Sed Henricus implebit Annalium paginas; de Godefrido nunc latius agendum erit.

Patriam, & genus viri, nobis prodit liber sepulchrorum Claræuallis; vbi & tempus suscepti Monachatus, sub Parente Roberto; adeoque intra triennium præfecturæ ipsius, cuius hic annus medius numeratur. *Vir venerabilis* (ait) [d] *Dominus Gaufridus de Milleduno, ex illustri stirpe Gallorum procreatus,* (patria) *Senonensis, qui sub bona memoria, Domino Roberto secundo Abbate Clarãuallis, in ea habitum sacræ Religionis assumpsit.* Hæc de genere, patria, & Monachatu: at de cœlestibus, quibus degens in Claraualle consolari à Deo meruit, reuelationibus, plura, & maiora in Exordio Cisterciensi, quæ non pigeat ad litteram transcribere. Ordiar autem à gloria cuiusdam senis, nomine Tiezcelmi, aliàs Tescelini, per hoc tempus ad superos translati, occurrentibus spiritibus gloriosis; atque ipsa Regina totius gloriæ. Ergo in extremis agente prædicto sene, dum psalleret in choro, cum aliis fratribus, hæc Godefrido per visum, sunt ostensa. 7.

[e] *Videbat* (ait) *& ecce processio gloriosa, & splendida, quæ à Septentrionali parte Oratorij, quasi de Cœmeterio veniens, & coram Presbytero transiens, recto itinere, ad Infirmitorium tendebat. Porrò in ipsa processione Acolythi, Subdiaconi, Diaconi, atque Presbyteri apparebant; qui per singulos ordines, septem, atque septem dispositi, alij autem alio ordine congruo incedebant. Acolythi verò, stolis albis amicti, singulos cereos manibus præferebant. Qui tamen ignes magis, quàm cerei apparebant. Verùm Subdiaconos tunica pretiosa, Diaconos autem Dalmatica fulgida decorabant: ipsósque Presbyteros planeta holoserica insigniter adornabant. Horum omnium singuli congrua ministerij sui vasa manibus baiulabant. Veniebat autem post eos copiosa turma candidatorum ordinatè similiter, & cum reuerentia incedens. Ad vltimum verè gloriosa Dei genitrix Virgo Maria subsequebatur: quam Beati Apostoli Petrus, & Ioannes dextra, læuáque comitabantur. Ipsa verò pijssima Theotocos tanta venustate, tantáque claritate vultus, & habitus radiabat, vt ex fulgore, de ipsa procedente, tota Basilica coruscaret. Porrò Spiritus, qui ista reuelabat, loquebatur interim in corde videntis, & dicebat: hæc est Regina Cœlorum, hæc est Domina Angelorum. Transeuntes ergo ita solemniter (vt diximus) ante gradum sacrarij, tandem, per ostium, quod ad Infirmitorium vergit, de Oratorio exierunt, & ita ab oculis videntis euanuerunt. Verùm, in eodem Infirmitorio, senex quidam venerabilis, & sancta conuersationis sacerdos, nomine Tiezcelmus diu languerat: sed flagella pij Patris, tanquam filius obediens, patientissimè sustinuerat. Qui tunc, in extremis positus, agonizabat; & post modicum, temporalis vitæ amaritudinem, perpetua vitæ dulcedine commutauit. Vnde vir Domini Gaufridus, qui hoc viderat, indubitanter credidit, quia ad iudicium transitus, & beatificationis illius processio* 8.

talis

b Lib. 2. c. 23.

c Lib. 2. c. 30.

d Apud Henriq. in Fasc.

e Lib. 3. c. 21.

talis apparuit. Hactenus prima visio noui Monachi; gloriosa illi, gloriosior Claræualli; sed Tiezcelmo longè gloriosissima, quippe introducto in gaudium Domini sui, vnde non amplius valeat exturbari.

9. Visionem hanc plures aliæ sequutæ sunt; quædam euentibus ipsis comprobatæ, quædam etiam illustres vsque ad miracula: nec pepercere viro sancto Dæmones, quominus inuiderent, & subsannarent: Determinatum tempus concernentes, in ipso dabimus. De reliquis, hic paucas excipiemus. [f] *Altera quoque vice* (pergit qui suprà Auctor sequenti capite) *cum isdem Dei famulus; in Ecclesia cum cæteris fratribus staret ad psallendum, conspicatus est manifestè spiritum immundum, in figura simia, per medium chori transeuntem. Cùmque venisset, & staret ante eum ridicula bestia, dedignanti oculo respiciens eum, atque despiciens, patulis naribus aliquandiu subsannabat. Quæ postquam ab eo pertransiit, tandem egressa de choro, vlteriùs non comparuit.* Sic quem cœlestium spirituum visione dignabatur omnipotens; dæmonum etiam adspectu interpellabat. Horum, quò hostes infensos altiùs nosceret; & quò notiores, faciliùs præcaueret: illorum vt ad præmium anhelaret, consortium quæreret; atque in conflictu auxiliares experiretur.

f Idem lib. 3. cap. 22.

10. Nunc cœlestem Bernardi apparitionem confirmatam miraculo; restituta salute viro Dei, cùm, penè vsque ad desperationem, ægrotaret; ex eodem Auctore prosequamur: sic enim habet. [g] *Infirmabatur aliquando ipse beatus homo, & circa gutturis partes, graui molestia, laborabat. Crescebat languor in dies, factúsque tandem est morbus inueteratus, & penè à medicis desperatus. Vnde etiam angustiabatur nimis vehementer, pro eo magis quòd arteriis, ab agritudine coarctatis, psallendi, & cantandi in Ecclesia vires amisisset. Proinde conuersus ad B. Bernardum, diu, noctuque multis lachrymis precabatur, vt cantandi gratiam, eius interuentione, recipere mereretur. Cuius precibus, & lachrymis motus pius Pater ei per visionem apparuit; & loco dolenti, manu sua tangendo, & benedicendo signum Crucis impressit. Cùmque vir Dei euigilasset, sanatum se reperiens, mirè ad cantandum conualuit; & nullum deinceps impedimentum ab eadem agritudine pertulit.*

g ibidem.

Hactenus ex Auctore Exordij magni, qui etiam addit: [h] *Cum pro matre defuncta nimium foret sollicitus, & diuturnos exitus aquarum, pro ea, deducerent oculi eius (multa siquidem ei gratia lachrymarum collata erat) flagitabat instanter à Domino, vt sibi de illa reuelare dignaretur, vtrum adhuc in pœnis esset, an iam indulgentiæ requiem percepisset? Diu verò in hac supplicatione fatigato, facta est tandem diuinitus vox ad eum dicens. Cur importunis precibus extorquere conaris, quod tua cognitioni non debetur? Tu tantùm ora pro tuis, & saluabuntur.* Ita in Exordio. Atque hæc satis, occasione suscepti habitus, quorum tempus ignotum, nisi quod tantùm circa eius initia facta creduntur. At, quam in morte Rainaldi sancti senis reuelationem habuit post annos octo, quamque post sexdecim de suo Episcopatu, per cœleste oraculum præmonitus; suis temporibus, locisque dicemus. Nunc quia de Rainaldo sermo incidit, quem Gaufridus post octo annos præuidit, pro morituro sene substituendum: quin & historiæ serie id exposcente, libet subiungere celebrem visionem eiusdem, an alterius? Certè Rainaldi Monachi Sancti, & senis, cuius supra meminimus, & quem Bernardo superstitem putamus: eóque, non sine causa, distinguendum. 11.

h ibidem.

---

1. Rainaldi olim S. Amandi Monachi, 2. celebris, & vulgata satis visio, circa fratres metentes in Claraualle, 3. quos B. Virgo, atque Elisabetha, & Maria Magdalena visitarunt. 4. Modus visionis. 5. Quid de ea Cæsarius, 6. & quis per eam conuersus. 7. Arnulfi de Maiorica agritudines subleuata diuinitus. 8. Consolatio in ipso mortis articulo. 9. Gloriosa mors: 10. & Auctores, qui virum sanctis annumerant. 11. Bernardi Cardinalis tituli SS. Cosma & Damiani, sancta dormitio.

CAPVT III.

1. CELEBREM illam visionem Rainaldi senis, circa fratres metentes, à Beata Virgine visitatos in Claraualle, ac primum in Exordio magno conscriptam, dein à cunctis exemplorum auctoribus, Cæsario [a], Vincentio [b]; Henrico Gran [c], & aliis publicatam; & vix cuiquam incognitam, circa hoc tempus coniector contigisse; quippe post raptum ad superos Bernardum, in quo omnes conueniunt: sed antequam Exordij magni Auctor, quicumque fuerit, Monachum induisset in ea domo: vt qui nec assequutus Rainaldum fuit qui octo annis visioni superuixit, vt mox videbimus. Porro scribentem emeritum, & senem circa annum Christi M.CC. plus minúsve, cum iuuenis iugum Christi amplexus esset; quod ipse etiam tradit: vt minimùm ingressum inueniemus, ante triginta; nec multum si Rainaldi vitæ reliquæ, atque interuallo, quindecim, qui supersunt, relinquamus. Quod si Rainaldus, qui visionem vidit, idem est cum Rainaldo de Cluniaco, quem Gaufridus præuidit moriturum, vt Fiteriensis [d] putat in suis Notis; nec alios duos simul Rainaldos, vtrumque senem, vtrumque sanctum, vtrumque reuelationibus clarum, admittere cogamur in Claraualle; indéque virum dictum de Cluniaco, quod vnde venerat, Monasterium Sancti Amandi, Cluniacensibus annumeraretur: si, inquam, id dicamus cum Fiteriensi; sumitur alia non leuis coniectura, ex eiusdem Gaufridi Monachatu, cui ab hoc anno, vsque ad M.C.LXXI. in Claraualle agenti, conueniens tempus venit assignandum, quo, & viro Dei inter viuos agente frui; & amissum potuerit lugere, simul sibi in exemplum, & in solarium.

a Lib. 1. c. 17.
b Lib. 27. cap. 107.
c Dist. 3. exempl. 24.
d Lib. 3. c. 11.

Ergo Rainaldus, qui ex Monacho veterano S. Amandi, ad Claramuallem venerat, tyronem ibi sub Bernardo acturus; & iam quinquagenarius, atque emeritus, sarcinæ humeros nouæ supposuerat, quam pro viribus strenuè, imo quam supra vires portauisset per annos octo; circa hoc tempus visionem perillustrem, Cisterciόque gloriosam habere meruit, quam magni Auctor Exordij, ex quo reliqui hausere, his verbis tradit. [e] *Habebat* (scilicet Rainaldus) *incessanter orandi studium: & in oratione mirabilem affluentiam lachrymarum. Quædam* 2.

dam igitur die, cùm in laborem triticeæ messis, cum cæteris exiisset, segregatus paululum à Conuentu, magna animi delectatione, cœpit intueri metentes: secum reputans, pariter, & admirans, quia videlicet tot sapientes, tot nobiles, & delicati, ibidem propter amorem Christi laboribus; atque ærumnis seipsos exponerent, & feruentissimum Solis ardorem, cum tanta alacritate, susciperent; ac si in horto deliciarum, suauissima fragrantia poma decerperent; vel in mensa lautioribus epulis plena, delitiosissimè conuiuarentur. Inde ergo protensis in cœlum oculis, ac manibus, gratias Domino referebat, quod eum tam sanctæ multitudini, quamuis indignum, & peccatorem adiunxerat.

3. *Dum hæc, & similia animo volueret, & præ immensitate lætitiæ, seipsum vix caperet; en subitò apparuerunt ei tres matronæ venerabiles, vultibus roseis, & candidis vestibus renitentes. Quarum vna, quæ præcedebat veste fulgentior, & forma venustior, & statura procerior apparebat. Descendebant verò de monte propinquo, & appropinquabant Conuentui Fratrum, in ipsius montis latere, fruges metentium. Quas cum ille vidisset, præ nimia admiratione turbatus, & stupefactus, erupit in vocem huiusmodi: Domine Deus (inquit) quænam sunt istæ fœminæ tam formosæ, tam reuerendæ, quæ præter aliarum consuetudinem fœminarum Conuentui nostro appropinquant? Et dum talia diceret, astitit ei quidam veneranda canitie, & stola candida coopertus, qui dixit ad eum: Maior illa, quæ cæteras præcedit, ipsa est Virgo Mater Iesu Christi Maria: aliæ, quæ sequuntur, sunt Sancta Elisabeth, & Sancta Maria Magdalena. Ille verò cùm audisset Matrem Domini nominari, commota sunt omnia viscera eius super pietate nominis illius, quam vehementer amabat. Iterum percontatus est dicens: Et quò tendit, Domine mi, quò tendit Domina nostra? Cui ille respondit: Ad visitandum messores suos venit.*

4. *His itaque dictis, persona, quæ loquebatur, repentè disparuit. Quo viso, vir Dei plus magis intra se stupuit. Et reductis oculis ad Sanctam Dei Genitricem, & ad Comites eius, attonito visu intendebat in eas. Illæ autem, moderatis gressibus incedentes, venerunt vna post aliam, vsque ad Conuentum. Quem cum introissent, separatæ ab inuicem deambulabant, tanquam gratia visitationis, huc, atque illuc inter Monachos, & Conuersos. Et dum ita facerent, tandem ab oculis intuentis euanuerunt, seseque in cœlos, vnde venerant, receperunt. Porro vir Dei hærebat fixus, & de loco moueri non poterat, vsque quo miraculum finiretur. Quantum verò de huiusmodi visitatione, profecerit, quantùmque in amore Dei, & beatissimæ Dei Genitricis excreuerit; æmulanda conuersatio eius, & quotidiana virtutum incrementa monstrabant.* Hactenus ex auctore Exordij Magni.

5. Hanc eamdem visionem tradit Cæsarius, auctori Exordij magni subæqualis, quippe qui scripsit circa annum Christi M. CC. X X I I. nisi quod in pedissequis Mariæ, pro Elisabetha substituit beatã Annam, interuallo locorum, siue fortè exemplarium corruptione. Addit nihilominus easdem beatas fœminas, non solum Monachos metentes visitasse: verum & singulis sudorem extersisse, atque aërem circa ipsos ventilasse, flabellis admotis, quo æstuantis caloris ardor mitigaretur. Porro hæc ipsa inueniri, legique in libro visionum Claræuallis; sic enim ait. *Legitur, quod quodam tempore messis, cùm Conuentus in valle meteret, B. Dei Genitrix Virgo Maria, & Sancta Anna Mater eius, ac Sancta Maria Magdalena, de monte venientes, quodam viro Sancto, qui stabat ex aduerso, aspiciente, in vallem eamdem, cum magna claritate, descenderunt, Monachorum sudores terserunt, flabellis manicarum suarum ventum admouerunt, & reliqua, quæ ibidem posita sunt.* Ita Cæsarius, cui consentit Vincentius loco suprà. Vt non immeritò liceat affirmare, hæc ab Auctore Exordij prætermissa, sed non negata; ab antiquiori alio, fortè & qui præsens fuit, memoriæ prodita, ex quo Cæsarius, Vincentiúsque retulerint.

Cæterùm, quantæ efficacitatis hæc visio fuerit, ad Monachos solandos, firmandósque, haud opus est in præsenti examinare: illud compertum ipsius relatione, lectionéve, multos tractos ad Ordinem, cui tales Virgo fauores exhiberet, tales cælicolæ: nec refugiendam vitam laboriosam, quantumcumque molestam, cui talia, è cœlis, subsidia prouenerint, leuantia spiritum, carnem subleuantia. Gerlacum de Dinge Heistetbacensem Monachum, hoc exemplo conuersum, Cæsarius narrat. Quin & seipsum, cum multis hortaretur à Geruaco Abbate eiusdem domus; nequaquam ei consensum præstitisse, quoadvsque *Sermone huius visionis* (nam eius verba ponam) *in tantum motus fuit, vt Abbati promitteret, se non venturum, nisi ad eius domum gratia conuersionis, si tamen Deus eam sibi inspiraret voluntatem.* Quod & opere exequutus est, vt suo loco dicemus. 6.

Hoc eodem tempore (nam annum non ausim dicere) venerabilis Arnulphus de Maiorica, cuius ante meminimus, dum supramodum corpore ægrotaret, quò infirmior carne, eò spiritu fortior; gloriosum exitum suum, atque inoffenso pede, ad cœlos transitum, iuxta Sancti Patris Bernardi promissionem, præstolabatur. Laborum prius subsidia; deinde præmium, non tam Exordij verbis, quam senioris, ex quo Exordium transcripsit, hîc subiungam. [f] *Per plures annos vsque ad exitum suum grauibus, atque diuturnis incommodis flagellatus est. Quæ omnia non solùm æquanimiter tolerabat, verùm etiam gloriabatur in illis, sicut in omnibus diuitiis. Factum est autem quodam tempore, dum conquassatus, & debilitatus esset vsquequaque ita, vt non sine graui dolore, inclinis stare posset; nec propter hoc vnquam omitteret, vt ad omnem (gloria) decantationem profundè, & deuotè, diuinæ Maiestati inclinando, reuerentiam exhiberet, vt vespertinæ synaxis officium in Ecclesia celebraretur. Ipso verò stante, in retrò choro, iuxta quemdam Monachum, virum æque sanctissimum; ecce Angelus Domini apparuit ibi in specie pulcherrimi adolescentis, cuculla indutus niue candidiore; quem tamen idem Arnulphus minimè videbat. Cùmque more solito, ad Gloriam Psalmi se deuotè inclinaret, Angelus Domini stabat coram eo, & supplicantis caput, suppositis manibus sustentabat.* Pergit deinde de videntis conatu irrito, manibus apprehendere nitentis, quem oculis corporeis intuebatur. Et statim redit ad vltimum certamen. 7.

f Lib. 3. c. 17.

[g] *Laborabat aliquando Athleta Dei Arnulphus doloribus viscerum, quibus frequenter nimirum arctabatur, & erat languor fortissimus: ita vt, deficiente vitali spiritu, penè vsque ad mortem angustiaretur. Cúmque aliquando mutus, & insensibilis iaceret, de vita ipsius desperatum est, & ob hoc oleo infirmorum inunctus est. Et vbi primum respirare potuit, erumpens in vocem confusionis, & laudis, ait: Vera sunt omnia, quæ dixisti, Domine Iesu. Quod cùm sepiùs iteraret, stupentibus, qui aderant, & percunctantibus, quomodo se haberet, aut quare ista diceret? nihil aliud respondebat, nisi quia vera sunt omnia, quæ* 8.

g Ibidem.

loquutus est Deus. Quidam autem ex ipsis dicebant, quia præ doloris acerbitate turbatus esset, & quasi alienatus loqueretur. Quibus ille respondit: Non est ita, Fratres, sed sano capite, & sobria mente dico, quia vera sunt omnia, quæ loquutus est Dominus Iesus. At illi dixerunt. Et nos hoc verum esse fatemur. Sed cur tu nunc istud commemoras? Respondit: Dominus dicit in Euangelio, quia si quis affectibus parentum, & diuitiis mundi, propter amorem ipsius, renunciauerit, centuplum accipiet in hoc sæculo, & vitam æternam in futuro. Ego itaque vim sermonis illius in præsenti experior, & centuplum meum iam nunc in hac vita recipio: siquidem immensa doloris istius acerbitas adeo mihi sapit, adeo mihi placet, propter spem diuinæ miserationis, quæ in eo reposita est mihi, vt hac ipsa me nunc caruisse nolim pro centuplicata mundi substantia, quam reliqui. Quod si ego peccator, & indignus ita confortor, & adeo lætificor etiam in angustiis meis; quomodo putamus sanctos, & perfectos viros tripudiare, & exultare in consolationibus suis? verè etenim spiritale gaudium, quod modò est in spe, centies millies exuperat sæculare gaudium, quod in me erat in re. Si quis autem sæculum relinquens, & ad conuersionem veniens, centuplum istud non meretur, constat profectò quod adhuc omnia perfectè non reliquit, sed ex propria voluntate, quæ est mala proprietas, secum retinet aliquid.

9. *Hæc illo dicente, mirati sunt vniuersi, ab homine laico, & illiterato sententiam talem esse prolatam; nisi quod manifestè dabatur intelligi, quia Spiritus Sanctus, qui eum in corpore grauiter flagellari permittebat, intus animam suauiter vngebat.* [h] *Cuius nimirum sacratissima vnctio quemcumque tetigerit hominem, docet de omnibus, quæ oportet. Iste ergo vir Sanctus,* [i] *cùm iam de manu Domini suscepisset duplicia, pro omnibus peccatis suis; tandem longo cruciatus martyrio, & tanquam aurum in fornace probatus, pacatissimo somno obdormiuit in Domino. De quo certissimè credimus, quia iuxta B. Bernardi sententiam, mox vt à corpore exiuit, ad Deum sine pœna peruenit.* Hactenus senior ille de Sancto viro, quem vt non diu superuixisse compertum est; in hoc anno obiisse non affirmo. Fœlix profectò quandocumque cælos conscendit, cui Deus præmium, Bernardus fidei iussor, & centuplum degustatum, vel in hac vita æternæ gloriæ, aut initium, aut arra fuit. De eo, inter alia illustria commemoratur. *Quod neque pro infirmitate responsum mortis habente, infirmitorium intrare acquieuit; & semper ad vigilias seruitij Dei, vel graui debilitate laborans, deuotè perstiterit.*

h Ioann. 2.

i Isai. 4.

Arnulphum, inter viros beatos Cistercij, memorat Mejerus in Annalibus Flandriæ, libro quinto, Molanus in Additionibus ad Vsuardum, Augusti X X. Antonius Sanderus in Hagiologio lit. A. & rursus lit. B. in Diuo Bernardo: Henriquez in Menologio Iulij X V I. & apud ipsum plures, quos Lector consulat. His, & similibus, tum viris, tum fauoribus Clarauallis florebat sub Roberto, Bernardi successore; vt in neutris inferior: & S. Pater non deseruisse suos, sed potentiùs curare, & efficacius de Cœlo promouere, comprobaretur. 10.

Coniector hoc anno consummatum magnum illum Bernardum S. R. E. Diaconum Cardinalem, titulo SS. Cosmæ, & Damiani ab Eugenio, creatum, cuius memoriam in benedictione, ex Ioanne Sarisberiensi supra tradidimus: neque enim lego promotum in Presbyterum, Episcopúmve, & alias inter Cardinales ab Adriano Pontifice creatos, sub eius finem, quintus in ordine reperitur. [k] *Beso, ex scriptore Apostolico, Diaconus Cardinalis SS. Cosmæ, & Damiani.* Ferdinandus Hugellus, vt aliorum, sic eius vitam quindennio vltra extendit; nempe vsque ad annum M. C. L X X. sed cum neque instrumenta præseferat, neque antiquum auctorem; vacillat fides; & vrget successor tituli. Meminit eius Henriquez in Menologio, Maij prima die, & eodem quo Hugellus anno obiisse, eadem fide tradit, qua accepit. 11.

k *Apud Chaconium.*

---

1. *Beatus Petrus fauorem, & venerationem hominum fugiens,* 2. *in Monasterio quodam Germaniæ latitat:* 3. *à suis quæritur.* 4. *S. Idesbaldus in Abbatem Dunis præficitur.* 5. *Primus Cistercij Episcopus in Hispania.* 6. *Epistola Adami Ebracensis ad Hildegardim.* 7. *Eiusdem responsum,* 8. *& coniectatum de Consultatione.* 9. *Alia Abbatum Sancti Anastasij, atque Ebarci.* 10. *Tractatus Sancta ad Griseos remissiuè.*

CAPVT IV.

1. INTER hæc venerabilis Præsul Tarantasiensis, quo illustrior, humilior, & despectum sui quærens ab ipsa gloria; cum per miracula in dies inclaresceret; nec ingruentium populorum cultum vltrò sibi exhibitum, humana industria videret posse compesci; meditari fugam, exquirere latebras, nec aliter prouidendum sibi putauit, quam si alicubi ignotus delitesceret. Igitur (ait Abbas Altæcumbæ) [a] *Cœpit inter hæc vir Domini fidelis ad tantum sibi, à tot, & à tantis exhibitum fauorem, pauere, & tædere, cœpit contristari, & mœstus esse; cœpit talia meditari, taliter conuenire seipsum: Quid est, quod actitas? Nullum tibi lucrum, lucrari mundum, & animæ tuæ facere detrimentum: ô doxa! doxa! inflatio aurium, quam perniciosè miseris, cum quibus ludis, illudis? Risui tuo dicerem, si non desiperem: Quid frustra, deciperis? immò, quid decipis? In errorem inducis, quos beatificas: lædis, quos eleuas: deiicis, quot exaltas.*

a Cap. 17. pag. 263.

2. *His, & similibus longè affectuosiùs, & efficaciùs, quàm nostra queat imperitia capere, vel effari; futurum iudicium, diiudicando seipsum, præueniens, & declinans, quasi de nouo statuit mundum fugere sibi grauiùs imminentem. Per vias igitur difficiles, per loca potiùs inuia, sub medio noctis silentio, cum vno tantum comite, cæteris ignorantibus, exiit fugiens sæculum, & ipsius honores. Perueniens denique ad Cœnobium quoddam sui Ordinis Cisterciensis, in Germania constitutum, vbi quodammodo surdus esset, & mutus, nec intelligens cæterorum verba, nec intellectus ab eis; quamdiu licuit, inter eos intrans, & exiens, vt simplex Monachus habitauit. Mutauerat enim in via socios, vnum post alterum, occasione quæsita, donec haberet, cui esset ignotus. Quis illas cogitet ferias, illud gaudium, illam solemnitatem? Sabbatizabat Deo iuxta desiderium cordis sui, & in suo*

sibi

sibi Sabbato complacebat. Sed interim ille sic maneat, cui bonum est ibi esse: ad eos potiùs redeundum, quos clandestinus desolatur, & vehementer affligit abscessus.

3. *Manè facto, cùm minimè appareret, repleti sunt domestici eius stupore, & ecstasi in eo, quod contigerat illis. Quæsitus in cubiculo, nec inuentus, quem meritò diligebant: per Ecclesias, vicos, & plateas quæritur, & minimè reperitur. Passim interrogant occurrentes, & non est, qui indicet, qui viderit eum, qui audierit verbum quodcumque de eo. Non est, qui dicat* [b]: *Descendit in hortum aromatum, vt pascatur deliciis spiritualibus, & gratissima cælestium colligat lilia gaudiorum. Egreditur sermo in populum, quod recesserit pastor bonus, lumen oculorum suorum dereliquerit eos, & sublatus sit, in quo erat thesaurus suus, & cor suum. Solemnis illa frequentia in mœrorem, & vniuersa deuotio vertitur in lamentum. Exeunt, qui perquirant, & circumeant regionem, ad loca etiam remotiora procedant. Sed quis vnam in toto reperiat orbe personam, tam studiosè fouentem latebras, & secreta captantem.* Hactenus Altæcumbæ Abbas de fuga Petri, & mira Tarantasiensis pro eo vrbis, immò, & totius Galliæ solicitudine. Nos illum in deliciis Paradysi; nos, in angustiis, & fletu relinquamus, quoadusque inuentum post annum tandem recipiant: vt, ex absentia, crescente desiderio: sic & ex desiderio, æstimatione.

b Cant. 8.

4. Eodem anno, Alberone cedente, secundo Dunensi Abbate, qui ante biennium Roberto Patri successerat, S. Idesbaldus eiusdem domus Cantor, pietate, sapientiaque excellens, in Abbatem Dunensem electus est, de quo Ægidius de Roma, in suo Chronico. [c] *Anno M. C. L V. Domnus Albero, postquam duobus annis Monasterium de Dunis rexerat, in Clarauallem reuertitur, & Domnus Idesbaldus Cantor, tertius Abbas constituitur; & rexit duodecim annis.* Hæc ex Ægidio, cui per omnia consonat Adrianus [d] Butius in Chronico Abbatum Dunensium. Hic ille magnus Idesbaldus est, cuius integrum corpus, illæsumque hoc nostro sæculo post quingentos fermè annos inuentum est, ingenti cum totius orbis admiratione. Extat libellus de inuentione S. cadaueris per Thenondorum Pybes Sacræ Theologiæ Doctorem, Dunensem Monachum; itemque vita viri descripta breuiter per Chrysostomum Henriquez, cum aliis SS. Patrum eiusdem domus. Sed de his latius in tempore dicemus.

c *Ad hunc ann.*

d *Cap. 3.*

5. Salmanticæ in Hispania (tunc armis inclytæ, nunc ex scientiarum emporio, celebri satis vrbi Castellæ veteris) præsidebat Ordonius, quem Tabulæ, Berengario promoto ad Compostellam, assumptum ex Cistercio testificantur; ignoto tamen hactenus Cœnobio, ignotis progressibus, per quos ad Pontificium euectus fuerit. Et de promotione antecessoris ad Apostoli sedem, extat epistola Petri Venerabilis ad Innocentium, adeoque ante annos tredecim scripta ad instantiam Alfonsi Imperatoris, vbi hæc inter alia [e]. *Horum itaque omnium attestationes, ex quibus multi Clerici, quidam Monachi, nonnulli Episcopi sunt: electionem Domini Salmantini Episcopi in Archiepiscopatum S. Iacobi: ab omni Clero, ab omni populo, canonicè, pacificè, communiter factam; prædictus Imperator per humilitatem meam Maiestati Apostolicæ repræsentat. Et quia illa Ecclesia, ad quam electus est, tanti Apostoli corpore gloriosa, tot sedis Apostolicæ priuilegiis sublimata, inter omnes Hispanas Ecclesias, caput extulit; nobilem, prudentem, honestam, probatam personam præ aliis terra illius Ecclesiis requirebat.* Hæc tunc Petrus Mauritius ad Innocentium. Cæterum an promotio indulta statim, an post aliquod tempus; aut quando Ordonius pro eo suffectus fuerit; dubium hactenus. Nec Salmantinus Polyhistor Ægidius Dauila, præter immediatam vtriusque successionem, quid aliud ex antiquis monumentis potuit eruere. Illud compertum, quocumque assumptum tempore, primum omnium fuisse, quem Episcopum Cisterciensem Hispania vidit (saltem cuius memoria perdurauerit) fortè, vt prima Cistercij militia, de qua inferiùs, ab eo legibus sacris instituenda, primo eius sacerdotio responderet: nec tardius illum armatum, quam infulatum Hispania conspiceret, prætenso simul gladio, pellendis lupis, atque baculo ostenso pascendis ouibus.

e *Lib. 4. ep. 9.*

Sub idem tempus Hildegardis Virgo, à Bernardi, & Eugenij approbationibus celebrior in dies; & manifestior sapientiæ, & prophetiæ, quibus perfusa de cœlo relucebat; visitari ab omnibus, consultari à singulis; accipere responsa, referreque: sed inter omnes, Cistercienses Monachos, obseruatores, & reuerentiores; quin & magis de ipsa præsumentes, experiebatur. Extant plures epistolæ eorumdem ad virginem Beatam; atque illius ad ipsos, plenæ mysteriis, quæ totas opusculorum eius paginas implent. Et quidem Ebracensis Abbas Adamus, de quo supra, nec semel, Hildegardem frequenter visitabat, consulebátque; & mediatricem ad Deum interpellabat: cum illa è contra virum venerabilem, quem Friderico Imperatori charum, sicut olim Conrado, non ignorasset, reuertenti ex Italia mandauit scribere; & pro negotiis Monasterij sui intercessorem ad eum interpellauit. Atque ecce exemplar epistolæ Adami ad Hildegardem. 6.

[f] *Dominæ, & Matri suæ dilectissimæ Hildegardi, magistræ Sororum de S. Ruperto in Pinguis, frater Adam Abbas, licet indignus, de Ebrac, modicum id, quod est.*

f *Inter epistolas S. Hildegardis.*

Cum primùm notitiam nominis vestri suscepi, gauisus sum gaudio magno. Adauxit Deus gaudium meum, cum nutu benigno, & mirabili, direxit nos, vt videretur facies, & audiretur vox vestra in terra nostra; mihíque, quod vix sperare poteram, mutuam concessit collocutionem. De quibus autem me vobis dixi anxium; confido vos non immemorem esse; & quia diuersi diuersa sentiunt, alij istud, alij illud; si bonum est, & salus apud Dominum, benedictus Deus: si periculum, orate Deum, bonum mihi, & salutem animæ tribuat, & omne periculum excludat. Nunc verò litteras mitto, & nuncium nostrum Domino Imperatori, pro causa vestra; & spero, per gratiam Dei, nos exaudiri; & vbicumque seruitij nostri indigueritis, parati erimus seruire vobis. Exoramus quoque, vt pro nobis orare dignemini, quia verè in turbine sumus, pro solicitudine fratrum nostrorum, vt Spiritus Sancti gratia, qua multa mirabilia spiritu Prophetico in vobis operatur, inspiciat etiam, & nos, & muniat. Rogamus etiam, vt & nos scriptis vestris consolari, & præmunire dignemini. Hæc Abbas Ebracensis ad Hildegardem.

Cæterùm, vt ex hac eius epistola, virum potentem ad Principes agnosco, cuius Sancta interuentum ad Fridericum expostulasset: sic ex responso Virginis ad ipsum Sanctum, & iustum; & cui neque tentamina defuerint, neque prouentus cum ipsis tentationibus. Longiusculæ epistolæ initium tantùm transcribam, & quasdam clausulas. 7.

[g] *In vera visione Spiritus, vigilans corpore, hæc verba*

g *Ibidem.*

Exod. 3. *verba audiui: Quis est, dicit:* [h] *Sol micat, & radios emittit. Quidam autem vir amicus Solis hortum habuit, in quo multa aromata, & multos flores in magno studio plantare desiderabat; & Sol in igne radiorum suorum calorem super aromata, & flores misit; & ros, & pluuia illis humorem viriditatis dederunt. Tunc ab Aquilone tortuosa imago nigris crinibus, & horribili facie exiuit, & ab Oriente pulcherrimus iuuenis, candidis crinibus, plena, & amicabili facie processit, & ad ipsum hortum venerunt. Et tortuosa imago ad iuuenem illum dixit: Vnde venis? Qui respondit: ab Oriente ad hortum huius sapientis viri venio, quia magnum desiderium veniendi ad illum habui. Tortuosa imago dixit: Audi me: Periculosus ventus, grando, ignis & pestilentia super hortum illum venient, & eum arefacient. Sed iuuenis ille respondit: Non sic, non sic erit, quia hoc nolo; sed purissimum fontem educam, & hortum irrigabo. Et tortuosa imago respondit: Vah, Vah, hoc ita possibile est, velut si locusta durum lapidem transfodiat. Et sic imago illa in dolo suo hyemem super hortum illum induxit: & aromata, & flores illius arefacere voluit. Sed prefatus iuuenis officium suum in cytharis suis colens, illud non videbat. Et cum deinde hoc vidisset, in magno sono solem aduocauit, vt in signo Tauri veniret, & denuo viriditatem æstatis super hortum illum adduceret. Ac ita cornu eburneum, & cornu de ceruo sumptum, tollens, tortuosam imaginem illam ad terram per ea prostrauit. Et tunc ad virum illum, cuius prædictus hortus erat, dixit: A modo in te ita negligenter non confidas, quin hortum tuum tanta munitione circumdes, vt nigerrimæ aues in tempestatibus eum non arefaciant. Nunc ô tu Pater, qui per summam vocationem in vice Christi es, hæc verba ad te dicta intellige.* Pergit hanc ipsam visionem applicare Adamo; & plura ibi prosequitur, ad laudem viri non parum conducentia.

8. Cæterùm dubium, de quo consuluit Virginem, & super quo responsum præstolabatur; super dimittenda Abbatia fuisse coniector. Inde enim in eiusdem fine epistolæ, portandam sarcinam, nec à vinea fugiendum esse respondet. *Tu autem dicis* (ait): *Fugere volo: sed sarcinam ad portandum in vineam habes, & stas; nec ambulare vis, sed in tædio inuolueris, & in aliam viam adspicis. Certè comes noster sic non faciet. Cum autem populus te amat, cum illo labora. Sed cùm rugitus venti, cum inquietudine belli, vicissitudinis morum efflat, vide ad me, & in tota potentia alarum mearum te adiuuabo. Samson fortissimus per stultitiam mulieris vim suam perdidit. Caue ergo, ne tibi sic contingat, si tædio per consensum dederis responsum. Gloria quoque Salomonis, per stultitiam mulierum euacuata est. Vide etiam cum solicitudine, ne per vicissitudinem harum cogitationum tuarum, viriditas, quam à Deo habes, arescat: sed ornamenta auri, & pretiosi lapidis, quæ charitas, & humilitas in te habent, obserua. Tu etiam propter armillas, quas sapientia tibi dedit; & propter quas populus tibi occurrit; da gloriam Deo, & cum populo labora: & ita cum Sole permanebis. Et tu Pater audi: sicut stella matutina auroram in lumine suo præcurrit, sic omnibus præbe auxilium ab osculo dilectionis, quam tibi Deus dedit: & vitam tibi dabit, quam in prima die inspexit.* Hæc de Adamo, ex Hildegardis epistolis.

Circumferuntur etiam inter easdem E. Eberbacensis, atque item E. Sancti Anastasij Abbatum literæ familiares ad Sanctam Virginem, cum ipsius responsis non contemnendis. Et quidem de priori multa propheticè, quæ in ipso impleta, quamuis ignoremus, non dubitamus: *In fine temporis tui* (ait) [i] *Deus suscitabit te: ipse in magno honore te constituet, ô serue bone! illum laudabis, & ipse in æternum saluabit te.* Secundi expressa consultatio fuit, eadem, quam de Adamo coniectamur. [l] *De cætero rogo, vt Spiritus, qui reuelas arcana, & occulta sapientia sua, indicet tibi, quid mihi expediat, in portando obedientiæ Christi onere; scilicet perseuerare, an quiescere, vt vacem ipsius contemplationi. Quidquid super hoc reuelatum fuerit tibi, ne abscondas mihi: quia* [m] *paratum cor meum Deus, paratum cor meum; vt faciam voluntatem tuam.* Ad quæ Hildegardis. [n] *Perfice ergo sustentationem ouilis tui, & da ei præcepta, scilicet virgam magistri præbendo, & postea vnguentum Medici exhibendo; quia vtilius tibi est, vt in hoc labore vigiles, &c.* 9.

i Inter opera sancta.

l Ibidem.

m Psal. 107.

n Inter epistolas sancta.

Extat præterea, inter opera S. Hildegardis, epistola, siue tractatus, ad Griseos Monachos, hoc est, ad Cistercienses, quos sic in Germania dictos supra ostendimus, multa de Monachis, nec pauca de Conuersis profundè tractans; quæ in tempore dabimus. Vtrum autem hoc idem opus sit, quod Monfridus Eberbacensis Prior, Conuentusque, ab ea sibi transmitti postulauit, Deo dante, ibidem coniectabimur. 10.

1. Vvimundus

1. Vulmundus Furnesij quondam Monachus, 2. in Monam Insulam missus, & Episcopus factus, 3. mox prædo, & Dux Prædonum, 4. in Dauid Scotiæ Regem debacchatur; 5. Dein diuina gratia præueniente, percussus leuiùs; 6. sed mox; cùm ne sic quidem resipisceret à Comprouincialibus comprehensus, & excæcatus, 7. Demum pro corporalibus amissis, oculis mentis sibi restitutis in Bellam-landam humilis secedit, ibidem, vsque ad mortem permansurus.

Caput V.

1. PER idem tempus, ne, qui pulchra pandimus, maculosa contegere videamur; Vvimundus ex ignoto iuuene Monachus, ex Monacho Episcopus; ex Episcopo Prædo, & Dux Prædonum; post infestatam Scotiam latrociniis, in propriam domum Furnesium, & populos circum circa debacchatur; turpis in pulchra facie Cistercij, næuus (si fortè Cisterciensis, namque id dubium) nisi quod tamen ingens animi ardor, & arridens conatibus Fortuna, etiam in malefactis pro gloria est: *Hic* (vt scribit, qui hominem assequutus est, Guillelmus Neubricensis [a]) *obscurissimo in Anglia loco natus, cùm perceptis litterarum rudimentis, non haberet vnde in scholis subsisteret: artis scriptoriæ sciolus, quibusdam Religiosis antiquarij officium, pro toleranda inopia, impendebat. Deinde ad Furnesium tonsuratus, & regularem vitam professus; cùm nactus esset scripturarum copiam, cum otio cõpetenti; adiutus triplici bono, scilicet acri ingenio, illabili memoria, apto eloquio, ita in breui profecit, vt magnæ spei esse videretur.* Sic Neubricensis. Qui tamen dum omittit notare singulos annos, cùm constet floruisse Furnesium sub Sauigniaco, ante admissum Cistercium; in dubio reliquit, quale Furnesium, & cuius instituti professus fuerit: & creditus à quibusdam Sauigniacense, quo nomine Vvimundum eumdem notatum video. Pergit Author de missione ipsius ad Monam Insulam, atque in Pontificem, ex Monacho, assumptione.

a *Li. 1. c. 24.*

2. *Euolutis diebus, in Insulam cum fratribus missus, suauitate eloquij, & iocunditate faciei, cùm esset etiam producto, & robusto corpore, ita Barbaris placuit; vt ab eis in Episcopum peteretur. Et eorum quidem completum est desiderium.* Ita Guillelmus de promotione hominis. Verùm de loco, in quo promotus est, distinctiùs Nicolaus Arsfeldius, eodem loco. [b] *Est quædam Insula, quæ interiacet inter Hyberniam, & eam Angliæ partem, quæ spectat ad occidentem (Angliæ, quam Hybernia propinquior) quam Monam vulgo appellant. In ea duos hoc sæculo Episcopos reperio Eboracensem Primatem agnoscentes, Vvimundum Monachum Sauigniensem; & Ioannem Monachum Sagiensem.* Hactenus Nicolaus Arsfeldius de loco sedis, & de primi sedentis, Monachatu, relato ad Congregationem Sauigniacensem. Verùm de eius vita, post promotionem, iterum Neubricensis pergit scribere.

b *Hist. Angl. 12. sæculum c. 41. n. 20.*

3. *Mox ex successu intumuit, & grandia moliri cœpit. Nec contentus Episcopalis dignitate officij: animo iam ambulabat in magnis, & mirabilibus super se: eratque ei, corde vanissimo, os loquens ingentia. Denique congregans viros inopes, & audaces: iudicium veritatis non veritus, proposuit se filium Comitis Murauensis, hæreditate Patrum suorum à Rege Scotorum spoliatum; cordi sibi esse non solùm ius suum persequi, sed etiam vlcisci iniurias; illos se velle, & habere periculi, & fortunæ consortes: rem quidem esse aliquanti laboris, & periculi, sed magnæ claritatis, & plurimi emolumenti. Accensis ergo omnibus, atque in verba eius iurantibus; per vicinas cœpit Insulas ferociter debacchari: eratque iam quasi Nembroth robustus venator coram Domino: dedignatus, iuxta episcopalis officij debitum, hominum esse Piscator cum Petro.*

Hæc non mutatio dexteræ Excelsi, sed derelictio, & præcipitium perditi hominis, Dauidem Scotorum Regem piissimum adeo molestauit, vt ab eodem Auctore, non multo antè, rebellioni Absalonis in Patrem, nempe in Regium Prophetam, compararetur. *Notandum*, inquit, [c] *quod sicut ille post pœnitentiam* (Rex Israel nimirum) *ob prioris peccati meritum, diuinitus castigatus est, per nequissimum filium; ita iste quoque, quamuis longè mitiùs, per quendam Pseudomonachum, & Episcopum. Quem nimirum ego postmodum, apud Bella-landam nostram sæpiùs vidi, actúsque eius insolentissimos cum dignissimo didici.* Ita Guillelmus Dauidem Regem, Sanctum, peccantemque; Dauidi Regi, Sancto, & peccanti comparans; Hebræo Christianum, ac tandem castigato per proprium filium castigatum per Monachum, Pontificémque; in quo quod deerat vinculo naturæ, per gratiam efficaciùs supplendum foret. At qualiter Vvimundus inferior viribus, eius potentiam eludere consueuerit, ita ab eodem authore notatum video. [d] *Augebatur in dies Satellitum copiis, inter quos nimirum ipse eminens ferè ab humero, & sursum, tanquam Dux magnus, omnium animos accendebat. Excurrebat in Prouincias Scotiæ, rapinis, & homicidiis cuncta exterminans. Cúmque aduersùs eum Regius exercitus mitteretur: in remotiores se saltus recipiens, vel in Occeanum refugiens; omnem illum apparatum bellicum illudebat: & recedente exercitu, rursum ex locis abditis, ad infestandas prouincias erumpebat.* 4.

c *Lib. 1. c. 23.*

d *Lib. 1. c. 24.*

Agebatur in præceps Vvimundus, atque ab ipsis successibus, vt assolet, velut impulsus, in omne facinus audentior prolabebatur. Cùm ecce, præualente diuina gratia, leuiter primum, mox grauiter percussus (quod vnicum his malis remedium est) didicit, vel inuitus, pacem amare. Nam audi quod sequitur. *Cum ergo in omnibus prosperaretur, esséique iam ipsi etiam Regi terribilis: quidam Episcopus, vir simplicissimus, mirabiliter eius impetum ad tempus repressit. Cui cùm ille bellum denuntians, exterminium minaretur, nisi vectigal penderet: voluntas, inquit, Dei fiat: nam meo exemplo numquam aliquis Episcopus, alterius Episcopi fiet tributarius. Cohortatus ergo populum suum, illi cum furore venienti, sola fide maior (nam in cæteris longè impar) occurrit; & pro suorum animatione primum ipse belli dans ictum, iactata securi modica, hostem, in fronte, gradientem, Deo volente, prostrauit. Quo casu confortatus populus: in prædones fortiter irruit, & eorum magna parte cæsa, ducem ferocissimum eneruiter fugere compulit. Solebat autem hoc ipse postea, inter amicos,* 5.

amicos, cum iocunditate narrare, tanquam glorias, quod solus eum Deus, per simplicis Episcopi fidem vincere potuisset. Ego quoque hoc ipsum, quodam, qui de numero Satellitum eius fuerat, & cum cæteris, qui euaserant, fugerat; referente, cognoui.

6. Hæc prima perditi vocatio hominis fuit; sed qui animo elatus, discolusque, & ad omnia flagitia, natura pronus, frustraret auxilia, sola impotentia peccandi compescendus. Igitur pergit idem Neubricensis. *Resumptis viribus, per Insulas, atque Prouincias Scotiæ debacchatus est, vt prius. Quamobrem Rex compulsus est placare prædonem, saniori planè vsus consilio: vt cum hoste tumido, callidoque, cum quo fortiter agi non poterat, sapienter ageretur. Cedens ergo illi quandam prouinciam, cum Monasterio Furnesiensi, excursiones eius interim suspendit. Cum autem per subditam prouinciam, tanquam Rex, valente exercitu, gloriosè ferretur; ipsique Monasterio, cuius Monachus fuerat, supra modum grauis existeret; de consensu nobilium, insidiati sunt ei quidam prouinciales, qui eum, vel potentiam, vel insolentiam exosam habebant. Nactique tempus opportunum, cum præmissam ad hospitium multitudinem, lento pede, & raro stipatus satellite sequeretur; comprehensum vinxerunt: vtrumque illi oculum, quia vterque nequam erat, eruerunt; causamque virulenti germinis amputantes, eum pro pace Regni Scotorum, non propter Regnum cælorum, castrauerunt.* Hactenus ille.

7. Hunc habuit exitum ambitio hominis cupidi, elatique; ab ipso visu cæci; nec nisi per cæcitatem, restituendi, quippe quæcumque videbat, concupiscens, tunc primum desiderare desiit, cum nihil vidit; quod ipse etiam fateri solitus erat. *Fertur enim* (ait idem qui suprà author) *tunc dixisse, quia si vel passeris oculum haberet, inimici eius de actis in eum minimè exultarent.* quod tamen, aut speculatiuè magis, quàm practicè (sic Theologi loquuntur) protulisse credendus est, hoc est: non tam quod se facere vellet, quam quod cognita propria mentis fragilitate, videretur facturus, enuncians verbis: aut ideo tunc prolatum author notat, nempe recenti vulnere; nec in eo proposito mansisse putandus sit, qui se deinceps quieti totum tradidit. Constat ex quo, pro corporalibus, quos amisit mentis quibus carebat, oculos habuit; Bellamlandam Cœnobium Cisterciense, sub Sauigniaco (nam propriam domum Furnesium fortè erubuit) adiisse deuotum, humilemque; ac Dei manum patienter sustinentem, in quiete ibidem, vsque ad finem vitæ perseuerasse. *Qui posteà,* ait) *Bellamlandam nostram venit, ibique annis plurimis, vsque ad obitum, quietus permansit.* Hæc nobis satiùs visum non diuidere, tum ignorantibus singulorum euentuum annos, tum ne ipsam historiam, aliàs vtilem, atque multa cauenda, quædam etiam imitanda continentem, eneruaremus.

Hoc item anno, vt habet Gaspar Bruschius,[e] insignis pietatis vir Vvalricus, primus Cæsariensis Abbas, moritur, cum annis vno, & viginti præfuisset. Meminit eius Henriquez in Menologio, atque eximiæ religionis, qua claruit, memoriam recolit ad decimam nonam diem mensis Februarij. In Cæsarea successisse fertur Conradus, qui vitam, præfecturámque, eodem Bruschio[f] teste, vsque ad annum M.C.L X V. continuauit. 8.

e *in Monast. Cæsariensi.*

f *in Cathal. Abbatum Cæsariensiû.*

9. De fundationibus parum, aut nihil dicam; nam duas tantum recenset Chronologia, vtramque ignotam, Burnesbach, & de Fœlicitate: neutri die præfixo, pro suo more. Verum est tamen quod in Cathalogo Ecclesiarum Morimundensium Burnesbach eadem cum Brumbacho domus dicitur, quam in Episcopatu Herbipolensi, non longè ab Vvertheimio Mulbrunum protulit. Et cuius libri Cameræ, & Sebastianus Munsterus meminere: illi dum centum supra quinquaginta florenis, taxant; hic, dum constituit sub aduocatia Comitum Vvertheiminsium. Portò de huius Conuentus sanctitate, atque efficacia precum, ex Cæsario, aliisque in sequentibus plura, si Deus dederit. Memoratur Brumbachum in litteris Gregorij Papæ IX. Datis Viterbij V. Kalend. Maij, Pontificatus ipsius anno X. cuius Abbati idem Gregorius scribit, Laterani, X I. Kalend. Maij ann. X I I. & Innocentius I V. Lugduni Nonis Nouembris, anno V. quæ suis locis latiùs dicenda erunt.

10. Hoc tandem anno, à Prudentio Sandoualio lego illustre priuilegium concessum Moterolensibus & Gundisaluo secũdo Abbati domus, post Cistercium admissum, ab Imperatore Alphonso, sub hoc initio. *Ego Aldefonsus Imperator felix, inclytus, triumphator, ac semper inuictus, totius Hispaniæ diuina prouidentia famosissimus Imperator, vnà cum vxore mea Imperatrice Domna Rica, cùm filiis meis Sanctio, & Ferdinando Regibus, simul etiam cum filiabus meis, Constantia, inclyta Francorum Regina, & Sanctia nobili Regina Nauarræ, Facio chartam donationis: &c.* Quod initium ob illustrem notitiam eiusdem Magni Alfonsi, atque filiorum eius, cum hic incideret maximè expeditum pro Moterola Cœnobio Cisterciensi, nequam duxi silentio prætereundum. Quæ autem fuerit Constantia Regina Franciæ, quæ aliis Isabella, Ludouico, post Eleonoræ diuortium nupta, idem Author expendit eodem loco.

in Alfonso Imp. Æra 1191. & 1194.

IESV

IESV CHRISTI ANN 1156. CISTERCII ANN. 59.

1. Duo illustres euentus istius anni, 2. Hameti Patria, parentes, & occupatio: 3. Legatia, & in media via error, salutis ostium. 4. Eiusdem viri accessus ad Populetum. 5. Collatio legum Christi, & Mahometis, 6. & de hac deserenda lucta interior. 7. Baptizatur, 8. & Bernardi nomen assumit: 9. admissus ad habitum: 10. & quod eius votum præcipuum in probatione?

CAPVT I.

1. ANNVS sequitur, à Christo in terris nato, M. C. L V I. à condito Cistercio quinquagesimus nonus, ab obitu Bernardi Parentis, tertius; Cistercio simul, & nostræ Hispaniæ fælix, faustúsque, duplici titulo, vtroque satis illustri: altero institutionis sacræ Militiæ S. Iuliani, dicti *del Pereyro*, nunc *de Alcantara*, quæ prima fortè, & plures præcessura, iugum, & instituta Cistercij tulit. Altero conuersionis illustris Principis, olim *Amete*, Arabico vocabulo, sed post sacrum baptisma, Bernardi dicti, Pintarrafensis Carletensisque Reguli filij; qui simul sæculum, Mahometismúmque relinquens, nec exiguam familiæ suæ partem ad fidem trahens, humilem Monachum induit in Populeto: consecraturus initia noui Cœnobij, ac, pro vtraque suscepta Religione, certaturus viriliter, neque ante palmam Martyrij destiturus. Singula sigillatim reddenda nobis, vt inde ad Claræuallis gloriosos obitus, & si quæ alia concernunt, transeamus.

2. Bernardo, Pater Almanzorius fuit, sub Rege Sarraceno Valenciæ (nam ei tunc, sicut & magnæ parti Hispaniæ, Sarraceni infideles dominabantur) sub Rege, inquam, Zaen, Regulus ipse; cui duo, neque exigua oppida suberant, Pintarrafes, & Carlete: Frater ætate maior, nominis simul, ac Dominij Paterni hæres; Sorores duæ, Zaida, Zoraidáque: ipse, vt retuli, Ametus vocabatur. Vterque filius in aula Valentina, inter Regis ministros, primæ notæ; filiæ in Paterna domo continebantur. Et Almanzorius, quia hæres, auctoritate; sed Ametus industria præcellebat; adeo vt negotia Regni grauiora, subsidia belli, & sumptus, collectæque, vix, præter ipsum, alij crederentur. Redimendis captiuis Sarracenis, qui, ex continuis congressibus plurimi Barchinone, detinebantur; an pasciscendis cum Christiano Rege induciis, & Regulis in obsequio firmandis; in dubio est. Certum, missum Legatum à Zaeno, qui totius Regni negotia pertractaret. Ea iuueni virtus, prudentiaque; quam nulla, quamuis ardua, superarent.

3. Hæc Ameto salutis ianua fuit. Quippe cùm Catalauniam peruenisset, Illerdam primum; mox per incerta ductum, abruptáque; cùm dies simul, & via deseruissent, medio noctis silentio, in nemus incidit, vel in ipso meridie horrendum exteris; nocte intempesta, vel propriis formidandum. Dumeta, & vepres terram, frondes cœlum auferebant ab oculis euntium; & solæ tenebræ vndequaque patebant visui; trunci; quo minus præuisi, minùs declinabiles; atque eò magis nihil metuentes, repentino contactu territuri: vt nec vitare pericula liceret, & vel à tutis semper timendum foret. Placuit quiescere, progredi impotentibus; & quæ major in rebus angustis prudentia est, commodum ab incommodo captare. Quæ gradientibus cuncta in offensione, detentis in vsu; atque arbusta, & virgulta pro straminibus, pro tectis frondes, pro parietibus trunci, pœnæ ad pabulum equos, equitantes ad requiem inuitabant. Virginis, sole longè purioris, agebatur solemnitas, & Sarracenus medius inter dormientem, & vigilantem, sed dormienti propinquior, erroris sui damna, etsi non compensabat, consolabatur. Cum ecce eminus auditæ cantantium voces, dulces, sonoræ, graues; & quæ interuallis modicè distinctæ, alternantibus choris, ab ipsa varietate mulcebant aures, animum aut rapiebant, aut excitabant.

[a] *Obstupuit, steterúntque comæ, & vox faucibus hæsit.* [a] Virg. Æn. 3. vers. 48.

Quippe nec suetus homines audire eatenus psallentes, nec doctus Angelos: & vt vtrosque nosset, hæsisset dubius, nec quinam, qui audiebantur, essent, determinasset. Vltra tres horas prorogata melodia vocum, quò diuturnior, suauior; quippè timore pulso ab assuetudine, solus psallentium concentus percipiebatur.

Tum verò musica deficiente, simul cum nocte; & succedente harmoniæ lucis crepusculo, qui solem aduenientem prænunciaret, subit animum, conscensis iterum equis, qua vepres permitterent, nemus peragrare: sed illam ante omnes alias plagam, vnde voces auditæ, auditorum affectum excitauerant. Crescebat tunc, sub Grimaldo Patre, illustris domus, Raymundi Comitis opus, Populetum, cuius suprà meminimus, atque ingentioribus adhuc incrementis, ingens, vel in initio præparabatur. Hæc loco proxima, & adhuc tectis humilis, sed sanctitate, obseruantiáque sublimis, latitabat in nemore; & terram manibus, per ligonem, vomerémque; cœlum corde, & lingua, per Dei laudes, alternis vicibus sibi cōparabat. Ergo cùm primùm surgentes quominus muros, atque hominum conspexit habitacula; ratus, quod erat, voces inde auditas; intentior substitit; & quodnam genus illud humanæ vitæ, qui ritus gentis, qui mores, perscrutari, prouidus, an curiosus, deliberauit. Ventum erat ad ianuam Monasterij, cùm iam Sol oriens nemus irradiaret; & mallei sonitu vocatus qui aperiret. Venit, aperuit, hæsit, visis hominibus: cognitis, quippe, ex veste, Sarracenis; ex apparatu, magnis; quos hostes fidei; atque adeò, & suæ professionis, non dubitabat. Vicit tamen timorem, Ameti comitas, qui se pacificum, & noscendæ vitæ causa; non lædendi, aduenisse; atque inermem ingressurum, si vellet, præstito iuramento, pollicebatur. Cœlesti monitu, an propria magnitudine, animatus Grimaldus, in dubio est; certum iussisse virum ad se adduci, cui cuncta penetralia nouæ domus, cui oratorium, cui chorus Monachorum,

quod summè ipse exoptabat, ostenderentur: nec detrectasse comites admittere; si pacificos, fortassis conuertendos: si cruentos, gloriosam sibi, & aliis, per martyrium, coronam allaturos.

5. Vix Hametus Monasterium ingressus est, vix Grimaldum Abbatem alloquutus, vix venerabilis senis verba auribus hausit; cùm se interiùs mutari repentè sentit; & aut affici legi Christianorum, quæ tales viros proferre consueuisset, aut inuidere (nec ipse satis nouerat) atque similes alios ex suis facere, si vitam probè nosset, meditabatur. Quodcumque fuerit, morari dies aliquot in Monasterio petiuit, & obtinuit; simulata fortassis ægritudine, qua deluderet socios; atque eis Ilerdam interim transmissis, facilè inde euocandis, cùm conualesceret. Tum verò solus inter Monachos relictus, & singula disquirens, perpendénsque: ac Mahometicæ Christianam legem conferens; dubitare primùm, mox disserere; & de aliquibus rebus iudicare: seria omnia, quæ à Christo, grauiáque; ludicra, & leuia multa à Mahometo; hæc rationi difformia, consona illa: & illa per miracula firmata, qualia hæc nulla pro se valeat adducere. Quid quod Christi potentiam inermes homines, despecti, & humiles, præualentes in orbe: Mahometi impotentiam bella, & arma; nec quisquam hactenus aliter persuasus; certis omninò indiciis manifestent? Nostris solam virtutem in pretio esse; apud suos, vel vitia præualere. Vtramque Religionem nequaquam compati: & si alterius electio facienda sit, præstare Christianam, non solùm pietate, sed sapientia; atque in vtraque excellentibus hominibus; qui proprio sanguine testimonium perhibuerint; pro veritate vsque ad mortem certaturi.

6. Hæc, & similia Hametus reuoluens mente, atque vnctione magistra, altiùs edoctus, Christianam primùm fidem, quod difficilius: quippe abdicandis patria, parente, opibus, propinquis, atque gratia Zaeni Regis; & si quæ alia siue hactenus habuerat, siue deinceps sperabat, simul cum lege: dein, quod iam faciliùs videbatur, Cisterciense institutum, ac vitam illam, quam principium salutis habuit, vsque in finem æmulandam, sibi decreuit. Non deerat generoso adolescenti interior lucta; ex aliorum offensione maior, quàm ex seipso. Laturum ægrè patrem apostasiam, quam à vera Religione esse putaret: quin despectui habendum ab aliis Regulis, quod degenerem filium genuisset: sorores sibi vnicè dilectas in errore mansuras; quas forsan, si reuerteretur, immo & totam familiam, lucrari posset. Sed quod magis vrgebat, negotia Regni sibi commendata: nec deserenda infecta viro nobili, cuius fidei commissa essent abs Rege. Redeundum saltem rationem reddituro, nec exponendam famam aulæ rumoribus, quibus mos cuncta in deterius interpretari. Futuros, qui desertum Mahometismum leuitati adscribant; alios, qui deceptioni: vtrosque timendos: sed quantò magis, si violatam fidem, si Regnum perditum, si defraudatum patrimonium Regium, seu quæ similia inter causas assignaret? Hoc opus, hic labor Hameti fuit. Quem non parentes, non patria, non propinqui, non Regis fauor, non opes retardauerant: quem corporis molestias contemnentem, non nouæ vitæ rigor deterruerat; sola opinionis nota penè retraxit; & ni Deus auxilians præsto foret, haud dubium quin retineret, quamuis inuitum.

7. Sed vicit tandem in ipso diuina gratia, atque hactenus ignoratam veritatem deplorantem acerbè, sitientem aridè, ad Abbatis Grimaldi pedes traxit. Adsit, & misereatur errantis ouis, pro qua Christus obierit; non deserturus in deserto reliquas: sed vltro ad caulas venientem admissurus. Abluat fœdatum, aquis sacri fontis, atque ab ipso leuatum; si velit, probet; exequuturum fideliter mandata, atque aspera quæcumque perlaturum. Indignum se consortio Sanctorum hominum; & tunc primum venientem ex paganismo, ministrum imparem, cui maiora, cui grauia committi valeant. Obediendo quemcumque parem esse, si modò velit humeros supponere. Sed neque arcendos tyrones ab Euangelio, quod non nisi per recens conuersos, hoc est Apostolos, vocatos ex Iudaismo, plantatũ fuit. Sensit Grimaldus inflammatæ mentis ardorem, consensítque; ac magistro assignato, cathecumenum voluit, mox Christianum, ac Monachum futurum. Ferunt, intra vnius hebdomadæ spatium edoctum legem, fidei articulos, præcepta vtriusque Tabulę, tum etiam Ecclesiasticas orationes, sacramenta, & quæcumque necessaria, non sine ipsius magistri designati, ac cæterorum, qui videbant, admiratione. Quippe in aliquibus etiam supra magistrum, in aliis ipse magister, seu potiùs Deus in ipso, comprobabatur.

Itaque hoc anno (sed dubium qua eius die) lustralibus sacri fontis aquis abluto corpore, atque anima per gratiam renouata, & veterem cum actibus suis exuta hominem, nouum induere meruit in Christo genitum, atque ex ipso renatum, per ipsum tandem in cœlis regnaturum. Nomen Hameti deposuit simul cum secta; atque ex recenti Bernardi sanctitate, Bernardus dictus; cui Sãcto ab ipsis suæ conuersionis initiis, seu fama operum, seu studio professionis, supra alios addictus, in quantum potuit, voluit adhærere. Iam legebantur libri vitæ eius, primus præcipuè à Guillelmo Abbate scriptus, qui & Hameto sacris initiando traditus fuerat. Hunc ergo virum præ aliis imitandum, cùm Chatecumenus sibi proposuisset, nominis non minus petiuit antesignanum: quo nunquam posset ab aliis nominari, quin Bernardum ingererent: sed neque sui ipse sine Bernardo, si tamen renouati, per Christum, recordaretur. 8.

Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia, & Bernardus impatiens totius moræ, vix dum Christianus, vitam perfectiorem, sanctiorémque, in ea, cui adhæserat, lege, desiderabat. Non vllæ tunc contra recens conuersos latæ; nulla infamia, ex suscepta Religione: atque imitata Christum simplex ætas, vt numquam non venirent ad Euangelium: serius venientes prioribus æquabat. Zelo, an inuidia inductum nostris temporibus, vt ab altari, & honoribus arceantur; quippe affluente ministrorum copia, antiquiores censemus præferendos: nec dubitamus firmiores in Religione, seu quia aliam non norunt, seu quia semel susceptam numquam mutarunt. Demum recidiuum expertos in aliquibus pericula effecerunt cautiores. Atque hæc omnia iusta, sanctáque: si modò temperata, & cum debita temporum, quin etiam personarum, distinctione. Cæterum obicem conuersioni gentium ponere: ac baptizandos, & eorum successores, etiam vltro venientes, etiam nobiles; ab ipsa sacri fontis susceptione reddi infames, macula numquam amplius abluenda; quod in nostra Hispania vsu receptum, ac legibus sancitum; an satis congruat, aliorum linquo iudicio discernendum. Vtcumque sit, Bernardo Regis filio, nec nunc obstaret, macula, 9.

quam

quam Regius sanguis censetur absorbere: Ergo ad habitum Religionis susceptus est, Monachum induiturus post probationem.

10. * Hæc de viri primordiis, patria, & genere; ac de suscepta vtraque Religione, ex eius vita excerpta, quam ex antiquis Populeti Tabulis, ac Monasterij Patrum sanctæ Triados, in quo nunc corpus Martyris requiescit, ad Algeciram oppidum, ad compendium redegit modernus Author eiusdem Religionis; cui consonant medij omnes scriptores, Miedes, Beuter, Viciana, ex quibus aliqua etiam recentiores. Tyronem veteranos anteisse, exercitio virtutum, atque operibus totius pietatis, compertum est. Quin charitate in Deum, suósque, his, conuersionem ad veram Christi fidem; sibi, pro Christo martyrium præoptasse: nec quidquam aliud instantius petiuisse, quàm, vt cum suis per martyrium consummaretur. Quod tamen qualiter tandem impetrauerit, post plures annos exactos in Populeto; sicut & quæ, & qualia mirabilia ante, & post mortem, per eum, Deus patrauerit, suis locis fideliter reddemus.

---

1. Hispania dudum oppressa à Sarracenis. 2. Suerij, & Gomecij votum, 3. & Amandi consilio surgens arx. 4. Firmatum vitæ genus ab Ordonio, & militibus indictæ Cistercij leges. 5. Authores facti, 6. antiquum instrumentum, 7. cui fides integra. 8. Dictum de tempore adhuc explicatius. 9. Quid de his Rades? 10. Primæuus habitus, & eius reformatio: 11. atque obiter dictum de Capellanis.

CAPVT II.

1. HACTENVS Sarracenus conuersus Princeps, animam tandem positurus pro fide Christi, nunc iam militiam aduersus Sarracenos, hoc item anno sub Cistercio ortam, integra fide, vt alia, prosequamur. Laborabat Hispania sub graui iugo Barbaræ nationis, quo dudum iam post detestandam proditionem Iuliani Comitis, sub infœlici Roderico Rege, per quadringentos, & eis ampliùs annos affligebatur. Multa illis oppida Hispana virtus abstulerat; & reliquiæ Gothorum sparsæ vndique in diuersis prouinciis diuersos Reges, substitutis Christianis, subiugauerant. Sed adhuc intermixti pagani nostris; & vicinia locorum infensi inuicem; dum hi admissos per fraudem Hispaniâ pellere; illi vtcumque possessam retinere, quo iure, qua iniuria decertabant. Hinc innata rudities illius æui: sed longè maior ruditie, fortitudo, & militaris virtus; quæ vtinam ad nos vsque perseuerasset. Quippè inter bella sordebant studia pacis: & non tam inuicem secum conuicturis, quàm cum Paganis; armis, quàm litteris frequentiùs agendum erat. Ea tunc nobis fortitudo barbara, siue fortis barbaries pacem prætulit, in qua Hispana ingenia per otium culta, aliis nationibus collucere in cunctis valeant, in aliquibus etiam prælucere.

2. Itaque inter continuos conflictus hostium, vt nunc Collegia, sic Arces illis temporibus, & qui modò Theologiæ, siue iuribus, discipuli aut Magistri; tunc bello, & armis aduersùs infideles designabantur, duces, & milites. Sic Templarij non dudum in Oriente, Iacobæi in Hispania, quorum exemplum sequuti duo fratres, Suerius, & Gomezius, ex prima Salmantinæ vrbis nobilitate, congregare viros, instruere aciem, & si quis aptus locus inueniretur, vnde infestare furentes Mauros possent, atque grassantes etiam retinere, ne in nostros irrumperent; laudabili studio, atque strenua virtute meditabantur. Ventum erat ad ripam fluuij Loæ, & in ripa ad paruam Ecclesiolam decimo lapide ab vrbe Salmantina, quam S. Eremita Arnandus, proxima illi ædicula, habitabat. Hic quondam miles virtute, & armis strenuus, tunc soli Deo deuotus siue præmia merenti defuissent, quod satis frequens; siue solis cœlestibus inhiaret, quod longè laudabilius, verùm & rariùs.

3. Is, vt illorum generosa studia nouit, laudare viros, inspirare animos, confirmare propositum, atque vltrò currentes, adactis stimulis, vt non desisterent, velociùs præcipitabat. Quin, qua peritia pollebat in rebus bellicis, arci struendæ, locum designare, (nec longè aberat ab ipsius habitatione) situm describere, commoda, incommoda ante oculos proponere, pensare: Sarracenorum Oppida vicina, murata que; vnde in nostros erumperent; Christianorum aperta, atque distantia: arcem inter vtrosque surrecturam, quæ & illos contineret, & hos defenderet. Assensere consiliis prudentis senis; & partim artificum, quos statim conduxerunt, partim industria propria, laboréque; vix totum opus consumpsit octo menses, vel solis fundamentis, si segnius iacerentur, non sufficcturos. Nomen arci à vicina Ecclesia datum, quæ B. Pontifici Iuliano sacrata erat: additúmque cognomen ab arboribus, quæ fortè ibi inuentæ, ingentes pyri, vnde vernacula lingua *del Pereyro*. Permanet hodiéque memoria arboris, in media cruce, parmæ albæ impositæ, in sigillis maioribus Militiæ; nomine licèt Sancti prorsus abolito, & transeunte in vocem Arabem, *Alcantara*; sumptam ab oppido, in quod tandem translatam, infrà dicemus.

Hoc initium Militiæ Sancti Iuliani, cui se plures fideles associarunt; agmen ducente Suerio, insigni viro, & qui se statim timendum Mauris exhibuit. Verum cum nullam adhuc vitæ regulam, nullas fixas haberent viuendi leges; & deficiente Ecclesiæ approbatione, lubrica omnia, & caduca esse conspicerent; quo auctore paulo ante arcem erexerant, adire Episcopum (nondum id Sedi Romanæ delatum erat) à quo, hactenus à se gesta aperientes, instituta susciperent, atque in veræ Religionis corpus, tribus votis emissis, confirmarentur. 4.
Præerat adhuc Salmantinæ sedi supradictus Ordonius, primus ex Cistercio assumptus in Hispania, atque ipse etiam Hispanus, si fides nomini. Siue ergo is hanc gloriam Cistercio dederit; siue elegerint illi, quod magis probo: vnanimi consensu effectum est, vt noua illa Religio, Cistercij leges (moderatas pro bello) sumeret; atque sub eius instituto, & auspiciis ab Episcopo Ordonio confirmaretur. Non quòd Abbati, aut Capitulo Cistercij obedientiam præstiterit, quod longè posterius; sed quòd sub legibus Cistercij militaret, & eius, quoad posset, institutum, ac Sanctam viuendi normam,

æmularetur. Non secus, ac de Valle-bona diximus, Monasterio Hispaniæ; Cisterciense incepisse, non sub Cistercio; sed & Moniales plures hodie extant, subiectæ Episcopis, verè Cistercienses, atque ab ipsis regendæ Cistercij legibus.

5. Hactenus ex Bernardo Brito [a], & Brandaonio [b], quibus Ægidius Gundisalui, Dauila [c] (illustres Hispaniarum Regum tres Chronologi) in sua Salmantina Historia adstipulatur. Cæterùm quia rei prorsus antiquæ testimonia recentia minùs fida, producam monumentum antiquitatis satis illustre, ex quo primi hauserunt; peruetustum nimirum manuscriptum, in membrana exaratum, antiquis litteris; quod extat in Bibliotheca Alcobaciensi, sub tali titulo. *Secunda pars Codicis Alcobaciensis.* Circa finem autem illius, barbaro quidem stylo, sed proprio sæculi, hæc eadem inueniuntur, totidem verbis.

a lib.5.c.3. b lib. 10. c.37. c lib.2.c.13.

6. *Hac est institutio Militia Pereriј Regis Ferdinandi tempore in Legione Æra M.C.X C IV. Extrematura erat de Mauris, & fuit vir bonus, & fortis, qui dicebatur Sugerius de Salmantica. Hic cum multis Comitibus voluit pro Deo bellare cum Mauris. Ierunt autem in Frontaria, per Extrematuras quarentes locum, vbi facerent fortiam contra Mauros. Mense Septembrio hora antelucana inuenerunt Eremitam, nomine Amandum, viuentem in Ecclesia S. Iuliani ad Lunam. Hic dixit Sugerio: Si locum quæris, ostendam bonum, iuxta meam Ecclesiam: ibi est frontera de Mauris. Visum bonum consilium: vadunt, incipiunt Castrum ad Lunam vicini Christiani, finitur per octo menses; pugnant, inquietant Mauros: venerunt multi ad formam istorum, quorum erat Sugerius Dux. Acceperunt consilium Amandi: vadunt ad Episcopum Salmanticensem, vt illos ordinaret in socios: ille dedit statuta Cistercij, quia ille de Ordine erat. Et Sugerium primum fecit inter illos, qui dum moritur in bello, sepelitur ibi, & Gomecius fit primus inter omnes, fortis bellator in Lide de Argasan. Huius tempore moritur Amandus, qui iuuenis iuit ad bellum Syria cum bono Comite Henrico, & multa fortia egerat: Gomecius donatus à Rege Ferdinando multis bonis, Villis, Castris, & locis. Postea venit Magister primus Benedictus Sugis, qui gagnauit Almeida Castrum & terram tulit de Mauris. Postea vnitur Ordo S. Iuliana Militie, Calatraua Ordinis nostri Cistercienfis, propter donationem Castelli de Alcantara, vbi nunc iam viuit. Deus illos à Mauris liberet. Amen.* Hactenus ibi.

7. Hanc relationem in prædicto loco inuentam, caracteribus antiquis exaratam ac Reuerendissimi Patris Domini Emanuelis à Plagis, Regij Alcobaciensis Monasterij, & totius Lusitaniæ Congregationis Præfecti, quondam dignissimi: atque eius Notarij fratris Adeodati de Assumptione; tum & Prioris, atque officialium eiusdem domus subscriptionibus munitam, quibus duo alij Notarij fidem faciunt, in authentica forma ad me transmissam, inter alia instrumenta lubens conseruo: vt neque de M.S. antiquitate, cui iidem etiam testimonium perhibent; neque de fideli eiusdem transcriptione; & (quod consequens in hac materia est, pro humano captu) neque de totius rei gestæ veritate aliquatenus liceat dubitare. Quæ omnia hîc adnotatu digna censui, quò rem cæteris hactenùs ignotam, atque à Bernardo Brito primum in lucem editam, firmo fundamento subnixam lector intelligat; maximè cunctis aliis concordantibus, quæ non de facili, nisi in vero, & fideli scripto cõponerentur.

Illud aliquibus difficultatem ingerit, quod Æra M.C.X C IV, quæ incidit in annum, quem nunc scribimus, Ferdinandus in Legione regnasse dicitur: cùm tamen constet Alfonsum Imperatorem, cui Ferdinandus successit, nequaquam ante annum sequentem decessisse. Tum, quod sacra militia Calatrauæ antiquior reputatur Sant-Iulianæa; & tamen constat illam non cœpisse ante annum millesimum, quinquagesimum octauum, vt ibidem à nobis dicendum erit. Sed reuera nihil est in his litteris, quod veritati ipsi non concordet. Neque enim Æra, quæ in ipsis designatur, cunctorum tempus adnotat, vt constat, cum multa sint manifestè posteriora, vt mors Suerij, atque Alcantara donata Sant-Iulianæis: sed initium struendæ nouæ arcis, in qua congregarentur Suerius, & socij, quod incidit in Septembrem præsentis anni. Porrò arce consummata post octo menses, hoc est, in Maio anni subsequentis; congregatos ibidem, atque inde aliquot incursus in Sarracenos, tempore Imperatoris Alphonsi prosperè factos. Tertio dein anno, Ferdinando iam regnante, conuenisse Ordonium, atque ab eo accepisse obseruandam Cistercij regulam: cùm iam Raimundus à Sanctio. Castellæ Rege, Calatrauam propugnandam accepisset à Sarracenis; ibidémque militares fecisset Cistercij leges, pugnantibus Monachis, & conuersos suscipientibus, quos militiæ exercitio deputarent. Ergo laudabile equitum propositum, atque arcis constructio circa hunc annum: reliqua per anticipationem dicta sunt, prout in instrumento continentur. Prioris nomen tributum Superiori, quia Abbatis non licet homini laico; nec Magistri in Cistercio cognitum erat: & conseruatum à Sant-Iulianæis per annos aliquot: quippè M.C.L X X V I I. quo primùm Ordo confirmatus legitur ab Alexandro I I I. ad Gonesium Priorem. Datæ Literæ, quas suo loco nos etiam memorabimus. 8.

De Suerio nihil adhuc compertum est, præter ea, quæ in relatione illa traduntur. Rades Andradius [d], neque virum nominat, primum militiæ præfectum Gomesium tradens, cuius ante annum dictæ confirmationis per Alexandrum nulla stet notitia; Conuentus, siue arcis (vtrouis nomine appellare mauis) paulo antiquior; nimirum ante annum, in litteris Ferdinandi Legionensis, quas nos etiam ex ipso infra reddemus. Verùm est tamen fateri antiquius aliquid, sed cuius hactenus principium ignoraretur. Suerio successisse Gomezium, conuenit; at non quo anno. Quippè in antiquo illo M. S. omissum tempus; à cæteris vel Suerius ignoratus, nedum præscriptus annus ipsius obitus. Sic & Victoria illa de Argasan, pro qua & ipse militasse strenuè dicitur, incomperta nobis: nihil vnquam daturis, quæ non ab aliis prius accepimus, probanda fide. 9.

d In Chron. Alcant.c.2.

De habitu nouæ Religionis id in ipsius statutis, vt constans lego, eumdem ipsum fuisse, quo nos vtimur; nisi quod paulo post, ob belli munia expeditius exequenda, in scapulare breue mutatus sit, cui assutum capucium albi coloris. Easdem leges loquentes audiamus, & quidem lingua eadem, qua prodiere [e]. *El habito delos dela Orden del Pereyra fue al principio el mismo que traian los Monges de S. Bernardo, y porser de algun impedimiento para el exercitio militar, tomaron ensu lugar vnos Capirotes con vnas chias tan anchas como vna mano, y tan largas como palmo y medio, y este les durò hasta el tiempo del Infante Don Sancho, Maestre, que como* 10.

e In Prologo.

como se dira, fue desta Orden, à cuya instancia el Infante Don Fernando su Padre, Rey que despues fue de Aragon, siendo gouernador de estos Reynos de Castilla y Leon, el año de mil quatro aentos y onze, pidio al Papa Benedicto XIII. tuuiesse por bien mudar el habito de la dicha Orden, que essedecia de Alcantara, en cruces de Paño verde conel escapulario, que al presente traen. Hactenus in libello statutorum.

II. Rades de Andrade, grauis aliàs Auctor, sed in his Militaribus Ordinibus nihil magis abhorrens, quàm Monachismum; & si verum ingenuè dicendum est, quodcumque malens esse, quàm id quod fuit; Primordia illa habitus Monastici aut negat, aut reticet; & sæcularem habitum honestatum assignatum militibus tradit ab ipso ortu, superaddito breui illo scapulari, quod ideo tantum non negat, quia non potest. Habuerunt ab initio Capellanos, qui sacris ministrarent; nec abhorrebant à legibus Cistercij, per quas Monialibus, ex eadem causa, concedebantur. Atque hi item veri Religiosi, professique, de quibus passim in antiquis, nec raro in nouellis, vt vocant, definitionibus. Hæc de initiis sacræ huius Militiæ; reliqua, vt contigisse constiterit, reddemus. Nunc ad gloriosos euentus Claræuallis, obitúsque, quibus hic annus fulsit, transeamus.

---

1. Gerardi, dicti de Farsa, excellens virtus. 2. Miraculum, dum corpore ægrotaret. 3. Gloriosus obitus; 4. & post ipsum apparitio. 5. Locus sepulchri prioris, & translatio. 6. Quid liber sepulchrorum Claræuallis? 7. Laurentius Sanctus Conuersus, excubias ad sepulchrum Bernardi peragit: 8. Cum dæmone luctatur. 9. Dictum & de Guillelmo Sancti Albini, 10. & quædam visio eiusdem, an alterius, gloriosa Cistercio. 11. Demum de Monacho nimium sui prouido, & B. Virginis Mariæ apparitione, 12. quam duplicem Cæsarius fuisse affirmat. 13. Henrici in Claramuallem aduentus, genus, conuersioque.

CAPVT III.

1. ORDIOR autem à viro Dei Gerardo, Farfensi olim Monacho, quem iam nonagenarium, nec minùs plenum virtutum, quam dierum, circa hunc annum consummatum fuisse, coniector, quippè inter obitum gloriosum Bernardi Patris, atque Claustri, & Ecclesiæ Claræuallis, quæ ab ipso incepta, consummationem; quam *aliquantis annis*, dicitur præcessisse Gerardi obitus. Ergo vir Dei, quò corpore debilior, eò Spiritu fortior, robustiórque, iam dudum imminentem sibi mortem, sed gloriam magis per eam, præstolabatur; fatiscentibus membris, quò animus solutus eorum sarcina, agilior ad Cœlestia penetraret. Audi, de ipso Exordij magni Auctorem. [a] *Huic autem viro Dei, quamuis corpore nimium esset debilis, vtpotè qui iam erat ferè nonagenarius, nulla tamen senectus, vel debilitas, bona consuetudinis vsum præpedire poterat; sed quotidie infatigabilis animi feruore iuuenescere videbatur: ita vt vix, ægritudine graui compellente, in infirmitorio detineri posset; vixque posset etiam à labore messium retineri.* Hæc Gerardi constantia iam moribundi. At quæ in obitu eius mirabilia, atque omnino gloriosa visa fuerint, idem Auctor enarrat totidem verbis.

a Lib. 3. c. 15.

2. [b] *Aliquando* (ait) *grauissima valetudine pressus, cum in quadam secretiori domuncula, lecto decumberet, contigit quadam nocte extingui lampadem quæ ibi ardebat. Quo viso, frater ille, qui ei ministrabat, tunc temporis surrexit, & abiit reaccēdere illam. Cúmque reperisset clausas vndique officinas, sine igne reuersus est tristis: Et firmato ostio cellulæ, iterum recubans, obdormiuit. Profunda verò nocte, cum S. ille vir Dei ad necessaria surgere vellet, assurrexit frater ille dolens, quod luminare ei deesset. Respiciens autem ad fornaculam præsentem, in qua, per octo dies antea, focus non fuerat, vidit ibi prunarum ardentium non paruam congeriem. Accensáque ex eis lampade, cùm statim ad eamdem fornaculam oculos reduceret, non modò prunas illas non reperit, sed neque vllum in ea caloris vestigium deprehendere potuit.* Sic seruum suum cœlestis Paterfamilias, non tam remunerabat, quàm præueniebat: & dum per varios labores exercebat, per miracula manifesta consolabatur. Pergit Auctor de vltima ægritudine, & S. Patris Bernardi apparitione [c].

b Vbi suprà.

c Vbi suprà

3. *Cùm autem vltima ægritudine, qua & mortuus est, decumberet iam in extremis positus, B. Bernardus Angelico vultu, & vestibus albis decoratus apparuit: in ea tamen consistentia, & habitudine corporis, qua ante obitum fuit. Quem, cùm ille conspiceret ad se ingredientem, & veteranos, ac venerandos artus baculo sustentantem, manu, & voce, qua poterat, innuit, vt sancto venienti assurgerent, & locum sedenti citiùs prepararent. Illis verò mirantibus, atque quærentibus, de quonam sancto senex loqueretur: premente se ægritudine, respondere non poterat. Post modicum autem recepta virtute loquendi, cum id ipsum denuò sciscitarentur, confessus est, vidisse se S. Bernardum, blando ipsum alloquio consolantem. Qui cùm benedixisset eum, signo Crucis edito, totam etiam domum benedixit, subiungens hæc eadem verba, & dicens: Hæc est domus mea, quam ædificaui, Dominus custodiat eam in æternum, & in sæculum sæculi.* Hactenus præcedentia gloriosum obitum, non sòlùm in ipsius viri Dei, sed & totius Ecclesiæ Claræ-vallis, & Monachorum illius consolationem.

At, nec post exitum, inglorium Deus voluit, 4.
quem semper habuit suæ gloriæ promotorem: nam audi, quod sequitur [d]. *Benedictione itaque Patris sui Sanctissimi, vir Domini, Gerardus firmatus, lætus, mortis debitum soluit æterna vitæ fonte, quem tanto desiderio sitierat, satiandus. Aliquanto posteà tempore elapso, apparuit in visione cuidam conuerso Religioso, nomine Laurentio, lætus atque præclarus, pretiosis etiam vestibus decenter ornatus: indicans ei, quod, per Dei gratiam, gaudium sempiternum obtineret, & gloriam. Fratri autem impensius supplicanti, vt eius benedictionem, & suffragia mereretur, benedixit, atque ita respondit: Ego orare non cesso, non modò pro te, verùm etiam pro istius Vniuersitate Ecclesiæ.* Hic ille Laurentius Sanctus Conuersus est, cui à Philippo Priore Claræ-vallis Siciliam misso, apparuisse Bernardum tunc recèns mortuum,

d Ibidem.

mortuum, atque prospera omnia annuntiasse, superiùs diximus; comprobante euentu missionem, vt nulla dubitandi occasio relinqueretur.

5. Locus sepulturæ Gerardi primò communis, sed mox (crediderim) crebrescentibus miraculis, pluribúsque de ipsius gloria reuelationibus; cum aliis Claræ-vallensium SS. ossibus simul ipse translatus, atque decenter eleuatus est, circa annum Christi M.C.X C I. vt coniector de quo hæc habet Exordium eodem loco. *Transactis verò post obitum eius aliquantis annis, consummatis iam noue Claustro, & noua Ecclesia, quæ licentia, & benedictione Beati Bernardi initiata fuerat; sacra ossa ipsius, de loco, quo primum tumulata fuerant, sublata, & in theca, quam supra diximus, Venerabiles Patres Robertum Abbatem, Humbertum Priorem, Oddonem Suppriorem reconditos fuisse; condigno honore, ob reuerentiam Sanctitatis eius, collocata sunt.* Hæc in Exordio.

6. In libro verò Sepulchrorum Claræuallis hæc quæ sequuntur [c]; Vbi diem designat gloriosi transitus. *Tertium vero locum post ipsum* (scilicet post Oddonem Suppriorem, qui decesserat, Bernardo adhuc viuente) *obtinet Venerabilis Pater Dominus Gerardus Farfensis Cœnobij Monachus, grandæuus ætate, sed moribus sic excellens, vt potius omnibus admirabilis videretur, quam imitabilis. Hunc Abbas suus plurima generositate præditus, sed multò magis religione præcellens, & B. Bernardi specialis amator, ad eum veniens, dum adhuc ipse viueret, secum adduxit, in sua, vel in nostra regione, nouam ex filiis eius construere cupiens Abbatiam, cúmque huius rei gratia præsentiam excellentis Principis Conradi, Romanorum Regis adiissent, in ciuitate Moguntina, Domino vocante decedens, ipsum Venerabilem Dominum Gerardum ad charissimum omnibus B. Bernardum, & ad Cœnobium Claræuallense, transmisit; vbi post plures annos, sicut fuerat religiosissimè conuersatus, ita VI. Idus Decembris fæliciter consummatus, in Domino requieuit.* Memoratur in Menologio Cisterciensi, atque item ab aliis [f]; eadem die.

c Apud Henric. Fasciculo.

f Auberto, Miræo. Hugone Menar.

7. Cæterùm, quia de Laurentio conuerso sermo incidit, cui Gerardus apparuit; duo nobis addenda de eo viro; cuius, etsi annus mortis ignoretur, haud tamen dubium diu superuixisse. Alterum est, charitate feruentem in Bernardum, communem Patrem omnium, per multos annos excubias peregisse ad sepulchrum ipsius, & Malachiæ. Vnde non abs re erit si coniectemur, visitatum ibidem à Gerardo, velut remunerante vigilias pias: Alterum, supramodum passum à Dæmone; & si quæ fides ei haberi potest ab eodem, qui Sanctissimum Iob olim afflixerat. De priori, in eodem Exordio, lego [g]. *Erat in Claraualle conuersus quidam Religiosus, nemine Laurentius, cuius etiam superius, dum de Venerabili viro Domino Gerardo de Farfa litteris aliqua mandaremus, mentionem fecimus. Erat ergo vir ille spiritalis, & deuotus in omni conuersatione sua; orationi, atque compunctioni, mirabili pertinacia, iugiter insistens: ita vt per plurimos annos, cum sanctorum Cõfessorum Bernardi, & Malachiæ corpora in Secretario, diu, noctúque seruaret, vix vnquam aliqua hora posset ibidem aliter inueniri, nisi semper orationi incumbens, & diuturnis fletibus pauimentum rigans.* Hæc de priori.

g Lib. 4. c. 33.

8. Verùm, de posteriori, vnde purgatior; quò ex bello victoriam, atque ex victoria triumphum reportaret; hæc de primordiis viri scripta inuenio; quæ non alibi dicta, non dicenda, hîc consequenter censui subiungenda. *Huius autem puritatis, & deuotionis celsitudinem, non sine multo labore, per gratiam Dei, conquisierat. Quoniam in primordio conuersionis suæ, multis tentationibus vexabatur, & contra malignorum spirituum venenatas suggestiones, diuturno certamine, exercebatur. Nocte verò quadam, dum finitis matutinis, in domicilio quodam solus esset; ecce immundus spiritus mugiens, & plangens, discursu gyronago, circa eum rotabatur, ipse verò fronti suæ signaculo Crucis imposito, quisnam esset, interrogauit. Versipellis autem malignator vt rudi adhuc, & tenera menti, grauiorem metum incuteret, respondit. Ego sum ille, qui tentaui, & flagellaui Iob, quod audiens frater, qui adhuc nouus in conuersione erat, timuit vehementer, & fugit à facie maligni spiritus, & eum vlterius non vidit.* Hæc de Laurentio, dum adhuc in viuis erat. Annus mortis adscribat, quicumque nouerit. Virum Menologium recenset Augusti X. Quin & vitam ipsius M.S. in Aurea valle extare testatur Henriquez; qui tamen nihil prorsus ex ea hausit, exceptis his, quæ habemus ex Exordio.

Guillelmi, sancti Albini quondam Monachi, 9.
pretiosam in conspectu Christi mortem non desunt, qui huic anno etiam adscribant. Certè non longè distasse compertum est; atque ideo, vt minùs, hîc notandam, quia non certius alibi, quod non semel occurrit in his Annalibus. De ea pauca in Exordio, sed plena fide; plena cultus in virum, & reuerentiæ [h]. *Hic ergo* (ait) *B. & Sanctus, sicut fideliter vixit, ita fæliciter obiit. Et plenus dierum, & virtutum migrauit ad Dominum: ac desideratam, & votis omnibus expetitam sibi sepulturam, in Sanctissimo Claræuallensium Collegio, Domino largiente, sortitus est.* Hæc tantùm ibi. Sed nos visionem quandam orbi terribilem, Cistercio gloriosam describamus; ipsi an alteri factam eiusdem nominis, eiusdem Monasterij; ad quam (ni fallor) statim diuulgatam, adhæsisse videtur Fridericus in ea, quam ad Capitulum generale scripsit, Epistola; dum se firmiter credere testatur, *Mundum hunc, qui in maligno positus est, Cisterciensium orationibus sustentari, & à facie furoris tremendi iudicis defensari.* Si cessarent, statim periturum. Epistolam nos ipsam superiùs dedimus [i], daturi nunc visionem, ex Cæsario, quæ primitiui Cistercij perfectionem, tum Christi, & Virginis, in ipsum charitatem, atque eximium fauorem satis ostendit.

h Lib. 3. c. 14. in fine.

i Homil. in Domin 3. post Pentecost.

Dominus Vuillelmus (ait Cæsarius [k]) *Sacerdos & Monachus Clarauallis, cùm in Oratione staret, factus in excessu mentis, raptus est ad Tribunal Christi, ad cuius dexteram Angelum cum tuba stare conspexit. Quem, cùm buccinare præciperet, & ad sonitum tubæ totus mundus, quasi folium de arbore, tremeret; vt secundò buccinaret, clamauit: B. Dei Genitrix intelligens mundum consummari, si denuo buccinaret; ceteris sanctis tacentibus, ipsa sola surrexit, & ad pedes filij procidit, & vt adhuc sententiam suspenderet, supplicauit, cui Dominus: sic me mundus suis peccatis irritat, non solùm laici, sed & Clerici, ac Monachi, vt sententiam suspendere, vel eis parcere meritò non debeam. Tunc illa. Parce, dilecte fili mi; parce, etsi non propter illos, saltem propter amicos meos, personas Ordinis Cisterciensis, vt se præparent. Quæ exaudita est, sed quandiu, ignoramus.* Ista Cæsarius Cistercio gloriosa, mundo salubria; & illustria Claræualli: sicut duos Guillelmos sanctos habuit sub his temporibus, quibus hæc Deus dignaretur reuelare: siue vnius, tam excellens meritum fuit, vt omnibus his dignum 10.

k Ann. 1155. c. 1. n. 5.

dignum se fauoribus, tot secretorum capacem, exhibuerit. Vvillelmum, Sancti Albini quondam Monachum, inter sanctos recenset Martyrologium Monasticum, atque item Cisterciense Menologium, illud in prima appendice, littera G, hoc vigesima septima Nouembris, vbi & plures citantur, sed recentiores.

II. Succedat dictis cælestis alia visio, non minùs celebris, & recepta inter Authores, ea, quam præcedenti anno tradidimus, sed neque minus Cistercio memorabilis, vt sicut illâ, labor continuus manuum, sic per hanc abstinentiæ rigor subleuaretur, interuentu Mariæ Patronæ, & Dominæ, cui cura, amara eius indulcorare. Rem planè magnam, sed fidei indubitatæ, Auctor Exordij magni ita describit [l]. *Fuit in Claraualle Monachus quidam, qui quamuis homo bona voluntatis existeret, corpore tamen delicatus, atque infirmus erat, & propterea in obseruatione ciborum, & procuratione medicaminum curiosus, atque superstitiosus erat. Clemens autem Dominus, qui misericorditer solet errantes corrigere, ipsum voluit ad viam veritatis reducere: vt sciret, & intelligeret, quàm salubriter monet nos omnem solicitudinem nostram in ipsum proiicere, quoniam ipsi cura est de nobis. Tali autem modo visitationem suam simpliciter delinquenti prerogare dignatus est. Aspiciebat isdem Frater in visu noctis, & ecce vniuersitas fratrum quasi ad laudes diuini seruitij celebrandas, ad Ecclesiam festinabat. Porrò ad ostium eiusdem Ecclesiæ stabat illa tam humilis, quàm sublimis Mater misericordiæ Pia Virgo Maria; quæ tanquam pretiosi electuarij pixidem portans, singulis fratribus oratorium intrantibus, singula ex eo coclearia dulcissima sua manu, dignanter tribuebat, & mira dulcedine gustantes reficiebat. Quo viso frater ille gratulatus est vehementer reputans secum, quòd ipse cælestis illius alimoniæ sine obstaculo particeps fieri deberet. Cùmque ad manum piissimæ Procuratricis accederet, benignissima dissimulatrix, & verè [illegible] Virgo, repulit eum: dicens. Numquid nostro [illegible] ramine opus habes? Nónne sapiens medicus es? Et tuimet solicitè curam geris? Vade itaque, vade, & tuis medicamentis, sicut volueris, vtere; quia modò de his, qui curam suam, super Dominum, & filium meum iactant, cura est mihi. Quod cùm ille audisset erubuit; & petens indulgentiam, promisit ei, quod se amplius de ipso non intromitteret; sed totam vitæ suæ curam Deo, & sibi committeret. Ad quam sponsionem generale refugium Christianorum omnium, sed specialis protectio spiritualium seruorum suorum Cisterciensium fratrum, satisfactione accepta, benignissimè pœnitenti, veniam, & gratiam indulsit; & medicamenti saluiferi pabulum impartiuit. Gustata igitur benedictione cælestis antydoti, protinus à sua teneritudine, & infirmitate frater ille conualuit; & abdicatis omnibus medicamentis, & delicatioribus alimentis, ad communes cibos se transtulit. Ideòque, cooperante gratia Dei, in breui decorem, & fortitudinem cum salute corporis, & animæ pariter induit.*

l Li.3.c.19. Exord.

Visionem hanc eisdem ferè verbis transcripsere Vincentius [m] Beluacensis, Cardinalis Iacobus de Vittriaco [n], Ægidius Faber, & Cæsarius Heisterbacensis [o], nisi quod quidam speciale patrocinium Virginis reticent, alij produnt [p]. Cæsarius duplicatam visionem tradit; semel de negato edulio Monacho delicato, concesso iterum. *In proxima* (ait) *sua solemnitate Domina nostra prædicto modo famulos suos visitans, postquam ad medicum venit, gradum fixit, & ait. Quia te emendasti, tuis medicamentis mea præferens, ecce de meo electuario, sicut cæteris, tibi impertior. De quo vt gustauit, mox tantum dulcedinis, ac deuotionis concepit, vt deinceps, omnia carnis commoda, tanquam stercora reputaret.* Ita Cæsarius: Nec credo de diuerso euentu, sed de eodem. 12.

m lib. 7. c.108.
n dist. 3. examp. 38.
o Hist. Occident. c.17.
p lib.7.c.48.

Hæc, & similia illustrabant Claramuallem sub B.Bernardo, haud dubiè digno Bernardi successore, sed supramodum Henricus de Martiaco, quem anno præcedenti commemorauimus, moribus, vita, atque ingenio & doctrina admirabilis magis, quàm imitabilis; & qui iam tunc, ætate licèt iuuenis, virum præferret; & ingentes Ecclesiæ dignitates, quibus præparabatur, præsagiret. Hic ille magnus Henricus est, non multò post Altæcumbæ Abbas futurus; dein Claræuallis: Demùm, cum multa alia recusasset, Cardinalis Episcopus Albanus, vel inuitus creandus ab Alexandro; de quo multa in sequentibus dicemus. Cæterùm, quod ad rationem temporis attinet, quam anno præcedenti prætermisimus, inde coniector facilè sumendam, quod quarto post, in Abbatem Altæcumbæ memoratur electus; & tamen hæc ipsa eius electio contingit circa annum Christi. M.C.L X. vt in suo loco à nobis dicendum erit. 13.

---

1. Sancti Petri in Germania latentis exercitia. 2. Inuentio, 3. & ad suos reditus. 4. Beati Florentij Carracetensis mors, 5. & Radulfi Hortensis: & dicta aliqua de vtroque Monasterio. 6. Melonis à priori loco translatio, 7. cum iuris, in aliud Cœnobium, accessione. 8. Translatio Obacinæ deliberata, 9. & executa. 10. Philippus, ex Priore Claraualllis, fit Abbas Eleemosynæ, succedente Hugone in Prioratu, qui postmodum fuit Abbas Longipontis 11. Ottonis Frisingensis constantia pro sua Ecclesia.

CAPVT IV.

I. LATEBAT interim in Germania Beatus Petrus, & tota Gallia, Sabaudia, Italia; imo & ipsa Germania, quem non nouerat, amissum venerabilem patrem lamentabatur; nec quidquam triste in orbe contingebat, quod non in eius absentiam referretur: si affuisset nequaquam euenturum. Sed præ cæteris Tarantasiensis Clerus, pauperésque, destituti vtrique suo pastore; nempe primi animarum, secundi corporum; desolationis suæ damna mœrebant; & quà poterant, remedium procurabant. Nam cælum precibus, terram implebant nuntiis, qui virum Dei quærerent: si fortè quis inueniret, & reuocaret. Verùm quo tandem pacto inuentus sit, acta eius describunt his planè verbis [a].

a Apud Surium c.17.

2. *Tandem disponente Deo, à cuius facie, in immensitate creaturæ, nullus absconditur, inuentus, & agnitus tandem aliquando, Ecclesiæ suæ redditus est, &*

reductus ad suos. Siquidem inter cæteros undique quæritantes, iuuenis quidam, quem à puero ipse nutrierat, ad monasterium illud adueniens, egredientibus fratribus ad laborem, dum singulos intuetur, in eum repentè iniecit oculos; & agnitum protinus apprehendit, tenuit, & exclamauit. Mirari omnes: & nomine eius audito conqueri quod lucerna sub modio tandiu latitasset. Sacris eius vestigiis congregatio tota prosternitur, & sibi postulat indulgeri, quod nullam ei reuerentiam exhibuisset, ignara. Fleuere singuli, & dignis magnificare præconiis obedientiæ eius, & humilitatis exempla cœperunt. Flere & ipse præ cæteris, quod indignus foret frui diutius iucunditate concessa; & quod gustatam dulcedinem Sapientiæ, magis esuriens, magisque sitiens retraheretur ad negotiosa vitæ pericula, & labores. Auditum est in terra illa, & celebri sermone vulgatum, quòd apparuit vir propheta, potens in opere, & sermone. Iterum turba ruit, & irruit: iterum fit concursus molestior, ab uberibus desiderata quietis auulso.

3. Hæc de sanctissimi patris inuentione narrabilia, vtcumque: At lætitiam, & iubilum suorum in eius reditu, desperat author à se posse narrari. *Iam verò* (ait [b]) *enarrari non potest, & superfluum est conari, cum quanta deuotione, & exultatione vniuersa terra, tanquam rediuiuus, apparuit. Quoniam sicut discipuli viso Domino, gauisi sunt: Nec minus vberes, etsi magis breues lachrymas, succedens gaudium, quam præcedens mæstitia parturiuit.* Sic factum est, vt nec Petrus merito fugæ, & quæsitæ abiectionis, & latebrarum; nec Tarantasia sui Pastoris vsura defraudarentur; & ille quidem de amissa quiete dolens; hæc de inuento parente sibi congratulans, diuersis, scilicet, studiis; vterque promouebat alterius votum: huius, dum fructuosiorem experiebatur, quo magis inuitum: illius, dum plus sibi detrahebat, hoc est plus Deo dabat, quo magis in aliorum negotiis occupabatur. Cæterùm, quàm necessarius Ecclesiæ fuerit, quam per omnia mirabilis, quales fructus, ex eius inuentione, orbis acceperit, suis temporibus clarius aperiemus.

b *Ibidem.*

4. Carracerenses in Hispania tabulæ hunc annum albo lapillo notatum habent Beati Florentij obitu, quem putant in eo cœnobio suscepisse Cistercij mores; quod Monral. [c] & Henriquez [d] qua fide acceperunt, sequuti sunt. Ego quidem de sanctitate viri nequaquam dubito; sed neque ambigo produxisse sanctam vitam, vsque ad hunc annum, in quo Gualterus ei suffectus legitur. Sed non crediderim litigantem cum Claraualle, Bernardóque, pro eo, quod fratres Monasterij de Toldanos, aliàs sibi subiecti, instituta Cistercij suscepissent; admisisse Cistercium, cui se potius constanter opposuerat. Cum maximè videam, post quadraginta, & eis amplius annos, ab eius morte, Innocentium III. Summum Pontificem gratulatum Abbati, Conuentuique, quod se ad Cistercij pascua transtulissent. Sed de his obiter quædam in superioribus, in sequentibus plura erunt dicenda. Vtcumque fuerit, ad Cistercij historiam facit, quidquid insignem illam Ecclesiam ornat; & Florentium in se, aut in suis filiis suscepisse Cistercium, ac Carrocetum cum tribus aliis filiis eidem tradidisse, compertum est. Sed neque minus Cistercio gloriosum, si à glorioso electum, quàm si à mortali. Sepulchrum viri ignoratur prorsus à filiis: memoria colitur. Et video recensitum in Menologio die Decembris X. & à nonnullis aliis recentioribus.

c *lib. 2. c. 39.*
d *Decebr 10.*

5. Beatum Florentium Venerabilis Radulphus sequutus est, Hortensis Monasterij, seu Cantauensis potiùs, primus Abbas, ex Berdonis transmissus, vir planè magnus, & quem non minus video recensitum in Menologio [e]. Cantauos hic ab Imperatore accepit, Hortam pecunia emit; vtrumque locum ab Eugenio confirmari, & sub B. Petri protectione suscipi obtinuit, vt supra vidimus. Reliqua S. viri obliuio tenet, & nec sepulchrum notum; nec satis constat, an sacræ eius exuuiæ in Cantauos permanserint, an in Hortam simul cum Conuentu translatæ fuerint: quamuis hoc vltimum appareat vero similius. Radulpho Blasius, seu Belascus, suffectus est, (nam variè varia instrumenta virum nominant) Longioris æui Abbas, & qui Cœnobium, quod in Cantauos accepit, in Hortam transtulit, in eo loco æternum permansurum. De anno mortis Radulphi non satis constat, quippe solùm habemus ex instrumentis, post biennium iam Blasium successisse. Quo anno Sanctius, cognomento Desideratus, Castellæ Rex, locũ de Cantauos Radulpho, à Patre concessum, nouo diplomate eidem confirmauit: *Facta charta sub Æra M. C. XCVI. mense Februario, anno, quo Dominus Aldephonsus famosissimus Hispaniarum Imperator obiit, Comite Barchinonensi, & Sanctio Rege Nauarræ existentibus vasallis Domini Regis.* Porrò ex hoc instrumento, si priuilegium Eugenij conferamus, cuius supra meminimus, clarius adhuc videtur persuaderi, quod supra dicebamus; locum, ad quem Monasterium translatum est, non dono acceptum ab Imperatore, sed à Rodulpho Abbate pecunia emptum, neque enim non à filio confirmaretur, si à patre donatus; maximè confirmante locum de Cantauos, quem habebant ipsius donatione: Et tamen constat, viuente Imperatore, à Rodulpho adquisitum; quippè contentum in Eugenij illo diplomate. Cætera, quæ ad translationem domus spectant, atque Beati Martini, sub hoc secundo Abbate susceptionem, cum paterna, ac materna hæreditate, pingui vtraque; & quæ hodie perseuerat; suis locis inferiùs adnotabimus.

e *In notis ad diem Martij 25.*

Hoc item anno Monasterium de Barcena, in 6.
Gallecia, quod supra memorauimus, ad locum, vbi nunc residet, translatum, nomen ex ipso pariter mutauit. Certè vsque ad annum M. C. L V. in Barcena mansisse perspicuè constat, duplici Imperatoris donatione, facta Abbati, & fratribus de Barcena: exinde reliquæ Abbati de Melone: vt tunc primùm mutatas sedes liqueat, simul cum nomine. Mutationem incrementa sequuta sunt & inter alia accessio antiquæ domus sub aduocatione sancti Michaëlis, dicti de Canalibus, Petro Abbate, & Conuentu consentientibus, atque ex tunc suscipientibus Meloniensium Abbatum visitationem. Subdiderintne colla Cistercij iugo, in dubio est; & Meloni illustrius, si vel extranei paruerunt eius Imperio. Illud compertum, præfixam conditionem, vt idem Petrus Abbas remaneret, quandiu viueret. Extat de hoc authenticum instrumentum, quod non credo, abs re faciam, si hic transcribam.

NOtum sit omnibus hominibus, quod Dominus 7.
Petrus Abbas de Canalibus, & fratres eius miserunt se, & domum suam in manus Abbatis de Melone, & fratrum eius; vt consilio eorum viuant, & omnia faciant; & domus illa semper sub iure eorum sit, eo pacto, quod Dominus Petrus Abbas, ibi sit Dominus in vita sua; nullum verò fratrem recipiat, nullum eiiciat, nec aliquid, sicut diximus, faciat, sine consilio Abbatis de Melone. Post mortem verò ipsius, Abbas de Melone mittat ibi, cum consilio fratrum ibidem habitan

habitantium, dignum dispensatorem, quem accipiat de domo Canalium, si dignus ibi repertus fuerit; sin autem de domo Melonis. Hoc placitum factum fuit ante Domnum Pelagium Curerem, & uxorem eius Domnam Mariam in domo de Magnuse. Domnus Isidorus Dei gratia Tudensis Episcopus, hoc placitum concessit, & manu propria roboravit; ipse etiam Domnus Petrus Abbas de Canalibus, & fratres eius manibus suis roborarunt. Testes sunt, Petrus Cinisa; Menendus Gedez; Petrus Crispus; Pelagius Paez, Nuño Mendez; Menendez Nuñez. Si quis fratrum de Canalibus hoc placitum complere noluerit, post mortem Domini Petri Abbatis, eat absolutus, vbicumque animam suam saluare possit. Domnus Giraldus hanc chartam scripsit. Hactenus instrumentum traditionis: quo autem pacto, post mortem eiusdem Petri, primum litigiosa, mox ad plenam concordiam, redacta lite, tandem suppressa, vnitaque Meloni eadem domus fuerit; anno. M.CC.V. quo hoc vltimum executioni mandatum constat, referemus.

8. Hoc item anno Obaciensis domus in Lemouico, tertiò adhuc transferenda, prima noui ædificij iecit fundamina assistente Episcopo, & S. Stephano Abbate procurante: quod, qua tandem ratione gestum sit, eiusdem Sancti Acta ita describunt. [f] *Inter hæc fratres Obacinæ, cùm augerentur de die in diem, nec possent eos capere pristinæ habitationis modica mansiones; consilium fuit, quatenus non, vt priùs, habitacula ampliarentur; sed alibi ex integro transferrentur. Nec iam in ambiguo erat, vtrum ædificarent, sed de loco adhuc consilia voluebantur. Erant ad radices montis vltra fluuium, iuxta ripam eius amœna satis loca, vbi multorum animi erant defixi; quatenus ibi ædificarentur. Alij saniori consilio, non longè à priori loco ædificari volebant; vt pristini habitaculi ruina nouis ædificiis deseruirent: & veteres fratrum sepultura, nouis adiungi possent. Accedebant autem his, vtilitas nemoris, & longo tempore exculta possessio: quæ nec relinqui sine dispendio, nec sine magna difficultate, à longè positis, poterant exerceri. In illis autem optatis locis plurimi rusticorum morabantur; qui si relinquerentur, magnum generarent animarum periculum; si repellerentur nihilominus grande peccatum.* Hæc de consiliis mutandæ habitationis: mox paucis interpositis, subiungunt.

9. *Igitur post multas deliberationes, in superiora Monasterij, feria VI. ante passionem, basilicæ fundamenta aperire cœperunt: prius ipso die ab Episcopo domno Giraldo Lemouicensi in circuitu loci cæmeterio consecrato. Qui locus aëris salubritate delectabilis, aquarum, & arborum amœnitate optabilis, eremiticam cupientibus ducere vitam, non modicam videtur sua solitudine, & quietis opportunitate, gratiam exhibere. Erat annus Domini M. C. L VI. Dictis itaque Litaniis, & Psalmis ad hoc pertinentibus, feria V I. quæ est ante palmas, ab eodem Episcopo, & Abbate, & electo operis magistro, cum inuocatione Trinæ maiestatis, primus lapis in fundamentum ponitur. Nec immeritò cum tanta veneratione locatur; qui illum præcipuè figurabat, de quo Apostolus ait* [g]. *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est: quod est Christus Iesus. Aderat, huius ædificationis initiis, hominum diuersi generis, atque ætatis, cum multo cœtu nobilium, innumera multitudo; quorum alij potentiores auxilium, & protectionem; diuites, pecunias offerebant; pauperes, quod rebus non poterant, votis supplebant: protensis in cælum manibus, supplicantes, vt Deus omnipotens tam sanctum opus, quod, eis videntibus, cœperat, perduceret ad effectum.* Hactenus de translatione Monasterij, & nouæ domus, ab Stephano inchoatæ, faustis initiis. At qualibus subsidiis in breui creuerit, & quæ miracula opus consecrauerint, quia continet longiorem narrationem, sequenti capito seorsum describemus.

g 1. Cor. 3.

Per idem tempus Venerabilis Philippus, ex Episcopo Tarentino, fuit primùm Monachus, mox Prior Claræuallis, à Bernardo institutus, & sub Roberto ad hunc annum continuatus, in Abbatem Eleemosynæ promotus est, raro exemplo vt aliquis extra propriæ Ecclesiæ lineam promoueretur. Sed Clarauallis, Bernardi reuerentia, communis habebatur mater, sicut Cistercium: & Philippus prudentia, & pietate, doctrináque, talis reputabatur, quem omnes sibi in patrem desiderarent. Supposuit humeros oneri Philippus, non tamen in eo ad mortem permansurus; quippè, cùm se videret grauatum senio, reliquit pedum, in Claraualle sanctè consummandus. Fortè odore Christiani velut attractus, si tunc adhuc viuebat; ab eius morte non potuit retineri. De eo in Cathalogo Priorum Claræuallensium [h]. *Philippus*, ait, *erat Prior quando obiit B. Bernardus; & postea sub Abbate Roberto præfuit. Deinde factus est Abbas Eleemosyna, & nouissimè in Claramuallem rediit, vbi & obiit.* In Prioratu Claræuallis successit Hugo, qui postea factus est Abbas Longipontis. Eodem anno IV. Kalendas Martij, Adrianus IV. ad instantiam Lamberti Cisterciensis, chartam charitatis, cum omnibus, & singulis eius capitulis, Eugenij, Anastasiíque inhærens vestigiis confirmauit. Extat adhuc Cistercij priuilegium, & memoratur à Roberto Claudio [i], & aliis. 10.

h apud Henriquez in Fasciculo.

i in Cathalog Abbat. Cist.

11. Hoc ipso anno Frisingensis Antistes Otto, à fratre suo Henrico, tunc recens ex Marchione Austriæ creato Duce, solicitatus, vt suæ Ecclesiæ prædia illi donaret; constanter restitit; & fortè in longum diffidia processissent, si non Fridericus Imperator vtriusque nepos, discordes inter se patruos conciliasset. Haud dubium quin Henrico desistente; atque integra Ottone conseruante prædia Ecclesiæ. Notauit hæc Rodericus [k], qui præsens fuit. *Ibidem* (idest in Curia Ratisponensi, quam tamen facit biennio posteriorem) *patruos suos Ottonem Frisingensem Episcopum, & Henricum Ducem Austriæ, eo quod præfatus Antistes germano fratri prædia Ecclesiæ, illicitè sibi vsurpare volenti, omnino contradiceret, in pristinam pacem, & fraternam concordiam reuocauit.* Scilicet Fridericus, de quo sermo. At qualiter in eadem ipsa Curia, in qua pro sua Ecclesia fratri restitit, eumdem nihilominus discordem cum Henrico Saxone concordauerit, atque Austriam Marchionatus gaudentem titulo, fecerit in Ducatum promoueri, vt ad promissa transeam, in aliud caput referendum.

k lib. 1. c. 13.

1. *Ingens hoc anno, in Lemouicensi tractu, fames.* 2. *Multiplicata per Stephanum annona;* 3. *& liberales, oratione eius, effecti, viri auari;* 4. *mutatione insigni,* 5. *& continuata etiam, vsque ad filios.* 6. *Eiusdem, deficiente pane, oratio; & fructus.* 7. *Simile in Grosso-vosco:* 8. *& in Bona-aqua adhuc mirabilius.* 9. *Continuata in Obacina hac, etiam post Stephanum.* 10. *Pracipuè in die depositionis eius.* 11. *Emollita rupes, vt ædificio cederet.* 12. *Atque alia de loco facilè mota.*

CAPVT V.

1. PEr idem tempus (scilicet cum fundamenta nouæ domus in Obacina surgerent) *tanta fames, tanta frugum penuria inerat* (verba depromo ex Actis B. Stephani [a]) *vt frumenta, vel annona carius nimis solito venderentur. Vix quisquam reperiebatur, qui annonas haberet; & qui habebant, ita celabant, ac si omnimodè non haberent. Expectabant enim tempus maioris venditionis, sicut ait Propheta* [b]; *vt augerent siclum, & imminuerent mensuram, & exhaurirent marsupia pauperum: & sacculos suos implerent de subsidiis egenorum. Porrò vir Sanctus, paruipendens famis inuasionem; quoscumque poterat homines, occasione ædificationis monasterij, conducebat. Habebat eos pro sole victu: & tam multos collegerat, vt & ipsos pasceret, & opus ædificationis magis acceleraret. In quo videlicet opere, & diuinæ pietatis cultui inseruiebat; & hominum necessitati, sicut pius, & iustus, prouidebat. Ad portam quoque monasterij, tot vndique pauperes confluebant, vt dinumerari non possent. Nec tamen frustrà se venisse dolebant. Nullus aliquando recedebat impastus: sed pane, & pulmente refectus. Hæc eatenus consuetudo in domo Obacinæ seruabatur omni tempore: vt panis cum pulmento pauperibus semper præberetur. In eadem, tunc temporis, domo, nunquam panes ad numerum referebantur; vel per necessaria loca distribuebantur. Nullus computare sumptus, vel expensas maximè in præsentia viri Dei audebat: sed horum omnium pondus, numerus, atque mensura, Deo largitori reseruabatur. Ac indulta libertate, cautiores, & solicitiores ministri fiebant: atque in rebus commissis, non minus fraudem facere, quam incurrere formidabant. Nunc autem, dum nulla credimus, & omnia numeramus, fit vt nec etiam ipsi credamur. Ita vt ministros, ex fidelibus, infideles efficiamus; Deúmque largitorem bonorum, offendamus potiùs quàm placemus, cuius bona, tanquam à nobis sint, computamus.*

a lib. 2. c. 12.

b Amos 8.

2. Hæc de sancta industria, & largitate, qua vir Dei Stephanus, & operi incumbebat, & pauperum indigentiam subleuabat: At quali vtramque, miraculo, virtutem illustrauerit Deus; eadem Acta pergunt ita describere, *Cùm autem vir Dei multorum multa solicitudine vrgeretur, quibus quotidiana stipendia, cum ingenti studio, parabantur; maxima tamen illi cura de pauperibus erat: sciens proculdubio, quandiu haberet, quod illis impenderet, nihil cæteris defuturum. Vnde non solum in Monasterio, sed in omnibus domibus suis, præcipuè famis tempore, largiter eis dare præcipiebat; vt omnes, in pauperibus, benedictionem consequerentur. Aliquando venit ad eum frater cuiusdam domus procurator; dicens, non habere se, vel quod fratribus apponeret, vel quod pauperibus erogaret. Cui vir Sanctus, de fratribus quidem nihil respondit: de pauperibus verò præcepit ei, dicens. Vade, & si panes non habes, animalia occide, & pauperibus tribue; exceptis tamen bobus arantibus; quos ad vltimum, si aliud non habueris, incunctanter expende. Abiit ille facturus, sicut illi fuerat imperatum. Sed quia modicum tritici in arca remanserat, quod vix ad tres dies solis fratribus sufficere poterat; statim illud impendi decreuit; vt post modum alimenta fratribus emeret; & pauperibus carnes, sicut ei iussum fuerat, exhiberet. Et ecce, dum speratur quotidie tritici illius defectio, in tantum, Deo tribuente, & sancti viri fide cooperante, excreuit, vt vsque ad tempus messionis, quod longè aberat, tam fratres, quam pauperes, panes inde, prout ratio temporis permittebat, sufficienter haberent. Sic factum est, vt animalia, quibus pro Deo vir sanctus non pepercerat, illæsa manerent; & ex modico frumento, multi, longo tempore, sufficienter victum haberent.*

Hoc miraculum ingens sanè, & splendidum, nascentis domus initia consecrauit. Referam tamen aliud iucundius adhuc, certè illustrius, & rarius, quia in hominibus: neque insensibiles creaturas transmutans, sed voluntates. [c] *Eo tempore, fame ingrauescente, cùm audisset vir Dei, apud Martelum vicum, duos viros, quorum vnus Sacerdos, alter Laicus erat, multam promiscuè annonæ quantitatem habere; festinanter ibi perrexit, & prædictam annonam, conditione, qua valuit, sibi retinuit, & Monasterio destinauit. Quæ, quamuis malè congesta, fide tamen boni emptoris multiplicata, totum Monasterium, in summa necessitate, multo tempore refecit: & sufficienter pauit. Sed cum reddendi pretij tempus adesset, ipse verè, qui emerat, quod redderet, nihil haberet: diu dubitans, quid ageret: tandem vicum perrexit, vt saltem suam præsentiam exhiberet, quibus præsentare aliud non valebat. Siquidem exactorum faciem valde pertimescebat: maximè vnius, qui erat cupidus, auarus, & inhumanus. Cúmque ibi venisset, ad Ecclesiam perrexit: & Missam tunc celebrauit. Qua peracta, egressus foras, cum ei omnes penè habitatores vici illius occurrerent; inter cæteros ille creditor venit, quem præcipuè formidabat. Videns autem virum Dei humiliter stare, & vt sibi videbatur, pro debiti solutione solicitum esse: dixit ei coram omnibus: quid est Domine Abbas? Attulisti pecuniam, quam mihi, & Presbytere, te, debere cognoscis? scias enim, quod ex hac hora nihil à te, nisi cum vsuris accipiemus. Dixit ad eum vir Dei. Verè dico tibi, quia non habeo, quod vobis ad præsens reddere possim. Vnde rogo, vt in nobis adhuc patientiam habeatis, quousque Dominus largiatur, vnde vos placare possimus. Tunc ille, velut exasperatus, cum magis esset à Deo emollitus: respondit ei coram omnibus, dicens: ad illudendum nos, quantum audio, Domine, huc venistis: frumentum nostrum tulistis, nec pretium retulistis: Ego tamen de hoc placari non potere, nisi sub hac conditione: quatenus monachi illi, qui fruges meas consumpserunt, mihi tradantur, vt ipsos tandiu pascam, quousque debitum meum recipiam.*

3.

c Cap. 13.

[d] *Ad*

4. d Cap. 14. [d] *Ad hoc dictum, cùm omnes soluerentur in risum, ille vocato Presbytero, venditionis socio, dixit ei. Places ne tibi, Marce (Marcus enim vocabatur) pactum, quod cum Domino Abbate composui? Quale, inquit? Cui ille: vt monachos suos nobis obsides reddat, quatenus eos pascamus ego, & tu, quousque debitum nostrum recipiamus. Presbyter verò iocari nesciens: ita respondit. Hoc pactum tu tene, qui proposuisti: nam ego nunquam tenebo illud. Tunc ille iam non exactor, sed Patronus effectus, ait ad virum Dei. Perge securus iam quò volueris, Domine Abbas: ego tibi pro me, & Presbytero satisfacio, vt nihil nobis, ex debito illo, nisi quod volueris, & potueris, facias. Tunc omnes, qui aderant videntes, in illo viro nimis auaro, tantam dextera Excelsi mutationem, glorificauerunt Deum, nec dubium fuit, quin hanc vir Sanctus orando in Missa obtinuisset à Deo.* Ex aëre circumstante, facere panem, aliquibus concessum; neque id semel: fortè & Dæmonum arte, fieri potest. Non sic ex homine auaro, liberalem; ex raptore munificum. Quippe in voluntates imperium nulli concessum, quod sibi soli Deus reseruauit.

5. Sed nec cessauit, cum necessitate, miraculum; quin vlterius transiret, durarétque, & ad hæredes e Ibidem. etiam diffunderetur [e]. *Emerso modico tempore, vir ille moriens, medietatem pretij, quod ad se pertinebat, monasterio reliquit: alteram filio suo reddendam instituit. Hic cùm esset patre iucundior, & ad dandum profusior; & illud, quod sibi reddendum erat, ex integro, soluit; & plura alia, de suis rebus tanta donauit, vt omni vita sua tempore, lumen ad eius tumulum non deesset. Presbyter verò cùm haberet Clericum ad se pertinentem, monasterio, illum tradidit: & quod sibi, ex prædicta debebatur venditione, in eleemosynam dedit; addens insuper non modicam annonæ quantitatem. Sic impletum in viro Dei,* f Rom. 8. *quod ait Apostolus:* [f] diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.

His, & similibus Obacina crescebat; nec solum domus, sed habitatores; & vicini audientes, videntesque, dum ædificabantur, ædificabanr. Referam aliud, ex eisdem actis depromptum, quod constat contigisse sub his temporibus.

6. g Ibidem. [g] *Quadam die venit ad eum Cellerarius: & mæsto vultu, ore etiam taciturno, ei astabat: Dixit ad eum vir Dei, quid habes frater, quod hic tam tristis assistis: & nihil dicis? Cui ille respondit. Mæstus sum, inquit, Domine: quia nihil hodie fratres manducabunt. Siquidem hora refectionis vrget, & panes non habemus, quos reficiendis fratribus apponamus. Tunc ille, vt ei solitum erat, oculis, ac manibus porrectis altiùs suspirauit; tandemque conuersus ad fratrem diffidentem, dixit ei: Ergo frater, tibi soli reuelatum est, quia fratres hodie non manducabunt? Nunquid inualida est manus Domini? Aut quia tu panes non habes, idcirco ille, quod tribuat, non habebit? Perge ergo, nihil dubitans, & mensas, vt solitum est, praparare festina. Spero, & confido in Deo: quod sibi seruientes, absque cibo manere, non patietur. Credidit ille, & paruit. Et ecce, dum fratres Horam, quæ est ante refectionem, in Ecclesia canerent, subitò adsunt animalia panibus onusta, quæ fideles viri, inspirati à Deo, ad refectionem fratrum, ex vicino Castro, transmiserant. Qui, de Ecclesia egressi, cùm se manducaturos tunc non sperarent; respiciunt mensas, insolito pane refertas. Vnde satis, abundéque refecti, largitori Deo gratias reddiderunt, deinceps de abundantia dubitare, nec in egestate poterunt.* Hactenus Acta.

7. Cæterum quanti, apud Deum, meriti fuerit hæc ipsa viri virtus, vltra miracula, duo alia argumenta manifestant; alterum, quod ad filios pertransiret efficacia consimili; alterum quod post mortem perdurauerit. Stephano perpetrante hæc in Obacina, in Grosso-vosco, & Bona-aqua, ipsius filij, Robertus, & Gerardus charitate, atque fide subæquales, potentia similes, eadem, aut maiora operabantur. [h] *Fertur etiam* (ait Auctor vitæ Sancti) *tale* h Cap. 15. *quid in Monasterio de Grosso-vosco accidisse. Nam quadam die, ad Abbatem loci illius, qui ex discipulis fuerat Domini Stephani, Cellerarius venit: dicens in toto Monasterio panes, exceptis tribus, non haberi. Vnde querebat ab eo, vtrum signum ad refectionem, cùm panes deessent, pulsari deberet? vel quid de tribus illis, qui reperti fuerant fieri debuisset? Abbas altiori praventus consilio, tres libras in prebendis defunctorum, vt solitum erat, reponi; signum quoque post Horam, pulsari precepit. Et pulmenta loco panis, per mensas disponi. Cúmque Horam, quæ tunc vrgebatur, in Ecclesia canerent, Princeps terræ, & fundator loci illius, ex insperato venit. Ingressus refectorium, quando eum tum verè virtus diuina direxit, cum pulmenta sola absque pane vidisset apposita festinanter egreditur: & tam suos, quàm suorum, qui cum eo venerant equos in proximam villam dirigit: cunctúmque panem venalem, dato pretio, emi, & ad Monasterium fecit deferri. Fratres, post Horam, refectorium ingressi, cùm se ad manducandum prepararent, subitò, inter manducandum, insperatus panis, plenis sportis ingreditur, qui eos ipso, & sequenti die sufficienter pauit.*

Illustrius quid, & adhuc mirabilius, in Bona-aqua, quod idem Author subiungit in hæc verba. 8.
[i] *In Monasterio Bona-aquæ, cùm, in die Cœnæ Dominica, innumera pauperum multitudo, plus solito, confluxisset; expensis panibus, quicumque poterant reperiri: cùm adhuc pauperes superessent, necessitate constricti fratres, cunctum panem, qui reficiendis eis appositus erat, distribuunt. Et cùm iam non haberent, quod manducarent, Abbas, prolatis solidis, panes ad vsum fratrum emi preceperat; cùm ecce arca Monasterij in qua panes reponebantur, & iam vacua omninò remanserat, repleta inuenta est vsque ad summum: vnde ipsâ, & sequenti die refecti sunt. Ita satis non fuit viro Dei Stephano, in suo Monasterio, fidei suæ signa monstrare: nisi & in aliis ad se pertinentibus eadem, per discipulos suos, exhiberet.* Hæc filij sancti virtute quasi ingenita, quæ in posteros etiam transitura videri posset, iuxta illam Scripturæ promissionem. [k] *Cum semine eorum permanent bona, hereditas sancta nepotes eorum.* i Cap. 16. k Eccl. 44.

Portò hæc eadem, post mortem etiam sancti, velut continuata serie miraculorum, aut priuilegio perpetuæ indeficientiæ concesso diuinitus, Obacinæ, per multos annos perseuerasse plura confirmant, ex quibus aliqua suis locis dabimus: aliqua, quia nondum tempus præfixum habent, hîc subiiciemus. [l] *Tempore famis,* (ait, qui suprà, author) *multoties accidit in domo Obacinæ, quod annona ad vnam vix hebdomadam æstimata, per duos menses sufficerent; ita quod neque ipsa exteriùs augerentur, nec comedentes minuerentur. In Cellario quoque, vbi frumenta condebantur, ac inde ad Monasterium deferebantur, post aliquas hebdomadas, cùm iam nihil ex his superesse crederetur, imo omnes mirarentur, quod tandiu durassent, pracipuè qui sciebant, quot, & quanta ibi reposuissent: interrogatus frater, qui hæc deferebat, dixit; quod nullam ex quo deferre cœpit, diminutionem in his potuit inuenire. Vnde postmodum à quibusdam persuasus est idem* 9.

idem frater, frumenta eadem mensurare: vt scirent quantum deinceps, ex his, expectare pro certo possent. Quod cùm factum fuisset, offensus ex hoc largitor bonus, & occultè augere cessauit; & quasi siccato fonte frumentum illud defecit. Hæc autem non per nos, nec propter nos facta sunt, sed illius merito, ac virtute, qui non solùm apud suos, sed in multis aliis locis mirabiliter operatur. Vnde coniicimus, & à nullo sapiente dubitatum, credimus, maioris, hæc, quæ retulimus, fuisse virtutis, & admirationis, quàm multos claudos, cæcos, surdósque curasse.

10. Referam adhuc aliud memoria dignum, quod in sacra eius B. viri solemnitate cùm iam memoria fœlicis illius transitus religiosè, à populis vicinis celebraretur, contigisse comperio, fideli eiusdem authoris narratione. [m] *Cum fames* (ait) *valida terram circumquaque vehementer attereret, ad sancti huius anniuersariam celebritatem, sicut singulis annis facere solent, tanta pauperum multitudo conuenit; vt hi, qui aduenerant seculares, quindecim millia; Monachi omnes vltra decem millia eos esse, absque ambiguitate, dixerunt. Dabatur autem singulis, vt semper fit, libra vna, aut dimidia torta panis, & faba mensura consueta, cum vino, sicut semper fit vsque in hodiernum tempus, tam maiori, quàm minori, æqua mensura; ita vt mulieres, quot filios adduxerunt, tot præbendas accipiant. Videntes autem milites, & multi alij honorati, qui ad hoc spectaculum, ex multis locis, conuenerant, & cum fratribus diuidere soliti erant, tantam pauperum multitudinem; & considerantes panum, qui parati fuerant, paucitatem, innuere cœperunt; dicentes, quod ne ad decimam partem eorum panis sufficere posset. Vnde consilium dabant, vt panis minutatim frangeretur, vt vnusquisque inde modicum quid acciperet. Sed in hoc auditi non sunt: quinimo in Dei nomine, & Sancti virtute fidentes, ipsius implorato auxilio, diuidere cœperunt, cum magna spe, & fiducia, & alacritate; primò panem, deinde fabas, postea vinum. Cúmque omnibus à primo vsque ad vltimum, a maximo, vsque ad minimum, ante Solis occasum, consueta mensura distributum esset, surgentibus pauperibus, tantus clamor exortus est laudantium Deum pro abundantia; & benedicentium Sanctum Patrem, vt ipsa terra commoueri videretur clamore eorum. Flebant enim tunc magis præ gaudio, & pro tanto miraculo, quàm prius fleuerant præ timore; præsertim illi, qui panem minutatim diuidere suadebant: ita vt apertè prænuntiarent, quod si ipsa distributio vsque in mane produceretur, nunquam deficerent panes, quandiu pauperes non deessent. Hoc autem multoties in die Sancti huius, & aliis diebus plurimis, probatum est contigisse vt panes distribuendi pauperibus, quanto pauciores æstimati fuissent, tanto plures superabundarent.* Hæc occasione translationis domus Obacinæ, & quæ in ea contigerunt mirabilium, de Sancto eius Abbate, filiisque, per anticipationem, à nobis dicta; nunc ad seriem historiæ reuertamur.

[m] Cap. 17.

11. In ipsa domus ædificatione duo alia miracula patrauit, quæ nefas est silentio præterire. Alterum in externo Cœnobij muro; in Ecclesia alterum, vtrumque in rupem nunc emollitam, nunc motam supra naturam. De primo, quæ sequuntur, accipiat lector. [n] *Portarius Monasterij fidelis, & religiosus, Abbatiam muro cingebat. In loco autem quodam ingentis saxi moles eminebat: quæ vndique terræ affixa alicuius montis speciē præseferebat: & quia murus perinde transiturus erat, ita vt ab eo loco deuiari non posset: multis diebus, vt lapidem frangerent, casso ibi labore, defecerant. Non solum saxum frangere non poterant; sed multos in eo malleos sæpè confregerant. Contigit autem, vt vir Dei, ad placitum pergens, perinde transiret. Portarius fide plenus, mox equi illius frænum apprehendit: atque, vt ad terram descenderet, non solùm rogauit, sed imperauit. Tunc ille paululum subridens, concitus ad terram descendit: mirabatur tamen audaciam fidei eius: interrogans, ac si captus esset, quid de se facere vellet? Ille sumptum malleum, manibus eius tradit. Eúmque saxi illius verticem scandere, ipsumque lapidem malleo cædere iubet. Quod cum fecisset, & tribus ictibus lapidem percussisset, mox ille, recepto malleo, dixit ei. Sufficit, pergite iam nunc fœliciter in viam vestram. Qui valedicens ei, atque benedicens, iter, quod cœperat explicauit. Post discessum eius venerabilis ille portarius, conuocatis operariis suis, eumdem lapidem, non iam cædere, sed penitus excidere sunt aggressi. Quem tanta facilitate, vsque ad ipsas, vt ita dixerim, radices comminuerunt, vt nihil ex eo frangendum ad vesperam remaneret. Et qui, prius, adamante durior fuerat, nunc ac si panis hordeaceus esset ad frangendum facilis fuit. & magnam exinde, muri partem ædificauerunt, quod sancti virtute, & portarij fide factum, non dubitatur.*

[n] Ibid. c. 10.

Pergunt acta de secundo miraculo, in alia rupe factum, quod fuit tale. [o] *Similiter cùm in quodam loco, Ecclesiam præcepisset, & claustrum, ædificari: Altari dextero Ecclesiæ rupes ad instar montis, vt de alia diximus, prominebat: & magnam partem loci illius occupatam tenebat, & quia claustrum ex ea parte fieri oportebat; fratres inquantum poterant, decertabant saxum illud malleis conterendo, in planitiem deducere, & solo terris adæquare. Quod tamen frustra tentare visi sunt: tanta erat vastitas eius, atque duritia. Itaque iam constructa Ecclesia, Prior loci ad Abbatem pergit: sciscitans, quid de rupe illa facerent, vel vtrum claustrum ex altera parte ædificarent. Ille quia hoc inconueniens erat, præcepit fieri foueam profundissimam à latere saxi; quia tamen contradicere non audebat, reuersus ad locum, secundùm præceptum Abbatis, iuxta lapidem foueam profundissimam fecit. Deinde congregatis omnibus non solùm de illo loco, sed de villis quoque vicinis, cùm rupem illam humeris, & vestibus tota virtute impingerent: ita eis visum est, ac si montem magnum impellerent; multis videntibus, & dicentibus; si delirarent, qui non tam difficilia, quàm impossibilia tentauissent: ita relicto opere, omnes ad propria sunt reuersi. Foueam tamen in testimonium reliquerunt: quò Sanctus veniens, eos, de inobedientia, culpare non posset. Qui, cùm post aliquot dies ibi venisset, vidisiétque foueam sic manere, post factam orationem, vocato Priore cum fratribus, interrogat priùs commotus, cur lapidem illum sic reliquissent, & non eum terra, sicut eis præceperat, obruissent? At illi retulerunt ei omnia, quæ facta sunt; & quomodo tot viris vndique congregatis, & impingentibus, moueri non potuit. Tunc ipse increpans eos, vocate mihi, ait, homines tantùm nostros, & fratres hîc commanentes; & videbitis, quia non propter impossibilitatem, vt dicitis, sed propter incredulitatem vestram, & fiduciam in hominibus, non in Deo, lapis moueri non potuit. Quod cùm factum fuisset, vir Dei facto signo Crucis, & solito clamore vsus, hoc est, in nomine Domini, cum cæteris impingens, tanta celeritate rupem illam impulit, vt sub momento, & absque difficultate in profundum deiiceretur. Quo facto tam claustrum, quàm cætera mansiones, pro voto viri Dei, constructa sunt.* Hactenus ibi, & nos de Beato Stephano, atque ipsius miraculis, queis nouæ fabricæ initia consecrauit. 12.

[o] Cap. 1.

1. *Firmata*

1. *Firmata quæ per Ottonem, Conradúmque inter Henricos Austriacum, & Saxonem.* 2. *Gunteri fundatoris Mulbrunæ obitus;* 3. *& Petri Venerabilis:* 4. *Dictum de antiqua, incipientis anni, computatione.* 5. *Algoti gesta egregia, atque munifica:* 6. *firmata per Adrianum.* 7. *Coniectatum de tempore, & de obitu ipsius, atque miraculis.* 8. *Chronologia, & Cœnobij de Re notitia,* 9. *De Voto,* 10. *De Palatio Sanctæ Mariæ & de Blandec, Monasterio Sanctimonialium.*

Capvt VI.

1. INTER hæc, maximi totius Imperij Principes, Henricus, cognomento Leo, Saxoniæ Dux; atque Henricus Austriacus, B. Leopoldi Marchionis Austriæ filius, cùm de Ducatu Bauariæ acriùs contenderent, per Ottonem, Conradúmque Episcopos, ex Cistercio assumptos, hunc Pataviensem, illum Frisingensem, alterius fratres, alterius consobrinos, in Comitiis Ratisponensibus ad pacem compositi, Imperio, quietem; & sibi, alter Bauariam, alter titulum Ducis, cum nouæ terræ accessione compararunt. Narrat hæc paucis Vvigulæus Hundius, pro suo more [a]. *Austria fit Ducatus, separatus à Bauaria, cum accessione prouincia supra Anasum; & Bauaria Leoni adiudicatur. Extat diploma, cui inter alios subscribunt, Eberardus Archiepiscopus Salizburgensis, Otto Episcopus Frisingensis; Conradus Episcopus Patauiensis, &c. Datum Ratisbonæ XV. Kalendas Octobris: Indictione IV. Anno Dominicæ Incarnationis M. C. LVI.* Ita Vvigulæus in Cathalogo Episcoporum Frisingensium. Vt verè Imperium pacem per hæc tempora; & ferax imperantium domus Austriaca, supra omnes mortales, atque Hispaniæ regendæ destinata, hoc incrementum, qualecumque, debeat Cistercij filiis.

[a] Episcop 23.

2. Funestauit hunc annum Mulbrunensibus, Fundatoris sui obitus, Gunteri Spirensis Episcopi, & Lyningensis Comitis, cuius suprà meminimus in eodem Cœnobio tumulati, de quo hæc Bruschius. *Gunterus* [b] *Comes de Lyningen successit cognato suo Episcopo Sigefrido. Obiit XVII. Septembris anno Domini M. C. LVI. Sepelitur in Mulbrunensis Cœnobij, à se, ac nobili quodam Barone Domino Vualthero à Lammerschin fundati, & liberalissimè dotati, magnifico templo, ante aram maximam summi chori.* Hactenus ibi. Subdit Bruschius præfedisse virum Spiræ, cum Bernardus miraculis clareret in ea vrbe. Breue Epitaphium sepulturæ eius incisum in præcedenti tomo, cum aliis dedimus.

[b] In Cathalogo Episcoporum Spirensium.

3. Verùm, vt Mulbrunensibus tristis Gunteri mors, sic cunctis bonis, sed præcipuè nostris, Venerabilis Petri Cluniacensis, cuius memoriam, ob merita in Cistercium, atque inter media dissidia, charitatem, flagitium ducerem silentio præteriisse. Igitur aiunt antiqua M. S. quæ Andreas Querzeranus euulgauit [c]. *Anno Dominicæ Incarnationis M. C. LVII. prima ipsius anni die, reuerendus, & cum multo amore colendus, Dominus Petrus Abbas, viam vniuersæ carnis ingressus est: & illa hora, anima sancta eius discessit, quà credimus Verbum Dei natum de Virgine matre. Et bene hanc horam, vt ascenderet, elegit, qui Nato descendenti humiliter semper seruiuit.* Et paulò inferiùs. *Factum est autem magnum miraculum in hac gloriosi Patris Venerabilis Abbatis Cluniacensis, corporis, & animæ separatione. Quia, cum ipse Sanctus migrauit à corpore, vt nullum fieret impedimentum diuinis officiis S. Matris Ecclesiæ, præcipuè illius diei, dicta Litania ab Episcopo, & finitis orationibus, defertur Sancti Patris corpus ad locum vbi corpora mortuorum lauabantur: & ibi vestimentis nudatum, glorificati hominis gratia, cunctis videntibus, & stupentibus apparebat. Erat ipsius mortuum corpus vitro purius, niue candidius, & mirabili quadam pulchritudine caleste corpus, in terrenis adhuc existens.* Hæc in gratam memoriam Sancti Patris, cuius legitur adhuc Epitaphium, sub hoc initio.

[c] In eius vita.

Tempore Bernardi Claræuallis floruit olim:

Aruernus patria, Petrus Venerabilis Abbas, &c.

Verùm quod dicitur decessisse virum primo die anni. M. C. L V I I. ipsa hora, qua Christus natus est, idem est, ac si obiisse diceretur sub finem huius, idest X X V. die mensis Decembris. Nisi quod in antiquis dubius vsus in computo annorum, etiam inter eos, qui annum incipiebant à Christi ortu, quibusdam à Circumcisione, quod nunc receptum, quibusdam ab ipsa die Natiuitatis numerare incipientibus: quæ varietas eisdem occasio fuit, vt intrà illos octo dies gesta, qui intercedunt, nunc præcedenti anno attribuantur, nunc subsequenti. Quod etiam in Martyrio B. Thomæ, Præsulis Cantuariensis, qui passus est intra eosdem octo dies, euenisse dicemus in tempore. 4.

Hoc item anno memorandus redit Curiensis Præsul Algotus Berber (sic enim video ab antiquis cognominari) quem ex filiis Bernardi, & Claraualle, anno M. C. X L V I I. promotum diximus. Hic, dum non minus Ecclesiæ suæ prodesse, quàm præesse satagit; imo, dum solùm præest, vt prosit pastor egregius, reformare clerum, promouere Cœnobia, ditare Ecclesias, Præmonstratensibus, Augustianisque Canonicis necessaria largiri, Benedictinis Monachis, & Monialibus liberaliter prouidere; neque vllum penitus munus omittebat boni Pontificis. Extant literæ Moguntini Metropolitæ, eius nimirum, cuius necem sacrilegam, perpetratam per ciues eiusdem vrbis, per sex, & triginta annos Moguntia luxit desolata, & deserta, neque, vt tunc credebatur, restituenda: extant, inquam, Moguntini Arnoldi literæ, quas superiùs promisimus, in quibus Adalgoti egregia facta, & in Ecclesias pietas, dum approbantur, etiam recensentur. *Non enim* (inquiunt [d]) *claustrum dumtaxat, quod dicitur* Schenis, *reformauit, & Moniales, quæ primùm laicali conuersatione degebant, in eodem claustro regulariter absque retractatione ordinauit victuras; sed & tria alia claustra tam religione, & sancta conuersatione, quàm facultatum propria largitione instaurando, ad diuini cultus seruitium direxit. Et vt ne de temporalibus rebus aliquam sustinerent molestiam, Ecclesias, Curtes, & aliquas decimationes; intuitu diuinæ clementiæ, vsibus eorum mancipauit. Nam Ecclesiæ S. Lucij donauit Curtem de Pradu,* 5.

[d] apud Henriq. in prætermis. ad Menologium.

& Ecclesiam S. Petri ibidem cum omnibus pertinentiis suis; Curiam de Suuveningen, curiam de Lazis, hospitale suum in ciuitate Curia cum omnibus appenditiis suis; decimas terræ eorumdem fratrum, quæ est in Ranquill. & decimas decimarum suarum illius Ecclesiæ, & curtis eiusdem loci. Decernens etiam, vt neque de nonalibus, quæ propriis manibus, vel suis sumptibus excolunt, seu de nutrimentis animalium suorum nullus vnquam decimas exigat. Claustro vero B. Petri de Cazias, in quo, exclusa synagoga Satanæ, quæ inibi aliquando morabatur, Moniales sub regula S Augustini intra claustri septa viuentes Domino seruituras ordinauit, & multas ordinationes, quas hic prætereo, contulit; statuens, vt spiritualia, atque Magistram, quæ eis præesse debeat, à Præposito, qui in Ecclesia S. Lucij pro tempore fuerit, cum omni humilitate debeant recipere. Hactenus Archiepiscopus de Algoro.

6. Cæterùm, ne in his ipsis donationibus prodigus, aut profusus videri posset; néve ex suæ Ecclesiæ patrimonio liberalis in alias trásferre possessiones magis, quàm erogare, subdit inferiùs, præcedentiũ, de quibus hoc præsumi ab aliquibus posset, causam insinuans. *Ideo curtem de Pradis, & Ecclesiã S. Petri in ea sitam cum omnibus pertinentiis Monasterio S. Lucij donasse, quod antea locus regularis fuisset, & tres prædecessores sui, eiectis inde Monialibus, partim sibi vsurpauerant, partim ex ea milites suos inbeneficiauerant, proclamantibus vniuersis, locum in manibus Religiosorum restituendum esse.* Hactenus ille. Porrò hæc omnia ab Adalgoto facta, donatáque, atque itẽ statuta, præter Arnoldum, confirmauit etiã Adrianus, summus Ecclesię Præsul hoc ipso anno: de qua cõfirmatione in origine Ecclesię Roggenburgensis ita habetur [e]. *Hæc Adalgoti instituta, non Arnoldus solùm Moguntinus; sed & ipse Romanus Pontifex Adrianus IV. rata, & firma esse iussit; dato diplomate ab ipso Adriano, & septem S.R.E. Cardinalibus subscripto V. Kalendas Decembris, anno M.C.LVI. Pontificatus anno II.* In eisdem originibus notatum lego, præter Ecclesias ab Arnoldo recensitas, deberi Algoto Montem S. Mariæ apud Bennones, vbi hodiéque sequens distichon legitur.

e Vbi suprà.

Præsul Adelgotus ad omnia decentia promptus
Consecrat hanc cryptam diuinis vsibus aptam.

Idem habent Demochares, & Bruschius. Verùm de Monte sanctæ Mariæ auctor Originum hæc habet verba. *Est autẽ Mons S. Mariæ nobile Monasterium Benedictinorum, sub ditione Austriaca apud Bennones situm, de cuius mirãda fundatione Galerus plura.*

7. Hactenus quæ de Algoti gestis apud auctores potui inuenire. Annus mortis illius ignoratur: nisi quòd tamen non pertigisse ad M.C.LXV. compertum est, in quo, qui ei successit, Conradus I. impetrauit à Friderico Imperatore priuilegiorum suæ Ecclesiæ confirmationem. Quocumque obierit inter viros sanctitate eximios Cistercij colitur, de quo & fertur miraculis claruisse, quod Philippus Seguinus haud dubiè acceptum ex Curiensium relationibus, his paucis verbis memoriæ prodit [f]. *S. Algotus, aliàs Adagoltus, Monachus & discipulus S. Bernardi, vir doctrina, & religione insignis, post multos exhaustos labores in Euãgelica perfectionis obseruatione, à Curiensi clero, & populo, cum summo cordis desiderio exigitur: cuius electioni præfatus Bernardus annuens, Algotus Pontifex, præter animi sententiam, consecratur: erat enim vir deuotus, & pius, qui Monasteria, & Ecclesias restaurauit, miseris, & egenis auxilium tulit. Vnde post mortem multis miraculis coruscus, in numerum Sanctorum adscribi meruit.* Arnoldus Carnotensis Algotum vocat Sapientia, ætate, & gratia reuerendum. Henriquez Menologio suo adscripsit ad XVII. diem mensis Ianuarij.

f apud Henriq. Ianu 17.

Supersunt enodandæ fundationes, quæ in hoc anno non plures, quàm præcedentibus. Quippè tres tantùm video designatas in Chronologia. 8.

Anno M.C.LVI. mense Maio fundata est Abbatia de Re.
Eodem anno tertio Idus Iulij Abbatia de Veto.
Eodem anno Abbatia de Palatio.

Sic quæ, viuente Bernardo, penè innumeræ, nunc ad binarium, ternariúmve redactæ subitò decreuerunt ab eius obitu; & cõtinuata per tẽpus sterilitas, non nisi sensim valuit fœcundari. Abbatia de Re in Sanctonensi Diœcesi Pontigniaci filia memoratur; in quo eodẽ Episcopatu video centũ florenis taxatam in libris cameræ. Robertus Claudius Ream, siue Reacum appellari affirmat, dum ita ait [g]. *Rea, siue Reacus insula Occeani Aquitanici, vulgo Re Diœcesis Sanctonensis è conspectu Rupellæ. Monasterium habet Ordinis Cisterciensis, sub filiatione Pontigniaci.* Eiusdem Abbatiæ meminit Matthæus Paris in historia Anglicana, ad annum M.CC.XXV. vbi nos etiam ex ipso aliquid dabimus. Interim noto vocari ab ipso Insulam mari, seu fluuio cinctam, ad quam non liceat nisi nauigio, aut cymbis pertransire.

g In Gallia Christiana.

9. Notius multò Votum, siue de Voto, quod Imperatrix Mathildis in Rothomagensi Diœcesi struxit, Monachis accitis ex Mortuo mari. Sed hæc latiùs Roberti Mõtensis verbis, qui tamen aduentũ Conuentus ad annum differt, liber proferre. *Anno* (inquit [h]) *ab Incarnatione Domini M.C.LVII XV. Kalendas Iulij, processit Conuentus cum Abbate suo Richardo de Blosenilla, à Mortuo-mari, missus à Domno Stephano, tunc Abbate Mortui-maris, & venit in hunc locum, qui dicitur Votum, situm in territorio Rothomagensi. Multis namque precibus Mathildis Imperatrix, filia magni Henrici Regis Angliæ, & mater illustris Henrici Regis Angliæ, à prædicto Stephano Abbate Mortui-maris obtinuit, vt Conuentus inde mitteretur, ad struendam Abbatiam Cisterciensis Ordinis, ad laudem, & honorem Dei, & B. Mariæ, omniúmque Sanctorum.* Ita de his Robertus Abbas Montis, qui non multò pòst, agens de morte Mathildis Imperatricis Monasterium de Voto fundatum tradit [i]. *In Pago Caletensi iuxta Iuliam bonam.* In libris Cameræ omissam domum video; sed memoratur in litteris Gregorij Papæ IX. *Ad Abbatem de Voto Cisterciensis Ordinis, & de Aggen, & de Volemont Abbatibus, Rothomagensis Diœcesis. Datis Lateran, Idibus Maij, Pontificatus ipsius anno VIII.* Hanc ipsam domum Vallasciam, vulgò *Vallasce* vocatam lego, quo nomine à Roberto Claudio notatur in sua Gallia.

h In supplemento Sigiberti.

i Ibidem.

Palatium in Lemouicensi Diœcesi lego, Dalonæ filiam, ideóque augentem lineam Pontigniaci, centum supra triginta florenis taxatam in libris Cameræ: in quibus Palatium B. Mariæ (nisi tamẽ id aliud, de quo inferiùs) cognominatur. Memoratur in literis Gregorij IX. *Ad Dalonensem, & Palatij S. Mariæ Abbates, Cisterciensis Ordinis, Lemouicensis Diœcesis. Datis Laterani, pridiè Idus Decembris, Pontificatus ipsius anno VIII* Duas has Ecclesias Claudius Robertus omittit in sua Gallia. Meminit tamen quartæ Sacrarum Virginum, quam perhibet hoc anno surrexisse, nec fas nobis omnino præterire. *Blandech* (ait [l]) *Cisterciensis Ordinis, Audomarensis Diœcesis, fœminarum fundatur anno M.C.LVI. à Desiderio, trigesimo secundo Episcopo Morinensi, in honorem S. Columbæ.* Certè Monialium per Auctores sparsa Cœnobia, nec collecta ab aliquo, raptim colligimus; neque dubium quin multa prætereamus. 10.

l In Gallia Christ.

IESV CHRISTI ANN. 1157. CISTERCII ANN. 60.

1. Beati Roberti de Brugis fœlix mors. 2. Dies, & Veneratio. 3. Sepultura, 4. & translatio sacrorum ossium. 5. Subrogatio Fastradi, & eius fuga. 6. Visio gloriosa, & preceptum Mariæ Virginis. 7. Viri virtutes, & merita. 8. Despectus sui, 9. & eò magis infusa cœlestis gratia. 10. Zelus de grege sibi commendato. 11. Atque mirum exemplum abstinentiæ, Bernardi doctrina. 12. Et quis secundus Abbas in Camberone.

CAPVT I.

1. INTRABAT annus millesimus centesimus, quinquagesimus septimus, & à cōdito Cistercio, sexagesimus; & Robertum Bernardi successorem, æterna gaudia in Cœlis præstolabantur; sublimem meritis inter Confessores, & de palma martyrij certaturum. Certè, qui obiit ex Christi in Cruce pendentis, seu compassione, seu cultu, & reuerentia; vix potuit eâ gloriâ defraudari. Tempus, & causam mortis Beati viri assignat liber sepulchrorum Claræuallis, totidem verbis. *Transactis tribus annis, & dimidio, cùm die Sancta Parasceues nudis pedibus incessisset, vehementérque frigore afflictus fuisset, ad vigilias sequentis Sabbati tam graui febre correptus est, vt non sine difficultate potuerit ex stallo suo, fratrum manibus, in infirmitorium deportari. Vbi eadem febre paucis diebus vexatus, in confessione pura, & humili perseuerans, non sine magno planctu totius Congregationis, tertio Kalendas Maij in Domino requieuit.* Sic vir Beatus, dum Christo dolenti condolet, dum sacram eius passionem veneratur, vt Virgo olim ardentis charitatis (quod multi produnt) sic affectuosæ religionis occubuit iaculis: vel in hoc etiam filium imitatus, quòd ipse Hostia, & Sacerdos fieri meruit.

2. Creuisse sub Roberto Claramuallem, idem, qui suprà, liber satis expressit. Nec parū est, relictam à Bernardo, habuisse quo cresceret: sed suis Sanctus filiis impetrabat, quod Christus Apostolis;[a] *Opera, quæ ego facio, ipse faciet, & maiora horum faciet.* Sed supra omnem aliam fœlicitatem, commendantur à pace, Roberti tempora. *Cui* (ait)[b] *Dominus, toto tempore sui regiminis, intus, & foris, non solùm in sua Claraualle, sed in filiabus eius, tantam pacem contulit; vt fœlicissima illa tempora viderentur.* Diem obitus eamdem prorsus fuisse, in qua Sanctissimi Patris nostri Roberti, primi Cisterciensis Abbatis, memoria colitur, in comperto est; & fortè, cum huius festum translatum sit, vt in priori tomo latè probauimus, electus die illius depositionis, vt vtriusque simul memoria, sicut sub vno nomine, sic sub eadem celebritate, venerarentur. Nam & Brugensem suis ingerunt Cathologis Ioannes Abbas, & Missale antiquum Ordinis, Martyrologium Monasticum, Menologium, & natalis Sanctorum Belgij Molani, Arnoldíque. Aprilis XXIX. Agiologium Sanderi littera. R. nisi quòd hîc incertum, quo errore, ad annum Christi M.C.LXXX. vixisse notat; Meminit item Miræus,[c] & alij plures. Nisi quòd tamen Appendix Valcellensium, quam idem Miræus refert, transitum viri Sancti ad annum differt. *Anno* (inquit) *millesimo, centesimo, quinquagesimo octauo Robertus Dunensis, & Claraeuallensis Abbas è mundo migrauit. Viginti annis præfuit; quindecim, & penè quinque mensibus, Dunis, quatuor annis, & octo mensibus in Claraualle*, &c.

a Ioan. 14.

b Vbi suprà

c In Chron. Cister.

3. De obitu, & sepultura Beati Patris, hæc in Exordio.[d] *Beatæ itaque memoriæ Dominus Robertus, secundus Abbas Claraeuallis, cùm talentum, sibi creditum, in lucra animarum, fideliter, prudenter, ac humiliter expendisset, in gaudium Domini introductus est sanctissimi prædecessoris sui, etsi non par meritis, tamen beatitudine coniunctus: vt simul cum eo gaudeat in cœlis, cuius in tam religiosa congregatione dignus successor esse meruerat in terris. Reliquiæ corporis eius cōdita sunt in monumento, quod constructū est in muro claustri Claraeuallis, propè ostium Ecclesiæ, vbi, & alÿ perfecti, & vere digni Deo monachi, requiescunt, de quibus in consequentibus aliqua dicemus.* Hæc in Exordio: nec satis adhuc certum, de prima, an de secunda sepultura?

d Lib. 1. c. 14.

4. In libro sepulchrorum Claræuallis hæc de secunda haud dubiè scripta lego.[e] *Sub secundo arcu lapideo, in eodem claustro, sunt ossa plurimarum personarum, in priori Capitulo sepultarum; pro illius, quod nunc extat dormitorÿ, & noui Capituli ædificatione, translata: nam, & primas litteras nominum singulorum insculptas ibidem lapidibus, diligens lector inueniet. Medium autem locum, cæteris præminentiorem, Dominus Robertus de Brugis, secundus Claraeuallis Abbas, obtinet.* Vt satis credibile fiat primò in Capitulo sepultum Sanctum Abbatem; mox translatum ad claustrum, sub illo arcu, circa M. C. vt suo loco dicemus. Porrò hanc secundam sancti sepulturam æquè describi tam in Exordio, quàm in libro obituum eiusdem Domus.

e Menolog. April. 29.

5. Roberto Patre ad superos translato, Fastradus suffectus, ex Abbate Camberonensi à Bernardo instituto: vir pietate, doctrina, prudentiáque facilè cæteris aliis præferendus. Nec dubium curauisse Lambertum patrem, qui præfuit electioni, vt dignior ex progenie Claræuallis, imò ex toto Cistercio, sufficeretur. Cæterùm quæ electionem præcessere; quæque sequuta sunt; tum sancti fugam, & præceptum Mariæ Virginis, inumbratum fauore præeminenti, reuelationéque, quia ipsius sanctitatem, nec non & merita Monachorum Claræuallis valde commendant, ex sincerono authore eiusdem domus, qui & familiaritatem sancti viri habere meruit, vt ipsemet testatur,[f] non pigebit ad litteram transcribere. Sic autem habent. *Hic*, (scilicet Fastradus) *cùm esset Abbas Camberonensis, decedente pia memoria Domino Roberto, qui B. Bernardo successerat, electus est ad regimen Claraeuallis. Ad quam tamen electionem venire dissimulauit; quamuis ex nomine vocaretur; timens ne ei illud accideret, quod semper verebatur. Verumtamen antequam legati*

f Lib. 1. c. 38.

Claraualenses ad eum requirēdum peruenire possent, garrula fama prauolante, cognouit, quòd in eius persona omnes vnanimiter conuenissent. Hoc itaque rumore turbatus, & anxius effectus, fugam arripuit. Veniénsque ad domum Vallis Sancti Petri, qua est Monasterium Carthusiensis Ordinis, per dies aliquot ibidem latuit. Ita in Exordio de fuga viri Dei.

6. At de Mariæ Virginis imperio, quæ suis agnis pastorem prouideret; nec permitteret eo patre defraudari, quos diligebat filios; siue quia Bernardi, siue quia proprios; audi, quod sequitur. *Vbi, cùm diu, noctúque incessanter in oratione persisteret, factus est in mentis excessu. Et ecce apparuit ei, magna cum gloria, Virgo puerpera, Domina Angelorum, portans in manibus Regem gloriæ, paruulum suum Iesum. Quam cum vidisset, procidit ad pedes eius, obsecrans, vt sui misereretur. Cui Beata Virgo respondit. Quid turbaris, ô homo! Et imponens in vlnas ipsius, velut alteri Simeoni, nobilem illam sarcinam, quam gestabat, ait.* Accipe filium meum, & serua mihi illum. *Quo facto, sublata est visio ab oculis eius. Et rediens ad se ipsum, intellexit, quoniam à Domino egressus est sermo; & quia verè filij Dei erant membra, quæ eius prouidentia committebantur.* Tali visione Maria Virgo dulcissima, Claræualli prouidit; & patrem simul, ac filios commendauit. Hunc, cui vel Christum crederet, illos, quos ipsa diligeret, vt vel Christo conferre non dubitaret.

7. *Hac igitur tam læta visione* (pergit, qui supra author) *admonitus, iam non est ausus vltra recalcitrare, ne videretur ordinationi Dei velle resistere, suscepto autem tam insignis monasterij regimine; quàm discretum? quàm solicitum; quamque benignissimum Pastorem exhibuerit se, non est nostræ simplicitatis exponere. Nam quemadmodum alios præcellebat officio dignitatis, ita etiam præcedebat Religionis exemplo, & merito Sanctitatis. Castus, pius, & humilis, mansuetus, atque modestus, super omnes, quos in diebus eius vidisse me memini. Parsimoniam verò non est necesse, (vt ait Seuerus de B. Martino g) in eo laudare: cum adhuc in sæculo positus, ita frugaliter vixerit, vt non Scholasticus, sed Monachus putaretur.* Sed de virtutibus, adhuc sæcularis, & recens Monachi; satis à nobis suprà: Abbatis merita pergit idem Author, ab externa modestia, humilitatéque; & gratia ad omnes diuinitus collata, ita describere.

g lib. 1. de vit. B. Martini, c. 1. & c. 26. tom. 7. Bibliotheca SS. Patrum.

8. *In exteriori habitu, & cultu, pro officij sui dignitate, quàm humilis, & quàm temperans extiterit, hoc vno, quod dicturus sum, facile aduertere erit. Quadam siquidem die, cum Vestiarius Monachus in lectulo illius, cucullam nescio, an tunicam, qua ipsum indui vellet, solito meliusculam apposuisset; increpauit eum Pater, audiente me, & dixit. Quid est, dilecte mi frater, quod facere cupis, vt à communione fratrum nostrorum me separes; & notabili habitu me decolores? An quia Abbatis nomine censeor, propterea Monachus esse non debeo. Nunquid idcircò constitutus sum minister, & seruus aliorum, vt lautioribus debeam saginari, & cultioribus vestibus ornari? Si ergo me diligis, si pacem meam quæris, & præceptis meis obedire non despicis; precor, atque præcipio, ne id amplius facere velis. Nam & ego minimus sum omnium, & apud Deum indignus. Magnum mihi est, si communi omnium vestitu, atque victu, fuero honoratus. Ex quo enim assumptus sum ad regimen animarum, hoc vnum est quod præ cæteris timui semper, & timeo; ne occasione huius administrationis, pauperem vitam, quam professus sum, deseram, & Monachi premium perdam.* Hæc de modestia, humilitatéque.

Cæterum, in hoc ipso sui contemptu, & veluti abiectione; tali, ac tanta habitantis intus Spiritus gratia perfundebatur, vt in conspectu omnium amabilis, imò & venerabilis esset; & facies Principum admirarentur eum. Nam audi quod sequitur. *Hic itaque dilectus admodum à Deo, & hominibus, charismatum donis, excellenter adornatus, non solum verbo, & exemplo subditos informabat, verùm etiam corporis habitudine, mira deuotione, intuentes afficiebat. Tanta siquidem Spiritus Paracleti gratia in ipsius vultu Angelico radiabat, vt vix posset fidelium aliquis desiderabili eius aspectu satiari: præsertim qui puritatem animi eius, & singularem mansuetudinem cogitabant, quam in exteriori homine, veluti proprio sigillo diuinitus impressam, esse cernebant.* Hæc exterioris hominis descriptio, in quem interior præ charismatum omnium affluentia, diffundebatur. 9.

Zelus hominis pro salute animarum feruens, pro rigore obseruantiæ, ardens, & viuidus: sed qui ex visceribus effluens charitatis, & cœlestis Sapientiæ sale conditus animos delinquentium, non tam exulceraret, quàm emolliret; & corrigeret magis, quàm castigaret. Extat epistola eiusdem S. Patris, ad vnius ex fidelibus Claræuallis prophaniorem Abbatem, quàm pietatis simul, iustitiæque, amoris, & zeli, iudicem manifestum; tum parsimoniæ antiquæ, & obseruantiæ testem irrefragabilem; etsi non integram, quia paulo longiorem, frustratim tamen saltem ad verbum reddere, piaculum putarem, si prætermitterem. *Sufficit* (ait inter alia h) *fili mi, Monacho, quod sancto Apostolo Paulo supererat; scilicet comedere, quod naturam, & vitam sustentare poterat; & vestimentum, quod corpus tegeret. Qui enim plus petit; potiùs Pharisæus hypocrita nobis dicetur, qui vestitu honorem venatur, quàm paupertatis Euangelicæ discipulus, & imitator. Non hæc vita est, quam me, & te docuit Pater, & Prædecessor noster Bernardus fœlicis recordationis; nec modus, quem nostri Sacri Ordinis Abbates, & Monachi sequuntur; qui nos pane, ex auena confecto, & herbis sine oleo, & abdomine coctis, enutrierunt; & fabis, pisisque, ipso etiam Paschatis festo die. Quæ austeritas, vel similis in omnibus Ordinis domibus obseruatur; & tu quasi huius Ordinis non fores, cibos tibi procuras delicatos, & lautos, vt gulæ facias satis? Si Abbas, & tuorum regula, & exemplum es, qui audes carnes lautas, pisces recentes, diuersimodè paratos, & panem, extrà Monasterium à mulieribus coctum, comedere?* Sic, sic, non solùm carnes damnat in Monacho, sed & pisces recentes; & panem si extra Monasterium coctum, si manibus pistricium subactum fuerit. 10.

h lib. 1. Fascic. dist. 8. c. 7.

Est & relatu dignum, in hac epistola, exemplum cuiusdam nouitij Claræuallis cum vtroque educati, nempè cum reprehendente, & reprehenso; adeóque sub Parente communi omnium. *Quam procul*, inquit i, *abes, pater, & frater mi, à socij nostri perfectione, qui ipso nouitiatus anno obiit, quemque abstinentiæ rigor ad finem vsque comitatus est. Magna enim nausea captus, & oui cocti desiderio affectus: indicare noluit, ne voluntatis, & appetitus negati merito excideret; nisi vltimo vitæ puncto; dumque iam animam ageret; Abbate prius promittente illum ad hoc desiderium explendum non adactum iri?* Sed dignius adhuc, quia de ipso Sancto Patre, quod infra subdit. *Crede mihi pater mi: sæpius Sanctum Bernardum pultes, ex farina confectas, addito oleo,* 11.

i Ibidem.

oleo, & melle, cum scrupulo edentem vidi, ad stomachum calefaciendum. Dúmque eum de hac austeritate accusarem; mihi respondit: fili mi, si Monachi obligationem nosses; omnis buccella, quam edis, lacrymis irriganda foret. Et infrà. *Addebátque prætereà: Nec sufficit Monacho infirmitatem allegare; Sancti enim Patres maiores nostri, valles humidas, & decliues, Monasteriis extruendis, indagabant; vt sæpè infirmi Monachi, & mortem ante oculos habentes, securi, non viuerent.* Hæc & alia inculcata in ea epistola, vtrumque satis pendunt; Fastradi zelum charitate plenum, mansuetudinéque; & primitiui fælicis illius æui seueram abstinentiam, etiam à liciris, quæ ô vtinam! perueniſſet ad nostra tempora.

Bernardum patrem elegisse Cœnobiis Valles minus salubres, quasi suorum filiorum virtute, cum Apostolo, in infirmitate perficienda; vulgare satis: at non alibi expressius, quàm hoc loco: & fortè in operibus eius nullus est, ex quo tam manifestè erui possit. Fastrado in Claramuallem promoto, subrogatus Gerardus in Camberona, dictus de Burgundia: de quo tamen nihil aliud scire licuit, nisi quod eius loci Abbas secundus, atque adeò Fastrado suffectus commemoratur 12.

---

1. *Serlonis, quondam Sauigniacensis Abbatis, obitus:* 2. *atque Sancti Guerrici Igniacensis.* 3. *Cuius sermones, ab eo flammis traditi,* 4. *Diuina prouidentia perseuerant.* 5. *Scripta eius qualia.* 6. *Et quales filij.* 7. *Sancti Petri Monoculi Prioratus, & electio in Abbatem Vallis-Regiæ.* 8. *Insigne miraculum,* 9. *Et salus miraculosè etiam recepta.* 10. *Beati Ruandi in Venetensem Episcopum electio.* 11. *Atque Andreæ Valsarniensis ad Atrebatum.*

Caput II.

1. Beatvm Robertum, Serlo secutus est, Sauigniacensis Cœnobij, & totius illius Cógregationis quondá Dux, & Legifer; qui se, qui domũ, qui Congregationé, sub Bernardo paréte, tradiderat Cistercio per Claramuallem inde sancto ad superos euecto, deposuerat pedum, ac sub Roberto priuatus militabat. Obitum viri sancti simul, & sepulturam, prodit liber sepulchrorum Claræuallis breuiter, & succinctè, pro suo more. [a] *Mortuo diuo Roberto, & diuo Fastrado, in Abbatem Claræuallensem promoto, idem Serlo Venerabilis, IV. Idus Decembris, ab hac vita decedens, sequutus est Dominum Robertum Patrem suum.* Ita de obitu: de sepultura, constat nunc iacere, in illo eodem, in quo Robertus, arcu; de eo enim loquens, anteà dixerat. [b] *eum etiam locum obtinuit Dominus Serlo vir Deo dignus, &c.* Non dubium tamen primò sepultum alibi; mox translatum cum aliis ad illum locum. Cæterum ex hac ipsa translatione, veneratum, vt sanctum ab ipso obitu, nec difficilè licet coniectari: tum quia coniunctum aliis, qui verè tales; nec sanctis ossibus, ossa minus sancta, sine contemptu religionis confunderentur: tum quia eleuata, in ea translatione; qui nullis, nisi sanctis, honor exhiberetur. Memorat virum Cisterciense Menologium, [c] ipsa, qua obiit, die, & item alij antiqui, & recentiores.

a Vbi de ipso.

b In B. Roberto.

c Septemb. 10.

2. Sub idem tempus, nec certus annus subest, nam id fatebor, Beatus item Guerricus Abbas obiit, egregius doctor, & stylo Bernardum referens, non minus, quàm Spiritu; non sine ingenti mœrore filiorum; quos deserendos Pater amantissimus, etiam inter propriæ gloriæ præludia, miserabatur. Rationem temporis licet coniectari, ex successore; nempe Godefrido Bernardi Patris, dum vixit, fido Notario, post mortem Chronologo, quem anno Christi M. C. LXI. ex Abbate Igniacensi videbimus promotum ad Claramuallem. Vt & Guerricum anteà decessisse (neque enim cessit) & Godefridum pro eo suffectum esse, nequaquam possit in dubium reuocari. Ergò hoc anno, aut circiter, depositus, quem in vita imitandum susceperat, in morte etiam, Bernardum sequutus est, cum eodem in gloria coronandus. Cæterùm quàm districto præuio examine, egredientem iam sanctam illam animam præmunire curauerit; quam rigidus excussor suorum operum, antequam diuino iudicio præsentaretur, ex authore Exordij Magni libet describere.

Cum autem (ait) [d] *fidelis seruus Domini Guerricus fidelissima distributione conseruis suis annona Domini sui dispartita, plenus dierum, & virtutum, transiturus esset de hoc mundo ad Patrem: tactus ægritudine, ipsiúsque ægritudinis molestiâ ingrauescente, ad extrema deductus est. Curiosius verò cunctos angulos conscientiæ suæ discutiens, ne quid fortè esset perperam gestum, & inemendatum, quo districtum sibi iudicem offensum redderet, & malignis spiritibus occasionem calumniandi præberet; recordatus est libelli Sermonum, quem fecerat. Simúlque memoria occurrit. Patres statuisse, nullum, absque Generalis Capituli licentia, libros facere debere. Et grauiter ingemiscens, conuocatis fratribus, ait, Fratres, cum vestris profectibus inuigilarem, vestræque petitioni parere studerem; crimen inobedientiæ* (*quod, testante Sancto Samuele,* [e] *quasi scelus Idolatriæ est*) *incurri. Libellum namque sermonum, quem rogatu vestro dictaui, temerariè nimis, absque Capituli Generalis licentia, edere præsumpsi. Quapropter quamocius illum afferentes, igne cremate; ne pro culpa inobedientiæ vltricibus gehennæ flammis tradar consumendus.* 3.

d lib. 5. c. 8.

e 1. Reg. 15.

Ita Guerricus, velut alter Abraham, per obedientiam, quos genuerat filios, sacrificabat. Sed ille quidem vnicum, hic omnes; ille carnis, hic mentis chariorem prolem: ille diuinis obtemperans mandatis, hic humanis. Ille sacrificium parauit, sed non perfecit: hic nihil potius reliquit peragendum. Vt in his forsan plus, quàm Abraham hic, nec inferior habeatur à magnis sanctis. Certè, vt per arietem Abrahamo, de proprij filij conseruatione Deus prouidit; sic Guerrico per transcripta ipsa opuscula; imò & toti Ecclesiæ, cui eorum conseruatio vtilis fuit: Nam audi qualiter, damnata licèt flammis, ad nos peruenerint. [f] *Dei verò prouidentia accidit, vt iam in aliis quaternulis transcriptus esset liber ille, Deo aliquid pro nobis melius in hoc disponente: ne videlicet Sancta Ecclesia ipsius, & præsertim Cisterciensis Ordo tanta eruditionis gratia priuaretur.* 4.

f Vbi suprà.

uaretur. Mirabili namque temperamento ita litteralis scientia lepos in volumine illo tumet, & Christiana simplicitatis humilitas sic in eo resplendet; vt non modo minimè onerosus, verùm etiam gratiosus valde sit legentibus. Porro ignitum eloquium Domini vehementer, quod in sermonibus illis inuenitur, ita mouet, afficit, & accendit legentem, vt durissimus corde sit; qui non ex eorum lectione compunctus ad meliora proficere studeat. Sic itaque iustus & timoratus, seruus Domini delicto, quod conscientiam ipsius remordebat, seuera examinatione correcto, alacriùs iam, & propensiùs ad cœlestia suspirabat; & Christi Domini iucundissimam, & beatissimam præsentiam votis, & desideriis sacra deuotionis requirebat. Qua etiam post modicum, misera mortalium consortia relinquens, sicut piè credimus, satiari promeruit. Hactenus ibi.

5. Extant, leguntúrque iidem sermones verè, melliti & aurei, Ioannis Gagnæi, Costerij, atque aliorum eruditorum virorum opera, cusi, recusíque Parisiis anno M.D.LXVIII. Antuerpiæ. M.D.LXXVII. & alibi pluries; & nunc nouissimè ante decennium editi, per fratrem Maurum Raynaldum Benedictinum, Lugduni in octauo, Sumptibus Laurentij Durand anno M.DC.XXX. Guerricus ipse inter patres Ecclesiæ commemoratur à Cardinali Roberto Bellarmino in libro de scriptoribus Ecclesiasticis, nisi quod illum per errorem vixisse putat ad annum M.C.LXXX. Tritemius[g] prodit scripsisse etiam epistolas, & alia quæ non potuit inuenire. Sed qua oscitantia cuncta hæc pertractauit. Quippè virum, & Cisterciensem reticet; & Bernardi discipulum notissimum, vltimum inter authores quartidecimi sæculi nominat; hoc est posteriorem Bernardo ducentis annis. Consultius Raynaldus Maurus in vltima editione quam memoraui, qui floruisse Guerricum scripsisséque sub annum M.C.L. præfixum habet. Ego in operibus eius id admiror, (quod laudauit Exordium[h]) simplicitatem, quæ stylum non eneruet, elegantiam, quæ omnino artem occultet; demum affectum, verbis adeò expressum, vt meritò de Guerrico dictum sit, quod olim de Sanctissimo Patre Benedicto Gregorius dixerat: manifestè constare ex eius scriptis, nequaquam aliter vixisse, quàm scripsit, sed neque aliter quàm vixit, potuisse scribere. Confundi cum Bernardi patris scriptis quædam eius opuscula, dum opera Bernardi recenserem, commemoraui.

g In lib de Scriptor. Ecclesiast.

h vbi suprà.

6. Habuit Guerricus filios adeò probos, adeò disciplinatos, & docibiles; vt, cum quandoque dicendi calore actus in rebelles prorumperet, se ipsum statim censuerit corrigendum; quasi omnino extra rem loquutus fuisset. *Quare autem* (ait) *hac ita loquor, fratres dilecti Deo, & mihi? Nunquid, quia malum huius rei suspicor in aliquo vestrum, contra quod mihi, vel fratribus meis sit pugnandum? Numquid enim aliquis inuenitur in vobis, non dico rebellis, sed nec durus, aut intractabilis?* Tales discipuli, Magistro comprobante, quem nihil penitus potuit latuisse. Sed inter cæteros præcellebat Petrus Monoculus, cuius supra meminimus, qui sub Guerrico, & Monachus & Prior, tunc Abbati Vallis Regis præfectus fuerat. Florebat item Nicolaus quidam cantor, crebris reuelationibus illustris; de quo inferius. Ipsum Guerricum inter sanctos numerant Martyrologium Monasticum, & Menologium; illud in appendice, prima, littera G, & hoc decima nona die mensis Augusti: Rayse in auctario, ad Molanum eadem die: Aubertus Miræus[i] in suis originibus Monasticis: atque eis antiquiores Ioannes Abbas, & Missale antiquum, cum aliis, quos Henriquez[k] latè commemorat. Idem refert gloriosam apparitionem eiusdem Sancti, nostro hoc sæculo factam, Monacho cuidam, quam facile apud ipsum legat, quicumque velit.

i lib. 5. c. 15.

k Aug. 19.

Defuncto Guerrico, Godefridus sufficitur, tertius Abbas Igniaci, & ipse assumptus ex Ecclesia Claræuallis. Quippe semel assueti Bernardi filiis, non aliis acquiescebant seipsos credere, non sibi ipsis. Inde primus Humbertus, ex Priore; secundus, ex dilecto Sancti discipulo, quod suprà memorauimus; tertius, ipsius dum viueret, Notarius; post mortem, vitæ scriptor electus est; Bernardum ipsum, quò nouerat intimius, quò exactius indagauerat, eò, vt putabar, exactiùs redditurus. Quo tépore, qui Prior sub Guerrico, Petrus Monoculus, in Vallis Regiæ Abbaté promouetur, nó sine præcedenti reuelatione: dubium facta Guerrico, an Godefrido; nec enim constat determinatus annus, sed Abbati Igniaci, aut huic intranti, aut ille cum iam deficeret: vt non sit dubium habuisse per hoc tempus, quem possent sibi in patrem cooptare. Godefridi successio, infra constabit, cùm eum in Abbatem Claræuallis, ex Igniacensi promotum, ostenderimus; de Petro vero, qui vitam eius scripsit Thomas Rodelius, hæc nobis pauca tradit, sed fide digna.[l] *Dum in ordine illo singulari* (scilicet Cisterciensi) *singulariter ille vixisset* (*nimirum Beatus Petrus*) *factus est Prior Igniaci. Quod idem officium, cùm strenuè satis, & laudabiliter impleret, in Abbatem Vallis-Regis, qua est vna de filiabus Igniaci, electus est.* Hæc de assumptione in Priorem, & Abbatem. At de reuelatione præcedenti secundum promotionem, audi quod sequitur. *Videbatur Abbati, qui tunc praerat Igniaci, Candelabrum ardens, & lucens, ante altare positum principale, subitò per vitream exire maiorem. Post modicum verò in Abbatem Vallis Regis electus est Dominus Petrus.* De tempore, non potest dubitari plus, minúsve; quippe Gaufrido in Abbatem Claræuallis postea promoto, subrogatus est Petrus, cum annos aliquot præfuisset in Valle Regia. Sed iam de ipso. 7.

l In vita S. Petri c. 7.

Electus in Abbatem Beatus Petrus; duos ab Igniaco fratres secum tulit Nicolaum, & Robertum: secretorum suorum vtrumque conscium; sed Nicolaus, quia sanctior, longè intimior. Hoc conscio, primum miraculum patrauit, ipse ignarus. Verum Deo, pro illo, prouidente, & per Angelos supplente vices Abbatis. Audi rem nouam, & dignam his Annalibus, quam eiusdem Thomæ Rodelij verbis referam. *Quadam die Mercenarius quidam eius loci mercedem habere non poterat, cùm eam frequenter exegisset, Cellerario dissimulante; imo quibusdam causis reddere nolante, & de iure non esse reddendam asserente. Hoc ergo, cùm ad Abbatem, vellet referre, non poterat; tunc siquidem agrotabat, & hominem ad eum ingredi Cellerarius non sinebat. Seruiens igitur sauiens, & ira, qua furor est breuis, accensus, ad vnam de grangiis Abbatia finitimis, accessit; referensque prunas ardentes in cacabo, & igne clam composito, grangiam incendere disponebat. Hoc ergo cogitante, affuit seruus Dei, & quid vellet agere, requirebat. Expauit ille stupore vehementer, & cum celare non posset; propositum suum, causamque talis propositi est confessus. Cui Abbas, ne facias, inquit, hoc facinus, cras autem ad me in infirmariam veni; mercedem tibi iubebo restitui; neque erit, qui ad* 8.

me

me intercludat ingressum. Fecit ille, vt sibi fuerat imperatum, & in crastino, nullo prohibente, veniens, vt promissum impleret, rogabat: Porrò Abbas hæc omnia ignorabat: sed se ignorare dissimulans, rei gestæ seriem diligenter inquirit, & audit, emissóque homine, spe certa mercedis habendæ prænominato Nicolao, qui ei ministrabat, sic ait: verè frater, si nos de Domino cogitaremus, Dominus cogitaret de nobis; coniiciens ille aliquid eum, quòd magnum foret, audisse: insecutus hominem abeuntem, prudenterque, & ingeniosè pollicens, se & celare consilium, & accelerare negotium, rei gestæ narrationem extorsit. Cognouitque Angelum apparuisse Mercenario, in persona Abbatis, qui scelus perpetrandum impedisset, ac promisisset mercedē simul, & aditum. Hoc est primum, & magnū miraculum. Intelligas patratum in Valle Regia.

9. In eadem domo, cum fistula ægrotaret idem vir Sanctus, & à medicis de vita ipsius desperaretur; per diuinā virtutē, & longæ vitæ, & integræ salutis redditus est, incerta hactenus miraculi ratione, quā eius semper humilitas celauerit. At quem celare nō potuit morbum, salutémque acta eius describunt in hunc sermonem. *Morbus, quem fistulam dicunt, afflictum Dei hominem languidúmque reddiderat. Et ipse morbum celabat, sed se morbidum celare non poterat. Transiuit per illum locum Monachus quidam de Claraualle, celebris in arte medendi, suggesserunt ei fratres, & ipse suasit, & persuasit Abbati, vt morbum inspiceret. Vidit, & fratribus fistulam esse respondit: & eò loci, quò secari, ac per hoc sanari non posset, adiiciens hoc verbum: homo iste, si vsque ad Pascha vixerit, nunquam amplius morietur; significans scilicet, quod nec sanari valeret, & infrà talem terminum foret moriturus. Conualuit tamen, multísque, post annis vixit, sed quomodo valuerit, hactenus fuit incognitum.* Hæc de gestis ipsius in Valle Regia: pauca de plurimis; Qualiter autem, Godefrido, ad Claramuallem post quadriennium promoto, loco Fastradi; ipse ad Igniacum per electionem reuocatus; per plures adhuc annos sanctè præfuerit, meritis æquè clarus, atque miraculis; demum quo tempore ad sedem Claræuallis vocatus sit, cum reliquis, quæ ipsius acta concernunt, singula suis annis, certiori dehinc calculo, signabimus.

Eodem anno, duos ex Cistercio Pontifices assumptos memoriæ produnt: alterum Venetensibus præfectum; alterum Atrebatensibus; & de priori id solum notatum lego in Catalogo Episcoporum Venetensium *Rodaldus, Robaldus, seu Ruandus, Monachus Ordinis Cisterciensis, sedit viginti annis, & obiit anno M. C. LXXVII.* Ex quo consequens est, promotum hoc ipso anno. Robertus Montis [m] Religiosum virum appellat; alij [n] Sanctum; sed acta viri nobis ignota adhuc, vt plura (Heu!) aliorum satis illustria: Sanctitatis memoriam, & testimonia, obitus tempore, ex more [o] referemus. 10.

De posteriori, nomine Andræa; ex Abbate Vallium Sarnaij assumpto, Ferreolus Locrius hæc habet in suo Chronico [o]. *Godescalcus Atrebatensis Episcopus, capitis dolore grauatus Episcopatum dimisit; cui per suggestionem Henrici Rhemorum Archiepiscopi Dominus Andreas Cisterciensis Abbas, subrogatus fuit anno Domini M. C. LVII.* Et paulò inferiùs *de eodem Andrea sic habent Ecclesiæ Atrebatensis Tabulæ: Andreas genere Parisiensis, Abbas de Sarnaij, Ordinis Cisterciensis, post Godescalcum regimen Ecclesiæ suscepit.* Hæc ille. Verùm quod ait promotum suggestione Henrici, dubium reddit Archiepiscopatus Rhemensis, ex quo notatur; ad quem nondum hoc anno, assumptus, vt ex infrà dicendis, apparebit. Andræas Atrebatensem Ecclesiam rexit. XIV. annis, cessisse in fauorem illius Godescalcum, indicare videtur Præmonstratense Chronicon, Meierum in Annalibus Flandriæ pro se adducens. Et fortè id fuit, quod suggessisse Henricus dicitur. Verùm Meierus hæc tantùm verba apposuit. *Eodem anno* (scilicet M. C. LVII.) *Godescalcus, Episcopus Atrebatensis, Episcopatum deponit: & Andreas, patria Parisius in locum eius suggeritur.* Andræam hunc, quamuis ex Abbate Valsarniensi assumptum; tamen ex Claraualle, atque ex filiis Bernardi illuc transmissum, probat mihi Alanus Altiosiodorensis, qui vitam S. Doctoris compilauit. Cum enim quædam, ab aliis prætermissa, inserenda historiæ promisisset, hunc inter alios addit his, quos Arnoldus recensuit [p] Episcopos promotos ex Claraualle. 11.

[m] *Ad ann. 1177.*
[n] *Franc. Belforestius, & Volaterranus.*
[o] *Ad hunc ann.*
[p] *In vita S. Bernard. lib. 1. c. 8.*

---

1. Eskyllus Adrianum Papam visitat. 2. Negotia suæ Ecclesiæ facilè peragit. 3. In reditu capitur, & bonis spoliatur. 4. Adriani ad Fridericum de hoc epistola, 5. de facto dolens, atque ad vindictam excitans: 6. quæ omnia de Eskyllo probabiliter, haud tamen sine aliqua dubitatione. 7. Petri Tarantasiensis præclara opera; 8. auctoritas, 9. miraculum perrarum. 10. Dæmonis contumacia, 11. de ipso victoria. 12. B. Theodardi sancta conuersatio: 13. pretiosa mors: 14. & Sancti Idesbaldi electio celebrata.

CAPVT III.

1. HIc idem annus illustrium duorum Præsulum, Cisterciensis vtriusque, Eskylli, Petrique (nam & illum iamdudum nostris adscribo) gestis, atque memoria insignis fuit: quamuis de Eskyllo nonnihil dubij insit, vt statim dicam: & peregrinationem, aliàs gloriosam, ad amicissimum sibi Adrianum Papam, fœliciter peractam, reditu satis tristi; & his, quæ ex eo mala sequuta sunt, non sibi solum, sed orbi funestauit. Quippe ea occasione exortum schisma, quod Ecclesiam diuisit sub Alexandro: cuius initium, quia sæpiùs inculcandum in his Annalibus, vel extraneo Eskyllo, & nihil ad Cistercium pertinente, pandendum erat. Ergo hoc anno visitasse Adrianum, sunt, qui affirmant, priuata olim in eo necessitudine, & tractandis negotiis, quæ, ex quo ille legatum in Daniam egerat, in pendenti manebant: illud præcipuè, quod notauit Saxo Grammaticus: [a] *Vt quicumque maximi Sueonum Pontifices creandi essent, pallio à Curia dato, per Lundensem insignirentur Antistitem; eámque sedem pro patrio venerarentur obsequio.* Quod tunc sancitum, Romæ confirmandum, nequaquam hactenus Apostolicum robur obtinuerat. Quin etiam addit Iacobus Sirmondus, [b] Societatis Iesu recens author, sed diligens: eumdem esse E. Archiepiscopum, cuius

[a] *lib. 14. Daniæ.*
[b] *In notis ad epist. 13. lib. 1. Petri Cellensis.*

e Lib.1. de gestis Frider. cap.8. d Ad hunc ann. Radeuicus [e], atque ex ipso Baronius [d] meminere. *Qui cùm ex vrbe in Daniam rediret, captus, spoliatúsque fuit in Germania. Quæ res, dum iniuriam, missis ad Fridericum Imperatorem legatis, acrius persequitur Adrianus IV. Pontifex, cui Eskyllus priuato etiam nomine charus erat, exacerbatis hinc inde animis, ansam præbuit schismati, quod inter eos erupit, vt inquit Radeuicus lib.1. de gestis Friderici: cap.8. & sequentibus. Sed apud Radeuicum, Londonensis vitiosè scriptum est; fœdius etiam apud Innocentium III. epistola CCCXXI. Lugdunensis, pro Lundensi.* Ita Sirmondus; nec debili, aut damnanda coniectura: Neque enim Londonensis sedes in toto orbe, vt ex libro taxarum Cameræ constat: nec Londinensi, ad quam propius accedit nomen illud, toto hoc sæculo E. Episcopus præfuit; sed Richardi, & Gilleberti, vtrique duo; vnus Robertus: neque demum reditus illis per Germaniam ad propriam sedem, sicut nec Lugdunensibus: vt ex his omnibus non obscurè liqueat, pro Lundensi, Londonensem in aliquibus, in aliis Lugdunensem irrepsisse.

2. Amicè exceptum ab Adriano Papa Eskyllum, duo nobis indicia manifestant; alterum, quod obtinuit primatum suæ Ecclesiæ super Regnum Sueciæ; alterum, quam pro eo gessit solicitudo, cum in reditu captum à Germanis, & spoliatum audiisset, atque epistola scripta ad Fridericum, & Cardinales legati ad tanti sceleris vindictam procurandam; de quibus nos agemus sequenti numero. Porrò quod ad primatum indultum attinet, præter litteras Innocentij Papæ III. quas refert Baronius, illustris Daniæ scriptor Saxo Grammaticus commendauit memoriæ totidem verbis. [e] *Si quidem* (ait) *qui antea Nicolaus, Romam reuersus, decedente Eugenio, & Anastasio, Maximus Pontifex renunciatus est: pergiique publica religionis Præsul, quod priuata legationis minister annuerat.* Hæc Saxo. Baronius factum licèt biennio differens, hanc item primatiam ab Adriano concessam, confirmasse Innocentium, his verbis narrat. [f] *Nec tacendum, statuisse Adrianum Papam, vt Laudensis Archiepiscopus primatum gereret super regnum Sueciæ, quod & confirmauit Innocentius Papa III. Extant de his litteræ eiusdem Innocentij, licèt Lugdunensem, pro Lundensi legant.* Nempè simili errore, quo ipse hoc anno Londonensem appellauit.

e In Dani. l.14.

f Ad annum 1159.

3. Hoc priuilegio diu desiderato, nec dubium etiam xeniis amicabilibus ab Adriano donatus recedebat Eskillus, & iam relicta Italia, alacer penetrabat Germaniæ sinus; cum ecce subitò irruentes ex aduerso Germani Satellites, oppressere Pontificem, & vinculis iniectis, socios primum, deinde ipsum sacrilegè spoliarunt. Perculit aures curiæ horrendum facinus; sed præcipuè Adriani, priuato affectu excitante publicum zelum. Cúmque flagitium in terra Imperatoris cognouisset patratum; nec tamen vllam aduersus patratores vindictam sequi; cum non posset sacrilegos, Fridericum sibi censuit conueniendum; nempè, quod facinus in terra sua commissum, cum posset, & deberet non vltum iret. Itaque electis duobus Cardinalibus, Rolando, tituli S. Marci, & Bernardo, tituli Sancti Clementis, vtroque presbytero, quos de latere suo legatos misit, has ad Imperatorem litteras dedit. [g]

g Baron. ad hunc ann.

ADrianus Episcopus, Seruus Seruorum Dei, dilecto filio Friderico, illustri Romanorum Imperatori, salutem, & Apostolicam benedictionem.

Imperatoriæ maiestati paucis retrò actis diebus recolimus scripsisse, illud horrendum, & execrabile facinus, & piaculare flagitium, tempore nostro commissum in Theutonicis partibus, sicut credimus, aliquando intentatum, Excellentia tua ad memoriam reuocantes, non sine grandi admiratione ferentes, quod absque digna seueritate vindicta vsque nunc transire passus sis tam perniciosi sceleris feritatem. Qualiter autem venerabilis frater noster E. Londonensis Archiepiscopus, dum à sede Apostolica remearet, à quibusdam impiis, & scelestis (quod sine grandi animi mœrore non dicimus) in partibus illis captus fuerit, & adhuc in custodia teneatur: qualiter etiam in ipsa captione prædicta, viri impietatis, semen nequam, filij scelerati, in eum; & in suos, euaginatis gladiis, violenter exarserint: & eos, ablatis omnibus, quàm turpiter, atque inhonestè tractauerint; & tua serenissima Celsitudo cognoscit, atque ad longinquas, & remotissimas regiones fama tanti sceleris iam peruenit. Ad cuius vtique vehementissimi facinoris vltionem, sicut is, cui bona placere, mala verò displicere credimus, constantius exurgere debuisti, & gladium, qui tibi ad vindictam maledictorum, laudem verò bonorum est ex Diuina prouidentia concessus, in ceruicem desæuire oportuit impiorum, & grauissimè conterere præsumptores.

Tu verò id ipsum ita dissimulasse diceris, seu etiam neglexisse, quod eosdem non est, quare pœniteat commisisse reatum, quia impunitatem sacrilegij, quod gesserunt, iam iam sentiunt inuenisse. Cuius quidem dissimulationis, & negligentiæ causam penitus ignoramus; quoniam nos in aliquo Serenitatis tuæ gloriam offendisse, conscientiæ scrupulus animum nostrum non accusat; sed Personam tuam, sicut charissimi, & specialis filij nostri, & Principis Christianissimi, quem in Apostolica confessionis petra non ambigimus per Dei gratiam solidatum, syncera semper dileximus charitate, & debita tractauimus benignitatis affectu. Debes enim, gloriosissime fili, ante oculos mentis reducere, quàm gratanter, & quàm iucundè alio anno, mater tua Sacrosancta Romana Ecclesia te susceperit, quanta cordis affectione tractauerit, quantam tibi dignitatis plenitudinem contulerit, & honoris; & qualiter Imperialis insigne coronæ libentissimè conferens, benignissimo gremio suo tuæ sublimitatis apicem studuerit confouere; nihil prorsus efficiens, quod Regiæ voluntati, vel in minimo cognosceret obuiare. Neque tamen pœnitet nos desideria tuæ voluntatis in omnibus impleuisse: sed, si maiora beneficia Excellentia tua de manu nostra suscepisses, si fieri posset, considerantes quanta Ecclesia Dei, & nobis per te incrementa possint, & commoda prouenire; non immeritò gauderemus. Nunc autem, quia tam immensum facinus, quod in contumeliam vniuersalis Ecclesiæ, & Imperij tui, noscitur etiam commissum, negligere, ac dissimulare videris: suspicamur vtique, ac veremur, ne fortè in hanc dissimulationem, & negligentiam propter hoc tuus animus sit inductus, quod suggestione peruersi hominis Zizania seminantis, aduersus clementissimam matrem tuam, Sacrosanctam Romanam Ecclesiam, & nos ipsos, indignationem (quod absit) aliquam conceperis vel rancorem. 4.

Ob hoc igitur, & ob alia omnia negotia, quæ cognoscimus imminere, duos de melioribus, & charioribus, quos circa nos habemus, dilectos scilicet filios nostros Bernardum S. Clementis Presbyterum, Rolandum S. Marci Presbyterum Cardinalem, & Cancellarium nostrum, viros vtique religione, prudentia, & honestate conspicuos, Serenitati tuæ de latere nostro ad præsens duximus destinandos; Excellentiam tuam rogantes attentius, quatenus eos tam honorificè, quàm benignè recipias, honestè tractes, & ea, quæ ipsi super 5.

hoc

hoc, & super aliis, ad honorem Dei, & sacrosancta Romana Ecclesia, ad decus etiam, & exaltationem Imperij pertinentia, ex parte nostra Imperatoria proposuerint dignitati, sicut si ab ore nostro procedant, absque vlla hasitatione suscipias, & ipsorum verbis, tanquam si ea contingeret nos proferre, fidem non dubites adhibere. Hactenus literæ Adriani ad Fridericum. Ex quibus, siue proprij conscientia probi, (nam flagitij non credam) quo nullum fortè maius in nouo Principe, quam si impar corrigendis delictis inueniatur; siue detrectatione beneficij, quod sibi ab alio obiectum, erubesceret; nec beneficium, sed debitum putabat, quod accepisset coronam à Sede Petri; seu tandem turbido ardore feruentis animi, qui vltrò schisma quæreret, & diuisionem ab Ecclesia machinaretur; adeo commotus est, vt nec Pontifici, nec legati responsum dederit. Quin eos statim à se abire mandauerit, redituros ad vrbem recta via, non hac, aut illac detinendos, aut digressurus: At mala plurima, quæ hinc sequuta sunt, Ecclesiastici omnes scriptores latè commemorant. Sed & nos etiam inferiùs multa dabimus; quippè, in quibus sedandis, cùm tandem licuit; &, dum non licuit, constanter tolerandis, Cistercium magna pars Ecclesiæ fuit.

6. Interim adnoto, seu proprio ære redemptum, siue à Danis, & Suecis vendicatum; siue timore, aut pœnitentia facti, libertate donatum ab inuasoribus, tandem Esxillum ad propria rediisse, Lundensi sedi, & Daniæ præfuturum. Quin hanc eius captionem à Germanis, & quæ asportabat, bonorum direptionem, ab authoribus Danis prætermissam, Saxone [h], & Grantzio [i], qui tamen alios eius casus, & quidem similes valde, commemorarunt. Nempe captionem à Sueuone factam, verùm eam intra Daniam, & sub Eugenio: direptionem bonorum, sed in Holsatia, & iam serpente sub Alexandro schismate; adeóque neutram sub Pontifice Adriano nedum hoc anno. Vt liceat interim lectori dubitare de Londensi E, &, vt prudenter cum Sirmondo sentiat, ex coniecturis: si non omnino imprudenter opinetur contrarium, ex Danorum authorum prætermissione, sed de his satis.

h lib. 14. sub initium.
i ibid. ante med.

7. Inter hæc Tarantasiensis Præsul Petrus, à Germania reuersus, ac suis redditus, quantò ardentiori affectu colebatur, tantò maiora, & clariora perpetrabat; & emergentia, seu grassantia bella, inter priuatos Principes iam tunc compescens, quid mox in vniuersali Ecclesiæ schismate peracturus esset, non obscuris indiciis præmonstrabat. *Inter Principem suum Comitem Humbertum* (ait Altæcumbæ Abbas [k]) *& Hildephonsum Comitem Tolosanum, in regione Gratianopolitana eo tempore dominantem, non solùm multis incendiis, sed & homicidiis guerram diutiùs agitatam, multo labore sedauit.* Quin plures alios discordantes Reges, & Principes, pondere authoritatis suæ premebat. Aut si fortè à proposito pacis resilirent, opprimebat miraculis, quę quotidie illustriora operabatur. *Implacabiles* (ait) *inimicitias & odia inueterata frequenter extinxit, grauia admodum bella compescuit, desperatas reconciliationes inter maximos etiam Principes, Domino* [l] *cooperante, & sermonem eius confirmante sequentibus signis, effecit.*

k Tom. 3. cap. 22.
l Marci. 16.

8. Cæterùm quanta apud omnes viri authoritas, qualia, & quanta miracula patrauerit, nouis, atque inauditis malis à Deo permissis; quo noua in Petro prodigia, noua ab ipso remedia, conspicerentur, ex eodem authore describamus: Et quidem de authoritate eius ad omnes, vltra ea, quæ de Friderico Imperatore (aliàs immani Principe) multa & ingentia inferiùs dicturi sumus; de Henrico, Angliæ Rege, quem, ob negotia pacis componendæ inter Humbertum, & Alphonsum Comites, adire compulsus est, hæc ipsa verba ab authore fideli, & Sincrono [m] scribuntur. *Cuius occasione negotij, ad illustrem Anglorum Regem Henricum, vehementer desideratus, accessit; & tam reuerenter exceptus est, vt excedere modum omnem humanum deuotio videretur. In ipso quoque itinere diuina per eum virtus miraculum singulare perfecit, quod diligentius prosequi reor operepretium fore.* Hactenus ibi. Vt queat facilè quisque coniectari, qua reuerentia sanctum virum prosequerentur cæteri Principes, quem vel aliàs rebelles in Ecclesiam schismatici, & Tyranni, Fridericus polluendus per longum schisma; Henricus per Martyrium B. Thomæ (de quibus infrà) sibi religiosè colendum non dubitarent.

m Vbi suprà apud Surium.

De miraculis vnicum tantùm referam per hoc tempus patratum; singularitate, ac variatione damni insigni, non minus, quàm remedij promptitudine [n]. *Sancti Symphoriani dicitur Castrum Lugdunensis Ecclesia, paucis ab vrbe millibus distans vbi vir fidelis, & religiosorum officiosus, sedulúsque susceptor, magna conuersationis pariter, & opinionis Abbatem ad hospitium suum aliquando, quasi vim faciendo pertraxit. Huic iuuencula erat filia, miserabili incommoditate laborans. Egerat quadam mulier malefica, per nequitiam inuidia socrus inducta, vt languore tabesceret desperato; nec viri sui prasentiam, nec adspectus vllatenus toleraret. Affectione muliebri genitrix persuasa, vt Sathanas Sathanam eijceret, famosum quemdam maleficum accersiuit. Affuit, explorauit, agnouit: & mulierculam asserens infirmatam, texit arborum cortices, pocula verbis, & herbis infecta propinat. Mordet etiam dentibus proprijs brachium misera mulieris. Res mira, res noua, res, ni fallor, hactenus inaudita. Ab illo quidem languore conualuit; sed interdum velut ex corde procedere sentiens acus, cruciabatur atrociter, donec per morsuram brachij, quam nulla cicatrix obduxerat, acus educeret vis occulta. Crudele remedium, sed huiusmodi congruebat authori.* 9.

Plures in hunc modum, quàm triginta per temporum interualla prodierant: quadam, vt vulgò dicitur, excapsata, quadam admittendis filis idonea foramina praferentes. Praterea predictus Abbas ad domum, vbi hac actitabantur, aduenit. Celebris est persona, cuius hoc opus, & alia, non indigna admiratione, narrantur: sed parcendum adhuc superstiti, & nomen credidi retinendum. Huic pater anxius miserabilem exhibet filiam; nec sine lacrymis lugubrem explicat tragadiam. Eadem hora fit fides dictis, & sentiens acum, mulier gemebunda deplorat. Iam peruenerat ad foramen, solitus iam pracesserat cruor, iam caperat apparere, iam particula eius exierat. Et accedens vnus ex fratribus laicis, eidem Abbati deseruiens, cruentam extraxit, annis pluribus ad testimonium conseruandam. Orat Abbas; & locum vulneris tangens in virtute fidei pollicetur, nec ferrum vltra, nec calybem exinde processurum. Factum est: sed mutata materia est; malitia necdum prorsus extincta. Caperunt lignei sudes paruuli, quales vulgò brocas appellant, ex quercino robore; vel fraxinei, praferreis acubus egredi; crassiores spinis, & modicè longiores. Nec vnius tamen omnes, sicut nec acus fuerant, longitudinis, vel crassitudinis erant. Sexdecim in hunc modum intra annum, & paucos menses ex muliere ligna prodierunt. 10.

Affuit

11. *Affuit demùm reuerendus Petrus Antistes, cui diuinitus seruabatur tanti miraculi plenitudo. Offertur mulier Missarum solemnia celebranti, sicut praeceperat vespere praecedenti. Eadem hora septimum decimum lignum ex muliebri carne egreditur; quod sub oculis omnium Sacellanus extraxit. Confitentem itaque mulierem Praesul absoluit, & sacram ei tradens Eucharistiam, ab omni deinceps cuiuscumque materiei progressu iubet esse securam. Sic ab omnibus iam praestigiis liberata adhaesit viro, filiósque procreauit. Et, vt dicitur, hodiéque superstes, virtutem praedicat, quam in se ipsa fœliciter meruit experiri. Petrus de Fraxineto, dicitur pater, notus, & honoratus inter conuicaneos suos; vt si quem dubium nouitas tanta reddiderit, probare forsitan liceat, quod credere detrectaris.* Hactenus ibi. Rarum, & sine exemplo, quod ego legerim. Sed eò dignius Annalibus adscribi; vt & proteruia, atque versutia dæmonis eludentis mandata semel, & iterum, & virtus fidei, & orationis Petri comprobarentur.

12. Hoc ipso anno, si Chrysostomo fides in Menologio,[o] mortalem vitam, æterna commutauit Beatus Theodardus Claræ-siluæ in Dania Monachus, admirandæ sanctitatis, dum vixit, vir, sed in morte non minùs admirabilis, de quo hæc in Exordio scripta lego.[p] *Erat in eisdem partibus quoddam Cisterciensis Ordinis Cœnobium, in quo quidam magnæ religionis, & admirandæ humilitatis Monachus, in simplicitate cordis sui Christo Domino deuotè seruiebat. Qui, cùm in omni sacri Ordinis obseruantia feruens esset, atque deuotus, semetipsum in omnibus despiciens, & humilians; maximè tamen silentio, & quieti operam dabat, orationi, compunctioni, atque lectioni continuò vacans: ita vt semper ad orandum, siue ad legendum vbicumque poterat, mirabili dulcedine traheretur. Fructum tamen deuotionis, magis quàm eruditionis in lectione requirens, ita in ea delectabatur, sicut in omnibus diuitiis. Appropinquante hora migrationis eius de hoc mundo, cùm grauiter ægrotaret, & oleo infirmorum iam inunctus esset, rogauit, vt corpus eius in præsenti lauaretur, & vestimentis, in quibus sepeliendus erat, indueretur. Fratribus verò causantibus nouitatem, & facere differentibus; cum in sua petitione persisteret, ob reuerentiam sanctitatis suæ, quod volebat, obtinuit. Quo facto circumstantibus ait: Reuertimini vnusquisque ad officia vestra, quia modo moriturus non sum, sed die sequenti, post refectionem seruitoris, vocabit me Dominus.*

Cunctis itaque fratribus ad hanc prophetiam hominis Dei suspensis, illuxit dies altera, & eadem, qua prædixit, hora, sonitus tabulæ vniuersos ad commendationis officium migraturo persoluendum ocyus inuitauit. Quod cum tantò deuotiùs facerent, quantò morientem in æterna vita mox glorificandum fore certiùs sperabant; ipse frater vltimum iam trahens spiritum, subitò diuina gratia illuminatus est, & exhilarata facie circumstantibus dixit. En modò ingreditur ad nos dilectus Domini Ioannes Euangelista. Et cum paulò reticuisset, iterum dixit. Eia fratres ecce iam venit Dominus noster Iesus Christus, & cum eo Sanctorum Angelorum, aliorúmque Sanctorum frequentia. Et cùm hoc dixisset, confestim in iubilum, & exultationem cordis præ dulcedine illius, quem intuebatur, raptus, cantare cœpit, & incipere Antiphonam illam. Subuenite Sancti Dei, occurrite Angeli, *&c. atque ita cantando Deo animam reddidit.* Hæc in Exordio de viri pretiosa morte; tacito licèt eius, ac domus nomine, neque explicato tempore, quæ omnia in M. S. Aureæ vallis à se inuenta testatur Henriquez in suo Menologio Septembris primo, qua die sancti viri memoriam recolit. 13.

Iacobus Meierus, vir aliàs diligens, & Flandricarum rerum scriptor exactus hoc anno signat promotionem B. Ydesbaldi; ex Cantore, in Abbatem Dunensis Domus. *Ydesbaldus*, ait,[q] *ex Cantore fit Abbas Dunensis, vir per omnia laudabilis. Eodem anno Crucis figura euidenter apparuit in luna.* Hæc ille, hoc anno. Et tamen ex Chronico Abbatum Dunensium, cui plenior fides, Alberonem cessisse post biennium expletum in præfectura; adeóque ad annum M. C. L V. aut ad summum M.C. LVI. Ydesbaldum pro eo suffectum constat. Parua distantia, & quæ facilè potuit irrepsisse. Vtcumque fuerit, Adalbero cedens, in Claramuallem rediit, vnde directus fuerat; vbi & in Domino fœliciter dicitur obdormisse. De Ydesbaldo hæc Chronicon Dunense.[r] *In eius locum* (scilicet Alberonis) *subrogatus est Ydesbaldus, vir religione strenuus, humilitatis præcipuus æmulator, qui sicut in vità virtutibus claruit, sic post mortem coruscauit miraculis.* Sed de eo plura in sequentibus dicemus. 14.

[o] Septemb. 1.
[p] lib. 4. c. 34.
[q] Ad hunc Ann.
[r] Fascicul. lib. 1. dist. 5. cap. 9.

---

1. Carthusiani, in Cœnobio Sancti Stephani, reformati ad Cistercium: 2. Ratio temporis, & fundatio domus eiusdem. 3. Sancti Brunonis, à Romana Curia, discessus. 4. Secessus in Calabriam. 5. Atque accepta à Rogerio donationes. 6. Vita, & mors Sancti, 7. & memoria eius illustres. 8. Cisterciensibus tradita, & conseruata per septem & quinquaginta annos supra trecentos. 9. Monachi ex Fossa noua illuc transmissi, ac quadam alia notitia eiusdem domus. 10. Incrementa Fiterÿ per hoc tempus.

CAPVT IV.

1. DVM hæc in Gallia, in Italia æternum decus, Carthusiani Cistercio præparabant. Reformato ad nostrorũ normam cœnobio Sancti Stephani, quod Beatus Bruno, non solùm extruxerat, & imbuerat legibus Carthusiæ, sed incoluerat; ex quo, ad superos transiit; & in quo, corpus eius sacrum conseruatur. Rem sanè magnam, & dignam his annalibus, verbis Francisci Putei[a] Carthusiani, & Carthusiæ Magnæ prioris, qui vitam scripsit Sanctissimi Patriarchæ, in medium producam. *Cùm obdormisset in Domino S. Patriarcha Bruno in Carthusiana vita instituto perseuerauit illud Monasterium, sub quinque Prioribus, qui ei successerunt, vsque ad tempora Venerabilis Guigonis Prioris Carthusiæ. Inde in Gallia crescente Ordine Carthusiensi, solum illud Calabriæ Monasterium à B. Patris Brunonis feruore, & sanctitate tepescendo degenerauit. Et petebant quidem eius habitatores, à Carthusia visitatores, & reformatores, sed nimia locorum intercapedo non id facilè obtinebat. Itaque ad Cisterciense institutum illi se transtulere; quod tum recèns ortum, & incomparabilis viri Beati Bernardi*

[a] Apud Sur. tom. 5. c. 32.

nardi Abbatis Claraeuallensis insigni sanctitate, multòque labore mirificè propagatum, in magno feruore durabat. Ad illud autem tempus in Carthusiane religionis professione permanserat illud Monasterium, annos sexaginta. Hactenus Puteus in vita Sancti Patris.

2. Porrò ex his verbis, non solùm factum ipsum, sed etiam ratio temporis colligitur; atque ipsum monasterium Sancti Stephani, hoc anno suscepisse Cistercij iura. Nam cum surrexerit circa annum Christi millesimum nonagesimum septimum, hoc est biennio postquam Sanctus Bruno secesserat in Calabriam, cùm locum accepisset Rogerij dono: si sexaginta, his annos superaddamus, quibus immotum adhæsit Carthusiæ legibus; facili calculo, sed prorsùs necessario, cogimur peruenire ad hunc millesimum centesimum quinquagesimum septimum, quo easdem in Cistercienses commutauerit. Porrò aduenisse Calabriam virum Dei, sub annum Christi millesimum nonagesimum quintum, satis probat Concilium Placentinum eo anno celebratum; à quo discessit Calabriam profecturus. Quæ omnia latè, & exactè in eius vita [b], quin & apud Baronium [c] lector inueniet. Itaque hoc anno millesimo centesimo quinquagesimo septimo, Sancti Patris Brunonis sancti discipuli, quos senex educauerat, ac purissimo doctrinæ suæ lacte nutrierat; quos moriturus, sua benedictione; mortuus, sui corporis exuuiis condecorauerat: cum defecissent parumper ab eius legibus; vt ad prioris perfectionis statum restituerentur, Cistercienses amplexi, sub quibus aut tutiores militarent: aut saltem non inferiores inuenirentur. O fœlix primum illud Cistercij sæculum, in quo non aliud perfectæ vitæ genus, ad quod nostri confugerent; cunctis ad nostros transitus pateret, etiam Carthusianis; neque degenerare hac mutatione; sed vel proficere, vel saltem conseruari reputarentur. Sed iam initia & progressus Monasterij, vsque ad præsentem annum, ex eodem authore, paucis edisseram.

b *Apud Sur. tom 5.*
c *Tom. 11.*

3. Vocatum ab Vrbano II. Romam Sanctum Brunonem, post fundatam Carthusiam; varia Ecclesiæ negotia detinuerant: sed otij, & solitudinis amator, impatiens Curiæ, diu denegatam missionem tandem obtinuit circa annum Christi M. X C V. Si Summus Pontifex in Italia sisteret, rediturus ad propria; sed quia in Galliam proficiscebatur in Italia mansurus [d]. *Ne aut curiam declinare non posset* (ait Puteus) *si propè esset; aut illam non reliquisse, sed sequi videretur.* Ergo Calabria delecta viro est, apta cælo, & solo, vitæ eremiticæ; in quam, cum aliquibus sociis se conferret. Ibi in eremo, cui nomen Turris est, amœna satis, vt ipse eam describit, biennio vixit: sed qua occasione inde sedem mutauerit, ac Sancti Stephani monasterium struxerit eiusdem authoris verbis prosequi libet.

d *Puteus c. 22.*

4. *Postquã [e], in ea Turrensi eremo, Beatus Bruno primum habitare cœpit cum sociis, accidit, Deo id efficiente, vt quodam die Rogerius Comes Calabriæ cum non paruo suorum grege, & multa canum frequentia, in eadem solitudine venationi incumbens, ad eum locum, quem sibi incolendum sumpserant serui Dei, tectius rei nescius perueniret. Vbi, cum canes sagaciter diuersa ferarum vestigia explorarent, ad casas, in quibus Beatus Bruno, cum fratribus, commorabatur, accurrerunt; atque illic fixis pedibus, magno latratu indicabant Domino suo, opimam se reperisse prædam. Cùm id conspicatus, ocyùs cum suis aduolat, offendit patres illos in speluncis suis flexis genibus, erectisque in cœlum vultibus, ac manibus, simul orantes, & laudantes Deum. Tunc ille magna admiratione repletus, ab equo, cui insidebat, desilit; piè, & comiter illos salutat, qua causa eò aduenerint? & quæ eorum est conditio? accuratè perquirit. Postquam ex eis didicit omnia, impensè lætatus est, laudans, & glorificans Deum, qui tali ipsum præda dignum iudicasset. Persuadebat enim sibi, neque id temerè; se, terrámque suam, eorum meritis, & precibus apud Deum adiutum, & in pace conseruatum iri. Atque ea causa, vt possent illic quietius viuere, & diutius permanere, dedit eis Ecclesiam Sanctæ Mariæ, & Beati Stephani de Eremo. Vbi sanè etiam crebrò eos inuisit, & res vitæ degendæ necessarias eis tribuit: & ea, quæ ad salutem animæ pertinerent, libenter ab eis audiuit.* Hæc mutandarum à Beato Brunone sedium: Hæc S. Stephani struendi Monasterij occasio fuit.

e *Cap. 24.*

Verùm de eiusdem Cœnobij noua fabrica, cùm quamdam aliam eiusdem Rogerij donationem, & quidem remuneratoriam, pro beneficio, à Sancto viro accepto, retulisset; pergit author scribere in hunc modum. *Hac Comitis liberalitate, & donatione fretus B. Bruno, condidit ibi primò Ecclesiam, in honorem matris Dei, apud specum quamdam subterraneam, in qua ipse morabatur. Deinde extruxit etiam alteram, haud procul ab illa distantem, in honorem Sancti Protomartyris Stephani, cùm Monasterio illi coniuncto, in quo cæteri fratres habitarent, sub cura, & gubernatione tanti Patris, Christo militantes. Cum quibus vir Sanctus, vsque ad diem vitæ extremum, in ea perseuerauit viuendi ratione, & vitæ asperitate, quam anteà in Carthusia cœperat, & docuerat. Interim etiam solicitè curam eorum gerens, qui in Carthusia eremo degebant, præfecto eis, vt antè diximus, magistro Laudnino. Qui quidem vir venerabilis, ne à vestigiis, & institutis tanti patris, & præceptoris sui deflecteret; néve aliter suos institueret, quàm ab illo, cum sociis fratribus, didicisset; iter longissimum suscepit ad ipsam vsque Calabriæ eremum, singula accuratiùs ex illo percontaturus.* Hactenus ibi. Quibus planè videas hanc totius Carthusiæ primariam domum, ex qua velut ex fonte, sapientiæ aquas ipsa etiam Carthusia magna hauriret. 5.

Vixit B. Bruno in eo Cœnobio ad annum Christi M. C, I. in quo, cum in grauissimum morbum incidisset, tandem vigiliis, ieiuniisque confectus, die Dominica, quæ Nonas antecessit mensis Octobris, fœlicem animam, è suorum filiorum manibus, suscipiendam ab Angelis, transmisit, Sanctorum Cœtibus perenniter sociandam. De sepultura verò sacri corporis, & fonte, ibidem salutifero ebulliente, quod nefas præterire, hæc idem author [f] *Sepultus est vir præstantissimus in monasterio suo sancti Stephani, post summum altare. Ad eius sepulchrum fons viuus prorupit, qui Christi virtute, & eius meritis, varia adfert permultis remedia sanitatis. Illuminantur illic cæci, surdi audiunt, manci, & mutili redintegrantur, leprosi mundantur, Dæmoniaci ocyùs repurgantur: sed his omnibus miraculis, illud admirabilius est, quod, sicut totius repetunt iam allata testimonia, gloriam, & honorem omnem respuere, & in tanta vita austeritate, integritate, & perfectione perseuerare potuit.* 6.

f *Cap. 31.*

Visitur hodiéque ad eumdem locum veneranda spelunca, sed inaccessa: atque speluncæ religiosum sacellum imminens, traditione, & miraculo perpetuo, conseruantia memoriam Sancti, de quibus hæc in actis ipsius lego [g]. *Ab hoc monasterio* (scilicet 7.

g *Cap. 35.*

(scilicet B.Stephani) *ad passus mille quingentos, abest specus valde religiosa, inter montes angusto loco sita, nemoribus cincta, qua illius vallis extrema claudunt, prorsúsque devia, & hominibus inaccessa sunt. Supra hanc specum, conditum est haud grande sacellum cum altari, vbi titulus habetur Sancti Brunonis Coloniensis magistri. Eremi Sancta Mariæ de Turri, Ordinis Carthusiensis institutoris primi; cuius etiam imago illic picta cernitur. In hac specu vir Dei, ab eo tempore, quo primùm illuc venit, vsque ad obitum, incredibili spiritus feruore permansit. Porrò in argumentum, & commendationem sanctitatis eius, vsque in hodiernum diem locus ille, in quo post excessus contemplationum, defessa membra nuda humo allidebat, nunquam herbam gignit ad mensuram corporis eius, cum tamen circumquaque herbescat. Hoc tam illustre miraculum omnes loci eius accolæ constantissimè asseuerant.* Hactenus ibi de specu, atque miraculo.

8. Hos thesauros habebant Sancti viri, cum accessere nostris; sub quinque, vt diximus, Prioribus conseruatos, vsque ad hunc annum, quo se, quo domum, quo specum, quo sacellum, quo corpus Sancti fundatoris sui (ingens profectò donum) tradidere Cistercio; vtinam nunquam ab ipso diuellenda! Mansere tamen inconcussa sub eius legibus, per trecentos quinquaginta septem annos, nempe vsque ad Christi. M.D.XIV. quo tandem Carthusianis restituta, sub Leone X. vt illis gaudium, sic tristitiam nostris, atque æternum dolorem attulere. Quod qua occasione, modóque contigerit, dabit in tempore, si quis Annales hos continuauerit. Interim adnoto nouos loci colonos Cistercienses, corporis sancti cultores fidelissimos, veneratoréque, piis filiorum Brunonis inuasionibus, quas aut timebant, aut suspicabantur, addidisse cautelam, quam potuerunt: loci ignorantiam, & sepulchri occultamentum. Narrauit Prior Carthusiæ Neapolitanæ, cui negotium sub Leone Papa iniunctum[h]. *Eosdem Abbates* (scilicet Cistercienses) *tanta cura sacri corporis reliquias obseruasse, veritos ne Carthusiani eas repeterent, vt ossibus in diuersa, & occulta loca repositis, eisdem locis crebrò mutatis, nemo præter Abbatem, & alium virum fide dignum quicquam de illis compertum habuerit.* Hæc ex illius Prioris narratione, Franciscus Puteus: reliqua breuiter nobis perstringenda.

h *Apud Sur. cap. 34.*

9. Memoratur Sanctus Stephanus de Vosco (nam id cognomen domui, quod suprà vidimus) Diœcesis Squilacensis in libris Cameræ L X X V. florenorum notata taxa: tam in Chronologia Ecclesiarum Cisterciensium, ad annum M.C.L. quo & eam notauimus, concessa septem annorum antelatione; pro qualitate domus, familiæque, si conferas ad concessam aliis, satis exigua. Suscepit Monachos per quos edoceretur noui instituti mores, & disciplinam, ex celebri Cœnobio Fossæ nouæ, ab eiusdem Abbate visitanda ingenti sanè gloria Fossa-nouensium, si tamen conseruata; quos Sancti viri, Bruno, Thomásque; ille Angelicæ vitæ Dux, & pater, hic Doctor Angelicus, elegere custodes suorum corporum: alter Ecclesiam in qua sepultus erat, illis tradens, alter eosdem quærens, vt ab eis, & cum eis sepeliretur. Verùm de Sancto Thoma suo loco. In Genesi Ecclesiarum Claræuallensium, Ecclesia sancti Stephani prima Fossæ-nouæ filia memoratur. Neque infœcunda quandiu sub Cistercio, suspecta prole in eodem Calabriæ sinu, quam S.Trinitatis de ligno cognominauit. Extant epistolæ duæ Honorij I I I. ad Abbatem & Monachos Monasterij S. Stephani, Cisterciensis Ordinis, Squilacensis Diœcesis; altera, graui causa illi commissa Archiepiscopi, & Cleri Messanensis; altera, priuilegio illis indulto, pro egregia, qua pollebant, religione: prima pontificatus eius anno secundo, secunda, quinto. Reliqua, si quæ fortè se obtulerint, suis temporibus, & locis inferemus.

Exitus anni in Hispania nostris tristis Alphonsi Imperatoris morte fuit: sed nihilominus successione filiorum fœlix, Ferdinandi, & Sanctij, quorum alteri Legionis regnum reliquit, Castellæ alteri: & si Sanctio diuturnior vita fuisset, fœlicissimus potuit reputari. Fecit tamen quod potuit, quandiu vixit: extantque plurima illius priuilegia nostris indulta intra annum, quæ vix multis ab alio concessa fuissent. Inter alia donauit Fiterium nobili Castro, dicto de Turrungen, deuotione in Raimundum eius Abbatem; an iam præsagiens inclytam militiam instituendam ab ipso, breue, sed fælix tempus regni eius, tam insigni accessione; atque vniuersam Ecclesiam illustraturam. Quo etiam tempore Nauarreus Rex, pietate in Raymundum certans cum Castellano, ingens Fiterio inclusit priuilegium, & cui vix aliud simile. *Vt si quis homo, pro aliqua re, vel calumnia, vos (Fueriensis, seu Castellionensis) inquietauerit, & ad iudicium traxerit pro magna, vel parua quantitate; mando, vt in toto regno meo pro sola veritate vnius Monachi, vel fratris Ordinis, absque alio iuramento, & sine vllis aliis testibus vestra causa, & vestrum iudicium diffiniantur.* Aurum, & opes, & rura frequentes donant; qui solo testimonio partium deserat, eóque non iurato, ratus erit. Priuilegium vtrumque adducit Iepius,[i] atque vtrumque Archiuia hodieque seruant. 10.

i *Ad ann. 1140. cap. 5.*

---

1. Valdaura, ex Anchosa translatio ad Sanctas Cruces: 2. quò missus Monpessulaneus Guillelmus, ex Grandi-sylua; 3. & dictum obiter de eius sanctitate, 4. Sepulchra, atque alia notitia eiusdem domus, 5. & viri sancti; 6. fœcunditas ad militias etiam, extensa. 7. Fundatio Monasterij de Tulebras. 8. Ac demum Chronologia, 9. præsentis anni.

CAPVT V.

1. EISDEM temporibus, Valdauræ Monasterium in Catalaunia, quod ad Anchosam translatum superiùs diximus; cùm ne hic locus aptus inuentus esset, in alium transiit, cui crebræ Cruces, ob memoriam fixæ, cœlestium luminum ibidem ostensorum à Sanctis Crucibus nomen comparauerant. Cùm antea campus magis contradictionis, ob lites continuas inter Episcopos Barchinonensem, & Tarraconensem, super eo certantes, nominaretur. Posterius nomen conseruat Monasterium, quia sacratius: prioris perseuerat adhuc memoria in priscis instrumentis, in quibus nunc

nunc vnius, nunc Diœcesis alterius commemoratur. In libris Cameræ Barchinonensem occupat, florenis mille, hoc est totidem, quot Episcopalis sedes, taxa notatum. Sunt Sanctæ Cruces prædiues Monasterium, atque infra Populetum, nulli secundum;quippe cui neque desunt sepulchra Regum, & Principum, atque omnium illustrium familiarum totius Regni, neque gloria sanctorum, quos claros habuit. Neque demum venerabilis fœcunditas, qua non solùm cœnobia Monachorum, quod multis commune, verum cum paucis, militias adoptauerit.

2. Affuit translationi domus B. Guillelmus Mompessulaneus,iterum ad hoc missus ex Grandi-sylua, an ibidem existens? in dubio est. Certùm à prima domus fundatione, Grandi-syluam reuersum, vbi Bernardum migrantem ex hac vita videre meruit, quod superiùs notauimus, iuxta acceptam ab ipso promissionem. Nec minus certum regressum ad SS. Cruces, atque in eis habitasse circa hoc tempus: Quippe inter Monachos eiusdem Monasterij inuenitur subscribens publicis instrumentis præsentis anni. Cæterum cùm non vltrà extendatur eius memoria,nec de sepulchro constet,quod neutra domus possidere noscitur (de Sanctis Crucibus loquor,& Grandi-sylua) ab vtraque colendum, si in qualibet illarum inueniretur; coniectari libet, obiisse in Hispania hoc ipso anno, ante domum translatam, cùm esset iam in procinctu translationis. Tunc Anchosæ relictum sacrum corpus, cum cæteris,quæ ibidem tumulabantur; discedentibus Monachis: vt primò fortè cultum,sic postmodum neglectum,oblitúmve,vt neque loci memoria perseueret. Vtcumque fuerit ad gloriam domus fuit, quod tantum virum Monachum;quod talem fundationis suæ ministrum, & translationis, vt non exequutorem, saltem approbatorē habere meruit.

3. Guillelmum inter Sanctos Cistercij numerant Ioannes Abbas,Missale Ordinis vetus.[a] Franciscus Patriarcha,[b] Aubertus Miræus,[c] aliique tam ex antiquis,quam ex recentioribus. Quin Petrus Calzolarius[d] sub eius titulo, Sanctorum Canoni ab Ecclesia adscriptum tradit. Verùm quod addit Henriquez in Menologio[e], hunc fuisse Grandi-syluæ Conuersum de quo scribitur, quod cùm nil aliud, præter hæc duo verba, *Aue Maria*, potuisset discere; tanto ea iugiter feruore pronunciabat, vt quasi in signum diuinæ acceptationis, ex ore iam defuncti, & tumulati, lilium prodierit eadem verba præseferens scripta literis aureis,quod superiùs tetigimus nequaquam verosimile apparet. Quippè ille Conuersus, Guillelmus Monachus; ille, qui dicitur obiisse in Grandi-sylua; hic qui in Hispania.creditur.Sed nec de Principe viro credendum est, adeo à parentibus barbarè educatum, vt communissimam saltem orationem, neque ante Religionem discere cœperit, neque post Religionem consummauerit; demùm neque qui scripsit primo sæculo, Thomas Cantipratanus,tanti Principis,aut ignorasset nomen,aut tacuisset,cùm eamdem historiam propalaret. Hæc de Guillelmo occasione translationis.Nunc ad domum translatam, reuertamur.

a *In suo Catholog.* b *De laudibus vita solitaria.* c *lib. 5. Orig. c. 15.* d *Giornata 2.* e *Aprilis 9.*

4. Medium Ecclesiæ Mausolæa Regia occupant; Petri Iacobique, vtriusque secundi, quorum prior dextrum latus, modesto tumulo: hic cum vxore Blanca,sinistrum tenet. Proximus illis Ferdinandus Infans, Iacobi primi filius; atque è regione, Regina Margarita,Martini coniux. Ratum profectò, & forte sine exemplo,quod fundationem priuatorum hominum eligant sibi Reges in sepulturam. Moncadarum exinde sequuntur tumuli, tumulis Regum per omnia ferè æquales; Raymundi, Guillelmique non fundatorum: sed aliorum, vt ferunt, Martyrum,miraculo manifesto comprobatorum; quos in Maioricensi expugnatione, viriliter,glorioséque obiisse circa annum M.CC.XXIX. nos etiam tomo quarto, infrà dicemus. Visitur & eiusdem familiæ sepulchrum aliud extra Ecclesiam in claustro, & separatim,Guillelmæ de Moncada Virginis insignis, quam insidentem equo,armatámque, sed muliebri velo amictum caput, superposita effigies repræsentat. Hæc Mausolæa familiæ fundatricis,nam fundatorum nullum omnino vidi,quamuis cuncta lustrarim, cùm illic essem. Reliqua occupant Primores totius Regni, de Pinos, Cerbellonum, Cheraltarum, & aliorum similium, paucis exceptis, vt vix illustris hodie censeatur; qui non ibidem maiores suos agnoscat, designétque; atque hæc sola sufficiat claritudo.

Floruere prætereà Sanctæ Cruces viris Sanctissimis, inter quos tres præcipuè S. Guillelmus Mompessulaneus,de quo hactenus dictum: S.Bernardus Episcopus Vicensis,de quo inferiùs,& S.ille (periit, heu! nomen) animarum Purgatorij perennis Capellanus,ministérque,cui pro eis in Cœmeterio manus è terra egressa, benedixit: quod cum semel, & iterum fecisset, extrahi se ab ipso tandem passa est, brachio suo vnita; quod, siue viri Sancti ibi sepulti,siue à Deo formatum de nouo fuerit; ob memoriam miraculi, integrum hodie cum carne, cutéque, atque omnino illæsum perseuerat. Nisi quòd tamen pars abscissa digiti, maiorem adhuc reuerentiam incutit. Quippe cum à Ducissa Nagerensi, ad cuius preces detracta, asportaretur; ingenti statim febre correpta dicitur, à qua non priùs meruit liberari, quàm frustum restitueret, cum sua manu, & brachio reponendum. Extat authenticum instrumentum huius euentus, seu miraculum mauis nominare, quod ego legi cum ante annos quatuor, & triginta plus, minúsve, insigne aliud Sanctuarium visitarem. Seruantur in sacrario eiusdem domus duæ insignes reliquiæ (sic vulgò vocant) inter innumeras alias, quibus ditatur: miraculosa vtraque. Altera, lingua B.Mariæ Magdalenæ, quæ recens hodie, ac si nunc à viuente extracta fuisset: Altera ex sacro ligno Crucis Dominicæ, formata minor Crux, quæ plura hactenus miracula patrauit. 5.

Memoratur Monasterium Sanctarum Crucium in literis Honorij Papæ III. Abbati, & Priori eius causa commissa, Viterbij III. Idus Decembris Pontificatus anno IV. circa quod tempus, vt suo loco dicam,duas illustres filias procreauit, alteram in Valencia,in Sicilia alteramquarum priorem Vallemdignam dici voluit: Alteram S. Mariam de Alto-fonte,siue, de Parco;vtramque à nobis infrà memorandam. Tertiam prolem militiam professuram in Castro de Montesa, atque ex eodem Castro nominandam,etsi non genuit, saltem adoptauit: eodem iure in eam sibi concesso,quod Morimundum habuisse in Calatraua, tomo sequenti in principio declarabimus. Regitur hodiéque sacer Conuentus militiæ de Monacho nominando ab Abbate Sanctarum Crucium: Sed de his latè,cùm de institutione eius Militiæ. Demum illustres reddunt Sanctas Cruces insignia, quibus gaudent, priuilegia, Abbatis in Comitiis Regni suffragium, ac Regimen sortiendum inter Pontifices, 6.

fices, quibus, non minus ipse, quàm Abbas Populeti annumeratur: subiecti Populi, atque id genus alia, ex quibus multa inserenda propriis locis; reliqua tetigisse satis, pro more nostro.

7. Hoc ipso anno Monasterium Monialium in loco de Tulebras, fundatum lego: datumque à Sanctio Nauarræ sacris Virginibus, atque de charitate cognominatum, Priuilegio expedito sub hoc initio. *Ego Sanctius, per Dei gratiam Pampilonensium Rex, facio hanc chartam donationis, ac textum scriptura in perpetuum valiturum, Deo, & Monasterio S. Maria Charitatis, quod antea vocabatur, Tulebras, & vobis Dominabus Sanctimonialibus ibi nuper seruientibus Deo, tam præsentibus, quam futuris de toto illo Regalismo de Tulebras, vt habeatis illum, & possideatis vos, & omnes successores vestra, tam præsentes, quàm futura deinceps iure hæreditario in perpetuum; & faciatis inde quicquid volueritis liberè, ac quietè, &c.* Pergit & quædam alia illis concedere, ac tandem concludit. *Facta charta in Mense Septembri in Villa Tutela sub Æra M.C. XCV.* Non satis constat ex verbis instrumenti, an ab initio Moniales Tulebrenses, siue de charitate, Cisterciense institutum professæ fuerint; sed cum non alio susceptum anno constet, in hunc, de quo constat, censui referendum. Celebre fuit Monasterium Tulebrense fœcunditate, multis filiabus genitis, quæ per totam Castellam, Legionemque Cisterciense institutum propagauere. In his Gradefes, Casias, Peralesque, & aliæ suo loco referendæ. Sed inter omnes, in caput omnium natum Monasterium Huelguense propè Burgos, quod per Moniales Tulebrenses inhabitari cœptum, non multò post à matre emancipatum omnes sorores suas adoptauit. Sed de his latiùs agemus, cùm tempus venerit. Memoratur Monasterium de Tulebras in cap. 1. *de his, quæ vi, metusve causa fiunt:* nisi quod ibidem Culebris, vel de Colobris per librariorum inscitiam nominatur.

8. Monachorum quatuor Cœnobia fundata Chronologia recenset sequenti ordine.

Anno M. C. LVII. III. Kalendas Iunij, fundata est Abbatia Belli-montis.

Eodem anno Pridie Idus Februarij, Abbatia de Vilillhusen.

Eodem anno, Abbatia Speciosa Vallis.

Eodem anno, Abbatia de Parigniaco. Hæc tantùm ibi: & quidem Bellummontem; Hispaniæ domum in Asturibus sitam, quæ hoc anno surrexit (quamuis post plures accepit Cistercij iugum) non difficilè crederem, nisi anno M.CC.VI. adnotatam viderem in Chronologia. Vnde alius Bellus-mons quærendus nobis, quem in præsenti Chronologia signat; neque inueniendus facilè: nisi quod tamen lego Bellum-montem Tripolitanæ Diœcesis in Syria, filiam Morimundi, quæ in eius Tabulis Bellus-fons vltra mare nominatur. Ingens profectò Zelus Guicardi Patris, nam audaciam non dicam, si primus omnium filios illuc transmisit, quod respuisset Bernardus, Cistercium in Oriente propagaturos. Et perdurauit illic Monasterium per multos annos: quippè ad Abbatem Belli-montis, Ordinis Cisterciensis, Tripolitanæ Diœcesis, multis, grauibúsque causis commissis, tum priuilegiis aliquibus indultis, scripsisse video Gregorium Papam IX. Pontificatus ipsius anno XII. qui incidit in Christi. M. CC. XXXVIII. Innocentium IV. anno VIII. qui incidit in M.CC.L. Vrbanum quoque IV. anno III. qui incidit in M.CC.LXIV. atque alios Pontifices adhuc recentiores.

Eandem Morimundi lineam augent Vilillhusen, siue Vildehusen, & Speciosa vallis: illa, filia Ebraci, Herbipolensis Diœcesis, de qua nihil aliud inuenio apud authores: at speciosam vallem in Ostrofrancis, propè Melcxmul, Cœnobium potentissimum, inter filias Mulbruni video à Gaspare Bruschio [f] commemorari, consentientibus Tabulis, quæ tamen prætermittunt Episcopatum. Eadem Parigniacum sibi vendicant in Diœcesi Agenensi, filiam Boni-fontis, cuius meminit Claudius Robertus in sua Gallia [g]. Ergo quas solas hoc anno Cistercium protulit quatuor Abbatiæ Monachorum, omnes ex Morimundo habent originem. Quintam in Lusitania natam lego, apud Bernardum Britum, Manzonariam, filiam Alcobatiæ: sed quæ inferiùs notata in Chronologia, nec resistente eodemmet authore, tomo sequenti veniet recensenda. 9.

f *In Chronol. Monast. German.*
g *In Cathal. Monast. Cisterc.*

IESV CHRISTI ANN. 1158. — CISTERCII ANN. 61.

1. *Alphonsi Imperatoris Hispania mors.* 2. *Atque institutio militia Calatraua.* 3. *Sarracenorum in Castella Regnum irruptio:* 4. *Cui se Sanctus Raimundus Abbas opponit.* 5. *Donatio Regis Sanctij,* 6. *& confirmatio Alphonsi eiusdem filij,* 7. *Conuersos ad Militiam Raimundus suscipit.* 8. *Ratio temporis.* 9. *Et militia Calatraua SS. Iuliani, Iacobique Militiis collata,* 10. *prior vtrâque.* 11. *Apostrophe ad eamdem militiam inclytam.*

CAPVT I.

1. CENTESIMI quinquagesimi octaui anni, supra millesimum, qui fuit Cistercio primus & sexagesimus, funestauit, vt diximus, initium (qui contigerat ad finem præcedentis) inuictissimi Hispaniarum Imperatoris tristis obitus; quem post Baeciam captam à Sarracenis, redeuntem Toletum, primùm morbus, deinde mors excepit; adeò breuis, vt in medio itinere (*Muradal* loco nomen) correptus febri, sub ilice frōdosa recubuerit, impetium pariter, ac vitam depositurus. Et magno Principi, cui dum vixit, Hispania parum; ad deuiuendum pro lecto, nuda humus; pro tecto, arbor; pro Regia, incultum nemus sufficiens fuit. Ingenti famè dolore omnium bonorum, sed nostrorum præcipuè; queis summè deditus, *Bernardo in primis* (vt ait Mariana *) *quo authore plurima Cisterciensis familia Monasteria extruenda curauerat; ac fermè, quæ, hoc tempore, toto illo Hispania tractu magnificentissima, locupletissimáque extant.* Fundauerat Alphonsus, cùm decessit, Cisterciensis familiæ Cœnobia

nobia plura, de quibus dictum à nobis in superioribus. Moretolam, Vallem paradysi, Sacra mœnia, Montem-salutis, Vrsariam, & Melonem. Quin etiam Superadum in primo tomo in hoc Hortam, Riuum-siccum, Vallem-bonam, Sanctum Iustum Mattamplanam, Montem-Rami, & alia de quibus infrà. Totidem hodie Reges, vix sufficerent tot Ecclesiis struendis, dotandisque, cùm imperant à mari vsque ad mare; & ab ortu ad Occasum dominantur. Tunc sola Hispania, atque ea nondum purgata à Sarracena fæce, vel vni è pluribus, & bellis semper intento; vires, & sumptus ad hæc omnia (nec ea sola erexit) suppeditabat.

2. Cæterùm, quem ex sui desiderio, intulit orbi tanti Principis mors; ex euentu, mœrorem temperauit; noua nouæ militiæ institutione, non solùm sub Cistercio, sed per Cistercium, & quod magis mireris, in Monachismo. Vt verè de ea Toletanus [b] Pontifex dixerit. *Cœperunt contra Arabes cædes, & prælia exercere: & prosperatum fuit opus in manibus Monachorum.* Et item alibi. [c]. *Qui laudabant in Psalmis, accincti sunt ense: & qui gemebant orantes, ad defensionem patriæ.* Igitur noua, atque inaudita hactenus institutio militiæ in Monachatu, à morte Alphonsi orta, desiderium ipsius temperauit. Extincto siquidem Principe inuictissimo, atque inter filios eius Ferdinandum, & Sanctium, diuiso Regno; dum ex vtroque Mauri insolentes desolationem Imperij machinantur; Inclyta Calatrauæ militia surgit, æternos triumphos de eis reportatura. Huic Raimundus Fiteriensis Abbas author, cuius suprà meminimus, Consultor Didacus Velasquius, olim miles, tunc Monachus; promotor Ioannes Toletanus Præsul, loci demùm donator Rex Sanctius fuit. Cæterùm qualiter, & quo ordine res tanta ad effectum perducta, florentium in Hispania militiarum, & quæ antecesserunt, & quæ sequutæ sunt, religiosa initia consecrauerit; ex Roderico Ximenio Toletano, Sincrono pene authore (etsi non Raimundum, ac socium eius Didacum Velasquium assequuto) dein ex antiquis aliis instrumentis, cunctis ex fide, breuiter pandamus.

b lib. 7. c. 24.

c ibid. c. 27.

3. Et quidem de prima occasione totius facti, cùm sepulturam Alfonsi Imperatoris, atque reconciliatos Regni proceres Ferdinando, per Sanctium retulisset; Hæc Rodericus, [d] qui latiùs rem gestam narrat; *Quibus peractis, Rex Sanctius venit Toletum, & rumor increbruit, quòd Arabes veniebant cum magno exercitu Calatrauam. Fratres autem militiæ Templi, qui arcem Calatrauæ tenebant, timentes; quòd non possent Arabum violentiæ obuiare, ad Regem Sanctium accesserunt; supplicantes; vt & arcem, & villam Calatrauæ reciperet; quia non erat eis facultas Arabibus resistendi. Nec inuentus fuit aliquis de Potentioribus, qui vellet defensionis periculum expectare.* Ecce discrimen totius Christiani nominis; cedentibus Templariis, qui in Hispania; & quod mireris, victis ante congressum: Regni proceribus detrectantibus periculum, & Rege Sanctio tunc recens potito Regno, adeoque nondum firmo; & properante ad alia, quibus ab eius arcis (totius Castellæ Clauis) præsidio, & propugnatione retardabatur. In antiquo exemplari Fiteriensi cuius ego transumptum apud me habeo, extatque aliud per omnia illi concordans insignis Collegij S. Bartholomæi Salmanticensis, clarius adhuc, quibusdam verbis additis. *Et licèt Rex hæc ostenderet Magnatibus, & Baronibus, non fuit aliquis inuentus de potentibus, qui vellet defensionis periculum expectare.* [e] Nempè infirma mundi Deus elegerat, vt confunderet fortia; & per imbelles Monachorum copias, saluos faceret, etiam tunc in Hispania, credentes populos. Nam audi, quod sequitur.

d lib. 7. c. 14.

e 1. Cor. 1.

Erat tunc temporis in vrbe Regia, (scilicet Toleto) *Raimundus, homo eximiæ religionis*, (sic enim habet exemplar Fiteriense) *Abbas Fiterij: & cum eo Monachus quidam, qui Didacus Velasquius dicebatur; homo nobilis, & quondam strenuus in officio militari; & de Burona partibus oriundus; & à sua iuuentute cum Rege Sanctio enutritus.* Hactenus de Abbate, simul & socio; qui qua occasione venerint Toletum, in dubio est. Certè Alphonsus, Imperatoris nepos, huius, qui nunc regnabat, Sanctij filius parentem suum, fundatorem Fiterij vocat: & Sanctium ipsum donasse Raimũdo Castrũ de Turrungen, cum recens rerum, & sceptri potitus esset, sub anni præcedentis finem commemorauimus. Vt nihil mirum, si ex finibus Nauarræ Toletum venerint, negotia domus cum Rege, cum Patrono, cum suo benefactore tractaturi. Quæcumque fuerint, à Deo præordinata ad tantum finem consequendum credenda est. Nam *Didacus, Raimundi Abbatis socius* (pergit Archiepiscopus) *videns Regem solicitum pro discrimine Calatrauæ, suasit Abbati, vt à Rege peteret Calatrauam. Et licèt Abbas se à principio retraxisset, demum consensit Monacho, olim militi, supplicanti; & accedens ad Regem, petiit Calatrauam. Et licèt aliqui fatuum reputarent; tamen, sicut Domino placuit, Rex consensit. Et Abbas cum Monacho incontinenti venerunt ad Primatem Ioannem, qui tunc præerat Ecclesiæ Toletanæ: Qui audiens sanctum propositum, gratias egit Deo; & statim rerum suarum dedit auxilium; & fecit publicè prædicari, vt omnes euntes in auxilium Calatrauæ omnium peccatorum veniam mererentur. Et facta est tanta commotio in ciuitate, vt vix esset, qui aut in propria persona non iret, aut equos, aut arma, aut pecunias ad subsidium non largiretur. Et Rex Sanctius incontinenti dedit Abbati, & Sanctæ Mariæ de Fiterio, in possessionem perpetuam, villam, & præsidium Calatrauæ.* Hactenus Rodericus Ximenius de propagatione Calatrauæ, per Monachos suscepta, cùm à Principibus, cùm ab ipso Rege, cùm à militibus Templi desereretur. Sic paucos ante menses acceptum Castrum Turungenense Raimundus rependit; nutu Dei, quis id dubitet? totius Regni (nam totum inde pendebat) viriliter suscepta defensione. 4.

Porrò exemplar Regiæ donationis Raimundo factæ, quæ hodie Fiterij conseruatur, scripta in pelle, sigillo plumbeo pendente, sericeis funibus, necnon similis alia Calatrauæ, ex qua Rades, & alij transcripsere, hæc pauca quidem, sed grauia verba continet. 5.

IN nomine Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, quæ à cunctis fidelibus in vnitate colitur, & adoratur.

Quoniam Regia clementia dignitatis ad hoc debet solicitè semper intendere, vt omnipotenti Deo, in cuius manu corda Regum esse dignoscuntur, valeat sine intermissione placere; & ei studeat pia intentione seruire, sine quo nec Regnum potest obtinere terrenum, neque acquirere sempiternum. Ea propter Ego Rex Sanctius Dei gratia Domini Aldephonsi bonæ memoriæ illustris Hispaniarum Imperatoris filius, diuino munere inspirante, facio chartam donationis, & textum Scripturæ, in perpetuum valiturum, Deo, & B. Mariæ, & sanctæ Congregationi Cisterciensi, & vobis Domino

Domino Raymundo Abbati Ecclesia sancta Maria de Fiterio,& omnibus fratribus vestris,tam præsentibus,quàm futuris,de Villa, qua vocitatur de Calatraua; vt habeatis, & possideatis eam mancipatam,liberam,ac quietam, iure hereditario, deinceps in perpetuum: & defendatis eam,à Paganis, inimicis Crucis Christi,suo,ac nostro adiutorio. Ita,inquam, do vobis eam,& concedo, cum suis terminis, montibus, terris, aquis,pratis,ac pascuis,ac regressibus,& cum omnibus directuris eidem villa pertinentibus, vt habeatis, & possideatis eam pro hereditate,vt diximus,vos,& omnes posteri vestri, quicumque vestri Ordinis fuerint, & ibi Deo seruire voluerint deinceps in perpetuum. Et hoc facio vobis amore Dei,& pro salute anima mea, & parentum meorum: & vt Deus per vos honoretur, Christiana Religio dilatetur, & vt Regnum nostrum augmentum sui, & protectionem (vestro, omnipotenti Deo gratissimo famulatu) recipiat. Si quis hoc meum factum, diuino munere inchoatum, & donationem, ausu temerario infringere voluerit sit maledictus, & excommunicatus,& cum Iuda proditore Domini, in inferno damnatus; & hoc meum factum semper maneat firmum. Facta charta in Almacam, sub Æra M.C.XCVI. mense Ianuario anno quo Dominus Aldephonsus famosissimus Hispaniarum Imperator obiit. Rege Sanctio de Nauarra existente vasallo domni Regis. Ego Rex Sanctius hanc chartam, quam fieri iussi,meo proprio robore confirmo.

Rex Sanctius de Nauarra. Confir.
Comes Almanricus. Confir.
Comes Lupus Alferiz Regis. Confir.
Comes Vela de Nauarra. Confir.
Gutierre Fernandez potestas in Castella. Confir.
Gumez Gonzaluez maior domus Regis. Confir.
Sanctius Didaci. Confir.
Petrus Exemenez tenens Logronium. Confir.
Fortun Lopez de Soria. Confir.
Gonçaluus Roderiquez. Confir.
Gonzaluus de Marañon. Confir.



Ioannes Toletanus Archiepiscopus Hispaniarum Primas. Confir.
Raimundus Palentinus Episcopus. Confir.
Petrus Burgens. Episcopus. Confir.
Cerebrunus Seguntinus Episcopus. Confir.
Ioannes Oxomensis Episcopus. Confir
Rodericus Chalagurriensis Episcopus. Confir.

6. Hactenus priuilegium Sanctij Regis;quod ipso, ante integrum annum, per mortem rapto, filius eius Alphonsus confirmauit: Non quidem statim: quippè penè posthumus; certè triennis à patre relictus fuit: sed cum primum suscepit Regni habenas,tali in ipso parentis priuilegio,quod Fiterij asseruatur subscriptione.

Martinus Pelaiz Domini Regis Notarius, Bernardo Palentino Archidiacono existente Cancellario, scripsit. Ego Aldephonsus Dei gratia Rex hoc factum Patris mei Regis Sancty roboro,& confirmo. Et defendo,atque contestor,vt nullus Abbas, nec alius homo,hoc meum factum in aliquo irrumpere præsumat. Quod si aliquis fecerit, amorem meum proculdubio perdet, Ita quod Pater dubio adhuc euentu forti, seu melius Deo, ante permiserat; filius probatum fœlici experimento;& ratum habuit, & firmum esse voluit. Verum quod dicitur in eadem confirmatione. *Vt nullus Abbas,nec alius homo hoc meum factum in aliquo irrumpere præsumat.* Ex verbis M.S. Fiteriensis intelligendum, venit, quæ mox adducam.

7. Raimundus, *Accepta donatione*, (ait Toletanus Præsul [f]) *cum Didaco Velasquio Monacho venit, duce Domino, Calatrauam; & sic est factum, dispositione Altissimi ordinante,quod Agarenorum exercitus, de quo rumor increuerat, non aduenit. Et tunc multi, quos deuotio incitauit, temperato habitu, vt militaris agilitas exposcebat,eorum ordinem receperunt; & incontinenti cœperunt contra Arabes cædes, & prælia exercere, & Domino adiuuante prosperatum fuit opus in manibus Monachorum.* Hæc institutio militiæ Calatrauæ illustrior,quò rarior:atque eò Cistercio gloriosior: nempè susceptis ad militiam conuersis laicis,non secus,ac ad grangias, sed sub Abbate,atque per eum,& Monachos regendis, non solùm in Conuentu,sed & in bello.

f lib.7 c.14.

8. Cæterùm quod ad rationem temporis attinet, quæ nobis semper ante oculos habenda, ex data donationis facile constat,incidisse in initium præsentis anni,seu præcedentis finem, quippe signata charta priuilegij non in Regia tunc vrbe Tolerana, sed in Almazan; idque mense Ianuario Æra M.C. XCVI. quæ incidit in annum M.C.LVIII. quem nunc incipimus. Dico autem potuisse concedi sub præcedentis finem, quia Imperatorem obiisse constat mense Augusto, anno ante Sanctij mortem, qui pridie Kalendas Septembris, hoc ipso obiit. Vt satis liqueat quatuor illis mensibus contingere potuisse,quæ memorauimus: & donationem Toleti prius factam mense Decembri; vt locum alium signando priuilegio, quod negari non potest, sic & mensem sequentem expectasse. Quæ omnia satis probant, quæ supra diximus de præscripto instituto Cisterciensi militibus Sancti Iuliani del Pereyro,ab Episcopo Ordonio; ad militum Calatrauensium imitationem; numquam alias,ad regulas Monasticas cõpositurо milites, ni militantes Monachos vidisset, quibus si vellent, possent conformari. Nam quòd Calatraua Raimundo,non vtcumque, sed defendenda à Paganis, atque hoc ostio illis præcludendo ad Christianos Castellæ,tradita sit, non solum probat occasio donationis,sed etiam verba. *Vt defendatis eam à Paganis inimicis Crucis Christi, suo ac nostro adiutorio.*

Ergo cum milites Sanct-Iulianæi instituta Cistercij susceperunt sub Ferdinando Rege, Sanctij fratre, iam Calatraua Cistercio custodienda,atque armis tractanda, commissa erat. Quippe hæc militia Imperatoris mortem immediatè sequuta, illa non priùs suscepit Cistercij leges,quam Ferdinandus patri successisset. Quare non casu, aut temerè easdem, sed ad imitationem Calatrauensium, amplexa est; expertà haud imparem cucullam hastæ, & gladio, ac tractandæ militiæ: neque abs re fore 9.

putans

putans si vtrobique in Castella nimirum, Legionéque nouum viuendi genus, quod optabant, sub legibus eisdem profiterentur.

10. Atque hinc obiter pro Calatraua colligo ex Religionibus militiæ sacræ deditis, quibus floret Hispania, non aliam antiquiorem inueniri, quippè talis à primo sui exordio, ad cuius normam aliæ surrexere. Nam ceteræ, aut sub ipsa militarunt Christus, Auis, Montesia, aut militare ab ipsa didicerunt: Sanct-Iulianæa, eisdem susceptis legibus, cum sub nullis vixisset duobus annis: Diui Iacobi anterior congregatio, sed non Religio, & Congregatio adeò deprauata (verba prologi [g] ad ipsius regulam sumo) vt ex atrocitate flagitiorum magis, quàm ex fidelium propugnatione designaretur. Itaque ante Ferdinandi Regis tempora (nam in Regno Legionis initium sumpsit) militum potius indulgentium mundanæ gloriæ, & terrenis affectibus, quàm infestantium inimicos Crucis Christi Conuentus fuit. At postquam Calatrauæ nouos milites, atque Sancti Iuliani Cisterciensium viderunt adscriptos regulæ, sanctum eorum zelum æmulati Canonicos regulares elegerunt, quibus se sociarent, & quorum instituta profiterentur. Eius rei manifestum indicium est, quod Calatraua, Pereiróque, illa per Cistercienses Monachos cœpta, hæc Cistercio vnita sub Rege Sanctio, quem hoc anno obiisse omnes conueniunt; Iacobæi milites nequaquam ante sequentem accessere Canonicis; postquam, eodem Sanctio Rege mortuo, Alphonsus filius impar adhuc sceptris (quippè triennis) auunculi insidias, Regnum Castellæ inuasiones, patiebantur. Hoc tempus Rades [h] in Chronico huius Ordinis, hoc prologus ad eiusdem militiæ regulam, hoc denique assignare reperio, quotquot de ipsa.

[g] *Apud Rades cap. 1.*

[h] *In explicatione Prolog. apud eundē.*

11. Nec pro inclyta militia, & pro sacro Conuentu Calatrauæ, in cuius nos prioratum quondam acciti nihil mirum, si pro ipsis militemus: quippe qui facilè ab ea dignitate abstinere potuimus, non ab affectu. Nec miramur desuetos pati iugum obedientiæ Monasticæ ab annis fermè sex supra triginta (tot transierunt à morte Prioris vltimi) declinare ceruicem, neque acquiescere suscipiendo Priori Monacho, quem tamen supra quadringentos annos habuerint. Illud mirandum insignem Religionem, sub qua tot Clerici, tot illustres Principes laici, tot equites emisere solemnia vota; tanto tempore orbatam pastore proprio: & nondum sibi de illo prouidere. Tollatur Monachus, vt alius substituatur; at non, vt nullus. Sed hæc iam ad historiam minus faciunt, aut, si quæ fecerint, inferius dicenda erunt.

---

1. Raimundus rei militaris peritia velut infusa, 2. Fiterium ad Calatrauam transfert. 3. Roderici Toletani varia lectio. 4. Qui de Fiterio Nauarrensi dubitent? 5. Et pro ipso rationes non contemnendæ. 6. Improbata ab aliquibus translatio. 7. Quæ obseruantia militum? 8. Quis habitus? & ostensum non solùm scapulare. 9. Approbata translatio per Capitulum. Atque admissa militia per Lambertum. 10. Sed in Fiterio Abbatia restituta. 11. Approbatáque ab Alfonso, Sanctij filio.

CAPVT II.

1. IAM Raimundus, Velasquio præceptore, siue, quod malim, cœlitus edoctus, ducere agmen, ordinare acies, resistere hosti, & nunc fugientem insequi, nunc fugere, sed repentè in sequentem irruiturus, militari peritia festinabat. Nec solos, à se ad Ordinem admissos, accipiebat sub signis, sed sæculares. Quippe vt in Grangiis, cura penes domesticos, labor ad mercenarios etiam extendebatur, sic & in bello censuit efficiendum, nec timebat expensis his grauari; continuis inuasionibus in Arabes, satis easdem, supérque compensaturus. Sic Calatraua non defensiuam tantùm, sed offensiuam exercebat militiam: & pro militibus succedentes Monachi, quos illi fugerant hostes, hi fugabant.

Ex Charta charitatis.

2. Sed Sanctus Abbas, cùm prosperè omnia cedere, atque inde beneplacitum conspiceret voluntatis diuinæ, quæ viros in hoc opus segregasset; & aliàs filios suos arctè diligeret, quos paulò ante Fiterij reliquisset; translationem Conuentus cogitauit; Prioratu, seu grangia ibi relicta, cum paucis, qui rei rusticæ, & ministerio domus prouiderent. Quin & militiam inde roborandam adductis copiis, per quos belli negotia promouerentur. Meminit huius translationis, & conductionis Rodericus Ximenius, & quidem verbis, quæ non hominum opus, sed Dei fuisse, satis claris indiciis manifestant. *Tunc* (ait) *Abbas reuersus ad Monasterium, armenta, & greges, & cætera mobilia, quibus tunc temporis Fiterium abundabat, nec non & multitudinem bellatorum, quibus stipendia, & viatica ministrauit, duxit secum veniens Calatrauam; exceptis debilibus, & ægrotis, quos ad ministerium Monastery dereliquit. Et, vt audiui ab his, qui viderant, ferè viginti millia hominum secum duxit. Et hic fuit in Fiterio primus Abbas.* Hæc Toletanus Præsul haud dubiè notans diuinam manum negotio interuenientem, quæ tot hominum millia pauperi Monacho, & mouisse, & post se traxisse, dedit, quot vix hodie Monarcha potentissimus congregare valeret, & sustentare.

3. Verum est tamen (nam id etiam fatebor) in M.S. exemplari Fiteriensi viginti millia non hominum, sed ouium scriptum esse; quod & creditu, & factu longè facilius; & fortè inde impressa corrigenda. Proferam verba, quia ex eis etiam colligitur, manifesta solutio alterius dubij, quod recentiores plures malè torquet. Cuius Fiterij Abbas Raymundus fuerit? Regni Nauarræ, an alterius ad Pisoricam? Fiteriensis exemplaris verba hæc sunt. *Vt audiui* (ait) *ab his, qui viderunt, ferè viginti millia ouium secum asportauit*, (scilicet Raymundus.) *Et, vt dicitur, iste fuit Primus Abbas Fiterij, postquàm se Monachi transtulerunt de Castellione.* Consonant planè verba antecedentibus, quæ armenta, & greges, & mobilia à Fiterio abducta perhibent, quibus tunc temporis Monasterium abundabat. Nec multum erit, si ad opima pascua redux prudens minister, cætera bona in greges commutauerit. Mihi vtramque lectionem designasse

designasse satis supérque ; mirabiliorem illam, hanc faciliorem.

4. Cæterùm dixi ex his verbis etiam colligi resolutionem dubij, quæ authores omnes Hispanos penè diuisit ; asserentibus multis & quidem grauibus, Fiterium, cuius Abbas Raymundus fuit, & cui arcem Calatrauæ donatam legimus, nequaquam in Nauarra propè Alamam, sed in Castella, ad Pisoricam fluuium : adeóque aliud ab eo quod suprà diximus. Ita Garibayus Hispanicæ historiæ lib. 12. cap. 12. ad annum M. C. L V I I. Hieronymus Roman. tom. 1 lib. 7. cap. 8. ad annum Christi. M. C. L V I I I. &, quod magis miramur, Mariana lib. 11. cap. 6. anno M. C. L V I I. & quidem efficaci fundamento, si, tamen vero. *Duo* (inquit) *Cistercienses Monachi, quos res alia in Curiam reuocarant, Toleti eo tempore moram trahebant, Raymundus Fiterij ad Pisoricam Abbas (errant, qui hanc laudem ad Fiterij Cœnobium ablegant, quod in Vasconibus, non procul Tudela, situm est ; cum constet consequenti tempore fuisse extructum) atque Raymundi socius Diegus Velasquius.* Sic ille. Et quidem, si constaret, vt ipse ait, Nauarreum Fiterium donatione Calatrauæ posterius tempore ; argumentum conuinceret nullo prorsus effugio subuertendum sed longè antiquius supra ostensum est, instrumentis productis, quæ & Raymundum eiusdem domus Abbatem, ante annos quatuordecim demonstrent, cum nondum domus ex Nienzauas ad Fiterium translata esset. Et fundatio posterior quam ipse adstruit, restituti potiùs Monasterij, quod suo loco dicemus, dotatio fuit. Aliorum fundamenta faciliora ; illustrem arcem totius Castellæ clauem, & villam nobilem nequaquam extero Abbati credendam fore.

5. Nobis probabilius longè semper fuit, gloriam hanc Nauarreo Fiterio debitam, primo, quòd nullum aliud Cistercium nouit ad Pisoricam situm, quod ex Chronico Monasteriorum Ordinis, atque ex quinque eius Genesibus, seu lineis facile constat. Nec credendum à cunctis prætermissam domum, quam tanta gloria condecorasset. Secundò; quia video in Fiterio Nauarrensi extare originalem donationem, cuius authenticum instrumentum apud me habeo. Quin & confirmationem Alfonsi, Sancij filij ; quam nec ipsa quidem Calatraua hactenus nouit. Vnde neque in definitionibus vulgata, neque edita à Francisco Rades in sua Chronica. Terriò quia in Fiterio ad Pisoricam, (namque id loco nomen, *Fitero de Rio Pisuerga.* Vulgò dicunt) nulla vestigia, nulla antiqua traditio perseuerat, non solum Monasterij Cisterciensis, sed nec alicuius. Et quartò tandem ; quia nihil prorsus dicitur in historiis antiquis, quod non Fiterio Nauarrensi quadret ; maximè autem translatio ex Castellione, quæ in M.S. illo antiquo commemoratur. Namque Conuentum ex Scala Dei missum Yergæ primum : deinde in Castellione consedisse sub Abbate Durando ; demùm Fiterium translatum sub Raymundo, productis etiam instrumentis ostensum manet. Nec refert quo moueatur Garibayus Arcem Castellæ totius Regni clauem, nequaquam Nauarreo Abbati tradendam. Tum ; quia satis probabile, Fiterium intra Castellæ terminos tunc sitam, quod Ioannes Bricius [b], & alij notauere ; à quibus hodie etiam parum distat. Tum ; quia Rege Nauarræ, (vt dicitur in charta donationis) existente Vasallo Regis Castellæ, promiscua omnia. Sed neque arx Nauarreos fines contingens, sed totis illis limitibus opposita, & solis Sarracenis contermina, atque ab eis defendenda tradita est : nec facili inter plures electione ; sed desperatis rebus, nec inuento, qui auderet propugnare. Ergo ex Fiterio Nauarræ, translati Monachi, qui, vt hactenus in alteros, deinceps in vtrosque Christiani nominis hostes cierent bellum.

b Histor. 5. S. Ioann. de Rupe lib. 5. c. 21.

Hanc Monasterij Fiterij translationem, quia ipso inconsulto, Scalæ Dei Abbas ægrè tulit. Quin, & Monachos in milites conuersos, loricatam cucullam & galeatum capucium, variè vt in nouis; & à plerisque in deterius accipiebatur. Quemcumque seruum in talentis sibi creditis operari, laudabile ; si ad aliena pertranseat, periculosum. Quid Monacho cum hasta, clypeóque ? quid militi cum choro ? quid cum silentio ? tractent fabrilia fabri: nedum alter alterius opus misceat, neutrum exerceat : & dum alieno insistit, omittat proprium: nec illud callens, & istud obliuiscens. Constat imminuisse relationē mandandam à capitulo, ni Sanctij, & Ludouici Regum preces, ac debitum obsequium intercessissent. Sic enim in antiquo M. S. Fiteriensi exemplari scriptum lego. *Nulli dubium est, domum Fiterij esse filiam Scalæ Dei ; hæc autem domus Fiterij minus cautè se transtulit in Calatrauam, cum, inconsulto, & irrequisito patre suo, scilicet Abbate Scalæ Dei, se propria authoritate plenariè transtulerit sub Raymundo supradicto Abbate primo Fiterij, qui fuit Ciuis Sancti Gaudentij: quæ quidem translatio irrita haberetur secundum formam, & instituta Ordinis Cisterciensis, nisi prece dicti Regis Sanctij Castellæ; & Ludouici Regis Franciæ, & etiam Ducis Burgundiæ ab vniuersali Capitulo Cisterciensi confirmata fuisset.* Hactenus ibi ; vt palam sit relationem intentatam hoc ipso anno, pro qua Rex Sanctius, qui intra illum obiit, preces fudit. Atque hoc est, quod Alfonsus filius eius, cum confirmauit, censuit subiiciendum, *Vt nullus Abbas, nec alius homo, hoc meum factum irrumpere præsumat.* Quippe occurrens Abbatum Cistercij Zelo, qui translationem cassandam fore tentauerant. Porrò huius M. S. Fiteriensis, quó maior illi fides, transumptum aliud, postquam hæc scripsissem; ei per omnia concordans, reperi nuper in insigni Bibliotheca Sant-Bartholomęana huius Academiæ Salmanticensis (Collegium vetus inter quatuor maiora, quia cæteris antiquius vulgus appellat) in quo Calatrauensis initia Ordinis, progressusque, & varia eius statuta, atque id genus alia continentur. 6.

Dicendum superest de obseruantiis militum, deque habitu ipsorum, quem pro vsu militiæ temperatum, ex Roderico Toletano superius vidimus. Et de obseruantiis quidem nulli dubium, quandiu à prælio abstineant, easdem prorsus fuisse, quas Monachorum, ieiunia eadem, easdem vigilias, idem silentium, atque idem opus manuum quotidianum : quod idem Archiepiscopus confirmat. *Victus* (inquit) [c] *tenuis pastus eorum* (& loquitur de Militibus Calatrauæ, non solum quantitatem designans modicam, sed qualitatem alimento minus aptam ; pisa, & fabas,) *& asperitas lanæ, tegumentum eorum. Disciplina assidua probat eos, & cultus silentij comitatur eos ; frequens genuflexio humiliat eos, & nocturna vigilia macerat eos ; deuota oratio erudit illos, & continuus labor exercet eos. Alter alterius obseruat semitas, & frater fratrem ad disciplinam &c.* Quibus verbis ferè omnia cōprehendit, victum, vestitum, psalmodiam, contemplationem, opus manuum, silentium, vigiliásque, ac demum 7.

c lib. 7. c. 27.

mum mutuam quotidianorum defectuum proclamationem; vt nihil minus à Monachis efficerent, quandiu non in castris, qui militiæ, & bello deputabantur.

8. Hæc de obseruantiis planè indubitata. Et de habitu maior difficultas: quippe quem aliquatenus mutatum pro vsu belli, Rodericus affirmat. Rades, vt semper, auersus à Monachismo, scapulare solum illis tribuit, cum paruo caputio, quod capiti nequaquam adaptaretur. Probat ex verbis cuiusdam constitutionis post plures annos editæ, & confirmatæ ab Innocentio III. cuius hic tenor, *Scapulare pro habitu Religionis.* supple portabitis: Probare posset melius, faciliusque ex verbis Benedicti XIII. pseudopontificatus eius anno III. vbi præmissa narratione militum, quod scapularia cum quibusdam caputiis ab eisdem scapularibus indiuisis, super vestes apparentibus deferre consueuerant, & quod ex delatione caputiorum non satis discernebantur (ita ipsi dicebant) neque habebatur, saltem vt decebat, eorum plena notitia: ipsis concessit, vt dicta caputia, scapulari retento, possent reiicere, & loco eorum portare signum Crucis eiusdem qualitatis, & quantitatis, quas suis litteris censuit depingendas. Hæc fundamenta: sed longè recentiora, quam vt possint primis illis militibus aptari. Decurtata indumenta non est dubium, sed decurtata tantum, non abolita, atque id solum prouisum, ne impedirent. Moueor, quod dicti Roderici tempore, non scapulare tantùm, sed totum habitum, & olim accepisse, & tunc gestasse, manifestè traduntur in vtroque exemplari M. S. San-Bartholomæano nimirum, & Fiteriensi, quod non exiguam præsefert auctoritatem. *Tunc* (ait) *multi, quos deuotio incitauerat, temperato habitu, vt militaris agilitas exposcebat, eorum Ordinem intrauerunt, & talem habitum ipsorum habitui similem, sicut hodie habent, receperunt.* Moueor prætereà eiusdem sacræ militiæ constitutionibus, quibus vel post sæculares vestes admissas, prouisum video, vt saltem color, ac materia, & qualitas, quæ vestibus Monachorum insunt, in vestibus eorum conseruarentur, *Quelos vestidos de los Caualleros fuessen honestos; y que fuessen del color, y grossor, que los traian los Monges de Cistel.* Quin & hoc ipsum in litteris Innocentij III. eisdem mandari, notatum video in collectione diffinitionum Calatrauensium addita his, quas Guillelmus Morimundi Abbas, cum sacrum Conuentum, ac militiam visitauisset, promulgauit apud Almagrum die II. Aprilis anni. M. CCCC. LXVI. Cuius trassumptum ab eodem tempore scriptum in Codice illo San-Bartholomæano hodiéque legitur. Moueor denique testimonio illo desumpto, ex historia S. Iuliani *del Pereyro* vbi eius milites eumdem tulisse habitum feruntur, quem nostri Monachi. *El habito* (inquiunt) *dela Orden del Pereyro fue al principio, el mismo que traian los Monges de San-Bernardo.* Siue autem ad imitationem Calatrauæ suscepere Cistercium, seu prius ipsa: nec credam æmulatos plura, quàm viderint: nec genitos Cistercio Calatrauenses Cistercij habitum refugisse, quem aliunde aduenientes, non recusassent. Nec ex duabus militiis Cisterciensibus, minus præseferre Cistercium, quæ magis propria. Hic ergo habitus illis assignatus, quem multæ etiam antiquiores picturæ testificantur.

Porrò ex ratificata translatione à Raymundo facta, Conuentus ex Fiterio, ad Calatrauam, per Generale Capitulum Cisterciј præsentis anni, quod ex Regum Sanctij interuentu planè deduximus: liquidóque constat, ab eodem item Capitulo militare institutum sibi vnitum, acceptumque, vt sicut ad alia opera religiosi laici; sic etiam & ad bellum, contra inimicos Crucis, reciperentur. Quo nullum penitus esset ministerium, quod non Cistercium pro Ecclesia Dei subiret; in quo non ministraret Christiano Orbi. Quo demùm fieret, vt Sacrosanctæ Inquisitionis Officio, per ipsum cœpto, quod post annos quinquaginta adhuc videbimus; Fidem sibi susceperit tuendam; atque à loliis purgandam intus, & foris; nempe, ab hostibus, & à falsis fratribus: glorioso stemmate, & quod non facilè alij præseferant. Verùm, vt posterius ad Arnaldum, de quo infra. Sic primum ad Lamberti laudem spectat. Quod viro Sancto Cistercio præsidente, suscepta militia: Quod manum suam miserint ad fortia, etiam externa: quorum digiti in contemplationis sinu foti hactenus solùm nouissent tenere silentij fusum. Sed de progressibus, ac vicissitudinibus Militiæ Calatrauæ, multa inferiùs. Nunc ad alia huius anni transeamus. 9.

In antiqua membrana Fiteriensi, quam memoraui, antiqui Patres memoriæ prodidere, Abbatiam Fiterij non diu vacuam: sed cum primum à Sancto Raymundo dimissa est, ab Scalæ Dei Abbate restitutam, transmissis Monachis præfectoque Abbate, per quos iuxta fundatorum voluntatem, habitaretur. *Inter hæc* (ait) *Abbas Scalæ Dei destitutā Fiterij Abbatiam, & sine Abbate, de nouo constituit sibi, à predicto Raymundo, quondam eius Abbate, iam derelictam: constituendo ibi de nouo Abbatem, &c.* Et infrà. *Certum est, namque Abbatem Scalæ Dei, post translationem factam ab Abbate Raymundo in Calatrauam, Fiterium destitutum, secundò in Abbatiam constituisse.* Hactenus ibi, vt inde palam fiat, quam ob causam Calatraua Fiterio nunquam detulerit, tanquam filia matri, etiamsi constet, inde processisse; quia nimirum Fiterio primo translato, nulla proles suscepta: & à secundo, nihil prorsus accepere, qui se transtulerant. Sed neque Fiterij ratione translationis, Abbatum series deficere inuenitur: nempe conuentu conuentui succedente, neque acephalo. 10.

Porrò hanc domus Fiterij innouationem, restitutionémve approbasse videtur, post annos aliquot, Alfonsus Sanctij filius, ad quem hæreditario iure ea domus spectare videbatur, vtpotè ab Imperatore donato loco, à Sanctio siue dotata, siue condita, si non vtrumque simul, vt memorauimus. Certè verba Alfonsini priuilegij instaurationem sonant, siue restitutionem rei interruptæ. *Authenticum priuilegium illustris memoriæ genitoris mei* (ait) *Sanctij Regis, quod ipse olim de Castellione, quod nunc de Fiterio dicitur, condidit, præsentis pagina innouatione, & restituo, & confirmo, &c.* Sed de his satis. Nunc ad alia huius anni transeamus. 11.

1. *Adrianus, Fridericúsque Cisterciensibus, vsi.* 2. *Henricus, & Hyacinthus Cardinales ab Adriano Legati, quæ passi in itinere.* 3. *Qualiter Fridericum sint alloquuti.* 4. *Pontificis ad Imperatorem modesta littera.* 5. *Quæ nomen beneficij, ex quo orta dissensio, interpretantur,* 6. *& de impedita ad Romanam Curiam via queruntur.* 7. *Mitigata indignatio Imperatoris.* 8. *Cardinalis Baronij adnotatio.* 9. *Quid Otto Frisingensis in hoc negotio.* 10. *Retractata quæcumque priuilegia, exceptis Cisterciensium, & Templariorum.*

CAPVT III.

1. DVM hæc per nostros in Hispania peraguntur, in Italia Adrianus Romanus Præsul, in Germania Imperator Fridericus, non minùs vtebantur Cistercij filiis. Hic Frisigensi Ottone, quem patruum, quem virum Sanctum, quem fidum Consiliarium, nec à se diuidebat; & vel cum non parebat, venerabantur. Ille Cardinali Presbytero Henrico, quem simul cum Hyacintho Romanæ item Ecclesiæ Cardinali, Friderico placando destinauit. Cæterùm quantus ex vtriusque industria fructus, quamuis non permansurus per multum
a lib.1.c.17. tempus, ex Radeuico Sincrono [a] authore, & totius regni gnaro, describamus. *Interea Romanus Antistes* (Adrianus) *de aduentu Principis certior effectus, (nam legati eius, videlicet Rainaldus Cancellarius, & Otto Palatinus Comes, quorum supra meminimus, iam dudum Italiam intrauerant) in melius mutato consilio, ad leniendum eius animum nuntios mittit, Henricum videlicet Cardinalem Presbyterum, SS. Nerei, & Achillei; & Hyacinthum Cardinalem Diaconum sanctæ Mariæ in schola Græca, viros prudentes in secularibus, & ad Curialia negotia pertractanda, prioribus missis multò aptiores.* Hæc de missa ab Adriano legatione. At de gestis in ipsa per legatos, & de his, quæ in itinere perpessi, hæc, quæ sequuntur.

2. [b] *His diebus Henricus, & Hyacinthus, supradicti*
b lib.1.c.11. *Nuntij Adriani Papæ, Ferrariam venerant, auditóque, quod Legati Imperatoris Mutinam rediissent; non sperantes ipsos sibi occurrere, humilitatis formam præbentes: quod insolitum antea fuerat, ad eos pergunt; expositáque causa legationis, quod scilicet ea, quæ pacis essent, & honoris Imperij, in mandatis haberent; dimittuntur. Iam verò aduentum illorum, per omnes partes illas, vbi arcta montium transituri erant, fama nuntiauerat; multósque mortalium, rerum alienarum cupidos, id contra eos animauerat, quod penè neminem latebat, maiestatem Imperialem Romanis infensam existere; quódque vitio auiditatis quisque ardebat, ac si regiæ voluntati obsequeretur, temerarius intendebat; sperans in hoc casu latrocinium honestiori nomine posse palliari. A Ferraria itaque Veronam, à Verona per Vallem Tridentinam, iter agunt; habentes secum, gratia maioris securitatis, Venerabilem Episcopum Tridentinum Albertum. Sed præualuit auri sacra fames, quæ, quos arripuit, nihil vnquam honestum, nil moderatum sentire, vel appetere permittit. Nam Fridericus, & Henricus Comites, quorum in illis partibus non parum poterat violentia, tam Cardinales, quàm Episcopum captos, & spoliatos in vinculis ponunt, donec Romanus quidam datus in obsidem nobilis vir germanus Hyacinthi; Episcopum autem euidenter diuina potentia liberauit. Hanc tamen immanitatem Henricus nobilissimus Dux Baioariæ, & Saxoniæ, ob amorem S. R. E. & honorem Imperij non multò post probè vindicauit. Namque, & vadem eripuit, & Comites multis malis attritos, ad deditionem, & satisfactionem coëgit.*

Friderico igitur Imperatore (vt iam dictum est) Castra in campestribus Augustæ Ciuitatis, metato, ad suam eosdem legatos admittit præsentiam; eísque clementer receptis, causam aduentus exquirit. Illi reuerenter, ac demisso vultu, voce modesta, tale suæ legationis assumunt principium: Præsul sanctæ Romanæ Ecclesiæ, vestræ Excellentiæ deuotissimus in Christo Pater, salutat vos; venerabiles fratres nostri, Clerici autem vestri, vniuersi Cardinales tanquam Dominum, & Imperatorem vrbis, & orbis. Quanta dilectione S. R. E. amplitudinem, & honorem Imperij vestri amplectatur, quàm sine conscientia peccati vestram, satis in vita, sustinuerit indignationem: & scripta præsentia, & in ore nostro posita viua vocis officium declarauit. Post hæc verba, literas ferunt, quæ Venerabili Ottoni Frisingensi Episcopo, ad legendum simul, & interpretandum data sunt, viro vtique, qui singularem habebat dolorem de controuersia inter regnum, & Sacerdotium. Exemplar literarum hoc est. 3.

ADrianus Episcopus seruus seruorum Dei, &c. Ex quo vniuersalis Ecclesiæ curam, Deo, prout ipsi placuit, disponente, suscepimus, ita in cunctis negotiis magnificentiam tuam honorare curauimus, vt de die in diem animus tuus magis, ac magis in amore nostro, & veneratione sedis Apostolicæ debuisset accendi. Vnde sine grandi admiratione non ferimus, quod cum audito ex suggestione quorundam, animum tuum aliquantulum contra nos fuisse commotum, duos de melioribus, & maioribus fratribus nostris, Rolandum scilicet Cancellarium tituli S. Marci, & Bernardum tituli S. Clementis, presbyteros Cardinales, qui pro tua Maiestatis honore in Romana Ecclesia soliciti semper extiterant, pro voluntatis tuæ cognitione, ad tuam præsentiam destinauimus; aliter quàm Imperialem decuerit honorificentiam, sunt tractati. Occasione siquidem cuiusdam verbi, quod est, Beneficium, *tuus animus (sicut dicitur) est commotus; quod vtique nedum tanti viri, sed nec cuiuslibet minoris animum meritò commouisset.* 4.

Licet enim hoc nomen, quod est Beneficium, *apud quosdam in alia significatione, quàm ex impositione habeat, assumatur: tunc tamen in ea significatione accipiendum fuerat, quam nos ipsi posuimus, & quam ex institutione sua noscitur retinere. Hoc enim nomen ex bono, & facto est editum; & dicitur Beneficium, apud nos, non feudum; sed bonum factum. In qua significatione in vniuerso sacræ Scripturæ corpore inuenitur; vbi ex beneficio Dei, non tanquam ex feudo, sed velut ex benedictione, & bono facto ipsius gubernari dicimur, & nutriri. Et tua quidem magnificentia liquidò recognoscit, quod nos ita benè, & honorificè Imperialis dignitatis insigne tuo capiti imposui* 5.

impoſuimus, vt bonum factum valeat ab omnibus iudicari. Vnde quod quidam verbum hoc, & illud(ſcilicet contulimus tibi inſigne Imperialis coronæ) *à ſenſu ſuo viſi ſunt ad alium retorquere: non ex merito cauſæ, ſed de voluntate propria, & illorum ſuggeſtione, qui pacem regni, & Eccleſiæ nullatenus diligunt, hoc egerunt. Per hoc enim vocabulum(* contulimus *) nihil aliud intelleximus, niſi quod ſuperius dictum eſt*, impoſuimus.

6. *Sanè quod poſt modum perſonas Eccleſiaſticas à debita Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ viſitatione, vt dicitur, reuocare iuſſiſti: ſi ita eſt, quàm inconuenienter actum ſit; tua, fili in Chriſto chariſſimè, diſcretio(vt credimus) recognoſcit. Nam ſi aliquid apud nos amaritudinis habebas, per nuntios & litteras tuas nobis fuerat intimandum; & nos honori tuo curaſſemus, ſicut filij chariſſimi, prouidere. Nunc igitur quoniam ad commonitionem dilecti filij noſtri Henrici Baioariæ, & Saxoniæ Ducis, duos de fratribus noſtris, Henricum, tituli SS. Nerei, & Achillei, & Hyacinthum Sanctæ Mariæ in Coſmedin Diaconos Cardinales, prudentes ſiquidem, & honeſtos viros, ad tuam præſentiam deſtinauimus, Celſitudinem tuam monentes, & hortantes in Domino, quatenus eos honeſtè, & benignè recipias; & quod ab eis ex parte noſtra tua magnificentiæ fuerit intimatum, à ſinceritate cordis noſtri noueris tua excellentia proceſſiſſe. Ac per hoc cum eiſdem filiis noſtris, mediante iam dicto filio noſtro Duce, ita celſitudo tua ſtudeat conuenire, vt inter te, ac matrem tuam Sacroſanctam Romanam Eccleſiam, nullius diſcordiæ ſeminarium debeat remanere.* Huc vſque Adriani Papæ Litteræ per Legatos redditæ Imperatori, pergit verò Radeuicus vlterius ſcribere.

7. [c] *Lectis, & benigna interpretatione expoſitis litteris, Imperator mitigatus eſt, clementiorque factus, quaſdam cauſas alio loco memorandas, quæ ſeminarium diſcordiæ præſtarent, ſi non congrua emendatio interueniret, Legatis per Capitula diſtinxit: quibus ad nutum Principis, & per omnia bene reſpondentibus, Præſulemque Romanum in nullo Regiæ dignitati derogare, ſed honorem, ac iuſtitiam Imperij ſemper illibatam conſeruare pollicentibus, pacem, & amicitiam, tam ſummo Pontifici, quàm omni Clero Romano reddidit; eámque ſigno pacis, & oſculo, abſentibus per præſentes deſtinauit; ſicque hilariores facti Legati, donatíque regalibus muneribus, diuertunt in ciuitatem.* Hactenus continuata verborum ſerie ex Radeuico, quo maior fides dictis, tranſcripta dedi. Vt planè liqueat, Legatorum induſtria factum, vt aliàs peruicax Friderici animus, & quietis impatiens, ad tempus quieuerit: ni nouæ in dies occaſiones ſuborirentur, forſitan diutiùs in obſequio permanſurus.

c *lib. 1. c. 23*

Hæc eadem Radeuici verba tranſcribens Baronius(nam id item notabo) cum perueniſſet ad Legatorum ſalutationem, Imperatori præſtitam; Guntherum opponit, qui paulo diuerſis verbis eam deſcribit, &c. *Verba iſta* (ait [d]) *ſunt Radeuici, non Legatorum. Aliis namque, ab his diuerſis, eos ano. vſos verbis, Guntherus affirmat, recitátque verſibus iſtis.* 8.

d *Ad hunc ano.*

Totaque Romani nunc maxima Curia Cleri,
Te velut eximium Regem, dominúmque ſalutant.

Vide igitur, quantum priuata affectio potuerit in Radeuico, verba pro arbitrio concinnante. Ita Baronius. At mihi pro menſura, & ratione Carminis mutata verba magis, ſiue tranſcripta, à Gunthero Poëta, quàm vt aliud ſignificent, videntur. Cùm maximè in ſenſu ipſo, aut paruum, aut nullum diſcrimen. Sed neque illi fidendum præ Radeuico, qui Radeuicum in omnibus tranſcripſit, & ferè nihil aliud egit, quam ad metricas leges adaptare, quæ ille dederat ſtylo liberiori.

Quod ſi verbis Poëtæ hærendum foret, notatione pro Ottone dignius iudico quod idem met Guntherus inferiùs tradit. Epiſtolæ Adriani benignè interpretatæ, addidiſſe rationes, conſiliáque quibus ſtatim Fridericus conuictus, atque emollitus, omnem indignationem depoſuiſſet. Ecce eius Carmina [e]. 9.

e *In Ligurino lib. 7.*

Hac tunc expoſuit mandata recentia, paſtor
Ille Friſingus Oto, quem tantò maior habebat.
Hac de lite dolor, quantò propioribus illum
(Regis erat patruus) tangebat Curia vinclis,
Vtque piè ſcriptis, à ſummo Præſule, verbis,
Addidit ipſe ſuas, in pacis fœdera, partes,
Protinus ingenui conſedit pectoris horror,
Et nitidus rediit, ſedato Principe, vultus.

Protinus, inquam, ideſt, vt audiuit, quæ Friſingus Otto addiderat. Vt nihil ferè factum in hac pace, quod non adſcribendum veniat Ciſtercij filiis. Cæterum qualiter ea denuò turbata Henricus Cardinalis laborauit, vt ad concordiam denuò reuocaretur, qualemque in hoc negotio nauarit operam; quas epiſtolas ſcripſerit, & qua iterum functus legatione, quaſi negotium præ aliis peracturus, (& peregiſſet forſan ſi non Adrianus, de medio ſublatus eſſet,)ſequenti anno, quo euenit, dicemus.

His, aut antiquis Ciſtercij meritis datum, vt à reuocatione generali priuilegiorum per Adrianum Papam hoc anno facta, ſolos noſtrates, queis Templarios addidit (parentibus filios) ſingulariter cenſuerit eximendos, Quod à Papyrio Maſſone notatum, aliíſque piaculum putarem, ſi præterirem. 10.

---

1. *S. Martini genus, parentes, patria,* 2. *& vocatio ad Ciſtercium.* 3. *Oblatio matris cum pingui poſſeſſione.* 4. *Vtriuſque Conſtantia:* 5. *& iuuenis Sancti mores in Tyrocinio.* 6. *Incrementa Cœnobij,* 7. *atque tranſlatio per Blaſium Abbatem facta.* 8. *Demum Ordonij Salmantini Præſulis obitus.*

CAPVT IV.

1. REDEO ad Hiſpaniam; & in ipſa ad propriam domum, in Cantauos fundatam, ab Alfonſo quondam Imperatore, ſed poſtmodum in Hortam transferendam: cui fœlix, fauſtúſque hic annus illuxit, admiſſo ad habitum Martino viro nobili, quem eadem Eccleſia paſtorem primùm, deinde Seguntina ſedes, demum æterna in cœlis, meritis, & miraculis clarum, præſtolabantur. Parentes illi Michael Muñozius de Finoxoſa dictus, & Sanctia Gomezia; vterque ex prima Caſtellæ nobilitate: Natale ſolum, Curia Imperatoris, cui ſemper adhærebant: & colluſtrante, vt ſole,

le, omnia Alfonso, Martino tota Hispania pro patria fuit. Patrimonium pro genere adhuc, pingue, in vltimis versùs Aragonem, Castellæ finibus, non longe à Cantauos; & longè, & latè dispersum per illos terminos. Sorores duas, fratrem vnum habuit maiorem natu: illas Tarasiam dictas, Euamque, hunc Munium Sanctij, consueto tunc per totam Castellam more, vt filij à nominibus patrum, cognomen ducerent. Ergo militiam, Curiámque sequente maiori filio, Martinus litteras, pro qualitate sæculi, & sacratiora studia frequentabat. Ex his studiis Rodericum Ximenium viro cognitum atque arctæ amicitiæ vinculo iunctum, iuniores [a] putauimus, Chronologiæ obliti, siue ignari. Nam Rodericus, qui extremum diem obiit, anno salutis M. C C. X L V. seu post biennium, quod alij malunt; vt dicamus hoc anno natum fuisse, quod satis dubium; at non potuit in ea ætate esse, in qua Martinum frequentantem gymnasia, ac litteris operam nauantem comitaretur.

a Tom. 1. Sanctoral. in vita S. Martini cap. 2. Mariana de rebus Hisp. lib. 13. c. 5.

2. Agebat annum Martinus penè vigesimum, cum, Michaele parente per mortem rapto, matri, & sibi relictus, litteris eruditus, ingenio pollens, ac pinguis patrimonij hæres effectus, in spem suorum ingentem educabatur. Sed ecce, Deo interius vocante virum, gloriam mundi fallacem, caduca omnia; & nisi in cælis mansura reperiantur, casura in irritum; & mole sua tractura proprios dominos; productis etiam exemplis, recogitabat. Monasterium in Cantauos fundatum, perfectæ vitæ normam præseferre, atque ipsa parsimonia satis probare, quam multis homines, si velint, non indigeant. Animum sibi solijs quietis auidum; nec qui per ocium, segniciem æmuletur; sed qui terrena despiciens, siue transcendens, cælestibus, cum Angelis, fruatur. Id nullibi facilius consequendum, quàm in Cistercio. Quin recens hanc surgentem domum de Cantauos, sub Radulfo sanctissimam, noua sub Blasio incrementa suscepisse, quibus se dudum vocari non dubitare. Ergo collato, cum fratre sibi charo, nam lachrymas Sororum non sustinuit, dein cum Matre Sanctia, sancto proposito: hærere primùm, & timere adolescenti, quasi qui haberent suspectam vocationem; & de perseuerantia dubitarent. At vbi vtramque, ex Deo alteram esse, alteram verò ab eo sperandam fore, aut leuibus indiciis, cognouere; qui retracturi videbantur affectu carnis, vltrò potius cunctantem incitarunt: Neque vti solet, amore hereditatis, quam noluerunt à filio diuidendam. Extat donatio vtriusque facta per matrem, subscribente Germano, quam, monumentum egregium antiquitatis, non pigebit ad litteram transcribere.

3. *EGo [b] Domna Sanctia, vxor de Michaël Muñoz de Finoxosa, dono Deo & B. Mariæ de Cantauos, & Domino Abbati Blasio, eiusque successoribus, & Ordini Cisterciensi, filium meum, nomine Martinum; vt semper seruiat ibi Deo, & omnibus sanctis, secundùm regulam Sancti Benedicti Abbatis, & instituta Ordinis Cisterciensis, pro suis, meisque delictis, omniúmque Parentum suorum. Praterea dono Deo, & B. Mariæ, & Ecclesiæ de Cantauos, & Domino Blasio, loci supra dicti Abbati, eiúsque successoribus, & omni Conuentui, tam præsenti, quàm futuro, Ordini Cisterciensi obedienti, illam villam, quæ dicitur Boënizes, cum omni termino suo, cum pascuis, terris, & exitibus, sicut eam pater meus, & mater mea hereditauerunt; vt habeant, & eam iure hereditario in perpetuum possideant; & faciant de ea quidquid eis placuerit, in vendendo, in cambiando, & retinendo & eam cui voluerit dando liberè, ac quietè; & hoc ideo facio, vt mihi, & meis parentibus peccata nostra dimittantur, & ille Monachus sit in loco determinato. Si quis hoc factum meum mutare, vel infringere præsumpserit, à Deo sit excommunicatus, & maledictus, & cum Dathan, & Abiron, quos viuos terra absorbuit, & cum Iuda traditore in inferno, pœnis tradatur perpetuis. Amen. Facta charta in Oter de Selas, sub Æra. M. C. X C V I. mense Aprilis, in illo anno, quando Rex Sanctius, & Comes Barcinona fecerunt pacem in Anassama.*

b Ex lib. Priuileg. Hort. fol 7.

Ego Domna Sanctia, vxor de Michaël Muñoz de Finoxosa, hoc donum confirmo, & propria manu corroboro.

Ego Munio Sancio filius de Michaël Muñoz de Finoxosa, confirmo.

Ego Martinus filius de Michaël Muñoz de Finoxosa; pro quo factum est donum istud, confirmo.

Ego Dominus Fortunius Lopez, confirmo.

Testes sunt istius donationis D. Blasco el Cobo del Barrio de Finoxosa, & D. Stephanus de Moron. Hactenus donatio filij per matrem facta, & possessionis cum filio non exiguæ, quæ hodiéque Monasterio perseuerat, & valorari solet quingentis aureis, plus, minúsve, per annos singulos Hortæ persoluendos.

Ego non dubito oblatam pauperi domui (nam tenuis adhuc erat) possessionem opimam à sancta fœmina; quamuis à matre habente duas filias tradendas nuptui, & filium producturum nomen paternum; vix factum credidissem nostris temporibus. At filium alterum præ cæteris dilectum (id meritum virtutis) immolari in iuuenili ætate, cum spes conceptæ ex longa educatione, in segetem copiosam, & iam instaret tempus optatæ messis; hunc, inquam, filium, id est propria viscera, ad occisionem spiritualem duci, non solum matrem æquo animo tulisse, sed constanti obtulisse, atque eius hostiæ extitisse Sacerdotissam; vix hominem putabo, qui non miretur. Aderant oblationi duæ sorores, quibus Martinus à pueritia charus, tunc charior videbatur, cum amittebant: nec poterant abeuntis fratris dolorem, vel leui solatio relictæ hæreditatis, temperare. Aderat circumfusa altari sacro vniuersa familia, & concurrentes ex vtroque regno populi, velut ad spectaculum, eiulantes vtrique: illi, dum dolent à se Martinum diuidi, meliorem sui partem; hi, dum dolentibus piè compatiuntur. Quidam etiam, dum inuident Martino, inter medias procellas in tuto posito, infra quem vident omnia, quæ supra alios. Porrò inter lachrymas, singultúsque vtrorumque, nec Monachi à fletu temperabant: quidam præ gaudio, ex nouo peccatore pœnitentiam agente; atque ex vtrisque incrementis tenellæ domus: alij ex dolore, quod minus ipsi pro Christo reliquissent, pauciora contulissent in nouam fabricam; plures innata cunctis consuetudine, moueri in eum affectum, quem in cæteris videant præualere. Soli tamen Martinus, & Sanctia immunes ab affectibus, dum hæc offert constanter, quem genuit, filium; ille gaudet offerri; quod sui muneris erat exequentes, quò liberiores, eò potentiores cæterorum affectus excitabant. 4.

Perfectis sacris, discessum est ab inuicem; & Sanctia quidem cum filiis ad propria rediit; tunc demum, cum se vidit, sine Martino, indulgens lachrymis, quas hactenus cohibuisset eius præsentia. Ille è contra, dum orphanum se reputat, ad Mariam recurrens; nec dubitans meliorem filium fore, quandiu 5.

quandiu melioris matris, si sibi ipsam propitiam experiatur: demum confidens non sibi defuturum misericordiæ fontem, cui cunctis subuenire pro gloria est; ad Virginis altare supplex accessit: & te, O Domina, in matrem mihi assumpsi; non decet te minorem mei curam, quam illam gerere, quæ tibi à me postposita: & si gesseris, potes quæcumque voles. Dixit, & statim ad domum probationis cum cæteris nouitiis deductus est, norma ipse futurus aliorum omnium. Richardus Monachus, coæuus Sancto author, qui eius vitam perstrinxit versibus Leoninis, vbique ferè vsurpatis, illis temporibus, hæc de eius initiis, & rudimentis.

Qui puer intrauit Claustrum virtutis amore,
Quem Deus ornauit meritis claris, & honore.
Denos bis binos annos ætatis habebat,
Cùm laqueos geminos, mundum, carnem fugiebat.
Mundum calcabat iuuenis per cælica iura,
Moribus instructus sacris, cum prapeti cura.

Hactenus ille sancti viri ætatem, in qua habitum suscepit, apertè signans; sanctitatem non tacens, sed nec virtutes; at specialiter acta non distinguens. Sunt qui Martinum ab omni carnis labe pronunciant immunem, atque inter Virgines fore numerandum; quod quidam alius versus eiusdem Richardi indicare videtur dum ita ait.

Munditiæ florem, cum corpore, corde gerebat.

Verùm hæc ego iudicio Dei reseruo: & vt in Monachatu purum non dubitem, quem omnes semper sanctum reputarunt; at ante assumptum habitum considero adolescentem pulchrum, diuitem, nobilem, atque aliis ornatum naturæ dotibus, & sui iuris effectum post mortem patris: tum lauream illam, vitream duplici titulo, quòd facilè frangatur, & quòd confracta non valeat reparari. Certè in vtroque statu hominem veneror, siue nunquam ciciderit, siue post casum altiùs euolauerit.

6. Confirmatam, ad instantiam Abbatis Blasij, donationem Alfonsi per Sancium filium, recèns regno potitum, in superioribus, ni fallor, commemorauimus. [c] *Facta charta sub Æra M.C.XCVI.* (id est hoc ipso salutis nostræ anno) *mense Februario, anno, quo Dominus Alphonsus, famosissimus Hispaniarum Imperator, obiit. Comite Barchinonis, & Rege Sanctio Nauarræ, existentibus vasallis Domini Regis.* Igitur tali obtento priuilegio, atque vtraque donatione Sanctiæ auctus intra bimestre: quippe altero in mense Februario, altero in Aprili; cum Blasius Pater terminum de Cantauos Conuentui minùs aptum considerasset, & aliàs locum Hortæ, quem acquisiuerat, (Harizam inter, & Arcos confinia oppida, alterum regni Aragonum, Castellæ alterum) opportunum, ac commodum conspiceret: communicato consilio cum suis fratribus; atque Abbatis Berdonarum, vnde olim prodierant, obtenta licentia; mutatis sedibus, ad Hortam cum suis transiit; pro pauperibus tectis, quæ relinquebat, Regia non quidem palatia susceptu-

[c] *lib. priuileg. Horta fol. 2.*

rus. Sed interim incertus futuræ fabricæ ab Alfonso inchoandæ, nec, quod sciamus, maioribus subsidiis, quàm quæ ex proprio labore, & patrimonio Martini prouenirent, ac vicinorum fidelium largitate.

Annus certus translationis Cœnobij non satis constat; quippe confirmationis eiusdem instrumentum, ab Alphonso expeditum post annos vndecim, de tempore nil prodit. Cæterùm per Abbatem Blasium factam intra hoc sexênium, dubitare non licet: obtento intra hoc tempus priuilegio ab Alexandro Papa, in quo iam Horta Abbatia; & Cantauos Grangia, cum aliis Monasterij bonis commemorantur. Priuilegium integrum suo tempore dabimus. Nunc sufficiat notare, *Datum Senonis VII. Kalendas Octobris, Incarnationis Dominicæ anno. M.C.LXIV. Pontificatus ipsius Alexandri III. anno VI.* Porrò directum illud ad Blasium iam non de Cantauos, sed de Horta Abbatem; atque inter bona, quæ illi, fratribúsque perpetuò confirmantur, ista haberi. *Locum ipsum de Horta, in quo prædictum Monasterium situm est, cum omnibus appendiciis suis: Grangiam de Cantauos; Grangiam, quæ dicitur de Boñiza, cum earum appendiciis, &c.* Ergo ab hoc anno ad annum M.C.LXIV. translatam domum, nec per alium Abbatem, quàm per Blasium, qui nunc de Cantauos, nunc Hortæ Abbas dicitur, ex his eisdem instrumentis facilè constat. Verùm qualiter translatione Cœnobij facta, & priuilegio obtento ab Alexandro, idem venerabilis Abbas in Domino obdormiuit, succedente Martino, suo tempore à nobis dicendum erit. 7.

Interim priusquam ab Hispania discedamus Ordonius nobis venit recensendus, Salmantinus Episcopus, cuius superius fecimus mentionem. Vtrum vitam vltra hunc annum produxerit, in dubio: ad eum pertigisse compertum est, ex subscriptionibus aliquorum instrumentorum hoc anno confectorum, quæ vir pereruditus, & nobis suscipiendus pluribus titulis, Ægidius, Gonçalez Dauila [d], Regius Chronographus in sua Salmantina Ecclesia luci donauit. Certè, qui Ordonio successit, Nauarronius, non ante annum M.C.LXVI. commemoratur [e], vt nihil obstet, quominùs Ordonius ad illum vsque potuerit perdurare. Vt planè videas, quod supra dicebamus, potuisse hoc ipso anno bonum Pontificem, post Calatrauam donatam S. Raimundo, à Sanctio Castellano, mense Ianuario; & inchoatam ab illo in ea militiam sub legibus Cistercij; Sant-Iulianæis easdem leges præscribere; nunquam aliàs instituta Monachalia ad militiam tracturus, ni tam illustre exemplum præcessisset, quod tutò imitarentur, nec sine laude. Reliqua huius viri prorsus ignota, & nisi leges dedisset Pereyrensibus mansisset planè inglorius, vt multi alij; atque inter Salmantinæ Ecclesiæ Præsules, ex solo nomine posset memorari. 8.

[d] *lib. 2. c. 13.*
[e] *Ibid. c. 14.*

1. Amadeus

1. Amadeus, & Otto subtracti schismati, 2. huius pro Frisingensi Ecclesia solicitudo. 3. Concordia cum Henrico Duce Saxoniæ. 4. Amadei senioris sancta mors: 5. Breuis epitome vitæ, 6. & actorum filij. 7. Homiliæ ab eo in Mariæ laudem scriptæ, 8. atque ipse ab Amadeo Franciscano longè distinctus. 9. Varia memoria sanctitatis eximij Præsulis. 10. & demum Chronologia Monasteriorum, in qua de vita schola, 11. & Porta Cæli.

CAPVT V.

1. INTER hæc Amædeum, Ottonémque in Sabaudia, & Germania; vtrumque Episcopum, vtrumque virum Sanctum; vtrumque Imperatori coniunctum sanguine, æterna in cælis gloria præstolabatur; per mortem, schismati, quod Ecclesiæ imminebat subtrahendos; siue, vt inde inciperet permissio ingruentium malorum, vnde eorum consilium defecisset: siue ne ipsi tot malis permitterentur, quibus fortè impediendis impares forent. Et quidem Amædeum præsens annus, vt statim ostendam, Ottonem verò sequens consummauit; agentem interim de negotiis suæ Ecclesiæ, & prouidentem cunctis, quasi qui instantem decessum præsagiret. Quippè quemcumque haberet successorem, siue gratia, siue sanguine inferiorem, opprimendum timebat potentia Principum, quos agebat cupiditas, vt in bona Ecclesiarum debaccharentur. Extant litteræ Friderici Imperatoris ad eumdem Ottonem hoc anno datæ, in quibus agitata diu lis cum Henrico Saxonio, & Bauariæ Duce, in concordiam redacta, Frisingensis Ecclesiæ iura conseruat. Has ab Vvigulæo Hundio [a] adductas, quia & patrui pro spirituali sponsa solicitudinem, & nepotis in patruum reuerentiam summè commendant, His Annalibus censui transcribendas. Sunt autem tales.

a in Metrop. Salizburg.

2. *IN nomine Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis Fridericus Diuina fauente clementia Romanorum Rex, & semper Augustus, Dilecto Patruo suo Ottoni Frisingensi Episcopo, eiúsque successoribus, Canonicè substituendis in perpetuum.*

Ex quo benignitate diuina Romani Imperij gubernacula tenemus; dignum est, vt eius opitulatione, quantum possumus quieti temporum, & paci Ecclesiarum curemus prouidere. Ita enim & in præsenti commissum Orbem pacificè gubernari, & in futuro à Rege Regum sempiternæ retributionis præmio donari speramus. Hinc est, quod controuersia, quæ inter te, charissime patrue, qui in præsentiarum Frisingensis Episcopatus geris dignitatem, & nobilissimum consanguineum nostrum Henricum Ducem Bauariæ, & Saxoniæ, super foro apud Fergen, & Munchen dignoscitur agitari: ita coram nostra, & Principum præsentia decidere curauimus, vt deinceps omnis contentionis, quæ ob hanc rem inter vos haberi posset, sublata credatur occasio. Huius autem transactionis vtriusque vestrum assensu, & voluntate celebratæ talem fuisse tenorem; præsentibus innotescat, & futuris. Forum, quod esse solebat apud Fergen, & Pons ad teloneum, de cætero iam ibidem non erit, neque moneta. In eius autem rei recompensationem, consanguineus noster Henricus Dux, Ecclesiæ Frisingensi contradidit tertiam partem totius vtilitatis, quæ prouenire poterit de teloneo fori sui apud Munchen, siue in tributo salis, siue aliarum rerum magnarum, vel minutarum, seu venientium, seu inde recedentium. Telonarium verò, aut suum habebit vterque vestrum pro beneplacito suo, aut si hoc visum fuerit, ambo vnum, qui teneatur vtrique vestrum ad respondendum. De moneta simile erit. Tertiam quidem partem eius pensionis Episcopus accipiat, duæ in vsus Ducis cedant. Hoc autem fideliter ex parte Ducis laudatum est, vt sine dolo, & malo ingenio, singula hæc Ecclesiæ Frisingensi in perpetuum, absque contradictione persoluantur. Moneta autem ad arbitrium Ducis locari debebit. Denique monetam Frisingensem ad voluntatem suam locabit Episcopus, tertiam tantum suæ redditionis partem Dux habebit, nomine feudi concessurus sicut & modo concessit cuilibet. Hoc ipsum, siue multum, siue parum ad petitionem Episcopi.

Statuimus ergo, & præsentis instrumenti pagina roboramus, vt huius conuentionis hinc inde pari conuenientia factæ, ratum, & inconuulsum omni tempore maneat firmamentum; & vterque vestrum, quod accipit, teneat, & quietè possideat, vestris, vestrorumque successorum vsibus iugiter profuturum. Porrò ne huius facti memoria futuris quibusque temporibus oblitteretur, scripto Notarij, ac sigilli nostri impressione muniri, manuque nostra, vt infra apparet, corroborari. Testes quoque, qui aderant, subter notare fecimus, quorum nomina hæc sunt. Arnoldus Moguntinensis Archiepiscopus. Fridericus Coloniensis Archiepiscopus. Gebrardus Vvirtzbergensis Episcopus, Fridericus Dux Sueuorum. Hermannus Marchio Veronensis, Fridericus Marchio de Lusitz, & frater eius Henricus. Signum Domini Friderici Romani Imperatoris inuictissimi. Ego Rainaldus Cancellarius Vicedomini Moguntinensis Archiepiscopus, &c. & Archicancellarij recognoui. Datum Augustæ XVIII. Kalendas Iulij Anno Dominicæ Incarnationis M.C. LVIII. Indictione VI. Regnante Friderico Romanorum Imperatore Augusto. Anno Regni eius VII. Imperij verò III. Hactenus litteræ, quæ Ottonis pro sua Ecclesia curam, Friderici in Ottonem reuerentiam testificantur. Sed de Ottone latè anno sequenti, quo ex hac vita decessit. Nunc de Amædeo Lausanensi Pontifice, qui sub obitu præsentem consecrauit, & de Amædeo seniore pauca dicamus. 3.

Obiisse hoc anno S. Præsulem, inde coniector, quod Lausanæ sedisse traditur quatuordecim, cum M. C. XLIV. promotus fuerit. Cæterùm cum de obitu Amædei patris nequaquam constet; nisi quod filium Lausanæ sedentem per multos annos, viderit, & nihilominus obierit ante ipsum: primum quæ pauca habuerimus de eius transitu: dein de filio nobis dicendum erit. Igitur Amædeum Patrem, medio inter promotionem filij tempore, atque eius decessum, consummatum, in actis eius habemus satis expressum. *Rexit* (aiunt [b]) *eisdem verbis* (Lausanensis) *Episcopatum* (scilicet Amædeus) *annis plurimis, adhuc patre pio superstite; & post obitum ipsius multo tempore.* At de fœlici, & sancto viri transitu hæc tantum in eisdem actis 4.

b Cap.8.

lego.

[e] Cap. 9.

[e] lego. *Tandem volens omnipotens famulum suum subtractum laboribus, gloria immortalitatis induere, & calesti mercede remunerare, correpta infirmitate pia senectus lectulo decidit; & ingrauescente paulatim morbi molestia, soluta vinculo carnis Sanctissima illius anima, ad calestia regna, septies sole splendidior euolauit.* Hæc de obitu. De anno prorsus nihil. De die tradunt obiisse virum, *Nono decimo Kalendas Februarij.* hoc est Ianuarij X I V. vnde corrigendus venit Henriquez in Menologio, qui X I X. Octobris Sanctum commemorat. De eo Ioannes Abbas, Missale antiquum, & ex eis ferè omnes recentiores.

5. Mors filij sequitur, sed prælibatis vitæ quibusdam actis, prout ex seriei narratione ad compendiũ redegit Miræus [d], quæ ita habent. *Succedentibus inde temporibus, circiter annum Domini natalis quadragesimum quartum, supra millesimum, centesimum, Lausanensis Ecclesia Episcopus ordinatus, multa eidem Ecclesia impendit beneficia Amadeum Gebennarum Comitem, qui arcem munitissimam, ad expugnandam ciuitatem Lausanensem in eminentiori, prope vrbis mœnia, loco, per longam obsidionem erexerat, non tam armis, quam prudentia deuictum, machinam ipsam funditus euertere compulit. Eugenium I I I. Pontificem Maximum; Conradum I I. Fridericum I. Imperatores Augustos, & ad indulta iam dudum confirmanda, & ad noua instauranda sua Ecclesia priuilegia fauentissimos habuit. Huic Fridericus in hac verba scribere solitus est. Charissimo Cancellario nostro Amadeo Lausanensi Episcopo, qui genere, & nobilitate, necnon fidelitate nobis adstrictus cognoscitur,* &c. *Frequens illi mora apud Ponidonem Cœnobio Altacrista vicinum; vt qui eiusdem religionis, & habitus Monachus esset.*

[d] *In Chron. Cisterc. in auctario, & habet post finem Homiliarum eiusdẽ Sancti.*

6. *Fama est illum in die S. Agnetis natum, imbuendum litteris traditum ordinem professum, & Abbatem factum. Quare eidem Virgini deuotior, sacra illius duplici festo instituit, per totam Lausanensem Diœcesim peragenda. Scripsit Homilias in laudem Christipara Virginis, octo, tam dicendi suauitate, quàm mysteriorum profunditate deliciosas. Quas cum nulli adhuc mortalium manifestasset, solicitatus tamen à sorore Sanctimoniali, Virgine religiosa, quatenùs cum ea iucundum illud munusculum communicaret. Annuit frater Sororis desiderio, ea conditione, vt illa iucundum quoque munusculum, quod à gloriosa Virgine accepisset, vicissim impertiret. Mittit continuò soror laneam chirotecam, qua in præsentem diem Lausane in reliquiario Sacrosancta Virginis Maria visitur, quamplurimis laudata miraculis. Vnde coniectura facilis, quantum vtrique viuenti adhuc, cum diuinis cõmercium. Præfuit Lausanensi Ecclesia annis quatuordecim, mortuus illic, & ante altare Sancta Crucis, in ade D. Maria sepultus.* Hæc ex Miræo ad litteram transcripsi (dicta quamuis nonnulla) quo simul datem, vel ipsa breuitate placitura.

7. Amædei Homiliæ igneæ, dulces, & quæ in sententiis grauitatem præseferunt; in verbis elegantiam non excludunt. Extat elogium Geruasij Sopheni Brisacensis, his homiliis præfixum; cuius hæc verba. *Diui Amadei, ex Monacho Cisterciensi, Episcopi Lausana elogium. Præsens hoc Sanctissimum D. Amadei Lausanensis Episcopi opusculum, in quo Sapientissimus ille Princeps Ecclesia magna, & Sanctissima matris Maria præstantissimus praco, octo concinnauit Homilias pulcherrimas, tum verborum, tum sententiarum lautitiis, & omnibus numeris absolutas. His luculentissimis, ornatissimisque Homiliis inest tantùm energia, tantum feruoris, quantum nemo, nisi saxeus planè lector, surda potest aure transmisisse. Quin potius ardentissimas continuò diiudicabis, sentiétque in Deiparam Virginem ignei amoris faces cordi suo admotas, atque acutissimos in vniuersum eius honorem, ac reuerentiam stimulos experietur.* Hactenus ille ante centum viginti annos, nempè M. D. X V I I. Hunc enim annum subscriptio manifestat. Vulgatæ sæpius Amædei Homiliæ cum aliis Patribus, sed nouissimè cusas video Duaci in quarto, cum S. Anselmi, Illephonsique opusculis. Nec multò post in folio cum Chrysologo, Leone, Fulgentio, & Maximo, aliisque; nec minus ideo desiderantur à cunctis doctis.

Verum est has Homilias, ab aliquibus, maiori audacia, quàm temporum notitia, Franciscano Amædeo tribui, seu Amatori. Sed his idem Aubertus Miræus aptè respondit: post abbreuiatam enim vitam nostri Episcopi, hæc subiungit. [e] *Ex hac vita serie facilè coniciat Lector nostrum Amadeum alium esse, ab Amadeo ille, aliàs Amatore, vel Ioanne Menesio, de quo Henricus Vuillot in suis Athenis Orthodoxorum Sodalitij Franciscani, cui & Homilias illas octo de Deipara tribuit. Etenim Amadeus noster sub Eugenio Tertio Summo Pontifice, ac Friderico primo Imperatore vixit: Amadeus verò sub Paulo secundo, ac Sixto Tertio Romanis Pontificibus, inter quos, & Eugenium Tertium non pauciores ferè, quàm trecenti anni interuenerunt siquidem Eugenius vixit circa annum. M C. XLVI. cum creatus Pontifex M. C. X L V. obierit anno. M. C. L I I I. Paulus verò, ac Sixtus floruerunt, anno M. C. L X X I. quo ille mortuus, iste ad summum Pontificatum euectus est. Auctorem habeo Panuinum in Chronico Romanorum Pontificum. Mitto quod noster Amadeus fuit ex familia Cisterciensi: at Amadeus, vel Amator ex Franciscana. Denique Amadeus fertur fuisse Episcopus Lausanensis, de Amadeo haud constat, Episcopus necne fuerit. Quod si patria nonnihil ad hanc rem facit, & debet certè plurimum: Amadeus Allobrox, Amadeus, siue Amator Hispanus fuit; quod & Menesij, & Comitum Villa Regia familia satis indicat.* Hæc ille pluribus, cum proculdubio paucioribus potuisset. 8.

[e] *Eisdẽ loc.*

Amædei nostri vitam, & res gestas in M. S. Rubræ vallis legi, idem, qui supra, Miræus testis existit. Quod tamen hactenus non peruenit ad manus nostras. Viris illustribus florentissimi illius sæculi, cuncti ferè scriptores eum annumerant. Sanctis, Missale antiquum, & Ioannes Abbas, Martyrologium Monasticum Septemb. X X V I I. Menologium Ianuarij V I I. & plures tam antiqui, quàm neotherici. Petrus Canisius [f] multa de sancto viro multis in locis. Quippe qui opus, quod texuit Marianum, elegans, & sublime, magna ex parte illustrauit illius floribus. 9.

[f] *lib 1. cap 3. lib. 4 cap. 28. lib 5. à cap. 4. ad 7.*

Vltimo loco ex more, numeranda Cœnobia præsentis anni, quæ tria tantum recenset Chronologia: Portam Cœli, vitæ scholam, & Villa-cressen. Hanc vltimam penitus nobis ignotam, neque in aliqua inuentam ex quinque lineis. Priores duas in Genesibus repertas, alteram Morimundi, filiam Salem, in Constantiensi Diœcesi; alteram Claræuallis ex Esron natam, sitam in Dania, & Episcopatu Vvibergensi. Huius primum Abbatem, Henricum nomine, Sancti Patris Bernardi olim discipulum, ab ipsóque ad Esron fundandam missum, ante septénium dixi. Extat in Exordio magno memoria viri, velut adhuc superstitis; & prophetiæ, siue admonitionis ex Bernardo acceptæ, dum adhuc 10.

ageret tyronem in Claraualle. *Dominus Henricus* (ait [g]) *Vitæ scholæ, quod est Cœnobium in Dania de linea Clarauallis, primus Abbas referre solebat, quod cum esset Nouitius in Claraualle, & nonaginta tyrones in Cella probatoria, sub disciplina Bernardi instituerentur: quadam vice, discumbentibus eis, ad visitandos filios suos, isdem pijssimus Pater, quem sequebatur Conuersus cum sporta, inciso caseo plena, accessit: & accedens ad præfatum Henricum, qui tunc prior Nouitiorum erat, dulcissima manu sua frustrum casei posuit ante eum, commonitorium hoc verbum dicens: Frater comede, grandis enim tibi restat via.* Hactenus ibi. Putat Fiteriensis [h] vitæ Scholam ab Eskilo fundatam, non secus ac Esron, atque Granadium ex Virginis præcepto, quamuis nullum pro se adducat Auctorem. Henrici, simul, & Vitæ scholæ meminit Menologium Februarij XI. Vbi Philippum Seguinum etiam refert. Sed nulla maiori notitia, quàm ex ea, quæ ex Exordio desumi potest. In Genesi Ecclesiarum Claræuallensium vitæ scholæ secunda memoratur, Cara insula filia, in Diœcesi Arusiensi; de qua suo loco dicam, si quid occurrerit.

g lib.6.c.10.

h In notis ad eum locum.

Portam cæli illustrauit B. Hugo eiusdem domus Monachus, meritis clarus, miraculis gloriosus; quem inter illustriores Cistercij, Ioannes Abbas [i], Missale antiquum Ordinis, atque Author Dialogi de prospero, & aduerso eius statu, atque ex eis recentiores omnes [k] commemorant. Menologium XXVII. Decembris recolit. Verum quod Portam-cæli Constantiensem, filiam Salem; cum Porta Coloniensi; filia Vualkenrode confundit, omnino à vero constat declinare. De Hugone nihil aliud nobis notum, adeò obtexit caligo etiam illustres. 11.

i In suis Catalogis.
k Robertus Rusca. Miraus, & alij.

IESV CHRISTI ANN. 1159. CISTERCII ANN. 62.

1. *Inter Pontificem, & Imperatorem turbata pax.* 2. *De qua Henricus solicitus.* 3. *Ad Babembergensem Episcopum scribit,* 4. *litteras acres, & zelantes pro Christi gloria.* 5. *Rursus ad ipsum, & ad Imperatorem.* 6. *Episcopi rescriptum,* 7. *Dolentis magis, quàm medentis instanti malo.* 8. *Henricus iterum ad Imperatorem missus.* 9. *Dissidij inter sacerdotium, & Regnum vltima causa.* 10. *Et tandem obitus Pontificis Adriani.*

CAPVT I.

1. TVRBATAM semel Sacerdotij, & Regni pacem, vt instaurari arduum; sic nondum radicatam mentibus Principum, rursus labefactari facilè fuit; lubrico animo Friderici Imperatoris, neque apto pati iugum, quantumuis sacrum. Accessere aulicorum assentationes suetæ semper moueri ad motum Principis; & quocumque inclinet, impulsuræ. Regalia, discordiæ nouæ, prima materia; vt diu vetilata, numquam discussa: mox Brixianorum, Bergemensiúmque certamen vtrumque diuidens, dum vterque aliis fauet; demùm iuuenis nobilis promotus ad Rauennatem sedem, quem Fridericus, quia nobilem, poscebat, Adrianus, quia iuuenem, negabat. [a] Hinc simultates priores recrudescere, & euolutis annalibus antiquis, noua dissidia; seu verius dixerim, noua irreuerentia: Imperatoris nomine in eius litteris, Pontificio, prælato, non sine scandalo. Quippe vsurpatum olim primis temporibus, cùm latentes cauernis summi Præsules, extrahebantur martyrio coronandi: Cæterùm post Ecclesiam iam adultam; vt Deũ homini, sic nefas Regnum Sacerdotio comparari, nedum præferri, certum, atque indubitatum habitum fuit. Sed neque deerant, quj Principi suggererent, Mediolanenses, Pontifice exhortante, defectionem moliri; quos aliæ per Italiam ciuitates nouarum rerum ardore imitarentur. Hæc, & similia crescentia ex referentibus, atque in deterius, vt fit, interpretata, recentes amicitias: neque adhuc radicatas, præcipitabant.

a Ex Radeuico. lib.1. c.18.

2. Inter quæ Cardinalis Henricus (vnicum ornamentum, & decus, teste Baronio, tituli SS. Nerei & Achillei, quo ipse etiam Baronius decorabatur) Henricus, inquam, hoc anno Christi Domini millesimo centesimo quinquagesimo nono, qui fuit Cistercij, sexagesimus secundus, cum se fraudatum videret pacis manipulis, quos anno primo Romam reportauerat; nec ignoraret pacandis animis principum, sicuti & accendendis, summam vim residere penes ministros: Eberhardum, inter omnes alios sibi delegit, Babembergensem Episcopum; virum, vt Radeuicus ait [b], *Religione, & scientia praditum, vitaque purioris institutionibus instructum.* Ad quem, si posset, placando animo Principis, talem fertur epistolam scripsisse, quam ex eodem, qui cunctis interfuit, Radeuico, operepretium duxi me facturum, si hîc transcriberem. Tenor autem epistolæ hic erat.

b lib.2. c.29.

Venerabili [c] patri, & fratri, & amico charissimo, Eberhardo, Dei gratia Babembergensi Episcopo, Henricus eadem gratia S. R. E. Presbyter Cardinalis tituli SS. Nerei & Achillei salutem in Domino. 3.

c lib.2.c.28.

Sicut virtus imperatoria ex eorum, qui sibi assistunt, discretione monstratur, ita & ipsi, quorum munitur consilio, propria conscientia, & honestati debent attendere: quia, & ipsorum honor, sic ad Dominos spectare videtur; sicut & Domini detrimentum in eos proculdubio refunditur, & redundat. Ea propter, dilecte pater, & venerande frater, & amice charissime, vestram non tam docemus, quàm monemus prudentiam, vt Imperialis dignitatis excellentiam, quantum in vobis est, in ea, quæ ad pacem sunt, & ad honestatem spectant, ingiter suadeatis. Subtilius enim, & sincerius in his, quæ ad Deum pertinent, & iustitia libertatem, ratio, & discretio vestra intelligit, & cognoscit, quam alij Principes, quantumcumque nobiles sint; qui tamen sacros Canones, & ea, quæ olim à Patribus disposita, & ordinata sunt, non nouerunt. Interfuistis ipse, sicut vnus ex nobis, fidelissimus mediator eis, quæ cum Domino Imperatore, de pace Ecclesiæ, & ipsius, ordinata sunt in Alemania, & eis, quæ aliera

altera die nos secum fidelissimè, & ipse nobiscum benignissimè de eadem pace tractauimus.

4. *Nunc autem ex litteris illis, quas Celsitudini suæ, post reditum meum, Domino meo placuit destinare, quæ videlicet, nec stylum, neque antiquam consuetudinem Imperialium litterarum obtinebant, timemus multum, ne sit in diuersa mutatus, & alio modo sibi sit facies, sensúsque diuersus. Repleuit cor meum amaritudine, & faciem meam confusione mutatio hæc. Quidquid honoris, & iucunditatis, & gloriæ appertauerat mecum, ex litteris illis videtur esse sepultum, atque obnubilatum. Ideo, dilectissime frater, & amice charissime, Episcopalis dignitas, & sacerdotij ordo, in quo vos prouidentia diuina constituit, moneant discretionem vestram, & instruant, vt ad honorem Dei stetis, & vestrum; pro honestate, & libertate Ecclesiæ, vt antiquis limitibus Ecclesiæ integritas conseruetur; ne temporibus vestris, nouis consiliis honestas, vsquemodo turbata turbetur. Satis turbatum est, quidquid secundum consilium vestrum putabamus efficere. Et dicimus vobis, quandiu per homines, rerum diuinarum ignaros, negotia portabuntur, stabiliri pax incepta non poterit, sed si præsentia vestra, & Domini Præpositi Magdeburgensis summam de pacis labore susceperit; zelus Dei, & scientia, qua præeminetis vterque finem pacificum ad honorem Dei, & Ecclesiæ, & Imperatoris nostri gloriam, per industriam vestram, & studium vestrum facillimè poterit obtinere. Alioquin, si tempore iracundiæ repertus non fuerit, qui reconciliationi intendat, & in cuius verbis possint ista scandala complanari: res ipsa forsan aliud exiget; & quod hodie integrum est, maior vehementia necessitatis disrumpet.* Hæc Cardinalis Henricus ad Eberhardum placando, atque informando per eum animo Principis.

5. Verùm cum ea parum profecisset; & adhuc Imperatoris manus extensa, nec furor eius ab Ecclesia Christi, & successore Petri auerteretur; alias, & alias scripsisse litteras dicitur, ad eumdem Episcopum, Imperatorémque, quæ vtinam extarent, illustre monumentum viri Sanctissimi. Planè aliàs scripsisse ad Ebethardũ, ipsius ad eum rescriptum, quod adhuc extat, manifestè conuincit; quippe ad plura respondens, quem Henricus in illa prima epistola inquisiisset. In rescripto aliqualis ratio traditur, tum facti Imperatoris, tum motiui; illius, sumpta ex antiquis exemplaribus; huius ex recenti epistola Adriani, quæ ipsius iram potuisset concitare. Nihil tamen excusat, nihil condemnat: tantùm annunciat, imminentia Christiano Orbi, à quibus neutros credit fore immunes. Fridericus repentino è castris discessu, rescribere non valuit, aut fortè noluit. Litterarum Eberhardi exemplar Radeuicus adducit, quod ita habet.

6. [d] *Henrico SS. Nerei, & Achillei, Dei gratia presbytero Cardinali, &c. Eberhardus Babembergensis Ecclesiæ eadem gratia Episcopus, si quid est orationis, & seruitij omnimodam deuotionem.*

d *Apud Baron. hoc anno.*

Litteris vestræ paternitatis lectis, & relectis, admirari satis non potui, quod esset illud verbum, immò, quod esset illud, Va, de quo scripseratis mihi, cum adhuc à me prorsus esset absconditum. Quæritans autem inueni, quod volui, & vnde multum dolui, teste Deo, & multum doleo. Audiui, & conturbatus, & tristatus sum. Contremuerunt omnia ossa mea, & adhæsit cutis ossibus meis. Et quidem intellexi, & cognoui, quod bono semini non meo, sed vestro, pacis, & concordiæ consilio inimicus homo superseminauerit zizania. Omnia mala, à bonis principiis orta sunt. Sicut in sacro eloquio: parauit Dominus vasa mortis, sagittas ardentes effecit: ita & in Imperialibus gestis, ac dictis simul, ac scriptis pleraque reperiuntur, quæ alios seducunt, alios ædificant. Annales quandoque reuoluuntur, apices Imperiales recitantur; fortè in ea forma, quæ illi ætati, & tam bonitati, quàm simplicitati temporum illorum competebat, hominibus tunc indirectum loquentibus, neque numerum numero commutantibus, neque personas præposterantibus. Nunc verò mutata sunt omnia. Sed non expallescat aurum, nec mutetur color optimus, nec dispergantur lapides Sanctuarij in capite omnium platearum. Si qua exorbitatio consuetudinis modernæ facta est, his exemplis facta est; & hac occasione, quia flamma sopita, denuò quodam vento resuscitata est, per litteras, quas Dominus Papa nuper direxit Domino Imperatori, super ea quæstione, quæ vertitur inter Brixienses, & Bergomenses, de contentione duorum castrorum: quas quidam pannosus, & velut hostis, & insidiator Domino Imperatori despectiuè quodammodo obtrusit, & vltra non comparuit, quæ videbantur duriores, & quasi interdicti vim in se continentes, ne Dominus Imperator causæ illius iudicium sibi assumeret.

Hæc autem scribo vobis, non vt quæram palliare, quæ pallianda non sunt; sed vt vos, & alij prudentes, & timentes Deum faciliùs morbo subueniatis, causa morbi cognita. Hinc inde dicimus, & scribimus quotidie; Venite: Venite. Veniemus, Veniemus. Sedemus (salua multa vestræ sanctitatis reuerentia dictum sit) sedemus, & oscitamus. Sedemus, inquam, vt ait quidam, in Romana Republica, nocte diem, die noctem spectantes, & iam prudentes, & scientes perimus. De me dico vobis (vt tuis loquar auribus) nolo mali nuntij esse baiulus: neque veniam, vt audiam, vel referam amaras historias; verba verbis obuiant, quasi pila minantia pilis. Vbi est sapientia? vbi prudentia in regno, & sacerdotio? separet nos Deus ab his, de quibus dicitur: omnis sapientia eorum deuorata est. Non dicatis nobis vltra, Venite; sed potius vos claues habentes scientiæ nos præuenite; non inuitati venite, & docete filios vestros, non in amaritudine spiritus, sed in lenitate, & multa mansuetudine. Parcat illis Deus, qui oleum quasi camino addentes, inter patrem, & filium, inter Regnum, & Sacerdotium seminant discordias. Insipiens factus sum, vos coegistis me. Veniant pro Deo nuntij boni, portantes pacem, tanquam scientes, & docentes nos: instate opportunè importunè. More solito scribantur litteræ adiuuante Domino. Flebile principium, medium, finis scilicet vertetur in gaudium. Dominus Imperator, superueniente nuntio vestro, super quædam secreta negotia subitò à castris discessit. Ideo ego meis insinuationibus certum responsum ab eo elicere, neque vos litteras incontinenti habere potuistis, qualis sit, vos scitis. Diligentes se diligit, aliis alienum se facit; quia nondum perfectè didicit etiam inimicos diligere. Hactenus Eberhardus ad Henricum. 7.

Cæterùm ipse nihil prorsus omittens, nihil non tentans, dum hæc per litteras apud Imperatorem; apud Pontificem, plura per seipsum: & eò vsque profecit vt mittendos legatos persuaderet, qui pacis negotia, Romanæ Ecclesiæ nomine, cum Friderico immediatiùs pertractarent. Electi Octauianus, Vuillelmus, Guidoque, queis ipse Henricus quartus adiungebatur. Missi cum his & Romani populi nuntij: petitumque; vt si quæ fortè querelæ, aut simultates, inter Pontificem, & Imperatorem antecessissent, sopirentur vtrimque: atque ea pax inter ipsos instauraretur, quæ à Friderico firmata cum Eugenio, ad successores veniret conti- 8.

nuanda. Hæc summa legatiæ, vt statim patebir. Legatos, idem, qui supra, Radeuicus posteris commendauit, dum ita air.[c] *Præter alios Principes nobiles, & sapientes, interfuere collationi, & negotio, sedis Apostolicæ legati; videlicet Octauianus, tituli S. Cæciliæ Presbyter Cardinalis, Henricus, tituli SS. Nerei, & Achillei; Vuillelmus, Cardinalis Diaconus, ante Papiensis Archidiaconus, & Guido Cremensis, Diaconus Cardinalis, missi à Papa Adriano; quorum itineris causas, simulque Nunciorum Senatus, populique Romani, rescriptum litterarum venerabilis viri Euerhardi Babembergensis Episcopi, annotatum continet, &c.* Hæc de legatis.

c lib. 1. c. 3.

9. Multa hinc inde proposita ab vtrisque, multa petita; & facilè spes pacis haberi posset; si non Adriano fixum insedisset, nihil se minus acturum ab Eugenio: Econtra Friderico fugiendam pacem, quandiu non aliquid ex discordia lucratus esset. Et allegabat, violatam prius concordiam ab Adriano, nequaquam posse in ipsum vim habere. Narrat hæc eadem Fridericus à Radeuico adiutus[f], ad Euerhardum Babemburgensem. *Venerunt siquidem ad nos Cardinales à Papa missi, ad hoc, vt inter nos, & illum fieret concordia. Dixerunt igitur, quod Papa illam requireret pacem, atque concordiam; quæ inter Papam Eugenium, & nos facta fuerat, & scripta. Nos respondimus, quod pacem quidem inuiolabiliter hucusque tenuissemus: de cætero autem, neque eam tenere, neque eam teneri vellemus, quomodo ipse prior eam violasset in Siculo; cui ipse sine nobis reconciliari non debuisset.* Hactenus ille. Frustrata ergo fructu hæc legatia; sed quam non ideo, censui reticendam; tum pro Henrico, cui eamdem procurasse, atque constanter exequutum esse, satis in laude: tum vt Eugenij pro Ecclesia Dei zelus (cui soli Adrianus securus consentiret) & Imperatoris in ipsum reuerentia (soli annuentis, quod aliis denegaret) manifestiori iudicio comprobetur: atque hoc item adiiciatur Eugenij laudibus.

f Lib. 1. c. 31.

10. Sedauit has controuersias Adriani mors, sed acerbiores alias inceptura, diuidenda Ecclesia longo schismate, de quo plura in sequentibus dicemus. Obiit Adrianus Papa mense Septembri, prima die mensis[g]. *Cum sedisset* (ait Codex Vaticanus) *annos quatuor, menses octo, dies XXIV. Et ex Anagnia, vbi diem clausit extremum, Romam versùs, in Ecclesia Beati Petri iuxta Eugenij Papæ III. sepulchrum honorificè tumulatus est.* Ita Baronius ex Vaticano codice: apud quem alia de ipso videri possunt. At, quæ in subrogatione Alexandri Papæ contigerint, hoc ipso anno, si prius sub Adriano gesta retulerimus, more nostro fideliter reddemus.

g Apud Baron.

---

1. Trium illustrium Sanctorum fælices obitus. 2. Stephanus vnam ex Ecclesiis filiabus visitans, 3. graui febre corripitur. 4. Eius legata, 5. sacraque dormitio. 6. Deductum funus ingenti deuotione. 7. Nec sine miraculis. 8. Solemnitas, & excubiæ in grangia medio itinere. 9. Resumptum iter: 10. & obuij Obacienses. 11. Soluta iusta. 12. & sepulchrum veneratum eximio cultu.

CAPVT II.

1. MEMORABILEM fecere Cistercio præsentem annum trium illustrium Sanctorum fælices obitus, Stephani, Roberti, Ottonisque, qui Galliam, Angliam, Germaniam coronarunt. Quippe Stephanus Gallus, Robertus Anglus; Otto ex prima Germaniæ nobilitate, Conradi Imperatoris olim frater, tunc Friderici patruus fuit. Ordiar ab Stephano, qui primus omnium obiit meritis clarus, miraculis gloriosus, & quidem de gestis in vita, multa omisimus, ne multiplici earumdem rerum similitudine grauaremus lectorem. At, quæ in morte euenerunt mirabilia; quin & eius, exequiarumque quamuis multa demamus, processum, & sepulturæ: nequaquam duximus silentio prætereunda. Referam autem ex actis vitæ eius cuncta depromens, plura etiam eisdem exprimens verbis.

2. [a] *Cùm igitur vir Beatus de hoc mundo transiturus esset; vna ex Abbatiis superius memoratis, proprio pastore longo iam tempore fuerat destituta. Quam visitare cupiens, vt eam legitimè ordinaret, quamquam finem dierum suorum imminere non ignoraret, instantibus solemnibus ieiuniis, quando cineres dari solent, cum quibusdam Abbatibus, illuc ire perrexit. Cùmque iam de re propter quam venerant, pertractarent, & inter se Monachi non conuenirent, vt de his, qui præsentes erant, Abbatem assumerent; missum est retro ad Monasterium, vt inde Prior, & alij quidam ad hoc idonei adducerentur. Interim Dominus Stephanus, ad visitandum Archipresbyterum regionis illius infirmum, rogatus perrexit: indeque regressus corporalem molestiam statim incurrit. Exhausta enim ieiuniis membra, febris inuaserat: quam, & labor corporis, & frigoris algor intimis medullis paulatim infuderat. Cumque in crastinum electio pararetur, iam enim aduenerant, pro quibus fuerat destinatum; porro ipsa tota nocte graui incommodo teneretur; non tamen tam necessarium opus censuit differendum: ne fortè eo moriente, aut penitùs frustraretur, aut negligentiùs impleretur. Sed quia eorum capitulo interesse non poterat, Abbati cuidam, qui authoritate cæteris præminebat, hanc ordinationem commisit, vt quem ipse iam, cum consilio fratrum elegerat, ab eodem Abbate, Pastor ibi statueretur. Quod statim absque mora, vel contradictione aliqua, est impletum.*

a lib. 3. in præf.

3. *Exinde vir sanctus morbo inualescente, grauius angi cœpit: propter quod ex communi domo, in liberiorem cellam translatus est. Fama quoque ægritudinis eius, cum vbique nunciis discurrentibus percrebuisset: postquam ad Obaciensium aures peruenit, vehementer omnes afflicti, & vltra quàm credi possit, turbati sunt. Quomodo enim, quamuis sanctissimus grex, tanto moriente Pastore, non turbaretur? cum scriptum sit*[b]*, percutiam pastorem, & dispergentur oues. Multi enim iam non exposita licentia, ad ipsum certatim pergebant, vel potiùs confluebant; vltimam saltem benedictionem, etsi aliud tunc non poterant, accepturi. Quos ille, vt Pius Pater, tanquam deuotos filios benignè suscipiebat, & singulos quosque benedicens,*

b Matth. 26.

cens, tactu blandissimo consouebat. Cæteri verò, qui remanserunt, planctibus, & vlulatibus perstrepebant: & tanquam finis mundi instaret, omnes penè sua opera relinquebant, & solis fletibus vacabant ..... videres omnes angulos gemitibus impleri. Suspiria suspiriis iungi: & communi lamentatione totius loci desolationem ab omnibus deplorari. Hæ lachrymæ filiorum in morte Patris. Verum de ipso Patre, audi quod sequitur.

4. *Cùm ergo idem Beatus, vi febrium acriùs vrgeretur, gaudebat quidem, quod ad desiderata bona transiret; sed dolebat, quod suos desolatos, & quasi orbatos relinquebat. Propter quod protensis in cælum oculis, ac manibus, Deum deprecabatur, vt locum sibi creditum semper illustraret, atque protegeret; & ouibus, quas per illum hactenus aggregauerat, benignus pastor existeret: & sua eas prouidentia gubernaret. Astabant ei omnes fratres, præcipuè, qui de eius Monasterio venerant; flentes inconsolabiliter, & dicentes: cur nos Pater deseris? aut cui nos desolatos relinquis? Sufficiebat nobis paupertas nostra, vt diuitias computaremus, quod te videremus Pastorem, & gubernatorem animarum nostrarum. Et nunc post te quid faciemus, vel ad quem in tribulatione nostra confugiemus? Porrò ipse, in quantum poterat, eos consolabatur, & instruebat: præcipiens eis, vt semper Deum timerent, & ipse liberaret eos ab omni malo. Nam & se ipsum eis dicebat præsentiorem post mortem futurum, & cuncta necessaria diligentius prouisurum: si tamen illi assiduis precibus obtinerent, vt ipse æterna requie frueretur. Cúmque illum rogarent, vt fratribus vtique Obacinæ quos orbatos relinquebat, vltima saltem mandata dirigeret: ipse nihil aliud eis præcipiebat, nisi vt Sancti Ordinis, quem susceperant, statuta firmiter custodirent, & sanctæ paupertatis, atque humilitatis obseruãtiam non desererent; obedientiam quoque, ac disciplinæ censuram omnibus modis seruarent; & vt semper pro se Dominum exorarent. Hoc enim tunc eis promisit, quod nullum vnquam legimus ausum fuisse promittere: quia scilicet si tantùm pro se Deum rogarent, vt ipse saluus fieri mereretur, quod ipse omnibus, præcipuè intra Monasterium morientibus, æternam à Domino, confisus de eius misericordia, obtineret salutem. Vnde præcipiendo monebat, ne à Monasterij habitatione vllus vnquam aliquo modo discederet.*

5. *Visitantium seruum Dei in infirmitate positum finis non erat: cùm tamen non nisi religiosi, vel quos deuotio traxerat, admitterentur. Nonnulli imò quamplurimi cereos ferebant, sancto eius funeri profuturos; omnésque eum, non aliter, quàm totius patriæ tutorem, ac prouisorem, deflebant. Et quia tempus præterierat rasuræ, ipse verò propter infirmitatem radi permissus non erat; incumbente iam morte, radi se incunctanter præcepit. Vt corpus ægrum magis excruciaret, & ad Deum omninò migraturus, nouus, & coronatus adueniret. Quod diuino nutu factum non dubitatur; vt saltem ex eius capillis reliquias haberemus. Cuncti enim diligenter collecti sunt; & diligentiùs reseruati, multis post modum infirmitatibus profecerunt. Cúmque iam morti euidentius propinquaret, ad ipsius petitionem oleo sancto perunctus est: & sacra communionis protectione munitus. Exinde post modicum pulsata tabula, omnes vndique conuenerunt, & Litanias cum magno fletu dicere coram eo cœperunt. Quas ipse frequentius repeti faciebat; & cum eis, moriens, prout poterat, decantabat. Cumque iam penitùs defecisset, apprehensa quidam eius dextera, monasterium, omnésque fratres signabat: ipso, quantum poterat, ad hoc nitente, & benedictionis verba, frigescentibus labiis, vix tenuiter proferente; sicque inter benedicendum, & orandum sancta illa anima carne soluta est. Igitur Venerabilis Pater Stephanus migrauit ad Dominum lætantibus cælis, terris plorantibus; illis pro admisso ciue, istis pro amisso Pastore: transiit autem VIII. Idus Martij, circa mediam noctem, quæ præcedebat Dominicam diem; anno ab Incarnatione Domini M. C. L I X.* Hactenus Sancti viri pretiosa mors. Nunc funus, & lamenta, ac glebam reducem in Obacinam vsque prosequamur [c].

[c] Vbi suprà in vita eiusdem Sancti.

6. *Corpus eius ex more compositũ, & sacerdotaliter indutum, quantum noctis supererat in Ecclesia est obseruatum; omnibus fratribus, cum quibusdam Abbatibus, qui conuenerant, deuotè astantibus, & vigilias cum magno cereorum apparatu solemniter coram eo agentibus. Mane autem facto, dictis ex more Missis, statim apprehensam sancti corporis glebam, de Monasterio, decente cum honore, & grandi .... exierunt, Abbatibus, Monachis, & cæteris fratribus præeuntibus, & subsequentibus cum maxima multitudine clericorum, simul, ac laicorum, qui ad tanti patris exequias ex diuersis locis se conuenisse gaudebant. Et cum paululum processissent, illico omnes pastores regionis illius, pueri pariter, & puellæ, relictis gregibus, ad sancti funus, summa cum festinatione, currebant: & sub feretro se ingerentes velociter in alteram partem transibant. Cúmque hoc perpetrassent, quasi iterum sanctificandi, hoc ipso aditu remeabant; & cum turbis ambulantibus aliquantulum properabant. Quod videntes cæteri exemplo puerorum admoniti, certatim sese impellentes sub Sancti feretro transibant, & iterum remeabant. Non tamen frustra. & absque fidei suæ mercede hoc facere potuerunt. Multi enim sic transeundo diuersis infirmitatibus liberati sunt. Populus autem innumerabilis vtriusque sexus per totum illud iter ad tam gloriosum spectaculum vndique concurrebat. Per omnes Ecclesias, ac Monasteria, per quæ transituri erant, signa illico omnia concrepabant, tam repentino fragore, vt putarentur non humana manu tangi, sed diuinitus commoueri: Sacerdotes cum stolis, clerici cum vestibus albis; Monachi decenter ornati, cum crucibus, & thuribulis obuiam Sancto corpori longius procedebant. Nec absoluendi, aut quodlibet officium peragendi vlla erat facultas: tantus erat crepitus signorum, & concursus turbarum plangentium. Omnis siquidem terra luctibus personabat.*

Pergit author de feruore deuotionis totius populi, quo Sancti vestimenta certatim inscindere, & sibi retinere: vel si non possent feretrum portare senes, iuuenes, viri, fœminæque, nobiles, ignobiles, aut si ne id quidem daretur præ multitudine, manu saltem contingere gestiebant. *Plures etiam sponte se, & ex industria discalceabant: sicque per scopulos, & acutissimas petras cum Sancto pergentes, non absque cruce reuertebantur.* Nec deuotioni miracula defuere. *Matrona illustris, illius terræ domina, cum magnis, & incurabilibus morbis in locis secretioribus vrgeretur, attactu feretri sanata est, & vsque ad interitum vitæ suæ sanissima perseuerauit. ..... Porro vnum cadum vini tantummodo habebant, ex his quos geminos portare asinus solet. Quod in vase effusum, in tantum sancti virtute præualuit, vt quingentos, & amplius viros per totam noctem sufficienter potaret, & plurimum in crastinum superesset.* 7.

8. Ventum est ad quandam grangiam domus Obacinæ, media via, inter vtrumque Cœnobium sitam, in qua nox peragenda disposita erat: sed qualem

duxerint, eadem acta describunt. *Corpus verò non in fratrum habitaculis, sed in amplissima domo, quæ exterius habebatur, positum est, vt & plures reciperentur, & deuotæ mulieres ab ingressu eius non arcerentur. Quæ scilicet domus, cum tota esset lignea, & paleis cooperta, deorsum verò ob sancti honorem, & aduenientium requiem, eisdem paleis vsque ad genua strata; tantam cereorum ardentium multitudinem continebat, vt de foris aspicientibus tanquam rubus ardens interiùs appareret. Quod cunctis mirabilibus mirabilius æstimo: vt inter tantam copiam palearum, & ardentium candelarum, inter tot viros dormientes, ac semiuigilantes, ignis nocere nihil potuerit. Nam, & qui vigilabant sacris excubiis, circa sanctum corpus occupati erant, cæteri verò in circuitu eorum semiuigilabant, aut penitus dormiebant. Deinde, cùm iam nox initium daret, Clerici albis, plures sericis cappis induti, primas vigilias solemniter peregerunt. Quibus finitis, cæteri qui remanserant, & qui tunc ex diuersis locis conuenerant; sic vt per totam noctem, alternatis vigiliis, sacræ excubiæ non cessarent, vt tam vicibus clericorum psallentium, quàm splendore coruscantium lampadarum ipsa nox diei claritatem, ac dignitatem sibi assumeret, sicut scriptum est:* [d] *Quia tenebræ non obscurabuntur à te, & nox, sicut dies illuminabitur.* Hactenus Author vitæ B. Viri, & paucis interpositis, subiungit.

d Psalm.138.

9. [e] *Mane verò, assumpto Sancti corpore, ad Obacinense Monasterium, quantocius properabant. In Tutellensi autem Cœnobio expectabatur, eo quod Abbas loci illius, & Monachi obtinuerant, vt in eorum Ecclesia aliquandiu poneretur. Cumque ibidem appropinquassent, mox signis sonantibus omnes Monachi solemniter induti, cum crucibus, & thymiamatibus, & cum omni populo obuiam Sancto Corpori longiùs processerunt. Condixerant tamen, vt posteà claruit, vt illud violenter in Ecclesia detinerent: aut aliquid pro reliquiis de corpore eius auferrent. Quod fratres præsentientes, in Ecclesiam eorum illud perduci non passi sunt: sed statim assumptum post factam absolutionem, humeris sustulerunt, & retrò conuersi, via qua venerant redierunt.*

e Vbi suprà circa mediū.

10. *Apud Obacinam, non nisi feria secunda illucescente, transitus Beati viri innotuit. Vnde statim dicta Missa post Primam, omnes à minimo, vsque ad maximum, præeunte Cruce, cum fletu, & vlulatu, obuiam Sancto Corpori, vsque ad duo milliaria processerunt: psalmos per totum iter, prout in tali discrimine poterant decantantes. Statuerant enim non se, nisi cum Sancti funere reuersuros. Et quamquam eos nonnulli fratrum, qui præibant ante illum, deturbarent, dicentes, eum vix tandem serò peruenturum; Nunquam potuerunt eos à cœpto itinere reuocare. Cumque iam fessi in cuiusdam promontorij planiciem deuenissent: repente leuatis oculis, vident cum magna populi caterua Sancti funeris apparatum accedere, & ad se quantocyùs properare. Aduenerat ibi multitudo virorum, cum aliis innumeris vtriusque sexus, atque ætatis, quorum plurimi cereos nouos detulerant, & aduentum Sancti, cum Monachis, & cum omni populo, accensis luminaribus, expectabant. Et ecce dum apparet, dum præsto est, dum tangi potest, tantus repentè clamor exortus est, vt putaretur non solùm terra, sed, & cælum aliquatenus commoueri. Fateor me nunquam vidisse, aut audiuisse, tam magnam, támque mirabilem vociferationem, tam magnum luctum, tantum clamorem, tantam simul lachrymarum effusionem.*

11. *Resumpta via, nam cuncta lamento cesserant, festinant Obacinam. Quò cum peruenissent, Venerabilis Domnus Geraldus Abbas, longè superius memoratus, qui tunc aduenerat, cum paucis, qui remanserant, & cum multis aliis, qui conuenerant feras ad nouum monasterium, indutus sacris vestibus expectabat. Videns autem feretrum adesse, & Sanctum in eo iacere, cum eum absoluere pararet, repente concidit, & super feretrum, quasi exanimis corruit; Tunc renouatus est luctus omnium, & in excelsa voces, clamores, & vlulatus resonabant. Habet enim hoc humanus animus, vt quamuis fuerit luctu, & lachrymis satiatus, postquam alios plorare conspexerit affectum temperare non possit: non cessantibus lachrymis, vbi lachrymarum causa non cessant. Tandem Abbas in se reuersus, vix quidem absolutionis verba depromere valuit; & Beatum Virum, vt facultas fuit, absoluit. Deinde ad Ecclesiam cum veneratione defertur, & per duos dies, incessabilibus excubiis adseruatur.* Pergit author de cæcis, mutis, surdis, claudisque, atque aliis variis languoribus detentis, intra hoc biduum sanitati restitutis; qui fuerunt in tanta multitudine, vt exceptores prorsus superauerint, & statim addit.

12. *Itaque, præparato sepulchro feria quarta hebdomada secunda Quadragesimæ dicta Generali Missa, & à cunctis Abbatibus, qui ex diuersis partibus, vel Ordinibus conuenerant, facta solemniter absolutione; Beati viri corpus in Capitulum tumulandum defertur, & in sarcophago lapideo collocatur. Igitur Beati viri corpore tumulato instrumenta funeris statim direpta sunt, & minutatim concisa; singulis, prout quisque potuit, partes sibi rapientibus, & pro his inter se pertinaciter decertantibus. Nam & ipsum feretrum ferris defectum, & ferramentis incisum in minutis partibus, est ablatum; vt ipsas quoque minutias à serra decidentes, in panniculis ligarent, & secum efferrent. Tanta erat fides, & deuotio populi; vt nihil, quod Sancti corpus attigerat, beneficiis vacuum deputaret. His ita peractis, populus omnis abscessit: Monachi verò circa tumulum congregati, psalmos vsque ad vesperam decantantes, ibi manserunt. Sed & cerei ardentes tota die illa, & nocte, imbi permanserunt: quin etiam in hodiernum diem, omnibus noctibus, aut olei, aut ceræ, aut vtriusque simul lumen ibi nunquam deficit. Nihil horum ex monasterio impenditur; totum à foris ministratur, tam ab his, qui ad tumulum deuotè, ac frequenter occurrunt; quàm ab his, qui multas ibi sanitates percipiunt. Plures etiam absentes per inuocationem eius sanantur, qui candelas suas ibi transmittunt, aut per se deferunt, tam ante sanitatem, quàm postea.*

1. Post mortem, Stephanus filiis sæpè apparet. 2. Psallens auditur. 3. Beatorum Spirituum de ipso testimonium. 4. Alia apparitio, miraculo firmata. 5. Detentorum in vinculis patronus. 6. Liberatorum, per ipsum, quædam exempla. 7. Nouæ fabricæ status cùm de... fit: protectioque. 8. Quid de Stephano Priore Obacinensi, 9. & scripta vita, & celebratum festum Abbatis Sancti.

CAPVT III.

1. VT mortem Stephani temporalem, æterna gloria; sic gloriam reuelationes sequutæ sunt, per miracula etiam confirmatæ, quo minus dubiæ. [a] *Cuidam fratri laico, cùm post obitum eius nimia mæstitudine teneretur; ex ipsa mæstitia soporato astitit Vir Beatus in visu, dicens ad eum: Quid habes frater, quod tanto mærore deprimeris? Cui ille respondit: Mæsti sumus Domine, & vehementer afflicti, quia nos tam citò deserere voluisti; cum posses nobis adhuc diu viuere, & Monasterium prosperè, ac fæliciter gubernare. Ad quem Sanctus, Ego, inquit, non videor tibi Abbas esse, sicut me semper videre consueuisti? Cui frater. Et si Abbas noster es, vt quid, modò alium in sede tua videmus? Tunc Sanctus iucundo ore, & quasi subridens, ita illi respondit. Ego vos non deserui, nec desero: vobiscum maneo semper, sempérque manebo.*

a Vbi suprà lib. 3.

2. *Alius frater laicus quidam, sed vir simplex, & innocens virum sanctum singulariter diligebat, atque ab ipso vnicè amabatur. Hic, cum ad vigilias nocte quadam Dominica ante alios surgeret, audiuit voces, psallentium, & veluti processionem agentium Monachorum; inter quos viri Dei vox, velut processionem illam regentis, clarius, ac robustius eminebat. Quo audito, festinanter ad Ecclesiam perrexit; vt inde commodius psallentium voces audiret, & virum Dei, si fieri posset, in sua sede stantem videret. Sed cùm introisset, voces psallentium conticuerunt. Et vltra audiri non potuerunt. Vnde manifestum est, tam ex priori visione, quàm ex istius certo auditu, virum Dei Domui sua nunquam deesse.*

3. *Dominus Robertus, Abbas tunc de Frameda, qui tertia post ordinatione nostro Monasterio præfuit, cùm peracta sepultura eiusdem Sanctissimi patris, in Refectorio cum fratribus ad mensam sederet, vt in tali euentu accidere solet, tædio, & mærore oppressus paululum obdormiuit. Cui repente apparuerunt duo fratres, qui ante aliquot annos obierant: ex quibus vnus sacerdos, alter Diaconus, ambo sancti, ambo religiosi in vita sua noscuntur extitisse. Qui, cum causas mæstitiæ eius hilari vultu requirerent, & ille decessum sancti viri, & communem orbitatem lachrymabiliter prosequeretur; dicunt ei scias domine, quia quanta est apud vos de eius abscessu tristitia; tanta est de præsentia eius apud nos vbique lætitia. His dictis euigilauit, & vltra eos videre non potuit.* Fuere & aliæ complures reuelationes factæ viris sanctissimis. Verùm nos, ex cunctis, vnam adhuc miraculo insigni comprobatam ex eodem Authore subiungamus.

4. *Quidam frater iuuenis, ac robustus carrucis boum præerat, qui vel propter oneris subleuationem, vel propter aliud quid, rupturam incurrit. Cùmque pondus ipsum super inguinem promineret, ac de die in diem magis succresceret: cœpit frater illo incessu grauari, & animo contabescere, cum rem ipsam prodere trepidaret, & propter magnitudinem mali dissimulare non posset; & quia tali incommodo absque incisione curari non valet, quæ olim in Ordine Cisterciensi interdicta fuit; ampliùs ex hoc anxiabatur, quia, & infirmitas illum grauabat, & medendi spes nulla erat. Quapropter humano destitutus ad diuinum confugit auxilium: Sanctúmque Patrem Stephanum tumulo eius crebrius aduolutus, assiduè precabatur, vt sibi in tanta afflictione posito, salutari remedio subueniret. Quadam igitur nocte, ei vir sanctus apparuit, & cur se tot clamoribus fatigaret, vel quam ob causam tam mæstus maneret? tanquam inscius, requirere cœpit. Qui, cùm ei omnem passionis suæ molestiam exposuisset: salem ab eo consolationem accepit: Noli, fili, nimium mæstus esse pro hac incommoditate; in proximo est enim, vt à Deo cureris. Euigilans autem frater, nihil quidem remedij sibi prouenisse deprehendit; quia tamen virum Dei videre meruit, & pro hac eius consolatione, non mediocriter lætabatur. Post non multum verò temporis iterum ei modo, quo priùs, apparuit; inquirens ab eo, quomodo se haberet: ille visitationi quidem eius gratias egit; sed tamen adhuc in nullo se adiutum fore respondit. Tunc Sanctus prominentem strumam salubri tactu compressam, ac velut in sese refusam, ita perfectè sanauit: vt deinceps in eius corpore non compareret. Dixitque ei: surge, & amplius noli vacare: sed opus tibi iniunctum strenuè adimplere stude. Ad hanc vocem statim expergefactus surrexit: & tacto infirmitatis loco, ita se exterius complanatum, & interiùs solidatum reperit, ac si nihil vnquam tale perpessus fuisset.* Referuntur, & plures aliæ apparitiones confirmatæ miraculis, quas longum esset ad amussim recensere.

Creditur Stephanus, speciali priuilegio, detentorum in carcere aduocatus, quod plures per ipsum legantur soluti vinculis. Eligam duos, quos, velut in aliorum exemplũ tradam [b]. *Quidam paterfamilias virum Dei familiariter diligebat, & tam ab ipso, quàm à fratribus, propter fidei eius deuotionem, non minori affectu diligebatur. Hic post transitum eius, à malignis captus, vinculis, & compedibus mancipatus est; & propter multas, quas habere credebatur, pecunias, sub districta custodia seruabatur. Quod, cum fratribus nuntiatum fuisset, vehementer afflicti sunt: & tam per se, quàm per amicos rogare cœperunt, eos, qui vinctum illum tenebant: vt eis suum confratrem, quem iniquè cœperant, accepta ab eo ratione, dimitterent: & nihil apud illos proficere potuerunt, sed inde illi asperiores fuerunt. Porrò vir ille captus, cum se à nullo hominum iuuari posse conspiceret, suum quondam amicum, nunc verò patronum Stephanum, precibus, non pedibus adiit, cum multis eum gemitibus inuocans, vt si quid apud Deum posset, suis se precibus liberaret. Deinde ex multa fatigatione, & tristitia soporatus, assistere sibi vidit eumdem Sanctum, velut increpantem se, & dicentem. Quid hic sedes, cum domus tua opera negligantur, & res familiaris depereat? Cui ille respondit: & non vides, inquit, Domine, quàm districtè ligatus compedibus hic teneor, & irrumpere nequeo? Ad quem Sanctus repetito sermone: iterum: vade securus,* 5.

b lib. 3. circa finem.

nihil hæsitans; quia non tibi nocebunt vincula ista, quæ tu formidas. Ad hanc vocem confestim ille euigilauit. Et cum se erigere tentaret, cuncta repente, vincula de eius manibus, & pedibus ceciderunt: ita vt surgere conatus, caderet præ stupore; habebat enim tibias à compedibus demolitas. Postea verò surgens agitabat intra se, quid ageret, cum egredi nimium formidaret; quia custodes vndique obseruabant: & qui eum ceperant, foras per publicum omnes astabant. Vicit tamen fides patroni, ita vt per medios custodes, & captiuatores suos, cum aliunde exitus non pateret, liber ad propria remearet, à nullo hominum, quò tenderet, requisitus, nedum detentus. Simile, quid eiusdem viri filio, non multò pòst contigisse probatum est. Sed adhæc maius quid saltem ex numero, quod eadem acta produnt, referamus [c].

c lib. 3. in fine.

6. *Venit quidam ad Sancti sepulchrum, vota reddens, & gratias, pro sua liberatione, factâque oratione, & posito cereo, cum à loco egressus fuisset, interrogatus, quis, aut vnde esset, vel ob quam causam tumulum Sancti expetiuisset; ait: Fuimus capti ego, & alij quatuor in quodam Castello: pedibus singulorum arctissimè simul in vna trabe constrictis. In quo ergastulo, cum nihil cibi, aut potus per quatuor dies penitùs gustassemus, inedia simul, ac dolore constrictus, Sanctum Patrem istum, de quo multa audieram, intimo cordis rugitu orare cœpi, vt nos à vinculis, suis meritis, & precibus liberaret. Cúmque hæc mecum tacitus euoluerem: velut in ecstasi positus, nec plenè vigilans, nec perfectè dormiens, vidi reuerendissimum quemdam religioso habitu, carcerem introire, cum quodam Monacho iuuenilis ætatis. Qui cùm me interrogasset, quomodo essem? vel quid ab eo tantopere postularem? Dixi ei: Domine vides in quanta afflictione, & calamitate detenti sumus: vnde precamur, vt si quid potes, adiuues nos, misertus nostri. Tunc ille dixit. Si ergo vis cum sociis liberari, apprehende clauum ligneum, quo cippus strictius tenetur, & mox dissoluetur, statímque surgens cum eis, egredimini, & pergite, vbicumque vos tutari possitis. Ad hanc vocem extemplò euigilaui, & ipse euanuit ab oculis meis. Statímque apprehensum clauum, leui motu detraxi: mox trabes illa ita soluta est, ac si numquam astricta esset: Surgens autem latenter socios excitaui, monens, vt cautè surgerent, nequis fortè euigilaret. Erat enim circa mediam noctem. Nec minus immò ampliùs timebamus soluti, quàm antea vincti: quia, & custodes intùs ante ostium dormiebant, nec poteramus, nisi per eos transire; ipsúmque ostium, ita ex industria erat compactum, quod nisi cum magno fragore aperiri non posset. Tandem animum fiducia roborantes, in eius fide, qui nos iam soluerat, & custodes transiuimus, & aperto ostio exiuimus, nullo audiente, vel sentiente. Sicque reliquum noctis spatium iter agendo conficientes, ad locum peruenimus, vbi saluati sumus.* Sunt, qui addant inueniendis rebus perditis, intercessionem etiam efficacem eiusdem Sancti, quod multa per furtum ablata restitui fecerit, quæ latè in eiusdem actis commemorantur.

Reliquit Stephanus inchoatam fabricam domus sumptuosiore ædificio, quàm vt potuerit anteà consummari. Sed consūmanda breui post eius mortem: Quin & ab igne per ipsum præseruanda. Nam cum domus contigua nouæ fabricæ hoc ipso anno, incendio conflagraret; & Aquilone flante, flamma vorax altè surgentes parietes peruaderet; repentè ad inuocationem nominis Sancti, *Ab austro ventus emergens, ita Aquilonarem, cum flammarum strepitu, retrò coëgit, vt fratres, qui ex aduerso stabant penè combusserit, & domum Dei intactam reliquerit.* 7.

Stephano in Abbatia Obaciensi primus Geraldus, mox Robertus successit, duo Abbates filiarum, de quibus supra; vterque reuelationibus illustris, & clarus meritis etiam vsque ad miracula. Vtrum autem Sanctorum virorum tempore, an post, Obacinæ alius Stephanus floruerit, officio Prior; qui inter Sanctos Cistercij commemoratur, in dubio nobis. Nec quicquam certi audemus diffinire. Certè, qui Stephani Abbatis mentionem faciunt, Ioannes Abbas, & Missale antiquum ordinis, eiusdem nominis Priorem statim memorant. *In Obacina* (inquiunt) *Stephanus primus Abbas. Ibidem alius Stephanus Prior.* Neutris tamen tempus designant, vt in aliis Seguinus,[d] cum sub Sancto Stephano Priorem fuisse tradit. Quod, cum non memoretur in eius vita, non statim credam. Meminit etiam Henriquez in Menologio: sed contentus, vt solet transcripsisse Seguini verba? Nobis commemorasse virum sufficiat, dum nulla clarior adhuc dies elucet. 8.

d lib. 3. c. 35.

Gerardi, ac Roberti (successorum Stephani) cura prouisum est, vt vita eius scriberetur, à quodam Monacho Monasterij Cisterciensis, qui illuc fuerat sub Rainaldo patre missus ab Stephano; ad Obacinam postea reducendus. Vt verè in ea dicere potuerit, nihil se scripsisse, quod non vel ipse viderit, vel ab his, qui viderunt edoctus esset. Scripsit, autem sub Alexandro Abbate Cistercij, adeóque circa annum M.C. LXXIV. Narrationem distinxit libris tribus, in quorum primo Cistercium præcedentia, in secundo, quæ vsque ad Sancti mortem sequuta sunt; tandem in tertio gloriosum eius obitum, & quæ post obitum, miracula euenerunt, longa satis describit narratione. Seguinus tradit anniuersario festo coli, ex quo hausit Henriquez; Qui tamen corrigendus de die obitus. Quippè designat Aprilis XXVII. Melius in suo Martyrologio Hugo Menardus [e], qui diem decimam Martij præscripsit, qua Sanctus obiit. Sed Hugo Menardus tres eius vitæ libros haud dubiè vidit, quos etiam ad compendium breue redegit. 9.

e lib. 2. obseruat.

1. Sancti Roberti Angli sancta dormitio. 2. Quanta illi cum B. Godrico familiaritas, 3. & cum Bernardo Patre. Sancti in morte lucta, victoriáque. 4. Gloria eius Godrico reuelata. 5. Funus, & miracula. 6. Mutus ad eum remissus à Sancto Thoma. 7. Inter Sanctos relatus. 8. Dictum de Hugone Abbate eiusdem domus. 9. Et de Godrico. 10. Et perpensa nonnulla, quæ ad historiam.

CAPVT IV.

1. SEQVITVR Sancti Abbatis Roberti pretiosa mors, non minùs læta Angelis, neque minùs dolenda desertis filiis. Is Cistercium in Fontibus professus, mox noui Monasterij in Nortumbria primus Abbas, quod præcedenti tomo memorauimus, prophetiæ dono clarus, miraculísque; sed longè

longe clarior meritis, vt Stephanus Galliam, sic Angliam ipse illustrabat suis exemplis. Habuit dum vixit, insignes duos amicos, Bernardum, & Godricum: illum, quem absens per spiritum inuisere, & à quo inuicem frequenter visitabatur: hunc, quem corpore præsens frequentabat: & quem non solùm secretorum suorum conscium: sed & conscientiæ iudicem elegerat, cui omnes suos defectus, etiam minimos, sacramentaliter absoluendus confitebatur. Narrat expressè, qui eius vitam scripsit [a]. *Sanctus Godricus viri Dei* (scilicet Roberti) *confessiones excipere solebat: Ad eum ergo crebrò accedebat, & inter se de morbis vitiorum, & virtutum remediis; itémque de secretis cælestibus, Angelicis visionibus, & sanctorum patrociniis conferentes, dies cum noctibus continuabant.* Hæc de Roberti cum Godrico arcta amicitia, quem & ex confessionibus exceptis sancti Abbatis, quamuis non Monachum, Eremitam tamen, ad normam Cistercienſium viuentem, in superioribus, ni fallor, coniectabamur.

a Apud Sur. mense Iunij cap. 8.

2. Cæterùm de Bernardo maiora adhuc: atque eo gloriosiora, quo separati præsentia corporali longo interuallo terræ, marísque; solis spiritibus aditus patebat, qui vel ipsis iacentibus intima cordium mutuò penetrabant. Multa in hunc modum referuntur de Sanctis viris, quæ singula prosequi superuacaneum foret. Transcribam tamen rem historia dignam, confirmatam miraculis; quæ & faciles suspicari de aliis mala, terrere; & eos, quibus sine causa detrahi solet, quod plerumque contingit, non immeritò valeat consolari. Eam idem, qui supra Author vitæ Sancti Roberti, qui tunc viuebat, narrat totidem verbis [b]. *Matrona quadam admonita à seruo Dei, ad meliorem se frugem recepit: spretáque mundi pompa, & ornamentorum fastu, atque vanitate, inter delicias domus suæ vitam solitariam agere videbatur. Sæpiùs ergo dominam illam vir Dei inuisere, & ad meliora incitare consueuit: sed ea res fratribus quibusdam prauarum suspicionum materiam præbuit, existimantibus familiaritatem illam, ab impuro amore proficisci. Iam multorum aures illi infecerant; & tandem etiam ad Beatum Bernardum querimonia delata sunt. Ad eum ergo cum venisset vir Dei, cuius & nomen, & meritum in spiritu iam illi reuelatum erat; vocauit eum ad se secretò, dixítque ei: Frater Roberte, falsa sunt ea omnia, quæ sinistra suspicio de te sparsit: atque in amoris argumentum dedit ei zonam suam, quæ meritis vtriusque multis postea ægrotis beneficium sanitatis attulit.* Hæc ex actis Roberti, integra fide. Vt palam fiat, ab his duobus Sanctis, quibus viuens adhæsit, Robertum neque in morte separandum; medium inter vtrumque, & qui Bernardum ante se præmiserit; Godricum antecesserit, non multò pòst vtrumque sequuturum.

b Apud Sur. cap. 7.

3. Ergo plenus dierum, ac virtutum, cum multos viros de sæculo traxisset, cùm propriam domum tribus filiabus, Rupe, Stanleya, Pipineláque, fontes neptibus tribus fœcundasset; cum in his omnibus obseruantiam Cisterciensem, miro feruore spiritus, non solum plantasset, & rigasset, sed promouisset: tandem febre correptus, in lectum decidit, inde ad Cœlestem requiem transiturus. Sed neque in morte immunis à periculis, post quam securitas gloriosior illi foret. Meminit huius luctæ, victoriæque Author vitæ ipsius, dum ita ait. [c] *Irruerunt autem in occursum B. viri spiritus nequam; sed pugnantibus pro eo Angelis Dei, illi pro sua temeritate pudefiunt; & in sinum Abrahæ Robertus Christi seruus deputatur.* Itaque ouans de spiritibus immundis, atque Angelorum, quos auxiliatores habuit, admixtus cœtibus, carnis trabæa, vt pallio, relicta filiis, ad Cœlestes Sanctorum sedes translatus est, mundo, & periculis æternum subtrahendus. [d] *Obiit autem* (vt eadem acta docent) *anno salutis M. C. LIX. VII. Idus Iunij.* Hæc acta Sancti, de transitu eius fœlici, ex præcedenti lucta, gloriosiori.

c Cap. 8.

d Ibid.

Cæterum, quam de eo reuelationem, vt vitæ consors, ita & mortis particeps, S. Godricus meruerit habere; ab eodem, qui supra, authore, scriptam, totidem verbis duxi referendam. *Is Godricus eo tempore, quo vir Dei migrauit è corpore, in cella sua manens, duos muros candidos vidit, ad Cœlum vsque porrectos. In his autem tres Angelici Spiritus videbantur, qui animam B. Viri, in specie globi ignei ad cœlos deferebant. Vnus ex iis ad dexteram, alter à sinistris erat; sed præter illos tertius quidam Spiritus supra omnium verticem, nimia cum exultatione antecedebat. Non enim, inquit, Godricus, ita disponente Deo, solus à corpore Robertus migrare potuit, sed cum eo quædam bonæ vitæ fœmina, Editha nomine, decessit. Etsi autem longis terrarum spatiis à se fuerint separati, attamen eadem hora in vna beatitudinis sorte sunt coniuncti.* Sic Sancto Patri, qui tot ante se præmiserat, tot ad Cœlos trahendos post se ducebat; comitem vitæ, ex longinquo, prouidit Deus, quasi ex consortio gloriosiùs coronando. 4.

Transitum viri, lachrymæ filiorum, interrumpentes funus, & mixti cantus fletibus, ad sepulturam vsque; sepulturam, miracula sequuta sunt, quæ tristes animos non nihil recrearunt. Surdi, Cœci, & Claudi, Mutique; donati auditu, visu, gressu, atque loquela; persuadebant præsentiam patris Sancti, nec dubitabant affuturum filiis, qui vel exteris opitulabatur per tot prodigia. Singula prosequi, nimis tædiosum, nec nisi rarò vsurpandum mihi putaui. Referam tamen patratum pòst annos aliquot de feruente iam cultu in S. Patrem, quæ hominum plerumque conditio est fastidire assueta, aut saltem ab eis parum immutari, vt vel ex eo facilius cognoscantur, quæ fecit præualente veneratione. Patrauit autem interuentu B. Thomæ de quo multa inferiùs cùm recens ad sepulchrum eius Religio, Roberti cultum antiquiorem obliterasset. Addet miraculo pondus idem Sanctus, non iam mortalis, sed gloriosus, atque ad hoc specialiter à Deo de Cœlo missus, vt quæ miracula ab ipso petebantur, ad Robertum remitteret, quasi potentius ea perpetraturum, sed ad rem venio. 5.

[e] *Quidam ex matris vtero mutus, diu cum multis lachrymis S. Thomæ Martyris opem implorauit. Et tandem per visum apparuit ei S. Thomas; iussitque eum celeriter proficisci ad nouum Monasterium, vbi à S. Roberto Abbate, perfectam esset, cura dubium, sanitatem adepturus. At ille in animo suo obmurmurans; quis inquit, mihi vel itineris dux erit, vel sumptus necessarios præbebit? Respondit S. Thomas: ille tibi dux erit, qui verbo cuncta creauit. Credidit homo, & latus eò perueniens, optatum vocis beneficium percepit laudans Deum.* Hactenus ex actis Sancti Patris, quæ Laurentius Surius euulgauit, nam reliqua aliunde desumenda. 6.

e Ibid. cap. 9.

Relatum inter Sanctos B. Virum, Martyrologium Romanum satis indicat ipsa die, qua obiit, in hæc verba. *In Anglia S. Roberti Abbatis Ordinis Cisterciensis.* Eadem habet Molanus ad Vsuardum, Petrus Galesinius, Franciscus Hareus, Arnaldus Vvionius, 7.

Vvionius, Hugo Menardus, Menologium Cisterciense, & alij eadem die. Miræus [f] item inter SS. Cistercij, nec semel memorat. Et cæteri antiqui, & recentiores. Laurentius Surius, quam M. S. inuenit Abbatis Sancti vitam, authore Anonimo, inter alias, quas edidit, vulgauit.

f In Chron. ad hunc ann. & Orig. Monast lib. 5. c. 14. & 17.

8. Quis S. Patri in Regimine successerit, in dubio est: & solùm constat, Nouum Monasterium sub alio Abbate S. floruisse, nempè Hugone; quem Ioannes Abbas, & Missale antiquum Ordinis inter SS. recensent. Sed an successerit immediatè Roberto, an longè post sequutus (nam ante non potuit) nullus omnino antiquorum memoriæ prodidit. Philippus Seguinus [g] de eo hæc habet verba. *Hugo Noui Monasterij Abbas vir scientia litterarum, atque morum Sanctitate clarissimus, qui ab vrbibus, amicis, & delicijs à Spiritu Sancto abstractus, eodem authore, Monastica vita se submittens, sua doctrina, & exemplo neophytos quamplurimos ad perfectam Cisterciensium normam adduxit. Fuit itaque ille disciplinæ Regularis studiosus obseruator, inediæ, & algoris patiens, in rebus aduersis forti, & infracto animo; iusti, & æqui tenax, nemo contemplationis diuinæ studiosior, nemo Dei amantior, nemo inter pares, & humiles submissior. Tam munificus in pauperes, vt vno ore omnes Hugonem, pauperum patrem appellauerint. Obiit in præfato Monasterio, signis, & prophetiis clarus, &c.* Hactenus ille, quæ eadem transcribit Henriquez in Menologio Aprilis XII. qua die Hugonem commemorat. Meminere & eius Robertus Rusca [h], Ioannes Maurolicus, & alij recentiores.

g lib. 3. c. 57.

h De viris illustri. in Occean. ann. Relig.

9. Venio ad Godricum, quem ex auditis Roberti confessionibus, aut Cisterciensem Eremitam fuisse, aut ad eam normam vixisse, non ego solùm, sed plures coniectantur. Adeò, vt Seguinus [i] eum Monachum appellet, cui subscribit Henriquez in Menologio [k]. Cæterùm nobis, quibus sola veritas ante oculos posita, nec quid dubium pro certo, aut è conuerso, asserere in animum induximus, ex quo Annales suscepimus scribendos; vt coniectura probabilis appareat, si vero niteretur fundamento; sic fundamentum ipsum suspectum est: nec Godricum Roberti Confessiones, sed Godrici Robertum excepisse, inde coniector, quod Nicolaus Dunelmensis, coæuus author, atque eidem Godrico familiaris, & laicum, & idiotam fuisse tradat; atque eadem causa, pro Canonicis, quas ignorabat horas, aliàs sibi orationes substituisse, quas sine interpolatione recitauerit. Audi tu ipsum loquentem apud Arsfeldium [l]. *Stata verò, certáque quadam, de more Ecclesiæ, quasi orandi pensa, ad mediam noctem, diémque ad solis Ortum ineunte, ad tertiam, ad Sextam, ad Nonam, ad Vespertinam denique horam, à se seuerius exactor exegit. Quas nulla vnquam de causa, aut quocumque obiecto impedimento prætermisit: sed ad vnguem (non illis quidem, quas Ecclesia præscribit, quas non tenuit, & quibus non astringebatur, cum merus esset laicus, precibus, sed quas sibi priuato instituto ex Psalmis, & aliunde composuerat) obseruauit.* Ergo, aut in Surio, inuersione facili casuum, per scribentium incuriam mendum irrepsit; aut compensanda authoritate authoritas, in dubium reuocat fundamentum coniecturæ.

i lib. 3. c. 30.

k Maij 21.

l Saeculo 12. c. 45.

Quid si Robertus non in Nouo Monasterio, quo vita functus, imò neque in Fontibus, è quibus Cistercium hausit; sed Vvitibicensi Cœnobio Godricum nouit; idque antequam Eremum ingrederetur? Nam & de illo ibidem Monachum fuisse, superiùs vidimus: & de hoc item in actis eius legimus, anno immediato ante ingressum Eremi prope Dunelmium [m]. *Secessit verò pòst reditum ad solitudinem illam, in Aquilone positam, quæ* Strenesshal *olim, hodie vsitatius Vvitibus dicitur; locum Cœnobio diuæ Hildæ celebrem: Vbi annum, & aliquot menses commoratus, Dunelmium tandem profectus est.* Vt non immeritò liceat coniectari, ibi Robertum, qui antea Sacerdos, imò, & Parochus fuerat, excepisse Godrici Confessiones, & cum eo colloquia sancta miscuisse, de remediis vitiorum, qualia decebant iuuenes, qui tunc primùm aspirarent ad perfectionem. Certè si Acta, & vitam perpendamus, nam id etiam fatebor, compertum est, nullam sumi pro Grodrico coniecturam, qua Cistercio adhæsisse credi possit. Cùm tota series vitæ eius repugnet potius, nec ad Cistercium trahatur, nisi violenter. Legat, qui velit Nicolaū Arsfeldium citato loco. Nos neque certas glorias Cistercio demimus, nec dubias mendicamus. Sed neque ea prima Cistercij sæcula, quæ alienis indigeat, illustrari. 10.

m Apud Arspheldiū.

---

1. Otto Frisingensis Præsul è Curia primùm, 2. dein à propria Ecclesia discedit. 3. In Morimundo febre corripitur. 4. Et retractatis, quæ pro Gilberto scripserat, moritur, 5. in concursu capituli generalis. 6. sepultura in Ecclesia, 7. & epitaphia, 8. abs Radeuico composita. 9. Quàm Friderico tristis patrui mors. 10. Verum ipsi, quàm fœlix. 11. Qualem Ecclesiam suam Otto reliquerit. 12. Quæ monasteria extra Cistercium struxerit. 13. Scripta eius. 14. miracula post mortem.

CAPVT V.

1. DVM hæc in Gallia, atque Anglia diuulgata, illustrabant Cistercium, atque Angelos Sanctos, tantorum accessione ciuium lætificabant; vtrique Abbati se socium adiunxit, totius Germaniæ, atque æui illius decus, Pontifex Frisingensis, Magnus Otto, qui, cum relicta Curia Imperatoris, ac propria sede eidem commendata, generale capitulum Cistercij, de more peteret; seu potiùs cùm Capituli occasione, quam sibi instare mortem, spiritu reuelante, præcognouisset, operiri inter suos desideraret; in ipso Morimundi Monasterio, vbi Nouitius, vbi Monachus, vbi Abbas imbibisset Cistercium, febre correptus, fœlici tandem obitu consummatus est; anima, statim; corpore, in resurrectione communi, inde in Cœlestem curiam transituris. Vt hoc anno, intra octo mensium spatium tres viros Cœlis inuexerit Cistercium, Stephanum, Robertum, Ottonémque quibus æquales fortè, si omnia compares, haud facilè illa ætas totidem daret. Sed de Ottone fusiùs, distinctiúsque ab eius Capellano Radeuico, qui & ipsius historiam continuauit, scripta libet proponere. Primum de tempore quod incidisse in hunc annum his verbis notat [a]. *Anno ergo ab Incarnatione Domini.*

a lib. 2. c. 11.

mini. M.C.L I X. Indictione V I I. Regnante Serenissimo Imperatore Friderico, anno Imperij eius I I I. regni V. memoratus antistes Otto, ab hac luce, Deo vocante, migrauit. Hæc Radeuicus de ratione temporis.

2. Verùm de ordine, & loco dormitionis; & qualiter diuino ducente nutu, & eidem Ecclesiæ valedixerit, ad Morimundum inde petrecturus; idemmet Authot narrat paulò inferius, *Supra dicto Principe Friderico, patruo suo in Italicam expeditionem iter agente, cum & ipse, sicut necessarius, & perutilis Imperij negotiis, ire debuisset; nutu diuino contigit iter ipsum detrectare, vt vir religiosus inter manus fratrum orantium, potius quàm, inter strepitum praliantium expirans, dicere posset: Domine, suscipe me, vt cum fratribus meis sim, cum quibus,* &c. *Benignè verò ab Imperatore dimissus, multis gemitibus commissam sibi, sua benignitati commendauit Ecclesiam; ac quodam spiritu prophetico de fine suo prascius, ne post mortem suam ipsam aliquo modo grauaret, & libertate electionis, vt iam sapius anteactis temporibus, in aliis Ecclesiis factum dicebatur, eam nullo modo priuaret, postulauit. Accepta autem de hac probabili petitione fideli laudamento, ad propria reuersus est.* Hic Ottonis à Curia discessus fuit.

3. Sed cum nec in sua, quidem Ecclesia, verus Cistercij filius satis quiesceret, aut se inter suos adhuc esse putaret, quandiu non inter fratres Morimundenses cum quibus viuere, & mori prælegisset. *Cum aliquibus de morte sua, seu per visiones, seu per somnia reuelatum fuisse, referentibus, & commonentibus quibusdam religiosis, cognouisset; salutatis fraterna charitate media, quàm intimè fratribus, & vale dicto; occasione visitandi Cisterciense capitulum, viam capit; & iam dudum languore, ac debilitate corporis inualidus laborioso itinere, nihil tamen adhuc suis, qui secum erant, metuentibus, ad pranominatum Morimundense Monasterium peruenit.* Hactenus Radeuicus. Vt planè videas nihil minùs Ottonem à magnis Sanctis; cuius mortem reuelationes præcesserint, & cui eamdem, & tanto ante præscire, & eius locum eligere, & consequi, singulari priuilegio concessum fuit.

4. Processum mortis, & sanctam viri sancti pro conscientia mundanda solicitudinem; quin, & specialem de defenso à se Gilberto, scrupulum; retractationémque, si quid pro eo dixisset minus solidum; idem, qui suprà Author ita prosequitur. *Ibi per aliquot dies lecto cubans, & iam de obitu suo nequaquam dubius, dum sacro liquore olei, sicut moris est, perunctus fuisset, & de pecunia sua laudabili testamento ordinasset; inter catera, qua solicitus de salute sua, praeuidebat, etiam hunc codicem (scilicet quem scripserat de gestis Friderici, & Radeuicus ipse continuabat) manibus suis offerri pracepit; cumque litteratis, & religiosis viris tradidit, vt si quid pro sententia magistri Gilberti, vt patet in prioribus, dixisse visus esset, quod quempiam posset offendere, ad ipsorum arbitrium corrigeretur: seque Catholica fidei assertorem, iuxta Sancta Romana, imò & vniuersalis Ecclesia regulam professus est. Deinde multa priùs cordis contritione, & humili confessione reatum suum recognoscens, sumptis sacrosanctis mysteriis, in medio multitudinis Sanctorum tam Episcoporum, quam Abbatum Domino spiritum reddidit.* Hæc de morte Ottonis, Radeuicus ipsius continuatot, qui paulò ante seipsum excusauerat. *Si amantissimi Domini, & nutritoris sui,* (nam sic vocat Ottonem) *flebilem interitum. prolixiori narratione prosequeretur.* Obiit X. Kalendas Octobris, vt statim videbimus: adeoque post Adrianum, eodem mense. Sed hic nobis dicendus visus est, ne electionis negotium diuideremus.

In epitome vitæ eiusdem Præsulis, quæ Morimundi extat, & quidem duplex, scriptum lego, Lambertum patrem hoc anno non Cistercij, sed Morimundi, capitulum celebrasse: quod etiam denotare videntur verba illa Radeuici. *In medio multitudinis sanctorum tam Episcoporum, quam Abbatum.* Et fœlix supramodum dormitio fuerit, quæ non solum in propria domo contigerit, verum ad quam conuenerint tot sancti, adstituri viuenti, atque animam egredientem commendaturi. Quin cui non solùm inter proprios esse, sed omnes etiam propinquos ad se trahere, ne quemquam suorum in Christo desiderare posset, singulari Dei gratia concessum fuerit. Cæterum quid cum Sanctis sanctus contulerit, & quibus se ad mortem, tum colloquiis, tum considerationibus, spem inter & metum præparauerit; ex eadem epitome descripsimus. *Contulit se Otto ad Concilium Cisterciensis Ordinis, quod Morimundi agebatur, vbi morbo oppressus, vocatis ad se in cubiculum Monachis, plura de bono Religionis, de immortalitate anima, de pœna damnatorum, de gloria saluatorum, grauiter sapientérque loquutus; ad postremum opera, qua ipse scripsisset emendationi patrum commisit: ac suscepto Eucharistia Sacramento, & Oleo sancto delibutus, animam Creatori suo reddidit.* Alia epitome assistentium lachrymas explicat, *Omnibus fratribus coram positis, quàm plurimum dolentibus, & ingenti eiulatu perstrepentibus.* Quæ in priori fortassis ideò omissæ, quia per se notæ. 5.

Soluta iusta Ottoni de viuis rapto, sed iam melius, securiúsque viuenti: nec dubium, quin tot patrum assistentia, pro dignitate cuncta peracta fuerint. Porrò de sepultura hæc Radeuicus. *Cum autem adhuc viuens locum sepultura sua fratribus digito pramonstrasset, extra Ecclesiam in loco humili, vbi scilicet ab omnibus fratribus calcari debuisset: huic eius vltima voluntati obuiandum putabatur, & intra septa Ecclesia iuxta maius altare honorificè tumulatus est; eiúsque sepulchrum à cunctis fratribus honore, ac veneratione dignum habetur.* Consonat altera vitæ Ottonis Epitome: atque hodie etiam sepulchrum perseuerat ad gradus Altaris maximi, eleuatum de terra, cunctis simul conspicuum, & venerandum. Adstitit funeri idem Radeuicus, & vt ipse ait, etiam morienti domino, extrema lumina propria manu clausit: porrò, vt nullum omitteret officium erga sibi charissimum patronum Epitaphium composuit, & tumulo, seu cœnotaphio eius inscribi fecit, versibus comptis, pro more illius æui, qui ita habent. 6.

Libram

Libram Phœbus subiit cum fatali tenente,
Luci nox praualuit die decrescente,
Vita minus habuit morte praualente;
Otto quando corruit rapitus; heu! repentè.
Hic si gradum consulis, præsul dignitate,
Formam, dicens, habilis; iuuenis ætate.
Genus, alta, nobilis regum maiestate.
Mores, commendabiles mira probitate.
Monachum se præbuit, si religionem.
Ideas asseruit, si positionem.
Virgo, cuius meruit intercessionem,
Eius, ad quam genuit, agat mentionem.
Cuius frequens otium in Philosophia;
Maius exercitium, in Theologia;
Fœdus sibi mutuum cum Philologia:
Nunc sit ei speculum summa Theoria.
Plangat hunc Germania planctu generali,
Magis tu Frisingia, orba viro tali,
Cui tot priuilegia dono speciali,
Iugi querimonia debes lamentari.
Huius in te studio, studium vigebat.
Grata disceptatio plures acuebat.
Quid mos, aut quid ratio nemo non videbat:
Fraus, & cauillatio latens, non latebat.
Hic sacrum Ecclesiæ sublimauit cultum.
Ipse dedit strepere logicum tumultum:
Hoc in eius cinere totum est sepultum:
Talem nemo plangere potest satis multum.
Quis nunc totam gratiam formis affirmabit?
Aut quis elegantiam dictis assignabit?
Quis ad consequentiam tropos reuocabit?
Heu qualem sententiam schola vento dabit?
Quid rerum, compactio sagax, dum rimatur,
Mathesis abstractio? quid dum contemplatur,
Quod nihil priuatio per hunc dum probatur,
Quid ambarum actio morte sciri datur.
Huius necem patria iustè dedignata,
Clara dolens atria rectore priuata:
De se benemeritum cernens in fauilla,
Iuit in interitum pariter, & illa
Tantas ad exequias turba populorum
Pias fundat lachrymas, mœstum ducens chorum
Ac preces continuas, & lamenta quorum
Illum saluet, animas, qui beat iustorum. Amen.

8. Hoc quidem longius Epitaphium per Radeuicum, quod idem author historiæ suæ inseruit. Ast aliud breuius versibus heroicis, quod non minus hîc duxi transcribendum.

Quidquid in Orbe beat præclaros, & meliores,
Præsulis Ottonis mirè cumulauit honores.
Si proaui, vel aui probitas, sacer Ordo, potestas
Deberent mortis furias cohibere molestas?
Non moriturus erat præclarè præditus illis.
Heu talem communibus accessisse fauillis!
Quàm facunda viri vox! qualis philosophia!
Hortatu regum docet edita Chronographia.
Luxit eum patria propria comitata ruina.
Propitietur ei Deus, & pia Virgo Maria.

Hactenus Epitaphia Radeuici, nam Monachi pro Epitaphio vitæ Epitomen, nec tunc fortè, sed postea composuere.

9. Mortem Ottonis, inter aduersitates Friderici, Radeuicus assignat, & quidem primam [b]. *Romanus* (ait) *Imperator, etsi in aliis omnibus secunda fortuna vsus fuerit, in morte tamen nonnullorum principum per idem tempus eius sauitiam, & cæcitatem expertus est; quorum, vt apud posteros nulla celebretur memoria, nobilitas generis, mentis prudentia, & egregia, tam animi, quàm corporis virtutes, non permittunt. In numero quorum primus fuit Otto Frisingensis Ecclesiæ Venerabilis præsul, huius historiæ, author, & feliciori fine futurus consummator, nisi, vt quidam incusant, fata virtutibus inuidissent.* Consonat Radeuico Guntherus [c] in Ligurino.

b lib. c. 21.

c lib. 9.

Inter processus lætos, & prospera rerum,
Magna repentino Regem iactura dolore
Perculit, & placidæ turbauit gaudia mentis.
Ille Frisingus Oto maioris causa doloris
Extitit, ingenuo comperta morte nepoti.
Qui patruus Regis, studiis in vtrisque paratus
Regia signa sequi semper consueuit, &c.

Ego Ottonis mortem altè perpensam, non solùm Friderico, sed vniuersæ Ecclesiæ aduersam dixerim. Quippè imminente schismate prolixo, à Friderico excitando, fouendóque; quem si quis alius, patruus coërcuisset.

10. Sed, vt aduersa Ecclesiæ, & Friderico mors viri Sancti; sic ipsi Ottoni fœlix, & fausta fuit: neque solum ob admissa bona cœlestis patriæ; verùm quod duplici malo substractus fuerit: longo schismati excitando per nepotem; & suæ Ecclesiæ Frisingensis conflagrationi. Et de schismate quidem statim multa. De conflagratione verò vrbis Frisingiæ, hæc Radeuicus [d]. *Ottone Episcopo X. Kalendas Octobris, quod est circa solstitium brumale, defuncto; paucis post mensibus, Nonis Aprilis, quæ tunc fuit Dominica Palmarum, & est circa solstitium æstiuale, hora Matutina, ciuitas Frisingensis penitus, & penitus incendio conflagrauit; adeò, quod*

d lib. 2. c. 11.

(vt

(*vt taceam de maioribus Ecclesiis, quæ cùm ornamentis suis perierunt Sede ipsa, & palatio) nec vna quidem de minoribus capellis, & oratoriis superfuit. Domus etiam, & officinæ Canonicorum, & domus militum, exceptis valde paucis, cremata sunt.* Hæc duo præuenit Otto; quæ illi poterant grauissima accidere. Nec substractus remedio, sed dolori. Quippè vt expers tristitiæ iam beatus, sic efficacius ad Deum intercessurus. Priorem partem Baronius
e *Ad hunc ann.* item perpendit, sic enim ait [e], *Moritur hoc anno insignis virtutibus, & doctrina Otto Episcopus Frigingensis..... Subduxit magna misericordia Deus virum Sanctum, ne in senectute sua schismaticorum communicatione infici posset, qui adhærebat Imperatori.*
f *lib. 2. c. 11.* Posteriorem ante ipsum Radeuicus [f]. *Fœlix vtique, & pro meritis suis diuino munere donatus, vt antea raptus sit, quàm vnicam suam, dilectam suam Ecclesiam videlicet, cui ipse speciali, & intimo amore connexus erat, in fauillam, & cinerem conuersam vidisset, & subuersam.*

11. Inter illustria opera Ottonis memorantur incrementa suæ Ecclesiæ; quæ adeò sub ipso in vtrisque bonis creuit, vt quam exiguam, collapsámque accepisset, in primis instauraret, sed & sic promoueret; vt nulli in tota Germania inferior foret. Et de primæuo statu, satis suprà: at de hoc vl-
g *lib. 2. c. 11.* timo, eumdem audiamus [g]. *Hæc Ecclesia eo tempore in tali statu fuerat, quod rebus, ædificiis, & diuitiis omnibus pene collateralibus, & vicinis Episcopatibus, aut maior erat, aut æqualis. Cleri probitate tam insignis, vt in eius honestate, & disciplina, in liberalitate, in litterarum scientia, rari pares; meliores, & superiores in orbe Romano nulli haberentur.* Ergo, vt Abbas quondam Morimundi, sic postmodum Frisingiæ Pontifex, vtriusque Ecclesiæ incrementa procurauit, & fœlicissimè consequutus est. Hun-
h *In Cathal. Episcopor. Frising.* dius [h] non tam instauratorem Frisingensis Ecclesiæ tradit, quam fundatorem.

12. Sed neque extraneos vnquam reputauit quoscumque bonos. Præmonstratensem familiam eximiè fouit; adeò vt non desint, qui ei virum adscribant; nullo quamuis cordato fundamento. Certè duo illi Monasteria ædificauit satis illustria: anno alterum M. C. X L. Alterum M. C. X L I. illud à Benedictinis olim possessum, sed vastatum per Hungaros, mox per eumdem Ottonem instauratum: hoc à fundamentis extructum propè Frisingiam. Quin & tertium Collegium Canonicorum,
i *Orig. Monast. lib. 5. c. 16.* de quibus Aubertus Miræus [i] hæc pauca scribit. *Hic ipse Otto, ope fratris sui Henrici, Ducis Bauariæ Monasterium Scheftlain, per Hungaros vastatum instaurauit, & in locum Benedictinorũ, Pramonstratenses substituit anno Domini M. C. X L. Pariter de nouo instituit Monasterium Noua-cella, prope Frisingiam, pro eodem Ordine Præmonstratensi, necnon Schliercense Collegium Canonicorum.* Plura idem Auctor in Præmonstratensi Chronico, quæ facilè apud ipsum [k] videri possunt; & quidem, vt ego k *In Catha. log. Episcop. Frising.*
puto, hausta ex Hundio.

13. Scripsit Otto Chronicon illustre rerum gestarum ab orbe condito, ad sua vsque tempora, libros septem, eruditione, doctrináque refertos: quibus octauum addidit, de vltima futura ætate mundi, de Antichristo, de Aduentu Christi Iudicis, de Resurrectione corporum, de supremo Iudicio, de Pœnis inferni, de Beatitudine, de Angelis, atque id generis aliis; doctum sanè, & si cum Theologis illius ætatis compares, fortasse nulli alteri inferiorem. Scripsit item de rebus gestis à Friderico Imperatore, libros duos, continuaturus historiam, vt Radeuicus ait, nisi morte immatura præueniretur. At continuauit eam Radeuicus, duobus aliis libris superadditis, qui simul cum operibus Ottonis circumferuntur. Hæc omnia primum rara, & M. S. pro qualitate temporis; mox in paucis Bibliothecis delituere. Demum reperta Viennæ Austriæ in Cœnobio Scotorum, primum à Ioanne Cuspiniano, dein à pluribus aliis vulgata sunt, ingenti bono totius posteritatis. Non vllus alius scriptor illius æui, qui dignior fide, quem magis reuereantur quicumque boni. De eo, quotquot de scriptoribus Ecclesiasticis, egregia cum laude; sed præ aliis duo illustres Cardinales, nostri sæculi decus, Cæsar Baronius, & Robertus Bellarminus, Alter suorum Annalium multis in locis: Alter in libro de scriptoribus Ecclesiasticis, qui duo nobis sufficiunt pro decem millibus.

Virum vt inter doctos, doctorésve, sic inter sanctos commumeratum video. Tum in Missali Ordinis antiquo, tum à Ioanne Lirejo, & in Dialogo de prospero, & aduerso statu Ordinis. Cuius primum, vt credo, indicium fuit quod intra Ecclesiam communi omnium suffragio sepelitetur. Quamuis enim ex Regia prosapia potuit; at non crediderim vsos eo titulo, quem Otto abdicauisset in Monachatu. Dein sepulchrum in veneratione statim fuisse, Radeuicus affirmat, quem supra dedimus. Demum post mortem miraculis claruisse, Vvigulєus Hundius, [l] & Christophorus Genualdus [m] testificantur. Vnde virum Martyrologio Monastico, ipsa, qua obiit die, Hugo Menardus; Henriquez [n] Menologio suo inseruit: verum quia Radeuicum non vidit, mutata die; atque anteposita ad eiusdem mensis septimam. Apud hos facilè erit alios consulere. 14.

l *in Frising.* m *Tom. 1. in notis.* n *Septemb. 7.*

1. *Electio Alexandri, & Victoris pseudo-electio.* 2. *Vtriusque circumstantia*, 3. *ad Fridericum*, 4. *huius fraudes, per speciem consultationis*: 5. *& vocati Lambertus, Fastradus & Alipenudus.* 6. *Eorumdem, aliorumque consilium*, 7. *in deterius peruersum.* 8. *Fridericus Alexandrum Papam citat*, 9. *ad Synodum.* 10. *Ad quam Episcopos* 11. *Imperij, & Orbis congregat.* 12. *Quæ Catholicis displicuerint in eius litteris.* 13. *Demum quid Cardinalis Henricus egerit.* 14. *Alexandrum non fuisse Cisterciensem.*

CAPVT VI.

1. ACTVRI iam de Adriani successore, & schismate, quod Ecclesiam Dei diuisit per annos multos, haud aliis verbis melius inchoabimus, quàm his, quę ex actis Alexandri tertij in Vaticano Codice contentis, Cardinalis Baronius euulgauit. Sed & ea, quæ per nostros gesta sunt, pro verò Apostoli Petri successore, necessario requirunt notitiam schismatis, in quo Cistercium (quod

(quod aliorum pace dixerim)ingens profectò pars Ecclesiæ fuit. [a] *Sepulto igitur Adriano* (ait Codex Vaticanus) *Episcopi & Cardinales, tractaturi de substituendo sibi Pastore, pridie Nonas Septembris in B. Petri Apostoli Ecclesia conuenerunt pariter, & per trium dierum spatium ad inuicem de ipsa electione, sicut moris est, pertractantes, tandem omnes quotquot fuerunt, præter Octauianum tituli S. Cæciliæ, Ioannem tit. S. Martini, & Guidonem tituli S. Calixti presbyteros Cardinales, in personam Rolandi(quondam Ecclesiæ Pisanæ Canonici qui à Beatæ memoriæ Eugenio tertio primùm Diaconus tit. SS. Cosmæ,& Damiani,dein presbyter tit. S.Marci Cardinalis creatus, demum in Cancellarium curiæ promotus fuerat)authore Domino, vnanimiter concordarunt. Et inuocata Spiritus Sancti gratia assentiente Clero, & populo Romano, in Romanum Pontificem Alexandrum Papam tertium nominauerunt,& elegerunt. Duo autem, quos nominauimus, Ioannes, & Guido attendentes ad Octauiani electionem, secundario eum precaciter nominarunt.* Hæc Cardinalium portio, quantumuis minima (nam quis binarius numerus; vt cunctis aliis Episcopis, presbyteris, & diaconibus posset comparari ?) ingentis mox, & longæ diuisionis occasio fuit. Verum est, Octauiani fautores alibi quinque, [b] alibi etiam nouem numerari;sed qui postea fauore Imperatoris eius partes sequuti, etiamsi non elegissent,amplectebantur.

2. Qui Cardinales Rolandum elegissent numero XXI. (inter quos duo ex nostris Henricus & Albertus)seu Friderico putarent deferendum, velut Imperatori nondum schismatico, siue illum specialiùs præuenirent, de quo sibi timendum suspicabantur; ne aduersæ partis mendaciis deciperetur, aut ignorantiam prætendere valeret; longam ad eum de vtraque electione scripserunt epistolam quam licèt mutilam,adductam à Radeuico, [b] & pro maiori historiæ claritate,& quia ab Henrico, Albertoque subscriptam, ad litteram hic censui transcribendam. Est autem talis.

b lib. 2. c. 53.

Friderico Dei gratia, glorioso, illustri, magnifico, & sublimi Romanorum Imperatori, Gregorius Sabinensis,Hubaldus Hostiensis,Iulius Prænestinus, Bernardus Portuensis, Vvalterus Albanensis Episcopi. Hubertus tit. S. Priscæ, Ioannes tit. SS. Ioannis, & Pauli,Henricus tit. SS. Nerei,& Achillei, Ildebertus tit. Basilicæ XII. Apostolorum, Ioannes titul. S. Anastasiæ, Bonadies tit. S. Chrysogoni, Albertus tit. S. Laurentij in Lucina,& Vvillelmus tit. S. Petri ad vincula Presbyteri, Oddo Sancti Gregorij ad velum aureum, Rom. S. Luciæ in septa solis, Hyacinthus S. Mariæ in Cosmedin, Oddo S. Nicolai in carcere Tullij, Hardo S.Theodorici, Bo. SS. Cosmæ & Damiani, C.S. Adriani P. S. Eustachij, & Ioannes Diaconi Cardinales,voluntate, & spiritu in Domino congregati, salutem & gloriosam de inimicis victoriam.

3. *Quanto excellentia vestra maior à Deo collata est,& attributa potestas, & quantò sublimiorem inter mortales dignitatis locum constat vos obtinere, tantò ampliùs imperialem conuenit maiestatem, sacrosanctam Romanam Ecclesiam specialem, & vnicam matrem vestram,in omnibus honorare,& ei semper, & præsertim necessitatis tempore,salubriter, atque vtiliter prouidere. Quid autem diebus istis in eadem Ecclesia Romana contigerit, & quàm inauditum facinus ab his, quos filios reputabat, aliquantis diebus transactis fuerit perpetratum,dignum,imò dignissimū est, nos imperiali Celsitudini nostris litteris aperire. Nuper siquidem,cum Dominus noster, bonæ memoriæ Adrianus Papa, Kalendis Septembris apud Anagniam debitum naturæ soluisset, & de terris ad cælum, de imis migrasset, vocante Domino, ad superna; tres falsi fratres, Octauianus scilicet, & Ioannes de Sancto Martino, & Guido Cremensis, qui à nobis quidem exierunt, sed non fuerunt de nobis, transfigurantes se in Angelos lucis, cum sint Sathanæ*, &c.

Et infrà. *Ad hæc nouerit sublimis gratia vestra, quod Otto Palatinus Comes, occasione de intrusione Octauiani suscepta,præfatum Dominum nostrum,& nos omnes plurimùm infestauit, & Ecclesiam Dei nisus est scindere, & multipliciter absque rationabili causa turbare. Campaniam siquidem, & patrimonium B.Petri cum intruso, & apostatico Octauiano violenter intrauit,& terram ipsam studuit ei quibuscumque modis subiugare. Nos itaque,& tota Ecclesia Dei nobiscum maiestatem vestram suppliciter exoramus,vt tam violenta intrusione, ita sicut est intellecta, & diligenter inspecta, qualiter vobis ad salutem animæ vestræ,& honorem Imperij,super tanto negotio sit procedendum, diligenter attendatis. Considerate, & aduertite, qualiter circa Sacrosanctam Romanam Ecclesiam, & circa vnicum sponsum eius Dominum nostrum Iesu Christum, sine quo nec regnum potest aliquis obtinere terrenum, nec acquirere sempiternum,oporteat vos habere,& qualiter eam ab impugnatoribus,præsertim ab schismaticis,& hæreticis, ex imperialis officio dignitatis protegere debeatis modis omnibus, ac tueri. Nos siquidem,vos, sicut specialem defensorem,& patronum Ecclesiæ Romanæ modis omnibus honorare intendimus, atque ad augmentum gloriæ vestræ, quibus modis possumus, cum Deo aspiramus. Rogamus autem, & instantiùs supplicamus, vt matrem vestram Sanctam Romanam Ecclesiam diligatis, & honoretis, & ad pacem, & tranquillitatem ipsius, quibus modis imperialem conuenit excellentiam,intendatis, & tantam præfati inuasoris,atque schismatici iniquitatem nullatenus foueatis.* Hactenus Epistola, cuius lacunam ex alia Alexandri Papæ supplendam Baronius tradit,quæ facile apud ipsum videri potest. 4.

His litteris præuento Friderico; nec dubitante, de veritate facti, & valore electionis Christiano orbe, *potuisset facilè scissura illa sarciri*, vt Neubricensis ait, *potuisset multitudini paruitas cedere, nisi idem Fridericus Imperator veteri odio Rolandi, Alexandrum non ferens,partem Octauianam tuendam, fouendámque modis omnibus suscepisset.* Sed suscepit tamen, & qui Sedis Romanæ potestatem iniquo animo semper tolerauerat, intrusum, à quo timeretur(quippè casurum,si ipse se subtraheret,)quàm quem timeret legitimum Pontificem (Canonicæ electioni subnixum) habere maluit. Ergo ab vtrisque per litteras præuentus, (neque enim Octauianus eas omisit) non dubitans de persona veri electi, sed affectata ad alios dubitatione, veritatem, quam non ignorabat, obscuraturus; primum quidem congregatis Curiæ proceribus, mox nonnullis Episcopis; demum Lambertum Abbatem Cisterciensem, fortè tunc per Italiam visitantem, ingentis authoritatis virum, ad se vocauit,obtentui fraudis, & veluti abolendæ suspicioni, cui se obnoxium,nequaquam dubitabat, conscientia teste. Prætendit speciosum quidem, sed fallax, nec semel tantùm, nociuum consilij nomen: vt in arduis omnino necessarium, sic facilia si hinc inde ventilaueris, ancipitia, atque dubia redditurum. Et numero 5.

suffra

suffragiorum certo ex aulicis; honestamentum ab extraneis requirebatur.

5. Inter hæc Friderico infensi Mediolanenses, dum pacem ab eo, aut petunt, aut præstolantur, Petrum Tarantasiensem Archiepiscopum, & duos alios Abbates Cistercienses, venerabiles Fastradum, & Aliprandum, hunc Morimundi (nam Henricus, qui Lamberto successit iam decesserat) illum Claræuallis, suscepere patronos, per quos pacis negocium, velut per Angelos pacis, perficeretur. Hos, cum ad se venientes Imperator, quasi de cœlo missos, (sic ipse loquitur in epistola ad Eberhardum Saltzburgensem, vt mox videbimus) suscepisset, ad consilium adhibuit. Et cunctis residentibus proponit, rem planè arduam, nec definiendam leuiter; quippe ex qua pendeat totius Ecclesiæ Regimen. In aliis rebus errari leui iactura, in hac, animarum, pro quibus Christus obiisset, dispendium fore. Cæteris, ex successore Petri remedium promptū; sed huic, quis medeatur, si morbus ingruat? Promissam assistentiam Dei Ecclesiæ nec decipiendam vnquam: sed congregatam; sed discutientem causas, progresśusque; sed rerum merita, quantum hominibus licet, examinantem. Nunc duos se gerentes pro Pontificibus: vtrumque in alterum anathema vibrasse, vtrumque electionem suam ratam sanxisse: atque alterum schismaticum intrusum, quin & hæreticum, litteris datis per orbem pronuntiasse. Demum vtrumque ab ipso, per legatos, tanquam ab Ecclesiæ aduocato, & protectore, expetiisse auxilium; quod tamen inauditis adhuc partibus, cui impertiretur, prorsus dubitabat. Et se, vt certò numquam defuturum; sic dubio adesse nolle; ne forsan falsò. Congregetur Concilium Episcoporum; sic olim factum per Cæsares Catholicos, Constantinum, Theodosium, Iustinianum, vniatur Ecclesia, & coram ea appareat vterque Pontifex. Veniant, & proferant, quod quisque pro se habet, & neuter condemnetur, dum non audiatur.

6. Hæc, & similia Friderico proponente, quæ speciem pietatis præseferebant; dum nihil sibi, aut Regno, in sacerdotium arrogare videtur, sed tantùm quærere, cui debeat obedire; facilè fuit viros aliàs pacificos, atque zelantes pro totius Ecclesiæ pace, in consensum adducere, atque in eam sententiam inclinare; vt congregatis Episcopis, & Patribus, quorum magis intererat; pensatis electionis vtriusque meritis, inter se consulerent, vtri magis electo parendum foret. Nec dubitabant staturos pro Alexandro: sed dubitanti, vt dicebat, Imperatori, & petenti consilium non poterat honestè denegari. Ita placuisse duobus saltem Abbatibus, Lamberto, atque Fastrado, habemus ex epistola quadam generali, quam Patres post transmisere per totum orbem: de qua nos statim. Verùm Tarantasiensi Petro, atque Aliprando, fraude forsan detecta, displicuisse, argumento est: Quod, cum constet affuisse consilio Principis, quod ipse fatetur; haud tamen inter approbantes commemorantur. Nisi, si fortè Petrus inter Episcopos, Aliprandus inter religiosos viros prætereuntur, quod non crediderim. Sanè affuisse huic consilio Imperatoris, eius litteræ ostendunt, ad Eberhardum Saltzburgensem scriptæ, in quibus hæc, inter alia illi rescribit.[c] *Dum hæc Romæ agerentur, & nos, quid super tanto schismate agendum esset, viros religiosos, Archiepiscopos videlicet, & Episcopos consultaremus: superuenerunt quasi missi à Deo Tarantasiensis Archiepiscopus, Abbas Claræuallensis, Abbas Morimundensis, & alij Abbates numero decē, postulantes pacem Mediolanensibus.* Sic Imperator. Cæterùm siue omnes, seu duo tantum probauerint Concilium, in quo Patres conferrent inter se, cui ex duobus electis parendum foret: non sic haud dubiè intelligendum erat, quasi per eos decidenda causa veniret, nedum per Fridericum: sed vt de præstanda alteri obedientia maturè consulerent; nec sine plena notitia iuris, & facti, præcipites in vtramuis partem irent: Rursus vt Imperator Episcopos vocaret, non quibus præsideret; sed quorum ductu, vt decebat Christianum Principem, ad verum successorem Petri securus iret. Hæc Sanctorum virorum haud dubia mens, vt inter Alexandrum, Victorémque, (nam id nomen assumpsit Octauianus) faceret Fridericus, quod olim Stampis Ludouicus fecerat, cum lis inter Innocentium, & Anacletum agitaretur.

[c] Apud Radeuic. lib. 2. c. 69.

At Fridericus in deterius omnia vertens, nec sibi lucem per consilia quærens, sed velamentum; cum primum eam ansam oblatam videt; non de obedientia alterutri præstanda consultaturus conuocauit Episcopos; sed pro determinando vero Pontifice Synodum in Papia vrbe indixit, intrante anno sequenti celebrandam: & quatuor siue nuntios, siue legatos ad Alexandrum misit, per quos quasi ad audientiam citaretur, in eodem Concilio iudicando. Ita in epistola illa synodali anno sequenti scripta, in qua hæc inter alia memorantur. 7.

Deinde Venerabiles Episcopi Hermannus Verdensis, Daniel Pragensis, & Otto Palatinus Comes, & Magister Heribertus præpositus, quos Dominus Imperator, de consilio viginti duorum Episcoporum, & Cisterciensis, & Clareuallensis Abbatum, aliorúmque religiosorum tunc præsentium, Romam delegauerat, vt partes ante Concilij præsentiā Papiam euocarent. Sic in epistola in cuius verbis obiter aduerto, quantæ apud omnes Lambertus, & Fastradus authoritatis essent, quos solos designarunt ex propriis titulis, cum Episcopos tantùm numerassent. Quasi hi solùm numerum efficerent; illi vel singuli pondus decretis darent. Cùm his ergo legatis Fridericus tales ad Alexandrum, & eius complices (nec dubium quin ad Octauianum similes) quas idem Radeuicus adducit, litteras dedit.

8. [d] *Fridericus Dei gratia Romanorum Imperator, & semper Augustus, Rolando Cancellario, cæterisque Cardinalibus, qui eum elegerunt Romanum Pontificem, salutem, & omne bonum.*

[d] lib. 2. c. 55.

Quoniam diuina præordinante clementia Romani Imperij gubernacula suscepimus, oportet, vt in omnibus viis nostris ipsius legem custodiamus, cuius munere, cuius voluntate dignitatis nostræ apicem adepti sumus. In hoc itaque sacratissimo proposito constituti, cum omnibus Ecclesiis in Imperio nostro constitutis debeamus patrocinari; Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ tantò propensiùs debemus prouidere, quantò ipsius cura, & defensio à diuina prouidentia videtur nobis specialiter esse commissa. Ea propter de discordia, quæ in substituendo Romanum Pontificem inter vos suborta est, plurimum dolemus, timentes, ne occasione huius schismatis, Ecclesia Christi sanguine redempta, debeat dilacerari; præsertim cùm robur Ecclesiæ foris titubare videatur; quoniam vnitas ipsius, scissura domestica, interius dilaniatur. Vt autem huic pesti competens, & Deo gratum exhibeamus remedium, religiosorum virorum consilio generalem Curiam, & conuentum in Octaua Epiphaniæ, Papiæ indiximus celebrandam, ad quam euocauimus totius Imperij nostri, & aliorum regnorum scilicet

scilicet Angliæ, Franciæ, Hungariæ, Daciæ Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, & viros religiosos, ac Deum timentes; quatenus remoto omni sæculari iudicio, hoc tam magnum Ecclesiæ negotium Ecclesiasticarum tantùm personarum sententia ita sopiatur, vt & Deo debitus exinde honor deferatur, & Ecclesia Romana sua integritate, & iustitia non possit à quoquam priuari, vel status vrbis, quæ caput Imperij nostri est, inquietari.

9. *Proinde eruditioni vestræ mandamus, & ex parte Dei omnipotentis, & totius Ecclesiæ Catholicæ præcipimus, vt ad eamdem curiam, siue Conuentum veniatis, Ecclesiasticarum personarum sententiam audituri, & recepturi. Testis enim nobis est Deus; quia in hac curia, nec amore, nec odio alicuius personæ, quidquam aliud quærimus, quàm honorem Dei, & Ecclesiæ suæ vnitatem. Quod si ad tam celebrem Ecclesiæ conuentum, examinationis causa, venire volueritis, charissimi Principes nostri, & Ecclesiæ Catholicæ Hermannus Verdensis, Daniel Pragensis, Patres & Episcopi venerabiles, quos de palatio nostro ad vos transmisimus, vna cum Comite Palatino consanguineo nostro, aliisque Legatis nostris, securum vobis conductum præstabunt. Si verò iustitiam Dei, & Ecclesiæ in tam solemni Conuentu recipere nolueritis; videat Deus, & iudicet. Nos autem, ipsius fauente gratia, qui dat salutem Regibus, iustitiam Dei, quæ nullum magis quàm Imperatorem Romanum decet, prosequemur.* Hactenus Imperator ad Alexandrum Papam, & Cardinales.

10. *Porrò litteræ* (pergit Radeuicus) *quibus ad tantam discussionem Transmontanos Episcopos inuitauit, istæ pro exemplo sufficiant.*

c Ibid. c. 56. [c] *Fridericus D. G. Romanorum Imperator, & semper Augustus, Herimanno Brixiensi Episcopo salutem, & omne bonum.*

Quod in passione sua Christus duobus gladiis contentus fuit, hoc in Romana Ecclesia, & in Imperio credimus mirabili prouidentia declarasse; cum per hæc duo rerum capita, & principia totus mundus, tam in diuinis, quàm in humanis ordinetur. Cùmque vnus Deus, vnus Papa, vnus Imperator sufficiat, & vna Ecclesia Dei esse debeat; quod sine dolore dicere non possumus, duos Apostolicos in Romana Ecclesia habere videmur. Defuncto itaque Adriano Papa in Kalendis Septembris, Cardinales, qui columnæ immobiles esse videbantur, quibus sancta, & vniuersalis firmissimè inniteretur Ecclesia, non quæ Dei sunt, sed sua quærentes, & vnitatem Ecclesiæ scindentes, duos Pontifices elegerunt, & ambos consecrauerunt. Pro tanta námque, & tam perniciosa Ecclesiæ iactura, tota nimirum Italica Ecclesia conturbatur, & dissensiones, schismate orto in capite, iam in inferiora membra defluxissent, & totum Ecclesiæ corpus defœdassent, nisi nos consilio, & auxilio religiosorum virorum, qui spiritu Dei aguntur, tam impudicæ iniquitati, iustitiæ rigorem opposuissemus. Ne itaque in tanto discrimine discordiæ vniuersalis Ecclesia periclitari possit, Romanum Imperium, quod ad remedium tam perniciosi morbi diuina clementia prouidit, vniuersorum saluti debet solicitè prouidere; & ne tanta mala in Ecclesia Dei præmineant, futuris casibus solerter obuiare.

11. *Coadunatis itaque in vnum omnibus Episcopis, tam Italicis, quàm Teutonicis, cæterisque Principibus, ac viris religiosis, qui zelum Dei, & Ecclesiæ habere videbantur, quod facto opus esset, diligenter inuestigauimus, ex Decretis Romanorum Pontificum, & statutis Ecclesiæ veraciter accipientes, quod exorto schismate in Romana Ecclesia, ex duorum Apostolicorum dissensione, ambos vocare, & secundùm sententiam, & consilium Orthodoxorum litem decidere deberemus. Ex consilio itaque omnium, qui aderant Episcoporum, cæterorúmque Principum Curiam solemnem, & generalem conuentum omnium Ecclesiasticorum in Octaua Epiphaniæ celebrandam indiximus, ad quam ambos, qui se dicunt Romanos Pontifices, vocauimus; omnésque Episcopos Imperij nostri, & aliorum regnorum, Franciæ videlicet, Angliæ, Hispaniæ, atque Hungariæ, vt eorum in præsentia nostra, iusto declaretur examine, quis illorum regimen vniuersalis Ecclesiæ de iure debeat obtinere. Quia verò ad vnitatem Ecclesiæ reformandam, Sapientia admodum nobis necessaria est, vt ea nequaquam carere valeamus: dilectionem tuam attentissimè rogamus, & rogando commonemus, quatenus pro fidelitate Ecclesiæ, & Imperij, ad prædictam Curiam, omni occasione remota, venias, vt in aduentu tuo, vnitas & pax, & tranquillitas Ecclesiæ reformetur. Interim autem prædictæ scissuræ in neutram partem assensum tuum declines, nec tanquam iustam, & rationabilem aliquatenus recipias. Data Cremæ X. Kalendas Nouembris.* Hactenus conuocatoriæ Friderici, quibus similes multas per orbem dedit.

Porrò in his litteris offenderunt multa Catholicos, quibus nefas duxerunt consentire. Primum, quòd sacrosanctum Concilium profano nomine, curia, & Conuentus, contra vsitatum ab initio Ecclesiæ morem, nominaretur. Deinde, quòd indiceretur à sæculari, præfigente diem, ac patres conuocante, velut si foret sub ipso celebrandum. Tertium, quod Fridericus ad Alexandrum verba mandandi, præcipiendíque vsurparet. Quibus si Pontifex verus; quid insolentius? Si Cardinalis, quid impropriùs dici potuit? Quartum tandem, & adhuc perniciosius, quod sic ipse deberet præsidere, auditurus Episcopos, vt tamen sibi sententiam reseruaret. Id enim clarè sonant verba illa: *Secundum sententiam, & consilium Orthodoxorum, litem decidere deberemus.* Ergo his omnibus religiosi viri offensi, atque ingens piaculum rati si consentirent; firmum, omninóque fixum habuerunt, vt nullus penitùs Papiæ compareret néve assisteret illi Conciliabulo, quod nulla prorsus authoritate, diuino, & humano iure reclamante, congregaretur. Hæc Alexandri, & omnium Cardinalium eius; hæc item vniuersi Cistercij sententia fuit. Firmiter quidem ab omnibus seruata, quod anno sequenti latiùs ostendemus. 12.

Interim adnoto Henricum Cardinalem, nequaquam præstolatum præfixum tempus, quin ipse statim Friderico scriberet, increpans factum, & se protestans nequaquam affuturum. Cuius, etsi epistola non extat, legitur tamen memoria eius illustris in Synodali illa, quam postmodum sparsere per orbem, qui conuenerunt [f]. *Vidimus* (inquiunt) *scripta Henrici Pisani Cardinalis ad Dominum Imperatorem directa, in quibus expressè continebatur, quod nullum vellent Ecclesiæ subire iudicium, vel examen.* Nullum, inquam, Ecclesiæ, nempè illius, quæ Pseudo Ecclesia; nec legitimè in Spiritu sancto congregata, sed factiosè, profanéque coniuncta, seu magis diuisa: aliàs vir Sanctus, & qui cum illo erant, veræ Ecclesiæ iudicium non recusabant. De gestis contra Magistrum Raimundum hoc item anno ab eodem Henrico; déve eorumdem gestorum occasione, nihil habemus: præterquam quod damnata in conciliabulo quod in tempore reddam: honesta, & pro libertate Ecclesiæ præsumi debent. Atque hæc 13.

f In Epist. Encyclica.

hęc de gestis per nostros in hoc schismate sub huius anni finé,nam reliqua in sequentibus dicemus.

14. Id vnum tamen pro calce huius capituli,necessariò adnotandum mihi duxi, ne lector erret. Henriquez [g] qua pietate in Cistercium semper poller,multum esse in probando Alexandrum tertium,ex Pisano Canonico, in Claraualle Mediolanensi professum, inter nostrates fore numerandum:productis etiam antiquis M. S. quibus id asseratur. Haud tamen satis firma authoritate: futilia omnia neque iudicio scripta, sed pro affectu. Quippe. *Rolandus* (ait Codex Vaticanus [h] in eius actis) *cum esset in Ecclesia Pisana Canonicus, Clericus magni nominis, & charus haberetur ab omnibus, ad hanc Sanctam Romanam Ecclesiam à B. Eugenio est vocatus. Quem vbi, Deo authore, cognouit virum idoneum, primùm eum Diaconum SS. Cosmæ & Damiani, deinde in titulum S. Marci Presbyterum Cardinalem ordinauit: & tandem, quia semper de bono crescebat in melius, Cancellarium sedis Apostolicæ constituit.* Cùm,inquam,esset Clericus Pisanus,vocatus ad Curiam;non cùm Monachus; nec vllus hactenus eius vitam texuit, qui non concordet. Non egent pascua nostra furtiuis aquis, satis superque irrigua suis profluuiis: & Adrianus,Alexanderque Sancti Pontifices, per Eugenium creati Cardinales quamuis non ex Cistercio, nonnihil etiam ad Cistercij laudem conducunt.

g *Aug. 27.*

h *Apud Baron. hoc ann.*

---

1. Vasconum, & Pultuna,siue Bulglonda, 2. Dictum de Bouro,Abbatia Lusitana, 3. dubium Eremitarum an Cluniacensium. 4. Recens tunc reformata domus incendium, 5. redempta tura, 6. & priuilegia quædam: 7. Translatio,& conseruata forma prioris loci.

CAPVT VII.

1. ABBATIAS fundatas hoc anno duas inuenio,vtramque augentem lineam Claræuallis;Vasconum,& Pultunam. Alteram XII. Kalendas Aprilis; Alteram nulla certa præfixa die. Porrò Vasconum vnicam Castellarij filiam tabulæ præseferunt, sitam in Diœcesi Petragoricensi, in qua etiam notatur in libris Cameræ, octo & septuaginta florenorum taxa præfixa. Pultunam, seu Buglondam,vt alij volunt,Cumbemara in Anglia genuit,incerta tamen Diœcesi. Nicolaus Arsfeldius [a] Bucklandiæ meminit,eiusdem,an diuersæ? in Comitatu Deboniæ,paucis pro more. *Bucklandia*, inquit, *Titulo S. Mariæ, & Sancti Benedicti. Fundatrix Amicia Comitissa Deuoniæ: Isabella Fortibus, & Domina de Insula Benefactrix. Monachi Cistercienses.* Memorat & aliam Bucklandiam in Comitatu Semersetensi, sed quæ non subfuit vnquam Cistercij legibus.

a *In Catalogo Sacror. Ædium Angliæ.*

2. His duobus Cœnobiis Abbatiam addo, in Lusitania sitam nomine Bouro (Burium alij dicunt) quam Alcobatia,nondum adulta domus adoptauit in filiam,cùm antea ab Eremitis incoleretur. Domus in Bracharensi Diœcesi posita inter abrupta rupium initium habuit à Pelaio nobili viro, cui cognomen Amato,ob nimiam,qua pollebat, gratiam apud Henricum, Alphonsi Regis patrem; cum Munia vxore, & Oriana filia viduatus, & orbus Eremiticam vitam, sub Eremitæ senioris magisterio complecteretur. His lumina, vt ferunt, in nocte visa, imaginem virgineam, incertum, vnde adductam, sed hactenus occultam, reuelarunt. Inde ad imaginem inuentam miraculosè, populorum concursus; atque Eremitæ ædificiis, & sociis aucti, creuerant in conuentum, quem Munius Abbas post obitum Senioris, & Pelaij, administrabat. Visitauit hunc Alphonsus Rex, atque promouit pingui dotatione: nempe integro castro Sanctæ Marthæ, & Regia parte Salinarum Fari (id loco nomen)quorum prius Anno M. C. L I I. posterius M. C. L V I I I. priuilegiis firmauerat, quæ hodiéque in Cœnobio perseuerant. His possessionibus auctam Bouri domum, eiusdem Regis consilio,auxilióque, Munius Abbas Cistercio hoc anno tradidit, sub filiatione domus Alcobaciæ, in qua ipse professus; & inde secum Monachos adduxit, qui reliquos docerent Cistercij mores. Hæc ex Bernardo Brito [b] Lusitano ad compendium redacta de Bourensis Cœnobij reformatione.

b *lib. 5. cap. 6.*

3. Brandaonius antiquiorem facit domum,monumento producto, quod non ab Eremitis, sed à Monachis Cluniacensibus inhabitatā tradidit, ab anno D. C C C. L X X X I I I. cuius hæc verba[c], *A Sancta Maria de Bouro, Monasterio Cluniacensi in Montanis, ab anno vsque octo-centesimo octuagesimo tertio, soluitur Ecclesia Bracharensis.* Mihi haud minus difficile apparet inhabitatum locum primum à Monachis,mox Arabum incursibus desertum, accepisse Eremitas; atque in eo imaginem à Monachis relictam,inuentam esse, quam lumina cœlestia demonstrauerint. Verùm quod dicitur monasterium Cluniacense, ab anno D. CCC. LXXXIII. quomodo stare possit,minus capio; non incepto Cluniaco Monasterio,nedum congregatione,ante annum Christi D. CCCC.X. vt in chronico eius videre licet. Potuit Bourum subiacuisse tot mutationibus, vt primo Benedictinum nulli vnitum,mox Cluniacense, postmodum desertum; sed inde ab Eremitis inhabitatum, tandem Cistercij iura vendicauerit. Certè, vt à Monachis antiquitus possessum monumentum confirmat, quod adduximus; sic & ab Eremitis aliud probat sequenti numero à nobis adducendum.

c *lib. 11. c. 2.*

4. Vtcumque fuerit,Cistercio recens admisso, noscitur conflagrasse; dubium, sub Munio, an sub eius successore; tamen intra triennium; nam anno Christi M. C. L X I I. Alphonsus Rex priuilegiis igne absumptis,nouū aliud substituit,restaurans reliqua;cuius hæc inter alia verba leguntur [d]. *Ego Alphonsus Rex Portugaliæ,vna cum filiis meis, facimus cautum vobis Abbati de Burio Domno Pelagio, & vestra Eremo; vestrisque successoribus in perpetuum promouendis, sicut iam alij Abbati feceramus? Sed, quia Scriptura vestra in domibus vestris cum aliis rebus arsere, cautum illum deletum esse, & eleemosynam nostram destitui, Deo donante, passi non fuimus.* Hactenus ibi, de conflagratione domus,& priuilegiis eidem restitutis, Alfonsi primi Regis prouida cura.

d *Apud Brandao. loco supra.*

Ferunt priuilegio obtentum, an consuetudine, vt quos Vasallos Bourensis Abbas habet, nulli alteri

alteri seruiant, Rege excepto; quod adeò ab antiquo obseruatum, hodie etiam manere testatur Brito, vt, vel qui proprio sudore sustentandi ditionis illius terminos egrediuntur, quod in montanis Lusitaniæ frequens, fœcundioribus hominum, quàm fructuum; non in Castellam vt alij proficiscuntur; sed trans mare in Africam, Regia ibi stipendia merituri. Hos subditos cùm post centum annos, plus minúsve, Reges sibi repetere voluissent, redemit Cœnobium, mille nummis aureis (Marapetinos aureos tabulæ vocant) cuius redemptionis instrumentum authenticum hodiéque conseruari, idem, qui suprà, Brito testis existit. *Datum Brachara, tertia die Iunij, Æra M.CC.XCIV.* Hoc est, anno M.CC.LVI. Porrò cum adhuc, Regni successores cupido inuaderet, tales subditos sibi restituendi, nec deesset, qui vellet recuperare; vltimò tandem Dionysij Regis gratia, indultum est, vt salui, & integri Monasterio permanerent; priuilegio expedito *Olisipone die XIX. mensis Martij Æra M.CCC.XVII.* id est, anno M.CC.LXXIX.

6. Subsunt hodiè Bourensi Abbati pleno iure, atq; Ecclesiastica, & ciuili iurisdictione, oppida quinque vltra montes, vt dicunt posita. Comba, Vallbona, Macedo, Veuche-vajum, & Villarium. Porrò cùm hæc, irrumpentibus Gallecis, Lusitaniam, sola incolarum fuga viderentur imminentem euasura desolationem; congregatis ex eis sexcentis viris, atque in agmen dispositis, qui tunc præerant Bouro egregius Abbas, eo animi ardore hostes præuenit, vt plurimis occisis, nec paucis captis, reliquos omnes in turpem fugam ageret, non vltra in eius fines irruituros. Ex tunc Bourensis Abbas, creatus dux, & bellica insignia illi indulta Principum priuilegio, vt suis præsit, in bello æquè, & pace. Hinc Regibus perrecturis aduersus hostes, isdem Abbas, cum aliis Regni proceribus, delectum facere, copiásque instruere, per Regias litteras nominatim iuberi solet.

Idem Bernardus Brito Lusitanus, auctor extitit, [e] Monasterium translatum à primo loco, in non longè distantem, sed commodiorem, in quo hodieque manet: perseuerante in priori parua Ecclesia cum Imagine sacra Mariæ Virginis, quæ dicitur clarere multis miraculis. Nomen ex antiqua fundatione *Da Abbadia*, quòd illic tum Abbas, Conuentúsque. Hodie Monacho gaudet assistente, qui venientes excipiat (nam ab incolis terræ, frequentatur; imò ab exteris) & cultum Virginis sine quæstu, promoueat non sine sumptu. Nouam Ecclesiam dedicatam lego Octobris die III. eandemque per annos singulos recoli, non sine debita, & festiua solemnitate. Hæc ex Bernardo Brito, atque Guillelmo, [f] qui non minori cura, studióque de Monasteriis Lusitaniæ scripsit; quamuis quæ scripsit, nequaquam vulgauerit. In Chronologia Bourum, siue Burium postponitur decennio, rarum in his Ecclesiis, quæ ex alienis, ad nostros transierunt; quippe plerumque solent anteponi. Sed qua ratione Bourum dilatum sit, aliorum linquo iudicio discernendum. 7.

[e] *In Chronico Cisterc.*

[f] *Extat apud me M.S.*

Iesv Christi Ann. 1160. | Cistercii Ann. 63.

1. Cistercienses Papiensi Conuentui non adsistunt. 2. Henricus Cardinalis in eo excommunicatur. 3. Imperator non obedientes Victori exilio multat. 4. & inter alios Conradum Pataviensem. 5. A Sancto Petro Tarantasiensi corripitur. 6. Ob cuius reuerentiam, 7. quibusdam detrahentibus ei scitè respondet. 8. Egregium B. Petri Encomium. 9. Persequutio suborta in Cistercienses. 10. Quorum complures sedibus suis pulsi. 11. S. Ailredus contra Papiensem Conuentum prædicat. 12. & pro vero Pontifice Alexandro. 13. De quo etiam Gilbertus de Oilandia. 14. Lamberti, & Fastradi pro Schismate sedando solicitudo.

Capvt I.

1. Initium anni millesimi centesimi sexagesimique, à condito Cistercio tertij & sexagesimi maculauit Papiense conciliabulum in Octauam Epiphaniæ indicto à Friderico, mox parumper dilatum: ac demum continuatum per dies octo. In quo Octauianus, Victórue susceptus; & Alexander tertius, olim Rolandus, inuasor, & intrusus declaratur. Facilè condemnantibus partem non comparentem; qui forent, vel per se allegantem condemnaturi. Eiusdem acta legere, qui volet, Baronium consulat, qui exactè recenset. Quæ hos Annales concernant, hæc tantum video. Primùm, neminem prorsùs ex Cistercio interfuisse Conuentui; cum tamen plures atque hi etiam Catholici, nec solum ex Germania, Italiáve, verùm ex Gallia, per se, aut per procuratores suos illuc aduenerint, vtrumque constat ex eiusdem Concilij actis, & litterarum, quas vltro, citróque missas, idem Author recenset, subscriptionibus. Secundùm est, Henricum Cardinalem, tit. SS. Nerei, & Achillei, nec rogatum, spectatúmque adesse voluisse. Quod in epistola Synodali encyclica iidem, qui conuenerunt, testificantur [a]. *Super hæc omnia* (dicunt) *idem Henricus* (Pisanus Cardinalis) *& Otto Cardinalis S. Nicolai in Carcere Tulliano, qui tempore Concilij, & ante, apud ianuam morabantur, per octo dies à Concilio toto sunt expectati; & per litteras, & per Nuncios Concilij sunt vocati; & contempserunt venire.* Adeò fortassis melioris notæ patres desiderati in eo conuenticulo, vt vel ex aduersariis solicitarent, quos possent proferre; vincendos numero, sed factis pondus, vel victos, addituros.

2. Tertiò in eodem Concilio non planè omnes, neque enim eò impudentiæ furor abiit, vt totam Romanam Ecclesiam extra se faceret, sed Rolandus (Alexandrum tertium dico) & pauci Cardinales, anathematis gladio percussi sunt; inter quos primus, vel inter primos idem Henricus; siue quod pro Alexandro virilius ageret, siue prætenso, quod ipsius

[a] *Radeuic. lib. 2. cap. 70.*

ipsius mandato, Magister Raimundus Cardinalis spoliatus, & cæsus. Quod tamen nisi Alexandro præcipiente, siue alia causa factum honestante, de Sanctissimo,& modestissimo viro non crediderim. Factum alter Henricus Battersgadensis, apud Radeuicum, ad Eberhardum Saliztburgensem his scribit verbis [b] *Secunda verò post hac die sæpè iam dictus Dominus Victor, celebrato Synodi officio, alterius partis Principem, cum quibusdam suis fautoribus, Episcopis scilicet Ostiense, & Portuense, eo quod consecrationis manum eidem præsumpserant imponere, Cardinalibus etiam Henrico Pisano, Ioanne Neapolitano, & Hyacintho, anathematis vinculo, extinctis Candelis, innodauit. Excommunicauit autem Henricum Pisanum Presbyterum Cardinalem tit. SS. Nerei & Achillei, idcircò, quod mandato eius magister Raimundus Cardinalis spoliatus, & atrociter cæsus* [c] *fuerit.* Hactenus de Conuentu Papiensi, quæ nostros concernunt. Nam reliqua longum esset inuestigare.

b Lib. 2. c. 72.

c Ibid.

3. Ast Imperator voti compos effectus,& sede Petri tandem subiugata suæ ditioni, in atrocia edicta vltra protrupit, nimirùm. [d] *vt qui bestiam à se propositam non adoraret, exilij pœnis afficeretur. Mentio huius edicti habetur in Actis ipsius Alexandri Pontificis hisce verbis. Sic itaque in perniciem animæ suæ Imperator & in ruinam multorum, tunicam Christi, vnitatem videlicet Catholicæ fidei scindere tentans; ipse prius inclinauit se ad pedes illius, & alios quos posset, ad ipsum coegit. Quo facto per totum sibi subiectum imperium edictum emisit, vt Ecclesiarum Prælati, ad statuam, quam erexerat adoraturi accederent. Quòd quicumque agere nollent de terra sua non reuersuri, exirent. Huius autem verbum durum & asperum insonuit per totam Italiam: Tunc omnes qui spiritu feruebant, elegerunt exilium potius pati, ac persequutionem pro Deo, & manutenenda fidei vniuersitate quam pacificè adhærere schismaticis;& honoribus abundare cum diuitiis huius sæculi. Facta est ergo maxima in Ecclesia turbatio, fugientibus Catholicis, deserentibusque Ecclesias proprias,& patriam suam, in quorum loco violenter intrusi sunt Octauiani complices.* Hactenus ex actis Alexandri Papæ tertij, Cardinalis Baronius, hoc ipso anno.

d Apud Baron. hoc anno.

4. Inter Pontifices Ecclesiis suis pulsos, Conradus Patauiensis commemoratur. Ottonis, ante paucos annos defuncti, frater, Imperatoris patruus, in quem, quò sanguine sibi coniunctiorem, eò atrocius desæuiit; æmulo dato, qui incubaret Ecclesiæ, vero sponso viuente, per vim viduæ;& cum is cederet, alio substituto. Audi de his Vviguleum Nũdium in Cathalogo Episcoporum Patauiensium; ita scribentem. [e] *Rupertus ab Imperatore Friderico aduersus Conradum Alexandri Pontificis partes sequentem Patauiensis Episcopus constituitur, anno M.C.LIX. sed ab Alexandro excommunicatus cessit. Huic mox ab Imperatore subrogatus est alius nomine Albero (diploma Albonum vocat) Frisingensis Canonicus, & Præpositus Pataniensis, anno M.C.LX. is excommunicationem Pontificis contemnens, Patauij triennium sedit.* Hactenus Nundius. Nec potuit præteriri à nobis Præsul Sanctissimus ex Cistercio assumptus, cui pro vero Pontifice, vel à nepote pati gloriosum fuit. Verùm qualiter Sanctus Petrus Tarantasiensis furenti Imperatori, pro Alexandro, & Ecclesia, se opposuerit; qualitérque ad ipsius Castra rediens, occasione negotiorum Mediolanensium, pro vero Papa, contra intrusum prædicauerit; tum quæ Cistercium in hac ipsa persequutione, perpessum sit, quantumlibet propitio Imperatore; non aliis, quam ipsius Baronij verbis, qui Alexandrum Pontifici Innocentio, Petrum Tarantasiensem Bernardo confert, libet scribere.

e Episcopo 40.

5. *In tanto autem infœlicium Episcoporum (quippe cedentium violentia Imperatoris) naufragio, non defuit (ait* [f] *) qui staret ex aduerso, fuit iste magnus huius temporis Ecclesiæ fulgor, Petrus Tarantasiæ Archiepiscopus, potens opere, poténsque sermone, vndique mirandus. Hic ipse hoc anno venit cum aliis seruis Dei ad Castra Imperatoris, rogare pacem ab eo pro Mediolanensibus: & cùm omnes prouinciarum Gallicanarum, quæ illic proxima erant Præsules, dedissent turpiter manus; ac subscripsissent impiæ illi sententiæ, pro Octauiano, contra Alexandrum pronunciatæ: resiliit iste solus; magis verò redarguit, & pro Alexandro vexillum prædicationis erexit. Sed audi Gaufredum Abbatem, qui res ab eo gestas fidelissimè est prosequutus. In diebus eiusdem Præsulis vicinas prouincias, & Romani Imperij ex maxima parte Ecclesias schismatica rabies occupauit. Solus ipse ex Metropolitanis, vel propè solus regionum illarum, & schismaticis palam restitit, & immunis perstitit in Ecclesia sua. Sed & plurimos ex circumpositis reuocauit ad Catholicam vnitatem; vicinas vndique prouincias penetrans, liberè prædicans Clericis, & populis plenis authoritate sermonibus, improbos, & obstinatos hæretica arguens probitatis.*

f Vbi suprà.

6. *Nihilominus tamen deuotis eum colebat Imperator officiis; non minori ei reuerentia obsequens, quam sæuitia Catholicos persequens cæteros circumquaque. Nec deerant, qui indignarentur, qui causarentur, qui conarentur animum Principis aduersùs eum potius exacerbare, dicentes: quid sibi vult Imperator bone, quod actitas? Nunquid destruere non est causam tuam, sic colere, sic honorare eum, qui sic impugnat, sic impetit eam? Ille nos detestatur, nos execratur, nos hæreticos denuntiat, nos anathematizat, & tu velut Angelum Domini eum suscipis, publicè, & priuatim eius prædicans sanctitatem? His & huiusmodi verbis, quantum tamen audebant, crebrò pulsabant ariete Imperatorij robur pectoris, filij diffidentiæ, filij scelerati.*

7. *Cui suggestioni Herbertus quidam Chrysopolitanæ incubator Ecclesiæ, præ cæteris insistebat, iterum, atque iterum asseuerans, non sese satis mirari posse, quibus ille præstigiis Imperatorem tanta præditum ratione taliter demẽtasset. Multos enim Archiepiscopos, Episcopos,& Abbates, etiam sibi quondam charissimos, pro eadem causa, idem Imperator in exilium egerat: Cisterciensis Ordinis fratrum, non modò personas aliquas, sed numerosa collegia ab eodem Herberto, & similibus, si quos tamen similes habuit, suis extrudi Cœnobiis non prohibuerat: & huius vnius sese suffragiis quàm suppliciter commendabat. Fertur etiam, quod eidem nequissimo, monita pessima suggerenti, dignum memoria, dignum dederis admiratione responsum: si hominibus, vt merentur, contrarium me exhibeo: tu ne velis, vt euidenter opponere me incipiam Deo.* Hactenus Cardinalis Baronius ex Gaufrido; pergit verò hæc eadem perpendens, eo ipso iudicio quo solet reliqua.

8. *Ita quidem Fridericus (vt Pharao Moysem* [g] *) verebatur, & colebat inuitus percitus timore, Petrum, de quo rursum inferius dicendum erit. Erat ipse hoc anno agens in suo Archiepiscopatu annos viginti duos, hominibus etiam impiis reuerendus.*

g Exod. 7.

Ee 4 *Vide,*

Vides, lector, magnam Dei prouidentiam in regenda Ecclesia sua: Qui enim in schismate Petri Leonis parauit lucernam Christo suo, nempè (vt vidisti) Sanctum Bernardum, vere lucernam ardentem, atque lucentem misit in auxilium legitimi Romani Pontificis Innocentij, quo tanto viro pracursore, vbique terrarum parans illi viam, h *posuit praua in directa, & aspera in vias planas: noluit Alexandrum eiusmodi carere subsidio, ex eadem pharetra educens, sagittam electam,* i *ad faciendam vindictam in nationibus, & increpationes in populis. Discipulum siquidem eiusdem Sancti Bernardi, Monachum Cisterciensis Ordinis, professum in Monasterio Bona vallis, & ex Abbate, quem diximus, tempore eiusdem Sancti Bernardi creatum Archiepiscopum Tarantasia parauit ad opus in auxilium Alexandri; dedit, & alios plures, vt ea qua sequuntur, ostendent.* Hæc ex Baronio, vt nec meliùs, nec pulchriùs dici, ita nec præteriri potuerunt in his Annalibus.

h Luc. 3.
i Psal. 149.

9. Cæterùm quod temperatius Gaufridus dixit de Cisterciensibus, Alexandro adhæsisse in Diœcesi Chrysopolitana, vsque ad exilium: Alij authores exactius tradidere, pulsos ferè ex tota Germania per Fridericum, cui nulla in hoc veneratio sanctitatis, nulla fuit reuerentia fraterni nominis. Audi tu Albertum Abbatem Stadensem in suo Chronico. Vbi, & quantum virium Pontifici occurrerit ex Cistercij accessione, facilè videas. *Alexandrum* (inquit) l *recepit Hierosolymitana Ecclesia, & Antiochena. Praterea omnis Francia Anglia, Hispania, Dania, & omnia regna, qua sunt vsquam terrarum. Insuper Cisterciensis Ordo eidem maximas addidit vires. Vnde iratus Casar proposuit edictum, vt omnes Monachi Cisterciensis Ordinis, qui consistebant in regno suo, aut Victori subscriberent, aut regno pellerentur. Et multi ex illis in Franciam fugabantur: Archiepiscopi, & Episcopi de suis sedibus sunt expulsi.*

l ad Ann. 1159.

10. Sed adhuc acrius Helmoldus Buzouiensis, qui cum ibidem Alexandri receptores connumerasset, hæc subdit verba. m *Insuper Cisterciensis Ordo, eidem vniuersus accesserat, in quo sunt Archiepiscopi, & Episcopi quamplures, & Abbates ampliùs quam septingenti, & Monachorum inæstimabilis numerus. Hi singulis annis celebrant concilium apud Cistercium, & decernunt ea, qua vtilia sunt. Horum inuincibilis sententia, vel maximas vires addidit Alexandro. Quamobrem iratus Casar, posuit edictum, vt omnes Monachi Cisterciensis Ordinis, qui consistebant in Regno suo, aut Victori subscriberent, aut regno pellerentur. Itaque difficile relatu est, quot Patres, quanti Monachorum greges, relictis sedibus suis, transfugère in Franciam.* Sæuiit ergo in nostros persequutio. Vt veluti Ecclesia Christi, martyrum sanguine irrigata adoleuit; sic Alexandri tertij Pontificatus, persequutione Cisterciensium radicaretur. At non heu: sine graui etiam dispendio, quod infrà dabimus.

m in Chron. Slauor. cap. 91.

11. Verùm vt olim martyrum sanguis effusus Martyres pullulabat, sic & tunc Cistercienses pulsi de sedibus, plures conuertebant ad Alexandrum. Neque enim solus Tarantasiæ Præsul prædicabat Pontificem. Sed quot quot ex florentissimo tunc Ordine ad concionandi munus adsumebantur. Extant perpulchra frustra Sancti Ailredi Rieuallensis Abbatis, de quo supra, vbi hæc inter alia in spiritu vehementi Sanctus declamat. n *Papia* (inquit o) *astiterunt Reges terra, & Principes conuenerunt in vnum aduersus dominum, & aduersus Alexandrum, Christum eius. Vbi* p *circundederunt eum canes multi, concilium malignantium obsedit eum: ibi* q *insurrexerunt in eum testes iniqui, Ioannes, & Guido; sed mentita est iniquitas sibi. Infœlices, & miseri, qui* r *descendentes ab Hierusalem in Iericho, inciderunt in latrones; ipse est sceleratissimus Octauianus, qui instar latronis, multo tempore insidiis latitans; Papatum, pradam; spolia, Ecclesiam astimauit. Infœlix, qui* s *ascendit cubile patris sui, & maculauit stratum eius.*

n Serm. 131. in c. 15.
o Psal. 2.
p Psal. 21.
q Psal. 26.
r Luc. 10.
s Gen. 49.

12. Cæterùm efficaciùs adhuc paulò inferiùs, vbi vtriusque electionis processum ferè enarrat, & veritatem Alexandri pontificatus, ex ipsa narratione deducit, his planè verbis. t *Ecce defuncto Adriano legitimo Petri successore, stat in Cardinalibus Caterorum Apostolorum legitima successio. Cogitate nunc constitutos in medio eorum Rolandum, & Octauianum sic interim nominemus eos, quasi in vtero matris sua Ecclesia Romana iam laborantes in partu. Rogo, fratres mei, nonne partus iste similis est partui Rebecca? Ecce infelix Esaü rufus, & hispidus, quomodo ipsa viscera materna contorquet; & simplicem illum Iacob, quem totus ille inuadit. Audistis enim quomodo de collo Sanctissimi viri, infœlix ille mantum, dæmone plenus, extraxit. Et cum ei non pro voto cessisset, cum summo matris dolore egressus ab vtero, cupiditatis, & ambitionis suepilus, summum cernentibus horrorem incussit. Sequuti sunt eum duo, qui, vt ipse, alienati sunt à vulua, errauerunt à ventre, cateris omnibus Alexandrum eligentibus, Alexandro adharentibus, Alexandrum sequentibus. Cernite nunc Ioannem, nunc Vvidonem in parte vna, & inter eos Octauianum; cernite & reliquam Curiam ex parte altera, & Alexandrum inter eos. Rogo, cuius vox ista est? Exierunt à nobis, sed non fuerunt ex nobis? Certè, aut in illis tribus Curia Romana est, aut in his omnibus; aut periit de terra, & inaniter fusa est illa Saluatoris oratio, de qua dicit.* u *Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. Quod dementis est opinari. Quis enim ita desipiat, vt tot Episcopis, Presbyteris, Diaconibus, Cardinalibus exclusis, Romana vim curia in his duobus astimet residisse.*

t Vbi suprà.
u Luc. 22.

13. *Sic nunc fratres, sic loquor de istis, quasi adhuc in Ecclesia Beati Petri, vbi electionem fecerant, constitutis, & ab inuicem separatis. Certè Ecclesia Romana non periit, certè cateris reprobatis vt in illis tribus remanserit, nulla ratio, nullus sensus humanus admittit. Restat proinde, vt in illa multitudine, qua Alexandrum elegit, vim Apostolica dignitatis reseruauerit. Absit enim, vt dicamus quinque Cardinales Episcopos, & quindecim, vel eò amplius Cardinales presbyteros, siue Diaconos, à tribus illis exiisse; & non potius illos, ab istis; quorum fama celebrior, vita sanctior, sensus profundior, multitudo numerosior, authoritas sublimior. Cùm igitur constet Ecclesiam esse Romanam, qua Alexandrum elegit, de qua certum est illos exiisse; quicumque postea illis adhasit, siue ipsissimus Tmarus, siue alius, non ad Christianos, sed ad hareticos; non ad Catholicos, sed ad schismaticos: non ad Ecclesiam, sed ad Synagogam Sathana, & ipse hareticus, schismaticùsque accessit. Dicant inimici, quidquid volunt, mentiantur, quantum volunt, fingant, quacumque volunt; vbi Ecclesia esse Romana oculis cernitur, ratione probatur, confirmatur auctoritate: ibi cor meum, ibi animus meus, ibi affectus meus. Ab eius fide, qua Christo orante, non deficiet; ab eius vnitate, quam schismaticorum prauitas, Christo conseruante, non diuidet; ab eius subiectione, cuius mihi Princeps cœlum aperiet, me neque mors, neque vita, neque alia*

creatura

creatura, Dei adiuuante gratia, separabit. Hactenus Ailredus. Idem argumentum prosequitur Gilbertus [x] de Oiliandia in metaphora Austri, & Aquilonis. Vt nullius ferè scripta reperiantur, quæ non eructent Ecclesiæ defensionem.

x Serm. 38. in Cant.

Interim venerabiles Patres Lambertus, & Fastradus Cisterciensis, Claræuallensisque Abbates, quo se ab scrupulo, si quo fortè irretiebantur, de annuentia Concilij, qua adeò abusum videbant Imperatorem: quasi parum fuisset non interesse, eumdem adeundum sibi putarunt: vt salutaribus monitis correptum, ad Alexandrum traherent, ad quem se simul, cum Eberhardo Babembergensi inter nuncios promptissimè obtulerunt; & designati sunt: Nisi per Longobardos retardarentur, haud dubium quin negotium perfecturi. Extat de hoc insigne testimonium in Appendice ad Chronicon Ottonis de Sancto Blasio, fol. mihi 560. cuius hæc verba. *Intrante quadragesima (scilicet anno M. C. L X.) Cisterciensis, & Claræuallensis Abbates Imperatorem conueniunt super schismate, eique suggerunt, vt Babembergensem Episcopum cum eis Romam destinet, quod factum est; sed propter Longobardorum insolentiam negotium ipsum, tunc profectu caruit. Nam Episcopus ipse ab eis repulsus, ad propria redire coactus est.*

---

1. *Eskyli bona patentia iterum præda*: 2. *Vualdemari in ipsum indignatio*, 3. *& in nepotem mina, nisi ab Abbate Esronensi præseruaretur.* 4. *Eskyli eiusdem constantia pro Alexandro*, 5. *cum Fridericus in omnes eius sequaces debaccharetur.* 6. *Arnaldi Moguntini Præsulis mors*; 7 *De qua ab Eberbacensi Abbate, & à Sancta Hildegarde sæpiùs admonitus.* 8. *In vigilia Sancti Ioannis Baptistæ à suis innasus*, 9. *Nec euadere compos.* 10. *Tandem occiditur.* 11. *Corpore triduo canibus relicto.* 12. *Mors Aliprandi*, 13. *& successio Abbatum in Morimundo.*

Capvt II.

1. NVtantem interim in vtramque partem Daniam confirmauit Eskylus, & Regem iam ab Imperatore penè deceptum, in officio, aut continuit, aut reuocauit. Is honor semper virtutibus exhibitus, ea vis veritatis vbique fuit vt ipsi etiam, qui oderunt, reuereantur; & resistere aut non possint, aut minus audeant. Certè Eskylus inuisus dudum Regi, tunc inter inimicos numerabatur; eò vtrimque discordia procedente, vt bello, & armis, non ratione, seu verbis, agendum foret. Diffidij occasio spoliatus pecunia Præsul, & quidem multa, quam in Gallia locatam, ait Saxo Grammaticus [a], *ne feruente religionis tumultu*, (nempe inter Alexandrum, & Octauianum) *deposito fraudaretur, per ministros reportandam curabat.* Cæterùm ea prædæ subiacente quod facile in viro, dum Regem omissionis incusat, quod non inquireret aduersus aggressores; mox quod vrbanè de facto loqueretur, conscientiæ etiam eundem suspectum habet: adeò querelis indemnem lacessiuit (sic enim par est credere) vt ille è contra verbis arma opponens, quod in bona non fecerat, in castra, & possessiones Eskylli debaccharetur. Accessit religiosior altera causa, & Pontifice dignior, quidam Pseudoepiscopus depositus, qui in totius Ecclesiæ diuisione, quasi recepta ab Octauiano dignitate, cum Regis sibi fauorem conciliasset, Slesvvicensem sedem sacrilego conamine occupauerat. Quem contra Eskyllus *Catholicæ partis æmulatione* (ait Saxo Grammaticus [b]) *inter rei diuinæ actionem cum suis complicibus execratus est. Quo facto Regem magnopere permouit.*

a Hist. Daniæ lib. 14.

b Vbi suprà.

2. His velut stimulis inuicem agitati, succensi inuicem, Eskyllus primùm Absalonem Roskildensem, & Gerardum Esronensis domus Abbatem, cuius supra meminimus, cum ferocibus mandatis ad Regem mittit, quæ quamuis ipsi speciosis verborum delineamentis temperare curarunt; *Rex tamen*, (ait, idem, qui suprà auctor [c]) *audita legatione, præter morem accensus, Eskillum superiorum Regum cruorem combibere solitum, nunc & suum sitire respondit: multáque in hunc modum, per summam verborum asperitatem, remandanda curauit.* Et pòst pauca. *Tum vrbem in solido lestrica paludis ab Eskillo constructam obsidione tentat, captu quidem difficilem, quod & natura præsidio, & commeatibus affatim instructa fuerat. Cuius custodes animis, quàm mœnibus debiliores, expugnationem deditione præcurrere cupientes, ni pax ab Eskyllo quàm citissimè cum Rege componeretur, nepote eius, qui apud Esron educabatur, obside dato, vrbem se tradituros promittunt. Pactus conditionem Rex, adolescente suscepto, obsidionem amouit. Hæc cum Eskyllo nunciata forent, respondit, maiorem se vrbis, quam nepotum sollicitudinem gerere; haud quaquam huius incolumitati; illorum capita prælaturum. Igitur Rex iterata obsidione, aliam sibi munitionem, per quam obsessis arctiùs immineret, ædificat. Quoniam in absentem aduersarium sæuire non licuit, aduersùm nominis eius defensores, acerrimos ira sua conatus exacuens. Maxima siquidem potiendi Castelli spes in hyemis auxilio reponebatur; aditum, quem vnda negaret, glacie paratura.*

3. *Inter hæc iuuenis parum cognitus, à nescio quibus subornatus, litteras adulterinis notis obsignatas, tanquam ab Eskyllo transmissas, Gerardo obtulit, iubens, vt per eum obsessis porrigerentur. Quas ille continuò nulla doli suspicione concepta, per familiarium quendam vrbi inferendas curauit. Harum series habebat, maiore Eskyllum nepotis, quàm vrbis charitate teneri, parúmque sibi milites placituros, si rei ignobilis curam pertinacius gerendo, nobilissimi adolescentis salutem periclitari paterentur: quamobrem iubere, se exitum eius matura deditione præcurri. Quod verò superiore mandato tutelam vrbis incolumitati nepotis præferendam decreuerit, iræ, non deliberationis fuisse preceptum. Perlectis litteris oppidani, liberandi obsidis consilium circumspiciebant. Incertum quis commenti huius author extiterit, Regem tamen complurium suspicio notauit. Intereà Rex, erecto magnæ arboris trunco admotum obsidem, defensa vrbis pœnas suspendio sibi luiturum simulabat. Quo audito, Gerardus cum domestico religiosorum cœtu ad Regem processit, ei eiulabundis vocibus deprecans municipij sibi ingressum permitti, suppliciúmque, quoad inde reuerteretur, differri. Rex alienissimam sibi crudelitatem*

c Ibid.

tem simulanter amplexus, tandem rogatui cessit, præfatus, ni vrbe potiretur, obsidem periturum. Conuentis oppidanis, Gerardus, quid mandati in litteris receperint ? perquirit. Vt cognouit adolescentis capiti deditione consulendum iubeti, parendum hortatur; effecit, vt oppidani sua, ac rerum incolumitate pacta, vacuum Regi municipium traderent. Ita religiosissimi spiritus circumuenta simplicitas, finem prælio fecit. Hac audientem Eskillum, nihil ægriùs vnquam tulisse proditum est. Hactenus coæuus auctor, Saxo in sua Dania: quæ omnia concernentia nostros duplici titulo ex Eskyllo, & Gerardo, nequaquàm duxi silentio prætereunda. Ita quod armis effici non poterat, nihilominus actu effectum est, epistola supposita, & siue vera, seu ficta crudelitate intentata in iuuenem, in qua quicumque lector quod volet credat.

4. Hic status rerum in Dania per hoc tempus; hæc inter Vvaldemarum, Esxillumque, Regem, & Sacerdotē, inuidiæ, & odij seges copiosa nimis inuoluebat Prouincias, semel diuisas, diuisionem Ecclesiæ suscepturas. Et iam iam videbantur declinare in partes Octauiani; quippè Vvaldemarum, vt eis aggregaretur, tum Fridericus, tum Germaniæ Principes, tum ab eodem Octauiano missus Christianus legatus, qui Regem, regnumque sibi alliceret; ad vltimum Esxylli præsulis odium, qui Alexandro fauebat, inclinabant: quod ne ipse quidem Saxo, quamuis eum in aliis semper exculet, negare potuit. *Christianus* (ait) *quidam adhuc priuatæ sortis, antequàm Moguntiæ Pontifex creatus esset, Daniam legationis titulo petiuit, qui eam exhortationibus suis ad societatem Octauianæ factionis impelleret. Is multa adulationis conatibus aliaque ex parte Regis conniuentiam assequutus est*, &c. Ita tunc Saxo, cui Krantzius, Pontanúsque, & alij concordant. Verùm qui Regi nondum periclitanti obstitisset intrepidus, cadenti se supposuit, submisitque; atque ipsa spontanea submissione velut suscepit; & iam præcipitem detinuit, & sustentauit. Saxo citatus accusat in Esxillo, quod *eodem præcipitio mentis ad procurandam Regis amicitiam procurrit, quo ad deserendam prolapsus fuerat.* Sed ego præseruatum Regem videns à schismate, in quo penè prolapsus fuerat, & zelum laudo, & prudentiam eximiè veneror; nec dubito delatum Ecclesiæ bono, quod capiti nepotis negatum fuit. Constat Esxyllum constanti semper animo adhæsisse Alexandro; constat, cum primum Regem Vvaldemarum pertinacem inuenit, ne qua ex parte implicaretur schismate, elegisse exilium, quod idem etiam Saxo testatum habet. *Inde, ne schismatis contagio implicaretur* (scilicet Eskillus) *Hierosolymitanæ peregrinationis iter aggreditur; satius ratus à suis penatibus exulare, quàm à Romana Ecclesia liminibus exire.* Constat Rege ab Ecclesia non discedente, neque ipsum tunc à patria discessisse. Cur non credamus quæcumque alia fecit, ob eumdem ab ipso finem facta? atque his siue mediis, siue remediis, aut præcauisse morbo, aut grassari incipientem relegasse? Certè ex tunc Dania ab omnibus scriptoribus, inter parentes Alexandro Prouincias commemoratur.

5. Cæterùm quod de eodem Eskillo diximus, depositam in Gallia antea pecuniam, ne feruente religionis tumultu prædæ pateret, reportandam in Daniam procurasse: sciat lector, Fridericum Imperatorem, quos spe, vel metu auertere non posset ab Alexandro; obsessis viis, aditibusque interclusis armato milite, per vim arcere nequaquam detrectasse. Adeò, vt ad Alexandrum Papam scribens Ioannes Sarisbariensis [c] de hoc tempore dicere non dubitet. *Inualescente schismatis turbine, & emergente collisione regnorum, suam Deus permisit turbari Ecclesiam; & velut interiecto infidelium obice, quem Deus dissipet, chaos quodammodo inter vos, & nos firmatum est, vt sine magno periculo non possit quis ab aliis ad alios pertransire.* Sic quos non alliciebat ad Victorem, ab Alexandro saltem separabat Princeps sacrilegus; vt vel pertæsi, Octauianum tandem susciperent, ne nullum haberent; vel interceptis vndique meatibus; vt non acephali, saltem defectu influxus, à capite in membra procedentis, consumerentur.

c Epist. 37.

Inter hæc vt furentem tunc Fridericum sustinebat Deus, atque eius licet seram pœnitentiam in multa misericordia præstolabatur: sic adhærentium illi obstinationem, sacerdotum præsertim, de thesauris iustitiæ punire voluit: & primum Moguntinum Archiepiscopum Arnoldum, quem per fraudem intrusum, Henrico pulso, in præcedentibus, ni fallor, commemorauimus; vt sicut primus sententiæ contra Alexandrum, quod Baronius [d] notauit, subscripsisset, sic sacrilegij primus pœnas lueret: interceptus à suis morte sacrilega, cui obuiandæ, atque eidem corrigendo, quia Cistercienses non parum insudarunt; tum quoniam ipse Henricum deposuerat, quem Cistercium excepit, de quo supra; eandem cædem ex Conrado Episcopo, in Chronico Rerum Moguntinarum, non pigebit ad litteram subscribere, atque en eius verba. [e] 6.

d Ad hunc ann.

e Apud Baron. ibidem.

Per plures admonitus Arnaldus est, & præmonitus, vt se cautiùs obseruaret; qui fertur suis monitoribus respondisse: canes Moguntinenses mordere non norunt, neque aliquid valent, quàm latratibus deterrere: à corde carentibus timeantur. Erat quidā Abbas in claustro Ebarbach Ordinis Cisterciensis, qui ipsum Arnoldum pro suis excessibus sæpè litteris arguit, & imminentia pericula intimauit. Erat quædam Sancta Virgo nomine Hildegardis, quæ per spiritum vidit ipsum Arnoldum citius moriturum; scripsisse quoque dicitur ei in hæc verba: Pater, prospice tibi, canibus enim sunt funes abstracti, qui insequuntur te: nontamen acquieuit monitis aliquorum. 7.

8. *Accidit, vt in vigilia S. Ioannis Baptistæ post prandium, de quodam Oppido Bingen, ciuitati Moguntinensi appropinquaret; ac in claustro Monachorum, iuxta muros ciuitatis ad Sanctum Iacobum in monte specioso (sic enim dicitur) se locaret. Et ecce Moguntinenses vsque in crastinum sese armant, & constituunt, vt cum in ipso die Sancti Ioannis audita fuerit campana, quilibet sit paratus: & factum est ita. Venit dies, & maturiùs solito prandent omnes; pulsatur campana, & à maximo vsque in minimum vniuersa ciuitas congregatur. Præsul Arnoldus se iam dederat quieti; & audito campanæ sonitu, vltra quàm credi possit, vehementer expauit, & timor irruit super eum, amissóque rationis gubernaculo, quid posset facere, ignorabat. Obstruxit autem repagulum, & lapidibus, & lignis quibus poterat, ianuas omnes Monasterij memorati.*

9. *Turba autem turbata ex aduerso omnes portas, & fenestras, vel quoscumque alios exitus obseruabat, ne euaderet, quem quærebat. Iam ignem ad officinas admouebant: vix, & cum multa difficultate Monachi recessum obtinuerunt. Et dum Monasterium fumo plenum, flammis per circuitum premeretur; ipse Præsul turrim Monasterij ascendens misericordiam deprecatur: & si quem offendisset verbo, vel facto satisfacturum se suppliciter pollicetur. Sed turba viso*

Pontifice

Pontifice clamare cœpit furiosè, nec poterant supplicantis verba præ tumultu turbata turba intelligi, vel audiri: sed admoto igni ad turrim, in qua stabat ipsum de turri descendere compellebant, flamma iam Monasterio dominabatur. Videns ergo Monachos obtenta securitate abscedere; tentat, si fortè, & ipse cum eis, & inter eos possit euadere.

10. *Absumpto itaque habitu Monastico occultari tentat, vt & ignem, qui inualuerat, & gladium euaderet, quem timebat. Apertis Ecclesiæ valuis, cum Monachis ferè abscesserat; sed à quodam est cognitus, & detentus infœlix. Quidam primò gladium vibrans collo Episcopi immersit; alter eum in fronte percutiens, mucrone ab aure vsque ad aurem, superiorem partem capitis ad inferius diuisit. Sicque factum est, vt alij contis, alij fustibus, alij gladiis, alij lapidibus mactantes solo tenus præcipitarent. Iacentem sic, & vulneribus, & sanguine deformatum vulgus nequam, & peruersum vestibus spoliarunt: quidam annulos de digitis abstulerunt. Reliquia quædam, quas collo pendentes solitus erat ferre, ab aliis sunt ablata. Hæc autem circa horam nonam parum ante vesperas sunt peracta. Nec poterant clerici ab ipsis malefactoribus aliquatenus obtinere, vt saltem occisus in loco traderetur debitæ sepulturæ. Sic ergo iacebat in campo super fossam ciuitatis vbi canum, & luporum transitus habebatur, desiderantes eum ab huiusmodi bestiis deuorari.*

11. *Tribus diebus sic nudus toto corpore manens, veniunt aliquæ maledictæ fœminæ, caseorum, & ouorum, atque olerum venditrices, mercatrices, meretrices, saxisque dentes Pontificis contuderunt; aliæ verò stipites ardentes, & titiones fumantes eius gutturi infixerunt, adiicientes linguis, & labiis maledicta. Post diem tertium Canonici Sanctæ Mariæ ad gradus iam incognoscibilem, & fœtentem furtim sublatum deferunt in ipsam Ecclesiam lachrymosis suspiriis sepeliendo.* Et post exclamationes auctoris, in Moguntinos ista patrantes, idem mox subdit. *Acta sunt hæc anno millesimo centesimo sexagesimo. In vindictam suæ intrusionis ista promeritus, quam Deo vltore, non prius, sed hoc accepit, anno post damnatum sua sententia Alexandrum Romanum Pontificem, in exemplum terribilis iudicij magni Dei.* Hactenus ibi.

Extat hodiéque, & legitur inter epistolas Sanctæ Hildegardis, Arnaldi Moguntini ad ipsam scripta; breuis quidem, nec quidquam aliud, quàm orare pro se à virgine postulans: itémque Hildegardis responsio non multò longior; in qua tamen illud de canibus solutis, substractis funibus, nequaquam inuenitur. Corripit nihilominus virum in tota epistola, quod faciem suam absconderet à Deo, quasi in perturbatione iracundæ mentis; atque id sibi, vel coactæ fuisse ostensum. Quin & sub finem citò moriturum, siue prædicit, siue comminatur, his paucis verbis. *Surge ergo ad Dominum, quia tempus tuum cito veniet.* Vt non difficile valeat deprehendi dyscolum virum, sicut ab Abbate Eberbacensi, sic à Sancta Hildegardi correptum sæpiùs, præmonitúmque, quia nunquam se emendauerit, iusto Dei iudicio periisse.

Initio anni, quantum ex serie historiæ licet 12.
coniicere, (nam Cathalogi varij; & nonnunquam de Abbatibus; de tempore, frequenter disconueniunt) Aliprandus Morimundi Abbas, per mortem raptus, Conciliabulo Papiensi substractus est; nec, si vixisset, in eo compariturus.

Successorem, non diu superuicturum, habuit 13.
Oddonem, ex Abbate Belliprati, ad quam sedem ex Priore Morimundi promotus fuerat. Homo doctus, & qui per scripta innotuisse posteris potuit, nisi rudis illa ætas, incomptaque, multorum monumenta perire, non sine nostra iniuria, permisisset. Extare tamen dicuntur sermones ab eo editi in translatione reliquiarum corporis Sanctissimi Patris Benedicti ad Floriacum; quorum Balduinus Moreau, & Claudius Robertus; hic in sua Gallia Christiana, ille in Prologo ad eiusdem Sancti regulam, non sine honore, & laude, meminere. Oddonem breui functum præfectura Vvalterus excepit, non diuturnior; nec cuius vlla alia memoria extet, quæ his Annalibus veniat inserenda.

---

1. Sancti Vvalleni in Scotia senectus morbida. 2. Miraculis coruscans supra consuetum. 3. Actorum eius fides, quantum historia datur, integra satis. 4. Visio mirabilis. 5. Et epistola Christi, & Deiparæ ad ipsum. 6. Vltima ægritudo, 7. pretiosa mors. 8. Funus, & sepultura. 9. Et de anno suborta difficultas.

CAPVT III.

1. VRGEBAT interim Sanctum Vallenum Meilrosensem Abbatem senectus grauis, & quos per orationem, impetrauerat, ingrauescentes morbos, si quæ adhæsisset, scoriam excocturos. Cum ecce præstolanti responsum mortis, crebriora miracula, & quæ se vel nolenti, saltem non præsumenti, vltro ingererent. Referam Ioscelini verbis tria satis illustria. Vt tandem quarto, in quo velut effusa, diuina bonitas seruum suum præuenire dignata est, aut præparem, aut disponam legentium
a lib.1.c.5. corda[a]. *Erant* (inquit) *in infirmitorio sæcularium inter cæteros, imo præ cæteris tres, in mortis articulo positi, vnus quartanis febribus laborans, duo hydropisi. Hi tres, à quadam lucidiflua persona in nocte vna, eadem visione in somnis sunt visitati, atque commoniti, quatenus peterent ab Abbate Vvalleno se tangi, & benedici; sicque profectò à mortis faucibus abstraherentur, & pristinæ saluti restituerentur. Quod autem in visu noctis acceperant, in crastino infirmario conuerso, Conuersus Confessori infirmorum, Monachus Abbati, verbis veritatem rei palliantibus, indicarunt. Dicebat Monachus Sancto, tres lento dolore detentos, iam morti vicinos, æstuanti desiderio ipsius præsentiam expetere; animarum suarum secreta sibi velle pandere. Quo audito vir Dei baculo subnixus, & suorum seruitorum sustentatus manibus, vel potiùs gestatus, sui copiam prædictis infirmis exhibuit. De animarum salute cùm eis, ante super hac re à Monacho præmonitis, & præmunitis, contulit. Deinde discessurus ab illis, humiliter cum lachrymis postulatus, edito signo Crucis illos tangendo benedixit, & recessit: miróque modo, licèt diuerso, sospitati omnes restituit. Ex vnius hydropici corpore, per virilis virgæ meatum humor viscosus, & fœtidus effluens, plenam magnam adhibitam bis adimpleuit peluim: humórque exinanitus totum hominem mox gracilem, & sanum*

sanum effecit. Alter autem hydropicus, excussa repentè tota infirmitate, gaudens surrexit, optata potius sanitate, tertium illicò reliquit febris, & infrà paucos dies recessit totus sanus, robustus, & hilaris.

2. Hactenus tres infirmi morti iam proximi, per virum Dei sanitati restituti ipso nesciente. Verùm de quarto mirabilius adhuc, quò ad hoc desperatior infirmi vita; audi quod idem auctor mox subiungit.[b] *Erat praterea quartus in infirmitorio languidus, qui non solùm morti videbatur vicinus, sed quodammodo laqueo inescatus, inde in area domus super cilicium expositus fuerat, & fossa preparata, in qua tumulari deberet. Abbas fortuitò, more solito, reuisens decumbentes, aduenit; & in extremis agentem vidit: & pro eo orationem fudit, atque edito signo vitali, benedixit, & abscessit. Æger illico vita redditus, oculos aperuit, & caput erexit, Deo, & Abbati gratias multiplices egit; sibique dictum à quadam persona clarissima, quod Deus sibi spatia vita longioris concessisset Sancti Abbatis precibus, asseruit. Homo non post multos dies penitus conualuit, & recepto vigore pristino, pluribus annis postea vixit; qua cùm postmodum innotuissent viro Dei, nihil sibi, vtpote horum ignaro adscripsit, sed tantum nomini Domini in his, & aliis omnibus gloriam dedit.*

b Cap. 36.

3. Hæc & similia Vvallenus morti iam proximus, maius sui desiderium relicturus, operabatur, cùm ecce præstolatum diu responsum, vt ipsum gaudio, sic tristitia filios; cunctos stupore nouitate rei perfudit. Rem planè miram, & forsan sine exemplo, non vt omnino certam lectori prodam; sed vt depromptam ex libro perantiquo, & priscis characteribus notato, ab Illustrissimo Gondomarensi Comite ex Anglia, quò non semel à Philippo III. legatus fuit, in Hispaniam adducto, quem humanissimè nobis communicauit eiusdem filius D.D. Antonius Sarmiento, habetúrque in ipsius Bibliotheca Vallisoleti in membrana descriptus, Vvalleni inter alia, continens vitam. Ergo visionem cuiusdam Conuersi dyscoli, confirmatam epistola cœlesti ad Vvallenum missa, & in eiusdem conuersi inuenta pectore, quam itidem euentus confirmauit, Sancti morte sequuta præfixo tempore, ex eodem libro, & vita accipiat lector.

4. [c] *Fuit in Meilros quidam habitu, & professione conuersus, sed actu peruersus, ac intentione, Simonis nomine, viribus corporis robustus, & multis praualens in manuali labore. Hic multoties murmurationibus insudabat, & à detractione lingua non parcebat: & cateros sibi viribus impares, aut collaborandi impotes, effœminatos vocando, non cibo dignos diiudicabat; omnia penè sua faciebat, vt videretur, & appretiaretur ab hominibus, non, vt Patris, qui videt in abscondito, placeret obtutibus. Hic paschali tempore soporatus in meridie, vidit quendam, statura, vultu, visúque terribilem sibi approximantem, dextera manu falcem, sinistra sportellam gestantem. Qui cùm ad se accessisset, mores eius increpans, & cœnodoxia improperans, & condemnans; prius manus, & pedes, posteà catera membra frustatim concidit; concisa sportella imposuit, & abiit. Recedens autem vir ille, obuium habuit virum reuerendum, & praclarum, sibi pracipientem, vt membra membris coaptaret, & hominem integrum priori statui redintegraret; eò quòd Vvallenus in illa hora pro omnibus sibi commissis deuotas Deo preces profudisset. Fecit illicò mirandus carnifex, vt vir pradictus imperauit; & fratrem membris redintegratum pristino statui, & sospitati restituit, & recessit. Deinde Sanctus ille, vt putatur Angelus Domini, conuenit illum fratrem, vt intentionem mutaret, & mores componeret, vitam in reliquum corrigeret, & ad Deum se totum conuerteret. Frater autem sacris eius monitis promisit pariturum; & cooperante gratia Christi vitam in posterum correcturum.* Hactenus visio, quæ pro somno haberi posset, maximè in homine minùs religioso, sinon porrecta charta, relictáque, & post visum inuenta supernum Numen patentius manifestasset. Sed audi, quod sequitur.

c Cap. 37.

[d] *Dedit, & illi quoddam inuolutum, iniungens, vt illud à Deo, & Sancta Maria directum, Abbati suo porrigeret; porrectum accipiens fixum teneret; & quod in eo scriptum, nihil à viro vacillaret. Hoc dicens disparuit, & frater euigilans schedulam scriptam super pectus suum inuenit, inuentam hora competenti, enarrata visione, Abbati porrexit. Abbas, cœlitus sibi missum reuerenter explicans, illud legit genibus flexis fusis lachrymis, Deo gratias multiplices exoluit. Conuocatis prius senioribus domus, scriptum legendum prabuit, post modum in audientia totius Conuentus recitari fecit; Hac autem huius scripti verba fuerunt. Iesus Christus, & Maria mater eius dilectum suum Vvallenum salutant. Scias, quod exaudita est oratio tua, & inter duas festiuitates Ioannis Baptista venies ad nos perpetuò victurus. Prepara te. Vale. Ecce verba pauca, & simplicia simplicibus; sed tamen ficus rei exitus probauit, omni veritate subnixa.* Non dubito lectorem scrupulosum aliquantulum mouendum verbis epistolæ; quasi quæ nimis familiaria esse videantur. Sed non eum, qui Christum amantem nouerit; non qui amicum, adeóque suis amicis, quantum diuinitas promittit coæquandum. Prudentius moueat, quod vir Sanctus easdem litteras, primum coram senioribus, mox coram toto conuentu legi voluerit. Quippè nimium facientes ad eius gloriam. Verùm cum spiritus vbi, & quò vult spiret, neque communibus legibus teneatur, quodcumque exorbitat, si modò non contrarietur, suspiciendum potiùs credo, quàm condemnandum. Quin potuit velle vir Sanctus rem publicari, non solùm propter gloriam Dei, & Matris eius, qui tales exhibent hominibus fauores; verùm; vt orationibus cunctorum exitum præueniret, muniretque, cum nihil præsumendum putaret, de propris meritis. Nunc quæ epistolam ipsam sequuta sunt, vsque ad serui Dei mortem audiamus. 5.

d Ibidem.

Et quidem (ait [e]) *vir Sanctus, vsque ad natiuitatem S. Ioannis Baptista aliquantulum, vt homo se exhibuit hominibus, audiens, & tractans de necessariis Monasterij, quantum agritudo eius permittebat. Exinde verò quasi mundo mortuus, totus in Deum suspensus, ad cœlestem patriam anima sua egressum expectabat. Aderant dies Caniculares, & durius, ac diutius morbus morsu acriori, & amariori, corpus debilitatum dilacerabat. Et ferè singulis diebus trium septimanarum subsequentium in ianuis adesse mortem minabatur. Omnis cibus humana natura nutritiuus illi non sapuit, sed fastidio fuit, ac corporis exhaustis viribus, virtute vitali euacuata, iam quasi pro mortuo spiritus in corpore palpitabat. Cum aliquando anhelitu resumpto, respirasset, suos conueniebat, commonebátque circa custodiam Ordinis, & mutua pacis, & charitatis concordiam conseruandam; & curam habendam pauperum, & infirmorum. Paucis diebus continuis ante exitum suum bis in die, vel nocte, veluti in articulo mortis agonizabat; seruitoribus suis, ac cateris aspicientibus, angorem, & stuporem magnum incutiebat. Nec mirum. Stupor namque fuit, quod vas tam fragile, ac imbecille, tam diros, & con-* 7.

e Ibid. & c. 38.

tinuos

tinuos cruciatus pati potuit. Hæc de morbi, & quibus vexabatur, cruciatuum acerbitate. At de his, quas à Deo habebat consolationibus, id solùm balbutiente lingua prolatum tradit inter ipsos angores. *O si mihi suppeteret fandi copia, quam multa, & magna mirabilia vobis narrare possem, qua vidi.* Pergit Auctor ad diem gloriosi obitus.

7. f Cap. 38. [f] *Adfuit Kalendis Augusti festiuitas Sancti Petri ad vincula, qua celebrata in memoriam eductionis illius, qua per Angelum eripuit eum de carcere diuina clementia, appropinquabat, imo instabat hora, in qua Abbas almificus Angelici agminis protectione, deductus de carcere mortis huius educeretur, & de omni expectatione tartarorum insidiantium eius calcaneo, conantium eius iter impedire, ereptus, libertate perpetua potiretur. Et ecce ægritudo solita, & instaurata plus solito, velut torter seueriſſimus totum hominem occupabat, & grauiſſimis aculeis animam ad exitum vrgebat; Sanctus hoc sentiens, & sciens, sacri olei remiſſiuam Vnctionem postulauit, & percepit; ac Dominici Corporis, & Sanguinis participatione se muniuit. Deinde eleuatis manibus suis benedixit, & vt potuit, valefecit. Deinde duobus diebus, ac noctibus, quasi in frixorio, confrixa sunt oſſa eius, & veluti in camino decocta est caro eius, vt in anima nulla peccati rubigo appareret; nec confunderetur, cum loqueretur inimicis suis in porta mortis. Illuxerat ergo dies tertio Nonas Augusti, qua inuentio Sancti Stephani Protomartyris celebratur, & circa horam diei tertiam vltimum spiritum efflare à senioribus creditus, super cilicium ponitur iuxta morem, crebra percuſſione tabulæ Conuentus vocatur, psalmi cum litaniis consummantur; & ecce vir Dei, rediuiuo spiritu resumpto, vultum suum illuminauit super eos, eleuatis oculis quasi gratias agens, quod post modicum etiam iterauit. Post Sextam cum Conuentus iiſſet ad prandium, iam tertiò commotus, citatus fuit, sicque circumstante corona filiorum psalmozinantium, sancta illa anima fœlicium flagellorum flammis in fornace febrium, & aliarum multiplicium infirmitatum excocta, & instar auri puriſsimi examinata, de mundiſſimo carnis habitaculo exiuit de mundo ad Patrem, de fide ad faciem, de spe ad speciem, de vmbra ad veritatem, de stadio ad brauiy coronam, de præsentis vitæ miseria ad indefectiuæ vitæ gloriam æternam.*

Post mortem Sancti Funeralia sequuta sunt, 8.
quibus Episcopus loci Diœcesanus, Abbates aliquot, & multi alij interfuere; & decertatum inter eos est an in Ecclesia, veluti corpus Sanctum, atque sacerdotalibus indutum sepeliretur. Sed hæc ab eodem authore [g] etiam audiamus. g Ibidem.
Loto igitur de more Sancti viri corpore, & induto Monachalibus; quibusdam visum est, sicut de B. Bernardo legerant, illum sacerdotalibus debere indui; sed quidam contradicebant: panno tamen incerato corpus tunicatum; & cucullatum obuoluentes, cæteris ritè peractis, in Ecclesiam deportauerunt. Audito Abbatis Sancti transitu; Diœcesanus Episcopus, Herbertus nomine, qui prius Abbas de Helchuode Ordine Tironensi, postea Pontifex Sancti Andreæ factus, exequias peracturus, deuotiſſimè accurrit: quatuor etiam Abbates, & plures personæ diuersorum Ordinum conuenerant: & de loco sepulturæ eius tractabant, imo & contendebant. Episcopus præfatus & alij quamplures censebant, illud virtutum domicilium iure in Ecclesia tumulandum. Sed Gaufridus Abbas de Neubotle Ordinis Cistercienſis, & quidam cum eo contendentes, præualebant. Post multarum Miſſarum celebrationem intra Capitulum, in loco ab ipso prius designato, in ventrem matris omnium ingreditur, & lapis preciosus sub lapide reconditur. Deceſſit anno ab Incarnatione Domini milleſimo sexageſimo. Regnante Henrico II. in Anglia, Malcolmo in Scotia, Pontificante Papa Adriano Angligena. Iesu Christo gubernante Monarchiam in cœlo, & in terra per æterna secula. Hactenus de obitu Sancti, & sepultura.

Verùm, quod dicitur obiiſſe anno M. C. L X. 9.
Pontificante Papa Adriano Angligena cum stare non poſſit, quippè Adriano defuncto prima die Septembris proximi anni corrigendum censeo, & pro Adriano Alexandrum substituendum. Quod ideò mihi efficacius persuadeo, quia aliter, dies Augusti viginti septem, quibus Adrianus superstes, non sufficerent his, quæ sequenti capite dicemus. Quid quod Antonius Gentius, aliique vitam viri producunt vltra triennium, neque ante annum M. C. L X I I I. obiiſſe putant? Sed hi etiam in die nonnihil errant, ad Nonam vsque Augusti differentes, vt res in dubio nobis relinquenda, aliorum magis præstoletur; & petat diffinitionem.

---

1. *Nicolaus Cancellarius Regis Scotiæ, de Sancto Abbate Vualleno visionem videt,* 2. *Quam Pontifici narrat qui, & veram probat.* 3. *Idem Sanctus Vualtero Conuerso apparet in magna gloria.* 4. *Dein Henrico, curam suorum gerens.* 5. *Quibus omnibus salutem impetrauit.* 6. *Sancti miracula.* 7. *Scriptores vitæ.* 8. *Et succeſſio Abbatum Meilrosiæ.* 9. *Atque inde Henriquez emendatus.* 10. *Et de Vualtero Conuerso obiter dictum.*

CAPVT IV.

1. GLORIOSVM Vualleni Abbatis transitum variæ reuelationes præceſſere, variæ sequutæ sunt. Referam ex eodem authore paucas de pluribus, ex quibus facilè aliæ dignoscantur. Quin & reuelationibus, miracula adiiciam in hoc capite, insignem viri sanctitatem contestantia: reseruans interim incorruptionem corporis in annum M. C. L X X I I. quo effoſſum, & illæsum inuentum legitur. Prima ergo, & illustrior reuelatio ex cuius narratione facilius fit Sanctum virum nequaquam sub Adriano, qui obiit prima die mensis Nouembris anno proximo, decedere potuiſſe, talis fuit [a]. *Quidam Clericus nobilis genere, Nicolaus nomine, Cancellarius Malcolmi Regis Scotiæ, ob quædam negotia magna Regni peragenda Romam miſſus, à Domino Papa, & Cardinalibus, ob sui reuerentiam, & præcipuè mittentis Domini honorificè est susceptus. Hic post aliquanta perendinationis moram, cum quadam die protelaſſet causam negotij sui,* a lib. 7. c. 1.

sui; terminum, vel consolatorium recursum expediendi postulans; cum aduesperasceret, & inclinata iam esset dies, inuitatus in Curia Papæ cœnauit. Cœna autem facta, cùm lampas diei crepusculi caligine cerneretur sepulta, timuit idem Nicolaus pergere per plateas, & vicos ciuitatis, & angiportus inter ruinas, ad hospitium aliquantum à Palatio distans, propter timores nocturnos, & varios euentus infortunij. Solebant etenim insidiantes latrunculi, tunc temporis plures expoliare, aut etiam sub obscuro noctis necare. Qua de causa detentus ibidem in Curia Domini Papæ, cum Capellanis, & Clericis suis pernoctauit. Cúmque lecto locata membra sopore fouisset, videbatur sibi vsque ad Paradisum se raptum fuisse, ibique contemplabatur talem ciuitatem, qualem describit liber Apocalypsis, tantúmque gaudium, quantum nec oculus vidit, nec
1.Corinth.2. *auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Et ecce inter cætera, vidit, duos præclaros viros ad portam psallentes, postulantes ingressum, & quendam de intro, quinam essent, sciscitantem, audiuit, & vnum eorum, Vuallenum adesse Abbatem de Meilros, respondentem. Tunc ille, qui quasi ianitoris officium gerebat, non hodie, inquit, intrare poteris, antequam exuuias suas deposueris; ad hanc vocem vterque stans, præ foribus recessit, & hinc somnians euigilauit.* Hactenus visio, quæ præcessit exitum Sancti. Subiungit statim declarationem eius, per Pontificem factam, atque vtriusque, ipso euentu, comprobatum.

2. *In crastinum præfatus Nicolaus Summo Pontifici, & circum sedentibus retulit visionem; adiiciens eiusdem Abbatis generositatem, sanctitatem, & diutinam, qua vexabatur, infirmitatem. Papa verò litteratissimus, & spiritu discretionis pollens, taliter nodum visionis dissoluit, dicens: Puto, quod nondum vir ille carnem, tegumen scilicet animæ, deposuit qua indutus ille, paradisum, sicut nullus alius ingreditur, intrare non potuit. Forsitan corpus exuet in breui, & sic sine conditionis obstaculo intrabit in gaudium Domini sui. His dictis absoluit eum ab omni vinculo peccaminum, imprecans ei consortium ciuium supernorum. Et præcepit Nicolao regio Clerico diem illum notare, & postquam repatriasset, per veracem, & fidum internuntium, quid de Abbate actum fuisset, literis significare. Cancellarius peractu negotiis, repatrians, Abbatem decessisse die sequenti, scilicet tertio Nonas Augusti reperit. Cuius nocte præcedenti præscriptam visionem in Papæ Camera constitutus vidit. Ipse verò, quod de Abbate constabat, vt ei imperatum fuerat, Papæ litteris per quendam Romipetam nunciauit. Papa Deo gratias referens, animam eius absoluit, & pro eo, & cunctis fidelibus Missam solemnem celebrauit.* Hanc visionem, & quæ alia hactenus dicta accepisse Vualterum conuersum Sanctum, cuius supra meminimus, ab eodem Cancellario Regis Scotiæ visitante Meilrosiam, & corpus Sancti, Ioscelinus affirmat: porrò occasione illius, sequutam aliam, confirmatam miraculo, quam idem Vualterus videre meruit, cum de dilata Abbati Sancto gloria, causa fortassis minùs intellecta contristaretur. Referam cuncta eiusdem authoris verbis.

3. b lib.2.c.2. [b] *Frater Vualterus post discessum Clerici, tanto afficiebatur animæ dolore vt penè ignoraret, quid posset, aut deberet dicere, vel agere. Tædio autem percussus, & angore, collectis viribus de lecto surrexit, baculóque sustentatus exiuit de infirmitorio, & sub dio residens amarissimos gemitus & fletus super morte Abbatis edidit, & crebrò pectus tundens, voce lachrymosa replicabat, dicens: Quid ago miserrimus, quid dicam, vel quid faciam, dum nihil boni perferam ante tantum iudicem? Si Vualterus arcetur à ianua paradisi, de quo, & in quo confidam tantam inesse perfectionem, vt eius meritis, & precibus, me credam adipisci peccatorum remissionem, & æterna vitæ participationem? Cogor penè de me ipso desperare, quoniam per ipsius patris dilecti, & dilectoris mei sanctitatem, veniam, & requiem me consequuturum præsumebam. Hæc & his similia, in hunc modum dicenti, atque dolenti, somnus leuis obrepsit; & semisoporato, vel potiùs semiuigilanti Sanctus Vuallenus in habitu candidissimo, & vultu candidissimo satis serenus apparens voce consolatoria dixit. Noli, fili charissime, noli flere, noli lugere me quasi mortuum, & à paradiso Dei exclusum; quia calicis ciuibus coniunctus cum Sancto Benedicto, & Bernardo lucidas sedes accepi, cum Christo victurus, & regnaturus in æternum. Vt igitur verbis istis fidem accommodes, illa veritate subnixa proprio experimento senties. Et eleuata dextera, signum Crucis edidit, & illum in nomine Sanctæ Trinitatis benedixit, & ait: Esto sanus ab infirmitate tua; cras ingredere chorum iuxta morem; pauperum, & hospitum curam age cum omni diligentia. His dictis recessit, & gressus versùs æthera sursum librauit. Cúmque intueretur in cœlum euntem illum, expergefactus à somno, reperit se sanitati, & fortitudini, quam ante morbum habuit, integrè, & plenè restitutum. In crastinum intrauit priùs chorum, & postmodum in hospitium; sicque iuxta visionem Sancti satagebat solicitè circa frequens ministerium.* Sic miraculo visio confirmata; gloria, vtroque.

Porrò quod dixit se in æternis sedibus Sanctis Benedicto, & Bernardo esse coniunctum, non quasi æqualis in gloria Sanctis Patribus (neque enim id credendum) sed in paterna pro filiis solicitudine, intelligendum fore, aliæ mihi visiones persuadent. Illa præcipuè, quam Henricus Conuersus vidit (Meilrosensis, is etiam ex Sancti filiis) cùm quidam Monachus in domo longè distanti, vltimum iam spiritum efflaret. Atque ecce visionem, quam idem Ioscelinus memoriæ prodidit [c]. *Fuit alter Conuersus in Meilros, Henricus nomine, qui soporatus in visu noctis, vidit tria feretra perpulchra, perlucida, cunctam terram transeuntia, & per aëris inania versus Orientem sulcantia. Hæc intuens cum admiraretur, & quid, vel qui essent, vel quò tenderent, ardenter nosse gliscerét; vox ex alto aëris insonuit, dicens; in his tribus feretris gestantur tres Sancti Dei, Sanctissimus scilicet Benedictus, & Beatus Bernardus Claræuallis, & Sanctus Vuallenus de Meilros Abbas, iter arripientes ad Kilos in Murauia ob recipiendam animam cuiusdam fratris, Roberti nomine, in crastinum morituri, de manibus dæmonum quærentium eam; & secum deducere conantium ad Tartara. Erat isdem frater dilectus, & dilector Domini Vualleni degentis in mundo, ac regnantis cum Christo. His dictis cum voce visio sublata fuit. Et frater euigilans, cum visione diem notauit, & fermè post vnius mensis spatium, diligenter manifesta rei certitudine, die notato decessisse fratrem præfatum cognouit.* Hactenus visio. Kylosense Cœnobium inter Ecclesias Meilrosiæ filias extat. Vt palam fiat paterna solicitudo in tribus illis Sanctis in Benedicto, Bernardoque pro cunctis. Verùm Vualleno pro paucioribus, eóque, si humano modo loquamur, intentior singulis. 4.

c lib.2.c.3.

Certè

5. Certè tam efficax pro salute filiorum fuit, vt potuerit dicere gloriosus, quod Christus mortalis; quia, quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam. Nullum ex his, quos regendos suscepit, quandiu vixit, damnatum ipse, Sanctus vir reuelauit post tempus aliquod. Hanc item vltimam apparitionem referam, multis aliis omissis, vt inde gradum faciam ad miracula [d]. *Frater quidam iustus, & timoratus Vvillelmus dictus, hospitarius Meilrosensis in Grangia, quadragesimali tempore, vidit in visu noctis Dominum Abbatem Vuallenum vultu venusto, vestitúque venerando. Et licèt insomnis, optimè recordatus sanctitatis eius, ad illius pedes procidit, & sui memor esset ante Deum suppliciter exorauit. Vir Dei eleuans illum, postulationi libenter annuit, & post verba consolatoria, quibus illum exhilarauerat dixit. Fixum tene frater, quod diutinis precibus suffragante Deo, & Beata Maria matre Domini, omnibus, quos degens in mundo sub cura pastorali suscepi, à Saluatore nostro vitæ æterna beatitudinem impetraui. Si quis illorum negligentior fuit, quam esse debuit, post ignis Purgatorij emundationem, ad cælum migrauit. Et vt nullus super his scrupulus emergat in mente tua, duo signa prædico tibi in proximo ventura; in crastinum circa horam tertiam, huc aduenient duo Monachi, & vnus conuersus. Expecta, & obserua diligenter, quis eorum primus, quis secundus, quis tertius grangia ianuam intrauerit; quia eodem ordine quilibet eorum è corpore migrabit. His dictis visio viri Dei est substracta, & frater ille à somno excitatus est. Sequenti verò die circa horam tertiam propè portam sedit, & ecce tres religiosos, aduentantes, sicut accepit nocte, vidit, & præstolando diligenter notauit introitum singulorum, primus ingredientium erat conuersus, Hanibaldus nomine, procurator peculij Meilrosensis Abbatiæ; secundus Dominus Tulco, qui quondam Abbatis iure præfuit Cuprensi Cœnobio. Tertius Toraldus Cellerarius intrauit vltimus, vir bonus, & prouidus. Hi tres elapsis aliquot annis, eodem ordine inventrem matris omnium sunt ingressi, quo ianuam grangiæ, sicut prius dictum est ad fratrem, intrauerunt.* Hæc ingens Vualleni parentis laus, quæ filios eius omnes potenter beat.

Ioann. 13.

d Cap. 6.

6. Fiebant interim ad Sepulchrum Sancti excubiæ, nec erat, qui recederet vacuus à loco Sancto. Visum, auditum, gressum, loquelámque pluribus reddita, quatuor hydropicos intra quatuor dies sanatos, fugatas febres, aliáque incommoda, eadem acta prolixa narratione testificantur. Quin & in tantum miracula creuisse, in tantum etiam concursum populorum, vt eius successori cauendum fuerit [e]. *Vt aduentantes, qui plurimi ingruebant, ab ingressu, & accessu ad tumbam Sancti viri prohiberentur.* Nempè prouisum quieti Monachorum; & ne turbæ aduenientis multitudo, aut distraheret animos, aut obseruantiæ rigorem eneruaret; pro externorum salute corporali, spiritualis periculum incurrerent, cui soli cuncta alia posthabuissent. At qualiter, nec sic quidem euacuato, erumpente de corporis thesauro, virtutis fonte, effodiendum decreuerint, idque post annos tredecim, & qualiter incorruptum inuentum sit, cum cæteris, quæ inde sunt sequuta, dicam in tempore.

e lib. 3. c. 13.

7. Vitam Sancti Ioscelinus scripsit Furnesij Monachus, idque post annos aliquot, quippè qui Sanctum assequutus nequaquam fuit. Sed qui, vt non potuerit scribere, quæ vidit; sic nihil se scripsisse, quæ non hauserit ab illis qui viderunt, testificatur. Scriptam Vvillermo Regi Scotiæ, & Alexandro filio consecrauit, ac Comiti Dauid, Sancto Vualleno sanguine coniunctis, religione deuotis. Scripsit autem Patritij Meilrosensis Abbatis iussu, vt ipse testatur [f], sed qui morte præuentus non potuerit frui mandati fructu. Lego prætereà in Chrysostomo Henriquez [g] eiusdem sancti vitam scripsisse Antonium Gentium, qui M.S. habetur in Rubra-valle. Et quam ipse transcripsit in Fasciculo. Sed qui compendium scriptæ à Ioscelino potius dederit, & aliqua, narratione digna, omittat. Ex his alij Authores [h], inter quos, & Arnoldus [i] Vvionus in suo Martyrologio Maij 3. & nomen, & diem obitus, quin & Ordinem mutans pro suo more. Quippè, qui Gualterum pro Vualleno, pro Cisterciensi Benedictinum facit, & mensem Maium pro Augusto morti designat. Memorat tamen virum inter Doctores, quod ex Thoma Dempstero mutuauit *inter cætera, quæ scripsit, librum inscriptum regula Ecclesiastica, commentatus est.* Ita vterque.

f In Prolog. ad Librum.
g Augusti. 9.

h lib. 2. dist. 16. c. 58.
i Ioan. Leslaus de rebus Scotiæ lib. 6.

Vualleno in Abbatia Meilrosensi Vvillelmus successit, præficiente Ailredo, qui gloriæ patriæ congaudens, vt par erat, condoluit filiis orphanis, & recens tunc destitutis tanto pastore. Verùm dum Religiosum hominem quærit, quem subrogaret, incidit in austerum, durúmque; & qui timeri, quàm amari satius duceret. Vnde cùm Monachi, nutriti hactenus lacte, grossiorem illam escam minùs decoquerent: & se infructiferum, aliquando etiam nociuum ipse videret, Abbatiam, quàm rigorem abdicare facilius duxit, subrogato pro eo Ioscelino, mitiori viro, & qui Vualleni mansuetudinem, humilitatémque altiùs imbibisset. 8.

Ex hac Abbatum Meilrosensium serie, quæ ex actis S. Vualleni plenè constat, haud dubiè cæcutire conuincuntur, qui ex vno duos Vuallenos faciunt, Abbates Meilrosenses, ex Rieualle; quò per eosdem prorsus gradus, atque ex eisdem (quod maius est) parentibus peruenerint. Nisi quòd alterum Vuallenum vero nomine, alterum irrepente per errorem, Thomas Dempsterus, & Arnaldus Vvalterum dicunt. Vtrumque sequitur Henriquez in Menologio vbi Vvalterum quinto Nonas Maij: Vuallenum quinto Idus Augusti memorat. Errandi occasio solum nomen fuit, diuersimodè inuersum. Cætera eadem: Comes Simon parens, Matildis Mater: Dauid Scotus Vitricus: educatio in aula: Inde Canonicatus Sancti Osuualdi, prioratus de Kirkeam, Monachatus, & Abbatia Meilrosensis; quin & vocatio ad sedem Sant-Andræanam; vt mirum sit, hæc omnia conferentes, potuisse, ex solo nomine diuidere, quem eumdem tot alia comprobarent. Dixi ex serie Abbatum conuinci clarius, quippè nullo Gualtero per hæc tempora præsidente Meilrosiæ, de quo possent hæc ipsa dubitari. 9.

Extitit sanè Vvalterus hoc ipso tempore, cuius sæpius meminimus, insignis sanctitatis vir; atque pluribus clarus reuelationibus. Nec indignus, qui Menologio cum aliis adscriberetur. Verum non Abbas, imo neque Monachus, sed humilis conuersus præfectus hospitio, quem Sanctus Vuallenus, & mortalis dilexit, & gloriosus de cælo visitauit. Extitere & alij sub Vualleno sanctitate illustres, quorum heu! Acta omnino periere: Tinna nimirum cognomento Bonus, officio Cellerarius, & qui Vualleni excipiebat cõfessiones, 10.

post Holumcultris, siue de Hulmo Abbas S. Eberhardus; tum Ioscelinus, qui mediante Guillelmo, successit Vvalleno, inde in Episcopum, Glaseuensem assumendus, quos omnes Martyrologio Scotiæ adscriptos, idem qui suprà Dempsterus memoriæ prodit. Sed de his supra, & quædam etiam inferius, Nunc ex Scotia ad Angliam transeamus.

---

1. *Guntelinus nouitius tentatus à Dæmone percutitur.* 2. *Exanimis coram B. Virgine rapitur.* 3. *Quid ibi viderit audieritque?* 4. *Deinde paradisus illi ostensus.* 5. *Infernúsque.* 6. *Et diuersorum hominum pœna.* 7. *Redditur corpori; & prohibita loquutus, mutus efficitur.* 8. *Perpensa quædam de huiusmodi visionibus.* 9. *Henricus Monachus fit Abbas Altæcumbæ.* 10. *Sanson Rhemensis Igniaci sepelitur.*

CAPVT V.

1. ADMIRANDAM historiā præsentis annis, quæ Guntelino contigit in Anglia, Cisterciensi nouitio, referente Vincentio Beluacēsi, qui hausta omnia testatur, ex Helinando; quia singularem, quia probatam ipsius euentibus, & alias satis celebrem, nefas duxi silentio præterire. Referā autem eiusdem Vincentij verbis, nihil addens, nihil detrahens, nihil inuertens[a]. *Fuit in Anglia vir quidam magnarum virium corporis, & propter illas vires magni nominis. Hic post multa peccata reprehensus à sua conscientia proposuit ire Hierosolymā vt ibi vires suas, expenderet in seruitio Dei, iuxta illud*[b]. Fortitudinem meam ad te custodiam, &c. *Et de hoc voto consuluit Abbatē quendam Cisterciensis Ordinis, qui persuasit ei, vt crucem religionis acciperet, & ad Cælestem Hierosolymam properaret. Et fecit sic. Et cœpit esse valdè feruens in religione; postea verò tentatus à Sathana, mutauit propositum, & proposuit se corporaliter iturū Hierusalem, sicut prius vouerat. Sed quia tunc Abbas præsens non erat, distulit recessionē contra suam voluntatem, vsque in diem crastinum. Et eadem nocte, cum de necessariis ad lectum rediret, vidit super quandam trabem dormitorij dæmonem sedentē in specie simiæ, & cœpit cogitare, quod Diabolus esset, quia in illo ordine, tales bestiæ non nutriuntur. Diabolus autem sentiens se cognitum, desiliit de trabe super illum, & verberauit eum tam fortiter, quod sanguis de naribus eius, & ore exibat. Et hoc facto euanuit. Illo autem clamante, fratres excitati sunt; & videntes illū nouitium tam grauiter læsum, portauerunt in infirmitorium. Qui iacuit exsensis tribus diebus in lecto suo; & videbatur magis mortuus, quàm viuus. Apertisque oculis, nihil videbat. Qui cum ita iaceret, apparuit ei S. Benedictus dicens: Benedicite, & ille, Dominus. Quæsiuitque dicens: Quis es Domine? Ego sum, inquit, frater Benedictus, sequere me.*

a In specul. Histor. lib. 29. c. 6. 7. 8. 9. & 10.

b Psalm. 58.

2. *Et sequutus est eum in spiritu. Et cœperunt ascendere sublimes gradus, & erant in singulis gradibus duo Dæmones, qui intentabant ascendentes, & in singulis gradibus percutiebant illum Nouitium. Qui defatigatus ab ictibus dæmonum, vix iam sequi poterat ductorem suum. Respiciens autem post se S. Benedictus, posuit manum suam super caput Nouitij, & confortauit eum. Post illos gradus ascensos, vidit Nouitius locum magnæ claritatis, & viriditatis in regione puri ætheris, & vidit ibi Capellam in aëre pendentem, tam paruam, ita, vt admiraretur, ad quid tam parua Capella facta erat. Ad quem S. Benedictus. Noli mirari opera Dei, qui solus scit rationem operum suorum. Intrans autem Sanctus Benedictus, iussit nouitium stare post ostium; ibi enim erat quidam candidatorum grex, sedentium in circuitu interioris Capellæ; & sedebat inter eos Mater misericordiæ, resplendens, sicut sol inter stellas, ad quam accedens Sanctus Benedictus, ait: Benedicite. At illa: Dominus. Domina, inquit, ecce nouitius, quem adduci iussistis. Et illa. Facite illum coram me venire. Qui cùm accessisset, dixit ad eum Domina: Vis morari in domo mea mecum, ad seruiendum mihi, sicut promisisti? ait: Etiam Domina. Ergo, inquit, iura mihi super illud Altare, & voue, quod mihi semper seruias, & opera facias Domini, & custodias. Qui cùm iurasset, dixit Domina nostra ad Sanctum Benedictum. Reducite eum, vnde adduxistis.*

Tunc S. Benedictus posuit eum post ostium, dicens: 3.
Aspice diligenter, & retine firmiter, quod visurus es, quia vtile erit tibi hoc vidisse. Tunc Sanctus Benedictus accepit peluim, & linteo præcinxit se, & dedit peluim Domina nostra. Et illa cœpit lauare pedes omnium, ibi sedentium per ordinem. Et Sanctus Benedictus post eam extergebat flexis genibus. Factóque illo mandato, Sanctus Benedictus reduxit Nouitium per loca florida, & delectabilia, & suauiter redolentia. Et ecce multitudo Monachorum, & occurrerunt eis. Ex quibus quidam pulchras coronas habebant in capitibus suis, alij nondum eas habebant in capitibus, sed cum fiducia eas expectabant. Inter quos erat quidam Monachus, qui per signum petiit à S. Benedicto licentiam loquendi cum illo Nouitio, & accepit. Qua accepta, dixit ad nouitium. Frater Gunteline, ego sum Monachus de domo tua, precor, vt dicas Abbati meo, & tuo, ex parte mei, quod frater Matthæus, quondam Monachus suus mandat ei, vt se corrigat, solicitiúsque se habeat, quam hucusque habuit ad custodiendum Ordinem suum, hísque intersignis credat. Quod cùm ego migrarem de corpore, vidi quandam Coronam descendentem de cœlo, quam putaui meam fore, sed data est cuidam Monacho, qui ante mortuus est. Pro qua re contristatus fui, inuidens bono fratris mei. De qua re eidem Abbati confessionem feci, & pœnitui. Te ipsum etiam admoneo, vt in proposito tuo permaneas humilis, & obediens, & honores fugiens; & tuam propriam voluntatem nequaquam facere delecteris, & semper Deum timeas.

Post hæc verba Sanctus Benedictus iussit Sancto 4.
Raphaëli, vt duceret nouitium, quò ducendus erat. Tunc S. Raphaël duxit eum in Paradysum. Et cum appropinquarent, vidit Nouitius ciuitatem quandam ex auro, cuius porta immensæ pulchritudinis erat. Quam cum miraretur. Angelus misit eum intra portam, & vidit intra Paradisum herbas, & arbores pulcherrimas, & aues cantantes. Sub vna arbore erat fons limpidissimus, cuius riui per mediam ciuitatem fluebant. Cúmque nouitius vellet pausare iuxta fontem, duxit eum Angelus ad aliam arborem miræ altitudinis, & pulchritudinis, super quam erat homo pulcherrimus, & prægrādis statura, quasi Gygas, vestitus veste

diuersorum

diuerſorum colorum, à pedibus vſque ad pectus. Hic eſt, inquit Angelus, pater humani generis protoplaſtus Adam, per ſanguinem Ieſu Chriſti filij Dei redemptus. Veſtimentum autem eius, eſt veſtis illa gloria, qua ſpoliauerat eum humani generis inimicus, per tranſgreſſionem diuini mandati. Ab Abel enim filio ſuo primo iuſto, cœpit ipſe recuperare veſtem ſuam per bona opera filiorum ſuorum, & filiarum quando verò totus veſtitus erit, Sanctorum erit numerus conſummatus, & finem habebit.

5. *Poſt hoc venerunt Angelus, & Nouitius ad regionem vmbra mortis, & terram tenebroſam. Et vidit Nouitius, quaſi facies horribiles, & putauit, quod ibi eſſet infernus. Sed Angelus dixit, non eſt. Illa autem turres ſunt, & camini infernales, per quos fumus, flammáque ignis aeterni exeunt. Poſt hoc vident hominem in ardenti Cathedra ſedentem, antè quem ſtabant, quaſi pulchra fœmina, qua tenebant cereos ardentes, quos impingebant in faciem eius, & in os; & retrahebant ſimiliter ardentes per eius intranea, & ſemper hanc pœnam patiebatur. Hic homo, ait Angelus, amicus fuit carni ſua, & inimicus anima ſua, guloſus, & etiam luxurioſus. Cathedra enim ſignat, quod potens fuit in malitia, amauit mulieres, & ideo maligni ſpiritus in tali ſpecie torquent eum. Poſt hoc videt hominem, quem nigerrimi ſpiritus excoriabant viuum, & fricabant cum ſale, & ſuper craticulam eum aſſabant. Hic, inquit Angelus, potens fuit, & crudelis in ſubditos. Poſt hoc vident hominem ſuper equum ardentem, clypeum igneum gerentem, & ſuper collum equi ſui capram tenentem, & ad caudam equi ſui trahebat habitum Monachi. Hic, inquit Angelus, pauper homo fuit ſemper de rapina viuens. Capram rapuit vnam à quadam paupere fœmina, circa finem vita ſua voluit fieri Monachus, non verè pœnitendo, ſed vt ignominiam ſuam parumper tegeret. Nam ſi viueret, cogitabat ſe rediturum ad priorem vitam, & ideo trahit habitum religionis, ſicut rem quam parum aeſtimabat. Capra enim, & clypeus tormenta ſunt damnationis ſua.*

6. *Poſt hoc vident diuerſas perſonas religioſas, Monachorum, Monialium, Epiſcoporum Presbyterorum, & Clericorum, quorum quidam ridebant, & cachinnabant; alij conuiciabantur, alij ſtudebant gula ſatiande, alij libidini explenda. Non quod iſta voluptates poſt mortem ſint, ſed ad maiorem confuſionem, & cruciationem, ſimilitudines peccatorum praeteritorum, in ipſis ſuis cruciatibus repraeſentant; damonibus ad hac eos cogentibus. Qui etiam poſtea eos percutiebant fuſtibus per media capita, vſque ad excuſſionem cerebrorum, & eiectionem oculorum, & hoc inceſſabiliter. Poſt hoc Angelus Raphaël duxit nouitium vſque ad profundum inferni, vbi vidit rotam horribilem igneam, & hominem extentum deſuper, & dum rota volueretur, quadam vox dixit ad nouitium territum: Vides rem terribilem, ſed adhuc terribiliorem videbis. Et ecce rota rapido curſu deſcendit vſque in profundum inferni, & tam magnum ſtrepitum fecit in cadendo, vt totus mundus cecidiſſe videretur, calum, terra, mare; & dum rota caderet, omnes anima captiua, qua ibi erant, omnéſque Damones pulſabant illum hominem, & maledicebant ei, & excommunicabant eum. Hic erat Iudas traditor.*

7. *Et, dum inde redirent, Angelus Raphaël ſcilicet, & Nouitius, apparuit ei Angelus, qui gubernabat Solem in humani generis ſeruitutem. Poſt hoc Angelus Raphaël dixit ad Nouitium. Oportet te redire ad corpus tuum. Viſionem iſtam nulli narres, niſi Abbati tuo, & in confeſſione. Tunc Nouitius reuixit, qui tribus diebus iacuerat mortuus, & cœpit oſcitare, & gemitus, & planctus dare. Et oblitus praeceptum Angeli, cœpit ſtatim narrare, qua viderat, dicens circumſtãtibus, & quaerentibus, quid vidiſſet. Vidi infernum, vidi paradiſum. Et cùm hac diceret, ecce S. Benedictus venit cum baculo ante eum, & percuſſit os infirmi inobedientis. Infirmus autem opponens manum ictui, percuſſus eſt grauiter in digito. Et quaerens cauſam percuſſionis, audiuit à S. Benedicto. Quia inobediens fuiſti, & ſi laſus es in carne, ſcito, quia magis laſus es in anima. Et quia peccaſti loquendo, loquelam perdes nouem diebus. Et iniuncta ei pœnitentia, diſparuit. Per illos antẽ nouem dies grauiter infirmatus eſt, & manus eius intumuit. Poſt nouẽ dies ſanatus eſt, & dixit Abbati ſuo ſoli, qua viderat. Abbas verò, qui praeceptum tacendi non acceperat, ad adificationẽ audientium, & legentium, viſionem reuelauit.* Hactenus Beluacenſis Praeſul, qui tamen priùs, quò dicendis fidem aſtrueret, ex Helinando deſumpta teſtificatur. Hoc eſt, ex grauiſſima, locupletiſſimáque illius æui hiſtoria, quæ iam (heu!) periit, per Monachum Ciſtercienſis Ordinis ſcripta æque Sanctum, ac doctum: Qui & ſcire potuit Ciſtercij ſecreta intima, nec niſi certa, & probata, diuulgaret.

Non me latet in huiuſmodi viſionibus aliqua contineri, quæ ſcrupuloſum lectorem mouere poſſint: Vt quod Virgo Beatorum pedes lauerit; quod in floridis locis, delectabilibúſque, adeóque, neque ſtatum præſentis vitæ, nec purgatorium ignem deſignantibus, coronas aliqui nondum accepiſſent, ſed expectarent: Quod veſtis Adæ, quæ peccato ceſſit, per bona opera filiorum reſtituatur, nõ ante finem mundi conſummanda. Quod in inferno externa illa tormenta; vt torquendis corporis ſenſibus apta, ſic animabus à corporibus exemptis, & quales ante reſurrectionem exiſtunt; prorsùs inepta. Et ſi quæ alia ſimilia reperiuntur. Sed neque pœnam, quam ſenſus vocant Theologi, aliter nobis, dum in hac vita ſumus, manifeſtari poſſe compertum eſt; neque in veſte Adæ iuſtitiam perſonalem, quam ſtatim recepit, per pœnitentiam; ſed totius naturæ, quam non minùs amiſit, ſignificari; neque Campum floridum purgatorio igne marceſcere, quippe vernante ſpe cœleſtis patriæ, qua ſe fruſtrari nullo modo poſſe, quicumque purgantur, nequaquam dubitant. Demùm Virgineam lotionem illis pervtilem, neque alibi applicandam, quàm ſolis pedibus; quippe queis lotis per gratiam iuſtificantem, verba Chriſti per omnia accommodantur. *Qui* [c] *lotus eſt, non indiget, niſi vt pedes lauet.* Hæc leui manu inſinuata magis, quàm dicta, ne lector hæreat. Alias quærentibus, mille alij exitus patent; nec ſtatim diſcredendum, ſi non paterent, nam *noli* (inquit) *mirari opera Dei, qui ſolus ſcit rationem operum ſuorum.* Ego non credam permiſſum fuiſſe dæmonem tot externa operari, támque miranda, in confirmationem falſæ reuelationis.

8. (margin, beside "Non me latet")

c Ioan. 13.

9. Hoc ipſo anno Altæcumbæ Eccleſia vacante, ceſſu, an deceſſu Abbatis, an promotione, nam nihil certum; Henricus Claræuallis Monachus ad religionem ante quatuor annos ſuſceptus [d], *Iuuenis adhuc imberbis, & mixtum ſumens* (nam verba refero ex Actis eius deſumpta) *à Beato Patre Faſtrado, cunctis mirantibus, eiuſdem Cœnobij Abbas renunciatur,* Ætatem moribus, ſapientiáque tranſcendens, & canos præferens ſenſus, in annis lubricis. Pergunt eadem Acta, poſt electionem. *Quantum verò idem Monaſterium ſub eo, auxiliante Deo, profecerit ſpiritualiter, & temporaliter, ipſa*

d *In lib. ſepulchr. Claraualliſ.*

ipsa res, rerúmque possessiones hodie protestantur. Vocabant maiora virum, non Cistercium tantùm; verum vniuersam Ecclesiam illustraturum; & per hæc inferiora, prospero licèt cursu, præparabatur.

10. Sanson à Pratis, Gallice *Des prez*, Rhemorum Archiepiscopus, Rainaldi à Pratis in eadem Sede prædecessoris, qui Igniacum fundarat, ex fratre nepos, Sancti Bernardi, dum vixit, familiaris, post mortem cultor, mense Augusto moritur; atque Igniaci in auunculi, & prædecessoris sui sepulchro sepelitur. De quo hæc pauca ex Cathalogo Archiepiscoporum Rhemensium accipiat lector [c]. *Sanson Des-prez Clericus antea Carnotensis, prædicti Rainaldi ex fratre nepos, Tuonis Episcopi Carnotensis discipulus, & Archidiaconus, electus anno M. C. X X X I X. Eius tempore Concilium habuit Eugenius I I I. Papa anno M. C. X L V I I I. X I. Kalendas Aprilis, contra errores Gilberti Porretani, & alium quendam hæreticum dictum Eon. Sedit annis X X I I. Obiit X I. Augusti M. C. L X. Sepultus iacet in dicto Igniacensi Monasterio, vbi hoc eius legitur Epitaphium. Hic iacet præclara memoria Reuerendus Pater Dominus Sanson Des-prez Archiepiscopus Rhemensis, alter huius Monasterij fundator, Domini Rainaldi primi fundatoris ex Fratre nepos. Obiit X I. Augusti. M.C.L X. Cuius anima in pace requiescat.*

Concordes animas, piásque mentes,
Vt dicas licèt, vnicam fuisse,
Commixti cineres sequuntur, & se
Credi corporis vnius iuuabit.

Sansoni successisse Henricum, Præsulem Beluacensem, anno sequenti, quo euenit, dicemus.

[c] Apud Ioan. Chenu.

---

1. *Guillelmi Rieuallensis Monachi obitus*, 2. *atque Ioannis Serlonis.* 3. *Tum Beati Rogerij apud Ellantium.* 4. *Subrogatio Vlrici pro Odelino:* 5. *& sub Vlrico Sanctus Bonifacius.* 6. *Successio, & series Abbatum Populeti*, 7. *Chronologia Ecclesiarum, & dictum de Sambucina*, 8. *& de Scouendal pauca, & subobscura.* 9. *Dictum de Monasterio de Perales.* 10. *donatio loci*, 11. *atque alia remissiuè.*

CAPVT VI.

1. HOc ferè anno in Monasterio Angliæ Ruford, seu Rusheforda, siue Russolla (sic enim video variatum de eius nomine) cuius supra meminimus, obiisse fertur Guillelmus Rieuallensis, fortè quia ex Riheualle illuc adductus (nam Rufort legitur filia Riheuallis) insigni sanè pietate vir, nec minori doctrinâ, atque omnigena, vt ferunt, eruditione: de quo Ioannes Pitsæus hæc habet scripta [a]. *Guillelmus Rieuallensis natione Anglus, & apud Rusheforda, seu Russollam, Monachus Ordinis Cisterciensis Vir pietate, & doctrina celebris, ab historicis nostris propter historiarum, & aliarum rerum multiplicem cognitionem mirè laudatus, cuius Encomia frequentiora, quàm scripta inuenimus: vel quia ex multis quæ sciuit, pauca scripsit: vel quia ex iis quæ scripsit, multa perierunt. Richardus, & Ioannes Hugustaldenses, Ranulphus, Higdenus, Guillelmus Hermanus, & alij ponunt eum inter præcipuos gentis nostræ scriptores. Magno sanè cum labore coaceruauit, partim ex probatis auctoribus, partim ex aliorum relationibus fide dignis, partim etiam ex iis, quæ ipse viderat, chronicorum volumen magnum, quod Ailredo Rieuallensi Abbati dedicauit, cui titulum indidit. Historiam Anglorum, Librum vnum. Reuerendissimo Patri, & Domino. Aliud ipsius nihil, quod sciam, memoriæ proditum est. Peruenisse dicitur vsque ad annum post Messiæ Natiuitatem M.C. L X. qua tempestate clauum Anglici Regni tenuit Henricus I I.* Hactenus ille.

[a] De Scriptor. Britan.

2. Qui etiam in eumdem annum refert Ioannis Serlonis obitum, quem dudum in Fontium Abbatia satis illustri, successisse Richardo, superiùs diximus. Virum Grammaticis quamuis instructiorem, quàm Theologicis studiis; at in vtrisque doctum, versatúmque: in illis eminentem suis coæuis. *Ex huius notis* (inquit idem Author) *& quibusdam dictatis, Hugo de Kirchestted Monachus & discipulus eius, multa decerpsit, de rebus in Fontanensi Monasterio gestis, item de initio, & incremento Cisterciensis Ordinis in Anglia. Ex quotidianis ad suos discipulos lectionibus; vt testes sunt Bostonus, & Lelandus, hæc saltem sequentia scripsit, & posteritati reliquit (nisi fortè quædam ex iis tribuantur Serloni Normano.*

De bello inter Scotiæ Regem, & Angliæ Barones Latinis Rithmis, Librum vnum. Dauid ille manufortis, sceptrum M. S. Cantabrigiæ in Collegio Sancti Benedicti.

De differentiis verborum, Librum vnum. M.S. Cantab. in Collegio Sancti Petri.

De morte Sumerledi Regis Manniæ Librum vnum. Dauid Rege mortis lege clauso.

In orationem Dominicam Librum vnum. Protector noster Dominus Iesus. M.S. Cantabrigiæ, in Collegio S. Benedicti.

De dictionibus dissyllabis, Librum vnum. Dactile conueniens digitis.

De dictionibus æquiuocis, Librum vnum. Est vates arator, cultor telluris.

De dictionibus vniuocis, Librum vnum.

Vixit anno Dominicæ Incarnationis M. C. L X. sub Angliæ Rege Henrico I I.

A Philippo Seguino notatum lego, hoc item anno ad superos transiisse primum Elancij Abbatem Sanctum Rogerium, cuius superius Compendium vitæ dedimus. Putat autem eundem scripsisse Martyrium vndecim millium Virginum Coloniensium: quod vnde hauserit, penitus ignoro [b]. *Rogerius* (inquit) *primus Elancij Abbas, vir tam in Diuinis, quàm in sæcularibus scripturis eruditus, ingenio, & eloquio clarus, scripsit sermone luculento ad fratrum ædificationem, martyrium sacrarum vndecim millium Virginum Coloniensium, claruit anno Domini M.C.L X.* Hactenus ille: qui tamen statim addit Rogerium hunc ab aliquibus confundi cum alio Rogerio Fordensi in Anglia Monacho, quem claruisse sub Balduino Abbate, & alia quædam scripsisse, infrà dicemus. 3.

[b] De Script. Illustr. littera R.

Sub idem tempus, cedente Odelino Villariensi Abbate Vlricus sufficitur: de qua subrogatione pauca Grammaius [c]. *Odelinus anno M. C.L I V. (electus) Antistiti Leodino, & Godefride Duci acceptissimus,* 4.

[c] in sua Gallo-Brabantia.

ptissimus, cui successit *Vlricus Alemanus*, *vir plenus dierum, & fama suaue olentis*. Plura Henriquez [d] ex Chronico Villariensi. *Cùm autem*, ait, *munus sibi commissum Abbas Fastradus renunciasset, Odelinus eligitur, qui cùm ferè septem annis strenuè præfuisset, cessit, eique successit Vlricus anno M.C.L.X. qui postmodum (scilicet Odelinus) regiminis habenis depositis, in Monasterio Valcelensi obiit, ibidémque sepultus est.* Hæc ille: qui tamen, quantum licet coniectari, Odelinum confundit cum successore. Quippè qui post abdicatam præfecturá, priuatam vitam in Valcellis sanctè transegit, non Odelinum fuisse, sed Vlricum, pluribus ipse confirmat testimoniis, in suo Menologio, Ianuarij primo. Illud notandum, hactenus in Villario cessisse omnes, Laurentium, vix annum implentem in præfectura: nec multo diuturniores tres sequentes Fastradum, Giraldum, & Odelinum (quod sequutus Vlricus, vt post videbimus) nec regimen cum vita deposuisse, sed in vita: Deo, & sibi ante mortem vacaturos.

d In Fasciculo lib. 1. dist. 4. cap. 30.

5. Cæterùm sub Vlrico Villarij floruit Beatus Bonifacius, Claræuallis quondam Monachus, atque inde à Sancto Bernardo illuc transmissus, cum Laurentio, & aliis, qui primi Villariense Cœnobium inhabitarunt. De eo in historia Abbatum Villariensium apud Henriquez [e]. *Tempore ipsius* (loquitur autem de Vlrico Abbate) *fuit Prior nomine Bonifacius, Claraualensis quondam Monachus, & vnus de primis*, scilicet ad Villarium inde missis. Porrò de viri eximia sanctitate, pretiosa morte, & sacra sepultura, anno M.C.LXX. qui creditur migrasse dicendum erit.

e In Menolog. Iunij 5.

6. Eodem anno in Tabulis Populetanis notatum lego Grimoaldi decessum, cùm sexennio rexisset crescentem domum. Defuncto Præsuli subrogatus Stephanus vir insigni virtute, doctrináque; & quem Princeps Raimundus diligebat amicum, Consiliarium audiebat, & sanctum religiosè venerabatur. Mira sub eo incrementa recentis domus, & maiora fuissent, si non pro meritis, ad Oscensem sedem raptus, dilectam sibi domum deseruisset intra sexennium. De eius promotione Hugonis dicam in tempore.

7. Quod attinet ad fundationes Monasteriorum, duæ tantum notantur in Chronologia: Sambucinæ, & Scouendal: vtraque sine certa præfixa die. Sambucina Claræuallis lineam auxit, filia Casæmarij: vnde Abbatem & Monachos suscepit; domus sita in Calabria, quam Ioachin Abbas in sæculo adhuc manens, cùm fugeret parentes, patriámque inhabitationem; illustres viri Petrus Lombardus, & Franciscus Accursius in sepulturam sibi aut elegerunt, aut saltem sortiti sunt. Certè de Ioachimo suo loco: De Lombardo, & Accursio id mihi constat, quod à Iacobo Græco scriptum lego [f]. *In Sambucina* (inquit) *Cœnobio duos viros virtutum, Petrum Lombardum, & Franciscum Accursium fuisse consepultos, lapis veterrimus, ab ipso Sarcophago ob templi diruptionem desumptus, in Altari maiori fabricatus, testatur huiusmodi verbis* [g]. *HIC IACENT DVO VIRI VIRTVTVM, PETRVS LOMBARDVS, ET FRANCISCVS ACCVRSIVS.* Cæterùm cum Petrus Lombardus obiisse dicatur anno M.C.L X I V. quarto, à Sambucinæ domus fundatione, argumento est, vix dum natum Cœnobium satis celebre, in quo relicta propria Ecclesia Parisiensi, tantus vir voluerit sepeliri. Memoratur Sambucina in litteris Honorij Papæ III. Datis Laterani, III. Idus Nouembris, Pontificatus ipsius anno primo. Ex quibus Diœcesis potest designari, quam video prætermissam in Genesibus. Quippè Bisignianensis sub Cosentino protulit, & Sambucina breui, filias quinque in Sicilia, in Calabria, Apuliaque; de quibus suis locis dicendum erit.

f In vita Ioachimi fol. 42.

g Vide Baron. hoc Ann.

Scouendal ignotior nobis domus; nisi quod tamen inuenitur apud Henriquez in Genesi Ecclesiarum Claræuallensium, incerta matre. Neque ausim dicere, eamdem, an diuersam, cum ea, de qua Sebastianus Munsterus [h] hæc habet verba. *Schental aliud Monasterium etiam in Ottonica sylua, ad ripam Laxti fluuij situm, Ordinis Cisterciensis, fundatum est à nobilibus de Perlichingen, qui ibi quoque sitam habent sepulturam. Numerum annorum fundationis eius non inueni.* Ita Munsterus de Monasterio in Palatinatu sito, atque in Diœcesi, vt credo Herbipolensi. Nam extant litteræ Gregorij Papæ IX. ad Abbates de Brumbache, & de Scobendal Cisterciensis Ordinis, Herbipolensis Diœcesis, super Canonizatione Sancti Brunonis Herbipolensis Episcopi, Datæ Laterani XI. Kalendas Maij, Pontificatus ipsius anno XII. quas nos etiam in tempore reddemus. 8.

h Lib. 3. ad medium.

Hoc item anno surrexisse video in ea parte Hispaniæ, cui veteris Castellæ nomen inest, Virginum Monasterium, à Pyris dictum (vulgò de Perales) quæ plurimæ fœcundant locum, aliàs amœnum. Fundatores habuit Comites Nunium, Tarasiámque, genere, & opibus inter primos totius regni. Certè eorum nepotes præ aliis clari, queis filiæ Regum nuberent: quod publica instrumenta sequentis sæculi, ab eisdem confecta, testificantur. *Ego Comes Don. Nunio, vnà cum coniuge mea D. Catharina, filia illustris Reginæ, Domina Sanctia, facimus chartam donationis Deo, & S. Mariæ de Perales; quod Monasterium aui nostri fundauerunt*, &c. *Facta charta vigesima die mensis Maij Æra M.CC. LXXXI.* Porrò ex hoc eodem instrumento constat, eorumdem filiam Comitum Menciam, Sanctiæ Reginæ nepotem, inter loci Abbatissas connumerari: Reliqua ignota: nisi quod tamen Moniales ex Tulebris adductas circa hunc annum, sub Abbatissa Ozenda, constat ex instrumento donationis, quod hodiéque perseuerat sub hoc tenore. 9.

Cunctis diuinam paginam diligenter intuentibus liquet, quatenus, cum consideratur, quæ & quanta sint, quæ promittuntur in cælis, paruipenduntur, quæ possidentur in terris. Hac ratione considerata, pro spe futurorum bonorum, & pro remissione peccatorum nostrorum, diuina gratia administrante, Ego Dominus Nunius Petri, & vxor mea Domina Teresa, Ferdinandi, cui hæc hæreditas pertinet, sub nomine, & honore Domini nostri Iesu Christi, cuius laus permanet in æternum; facimus chartã donationis vobis Domina Ozenda, de tota illa hæreditate, quã habemus in Perales, & in Zerita, ab integro, cum omnibus terminis suis. Damus itaque, & concedimus vobis Domina Ozenda, & sororibus, Deo deuotis, secundum Ordinem de Cistellis ibi regulariter degentibus, tam vobis, quam successoribus vestris; vt iure hæreditario illam habeatis, & in perpetuum possideatis, &c. *Facta charta Æra M.C.XCVIII. IV Kalendas Februarij, regnante Alphonso Rege in Castella, & Toleto, & Naxera*, &c. Hactenus instrumentum donationis. 10.

In quo etsi nulla Monasterij de Tulebris, siue de charitate, memoria extet; Moniales tamen inde, illuc adductas, duplex nobis ratio persuadet: 11.

altera, quod hæc eadem donatio in Tulebrensi archiuio conseruetur, vnde nobis transmissa: altera, quod post annos triginta, plus, minúsve, instituta sub Huelguensi Cœnobio congregatione Virginum Cisterciensium, quæ per Castellam, Legionémque dispersæ, in domibus diuersis habitabant; Peralense non prius subdidit collum Huelguensi Monasterio, quam à Tulebris, atque eius Abbatissæ potestate emancipatum, sui iuris, vt vocant, efficeretur. Sed de his latè in sequentibus dicemus. Mansit Cœnobium in loco de Perales per quatuor sæcula: & tandem sub initium quinti translatum Vallisoletum sub inuocatione Sanctæ Annæ, congregatis ex diuersis locis sanctimonialibus, maiorem perfectionem suspirantibus, nouæ reformationi initium dedit; quæ hodiéque prolifica, & fœcunda fermè per totam Hispaniam, imo vltra mare palmites transmisit, non vnquam, Deo authore, defecturos. Multa de his haud dubiè multis in locis, si quis annales perducet ad nostra tempora: nobis id vnum satis, superque sit, inter florentes reformationes virginum, quæ Hispaniam nostram supra alia regna illustrant; quas recollectas Cistercienses vocant, nulli secundas, vigore vitæ, morúmque fragrantia meritò multis aliis anteponi.

IESV CHRISTI ANN. 1161. — CISTERCII ANN. 64.

1. *Status orbis sub initio intrantis anni*, 2. *aduentus Sancti Petri Tarantasiensis ad Fridericum*, 3. *cui occurrere Herbertus, sed frustra parat*. 4. *Qualiter se cum Imperatore beatus Præsul*, 5. *& qualiter cum Herberto, an contra ipsum?* 6. *Pauenda hominis mors.* 7. *Sancti miracula*, 8. *in Alsatia multiplicata*, 9. *Demum iudicium eiusdem de his miraculis.*

CAPVT I.

1. PRÆSENTEM annum Christi millesimum centesimum sexagesimum primum, qui fuit Cistercio quartus & sexagesimus, hunc, inquam, annum Baronio Cistercium implet, adeo nihil in tota Ecclesia factum, quod non per Cistercienses, eorum veniat historiæ transcribendum. Addemus tamen neque pauca, neque leuia, tandem neque hos tantùm, sed Ecclesiasticos annales illustratura. Furebat in Ecclesiam Fridericus, & quos per Conciliabulum Papiense, pietatis obtentu, ab Alexandro auertere non poterat, instigante Herberto, & consimilibus, per potentiam, & vim dominationis ad Victorem trahebat; renitentes, exilio etiam mulctabat. Nec iam solùm, vt hactenus per minas, sed per violentiam; Regno exturbans personas, Collegiáque; Ecclesiasticos æquè, ac sæculares. Solis tamen parcebat Cisterciensibus; dubium spe, an metu; an demum charitate fraterni nominis. Sanè si Cistercienses sibi alliceret, ingens ferè incrementum Victorianæ factionis, non ignorabat; nec desperabat viros posse trahi per speciem pietatis, gnaros parendi, nec facilè discussuros, quæ gesta Romæ, variè per orbem à diuersis diuulgabantur. Sed si apertè sese illis opponeret, irritandos fideles; atque auertendos à Pontifice schismatico, pro quo statuendo Sanctissimos in Ecclesia viros, & soli veritati adhærentes, persequeretur. Hic status Orbis sub initium intrantis anni, qui ex dicendis manifestiùs apparebit.

2. Inter hæc Tarantasiensis Archiepiscopus, solamen vnicum Ecclesiæ à Deo prouisum in tantis malis, cùm omnia pessum ire; nec minus in exilium agentes, quàm ipsos exules charitate Christiana miseraretur, nec dubitaret sibi, si cui hominum, abs Friderico fore deferendum; Chrysopolim, vbi tunc morabatur, (& erat ea intrusi Herberti sedes) adire parat; mitigaturus, si posset, furorem Principis; & Pseudoepiscopum, quà posset, compesciturus. Et primum quidem ex parte consequutus, nec enim tempus pacis adhuc venerat: in secundo adeo mirabilis Deus in Sancto suo, adeo terribilis in Herberti morte apparuit, vt ex tunc nullus, si modò sanæ mentis, dubitare potuerit veritatem Pontificis, quem prædicaret Petrus, & pro quo Deus tam seuerè vindicasset. Referam primùm conatus Herberti irritos, mox Sancti Præsulis aduentum ad Fridericum; orationem dein ab ipso factam, pro schismatici siue conuersione, siue interitu; demum per eam damnati hominis mortem, prorsus impœnitentem, & quam sanè desipiat, qui non expaueat. Referam autem Gaufridi Abbatis verbis, quem propiùs cuncta nouisse compertum est.

[a] *Extat in Diœcesi Chrysopolitana Cœnobium, quod Bethania nominatur. Illò venturum Tarantasiensem Archiepiscopum Herbertus Chrysopolitanus, intrusus, & schismaticus Episcopus audiens, præmisit nuntians eadem die sese venturum. Expauit Abbas, & cum multa anxietate in occursum properans Viri Sancti, ignorare sese quid ageret, causabatur. Cui ille, Angulus nobis, quantuluscumque sufficiet, ne turberis. Verùm tamen diuina pro eo vltio militauit, & ægritudine occupatus Apostata, quod disposuerat, non impleuit.* Hæc viro Dei Chrysopolim veniente, vbi tunc Fridericus demorabatur. Quid sibi vellet Herbertus occurrens Sancto incompertum habemus: & nec credendum conuerti ab eo voluisse, neque ausum peruertere. Bethaniensis Abbatis pauor, audito nuntio, oppressionem subindicat; à qua foret timendum Sancto Pontifici. Verùm responsum eius mitius quid sonat, quasi qui solùm crederet turbatum, quod domus angusta esse videretur tantis hospitibus simul suscipiendis. Quocumque fine intentatus occursus fuerit, impeditus à Deo, iter Sancti expeditius accelerauit. Pergit deinde Gaufridus cum viro Dei. 3. a Apud Surium mense Maij c. 25.

[b] *Exinde vir Beatus ad Imperatorem accessit, in Ciuitate Chrysopoli constitutum; vbi ab oppressione Catholicorum, maximè religiosorum, quantum potuit, eius animum reuocauit; Regis iram rugitui similem leonino, monitis simul, & intercessione compescens.* 4. b Ibidem.

Hæc

Hæc breuiter Gaufridus multa subindicans prædicatoribus Regum attendenda; quos interuentu, quam obiurgatione; reuerentia, quam dicendi libertate, facilius capias, suetos rogari, impatientes reprehendi. Quippe in hoc velut læsæ Maiestatis iacturam dolent; in illo fassæ gloria perfruuntur. Sed & quædam pro tempore omittenda; si desperata:ne nihil prorsus emendes; dum curas omnia. Pro religiosis intercessit B. Præsul, instante schismate: nec Pontificis vtriusque collationem, & veri antelationem prætermittebat, sed in tempus commodius reseruabat.

5. Cæterùm qua moderatione in Fridericum, eadem in inferiores libertate, constantiáque agere suetus; maximè autem in aliorum peruersores. Vnde in Herbertum acriter inuectus, properam imprecatur mortem, ni resipiscat, completa intra paucissimos dies imprecatione pauendo Dei iuditio, vindictáque cunctis schismaticis altè formidanda; nam audi quod sequitur. *Conuenit autem solita deuotione populus ciuitatis ad eum, & innumera etiam de vicinis locis vndique multitudo confluxit. Quibus inter cætera de prædicto Herberto hæretico verba faciens, nec ipsius malitiam veritus, nec præsentiam Imperatoris, per quem erat intrusus; orationem indixit omnibus generaliter; vt manus Domini accelerarct ab illius tyrannide Ecclesiam liberare; vel mutando hominem, vel mulctando, vt conuerteretur ad pœnitentiam, vel de medio tolleretur. Oratum est; & infra quatuor, aut quinque dies miseram idem Schismaticus animam exhalauit.* Sic oratione Petri extingui hominem, semel in reprobum sensum à Deo datum, quàm prædicatione conuerti, facilius fuit. Verùm quàm cunctis pauenda Herberti mors, quàm ipsi desperata salutis spe, contigerit; quia ad B. Petri historiam non minus spectat; tum quia interuentu Abbatis Cisterciensis, quem ad maiorem eius damnationem, illuc adductum non licet dubitare; ex eodem auctore item tradamus.

6. *Accidit*, ait, *vt idem Herbertus interea visitatus à Reuerendo Bellouallensi Abbate, ad primum gratulari videretur aduentum: Conuentus autem de confessione peccatorum, & admonitus de pœnitentia, pugillum strinxit, & applicans ori, buccinabat in eo; post modicum verò, deponens manum, quam strinxerat, ore canebat. Erubuit Abbas, quod non posset aliud obtinere responsum; & agnoscens indicium Dei, non sine multa confusione recessit. Nec dum vir Sanctus de ciuitate exierat: & iam in plaustro boum Herberti cadauer efferebatur infaustum, clamante populo, & dicente: Benedictus Dominus, qui tradidit impium.* Hic infœlicis intrusi, atque schismatici, miserabilis magis, quam miserandus exitus fuit: qui schismaticos omnes deterruisset, si non diuinis auxiliis destitutos, excæcasset malitia, vt non viderent, etiam quæ videbant, & quæ oculis eorum obiiciebantur.

7. Pergebat interim Præsul venerabilis meritis clarus, miraculis gloriosus, vt verè quæcumque doceret, & prædicaret, confirmaret per signa, per quæ homines ad Ecclesiæ vnitatem, & veri successoris Petri obedientiam pertraherentur. [c] *Alsatia dicitur regio propè Rhenum, populosos admodum vicos habens. Hanc ingressus aliquando Pontifex reuerendus, in villa, cui nomen Rufeium est, Missarum solemnia celebrabat. Cui mulier est oblata, ex graui præcipitio, iuncturis ossium dissipatis, per annos circiter nouem, vix duobus baculis sustentata procedens. Post orationem, & manus impositionem, modicum substitit, & virtutem sentiens, exclamauit, nec mora: baculis in sublime porrectis, incolumis facta est, & liberè gradiebatur: populusque vociferans* Kirie eleyson. *Suspensis inter lapides baculis, Dominum collaudabat. Ibi etiam claudi duo protinus sunt erecti. Prior ad tactum eius: posterior prius quàm obtinere posset accessum in medio plebis, diuina vnctione præuentus. Post oblationem hostiæ salutaris sacerdos oblatum sibi per signum Crucis cæcum illuminauit. Oculos eius liniens ex aqua adspersione digitorum suorum.* Hæc Altæcumbæ Abbas Godefridus.

[c] Apud Surium c. 29.

8. Sed priùs quàm ab Alsatia recedamus, alia ibidem miracula patrata ex eodem authore commemoremus. [d] *Est locus* (ait) *in regione Alsatiæ cui nomen Aquenillare, vbi signatam epilepticam sub celeritate pertransiit, & tam crudeliter misera vexabatur, vt continuò videretur animam redditura. Conuersus Pontifex, & mulierculam erigens, in aurem eius submissa voce dicebat: necesse est, vt egrediaris ab ea. Sanata est ergo mulier ab illa hora; & deinceps nihil tale perpessa. Contigit altera vice, Missarum solemnia celebrante viro Dei, vexatum hominem epilepticum exclamare. Compassus ille, & vice sua Sacellanum dirigens suum, erigi illum præcepit, & sanari. Quod vtrumque effectui mancipatum est ipsa hora.* Hactenus ibi. Vt videas verè à Cæsare Baronio comparatum Bernardo Præsulem Sanctum, cui non solum materia, verùm & virtus consimilis omninò; neque diuersa acclamatio populorum; Illo Innocentium prædicante verum Christi Vicarium: hoc Alexandrum.

[d] Ibid. c. 32.

9. Verùm cum hæc, & similia perpetraret, atque iidem ipsi, qui miracula petebant, miraculorum colluuie, quæ hominum conditio est, propriis votis irasci, cómouerentur; ipseq́, quasi per alium cuncta fierent; indigentiæ fidelium adscribebat. [e] *Ex relatione Stamedensis Abbatis accepi, quod aliquando Patrem Sanctum familiari suggestione conueniens, ait illi: nonnullos mouet; vt comperi, Pater Sancte, quod ita passim, & incunctanter super ægros manus imponis. Arbitrantur enim, & asserunt, quod iam olim tempora miraculosa transierint. Cui tale dedit Sanctus ille, solita benignitate, responsum: multorum iam non modò charitas refrigescit, sed fides etiam infirmatur. Exigit proinde velut de nouo rigari miraculis, foueri beneficiis fides marcida, fides ægra.* Et reuera multorum ægra fides exposcebat, miracula, per quæ Schismatici (quos plurimos conuertit) ad Ecclesiæ vnitatem reducerentur. Sed iam, quæ post hæc facta esse leguntur, ex eodem auctore prosequamur.

[e] Ibid. c. 30.

1. *Sanctus Petrus vocatus ab Alexandro*, 2. *miraculis coruscans Italiam intrat*, 3. *honoratur ab omnibus*: 4. *atque omnes firmat in fide, & obedientia*. 5. *Tyrannum persequentem se conuertit*, 6. *de dimittendis equitaturis deliberat*, 7. *à Pontifice ad Reges Galliæ, & Angliæ mittitur*. 8. *Et quas ob causas*, 9. *infirmitate correptus detinetur*. 10. *Claret miraculis*. 11. *Quæ varia per viam patrat*.

CAPVT II.

1. CONFIRMAVERAT Alexandro, & Ecclesiæ Pontifex Sanctus Sabaudiam, Burgundiam, & Lotharingiam, multa prædicatione, crebris miraculis; & qui procul ab vrbe positi erant, præter solos Germanos, cuncti ferè adhærebant vero Pontifici. Verùm qui Romæ, & in locis adiacentibus, seu potentia Victoris, seu spe præmiorum, quæ nulla ille negabat suis sequacibus, seu inolita magnis etiam viris, in Principem supremum assentatione, dum Fridericum, attentius respiciebant, ab eius obedientia recalcitrabant. Nec quisquam alius in orbe inueniebatur per quem conciliarentur, quam magnus ille Tarantasiæ Præsul, quem laboranti Ecclesiæ fulcrum Christus prouiderat; per quem vbique talia operabatur: quem vel ipse Imperator, totius mali promotor, reuereretur. Ergo accersiri in Italiam visum est, litteris Alexandri; quæ vtinam ad nos vsque perdurassent. Extat tamen memoria vocationis, quin & aduentus; & ex aduentu fructus consequuti: miraculorum, & diuinæ item vltionis in resistentes, quæ omnia paucis perstrinxit Gaufridus Abbas.

2. [a] *Idem quoque vir Sanctus* (ait, scilicet Petrus) *à Catholico Papa Reuerendissimo Alexandro tertio accersitus, per Italiam, & Tusciam magnificè consolabatur Catholicos, & schismaticorum facies ignominia, & confusione replebat; cum in ipsis vrbibus vbi Pseudoepiscopi præsidebant, palam, & publicè eamdem hæresim condemnaret, vniuerso populo deuotissimis illum obsequiis prosequente, imo etiam Domino signis variis sermonem confirmante.* Hæc de aduentu ipsius ad Alexandrum, in signis, & virtutibus, quibus nec ipsi Schismatici Episcopi auderent resistere: & consensuri forent, nisi obtentarum dignitatum infulis, veluti ligamentis, detinerentur: reliqui, siue priuatim, siue publicè, prout quisque timebat, manus dabant.

a Apud Surium mense May c. 16.

3. At quanta viro ab Alexandro Papa reuerentia exhibita pergit scribere Gaufridus in hunc modum. *Nec personæ alterius summus Pontifex tantum honorem exhibuit, nec Romana Ecclesia eo tempore Episcoporum aliquem sic admirata est, sic reuerita, sic amplexa. Soli respiciebant ad manus eius, vt munera consequerentur, egeni. Nam spiritalis gratiam muneris omnes pariter affectabant.* Haud aliter Bernardus sub Innocentio interuentor ad omnes; & veluti in Ecclesia Dei, collum; per quod à capite influxus in membra reliqua: sic vtrique pressuræ vtrumque Sanctum; & si remedia morbis correspondent, maiorem Petrum summus Ecclesiæ Pastor, quippe maiori morbo præparauit.

4. Pontificali benedictione accepta, cùm ad priora rediret B. Præsul, non tamen recta via pergendum censuit; sed perambulans Tusciam, Campaniámque, vrbes, vicos, Castella, & municipia Alexandro, & Ecclesiæ confirmaturus. Nam pergunt acta. *Et quemadmodum multo tempore per Burgundiam, & Lotharingiam actitarat; per regiones Italiæ, Tusciæ, & Campaniæ in aduentu, in statu, in reditu celeberrima sanctitatis eius authoritas in conscientiis propriis coram Deo fiduciam maximam, coram hominibus reuerentiam, & constantiam præbens Catholicis; Schismaticos nihilominus confundebat intus, & foris.* Porrò hæc omnia, quod ad tempus attinet, in media bruma gesta, inde coniector; quod mense Martio intrante Quadragesima, iam iterata functus legatione, Sanctus Gallias ingressus, caput ieiunij in Monasterio Mortui-maris, quod statim dicam, gloriosè celebrauerit.

Sed antequam ad propria reducamus Sanctum Pontificem, quam pro eo Deus vindictam exercuerit, sed medicinalem pro innata ipsius misericordia, in quemdam tyrannum (neque enim alio nomine refertur) qui contra Sanctum insidias, & iniurias meditabatur; idem, qui suprà, Gaufridus his narrat verbis. *Ausus est tamen tyrannus quidam persequi redeuntem, personam eius iniuriis afficere cogitans: vel de equitaturis circiter quinque, vel de supellectili tenuissima facere prædam. Cuius inter currendum ruit equus in præceps, & fracto crure, solo decubuit. Expauit homo, & in se rediens, gratias egit, pro damnatione (animæ) quam meruit, damno se (corporis) potiùs esse mulctatum; non minori deuotione procedens ad prosequendum, & obsequendum, quam furore priùs ad persequendum fuerat animatus. Sequutus denique, & tunc primum consequutus est. Pedibus eius aduoluitur, humiliter satisfacit, nec satis illi, quidquid facit, misericordia eius tribuens, quod pro sessore equus occubuit.* Sic mutuo pro se zelant Deus, & Petrus; hic, vt Vicario Christi omnes obtemperarent, ille, vt suum Sanctum omnes reuereantur. 5.

Reuersus ad propria nihil magis optauit Vir Apostolicus, quàm Apostolicæ in cunctis perfectionis adhærere vestigiis; & quasi tunc exuisset veterem hominem, nouum alium induere, qui ab illis semitis in nullo declinaret. Quæ pauca habebat, relinquere pro Christo, abstinere à seruis, equos abiicere, & quæ in vtrisque forent insumenda, erogare pauperibus, prædicationi, & doctrinæ soli insistere, quoties occurreret, pedes ambulare: demum in nullo prorsus sibi parcere, quo ad culmen illud Apostolicæ vitæ prouehi posset. Conuenerant [b] visitaturi reducem religiosi complures, quos in odorem sanctitatis eius currentes post se trahebat. Et inter alios Altæcumbæ Abbas Henricus, ingentis spei adolescens, quem anno proximo à Sancto Fastrado præfectum memorauimus. Cum his arctioris adhuc disciplinæ consilia confert; admirantibus cunctis, sed approbantibus, siue, quia ita sentirent expedire viro aspiranti ad culmen perfectionis, siue quod pondere authoritatis eius oppressi, contraire, aut nollent, aut non auderent. Vnus Henricus, etsi iunior cæteris, tamen à Deo, vt apparuit posteà, illustrior, consilium non reiecit, sed temperauit: atque id expediens intra propriam Diœcesim dixit; si ad exteras, remotásque mittatur, tanquam minus salubre, dispensandum 6.

b Cant. 2.

dum. Et potuit statim videri prophetasse, sequuta legatia in partes Galliæ, & Angliæ, ab Alexandro iniuncta Sancto Præsuli, qui non alius fungi conueniens esset. Cæterum nos, tam hæc omnia, quàm legatum, primò ex eodem Altæcumbæ Abbate, Gaufrido, Henrici successore; mox cum Baronio: ex aliis prosequamur. [c] *Quanto magis virum Dei mundus prosequebatur obsequiis, præconiis extollebat, tantò magis metuebat ipse, quod legerat:* [d] *si de mundo essetis, mundus, quod suum erat, diligeret. Cæpit ergo cum viris perfectioribus spiritualis collationis habere tractatum, vtilius fore existimans, pauculos, quos habebat equos venundari, & pretium dari pauperibus, vt pedes gradiens, quod consumere illi cum suis custodibus consueuerant, misericordiæ magis operibus deputaret. Fecissétque voto satis nisi suggestio rationabilis, & confestim occurrens necessitas, obstitisset. Si quidem persuasum est ei in sua quidem prouincia id obseruari posse; sed excipiendum ab huiusmodi professione propositi, vt solito vteretur animalium vehiculo, si remotas adire prouincias pro causa ineuitabili cogeretur. Nec sine diuino nutu exceptionem eiusmodi sacro Præsuli persuasisse videtur vir eximius, & inter amicos charissimus, tunc Altæcumbæ, postmodum Claræuallis Abbas Henricus, nunc Albanensis Episcopus, inter insignes columnas Romanæ Ecclesiæ, loco celebri constitutus.* Hæc Sancti Patris consilia vergente senio; quæ vix iuuenis alter deliberaret.

c Apud Sur. c.34.

d Ioan.15.

7. Verùm quàm prouidum Henrici consilium fuerit, legatio tunc iniuncta manifestauit. [e] *Adhuc enim sermo manebat in eiusdem deliberationis ambiguitate suspensus; & ecce Nuncius Domini Papæ; ecce litteræ; ecce mandatum, vt ad Reges Francorum, & Anglorum sibi reconciliandos, sub quanta poterit accelaratione festinet. Ex quorum inimicitiis Ecclesiarum destructio, depopulatio regionum, & innumerabilium strages hominum procedebat. Nec videbatur aliud præstolandum, quàm quòd dicitur.* Fortis [f] impegit in fortem, & ambo pariter corruerunt. *Huius necessitatis intuitu, & Apostolicæ auctoritatis reuerentia, cui in omnibus, & per omnia semper obtemperauit, Præsulem Sanctum descendere fecit in Gallias.* Hactenus Altæcumbæ Abbas Gaufridus, qui Lucij tertij iussu, Sancti Pontificis acta concinnauit.

e Ibidem.

f Ierem. 46.

8. Cardinalis Baronius dum hæc narrat, duplicem aliam iniunctæ Legationis grauem vtramque, & Sancto Petro dignam, causam, subindicat: Alteram vt eidem Alexandro pararet viam, qui profectionem in Gallias maturabat. Alteram, vt vtrumque Regem, & Regnum, dudum à Friderico Imperatore, pro Antipapa Victore solicitatum, sibi firmaret: deuotum aliàs, & Victori infensum hactenus; sed nihilominus per Petrum confirmandum. [g] *Iturus in Gallias Alexander Papa, quòd audisset eas Prouincias rursum perturbari cœptas bellorum tumultibus, ad Ludouicum Francorum, & Henricum Angliæ Reges; magnum virum præcursorem misit Sanctum Petrum Archiepiscopum Tarantasiæ, de quo superiùs dictum, per quem fæliciter tam arduum negotium confectum est.* Hactenus ibi. Concordatam Regum pacem, atque Alexandrum susceptum ab vtroque in duplici Concilio, Sancto attribuens. *Cuius vtique legatione fungentis haud dubiè munus esset ista præstare.* Sed de his statim: nunc Sancti viri iter prosequamur.

g Ad hunc. ann.

9. Hæsit in limine infirmitate correptus, sed quæ, vt ipse Alexandro Papæ viam, sic sibi sterneret, miraculorum fama præeunte, quæ crebra interim continuaque patrauit. Audi de his Auctores ipsius vitæ, [h] *Ingressus itaque Monasterium Senonensis Diœcesis, quod Pruliacum dicitur, & in eo circa spatium mensis vnius infirmitate detentus, plurimis tamen ægrotis beneficia præstitit sanitatum. Et cùm maximus vndique, & vbique ad eum concursus fieret populorum: nolite, ait Sanctus ad fratres, de victualium distributione moueri. Dabit Dominus horreis vestris benedictionem, vt cognoscatis eius virtutem, qui pro beneplacito suo multiplicat, quæ pro sui nominis gloria erogantur: sic audisse; sic credidisse; sic experimento comprobasse sese testati sunt, per quorum manus conficiebantur panes, & distribuebantur: vt cùm vix viderentur duplicati posse sufficere, minor solito numerus abundaret. Semel siquidem in hebdomada minùs coquebant in clibano, quàm cæteris mensibus ante solebant.*

h Apud Surium c.34.

Miles quidam regionis illius impetrandæ benedictionis obtentu, & signorum gratia, ad hominem Dei 10.
multos concurrere videns, compassus filio non videnti, optat, vt eius suffragantibus meritis, videns fiat, ex cæco; qui suis, vt verebatur, promeruit culpis, cæcus factus est, ex vidente. Cæcum itaque filium extulit domo sua, sed Pruliacensi cœnobio intulit non videntem. Obuius enim factus est vir fidelis eunti, panem referens à B. Præsule benedictum. Nec moras tulit, magnanimus factus in fide: sed de mica panis collyrium nouum conficiens, oculos filij cum Diuini nominis, & eiusdem Præsulis inuocatione liniuit. Cooperantibus ergo sibi virtute fidei, & benedictionis effectu, ad vnctionem primam sacri collyrij aperti sunt oculi eius, & vidit & gauisus est se videre. Sic gratulabundus illuminatum filium pater ostendit, quem sperauit illuminandum fore: & qui veniebat oblaturus preces, exhibiturus peruenit gratiarum potiùs actiones.

i Cap.35.

Post mensem Præsul Sanctus saluti redditus, at- 11.
que instauratis vtcumque corporis viribus, à Pruliacensibus cum lachrymis auellitur iter prosequuturus, eò maiori concursu populorum vndequaque occurrentium, quò maior mirabilium fama illum præcesserat. Occurrit & Ludouicus, Francorum Rex per litteras, per nũtios, missos per oppida, qui virum Dei exciperent, ducerént que, atque omnia necessaria procurarent. At neque hi immunes à beneficiis, miraculísque, quæ Sanctus operari nunquam cessabat. Nam audi quod sequitur. [i] *Carbolium dicitur oppidum Regis Franciæ, quod Sequana fluuius alluit, in Parisiensi Diœcesi constitutum. Huius præposito grandis erat, non modò gratia apud Dominum suum, sed in Palatio locus. Quem in occursum Præsulis Sancti mittere studuit Rex deuotus, præcipiens non modo humanitatis officia, sed debitam reuerentiam à suis omnibus ei in locis omnibus quantum pateretur, impendi. Sic in oppido supradicto humilis seruus Christi, de mandato Regis, in Regia domo suscipitur. Nec poterat vspiam, licèt debili, præ multitudine concurrentium, necessaria requies exhiberi. Erat autem Spiritus fortis, spiritus promptus, in infirma carne, & ætate iam pigra, eidem sanè Præposito erat clauda à natiuitate filia, iam quinquennis, sicut apparuisse videtur. Sic nata fuerat ad gloriam Dei, & serui fidelis honorem. Cuius sacris oblata vestigiis, post orationem, & manus impositionem, erecta est, & nouos faciens gressus pedibus suis, ambulauit, pro ætate magnificans Deum, & suo gratias referens Creatori. Sic deuotos hospites exhilarauit dupliciter hospes bonus, nec modò subiit admiratio pro virtute, sed familiarius gaudium pro persona.* Hactenus gesta per sanctum in ipsa via, nam quæ, apud Reges legatione functus imperiosè peregerit: Qualitérq; ab eis susceptus, & quanta in veneratione habitus sit, sequẽti capite fusiùs referemus.

1. Anglorum

1. Anglorum Rex occurrit Beato Petro, 2. de pace deliberant. 3. Per miracula vtrumque Regem conuenit. 4. Cineres sacros Anglicano Henrico imponit. 5. Plura miracula. 6. Duo Concilia celebrat: 7. Eisdem, aut alteri Henricus Cardinalis assistit. 8. Quibus Alexandro firmatur vtrumque Regnum. 9. Reditus sancti, tempus adhuc dubium. 10. Certa miracula. 11. Laudense Pseudoconcilium per Victorem, 12. & quid in eo Abbates Claraeuallenses.

CAPVT III.

1. QVo loco Ludouicus ipse Francorum Rex Sancto Petro occurrerit, prætermisit Gaufridus; at de Regis Anglorum obseruantia in virum Dei, hæc, quæ sequuntur tradit, digna annalibus. [a] *Transeamus Parisiensium vota permaxima, concursus intolerabiles, & molestos, qui exhibebantur, honores. Expectant Reges, expectant Principes, multitudo incredibilis præstolatur; pro verbo pacis, & aduentu tanti Præsulis, iuxta Caluum-montem in confinio Franciæ, & Normanniæ congregata. In cuius occursum non tam currit, quàm aduolat Rex Anglorum, & ad conspectum longius posito equo desilit, imo ruit; amplectitur pedes, cappam detrahit vndique laceratam, vndique decurtatam. Nec particulas tollit, vt cæteri consueuerant, quamuis ægrè ferret Antistes. In hoc solo, nihil sua sibi authoritas poterat suffragari; nihil prohibitio, nihil indignationis ostensio, nihil intentatio maledicti. Causari fratres, qui simul venerant, & dicere (si quidem animum Regis exploratum ire volebant.) Inter Regias gazas semicincta quid faciant vetusta? quibus ille tale dedit non sine multorum attestatione responsum: aliter vobis loquendum fuerat, si sciretis de ipsius cingulo, quod præteritis annis accepi, quanta ægrotantibus remedia, quanta prouenerint beneficia sanitatum.* Hæc de occursu Henrici Regis Anglorum. Pergit auctor miracula referre, quæ à viro Dei inter pacis tractatus perpetrabantur.

a Apud Surium cap. 56.

2. [b] *Circa eadem loca consederat Archiepiscopus cum personis magnis habens de reformanda pace tractatum. Et ecce vidua pauper, suum magis, & suæ filiæ incommodum sentiens, quàm Regum inimicitias, vel pericula reputans regionum, increpantibus aliis, aliis prohibentibus, irruit, mutam à natiuitate filiam secum trahens. Nec in tanta frequentia personam humilem Archiepiscopus aspernatur, non altum sapiens, nec in alto. Inclinatur ad supplicem, & oratione præmissa, infusum proprio sputo pollicem mittit in os puellæ, linguæ eius, & labiis imprimens signum Crucis. Sic præcipiente eo, verba quæcumque prædiceret, post eum similiter resonabat. Sic deinceps est loquuta, sic loquens reddita matri suæ. Nec mora, necessitudinem matris redhibens, alter filius claudam attulit in asello. Cuius ille renes, & debilia membra consignans, in partem secedere fecit, & diuinam misericordiam præstolari. Post paululum filio suadente, vt ascenderet asinum, & rediret: mina, ait potiùs, mina asinum, & præcede. Sic præcessit ille, & sanata illa sequuta est, multis cum multa admiratione, prosequentibus eam.*

b Cap. 37.

3. *Altera die cum Rege Francorum Ludouico, & Anglorum iuniori Rege, & Flandrensi Comite, multis vndique circumstantibus, super eodem negotio, pro quo venerat, familiariter conferebat. Interim mater filij iam duodennis, sed ab annis septem cæci, ad cuneum illum cum filio supplex, & gemebunda peruenit. Videns autem vir Sanctus quod à ministris Regum misera muliercula negaretur accessus ab eisdem potius eam sibi cum filio præcepit exhiberi. Cuius necessitate comperta, tenens pueri crinem, & misericorditer blandiens, quid optaret interrogabat: cui ille: Domine, vt videam. Protulit nūmum Pontifex, & in manum pueri dedit illum. Intinctis etiam digitis in saliua oris sui super oculos eius, & verticem capitis signum Crucis edidit, & paulisper orauit. Intuebantur Reges cum cæteris, & mirabantur inuicem colloquentes; inuicem conquirentes, an iocus foret, quod vir Sanctus serius agitabat. Interea cœpit puer paulatim visum recipere, cœpit nūmum, quem tenebat, cœpit homines intueri, cœpit gratulabundus, & laudans dicere matri suæ. Video mater, video: Video arbores, Video homines, & omnia quæ circumstant. Ad hæc illa, velut ad Altare sacrosanctum, conuersa ad Præsulem flexis genibus, porrectis manibus, & directis in eum oculis, orationi studiosiùs insistebat. Auditum est, & compertum, quia cæcus visum recepit. Ipse quoque Francorum Rex, diligentius inquisita, & cognita certiùs veritate non dissimulauit flexo genu virtutem in puero adorare diuinam, caput eius, oculósque deosculans, & honorans oblatione propria manum eius. Nec mirum, quod mira deuotio in cæteris etiam sequuta est, tanti Regis exemplum, tantum miraculum prosequuta.*

Dum inter Reges, tractarentur consilia pacis, queis S. Petrus lingua Dei loquens, hoc est miraculis. Vtrumque Ecclesiæ, & sibi ipsis mutuò conciliaret. [c] *Aduenit* (eorumdem actorum verbis loquor) *caput ieiunij Quadragesimalis, & in Cœnobio Mortuimaris officium illud solemne Reuerendissimus celebrauit Antistes. Imposuit etiam cineres Capiti Regis Angliæ, benedictos, & suorum; qui propter hoc ad Monasterium illud aduenerat ipso die. Cæterùm miles quidam, ante multum tempus ballista iaculo in tempore vulneratus, & ex tunc altero oculo nihil penitus videns, multa precum instantia postulabat eius restitutionem. Excusare cœpit vir Dei, & grauius solito homini dissuadere, ne supra vires suas, vel merita sua exigeret tale aliquid ab humilitate sua. Institit tamen, & perstitit, nulla dissuasione desperans, sed magnanimior factus in fide. Itaque tangitur, benedicitur, & emittitur, præstolaturus misericordiam Dei. Exiit, expectauit, aduertit, & paulatim luce reddita, vtroque vidit oculo, sicut olim. Festinauit quoque ad Regem, gaudium suum Domino suo sine dilatione communicans. Sermo procedit in publicum, & opus bonum pulchrius elucescit in commune deductum. Ex multarum denique personis faciet um deuota resonat, & solemnis gratiarum actio, & vox laudis.* 4.

c Cap. 39.

Quod deuotus frater Hugo de Acenuilla, [d] *Monachus Cisterciensis, licèt ignorans ipsam mihi in manibus esse materiam, præsentialiter suggerit, nullatenus decet omitti. Nempè adstruit fidem religiositas hominis, non ignota, & præsertim credibilitas veracissima, & credibilis veritas, testimonij eius in conuersatione etiam sæculari. Dum venisset Archiepiscopus ad oppidum primum Normanniæ, quod Gisortium nuncupatur, prædictus Hugo sub Rege* 5.

d Cap. 40.

Francorum militans, à ianitoribus, & custodibus episcopi vix impetrauit ingressum. Eadem hora vidit oblatum Archiepiscopo puerum, ab imminentis mortis periculo liberari. Fluxu siquidem narium totius videbatur corporis eius cruor exhaustus: Vt vix vitalis caloris, aut coloris aliquid appareret in eo. Sic homo Dei super exanguem puerum, cui solum videbatur superesse sepulchrum, & ex sputo suo tetigit labia, vix tenuiter respirantis. Nec mora, aperuit labia, aperuit oculos, & tanquam rediuiuus apparuit in momento.

6. Hæc dum Gaufridus miracula perstringit, legationis successum, cunctorum votis per omnia respondentem, veluti cunctis notum ipsius æuo, supponere magis videtur, quàm prætermittere. Expressit tamen Robertus Abbas Montis [e], & ex ipso Baronius [f], breuiter, quamuis, & concisè nimium, pro suo more. Idque ad hunc annum. *Mense Maio pax facta est inter Reges Henricum Angliæ, & Ludouicum Franciæ; renouatis prioribus pactis, & confirmatis, & pacificati, qui partem vtrorumque adiuuerunt.* Hæc ipse. Sed quod maximum bonum ex pace ista sit subsequutum, idem Auctor hoc item anno paulò inferiùs narrat, nempè ab vtroque Rege, seorsum vnoquoque in sua Prouincia collectos Episcopos, Synodos habitas, in quibus singulis vno spiritu, eadémque sententia, Alexander Papa est cognitus, atque probatus Sanctæ Catholicæ Ecclesiæ Episcopus; damnatus verò Octauianus inuasor: ait enim. *Mense Iulio Henricus Rex Anglorum congregauit omnes Episcopos Northmanniæ, & Abbates, & Barones apud Nouum mercatum; & Ludouicus Rex Francorum Bellouaci; & ibi tractatum est de receptione Papæ Alexandri, & refutatione Victoris; & consenserunt Alexandro, reprobato Victore. Hac ibi Robertus, duo Concilia sub duobus Regibus (vel magis ad eorum instantiam) celebrata breuiter perstringens. Quæ quidem opera Sancti Petri procurata legatione fungentis, haud dubium esse potest, quod eius muneris esset ista præstare.* Hactenus Cardinalis Baronius ex Roberto, vt palam fiat cessisse cuncta prosperè, iniuncta S. viro legatione.

e *In Appendic. ad Sigiber.*
f *Ad hunc annum.*

7. Præcesserit vtrumque Concilium plenior Synodus, in quam conuenerint vtriusque Regni Præsules rei veritati exactius indagandæ, an subsequuta fuerit, in dubio est. Quippè Guillelmo Neubricensi, qui eam tradit, prætermittente notare præfixum tempus. Illud compertum, neque eam sine Cistercio, quippè legatis ab vtroque missis Alexandro & Victore; primus pro Catholica parte Henricus fuit. Sed ipsum Guillelmum loquentem audiamus [g]. *Illustres quoque Francorum, & Anglorum Reges modis omnibus solicitari curauit, Fridericus videlicet Imperator, in acceptando videlicet Octauiano in Romanum Pontificem, exploso penitus Alexandro. Illi verò inflexi, sententia cautè suspensa, donec rei tam scrupulosæ veritatem penitùs agnoscerent. Celebrem, & ipsi ex vtroque regno Episcoporum, & nobilium, loco, & tempore congruo, conuentum fecerunt. Aderant à parte Octauiani duo principales eius complices, qui eius fuerant electores schismatisque auctores, Guido scilicet Cremensis, & Ioannes de Sancto Martino Cardinalis; nam Tmarus Tusculanus Episcopus manus illi execrationis ausus imponere, iam viuauerat hominem. Aderant, & à parte Domini Alexandri tres Cardinales, scilicet Henricus Pisanus, hic erat Presbyter Cardinalis SS. Nerei, & Achillei; Ioannes Neapolitanus, Vuillelmus Papiensis.*

g *Baron. ad hunc annum.*

Pergit Anthor de altercatione vtriusque partis, & tandem concludit. *Denique in illo altercationis, mutuo quasi duello, totius ita negotij veritas claruit, vt neuter vlterius Princeps cunctaretur, repudiata parte Octauiani; Dominum Alexandrum recipere; & cum Regnis sibi subditis ei de cætero, in iis quæ Dei sunt, tanquam Patri parere. Prænominatis ergo schismaticis cum confusione, & dedecore discedentibus, Principes & Pontifices nostri lata solemniter in schismaticos excommunicationis sententia, soluerunt conuentum.* Hactenus Guillelmus Neubricensis, qui sicut Synodo, neque locum præfixit; nec diem certum; sic in dubio reliquit, an antea, an post concilia vtriusque Regni; quasi examine præuio, an consequuto. Nec multum erit (nam id etiam fatebor) si scriptor Anglus tempore posterior duo concilia, vtrumque eodem tempore, celebrata in Gallia (nam & Northmannia ad Galliæ fines spectat) quasi in vnum conflauerit, & de vtroque tanquam de vno tantùm loquutus fuerit; quod quamuis video Baronium non admittere, vnde reuinci valeat, non satis capio. 8.

Vtcumque fuerit rebus Angliæ & Galliæ bene compositis, pacatis Regibus, nec minùs inter se inuicem, quàm in fidelitate, & vnitate Ecclesiæ concordantibus: Demum parata Alexandro Papæ via, ad Gallias, quando vellet, transituro; non satis constat, an statim reuersus Pontifex; an (quod mihi probabilius longè est) Generale Capitulum mense Septembri ex more celebrandum, in Gallia sustinuerit, quod etiam Alexandro confirmaret. Certè quandocumque Sanctus regressus sit, nó immunis in reditu pertransiit, qui munificus veneat, quem sanitates vbique sequebantur. Referam ex Gaufrido paucas ex pluribus. [h] *In Pago Parisiensi, Cœnobio, cui Edera nomen dedit, vbi multa sanctimonialis habitant mulieres, vbi quoque per Sanctum Præsulem duobus reddidit Dominus surdis auditum, & viro media corporis parte præmortuo, arida manus, & pedis restituit sospitatem.* 9.

h *Apud Sur. c. 40.*

In eodem reditu, quantum ex ordine narrationis licèt colligere, Reginæ Galliæ interuentu, rogatúque; visitauit Moniales de Ordine Fontis-Ebraldi, vbi, & Altare nouum Ecclesiæ loci, & nouum visum puellæ cæcæ dedit: illud ex potestate, hoc ex virtute [i]. *Alia quoque Bruerìa Monasterium dicitur alterum religiosi admodum Ordinis Fontis-Ebraldi ducentas circiter Sanctimoniales fœminas Domino deuotissimas habens. Illic aliæ pœnitentes, velut in ergastulo præteriti temporis commissa deplorant. Aliæ Virgines implorant in thalamo sponsi sui gratiam; modis omnibus contendentes, vt siue præsentes, siue absentes placeant ei. Ad petitionem ergo Reginæ Francorum visitat ancillas Christi, meritò desiderabilis, & plurimum desideratus Antistes, vbi etiam nouum consecrauit Altare, & ibidem per signum Crucis puellam cæcam illuminauit.* Hæc, dum Sanctus rediret ad Tarantasiam; quamuis an antea Pontificem adierit, & quæ peregerit in residuo viæ, non videam à Gaufrido memoriæ prodi. 10.

i *Ibidem.*

Hoc item anno (ex Baronio [l] verba sumo) *Pseudopapa Octauianus, Victor dictus, vnà cum Imperatore, & Episcopis, atque Principibus, Laudæ Conciliabulum habuit, de quo Otto Marena in Laudensi à se conscripto Chronico, & ipse inhærens schismatico, ista habet.* 11.

l *Barom. ad hunc ann.*

Sequenti verò die in quo fuit tunc festum SS. Geruasij, & Prothasij, per Dominum Papam inceptum est sacrum Concilium, quod à principio Papiæ, deinde Cremonæ

Cremonæ dispositum fuerat, postremum tamen ad honorem Laudensium, ex voluntate Imperatoris Laudæ est celebratum. In quo Dominus Imperator cum suis Principibus, Dux Boëmiæ, & Dominus Pellegrinus Aquileiensis Patriarcha, & Dominus Guido electus Rauennæ Archiepiscopus, & multi Episcopi, & magna copia Priorum, Abbatum, Præpositorum, aliorúmque Clericorum, qui venerant ad Synodum, seu Concilium vnanimiter confirmauere electionem, quæ in prædicto anno Papiæ iam facta fuerat, de ipso Domino Papa Victore. Fuere autem in Concilio recitatæ litteræ excusatoriæ Regis Daciæ, & Regis Noruegiæ, & Regis Hungariæ, & Regis Bohemiæ, & sex Archiepiscoporum, & viginti Episcoporum, & multorum Abbatum, tam Claræuallensium, quàm aliarum Congregationum, atque Præpositorum; in quibus omnibus litteris continebatur ipsos Reges cum vniuersis eorum Prouinciis, & prædictos Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, & Præpositos velle se tenere præfatum Dominum Victorem pro Papa, & Domino; & se velle ratum habere totum quod Dominus Victor statuit in ipso Concilio cum aliis ibi præsentibus. Ista ex Ottone Marena auctore schismatico, Cardinalis Baronius.

12. Cæterùm mihi Claræuallenses legenti, siue quod eo nomine, ex notissimo Monasterio Claræuallis (Cistercienses qualescumque essent,) appellarentur; siue quod de his specialiter loquatur, qui Claræuallis Abbati, titulo filiationis subiiciebantur: maximè cum præsentem nullum dicat, sed per litteras tantùm comparuisse; non leuis est suspicio falsitatis: Authore Pseudopontifici adhærente, & qui maximum robur Alexandri (Cisterciensium suffragia) opinione vulgata diuisionis, quantumuis minimæ vellet eneruare. Neque id dixerim, quòd putem impossibile in tanta iam Cœnobiorum multitudine, aliqua lapsa, ignorantia, siue per metum; quæ tamen postea, aut re integrè cognita, aut aliorum exemplo roborata, atque Capituli Generalis confirmata Decreto, de quo nos statim, fortiora surrexerunt, in quam partem inclinat ipse Baronius: sed quia nullum Abbatem comparuisse, indicio sit, iam tunc omnes stare pro Alexandro. Dedisse autem generales epistolas, eásque excusatorias, quæ verbis ambiguis, veritati soli subscriberent, quamuis à Schismaticis facile ad proprios sensus terrahi possent.

---

1. Pars Alexandri Decreto generalis Capituli stabilita. 2. Vnde viribus aucta: 3. & Fridericus in nostros acriùs sæuiens. 4. Lambertus pater præfecturam Cistercij abdicat. 5. Cui succedit Fastradus. 6. Fastrado in Claraualle Godefridus, 7. atque huic Beatus Petrus apud Igniacum: 8. quam electionem præcessere varia oracula. 9. Godefridus Alexandrum Papam adit, cedit Pontificatu Lingonensi, 10. ad Claramuallem redit, & quo tempore.

CAPVT IV.

1. INSTABAT tempus Capituli Generalis, & Lambertus totius Cistercij Pater, pro Ecclesia efficacia; pro se sublimia; vt gloria iam instante, meditabatur. Itaque Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus ex more conuenientibus, negotia Ordinis in commune tractaturis; primum omnium, negotium Ecclesiæ fuit, discussa causa (& facilis discussio post tot Concilia) Alexanderque prælatus, cui vno omnium consensu parendùm foret. Hactenus excusata quæcumque dubia, si quæ fortè irrepsissent, ex minori, seu varia notitia facti excusatam quamcumque suspensionem. Licuisse singulis neutrius se profiteri; nec palam loqui; quandiu non omnes in communi deliberassent: fortè & expediens potuisse iudicari, in vtrumque Pontificem partiri; quo neutro victo Cistercium vinceretur. Iam veritati compettæ cuncta cessura; nec post iudicium totius communitatis relinqui alicui arbitrium diuisionis. Non referre, si vincant, vincantúrve, dum nunquam desint causæ iustiori, nunquam Ecclesiæ. Plurimum se obnoxios Friderico (nam Victorem non nouerant) sed quanto magis Deo? Huic Alexandrum Vicarium substitutum ritè, & canonicè; à quo nec liceat, nec libeat resilire. Quin totis viribus omnibus conandum, vt in cunctis Christiani orbis prouinciis (nec erat, quæ Cistercio careret) reciperetur. Decretum hoc acceptum ab antiquis Carolus Sigonius inseruit suis Annalibus, atque hinc putat Alexandri vires auctas; quibus non aliæ potuerint præualere. [a] *Hi, inquit, (id est Cistercienses) Concilium apud Cistercium celebrabant, & quæ è republica erant, decernebant. Itaque proposita præsenti Pontificia causa, publico decreto Alexandro se adiunxerunt; atque maximas ei parti vires addiderunt.* Ex tunc nullus Cisterciensis fuit, de quo, an Alexandro faueret, dubitaretur.

a De Reg. Ital. lib. 13. ad hunc ann.

Porrò quod ait Sigonius, ex hoc decreto Concilij Cisterciensis, atque inuiolata ipsius obseruatione, firmatum Alexandro tertio Pontificatum; inuenio scriptum ab illius æui auctoribus, hísque grauissimis, Alberto Stadensi, atque item Carthusiano quodam anonimo; quorum primus post enumerata totius Orbis Christiani præcipua Regna adhærentia Alexandro, Cistercium memorat; quasi à quo verè plus virium accepisset: Alter, cùm de Carthusiano solo Antelmo agat, haud tamen illi, atque ipsius familiæ patribus quidquam omninò arrogare ausus est, ni Cistercienses eisdem annumeraret. Prioris auctoris hæc sunt verba. [b] *Porrò (ait) Alexandrum recepit Hierosolymitana Ecclesia, & Antiochena; præterea omnis Francia, Anglia, Hispania, Dania, & omnia Regna, quæ sunt vbique terrarum. Insuper Cisterciensis Ordo eidem maximas addidit vires.* Hæc Stadensis Albertus in suo Chronico. At Carthusianus in vita Sancti Antelmi, cum Carthusienses solos proposuisset. [c] *Interim (ait) præeuntibus Carthusianis, ac Cisterciensibus, Alexander Pontifex à Gallis, Hispanis, Britannis receptus est.* Hæc supra dictis addenda esse censuimus ex antiquis auctoribus, ne quis Sigonium, veluti recentiorem, insimularet. 2.

b Ad ann. 1150.

c Apud Surium Ian. 26.

Hinc ira Regis in nostros acrius sæuiens, & quæ ferè Principibus cum fœminis communis conditio 3.

tio est; quo plus amauerint, plus odisse; Cistercienses supra omnes mortales detestabatur. Non vllos alios habuerat chariores, non vllis aliis post hac infensior fuit. Pergit Sigonius.[d] *Quibus rebus Fridericus incensus edictum proposuit, vt omnes Cisterciensis Ordinis Monachi, qui in Regnis suis agerent, aut Victori subscriberent, aut Regnis suis excederent. Quare numerus eorum ingens, relictis sedibus suis, in Franciam commigrauit.* Albertus Krantzius[e] non Monachorum tantum huius familiæ, sed, & sanctimonialium fugata agmina, inuasa bona, Monasteria diruta, quo omnis spes remeandi præcluderetur, auctor extitit. Referam verba inferius, cùm (proh dolor!) excucullatos quosdam ex exulibus (neque id mirum in tanta multitudine) de Monachis, satellites; de Monialibus, scorta deplorabo. Vtrumque in castris Christiani Imperatoris. At non alterius quàm Krantzij testimonio, cui religiosi vtrique parum debent; nescio, an & Religio. Legitur in Exordio Cisterciensi Eberbacensis Prioris Monfridi Viri Sanctissimi, nec semel nobis infra memorandi, egregia laus. *Quietam demum suam inter horribiles procellas schismatis, quod temporibus Alexandri Papæ, factione Friderici Imperatoris, Ecclesiam Dei diutina eusceratione cruciauit, ne potius destrueretur, mirabilis industria prouidentia conseruauit.* Cæterùm hæc inferius prosequemur, nunc ad Capituli acta redeamus.

d Vbi suprà.

e lib. 6. Metrop. c. 49.

4. Conuentum hunc Lambertus non Cistercij, nec certum quare, nisi quia locus sæpè variabatur, imò neque in Ecclesia aliqua Ordinis, sed in quadam Fusniaci grangia congregauerat. Ibi reliquis omnibus dispositis, & prouisis, si quæ erant prouidenda, senectam grauem, & ingruentes morbos causatus, Sancti Stephani exemplo factum tuens, sarcinam simul, & baculum deposuit, priuatam vitam acturus in Morimundo. Restitissent paternæ abdicationi pij filij, si non innata cunctis obedientia, vel in hoc etiam non cõsequi timerent iubenti seni. De hac cessione in Cathalogo Cisterciensium Abbatum, hoc scriptum lego.[f] *Sextus Abbas Cistercij Lambertus. Et scribit Adrianus IV. anno M. C. LVI. Indictione V. IV. Kalendas Martij, Morimundum reuertitur anno M. C. LXI.* Sed clariùs, & distinctiùs Ægidius de Roma Dunensis, in suo Chronico, quod ex Cistercij Bibliotheca transcriptum apud me habeo. *Anno M. C. LXI. Domnus Lambertus Abbas Cistercij post Generale Capitulum in quadam Grangia de Fusniaco celebratum, resignauit.* Cætera B. Viri ignota nobis; nisi quòd inter Sanctissimos Cistercij Abbates commemoratur. Vnde & eum Menologio suo inseruit Henriquez.[g] Vbi perperam Abbatem septimum memorat, veluti, qui Fastrado successisset, quod contra euenit.

f apud Claudium Robert. in sua Gallia.

g Iulij 11.

5. Lamberto in Cisterciensi præfectura S. Fastradus, communi omnium suffragio, suffectus est. De qua electione hæc habet Exordium magnum, cum multa, & grandia de ipso retulisset.[h] *His virtutum ornamentis decoratus venerandus vir, cum pastore vacaret Cisterciensis Ecclesia, quæ est mater omnium nostrum, Abbates, & Monachi, qui electioni intererant, bono odore virtutum illius electi, pari voto, communi consilio, ipsum Cisterciensis Cœnobij, ac totius Ordinis Cisterciensis patrem vniuersalem elegerunt. Qui regimine suscepto, magnum, vt credimus, in eo fructum fecisset, nisi pietatis eius meritis exigentibus, tam citò substractus fuisset.* Hactenus Exordium, iam tunc in ipso nascentis Præsulis ortu deplorans exitum, haud vltra breue biennium differendum.

h lib. 1. c. 38.

Destituta pastore Claraeuallis per Sancti viri Fastradi promotionem, Gaufridum elegit Sancti Patris Bernardi Notarium, & actorum scriptorem fidelissimum: mox post Diuum Guerricum Igniacensem, Igniaco & ipsum præsidentem, de quo superius. De hac promotione Cathalogus Abbatum Claræuallis hæc pauca habet[i]. *Quartus Abbas Claræuallis Godefridus, ex Abbate Igniaci, anno M. C. LXI.* (supple electus) *in Auctario Affligemiensi. Hunc vero Sarisbariensis epistola 234. vocat Dominum Godefridum Antisiodorensem, qui Claræuallensis fuerat Abbas.* Pergit dein vlteriùs dubitare, an inde ad Altisiodorensem Ecclesiam promotus fuerit; sed de hoc nos anno M. C. LXVIII. cum Pontium subrogatum dicamus in Claraualle. Eamdem Godefridi pro Beato Fastrado subrogationem commemorat Exordium, his planè verbis. *Tertio loco præfuit Clareuallensi Cœnobio beatus, & cum omni reuerentia nominandus, Fastradus, cuius supra fecimus mentionem. Quoad regimen Cisterciensis Ecclesiæ (sicut superiora declarant) assumptus, Domnus Gaufridus, quondam Notarius Sancti Patris nostri Bernardi, plurimùmque ab eo dilectus, qui etiam vltimos tres libros vitæ eius mellifluo sermone descripsit, quarta institutione pastor, & Abbas Claraualllis subrogatus est.* Atque hæc satis de Godefridi successione, quem altero, & vicesimo anno, à primo in Claramuallem ingressu, præfectum constat. E quibus tredecim sub Bernardo parente vixit, reliquos octo ab ipso superstes fuit. 6.

i apud Claudium Robert. in sua Gall.

Ordine sequitur Igniacensis Abbatia, quæ sanctis, ab initio, sueta pastoribus, Humberto, Guerrico, & Godefrido, non vllum admissura foret, nisi sanctissimum. Sanctus Petrus Vallis regiæ Abbas suffectus est, qui, si quis alius, anteiret, quos subsequebatur. Verùm quæ in electione eius contigerunt, ex actis Sancti præstat describamus[k]. *Postquam* (Beatus Petrus) *Fratribus Vallis regiæ aliquanto tempore præfuerat, contigit, quod Abbatia Igniaci Abbatem non habebat. Moris est autem, vt conueniantur Abbates subiecti, vel filij ad electionem Principalis Patris, & Abbatis. Vir igitur Domini Petrus adsumpto secum, quodam Roberto, religioso, & litterato, Igniacensi Monacho, quem secum, vtpotè familiarem, ad suam consolationem habebat, Igniacum veniebat. Orabat autem Dominum, vt sibi inspiraret, ad cuius electionem ipse aspirare deberet. Hac ergo cogitante simul, & orante, vocem audiuit sic dicentem: Cum veneris ad locum illum, (locúmque ei quadam nota, cuius non recordor, designauit) quod requiris, agnosces. Iam ferè locum attingebat: & voti compos nondum erat. Orabat ergo attentiùs, & Dominum de promisso sermone pulsabat. Vox igitur iterata, sic ait. Interroga illum Monachum, qui tecum comitatur, ipse dicet tibi, quis futurus sit Abbas. Accersito statim Monacho; scilicet prænominato Roberto, Pater eum conuenit hoc modo. Pergimus, inquit, Igniacum, & credo, quod ex me plurimum pendebit Abbatis electio. Vos igitur, qui fratrum mores multo experimento cognoscitis, intimate mihi, quem digniorem officio iudicatis? At ille, non prophetico spiritu, vel desiderio promotionis illius, & quoniam eum diligebat, dignúmque promotionis sciebat; incunctanter, & absque deliberatione, inquit, respondebo. Nullum vobis indico digniorem, ideóque vos futurum Abbatem prædico. Vir autem Domini conseruabat omnia verba hæc conferens in corde suo. Et quanquam quod de se futurum fuerat, iam ignorare non poterat, iteratò tamen* 7.

k Vita eius c. 10.

interrogat eum, sic inquiens. Scio frater, & certus sum, quod promotionem meam velletis: sed hoc non est positum in vestra voluntate. Volo igitur omnino, vt alium, qui dignus sit eligi, nominetis. Et ille, nullum, ait, alium nominabo. Vos Abbas eritis; Vos desiderant vniuersi. Ventum est Igniacum, & vnanimi cunctorum consensu, absque vlla contradictione electus est in Abbatem. Quam nihilominus electionem aliud, vt ita dixerim, tale praecessit praesagium [l].

l Cap. 11.

8. *Erat in Abbatia frater religiosus, & bonus, qui diu Praecentoris functus est officio, nomine Nicolaus. Hic ipse retulit, quod eo tempore, quo sedes illa vacabat, cum in pendulo forent fratres, & electionem praestolarentur; idem super hoc negotio solicitus Dominum iugiter deprecabatur, vt eis idoneum prouideret Abbatem; cui quodam tempore Dominum deprecanti, vox manifestè sic ait. Nicolae, habebis Abbatem, & ille ostendet tibi, quid te facere oporteat. O Beatum, & admirabilem virum. O verè imitatorem Petri, Petrum! & ideo iure Dominus ei testimonium perhibebat, quod prius Apostolorum Principi Petro perhibuerat. Et reuera non solùm praenominato fratri, sed omnibus, qui in domo erant, forensibus; his etiam, qui eum videre, audire, & nosse non meruerant, verissimè, & Christianissimè religionis ostendit exemplum. Siquidem aliquot annis praefuit illi Abbatiae in sanctitate, & iustitia coram Deo, in magno nomine, & celebri fama, & in bono odore coram mundo.* Pergit auctor de eodem Nicolao, qui cum monitis, & exemplo noui Abbatis, maiora solitis aggredi tentaret, sed vix auderet, prae pusillanimitate spiritus; audiuit vocem iterum dicentem [m]. *Nicolae, numquam formides agere poenitentiam.* Scilicet in qua praeuium, & ducem Abbatem habeas. Haec de electione Sanctissimi Pastoris. Nam de variis, quibus claruit visionibus, & dono prophetiae, dum Igniaci esset, antequam ad Claramuallem promoueretur suo tempore infra referemus. De subrogato in Abbatem Vallis regiae, nihil compertum habemus, quod proferamus.

m Vbi suprà.

9. Sub finem anni, quo Godefridus, Bernardi Notarius, Claramuallem suscepit administrandam; prouectior alter item Godefridus Monachatu, & aetate, quippè ex primis discipulis Bernardi, quos de saeculo traxit, cum ipse venit; abdicandarum infularum ardore, Alexandrum Pontificem audiuit, rogaturus consensum, aut extorturus, priuatae vitae peragendae in Claraualle; vt ferè tot Episcopos in Monachos, quot Monachos in Pontifices, saeculo illo foelici, transiisse videas. Godefridi ad Pontificem accessum, secessúmque, ac locum, quem sibi praeparasset in Claraualle, in ipsa in qua Bernardus obiit cella, ex libro sepulchrorum eiusdem domus, nam non aliunde melius describamus [n]. *In Episcopatu suo, ait, vsque ad transitum B. Bernardi, & post eum per annos circiter octo quieuit. Posteà verò ad B. memoriae Alexandrum tertium Summum Pontificem accedens, cessionem petiit; quam vix tamen instantissimis precibus impetrauit. Rediens igitur cum litteris Apostolicis, Cathedrae vale fecit; & iterum ad suam Claramuallem se contulit: fecitque aedificare ad opus suum, in loco, vnde Sanctus Bernardus migrauerat, capellulam, satis humilem, vt apparet, &c. annos tres, & menses circiter nouem domum Sancti Bernardi, eidem Capellae contiguam inhabitans, in sanctáque religione perseuerans, circa annum Domini M.C.LXV.VI. Idus Nouembris in Domino foeliciter requieuit.* Hactenus ibi. Sed de obitu viri infrà dicemus.

n Vbi de ipso.

Interim quod ad cessionis tempus attinet, ex die obitus potest coniectari. Vixisse namque in Claraualle dicitur [o] per annos tres, & menses circiter nouem; quos, si ab octaua die mensis Nouembris anni M. C. L X V. demas, facilè colliges cessisse virum circa mensem Februarium sequentis anni. Nec multum erit si accessus ad Pontificem citra Alpes adhuc morantem, reditúsque; & quae post reditum Lingonis peragenda; bimestre consumpserint; ac coepta hoc anno sub illius finem, in sequentis initium perdurauerint. 10.

o In eod. Sepulchr. lib. apud Henriq. in Fasciculo.

---

1. *Adami Ebracensis Abbatis obitus, gesta;* 2. *perpensa viri initia minus sancta;* 3. *Simonis Caziacensis Abbatis mors.* 4. *Ioannis Zirita Lusitani cessio.* 5. *Dictum de Episcopo quondam nostris adiuncto:* 6. *& de iuuene pulchriori, ex abstinentia:* 7. *qualis Henricus Beluacensis Episcopus.* 8. *Epistola Petri Cellensis ad ipsum pro Alexandro,* 9. *& qualiter in Rhemorum Praesulem promotus fuerit.*

Capvt V.

1. Memorabilem item fecêre praesentem annum duorum insignium virorum foelices obitus, Simonis quondam Abbatis Caziacensis, post Claraeuallis Monachi, & Adami Ebracensis Abbatis, quos hactenus non semel memorauimus. Et quidem de Adamo in Cathalogo Abbatum Ebracensium scriptum lego [a]. *Obijt Adamus anno Domi M.C.L X I. postridie Caeciliae Virginis in Nouembri; sepelitur in sinistra templi abside, propè parietem Sacristiae proximum, eo ipso loco, vbi hodie adhuc cernuntur posita esse ossa eius loci Abbatum.* Praefuerat Adam annis X X X I V. Basilicam priorem septennio struxerat, quam anno M. C. XXXIV. consecrari curauerat. Septem virorum Abbatias, missis ex propria domo coloniis, illi subiecerat; tres Virginum: Imperatoribus Conrado, & Friderico, vel inter primos charus; aliis Principibus longè reuerendus. Persequutionem Cistercienfium per Germaniam morte praeuenit efficacius pro eis apud Deum, quàm apud Imperatorem intercessurus. Virum inter illustres sanctitate Cistercij, memorant Philippus Seguinus [b], & ex eo Henriquez [c] in Menologio, antè posita die ad vigesimam quintam mensis Februarij; quod ea dicat, memoriam eius recoli, quod vnde hauserit, nec profert, nec notum nobis.

a apud Bruschium.

b lib. 3. c. 81.
c Februa. 25.

2. Quibus considerantibus hunc virum, inter praeclaros Cistercij numerandum, sub primis annis suae iuuentutis vagum, & discolum, quique Arnaldum Abbatem sequutus fuisset, quem tantopere Bernardus condemnauit. Illud inprimis occurrit aduertendum (quod vtinam Praelati omnes obseruent) arcendos procul, qui zelo forsan bono, at non secundùm scientiam, delicta iuuentutis infamia

mia notant, quæ non de facili valeat aboleri. Facere ex Saulis Paulos consueuit Deus; & nescio in quam fragilium consolationem, non ante Petrum Ecclesiæ suæ præfecit, quàm ter negantem Christum Orbis vidisset. Præferantur, si placet, cæteris paribus, qui fama integri; sed non penitus alij reiiciantur. Sciant se posse resarcire iacturam, si emendauerint; ne si desperarent, effusa verecundia, violentius ruant; non fraudetur Ecclesia, gestis illustribus, per quæ forent à priori quacumque nota, nec sine fœnore laudis reuocandi. Adamo Berengarius successit in præfectura, de quo tamen dum Bruschium auctorem sequor, nihil inuenio scriptum dignum Annalibus.

3. Hoc ipso anno Caziacensis Abbas Simon, cum septennio vixisset in Claraualle, feruens spiritu, nec minus senio, & morbis, quam virtutibus plenus in Domino obdormiuit, de quo hæc in Exor-
d lib.3. c.28. dio. [d] *Post transitum verè Beati viri (*Bernardi*) cùm iam desiderij sui stimulos nullo reprimente tolerare nequiret; dimisso regimine, Claramuallem se contulit. Vbi etiam magno Dei dono, magnóque miraculo, septennium superuiuens, mirabile prorsus in tali ætate, ac infirmitate, ferueris, ac deuotionis exemplum nobis omnibus in fine reliquit.* Memoratus in Menologio Cisterciensi Nouembris quarto, citatis pluribus, qui de eo scribunt, Auctoribus.

4. Non minus grauis annis, morbisque, neque impar meritis in Lusitania Beatus Ioannes Abbas, qui primæ eius Regni Ecclesiæ Cisterciensi (Sancto Ioanni de Tarouca) diu præsederat; de licentia Fastradi, nondum adhuc assumpti de Claraualle, (nam cessisse inuenitur Mense Iunio) onere pastorali deposito, non sine lachrymis filiorum, quos deserebat; ad suam Sancti Christophori Ecclesiam reuersus est: vbi per quietem, & otium spirituale, supremi iudicis aduentum præstolaretur. Ita Ber-
e lib 5.c.15. nardus Brito Lusitanus, [e] cui præ aliis est nobis adhærendum. Ipsius loco subrogatus Bernardus dicitur, eiusdem loci Prior, ex his, quos parens Bernardus illuc transmisit.

5. Huic eidem anno adscriptum à Yepio video [f]
f lib.7.c.2. celebrem illum in exemplorum libris Episcopum, qui languidus, & ægrotans inter delicias, reliquit sæculum, Pontificatúmque; atque ordinem intrans Cisterciensem, per abstinentiam, sanitatem recuperauit. Magnum speculum exemplorum hæc
g Verbo abstinentia. h Exemplo 13. ita narrat. [g] *Legitur in Scala Cœli, quòd quidam Prælatus fuit, qui deliciis affluens, erat languidus, & miser, nec medicinis poterat curari.* [h] *Cum ergo semel legisset, quòd abstinentia erat medicina corporis, & animi; & ipse totus erat corruptus in corpore, & in mente; vt ex vna medicina vtramque sanitatem haberet, dimisit delicias, & pompas mundi, ac Ordinem Cisterciensem intrauit. Quod audiens quidam Archiepiscopus ad visitandum eum accessit; & reperiens illum totaliter curatum, dixit sibi: Miror multùm quomodo deliciæ, & medicinæ nocebant; fabæ, & olera vos curauerunt: Cibaria abhorrebatis delicata, & nunc comeditis, sicut lupus. Tunc ille respondit. Domine, verum dicis, sed ego feci, sicut facit serpens, & Aquila & ceruus: qui dum grauantur corruptis humoribus, & volunt vetustatem deponere, abstinent, & ieiunant, sic ego feci. Aliter, sicut illa animalia à veneno; ita & ego à vetustate peccati fuissem consumptus.* Hactenus ibi.

6. Eiusdem fermè rationis est id, quod narrat Vincentius, ex Helinando, quod certius puto ad hoc
i lib.29.cap.136. tempus referendum. [i] *Elegantissimè, inquit, & prudentissimè respondit quidam de nostris adolescentibus, Beluacensi Episcopo, eum interroganti: vnde contingeret, quod sanior, & pulchrior esset in claustro, quam solebat esse in sæculo, quia, inquit, vniformiter viuo, & decenter. De quorum primo habeo, vt sanus sim, de secundo vt pulcher sim. In sæculo enim viuebam tam deformiter, quàm multiformiter; de quorum primo turpitudo nascitur etiam corporalis: de secundo ægritudo. Perrexitque Episcopus quærere dicens; quid ergo comedisti hodie? satis, inquit, quid heri? similiter satis. Non quæro, inquit, de quantitate, sed de qualitate, quid comedisti heri, quid hodie? Heri, inquit, comedi pisa, & olera; hodie olera, & pisa, cras comedam pisa cum oleribus; post cras olera cum pisis: Vide ergo quàm pulchro circumitu eamdem sententiam circumduxit, vt variis modis ostenderet eadem se semper vti diæta, quæ præstat corpori sanitatem, & pulchritudinem.* Quidam, inquam, ex nostris nempè Cisterciensibus, qualem Helinandum fuisse, non est dubium. Quin, vel ipso tacente, pisa, & olera sueta nostris cibaria; familiam proderent.

Interim Beluacensis Præsul Henricus, pro in- 7.
nata sibi regia munificentia, ac pietate à Bernardo parente hausta, largus in omnes, præcipuè in religiosos prædicabatur. Extat epistola Petri Abbatis Cellensis ad eum scripta in gratiarum actionem, sub hoc initio.

[k] *Domino, & Patri suo charissimo Henrico, Dei* k lib.1.epistola 24.
gratia Episcopo Beluacensi Frater Petrus, Abbas Cellensis, salutem.

Plus satis egena est beneficiorum recordatio, cuius titulus non inscribitur saltem verbo tenùs, gratiarum actio. Proinde stylo ferreo in vngue adamantino profunda memoria mandaui manipulos liberalitatis vestra, vt nulla capitis vertigine vacillare, nullo temporalis reuolutionis diluuio absorberi, nulla denique obliuionis rubigine valeant offuscari. Nec tamen constat, quale beneficium Cellensis memoret; nisi quod tamen congregatam Abbatum Synodum, & causam eius ibidem commendatam, antequàm ipse, petendo, velut emisset, inter alia recenset, paulò inferiùs. *Quid enim fuit conuocare Diœcesanos Abbates, & Priores? Quid iterum indicij amoris expressit tam benigna persona, & negotij nostri commendatio? Quis non admiratus tam despectam personam, à fratre Regis sic honorari?* Et infrà. *Certè accepi à multis multa; sed à nullo tanta, quanta à Domino meo. Vicit notos, vicit alios amicos; vicit omnes vicinos, & summa doni, & modus donandi. Non sum loquutus. Sed quia veni, optimè recessi locatus. Non enim beneficium rogando, sed veniendo consequutus sum. Præuenis spondens lingua rogantis linguam.* Vt facilè ex his liceat coniectari, qualis Henrici animus in bonos, & quanti fecerit, quos debuit honorare.

Extat & alia eiusdem Petri Cellensis, ad eum- 8.
dem Henricum, Beluacensem adhuc Episcopum, contra Pseudopontificem Octauianum, pro Alexandro, quam elegantem, nec longam pro qualitate materiæ, non pigebit ad litteram transcribere.

Domino [l], *& Patri charissimo Henrico, D.G.* l lib.1.ep.26.
Beluacensi Episcopo. Frater Petrus, Cellensis Abbas, Zelo zelari pro domo Dei Israël.

Hactenus in palestra prælium ignaue, vires non deposcebat egregias. Satis fidum erat equitare sine lorica, sine lancea, sine gladio. Sed nunc qui habet gladium, tollat similiter, & loricam. Ecce tempus, ecce dies, ecce causa, vbi fortissimi Israël gladio accingi debent super femur potentissimè. Nam ecce Philisthiim, qui secundùm carnem in baculo arundineo

ambulant, de foueis occultæ malignitatis erumpentes, castra innumerabilia, castra fortia, castra fulgurantia posuerunt. Octauianus Princeps est militiæ, ne dicam malitiæ huius: qui sine Deo, vt dicitur, pro Deo vult regnare. Ecce ipse non velum templi, sed tunicam Christi, non saccum mortalitatis, sed soccum maiestatis in Christo, & Ecclesiæ, iterum rescindere nititur. Hoc abominabilius reputat vnitas Catholicæ fidei, quàm perfossionem lateris, pedum confixionem, & manuum Christi. De perfossione namque redemptio, de confixione comparata est nostra liberatio. Sed quid de scissione, de diuisione, de schismate; nisi anathematis vibratio, animarum damnatio, morum deprauatio? Ecce aqua contradictionis, vbi iurgati sunt filij Israel. Tu verò, Domine mi, quid? sta cum Iosue, imò cum Iesu, euaginato gladio. m Iosuē 5.
Dic omni transeunti [m]; *noster es, an aduersariorum? Habes Alexandrum, imò Petrum, aut potius Christum, qui habet Ministros Petrum, & Alexandrum. Quis timere poterit cum Alexandro potentissimo? quis vacillare cum Petro supra Petram fundato? quis non superabit cum Christo, cui data est omnis po-* n Matth. 28.
testas in cœlo, & in terra [n]? *Noui in te Regiam animositatem, noui contra inflexam iniustitiam, inflexibilem ceruicem; noui ardorem zeli. Age ergo pro dignitate officij, pro sublimitate natiui sanguinis, pro religione Ordinis, pro debito Christianæ professionis, quod debes, & potes. Multum enim debes, nihilominus, & plurimùm potes. Satis dictum est sapienti. Sanum, & incolumen te custodiat manus dextera Dei. Vale.*

His dum Henricus strenuè nauaret operam; vacante, vt diximus, Archiepiscopatu Rhemensi, morte Sansonis, summo omnium consensu in eam, à Beluacensi sede promotus est: de qua electione hæc habet Robertus Abbas. *Mortuo Sanctione,* (sed corrige Sansone) *Archiepiscopo Rhemensi, Henricus frater Regis Francorum Episcopus Beluacensis successit.* Verùm cum anni ad marginem notentur, incuria amanuensium, seu librariorum factum est, vt prædictæ electioni annus M.C.LXIII. notatus fuerit. Vnde etiam ad Cathologum Archiepiscoporum Rhemensium error irrepsit, omnia penitùs tempora confundens. Sic enim ait. [o] *Henricus Magnus, filius Philippi Regis, & Ludouici VII. frater, Religiosus Ordinis Cirstercienfis, Episcopus anteà Beluacensis, anno M.C.LXI. Tandem Archiepiscopus Rhemensis anno M.C.LXIII.* Sic ibi. Cum tamen constet electum Beluaci, Sancto Patre Bernardo, & venerabili Petro Cluniacensi, adhuc viuentibus; adeóque longè ante hunc annum: & rursus Rhemis anno M.C.LXIII. nec assumptum ad sedem, neque obiisse: Quippe præfectum à tempore Sansonis, quem constat anno proximo defunctum vsque ad Guillelmum Theobaldi Comitis filium, quem vsque ad annum M.C. LXXIX. non conscendisse Cathedram Rhemensem, ex ipso etiam Cathalogo constabit. Hoc ergo anno promotus Henricus est, vt Miræus [p], & alij notauere. 9.

o Apud Ioan. Chenu.

p In Chron. Cistert.

---

1. In Chronologia duæ tantùm fundationes. 2. Quibus addita Stella Lusitana. 3. Dictum quâ occasione, 4. cœpta ab Egea Municio, 5. & alio Laurentio consummata; 6. & confirmata instrumento donationis, 7. processus, & status domus sub his temporibus.

CAPVT VI.

1. SEQVVNTVR fundationes Ecclesiarum, quæ non plures hoc anno, quàm præcedentibus; quippè duas tantùm notat Chronologia, alteram Morimundi, filiam Cistercij alteram: priorem vltra mare, dictam de Saluatione; (credo in Syria) vt Bellus-mons ante triennium surgens, accessione sororis recrearetur. Henriquez [a] anno M.C.LVII. id est, eodem cum prima, fundatam tradit. Sed Chronologia nobis præferenda, quoties aliud non constat, vt proposuimus. Memoratur in historia Hierosolymitana [b] Richerus, Saluationis Abbas, vir Venerabilis, & totius honestatis; cui Amalricus, Hierosolymitanus Rex, visionem sibi à Bernardo Patre factam, ac cœleste oraculum, & victoriam, per illud repromissam manifestauit. Posteriorem Cistercium in Hetruria, vt puto, non tam genuit, quàm adoptauit, sub aduocatione S. Saluatoris de Monte Amato (Armato alij dicunt) in Diœcesi Clusiensi, seu Cluginensi; in qua & in libris Cameræ inuenitur, sub centum florenorum præfixa taxa. Memoratur S. Saluator de Monte Amato, Diœcesis Clusiensis, Ordinis Cisterciensis in litteris Nicolai Papæ III. Datis Romæ apud S. Sabinam. V. Idus Decemb. Pontificatus eius anno I. Reliqua obscura: aut si quæ occurrerint, in tempore dicemus.

a In Fascic.

b Vide infrà anno 1173. c.6.n.7.

2. His adiungenda Lusitana Stella, inchoata ab Egea, Alfonsi Lusitani Regis quondam nutricio; sed perfecta à filio eius Laurentio, post mortem Patris, atque hoc anno Monachos accipiens ex Alcobatia. Fundationis occasio, conceptum votum ob periculum imminens, cum Egeas se obtulisset Imperatori, fraudatæ fidei pretium, vindictámve; quod Rex vocatus ad Comitia Imperij, contra promissum, venire recusaret. Obsequio grata Virgo clementissima, nam in eius honorem struenda domus, Imperatorem pacatum viro reddidit; vt liberum, absolutúmque, ac honoribus auctum à se dimitteret. Tum (quæ hominibus plerumque conditio est, beneficia, quæ sperent solicitare, sed quæ acceperint, citiùs obliuisci) cum nihil minus Egeas cogitaret, quàm, quæ promisit vota Virgini reddere: nouo periculo, reuocatum prius propositum: atque imago Deiparæ ostensa, locum nouo Cœnobio designauit. Venationi insistentem ad ripas fluuij Ceretæ dùo vrsi inuadunt, quos contra primùm, ensem loricámque: deinde cùm iam arma minus posset, preces ad Deum opponit, atque pristini voti inuocationem: Res mira, & digna; quæ Annales hos illustret. Egea Municio votum confirmante, vrsi, quasi de cælo icti occumbunt. Porrò cum necis auctorem circumspiceret, effigiem videt B. Mariæ Virginis innixam lapidi extenso in formam aræ; quam suæ vitæ cognouit liberatricem.

Tum verò Egeas velut ad se reuersus; nec tutum reputans denuò mentiri numini, cui denuò se deuinctum agnouisset, potentiori miraculo, etsi periculo forsan non maiori, electis (quod vnicum restabat) Cisterciensibus Monachis, qui Monasterium fundandum inhabitarent, nam locum, atque loci protectricem de cœlo habebat; ostensum illum, 3.

illum, hanc fortaſſe miſſam; accingitur operi; & ſeriò, licèt ſerò, vota adimplet. Extat huius hiſtoriæ ex magna parte perantiqua memoria in libro M.S. eiuſdem domus, barbaro idiomate, etiam vltra
c lib.5. c.10. conſuetum, quod à Bernardo Brito [c] in lucem datum ad litteram fideliter tranſcribam. *Monaſterium noſtrum fecit bonus Egeas Municius, loco, vbi mactauit duos vrſos, per votum, quod fecit, quando iuit ad Regem Caſtella, quod timeret, quod eum necaret per caſum, quod dixit, quod Dominus Alfonſus iret cum illo ad ſuum concellum, & Deus liberauit illum: & ille fecit noſtrum monaſterium. Anima eius requieſcat in pace. Amen.* Hactenus in antiquo illo codice, cui conſonat inſtrumentum quod mox adducam.

4. Itaque Egeas vota ſua reddere parans, locum aliàs incultum (nec conſtat cuius eſſet) ſtatim emit: atque Eccleſiolam in eo fabricauit maiori deuotione, quàm ſumptu, quæ hodie durat; in qua Deiparæ miraculoſa effigies veneraretur. Verùm cùm morte præuentus Monaſterij officinas non conſtruxiſſet, Laurentio filio reliquit in mandatis, quæ votis deerant, ad exitum perducere. Ille humilem ſed decentem habitationem, cum ampliori adhuc dote cumulaſſet nouis prædiis emptis; Monachos accerſiuit ex Alcobatia, ſub Mendo Abbate miſſos, victuróſque; quibus eandem rurſus hiſtoriam refricans, inſtrumento confecto, cuncta donauit; quod ab eodem Brito publicatum, deſumptum ex Archiuiis eiuſdem domus; hic etiam cenſui fore deſcribendum.

5. *IN nomine Sancta, & Indiuidua Trinitatis. Quoniā decet fideles de bonis ſuis dare ſeruis Dei, ideo. Ego Laurentius Vanegas, do vobis Abbati Domino Mendo Vazquez. Eccleſiam de S. Maria cum ſuis viuendis; & totam hareditatem adiacentem, qua fuit de patre meo Egeas Monis, & quas magis ibi comparaui, pro ſeruitio Dei, & B. Maria ſemper Virginis; & pro anima patris mei, qui ſaluatus eſt ab vrſis duobus, dum vadit ad porcos, in furna vbi erat imago de Sancta Maria. Ille ædificauit oratorium, ego reliquas caſas: ille comparauit terram de Leiras, ego non valatam. Habeatis vos ergo tam meum, quàm ſuum; & quod Pater meus, & quod ego comparauimus, & ſit vobis de noſtra poteſtate abraſum, & tranſeat in veſtram iure perenni, & ſempiterno; dummodò vos non relinquatis Monaſterium.*

Et ſi aliquis de noſtris, iſto tempore, vel in futurum venerit perrumpere iſtam chartam teſtamenti, 6.
non poterit; & pro ſola tentatione, pectet quadraginta marabitinos, & charta in ſuo robore ſemper ſtet, inſuper ſit maledictus, & excommunicatus, & cum Iuda traditore vadat ad infernum. Amen. Facta charta teſtamenti, & cauti Æra M C. XCIX. Kalend. Iunij. Qui affuerunt. Arias Petri, Menendus Petri, Gundiſaluus de Souſa, Velaſcus Tenori, Egeas Monis, Sueris Melendi, Petrus Clericus notauit. Hactenus inſtrumentum donationis, barbaro, vt alia ſtylo. Sed ex antiquitate venerando.

Iacet Stella in loco montuoſo, inter prærupta 7.
rupium eiuſdem nominis; ſiue illud à Cœnobio contento traxerint, ſeu Cœnobium ab ipſis; non longè ab oppido dicto *de Cobillan*, in Diœceſi Agitanenſi, hodie *da Guardia*, in qua in Tabulis Eccleſiarum Claræuallenſium. Conflagraſſe maiorem partem domus poſt annos ſexaginta traditio eſt, ſed ſtatim reſtauratam ſororis ſumptibus. (Domum Zeize loquor) quæ ſuo tempore nobis dicenda erit. Extat authographum permiſſionis conceſſæ ab Epiſcopo, & Capitulo Agitanis, Abbari, & Monachis Monaſterij de Zeiza, vt in eo loco conſtruerent Cœnobium, quod non multò ſumptuoſiùs ædificarunt. Cæterum Cardinalis Henrici tempore, Infantis primùm, mox Regis Luſitaniæ, qui Rex, & Infans Alcobatiam rexit Abbatis titulo, Monaſterium Stellæ ſuppreſſum eſt, atque Collegio Conimbricenſi vnitum cum tenuibus aliis: vnico tantùm Monacho relicto, qui prædia, & poſſeſſiones adminiſtret; in quo hodie ſtatu perſeuerat.

IESV CHRISTI ANN. 1162. — CISTERCII ANN. 65.

1. *Alexander Montem Peſſulanum ingreſſus,* 2. *Sanctum Hugonem, in Abbatem Liumcelli electum,* 3. *conſecrat.* 4. *Henricus Cardinalis Piſanus ceſſionem Archiepiſcopi Dolenſis Francorum Regis filiam de fonte leuat.* 5. *Sanctum Thomam Cantuarienſem electum acceptare adigit.* 6. *Quæcum ipſo contuliſſe credendus eſt.* 7. *Ad Alexandrum, Montem Peſſulanum pro pallio mittit.* 8. *Nec prius conſecratur, quàm induat Monachum.* 9. *Et Cancellariam exuat.* 10. *Noſtri patiuntur à locorum Ordinariis.* 11. *Quibus de opportuno remedio ſubuenit.* 12. *Qua occaſione exemptio noſtri extenſa.* 13. *Sed quæ longè antiquior comprobatur.*

CAPVT I.

1. EXCEDENTEM Italia ſummum Pontificem, neque enim tutum Friderico cohabitare. Genua primùm, Mons Peſſulanus deinde ſuſcepere. Ibi præſentem annum peracturus, Chriſti nimirum milleſimum, centeſimum, ſexageſimum ſecundum, qui fuit Ciſtercij, quintus & ſexageſimus, quamuis non integrum, quia multa in eo Ciſtercium concernentia legitur actitaſſe, in hoc capite veniet referendus. Primò autem ingreſſum eius in vrbem, ſuſcipiente Guillelmo, Sancti Guilelmi filio, neque minus paternæ pietatis, quam Dominij hærede, ex eiuſdem Pontificis actis in Vaticano, quæ Baronius vulgauit, deſcribamus. [a] *Et quoniam locus* (intellige Magalonæ, cui applicuerat) *pro ſuſcipiendis hoſpitibus nimium erat arctus, & multitudo maxima Pralatorum aduentum ipſius Pontificis intra inſulam, nimio præſtolabatur affectu: ad populoſam Montis Peſſulani villam aſcendere dignum duxit. Albo itaque palafreno, & cateris Pontificalibus inſignibus de more paratis, Alexan-*

der Papa equum præ nimia populorum frequentia vix ascendere potuit, & viam in directum tenere. Tanta enim cunctorum ad eius vestigia concurrentium improba, & importuna erat impressio, vt Beatum se esse crederet, qui vel fimbriam clamydis eius non sine multo conamine posset attingere. Occurrente igitur sibi Domino villa ipsius, cum Baronibus, & decora militia, & officium strateris per milliarium exhibente, cum processione eamdem villam intrauit. Vbi inter Christianos nobiles, qui accedebant ad eius vestigia, quidam Sarracenorum industrius Princeps, cum sociis suis reuerenter accessit, & deosculatis pedibus eius, fixit genua coram eo, & inclinato capite tanquam sanctum, & pium Christianorum Deum, ipsum Pontificem adorauit. Locutus est autem ipse Pontifici ex parte Domini sui Mahometanorum Regis, qui miserat eum ad partes illas pompaticè in lingua sua barbarica; sed per interpretem cuncta exposuit, quæ dicere voluit. Cui Pontifex benignè, & diligenter respondit, ipsúmque plurimùm honorauit, & circa pedes suos inter honoratos consedere fecit honorificè. Videntes autem hæc vniuersi, qui aderant in conspectu eiusdem Pontificis, valde mirabantur, & dicebant ad inuicem illud propheticum: & adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes seruient ei. Hæc sanè pietas in vrbe Beati viri, & per filium promota; non potuit non in fastos Cistercienses, velut Guillelmi propria, connumerari.

2. Vacabat interim Abbatia Liumcelli per obitum Burnonis de Boirone; & Sanctus Hugo, quem de Miratorio secum adduxerat, sapientia ætate, & gratia iam prouectus, vno omnium consensu illi successit, neque ab alio, quam ab Alexandro summo Pontifice, in Abbatem, & Patrem ordinandus, quod qua ratione, quáve occasione gestum sit, quia in eadem vrbe, & sub hoc tempus, ex actis vitæ ipsius est describendum. [b] *Huius Beati viri* (scilicet Hugonis) *tanta præconia Liumcelli Conuentus mentis aduertens oculo; & attendens, quia iam dudum Abbate suo priuatus fuerat, assignata die à Domino Abbate Bonæ-vallis, oratione facta, vt moris est, assensu communi, & voluntate omnium, Beatum Hugonem in Magistrum, & Abbatem elegit. Confirmante Abbate Bonæ-vallis, qui iusta petitiom, & electioni eorum canonicæ libenter assensum præbuit, Dei misericordiæ grates immensas referens, pro electione viri amabilis, & honesti.* Hactenus de electione viri Dei.

b *In vita Sancti c. 7.*

3. Cæterùm qua occasione factum fuerit, vt non à Diœcesano, nec à vicino quolibet Pontifice, sed ab Alexandro tertio ordinaretur, subiungit author pergens in hæc verba. [c] *Facta autem electione, & confirmata; quia contentio, atque dissensio erat inter Valentinum Episcopum, & Diensem, de situ Abbatiæ Liumcellensis, vtroque affirmante, & contendente illam intra fines sua Diœcesis sitam esse, fuit consilium Liumcellensium, vt nouus Abbas ad Dominum Papam Alexandrum tertium, qui tunc temporis in villa Montispessulani dicebatur esse, benedicendus cum comitatu congruo mitteretur: Paratis igitur, quæ sibi videbantur vtilia, & necessaria, venit ad supradictum Summum Pontificem Alexandrum, virum reuerendissimum, & multis virtutum præconiis commendandum: à quo Sanctus Hugo receptus est gratanti animo, & honorificè benedictus.* Hac occasione, non sine nutu diuino, effectum est, vt Hugo ex tunc Pontifici innotesceret; qui eodem Sancto viro, nec semel tantùm, in grauissimis Ecclesiæ, & sui negotiis, non sine ingenti fructu erat vsurus. Nempè qui Petrum Tarantasiæ Præsulem ex Cistercio, Bernardo substituerat, quo Ecclesia instrumento cuncta conficeret: Petro iam senio, & morbis fatiscente, prouidebat Hugonem, qui illi, ex eadem familia subrogaretur.

c *Vbi suprà.*

Per idem tempus Henricus Cardinalis, legatione Apostolica fungens per totam Galliam, Hugonis Archiepiscopi Dolensis cessionem acceptat, de qua Robertus Montis pauca pro more. [d] *In capite ieiunij apud Cenomanos Hugo Archiepiscopus Dolensis, cæcitate debilitatus, præsentibus Henrico Rege Anglorum, & duobus legatis Romanæ Ecclesiæ Henrico de Pisis, & Vuillelmo de Papia, reddidit Archiepiscopatum, quem ferè per tres annos tenuerat, & in cuius reparatione plurimum laborauerat.* Nec multò post eodem Roberto teste, Ludouici Francorum Regis filiam ex Eleonora, sacro fonte Baptismatis ablutam Ecclesiæ donat. *Regina* (ait) *Aleonora apud Domnum Frontem filiam peperit, quam Henricus Presbyter Cardinalis, & legatus Romanæ Ecclesiæ baptizauit, & Achardus Episcopus Abrincensis; & Robertus Abbas de Monte S. Michaelis, de periculo maris cum multis aliis de fonte susceperunt, & vocata est Aleonora de nomine matris suæ.* Hæc ab Henrico hoc anno facta in Gallia. 4.

d *Ad ann. 1162.*

Verùm in Anglia, cum illuc traduxisset, simul cum Rege, illustrius aliquid, Ecclesiæque gloriosius. Nempè post mortem Theobaldi Cantuariensis, synodo apud Londinum congregata, cui legatus præsedit, vt dignus tanta sede præsul subrogaretur, Sanctum Thomam, tunc Regium Cancellarium (Cistercio & ipsum tandem destinatum) omnium consensu electum, sed renitentem, nec acquiescentem suæ consecrationi; ad consensum adegit: quem paulò post pro Ecclesiæ immunitate illustrem martyrem, vniuersus Orbis Christianus veneraretur. Cæteri Episcopi imitari etiam satagerent. Auctor mihi Henricianæ persuasionis, Ioannes Sarisbariensis eiusdem Sancti Thomæ familiaris, cuius Hæc verba. [e] *Cùm diu reluctatus esset* (scilicet Thomas) *vrgente, & instante Henrico Pisano Presbytero Cardinali SS. Nerei, & Achillei, legato, tandem acquieuit.* 5.

e *Apud Baronium hoc anno.*

6. Cæterum cum compertum habeamus eumdem Thomam, non ob solam, vt alij, humilitatem, quamuis & ea proculdubio in causa fuerit; sed ob præuisas cum Rege simultates (qui Ecclesiæ immunitati se opponeret, quam ipse vsque ad sanguinem esset defensurus) dissensisse electioni de se factæ, ac recusasse in Pontificem assumi argumento est, Henricum, dum & huic motiuo obuiat, excussisse timorem, atque animum Sancti armasse contra pericula; consentiat; & prudentia, qua pollet, Regem regat, vel si minus patiatur, sese opponat, authoritate oppressurus facilem animum, & aliàs ad obsequia Ecclesiæ promptum; vel si non cedat, pro Ecclesia moriturus. Certè prædictum à Beato viro diffidium Regis, & fomitem diffidij, si acceptaret, Herebertus testatur in eius vita. [f] *Protestatur Thomas aduersùm Regem, ne eum Episcopum Cantuariensem eligeret; aliàs eum ipsi fore aduersarium, & contrarium inimicum, propter Ecclesiasticam libertatem.*

f *Ibidem.*

7. Obtento assensu, ad Alexandrum missum est, nouo pallio obtinendo nouo Pontifici, quod etiam misit ex Monte Pessulano, de quo Ioannes Sarisbariensis ita prosequitur. *Moxque missi sunt nuntij ad Romanum Pontificem Alexandrum, qui tunc degebat in Monte Pessulano, iidémque postularunt, & pallium; quod & ob tanti viri reuerentiam concessum, ab eodem Pontifice acceperunt.* Hinc constat tempus

tempus electionis B. Thomæ. Quippe hoc anno factæ, antequam Alexander à Monte Pessulano discessisset, atque adeò ante mensem Iunium; in quo discessit: sic enim habent acta eius ex Vaticano. [g] *Exiuit ergo Pontifex à Monte Pessulano in proximo mensis Iunij, & per Alexiacum, atque Memiacum, & Anicanoum transitum faciens, Albernia partes intrauit; & in vigilia Assumptionis B. Mariæ, apud Clarummentem, cum omni prosperitate, Domino authore peruenit.*

[g] apud Baro.

8. Pallio ab Alexandro donatus vir venerabilis, qui iam dudum Cistercio destinatus, ferebatur ad ipsum magis, quàm ibat; ipso ignorante, & longè aliud agente, cœpit velut disponi: assumpto Monachali habitu prius, sine quo noluit in Episcopum sacrari. Ita in Quadripartita eius historia. [h] *Consecratus Episcopus, ait, habitum induit Monasticum; eadem causa videlicet, quod experimentis multis declaratum fuisset, eos, qui non Monachi Cathedram ascendissent,* (scilicet Cantuariæ) *à Deo malè mulctatos esse.* Addit Petrus Rogerius coæuus author, quem M. S. extare in Vaticano tradit Baronius. [i] *Traditum Thomæ, à quadam Cœnobita Cantuariensis Ecclesiæ Sanctissimæ Conuersationis, cui Dominus in visione loquutus fuerat, quod si Monachum indueret, Dominum in cunctis negotiis propitium, & coadiutorem habere mereretur.* Sic factum est, vt Cistercij futurus communis parens, non aliter Cistercium ingrederetur, quàm primi nostri Patres ingressi sunt, nempè Robertus, Albericus, Stephanus; omnes nimirum per ianuam Monachatus; nec quicquam aliud Cantuaria Thomæ fuerit, quàm sanctis illis olim Molismus fuit.

[h] lib. 3. cap....

[i] Ad hunc ann.

9. Prouisum etiam ab eodem B. viro, vt se abdicaret Cancellariæ munere, ne Ecclesiæ simul, & sæculo seruiret, alterum Dominum contemptui habiturus. Et voluisset Rex illum retinere, quem sibi, & Regno longo experimento vtilem, atque cunctis negotiis parem nouerat; sed prælatum Apostoli consilium (nam præceptum, quis audeat affirmare, quod tam facilè contemni videat, imò tam publicè?) ne qui militant Deo, nedum qui agmen totius militiæ ducunt, negotiis sæcularibus se implicent. Certè inter alias offensionis Regiæ causas, hanc etiam commouisse animum eius, referemus inferiùs; quod Thomas Cancellariæ se subtraxerit, quem ipse optaret ministrum retinere. Hæc S. Pontifex exempla nobis reliquit. Nobis præesse Curiæ parum est; si non militiæ præsint Ecclesiæ Cardinales, acies ducant, castráque disponant; quod vt contra infideles, si necessitas vrgeat, summæ laudis; sic in Catholicos, non habeo vnde excusem. Sed ab his abstineo cui solum, sapienter, dubitare licet, fortè & nescire; at non de Principum factis iudicare. Thomas non solùm Pontifex abstinuit à sæculari munere; sed ne occasione præteritæ functionis, Rex quicquam posset, à sacerdote petere; non priùs Pontifex acquieuit consecrari (quod infrà latiùs dicam) quàm liber, & immunis à ratiociniis, atque absolutus à Rege declararetur.

10. Hoc ipso anno priuilegium ingens Ordini Alexander concessit, quod non licet silentio præteriri. Cùm enim nostri à locorum Ordinariis, contra Apostolica indulta, in graue vtrorumque bonorum detrimentum, prægrauarentur; & quas non possent in ipsos promulgare, in colonos, ministros, & locatores, anathematis sententias sæpè proferrent, Venerabilis Patris Fastradi cura, in Capitulo generali prouisum est, vt grauamine ad Pontificem relato, eidem pro opportuno remedio supplicaretur. Tunc Alexander sanciuit suo diplomate, vt nō solùm Abbates, Monachíque, ac Conuersi Cistercij; verùm seruientes etiam sæculares, Coloni, seu Firmarij tenentes terras nostras ad annuos redditus, & quicumque cum eis communicarent, à Diœcesanorum iudicio essent exempti: neque vlli alteri iudici Ecclesiastico; si tamen intra terras Ordinis viuerent, quàm generali Capitulo Cistercij, atque eius delegatis subiicerentur. Diploma ipsum, quia in tomo priuilegiorum non continetur, & aliàs singulare indultum continet, ab Auberto Miræo adductum in suo Chronico, operepretium duxi hic transcribendum, quod est huiusmodi.

Alexander Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filiis Abbati Cistercij, &c. 11.

Ex parte vestra fuit propositum coram nobis, quòd nonnulli Ecclesiarum Prælati vestris libertatibus inuidentes, cùm eis non liceat, ex Apostolica Sedis indulto, in vos excommunicationis, vel interdicti sententias promulgare; in tenentes, seu firmarios ad annuum redditum terrarum vestrarum extraneos, & eas proprio nomine excolentes, vel aliàs vobis communicantes, sententias proferunt memoratas. Nos verò supplicationibus vestris inclinati, ne quis Prælatorum, huiusmodi sententias, in fraudem priuilegiorum Apostolica Sedis, de cætero promulgare præsumat, authoritate præsentium decernimus eas non tenere. Insuper vobis, & Ordini vestro concedimus, quod firmarij, tenentes, seu seruientes vestri, in terris vestris situati, à iurisdictione cuiuscumque iudicis Ordinarij Ecclesiastici sint quieti: & liceat vobis de cætero, & capitulo vestro, de adulteriis, & aliis fornicationibus coram vobis, seu aliis Commissariis vestris eos corrigere; atque etiam diuina audire in Capellis vestris, & Ecclesiastica Sacramenta recipere; ac iisdem firmariis, tenentibus, seu seruientibus in Capellis vestris Sacramenta ministrare, tam intra, quàm extra Monasteriorum vestrorum situationem, &c. *Sanè si quis Archiepiscopus, Episcopus, Archidiaconus, Diaconus, aut aliquis eorumdem officiorum, propter hoc in vos, vel in Monasteria, Ecclesias, seu Capellas vestras, tenentes, firmarios, aut seruientes vestros situatos, vel in Sacerdotes vestros, nomine vestro in Ecclesiis vestris, seu capellis ministrantes, aut Ecclesiarum ministros aliquos, aliquam sententiam protulerit, illam omninò non valere censemus,* &c. *Idibus Nouembris Pontificatus nostri anno tertio.* Hactenus Alexander ad Cistercienses, noua, & Inusitata concessione; quam vna, aut alia Ecclesia, forsan antea; sed nulla vnquam Religio adepta fuisset. Et potuisset nocere magnitudine si non grauaminum ingruentium moli, æquale, velut remedium exigeretur.

Hoc forsan decimarum occasione, atque exemptione earum nostris indulta, quæ sæpè & multum cæterorum Ecclesiasticorum animos torsit, etiam per pios nedum per Catholicos præsules irrogata sentirem, si non tempus schismaticos argueret, atque ipsos solos suspicioni obnoxios faceret. Nempè cum in Capitulo generali proximo, publico edicto nostri sanciuissent, Alexandro adhærendum contra Victorem: ac modis omnibus enitendum sibi fore, vt verus Petri successor, atque Christi Vicarius agnosceretur. Nam ob hoc omnes Episcopos schismaticos, in res, & bona eorum irrupisse, Herberti Chrysopolitani exemplum, supra à nobis adductum satis probat. Nec credendum, Friderico auersante nostros, desæuisse Pontifices; qui vel ipso fauente, in eosdem atro- 12.

cius

eius debaccharentur. Horum ergo violentiis, & tyrannidi occurrisse Alexandrum credendum est, ingenti priuilegio exemptionis; qua parcius nostri, nec citra grauem, & vrgentem tunc oppressionem, vsuri forent.

13. Aubertus Miræus [k] priuilegium hoc adducit, velut eo Cistercienses à iurisdictione Ordinariorum exempti fuerint; sic enim ait. *Alexander III. Papa Cistercienses Imperio Diœcesanorum exemit sequenti diplomate, quo Cisterciensi familia adscripti Coloni, administrique id generis nominatim continentur.* Cæterùm Cistercienses antea exemptos argumento est, quod in eodem priuilegio dicitur. *Cùm eis non liceat, ex Apostolica Sedis indulto, in vos excommunicationis, vel interdicti sententiam promulgare; contra tenentes, seu firmarios, &c. Sententias proferant memoratas.* Iam ergo antea exemptis religiosis; familiares nunc etiam eximuntur. Fateor tamen non me hactenus vidisse priuilegium, quo iidem Religiosi eximerentur. Habebant sanè exemptionem aliqualem, idque ab initio nascētis reformationis ortam, ex professione, & obedientia Episcopis promissa, non absolutè, sed saluo ordine suo, quod supra vidimus. Verùm hæc intra proprios limites clausula, ad ea solùm, quæ in charta charitatis continentur, extendebantur. Absolutam, & plenam exemptionem, quam videtur supponere Alexander, vnde habuerint, non potui inuenire. Certè vndecumque, prima omnium fuit religiosis Ordinibus concessa, & ad cuius normam aliæ postea ad alios, demum ad omnes priuilegia similia emanauerint.

k *In Chronic. Cisterc.*

---

1. *Alfonsus Lusitania Rex Conimbrica Conuentum congregat,* 2. *instituenda militia religiosa,* 3. *cui Sanctus Ioannes Zirita iura daret.* 4. *Magister noua militia Cistercio subditus.* 5. *Eius professio.* 6. *Dispositio, & obsequia in Cistercienses.* 7. *Subscriptio Charta.* 8. *Et notata à quibusdam maior antiquitas.* 9. *Tres Cistercienses militia breui exorta.* 10. *De loco tertia.* 11. *De nomine.* 12. *De habitu.* 13. *Visitatio Ecclesiarum Cisterciensium in Lusitania.* 14. *Et mors Theotonij, Bernardi olim amici.*

Capvt II.

1. Innata Lusitanis, propriáque, an alienæ virtutis æmulatione; namque vtraque genti familiaris, hoc item anno, vt ferunt, effectum est, vt duabus militiis Cisterciensibus, Legionensi nimirum Sant-Iulianeæ, atque Calatrauensi Castellanæ, in Lusitania tertia alia succederet. Noua militia primùm, mox Eborensis, ab vrbe Ebora capta, demum de Auis dicta, ab auspicio fœlici volantis Aquilæ, quod illi nomen permansit, vsque ad hunc diem. Author illius Alfonsus Lusitanus, legislator venerabilis Zirita, Sancti Ioannis Taroucæ Abbas emeritus, institutio ad normam Cisterciensium, sub Abbatis Cistercij, aut etiam Claræuallis visitatione. Magister primus, Petrus, Regis frater, cuius supra meminimus, milites, ex prima Regni nobilitate, atque ex prima virtute, selecti omnes, & qui in prælijs aduersus Sarracenos ingentis animi speciem præ se tulissent. Nec defuit factis Romanæ sedis authoritas, interuentu legati Cardinalis Episcopi Ostiensis (Humbaldus ille; Hugonis nostri successor) qui ab Alexandro in Hispanias tunc recens missus, vt non affuerit, tamen consensum præbuit; atque Ioanni Ziritæ, Guicardoque Cisterciensi, vtrique suam ad prædictam militiam instituendam, potestatem per omnia delegauit. Eius rei instrumentum perantiquum, caracteribus priscis exaratum in authographis Cœnobij Alcobaciensis à se inuentum, [a] Bernardus Brito Lusitanus primùm, mox Auisienses statutis suis insertum, seu magis præpositum, publicandum curarunt, quod ita habet.

a *lib. 1. Chronic. Cisterc. c. 11.*

2. *In nomine Sancta, & indiuidua Trinitatis Patris, Filij, & Spiritus Sancti Deus vnus verus, & essentia inseparabilis. Nos Ioannes Zirita Abbas (quondam) Sancti Ioannis de Tarouca, & Guicardus Monachus eiusdem Cœnobij, in præsentia nobilissimi Regis Alfonsi, aliorúmque virorum sua Curia; de consensu, & authoritate Domini Episcopi Ostiensis, per totam Hispaniam legati de latere in honorem Dei, & Patris nostri Benedicti, gloriámque nostra reformationis Cisterciensis, & vt Christi fideles, ab incursu Maurorum liberentur, constituimus, & ordinamus militiam Equitum, cuius munus sit Religionem defendere in bello, charitatem exercere, castitatem seruare in thoro, & terras Maurorum continuis incursibus vastare, & habitum portare, signum Religionis præseferentem, Caputium scilicet parua magnitudinis, cum scapela taliter facta, quod in conflictu pugnantes, non impediat, circa colorem cæterarum vestium, non causentur, sed circa temporis opportunitatem fiant omnia, scapela verò semper sit nigri coloris cum caputio.*

In bello habeant loricas, & enses, & lanceas, iuxta fortitudinem vniuscuiusque, nihil portantes insignitum auro, præter enses, & calcaria; ponentes semper spem suam in armatura fidei. In pace surgant ad orationem, & audiant Missas, ieiunent sextis ferijs, dormiant cum caputijs paruis. Seruent silentium, si simul manducant; suscipiant peregrinos, honorent seniores, & Magistrum militia, tanquam Patrem, & Ducem suspiciant, & in omnibus Regulam Sancti Patris nostri Benedicti præ oculis habeant, de acquisitis in bello dent pauperibus, viduis, & Ecclesijs; & Mauros quos in captiuitatem traxerint, sanctis admonitionibus ad fidem deducere curent; si castrum, vel ciuitatem cœperint, facient certiorem Dominum Regem, & de mandato eius disponent omnia, existentes subditi Dominis, non tantum bonis, sed etiam discolis. 3.

Magister tanquam Dux cæterorum, procuret, non solùm verbis sed etiam exemplis subditos gubernare, non solùm in pace docendo, sed etiam in bello pugnando; & si quis militum, grauamen de illo habuerit, & post excusationem non susceptam, adhuc se grauatum senserit, ad Abbatem designatum à Domino Cisterciensi recurret; & apud illum proponet querimoniam de Magistro, & expectabit sententiam, de qua solus Romanus Pontifex, aut eius à latere Legatus, poterit cognoscere, seu Reuerendissimus Pater Abbas Cistercij, ac eius ad hoc nominatus visitator: & personaliter Pater Abbas Claræuallis. In electionibus verò Magistri, & aliorum officialium seruabitur 4.

Ordo

Ordo, qui in diffinitionibus Cistercij constituitur: Nouiter autem electus suscipiet insignia Monasterij sui de manu alicuius Abbatis, & in manibus eius praestabit iuramentum, & obedientiam in hac forma.

5. *Ego P. nouiter electus in Magistrum militiae S. Benedicti Cistercienſis Ordinis, nomine meo, & huius militiae, iuro, & promitto obedientiam Romano Pontifici, & Domino meo Regi Portugaliae, & vobis Patri Abbati in nomine Cisterciensis, omnibúsque successoribus suis in perpetuum futuris; & quod bona militiae non vendam, non donabo, nec consentiam vendere, donare, aut alienare: quod in bello non derelinquam milites meos in periculo, vt me in libertatem ponam: nec tradam castra, turres, & oppida, sine iussu, & voluntate Regis Portugaliae: non consentiam milites inermes in bellum exire, neque absque caputio incedere, ad mandata Regum ibo, traditores eius pro meo posse persequar: terras Maurorum infestabo, ius huius Regni, omni loco defendam, & ad omnia bella paratus existam, cum equis, & armis, & contra haec omnia, nunquam veniam, sic Deus me adiuuet, & ista Euangelia.*

6. *Post electionem verò Magistri, ipse donabit insignia militibus nouiter intrantibus, si tamen praesens fuerit Dominus Rex, aut filius eius haeres; ipsi faciens caeremoniam assumptionis ad Equitatus Ordinem: et si contingat tunc temporis, cum aliquis assumitur, esse ibi praesentialiter aliquis Abbas Cisterciensis Ordinis, dabit insignia, & in manibus eius fiet homagium. Si aliquis militum, dum ambulat, inuenerit aliquem Abbatem Ordinis Cisterciensis, relicto equo humiliter accedat, & petat benedictionem; & comitem se offerat itineris: si pertransierit per loca, castra, seu ciuitates, vbi fuerint milites huius societatis, tempore pacis, aut belli, Dux arcis offerat ei claues, & iuxta dispositionem eius gubernentur omnia, tempore quo ibi fuerit. Monachi Cistercienses tanquam fratres suscipiantur, & omnia officia eis exhibeantur. Quae omnia ego supranominatus Rex Alfonsus authoritate mea roboro, & confirmo. Et ego Guicardus, Monachus Sancti Ioannis de Tarouca, iussu Domini Regis Alfonsi, & Patris Ioannis Zirica Abbatis Praefati, cuncta dictaui, & manu mea scripsi apud Colimbriam, Idibus Augusti. Aera M.CC.*

7. *Archiepiscopus Bracharensis pro parte Regni approbo, & confirmo.*

Episcopus Colimbricensis pro parte Curiae, approbo, & confirmo.

Episcopus Vlixbonensis pro parte Cleri approbo, & confirmo.

Petrus Proles Regis, Par Francorum, & Magister Nouae Militiae pro parte mea, & meorum Militum confirmo omnia, & approbo.

Ferdinandus Roderici Monteiro, miles nouae Militiae approbo, & confirmo.

Gundisaluus Vanegas miles nouae Militiae approbo, & confirmo.

Ferdinandus Ioannes miles nouae Militiae confirmo, & approbo.

Ioannes Portarius miles nouae Militiae confirmo, & approbo.

Petrus de Sausa miles nouae Militiae confirmo, & approbo.

Rodericus Vanegas miles nouae Militiae laudo, & approbo.

Iulianus Alfonsi miles nouae Militiae confirmo, & laudo.

8. Hactenus instrumentum fundationis nouae Militiae, quam tamen antiquiorem alij faciunt, quippè ab anno M. C. XLVII. sub Eugenio Pontifice incepisse, Lusitani authores [b] affirmant, quibus Roman [c], Emanuel Rodericus [d], atque alij non pauci adstipulantur. Vt satis nobis probabile appareat, quod Brandaonius docet, Nobilibus per priuata vota sacratis ab eo anno oppugnandis paganis, quandiu viuerent, & pellendis, qua possent à suis finibus, ob praeclara facinora patrata, tum ad firmandum, promouendúmque, & continuandum per successores gentis propositum; Alfonsum Regem hoc anno prouidisse de norma vitae approbanda ab Ecclesia, aut approbata quam per vota solemnia profiterentur. Haud aliter paulò ante Sanct-Iulianeos, nec multò post Sancti Iacobi milites, cum priuati coepissent, hos in Canonicorum Regularium; post multa tempora illos, sed statim, in Cisterciensium placita transiisse; omnes ad Calatrauae imitationem, commemorauimus.

[b] *apud Brandaon. lib. 11. c. 1.*
[c] *Reipublicae lib. ...*
[d] *tom. 3. quaest. Regul.*

Caeterùm notatione dignum est, vtramque hanc militiam saecularem, nempè Sanctorum Iacobi, 9.
atque Iuliani, sic regularia instituta suscepisse, Canonica, aut Monastica, vt tamen (quod omnino certum est) nullis se eatenus regularibus subiicerent; per suos, seu Priores, seu Magistros immediatè regendas, à quibus ad locorū Ordinarios, siue ad Apostolicam Sedem appellaretur; nec praeter eam, quae à Monachis incepit, Calatrauam, subiecta Monachis alia visebatur. Prima inter omnes Lusitana militia fuit, quae non solum admisit Cistercij leges; verùm & Cisterciensium coërcitionem, Cisterciensis nimirum communis Patris, siue ab eo deputati visitatoris, ac praesentis, si adesse ibi contingeret, Abbatis Claraeuallis, per quos errata Magistri, iudicia, mores, & si quae alia emendanda, corrigerentur. Tres ergo primae militiae Cistercienses intra quadriennium ortae, singulae sine exemplo, neque aliqua illarum secunda fuit. Prima per Monachos cepta Calatraua; tum ex his, quae coeperunt per saeculares, prima Sancti Iuliani *del Pereire*, quae regularia suscepit instituta, ac se vltro votis solennibus adstrinxit alterius Ordinis (nam Templarij speciales, & proprias leges conditas à Bernardo ante acceperant) demum ex his, quae accepere leges alienas, prima, quae se regendam nostris praebuit, imò prima, quae aliis, Auis fuit. In qua id etiam iure miretur lector, tot leges inter paucas scriptas fore, quae solùm tendunt in obsequium Cisterciensium, neque tantum suorum praelatorum, sed quorumcumque.

Illud praeterea rarum in hac militia, nec silen- 10.
tio obtegendum; quod sine nomine, sine loco fixo incoeperit (sic multis placet) quasi vtrumque per arma comparatura. Certè ante Eboram expugnatam à Sarracenis, quae prima virorum sedes, atque nomen à sede praestolabantur. Vt inde putet Brito Lusitanus à quibusdam, nec Magistrum Petrum Alfonsum, nec quatuor primos noui ordinis annos connumerari. Quippe vix vnquam consistere valente statu religioso, sine vita communi: sed neque vita, sine communi habitatione. Non negauerim tamen satis probabile collocatos Conimbricae in vico, qui à fratribus susceptis per quadriennium, *da Freyria*, hodiernam vsque in diem cognominatur. Sic coniectatur collector statutorum anni M.DC. XXXI. addito coniecturae fundamento, non contemnendo. Quod Eborae, ad quem locum transierunt post annos quatuor Ecclesia, & vicus, quibus adhaesere, *da Freyria* etiam, ab eis hodie dicuntur. Vt non immeritò; vtrobique eiusdem nominis, eadem extitisse causa credenda sit: nempe

pe noua Religio ad tempus residens, atque vtrobique memoriam sui relinquens, hæc de loco.

11. De nomine id solùm notatum [e] video, nouam militiam dictam his primis annis; nempè pro tempore; vt post modum ex loco; de Ebora vocandam infra dicemus. Haud aliter Cistercium in principio nouum Monasterium: at postquam nouum, per tempus esse desiit, vocabulum à loco mutatum est. Sed & nostræ militiæ maior ratio, translatis sedibus, & incœpto nouo Cœnobio, quod suo tempore fusius ostendemus.

e *In Statutis tit. 1. cap. 3. in fine.*

12. De habitu expressum satis in Regula, scapulare, quod scapellam vocat, cui assutum caputium, Religionis insigne præseferret. Paruum quidem vtrúque, & bello accommodum; sed quod nequaquam posset occultari, imò quod, quia præliantes impediebat, (adeò non nimis paruum) Bonifacius IX. post duo sæcula, in crucem viridem, viuæ vocis oraculo, & scapulare breuius, commutauit. Ergo quod modò crux, illis temporibus, militibus Christianis, caputium fuit, Et Monasticus habitus, cucullus, insigne præferebat nobilitatis. Sed heu! iam illud dedignati aspernantur, si non contemnunt, qui (nam id dicam Christiana libertate) nihil magni fecere, nisi sub ipso. Sed de his aliàs.

13. Interim priusquam recedamus à Lusitania, visitatas eiusdem Regni Ecclesias hoc ipso anno per Abbates Gualterum Moterolæ, & Guillelmum Bonæuallis (haud dubium, quin ex Godefridi Claræuallensis, nam eius lineæ omnes, delegatione) Brandaonius affirmat, [f] instrumento producto, ex Tabulario Sanctæ Crucis Conimbricensis, in quo, & quanta reuerentia viri ab Alfonso tunc Rege, atque vniuerso Regno suscepti sint, quàm non extranei ab ipsis reputati, non difficile licet conijectari. Quippe vocati ad publica negotia, & qui post Bracharensem Archiepiscopum, totius Regni Primatem, ante omnes Regnicolas subscriberent: nempè hoc ordine.

f *lib. 10. c. 34.*

D. Ioannes Archiepiscopus Bracharensis.
D. Gualterus Abbas Mererolæ.
D. Guillelmus Abbas Bonæuallis.
D. Gerardus Abbas Sancti Ioannis de Tarouca.
D. Petrus Abbas Sancti Saluatoris de Turri.
D. Cresconius Abbas de Cabañas, *&c.* Vt palam videas quanti ab Alfonso fierent, qui vel exteri ad negotia Regni grauia inter Regnicolas Prælatos Ecclesiarum, admitterentur. Habet, & idem instrumentum, quid peculiare, in fauorem Monachorum Alcobaciensium; quod soli ipsi subscribunt cum Prælatis, quasi ad quos spectaret, ista reuisere. *Monachi Alcobacienses, Petrus Alfonsus, Petrus Michaelinus, & Petrus Ioannes* Brandaonius putat, non Alfonsum tantum, verum & alios Regni successores, in Lusitania, Alcobacienses habuisse consiliarios ordinarios Curiæ, quibus ad omnia negotia vti consueuerint.

Hoc ipso anno decessit Theotonius Canonicorum Regularium (in eodem Monasterio Sanctæ Crucis) primus Prior, sanctitate illustris, vsque ad miracula, & Bernardo, dum vixit, per visum prius, mox per litteras notus, atque transmisso baculo donatus, qui hodiéque obseruari ibidem dicitur. Quin inter Sanctam Crucem, & Claramuallem, lóga licet distantia separatas, frequens cómercium, mutuáque suffragia ab vtroque parente deriuata, indéque continuata per multum tempus, idem, qui supra author [g], testis existit. Quod in gratiam vtriusque Monasterij dum Lusitana tracto, nequaquam duxi silentio contegendum. 14.

g *Idem ibid.*

---

1. *Nostrorum in Suecia Apostolatus.* 2. *Idola gentis adhuc post Euangelium,* 3. *& ritus barbari;* 4. *de pertinacia in sua superstitione* 5. *Sacerdos excæcatus, conuersúsque;* 6. *atque hac occasione destinatus ad gentem B. Stephanus.* 7. *Quanta passus ibidem pro Christi nomine,* 8. *Miracula, & miraculorum fructus.* 9. *Demùm perpensum Cistercium per hæc tempora.*

CAPVT III.

1. EX Lusitania, in Sueciam transeamus, quæ cum Idolis adhuc deseruiret nondum benè Christiana, quamuis Adrianus non parum laborasset; vt primam tunc Euangelij lucem, procurante Eugenio, sic plenos radios hoc anno Cistercio deber, atque Idolorum exterminationem, agente Stephano Monacho Albastrensi, insigni pietate viro, doctrináque, qui altiùs radicandæ, & latius spargendæ Christianæ fidei Apostolus Sueciæ cum Adaluardo, & primus Vpsalensis Ecclesiæ Præsul (id est illius, in quo idola vigebant, loci) Erico Stenchilo religioso Rege petente, atque mittente Archiepiscopo Cremensi, creatus est, non sine ingenti gloria Christiani nominis. Nec dubium quin ex Cistercio assumptus ad tantum opus; ex eo plures assumpsisse coadiutores credendus sit, quos vel externus non foret prætermissurus. Rem parum notam, sed cunctorum notitia dignam, atque illustrem Cistercio, Ecclesiæque, quia non alibi meliùs, aut opportuniùs, altiùs repetito principio pandere libet.

2. Sueonum Gens superstitioni dedita supra alios mortales, seu proprio genio, seu patria traditione deriuata ad filios, tres Deos venerati solita fuit. Alterum præsidentem naturæ, violentiæ alterum, & tertium tandem deliciis, ac voluptatibus. Describit illos, atque illorum cultum, ac ritus barbaros nobilis eius gentis Scriptor Albertus Krantzius, in Præfatione ad Sueciam verbis sequentibus [a]. *Vt antiquitatis aliquid attingamus, nobilissima gens Sueonum templum habuit, quod Vpsola dicitur. Sedes hodie Metropolitana Regni ibi perdurat, non longè à ciuitatibus Sictona, & Birca. In hoc templo, quod totum fulgebat ex auro, statuas trium venerabantur Deorum, antequam Christo crederent, Potentissimus Thor in medio triclinio, strato puluinari colebatur. Hinc inde latera eius cingunt Vuodon, atque Fricco. Thor, inquiunt, præsidet in aëre; tonitrua, & fulgura, ventos, & imbres, serenitatémque gubernans, fruges administrat, cum fructibus vniuersis. Alter Vuodon, hoc est Fortior, bellis præsidet: hominibúsque fertur, in hostes vires subministrare. Tertius Fricco pacem, & voluptatem moderatur: cuius etiam simulacrum hospitudinem præseferebat. Vuoden sculpunt armatum, vt alij Martem: Thor autem cum sceptro Iouem videbatur*

a *lib. 1. in Præfatione.*

batur exprimere. Hæc de Idolis; de cultu, & ritibus, pergit ita describere.

3. *Arbor iuxta templum stabat ingens, patulis diffusa ramis, æstate, & hyeme iuxta virens. Genus eius nemo potuit edicere. Fons scaturiebat ad locum sacrificiorum. Sacrificaturi, hominem hic immersere viuum qui si facilè immergeretur, faustum renunciauere votum. Aurea catena fertur cinxisse templum ad mœnia, domúsque fastigia suspensa latè rutilans accessuris: nam templum in planitie situm montibus ambitur. Si pestis, aut fames ingruat, Thor ipsi supplicatur: si bella, Vvodon, ad nuptias Priconi sacrificabant. Post nouennium, totius templi celebritate, templum visebatur. Ne Regibus quidem immunitas, à mittendis donariis. Reges aliquando Christiani, quod sacrilego à cultu huiusmodi abstinerent, Regno sunt destituti. Nouem diebus sacrificia peragebantur; nouem per singulos dies animalium genera (in quibus etiam homo) sacrificabantur. Sed hæc de superstitione Gentilium, supra quàm satis dicta sunt, vt cognoscamus idem Dæmoniorum genus in omni natione indebitum sibi cultum vendicasse.* Hactenus ex Alberto Krantzio citato loco.

4. Porrò Sueones adeo tenaces erant istorum rituum, vt etiam post notitiam Euangelij, & sub Christianis Regibus; eisdem adhærere non dubitauerint. Quin Reges ipsos, nomine religionis, si fortè detrectassent, ad id compulerint, ni dona & ipsi ad templum transmisissent, exturbandos à solio, quod idem Auctor [b] alibi etiam tradit. *Sueonum gens præ multis aliis, Idolis dedita fuit: quod toto hoc mundi secreto, venerabile illi fuit templum Idolorum apud Vpsolam, nunc quoque caput gentis, & Metropolim. Quod Idolum tam pertinaciter coluere gentiles, vt Reges etiam suos Christi sacris initiatos adigerent munera mittere in templum, alioqui regno exigendos.* Hæc vsque ad tempora Erici Stenchylli, qui Sueciam hoc anno moderabatur: nec potuerat Adriani prædicatio, industriaque tantum malum arcere ab illis finibus. Sed reseruabat Deus hoc opus sibi, & post se Stephano, quem occasione miraculi ingentis in quodam Idolorum sacerdote patrati, primum Pontificem habere Vpsola meruit. Miraculum narrat Olaus magnus Archiepiscopus, & ipse Vpsolensis, & nos ipsius verbis, quæ ita habent. [c]

b lib. 5. Sueciæ c. 12.

c lib. 16. c. 41.

5. *Accidit eo præsente* (scilicet Erico Stenchyllo) *totaque populi multitudine circumstante, quod sacerdos omnium nomine sacrificia Idolis offerens, repentina cæcitate percussus collaberetur. Deinde postquam diu, & frustra à cæcis Idolis cæcitatis remedium postulasset, atque in proprias ædes reductus sopori se tradidisset; ecce illa misericors misericordissimi Dei Mater non dedignata est afflictum peccatorem, omni humana ope destitutum, visitare, consolari, & de mysteriis sanctissimæ fidei nostræ Christianæ informare, Christique Apostolum, ex impio malorum Dæmonum nuntio, suscitare. Inquit enim: quia lumine intellectus, & rationis tuæ abusus à vero Deo te, ad Dæmonum cultum conuertisti, iustè corporis tui oculis priuari meruisti. Igitur si corporis tui oculos recipere volueris, crede in filium meum Iesum Christum, qui est Deus Christianorum, eiusque Fidem firmiter serua, & ab omnibus seruandam prædica. Credidit ille, & credendo vsum oculorum perfectè recepit: statimque Christianæ Religionis diligentissimus prædicator effectus, omnem in circuitu regionem peragrando, lumen veræ Fidei cordibus incolarum infundere conabatur; vt & ipsi ab illa horrenda perfidæ mentis cæcitate, qua infœliciter tenebantur, liberati, lumen ad reuelationem gentium ab alto exortum accipere mererentur. Nec deerat totius salutis Auctor salutarem doctrinam fideliter annuntianti. Quippe breui tempore non paruus fidelium numerus in vineam Domini, ab ipso Cœlesti Patrefamilias vocatus intrauit, vt verum ostenderetur Christi verbum.*

Hac occasione pius aliàs Rex, & qui Christianam Religionem altè imbibitam per totum Regnum dilatari semper optasset, cum populum reuocari posse videret à pristinis erroribus; nullum omnino lapidem non mouit, quo Christum barbaris mentibus ingereret, & firmiora Euangelij fundamenta in cordibus eorum iacere posset. Sed pergit idem Auctor eodem loco. [d] *Messis quidem multa, operarij verò pauci. Quamuis enim nonnulla Christianorum reliquiæ in Suecia permansissent: attamen petendi erant ex Bremensi Metropolitano magis idonei Doctores, qui verbum Domini rectè tractare didicerant. Quo circa optimus Rex Ericus Stenchyllus missis solemnibus legatis, ab eodem Metropolitano, qui tunc erat Agadarius, aut eius successor, impetrauit ad se duos sanctissimos Pontifices in diuina lege doctissimos confestim emitti, videlicet Adalbardum, & Stephanum: qui tanto honore à Rege, & populo excepti fuerunt, vt ab omnibus maiorem assequi non potuissent. Prædicabant Christi Euangelium continuè, & diligenter: crescebat quotidie cum magno fructu diuini verbi plantatio: baptizabatur magna populi multitudo; tantúsque omnium ardor ad Baptismum erat, vt euolutis paucis diebus, nulli aut paucissimi Incolæ in vniuersa ciuitate Birchensi (quæ tunc frequentissima erat) inuenirentur, qui Christiana militia adscripti non essent, quemadmodum in historia Pontificum Vpsalensium diffusiùs ostendere curaui.* Hactenus ex Olao magno desumpta. Porrò Stephanum Cisterciensem Albastræ Monachum idem non minùs Auctor [e], & ante eum Ioannes magnus [f], ex quibus plures alij [g] testificantur. De Adalbardo aliquale dubium subest, & cum non videam expressum ab antiquis, neque affirmare ausim, neque negare. 6.

d Vbi suprà.

e In append. circa finem.

f In vitis Pontific. Vpsalensium, lib. 2.

g Vvionius lib. 1. ligni vitæ, c. 45.

7. Cæterùm quàm vetus vterque Sanctus Apostolorum imitator extiterit, non solùm credens Christum, prædicánsque, atque verbo, & exemplo alios ad Fidem trahens; verum & multa patiens pro eius nomine, vsque ad plagas, & verbera, & plura item in eodem nomine patrans miracula, & prodigia, quæ tandem adeò in gentem inualuerint, vt passi sint, quæ paulò antè adorabant, ignibus tradi Idola, ipsis cernentibus, consentientibúsque; primum ex eodem qui supra Olao Magno, posterius ex Alberto Crantzio accipe. Ergo de primo Olaus ita scribit [h]. *Non deerant illi pessimo humani generis inimico sua solicita artes, per quas tam ipsi Optimo Regi Erico Stenchyllo, quàm etiam Sanctissimis Pontificibus grauissimas persequutiones, & insuperabilia pericula passim, ab Incolis regni suscitaret: præsertim illis, qui de sanguinis nobilitate magis, quàm de virtute gloriabantur. Hi enim videntes Christi legem suis operibus contrariam, cœperant eius assertores, primò occultè, dein palam apud simplicem, & ignarum populum, multis calumniis, atque improperiis afficere: ita vt Rex ipse vnà cum Pontificibus publico vulgi clamore peteretur, quasi non esset veri Dei cultor, sed nouorum Dæmonum annuntiator. Tantúmque vesani populi furor à Proceribus excitatus inualuit, vt Christiani Pontifices comprehensi, & virgis cæsi, ac plurimis iniuriis affecti, ex Vpsala, ad Bircam duarum dierum itinere redire compulsi*

h Vbi suprà

compellerentur: Cum interim Rex nunc huc, nunc illuc fugitando latebras captaret, nolens manus suas sanguine ciuium contaminare.

8. Hactenus quod pro Christo datum pati viris Sanctissimis: at miracula per ipsum perpetrare, tandémque in ipso, atque ipsi cunctos vincere, etiam donatum fuisse, ex his, quæ Krantzius tradit, atque ipsius etiam verbis lector accipiat [i]. *Stinkel*, ait, (sic enim vocat Stenchyllum) *optimus Rex Sueciæ sceptris succedit: cui id laudis vel maximè tribuitur, quòd in diebus illius Christi Religio maximum in Regno acceperit incrementum: exterminatis Idolis, quibus gens illa præ multis aliis dedita fuit.* Et pauló inferiùs. *Sed ille Rex, cuius tempore nunc scribimus Stinkel, consequutus est, cum Sanctos Pontifices asciscerent, vt ipsi coram populo stupenda mirabilia perpetrarent. Quibus visis in eam sententiam victi populares, perductique sunt, vt paterentur sua Idola concremari: quæ, cùm sibi auxilio esse non possent, cui tandem opitulari poterunt?* Hactenus Krantzius, & miracula stupenda patrata narrans, & per ea Christo acquisitam illam prouinciam. Neque nos plura de Apostolatu Stephani, Adaluardíque, cum Ioannem Magnum, qui fortè plura tradit, nancisci non potuerimus. Alia eius Acta, quæ in aliis inueniuntur, per tres, & viginti annos, quibus præfuit, suis singula locis referemus.

i lib. 5. Sueciæ c. 12.

Interim adnoto, dispersos iam per Orbem Cistercij Monachos, nulla prorsus obsequia detrectantes, veros Bernardi filios, quibus possent Ecclesiam promouere: nunc in Schismaticos, nunc in Sarracenos, nunc in Gentiles: atque in hos omnes exerentes vtrumque gladium: nunc per Militias rebelles occidendo: nunc per Apostolatum, & miracula, animas dudum mortuas viuificando. Nec minus ideo Monasteria plena viris sanctissimis, qui per quietem, & otium contemplationis, Deum concilient: & dum singuli insistunt suis muneribus alij prælientur, prædicent, conuertant; alij victoriam, efficaciamque, & virtutem, dum puras manus in oratione leuant, cæteris impetrent. Sed iam qui hactenus Marthæ solicitudinem erga multa occupatam, & cuncta peragentem prosperè, vidimus; ad Mariæ amplexus, deliciásque, & filiorum Bernardi consolationes, pretiosas vitas, pretiosiores mortes, atque id genus alia, quæ hunc annum concernunt, transeamus. 9.

---

1. Mortem Rainaldi senis in Claraualle, 2. Oraculum ad Gaufridum Monachum, primùm, 3. mox visio ad ipsum facta: 4. sed humiliter de alio interpretata: 5. reclamante euentu: 6. Demum tabulæ sonus præcessere. 7. Qualis transitus Sancti. 8. De eo, & alio Conuerso gloriosa visio. 9. Gerardi Monachi. & Sacristæ puritas. 10. Mors. 11. Enarrandi, Magistri militiæ Templi, aduentus in Claramuallem. 12. Et læta vox, de cælo facta ad ipsum.

CAPVT IV.

1. HOC mihi caput Clarauallis impleat, illustrata natali Sancti Rainaldi, quem in hunc annum incidisse credimus: nempè octauum ab illustri illa visione, quam anno M.C.LV. commemorauimus: sic enim in Exordio magno tradit, [a] qui cunctis affuit. *Nam visionem, quam per octennium ferè silentio presserat; paruo tempore, id est, quadraginta, si bene memini, diebus ante obitum suum, inuitus, & quodammodo coactus, mihi, licèt indigno, patefecit.* Itaque hoc anno octauo ab hac visione, diuina prouidentia effectum est, vt eam, idem, qui vidit, patefaceret, antequã moreretur, ad honorem, & gloriam Mariæ Virginis, & Cisterciensium, imo omnium Monachorum consolationem. Cæterùm, quæ pretiosam eius mortem admiranda præcesserint; quales reuelationes, & oracula, tum ad Gaufridum, post Sorensem Præsulem, cuius suprà meminimus; tum ad eundem Rainaldum facta sint, ex eodem authore Exordij præstat describere.

a lib. 3. c. 11.

2. [b] *Contigit* (ait) *vt frater quidam spiritualis, quem vnicè in Christo diligebat* (scilicet Gaufridus) *grauiter ægrotaret: eratque languor fortissimus, ita vt mori putaretur. Vbi prædictus vir mærore nimio contabescens, vt verum se comprobaret amicum, lachrymosis precibus ardenter insistere cæpit pro recuperanda dilecti amici sospitate; & stabat in confractione in conspectu Domini. Laboranti verò continuò in gemitu suo astitit quidam per visionem, & ait. En frater ille, pro quo sic affliceris, sanitati restituetur. Sed tamen alter quidam, quem æquè spiritualiter diligis, loco eius migraturus est.* Hæc in Exordio. Porrò hunc fratrem, ad mortem infirmatum, eundem esse, cui Rainaldus narrauerat visionem; Rainaldum verò, qui tunc non ægrotabat, subrogandum pro ipso iuxta oraculum; quæ alio in loco describit idem Exordium ex persona infirmantis; simul & gloriosam aliam visionem, venerabili viro ostensam, de seipso, quò securior migraret, declarabunt.

b lib. 3. c. 11.

Euolutis diebus quatuordecim (scilicet à visione prima manifestata, vigintiquatuor ante viri Dei obitum) *apparuit ei* (*nimirum Rainaldo*) *per visum ipsa eadem Regina Cælorum, & Domina Angelorum, inscindens, ac præparans ei ornamenta candida, & pretiosa, quibus in proximo vestiendus erat. Quæ cum præparasset, colligauit in vnum, & recedens detulit ea secum. Quod cum ille vidisset, subsequutus est eam, clamans post tergum eius, & dicens. Eia Domina mea desideratissima, quando habiturus sum illa, quæ mihi præparare dignata es ornamenta? Cui Sancta Dei Genitrix ait; quando venies ad me, tunc recipies ea.* Hæc Raynaldi senis læta visio, sed qua se indignum prorsus cùm nec putaret; & aliàs illum, cui retulerat priorem, desperatè ægrotantem cognouisset, quam sibi persuadebat pro ipso factam, eidem etiam censuit referendam. 3.

[c] *Manè igitur facto* (pergit, qui narrat) *introiuit ad me ipse Dei seruus, tãquam infirmum visitaturus. Ego enim ægrotabam tunc penè vsque ad mortem; & erat languor fortissimus, ita vt de sospitate mea etiam Medici desperarent. Die enim præcedenti Oleo infirmorum inunctus fueram, quoniam credebant me citò moriturum. Ille verò cum venisset ad me, multo pieta-* 4.

c Vbi suprà.

tis

tis affectu compassus est mihi; & vt posset me aliquatenus consolari, retulit mihi istam, quam in eadem nocte viderat, visionem; reputans scilicet, atque denuntians, quia non propter ipsum, sed propter me facta fuisset ad ipsum. Erat enim humillimus corde, & nihil tale præsumens de sua sanctitate. Cui ego mox respondi. Noli, quæso, Pater amantissime, noli benedictionem tuam interpretatione sinistra à te alienare. Ornamenta, quæ sunt ibi cælitus preparata, nunquam alterius erunt; sed miserante Deo, salua tibi, & integra permanebunt; tu verò piissimam illam Visitatricem tuam instanter efflagita, vt in beneplacito misericordia sua alia quæcumque voluerit, mihi preparare indumenta dignetur. Potens enim, atque benigna est, diues in omnes, qui inuocant illam.

5. Restabat adhuc implenda Gaufridi visio, quæ posteriorem Raynaldi, satis quamuis apertam, declararet. *Quid plura?* (pergit idem, qui suprà, author) *ego, qui morti proximus æstimabar, nollem, vellem, reuocatus sum ad tolerandas vitæ huius ærumnas: ipse verò, qui sanus videbatur, atque incolumis, non ampliùs quàm viginti dies posteà superuixit.* Sic ille, qui euasit mortis periculum. Neque aliter qui visionem Godefridi retulit [d]. *Nam conualescente illo, qui morti proximus videbatur, defunctus est in ipso tempore senex quidam Venerabilis, & Sanctus, Renaldus de Cluniaco dictus, quem, & ipsum miro affectu in Christo diligebat.* Hæc de completa vtraque visione per Sancti viri obitum, quem tamen alia signa præcessere: illud præcipuè Cistercio familiare, de tabula pulsata, auditáque, nullo prorsus pulsante, quod sic prosequitur.

d lib. 3. c. 12.

6. [e] *Non est autem silentio prætereundum, quod iste vir Dei ante sextum suæ dormitionis diem, dum in Ecclesia solus, post Completoriũ orationi instaret, repente pulsata est in auribus eius tabula defunctorum duobus ictibus tantùm. Quo ille audito, statim exiliit, & petiit infirmitorium, putans ibi aliquem de fratribus infirmis esse moriturum. Sed cum certius cognouisset, nullum ibi tunc in extremis positum, venit ei in mentem, quod ipse esset propter quem signum hoc factum fuisset; & quod in sonitu tabulæ sua sibi migratio significaretur. In hac igitur memoria mortis subitò totus intremuit, inuasitque eum tremor, atque horripilatio carnis, & cœpit illicò febricitari.* Hoc signum inter nostros, & olim frequens, & à principio multoties repetitum, ad nostra tempora vsque perdurasse; vltra ea, quæ superiùs dicta sunt, sequentia etiam manifestiùs declarabunt.

e lib. 3. c. 11.

7. Gloriosa signa, gloriosus item finis sequutus est, inter verba salutationis Angelicæ, animam exhalantis, senis emeriti; haud dubiè, quin ad Mariam præsentem dicta, quæ spiritum egredientem in cœlos deductura præstolaretur. Certè Raynaldus fidei confessionem morituris ex more suggerendam non oblitus, sed velut transcendens; dum *Credo in Deum* audiret cantantes fratres, *Aue Maria* intentior resonabat. *Et ingrauescente morbo, tandem ad extrema perueniens, Beatissimæ Virginis Matris salutationem, quam antea semper frequentare solebat, quandiu lecto decubuit, penè incessanter corde, & ore voluebat; atque cum verbis dulcissimi oraculi fœlicem animam exhalauit.* Hic Sancti viri transitus gloriosus, hæc ab humanis ad cælestia fœlix migratio fuit.

8. At non solus in Regnum intrauit, qui plures Christo, dum vixit, lucri fecerat; & quem visiones gloriosæ præcesserunt, eædem neque minus gloriosæ, sequutæ sunt. [f] *Contigit enim Conuersum quemdam Religiosæ conuersationis, & boni testimonij virum, ipsa die migrare ad Dominum, ita vt amborum exequiæ simul celebrarentur, & in eodem mausoleo ambo pariter tumularentur. Et dum ista fierent, viro cuidam spirituali demonstratum est in visione, quod duo pulcherrima templa fabricarentur in Claraualle, vnum in infirmitorio Monachorum, alterum in infirmitorio Conuersorum: sed primum illud hoc altero longè nobilius erat, atque venustius. Constat igitur, quia in gemina constructione templorum, & in ictu tabulæ mortuorum, designata est euidenter pretiosa in conspectu Domini mors amborum. Templorum autem differentia, meritorum distantiam indicat. Quia, quamuis vtrumque sanctum, tamen alterum altero sanctiorem existere credimus apud Deum. De cuius misericordiæ thesauris tantum quilibet eorum accepit, quantum Mater gratiæ impartiri dignata est.*

Ibid. c. 11.

Raynaldum, & Conuersum, de quibus hactenus, Gerardus Monachus, & sacrista sequutus est, corpore virgo, nec minus mente purus; & qui non minus mortis suæ certior per signum tabulæ; quò paratior, securior: & quò vrgentioribus doloribus attritus, eo gloriosius de morte triumphauit. Transeuntem ad Patrem post paucos dies, idem Exordij author [g] ita describit. *Eodem mense quo prædictus Dei seruus migrauit ad Dominum, contigit ibidem tale aliquid factum. Erat in eodem Monasterio Sacrista quidam, nomine Gerardus, vir moribus pollens, & bene Religiosus. Hic, iuxta Prophetæ [h] consilium, iugum Domini portauit ab adolescentia sua, & leuauit se super se. Qui cum adhuc tenellus esset, & fragilis, [i] manum suam ad fortia misit. Lactatus itaque mammillis [l] Regum, & casta disciplina fæliciter educatus, creuit, atque profecit semper in melius, & magno Dei munere, carnis corruptionem (sicut familiares eius testantur) nunquam fuit expertus. Appropinquante autem hora, qua de mundo ad Deum transire debebat, die quadam, cùm in Ecclesia post Completorium more solito remaneret, factus est repentè sonus in auribus eius, ac si tabula morientium crebris ictibus percuteretur. Quod cùm ille audiret, putauit quempiam Fratrum in Infirmitorio tunc obire. Post paululum verò vbi certissimè comperit, quia sonitum illum nullus hominum fecerit: subiit animum eius tabula illa prognostica, quam vir Dei Renaldus ad indicium suæ dormitionis audierat; iam enim exierat iste sermo inter fratres, & stupidos, attonitósque reddiderat vniuersos.* 9.

g Cap. 12.

h Thre. 1.

i Prou. 31.

l Isai. 60.

Dum ista cogitaret, ascendit in cor eius, quod ipse per signum illud, mortis debitum soluere cogeretur. In hac autem memoria mortis, subito pili carnis eius inhorruerunt, & timor, & tremor venerunt super eum; protinus ergo eum inuasit peremptoria febris, & infra decimum diem morte consumptus, fæliciter emigrauit. De cuius pia deuotione, illud silere non possumus, quod quasi diuinitus factum, ab eo, vel potius in eo miraculum vidimus, & gratulati sumus. Nam cum vltimum spiritum traheret, & iam vires loquendi non haberet, tribus aut quatuor fermè horis manus iunctas, atque protensas tenuit immobiles contra Crucem, ac si aliquo fune colligatæ essent. Et cùm cætera corporis membra huc, atque illuc vrgente dolore crebriùs iactitaret, manus tamen, quas, (vt diximus) tendebat ad Crucem, nunquam adinuicem separauit, nunquam ampliùs ad se retraxit. Et quod viuens sæpiùs actitasset etiam mortuus indicauit. Hactenus ab Exordio magno sumpta, quæ gesta in Claraualle circa hunc annum, cum eam domum, quartus à Bernardo regeret Godefridus eius Notarius; & duo alij Godefridi, Gaufridive eandem illu 10.

illuſtrarent, ſenex,& iuuenis,vterque ſanctus, atque vterque Pontifex,alter futurus,alter iam emeritus: hic, qui ceſſerat ſede Lingonenſi:ille quem Sorenſis præſtolatur.Sed de his ſuis locis,hic ille, credo, Claræuallis Sacriſta eſt, Sancti Ailredi amicus,de quo ipſe in libris de amicitia [m], *De illo ſuo amiciſſimo, antiquo ſcilicet Sacriſta Clarauallis*, &c.

m lib.3.ad medium.

11. At pro his, quos in cœlum præmittebat, vltrò venientes alios ſubrogabat.Inter quos primus, vel inter primos fuit,nobilitate,potentia, atque virtute ſatis illuſtris,prudentia ætate, & moribus maturus,nomine Enarrandus, ex illuſtri Magiſtro militiæ templi, humilis tyro ſuſceptus in Claraualle.Conuerſionis illius annus incertus, verum non longè diſtans: Quippè qui diu in Claraualle viuens, ante Exordium conſcriptum iam migraſſet: quandocumque de eo hæc ſcripta video [n]. *Inter Athletas Chriſti, qui ſpirituali paleſtra in ſtadio Clarauallis exercitabantur, erat ſtrenuus quidam agonotheta Enarrandus, nobilis quondam in ſæculo miles,qui relicta mundiali pompa, vanam militiam cum fructuoſa militia Chriſti commutauit. Militibus namque templi Domini ſociatus, & apud ipſos fidelis inuentus, Militúmque Templi Magiſter effectus eſt In quo officio induſtriam animi, viréſque corporis, quas à Domino acceperat,non in ciues, ſed in hoſtes vibrare didicit, & de ſtrenuitate ſua non plauſum terræ, ſed præmium cæli ſperare conatus eſt. Quia verò eadem militia Mariæ otium neſciens, tota erat in laborioſis negotiis Marthæ (quæ ſine puluere delictorum vix, aut nunquam peragi poſſunt) vt in ſacratioris adhuc militiæ Sacramentum intraret, Claramuallem ſe contulit. Vbi, ſicut antea priorem militiam ſecunda nobilitarat, ſic tunc ſecundam tertia ſuperauit.*

n lib.4.c.31

Cœpit namque robur corporis non exercere, ſed frangere ieiuniis, vigiliis, & laboribus multis, propriæ quoque voluntatis mortificationi intendere. Voluntariæ verò paupertatis (quæ etiam Chriſtianæ Religionis vera militia eſt) amatorem ſe præbens, ſedulus in cordis compunctione, & oratione,pro præteritis erratibus ſuis, Chriſti Domini miſericordiam quotidianis lamentis enixius implorans. Cúmque talia diutius actitaret, factus eſt ſecundum Prophetam [o], vir videns paupertatem ſuam in virga indignationis Domini. Demùm volens iam pius Dominus lactucis agreſtibus,id eſt,amaritudine pœnitentiæ eius azymos panes, id eſt gratiam conſolationis adiungere, ſine quibus Agnus æternæ vitæ mandi non poteſt, tali modo indulgentia ſua largitatem, mœrenti, ac affligenti ſe prærogare dignatus eſt.Cùm eſſet aliquando poſitus in oratione,præueniens faciem Domini in confeſſione; & obſecratione pro peccatis ſuis,raptus eſt ſubitò in exceſſum mentis, viditque Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum manſuetiſſima voce dicentem ſibi. Dimiſſa ſunt tibi peccata tua. Mox verò ab ecſtaſi dimiſſus,& in ſe reuerſus, conſolatus eſt vehementer, & gratias agens Deo,didicit de cætero [p] ſeruire Domino in timore,& exultare ei cum tremore. Fœlix,qui tale reſponſum habere meruit, abſolutus, ſi ita fas eſt loqui,ante iudicium. Atque eò inſtantiùs pro aliis petiturus,quò pro ſe minùs; cùm iam impetrauiſſet,quod exoptabat. 12.

o Ierem.3.

p Pſal.2.

---

1. *Abbas quidam Fuſniacenſis cedit.* 2. *Contemplationi vacat in Claraualle.* 3. *Miſerè in dubitationem fidei labitur.* 4. *Reſurgere conatur, neque præualet.* 5. *Præ triſtitia in morbum incidit.* 6. *Fuſniacum deducitur.* 7. *Tandem in fide firmatur ante deceſſum.* 8. *Dubium an hic Rainaldus,de quo ſuprà.* 9. *Huberti Comitis diſſidium cum B. Antelmo.* 10. *Sanctus Petrus Tarantaſienſis ad vtrumque legatus ab Alexandro, atque mira conſtantia vtriuſque Sancti.*

CAPVT V.

1. IISDEM temporibus,quæ rerum humanarum conditio eſt, triſtia lætis, & proſperis infauſta ſemper admiſcens, venerabilem ſenem in Claraualle ex Bernardi diſcipulis exercebat tentatio:quin non tam exercebat, quam ſuperabat. Et ſcrutator nimius maieſtatis, opprimendus omnino à gloria fuiſſet, ſi non ex intentionis puritate miſericordiam; tum ex miſericordia præuentus gratia,admiſiſſet auxilium, quo caſus ipſe, vt piè credendúm eſt,in meriti materiam,adeóque in præmij augmentum côuerteretur.Glorioſa hucvſque in Authore Exordij,tutáque: iam ſuborientes, vel in ipſa luce tenebras; & in tuto, pericula pandamus. [a] *Erat in Claraualle ſenior quidam puriſſimæ Religionis, qui ſub venerabili Patre noſtro Bernardo in eadem ſancta Domo multis etiam ſimplicioribus exemplum perfectionis contulit ſtrenuus eiuſdem Beatiſſimi Patris imitator effectus; & in quotidiano virtutum ſtudio deuotus. Qui ob ſapientiæ ſuæ grauitatem, conſilij maturitatem, eximiaque conuerſationis ſanctitatem, non tantùm ſibi ſoli, ſed etiam aliis quoque prodeſſe poſſe iudicatus, Fuſniacenſis Eccleſiæ, quæ eſt vna de dignioribus, & magis religione conſpicuis filiabus Clarauallis, Abbas conſtitutus eſt. Poſitus ergo in honore, ipſius quoque honoris pondus aſſiduè penſans, ne ſecundùm Prophetam periculum honoris non intelligeret, Paſtoralis officij dignitatem, humilitate, quæ ſpiritualem virum decebat,adminiſtrabat.*

a lib.6.c.1.

2. *Tandem laborioſæ Prælationis ſollicitudini ſeniles humeros ſubducens, Rachelis quantò ſterilius, tantò iucundius connubium, Liæ, licet fœcundis, ſed tamen valde periculoſis prætulit amplexibus. Ad ſuam itaq; Claramuallem reuerſus, ac velut haud degener pullus,nidulo proprio reſtitutus, quotidiana conuerſationis ſuæ diſcuſſione,motus, & affectus cordis ſui, dudum,Prælationis occaſione,quaquauerſum ſparſos, ad ſe recolligebat. Exemploque Sanctiſſimi Patris ſui Benedicti habitabat intra ſe, ſemper ſpiritualibus ſtudiis intentus. Et à ſtrepitu garrulæ occupationis ſequeſtratus,Orationi, Lectioni, Compunctioni, Sacræque Contemplationi operam dabat;ſciens aduerſus virulentas ſuggeſtiones mundialis pompæ,carnaliſque illecebræ,efficacius his non eſſe antidotum. Porrò continuæ meditationis aſſiduitate prouocatus, ſuauitatéque illectus,cœpit iam Sanctæ Côtemplationis ſtabilitate,Diuina quæque Myſteria ſcrutari,ſcrutando iucundari; exultans in iubilo cordis, dicénſque cum Pſalmiſta Domino [b]. Mirabilia teſtimonia tua Domine,ideo ſcrutata eſt ea anima mea.*

b Pſal.118.

Quia

3. *Quia verò salutarem hostiam, per quam redempti,& reconciliati sumus Deo Patri,cum fructu bonorum operum sedulus immolabat; altitudinem imperscrutabilis huius Mysterij tanto dulcius contemplando ruminabat, quanto id frequentius altissimam Dominica passionis humilitatem repræsentando iterabat. Sed ô vtinam! sicut pius,ita etiam cautus,& timoratus contemplator esse curasset! præsertim in tam mira profunditate tantorum Mysteriorum, vbi omne rationis humana deficit argumentum; solùmque sacra fidei consulitur oraculum.Nam cum admirando pensaret,& pensando admiraretur, quonam modo panis, & vinum in verum corpus, & sanguinem* IESV CHRISTI *Domini nostri,& Redemptoris, transubstantiarentur plusquam oportebat perscrutabundus,rationisque oraculo insolentiùs innixus,sacrum Mysterium arcano Fidei commissum,rationis temeritate discutere præsumptuosè tentabat. Quoniam verò prædictus senior minùs considerans sapientis* [e] *consilium,qui mel inuenientem parcius edere, suadet, ne fortè satiatum emouere illud contingat: Apostolum etiam monentem, non plus sapere, quàm oportet sapere: sed sapere ad sobrietatem: dum Sancti Mysterij dulcedinem (ipsis etiam Angelicis spiritibus imperscrutabilem) auidiùs rimaretur, & scrutaretur, summæ Maiestati debitam reuerentiam non exhibens; impegit in lapidem offensionis; & Dominus in ira declinauit à seruo suo. Iustóque Dei omnipotentis iudicio,de certitudine fidei,cecidit in opinionis ambiguum; ita vt quod ratione comprehendere non poterat, impossibile esse, præsumptione cæcatus æstimaret.*

c Prou.25.
Rom.12.

4. Hactenus miserabilis casus senis emeriti, quem de Bernardi Patris imitatore, in abyssum miseriæ, & tenebrarum, incauta nimium præsumptio præcipitauit.Nec defuit homini in deliciis gratiæ nutrito conscientiæ vermis, qui deuium retineret, vel reuocaret. Sed quod ignorans olim Poëta [d] cecinit:

———facilis descensus Auerni
Sed reuocare gradum, superásque euadere ad auras:
Hoc opus, hic labor est.

d lib.6.Æn.

Vbi primùm (pergit, qui suprà author [e]) *incautus ille contemplator hoc dubietatis malum, clandestinis animæ suæ motibus irrepere deprehendit, totus intremuit; nisúsque vigore mentis,tenebras diabolicæ versutiæ discutere, non potuit.* Hæc de ruina penè desperata.

e Ibid.

5. Cæterùm qualiter viro electo, vt piè credimus, non tentatio tantùm,verùm & casus, cooperante Deo, in bonum conuersa, & pristinæ charitatis ignis, veluti fumans, vt non omnino præualuerit ardore,flammas tamen cælestes sollicitauerit: in eorum qui ceciderunt, consolationem, si tamen se cecidisse,vt debent,doleant; ex eodem authore describamus. *Ille ergo miserabiliter marcescens, & contabescens in semetipso, præ angustia spiritus, violentia tentationis; sacrísque Mysteriis, quæ antea deuotissimè celebrabat, approximare non audens; atroci huic passioni, se,merito præsumptionis suæ,addictum esse gemebat. Miro namque modo errorem suum recognoscebat,& dolebat; nec tamen ipsius erroris nubilum discutere poterat. Et sicut de Beata Maria Magdalena Sanctus ait Papa Gregorius, amabat,& dubitabat. Quantóque prioris deuotionis suæ synceritatem recordabatur, tanto peruersæ opinionis suæ cæcitatem plangendo detestabatur. Augebatur per dies perniciosæ huius tentationis calamitas; nec solum interiorem, sed & ipsum quoque exteriorem eius hominem occupabat. Ita vt deficiente pariter vigore mentis, & robore corporis, in Infirmatorio frequenter pausare, necessitatémque suam, quomodo poterat, transire cogeretur.*

6. *Audientes autem spirituales quondam filij eius, fratres videlicet Fusniacenses, dulcissimum quondam Patrem suum tali mœrore, & afflictione oppressum: venerunt ad eum, blandísque precibus persuasum, cum multa reuerentia Fusniacum reduxerunt; si fortè officiosa charitate ipsorum recreatus, aliquantulum emolumentum calamitatis suæ caperet; & de angustia tentationis, qua vehementer vrgebatur, respiraret. Verum sicut eleganter Poëta* [f] *canit.*

Cœlum non animum mutant, qui trans mare currunt.

f Horat. li.1. epist.11. ad Bullatium.

Et sicut Sapiens perhibet [g], *quoniam nemo corrigere valet,quem Dominus neglexerit,nec loci mutatio, nec fratrum illorum fauorabilis exhortatio, tentationis aculeum de præcordiis Senis illius euellere potuerunt. Quia nec dum venerat tempus miserandi eius: sed temerariæ præsumptionis durior adhuc instabat cruciatus.* Hactenus lucta Senis venerabilis, nec desperati,quandiu sic dolebat: nec resurgentis, dum adhuc dubitabat.

g Eccl 7.

7. Sed vicit tandem in ipso gratia Dei: nec permisit morientem pro vera fide (nam ea, & morbi, & mortis occasio fuit) dubium in Fide mori: seu minus firmum. *Itaque* (ait [h]) *vsque ad vltimum penè terminum vitæ suæ in hoc frixorio blasphemiæ, dubietatísque confrixus; tandem,miserante Domino,lumen Fidei recepit. Tantò vtique humilius de cætero credulitatis stabilitatem retinens, atque ab inquietudine illiciti scrutinij contemplationis oculum retrahens, quantò Deum superbis resistere, præsumptoresque reprimere,propria calamitatis experimento didicerat.* Hactenus ibi. Explicata victoria diuturnæ luctæ: sed omnino suppresso victoriæ modo. Non decuit minùs,aut aliter dolere, qui aliquando de Fide dubitauisset, sed neque potuit permitti dubitationi, qui sic doleret. Conuenit viro cum reliquis Martyribus vltimum charitatis indicium, mors; conuenit, & occasio mortis, fides; nisi quòd illi à tyrannis, hic à se ipso; & illi quidem occubuere,ne negarent; hic propria morte luebat, quod dubius fuit.

h Ibidem

8. Quis fuit hic Abbas Fusniacensis, in dubio est, & sunt qui Raynaldum, seu Ramaldum putent, Bernardi socium, tum Parisiis, tum Mediolani, quem tomo præcedenti commemorauimus. Et tempus,atque aliæ circumstantiæ satis concordant, vt non sit vnde contrarium conuinci possit. Certè Raynaldum inter SS. Cistercij numerant, Ioannes Abbas, & Missale Ordinis vetus [i] *Reynaldus in Fusniaco*,vnde reliqui alij transcripsere.Henriqnez virum Menologio suo inseruit,ad vigesimum septimum diem mensis Aprilis. Ego, vt Reynaldum Sanctum nequaquam dubito; sic eundem, aut alium esse dicere,quando aliunde non constar,minùs audeo. Sit vtinam,qui hæc,& plura alia, quæ incognita nobis, addat his Annalibus, & abscondita quæque in lucem proferat.

i Miræus Orig. Monast. lib 5. cap. 15. Seguin. lib.3. c.1.

9. Interea, cum Humbertus Sabaudiæ Comes, à Bellicensi Episcopo Antelmo, ob Clericum occisum, anathematis gladio percussus, grauiter quereretur;se ex indulto sedis Apostolicæ soli Romano Pontifici subesse,priuatos Præsules,priuatis iura dare:supremos Principes,si deuient, a supremo, sed non ab vllo alio coercendos: Esse modum in rebus constitutum,esse in clauibus; neque decere,

vt clauium occasione, quas de Dominis suis querelas habeant, subditi per censuras vltum eant: sed neque Episcopos quantumuis eximantur; à iure vassalitio, prorsus absolui. Hæc, & similia per se dum Comes allegat, Petrus Tarantasiensis electus est, qui Antelmum pacaret: atque Humbertum Ecclesiæ restitueret. Et erat Sanctus adeò obstrictus Principi, vt credi posset ab eo designatus, tanquam sibi per omnia delaturus. Venit, Vidit, Audiuit vtrumque simul; at neque absoluere fecit, neque absoluit; sed ligatum reliquit, atque discessit; constans, & obfirmatus aduersùm Comitem, quantumuis sibi charum: neque Alexandro parens, vbi comperit, ex irreptione præcepisse. Extat huius constantiæ testimonium in vita B. Antelmi, quod ita habet.

10. [k] *Non est autem prætermittendum, quanta iustitia authoritate, & constantia, suam in Comitem supradictum sententiam prosequutus sit. Cum enim Comes ille sedis Apostolicæ Pontifici significasset, se contra datum sibi priuilegium, à Bellicensi Episcopo excommunicatum, idem Pontifex mandauit Beato viro, per Tarantasiensem Archiepiscopum Petrum, & alium quendam Episcopum, vt charissimum filium suum Comitem Humbertum, quem satis temerè excommunicasset, absolueret. Ipsis etiam iisdem Episcopis præcipiens, vt, si nollet Antelmus, cuius constantiam nouerat, ipsi eum absoluerent. Veniunt Episcopi, adferunt mandata à Pontifice, multis hortantur verbis, vt summo Pontifici debitam præstet obedientiam, & irati Principis animum impendenda absolutione sibi conciliet. Ille respondet: Qui iustè ligatus est, solui non debet, nisi priùs per pœnitentiam satisfaciat illi, quem læsit.* Et post pauca. *His auditis, Episcopi discessere, nec quamuis id mandatum illis esset, Comitem fuere ausi absoluere.* Porrò, quam iustè ante satisfactionem, ab Antelmo petitam, non absoluerint, vel inde constat, quod postmodum absolutus ab Alexandro. *Non tamen Comes pro absoluto se habere, neque Ecclesiam ingredi ausus fuit; donec coram Sancto viro (Antelmo) sese humilians, & satisfactionem pollicens, ab illo absolutus; & Ecclesiæ restitutus fuit.* Hæc de constantia vtriusque Sancti Præsulis, quia in Actis Tarantasiensis omissa sunt, operæpretium duxi hic transferenda.

[k] apud Sur. mense Iunio. cap.11.

---

1. *Chronologia Ecclesiarum præsentis anni.* 2. *De Sora dictum,* 3. *& quis eius fundator,* 4. *& primus Abbas,* 5. *à quo meritis claro, atque miraculis, Monasterium vocatum Sancti Dominici.* 6. *Dubium de tempore Cistercij in eo admissi.* 7. *Aliorum Cœnobiorum breues notitia.* 8. *Armentaria antiquioris etiam domus.* 9. *Alfonsi Imperatoris larga dotatio.* 10. *Et primus Abbas Ero, ad hunc annum Cistercium induens.*

CAPVT VI.

1. VLTIMO loco recensenda pro more nobis Chronologia Ecclesiarum, quæ iam hoc anno in copiosiorem fructum respirat: quippe octo enumeratis fundationibus; queis aliæ duæ addendæ, quarum alteram tactam in superioribus, in hunc locum, vt proprium, reseruauimus: altera in Chronologia longè postposita, quamuis non constet de certo anno vnionis (nam vtraque antiquior, sub nigro habitu) vix, aut ne vix, iam potest vltra differri. Hæ posteriores, de Rute, siue de Roda in veteri Castella; & de Curatio in Calabria; vtraque nota: illa Sancti Prudentij corpore insignis, hæc Abbatis Ioachimi præfectura. Priores, nam de his primum agemus, eadem Chronologia ita recenset.

Anno M.C.LXII. Idus Iulij Abbatia de Sora.

Eodem anno III. Kalendas Augusti Abbatia Tutauallis.

Eodem anno Kalendas Augusti, Abbatia de Ripheshem, vel Vsphesheme.

Eodem anno Kalendas Nouembris, Abbatia de Casania.

Eodem anno III. Nonas Februarij, Abbatia Palatij S. Mariæ.

Eodem anno, Abbatia de Bono loco Burdigalensis.

Eodem anno, Abbatia de Armentariis in Hispania.

Eodem anno Abbatia de Castellariis. Hactenus octo Ecclesiarum, quæ hoc anno accreuerunt Cistercio, nomina.

2. Breuem eorum omnium tractationem fœliciter auspicatur nobis Monasterium Soranum, anno Millesimo, trigesimóque mundo exortum in loco celebri Ciceronis natalibus, de quo Cæsar Baronius, & ipse etiam Soranus, ita scribit [a]. *At verò, ne res patrias, intentus aliis ingratus nimis præteriens, videar contempsisse, dicendum de nobili Monasterio, hoc anno erecto in Sorano agro, illo ipso loco, vbi Tibrenus influit in Lirim, illustrato olim cunabulis Ciceronis, vt ipse testatur libro de legibus. Qui enim hoc tempore præerat Soranæ Ciuitati, atque Arpino Petrus Raineri filius, ipsum exigendum curauit.* Et infrà [b]. *Petrus igitur Rainerij filius patri succedens, sicut in Magistratu, ita & pietate, amplum suis sumptibus erigens Monasterium, idem suis bonis locupletauit. Extat de fundatione, atque dotatione tunc scriptum instrumentum, quod hactenus integrum asseruatur, in membrano antiquo Codice Abbatiæ Casæ-marij, quod legendum accepimus à Michaële Bonello eiusdem Monasterij Abbate commendatario, Sanctissima memoria Pij Papæ V. Pronepote: ex quo ista descripsimus.*

IN nomine Domini nostri Iesu Christi. Anno ab Incarnatione Domini nostri Iesu Christi Millesimo trigesimo, mense Septembris, indictione tertia decima ego Dominus Petrus Senior Sora, & Aprini, filius bonæ memoriæ Domni Rainerij, eiusdem Ciuitatis, & Domna Doda filia bonæ memoriæ Oderisij Comitis, vxor supra dicti Domini Petri, vnà cum eius voluntate, & absolutione bona, & spontanea voluntate nostra declaramus, quia dum quadam die cogitare cœpimus intra nosmetipsos, qualiter in peccatis concepti, & nati sumus, & qualiter ab infantia nostra die, noctûque, horis, & momentis innumerabilia peccata commisimus; & qualiter in illo terribili iudicio de omnibus factis nostris, & cogitationibus, Deo rationem reddituri sumus; & qualiter ab illo æquissimo Iudice vnusquisque recipiet secundum opera sua: Et rursus dum cogitare cœpimus, qualiter 3.

[a] Tom. 11. Annal.

[b] Ann. 1130.

ter impij,& peccatorum,qui hæc peccata sua redimere negligunt,in illam pauendam pœnam perpetuò cum Diabolo damnabuntur,& qualiter iusti,& electi Dei in illa æterna beatitudine cum Domino gloriabuntur: subitò respexit nos diuina pietas, & compunctum est cor nostrum cum tremore, & æstuatione cordis:& cœpimus cogitare, & quærere consilium à Sacerdotibus, & religiosis viris,qualiter innumerabilia peccata nostra redimere potuissemus; & ab ira æterni Iudicis, & pœna æternitatis euadere. Accepimus consilium ab eis,præter quàm renuntiare sæculo, nihil esse melius, quàm eleemosynarum virtutem, & de propriis rebus,& substantiis Monasterium construere, & ibidem cœtus Monachorum famulantium Deo coadunare; & ibi secundùm regulam & normam Beati Benedicti laudem Deo resonare, & vota persoluere,& omni tempore pro animabus nostris incessanter orare.

4. *Hoc consilium ab eis libenter,& ardentissimo amore accepimus,& cœpimus quærere inter nosmetipsos, vbi opportunum locum inuenire potuissemus. Et sic concedente Deo,inuenimus locum in finibus Soræ, vbi dicitur,* Inter formas,*quem habebamus in rebus proprietatis nostræ,per chartulam acquisitionis. Ibique nos ipsi Domnus Petrus, & Domna Doda simul, atque communiter vno animo, mente vna, nouo fundamento construximus Ecclesiam in honorem Domini nostri Iesu Christi,& Sanctæ Dei genitricis,& Virginis Mariæ:& tradidimus eam in manus viri venerabilis Domini Dominici Sacerdotis, & Abbatis; & ibi eum Abbatem constituimus, vbi Monasterium construxisset, & cœtus Monachorum Deo famulantium eo aduocasset,&c,* Hactenus Cardinalis Baronius ex instrumento omittens fundos, possessionesque,in dotem Monasterij atque donantium, & testium subscriptiones.

5. Non diu præfuit tenellæ plantationi Abbas Dominicus, quippe anno sequenti consummatus, Christi nimirum M.XXXI. sed cum tali opinione sanctitatis, cum tanta miraculorum frequentium gloria, acclamationéque; vt B. Virgini adtitulatum,vt notabamus,Sancti Dominici Monasterium
c Ann.1130. diceretur ab eius obitu. Quod idem Baronius subiungit totidem verbis.[c] *Accidit verò,vt idem Monasterium Dei Genitricis nomine erectum, defuncto Dominico, primo Abbate eiusdem, vita sanctitate celebri,& gratia miraculorum illustri, (quod secundum Leonem Ostiensem accidit anno sequenti) cœperit vocari nomine Sancti Dominici, quod perseuerat vsque in hunc diem: quod & idem Leo testatur, nósque suo loco dicturi sumus, anno sequenti. Extat ibidem diploma Innocentij Tertij,anno IX. eius Pontificatus datum: in quo ibidem Monasterium nominatur simul Sanctæ Mariæ Virginis, ac Sancti Dominici.* Ita Baronius. Porrò de eodem Sancto viro Dominico,anno, quo diximus, gloriosè consummato,hoc multo ante ipsum, in chronico Casinate,Leo Ostiensis.[d] *His diebus*, anno scilicet Domini M.XXXI. *B. Dominicus, innumerabilium patrator mirabilium, multorumque Cœnobiorum Fundator, apud Soram Campaniæ ciuitatem iam fermè octogenarius migrauit ad Dominum, sepultusque est in Monasterio Soræ vicino, quod nunc eiusdem vocatur nomine.*
d lib.2.c.61.

6. Hoc initium Sorani Monasterij,quod trigesimo secundo anno supra centesimum,à primo sui ortu, hoc ipso dicitur Cistercium admisisse. Quamuis in hac admissione, vt verum fatear, duo mihi se dubia,nec leuia ingerunt. Alterum est, quòd domus aliàs celebris,non certa mater,non linea repetiatur in cunctis tabulis:alterum, quod post annos sexaginta eiusdem Soranensis Ecclesiæ Monachi dissolutè viuentes, ac bona Monasterij dissipantes, cum nulla vi potuissent coërceri, adeo in reprobum sensum dati dicantur, vt Abbatia ipsa supprimenda summo Pontifici Honorio visa sit, vniendáque Monasterio Casæmarij, sicut ex litteris eius ostendemus,cùm tempus venerit.Quamuis autem & hoc sub Cistercio potuerit contigisse,quod non negabo. Haud tamen facilè, sub Ordine florenti, sanctóque Monasterium in confinio aliorum positum, nec longè ab vrbe dissitum dissolutissimum deuenisse credam; vt ne amoti atque aliò transmissi Monachi coërceri valuerint; quin tanquam canes ad vomitum reuersi; irretiti censuris, ad altare accederent; atque alia putarent scandalosa, quæ in eadem Bulla continentur. Demum quod ipse Honorius Papa præcipit Abbati Casæmarij, vt idem Monasterium informaret secundùm Cisterciensis Ordinis instituta, argumento est; alienum ab eis hactenus, tunc primùm illis cœpisse subiacere. Crediderim itaque Soranum Monasterium Sancti Dominici nequaquam suscepisse Cistercium ante id tempus; sed grauitati, & antiquitati ipsius datum,vt anteriori in Chronologia nominaretur: imò, vt nominaretur absolute, cum aliàs Abbatia in eo suppressa, vt ibidem videbimus,non foret inter alia commemorandum. Meminit huius Monasterij Miræus, Baronium referens,in Chronico Cistercij, quasi hoc anno fundati,quod minus probo.

Reliquas domos breuiùs pertransibo. Tutamvallem in Noruegia fundatam video, filiam Heriuadi,siue Granadij, de linea Cistercij, in Diœcesi Herchadensi,sic enim nominatur in libris Cameræ,& in Genesi Ecclesiarum Cisterciensium. Rifestem auget lineam Morimundi filia Bolcolderoth,quam in Turingia fundatam Tabulæ notant. Sic & Casania, Bonus-locúsque, de linea Pontigniaci:quarum priorem S. Sulpitius, posteriorem Ioiacum genuere. Casania in Lugdunensi Diœcesi sita memoratur;in qua anno M. C. XCIV. sepelitur Rogerius, Comes Carcasonensis, cuius, inter multa alia legata, seruatur hodieque tabula aurea, multis pretiosis lapidibus distincta. Bonus-locus Burdegalensem Diœcesim occupat. Quamuis extet & alius Bonus-locus Gemonicensis,qui Monachis acceptis ex Dalone, non minus venit Pontigniaco adscribendus. Palatium Sanctæ Mariæ,aut idem est, quod anno M. C. LVI. tradidimus,aut nobis ignotum, ab alio veniet certius adnotandum. Sequuntur duæ filiæ Claræuallis,de Armentariis, & de Castellariis, altera in Galecia Compostellanæ,altera Pictauiensis in Gallia Diœcesis,si credimus Genesibus; in quibus tamen per errorem multa irrepsisse sæpius vidimus: & Castellarium (si de Pictauiensi loquimur) longè antiquiorem domum,atque matrem Voscani memorauimus. Quòd si aliud fortè Castellarium sit nobis adhuc ignotum,his, qui nouerint, veniet describendum. De Armentariis notiori nobis domo, quippè Hispana,pauca subiiciemus. 7.

Armentariæ, sic enim nos vocamus, vulgò *Armentera*, paulò antiquiorem in Gallecia domum instrumenta conuincunt, quippe ab anno M. C. LI. cœptam sub nigro habitu. Et quidem de tempore nulla est difficultas, vt statim ostendam: de habitu plures subsunt coniecturæ. Quod nulla mentio Cistercij in instrumentis: quod nec in Tabulis ante commemoretur: quod Monaste- 8.

rium duplex in principio, quale inter nostra, nullum: quod denique illius primus Abbas non ex matrice domo missus sit, nisi aliud institutum professum fuisset, pro more Ordinis, haud dubiè transmittendus. Ergo & hoc item Monasterium ad nostros transiit, cùm prius sanctam Regulam sub latiori instituto profiteretur. Vtrumque fundatorem egisse creditur vir Magnus Ero, dictus de Armentaria, genere, & opibus, virtutibúsque clarus; atque in militia sæculari strenuus: Imperatori charus, vel inter paucos, quandiu in sæculo vixit, sed clarior, chariórque supremo Regi, postquam sæculum spreuit, atque eius gloriam in cœlestem commutauit, cuius vel in hac vita particeps fuit. Hic æqualem per omnia sortitus coniugem, &, quod rarius inuenias, conformem moribus, cum nullos liberos ex illa suscepisset, Christum sibi adoptare in suis pauperibus, atque eosdem hæredes instituere, cum ipsius consensu, deliberabat: cum ecce monitus oraculo cœlesti (sic fert traditio) Monasterium construere, atque in eo se Christo mancipare; vterque obsequitur; & congrua facta domus diuisione viris, & fœminis; atque abdicato dominio terræ illius, vt cederet Alphonso Imperatori, à quo fundato Monasterio restitueretur; ac demum congregatis sociis, sociabúsque; Ero Abbatis, dubium, an etiam vxor Abbatissæ munus suscepit. Mox Alfonsus easdem possessiones, eandem terram cum omni suo iure, & si quod aliud ad Regem pertinebat, Monasterio indulsit, & quædam alia de nouo superaddidit, donatione firmata per instrumentum, quod hodiéque conseruant Archiuia domus. Est autem tale.

9. *EGo Alfonsus, Hispaniæ Imperator, vnà cum filiis, & filiabus meis, & omni generatione mea, pro amore Dei*, &c. *Facio chartam donationis Deo, & Monasterio Sanctæ Mariæ de Armentaria, & vobis Abbati Domino Ero, & omnibus Monachis in eodem Monasterio Deo seruientibus de omni Regilengo de Guandiis cum sua hæreditate, & cum omnibus suis directuris, vbicumque fuerint; & dono vobis Castrum malum, & cauto vobis illud Monasterium de S. Maria de Armentaria*, &c. *Facta charta in Toleto Æra M.C.L I. V. Nonas Decembris*, &c. Huic donationi plures alias subiunxit Imperator Alfonsus, atque item filius eius Ferdinandus, præcipuè Ero, siue Eroni factas, quas impræsenti non vacat recensere.

Quo anno obierit eiusdem Eronis coniux, in dubio est: & probabile Monialium conuentum solutum cum eius obitu. Certè Armentaria, cum in leges, & iura Cistercij transiit, iam simplex Monasterium extitisse, compertum est; duplex nequaquam à nostris suscipiendum. Cæterùm Ero cùm primùm expeditam fœminis domum, & Cistercij capacem considerauit, Claramuallem per se, aut per suos adiit, & domum suam inter filias Bernardi connumerari, & supplex petiit, & efficax obtinuit, adductis Monachis, per quos nouos ritus, & mores edoceretur. Mansit Eroni antiqua præfectura, viro aliàs Sancto, & cui tutò maiora committerentur. Annum admissi Cistercij non aliunde, quàm ex Chronologia haustum habemus; quippè in Tabulis Ecclesiæ Claræuallis nullus præfixus, nisi quòd tamen post Bernardi Patris obitum, sed ante annum M.C.LXIII. reformata Armentaria commemoratur. Situs loci in procliui prærupti montis, quem *Scrobem* Incolæ vocant, versùs mare Oceanum, secundo lapide à portu satis noto, quem *Ponteuedra* appellant. Inuenitur Armentaria in libris Cameræ in Diœcesi Compostellana, ad quam pertinet sexaginta Florenorum taxa præfixa. Atque hæc de domo: Nam de Erone, primo eius Abbate, plura inferiùs, nec satis scio, an certa, verùm quæ, longa accepta traditione, nequaquam licuit silentio præterire. 10.

---

1. *Rutense Cœnobium (quod post* S.Prudentij) 2. *per Dominos Camerorum ædificatum.* 3. *Donatio loci*, 4. *priuilegium, & initia surgentis domus.* 5. *Postpositum Curatium in Chronologia*, 6. *Monasterium antiquum*, 7. *grauéque*, 8. *Iacobus Gracus in eo sibi contrarius*, 9. *atque alia notitia eiusdem domus.*

CAPVT VII.

1. EMISSVM supra Monasterium S. Prudentij, in Calagurritano tractu Castellæ Veteris, hoc anno nobis venit describendum: neque ditatum adhuc exuuiis Sancti, à quibus post viginti, nomen accepit; sed alio in loco structum ex quo Rute, seu Roda nominabatur. Situm illud ad ripas Iubere fluuij, amœno satis loco, medióque inter Iuberam, & Lacunulam (ea oppidis nomina) alterum à præterlabente flumine mutuatum alterum à vicina lacuna, aquis exiguis. Fundatores habuit Regios, si non Reges; nempè Petrum, & Didacum Ximenios, illustres fratres, Regum Nauarræ progeniem satis notam: Vtrorumque etiam Camerorum Dominos; quæ vel diuisa, Nagerenses hodie Duces, & Comites Aquilarienses illustres reddunt. Monachi è Sacris-mænibus acciti, atque à Venerabili Petro, tunc Abbate, illuc deducti, vt puto, præfecto cunctis Raymundo prudenti viro, cui noui Monasterij curam tradidit. Atque hoc exemplar primæ donationis, quod ex vtriusque Domus Tabularibus, id est matre, & filia, fideliter descriptum ita se habet.

INsitum scripti sub nomine Summi. Liquet omnibus intra ianuam Ecclesiæ consistentibus, à summo & vero Deo omnium potestatum iura prodire, dicente scriptura: omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est. Horum quippè, qui huius misera vitæ principatus accipiunt, alij quidem ad perniciem, alij ad Regnum Dei acquirendum adsumuntur. Eapropter ego Petrus Ximenez summo omnium Principi, de bonis, quæ ipse dedit mihi satisfacere volens, ut post transitum huius vitæ addat Cælestia, pro remittendis peccatis meis, parentumque meorum, cum Didaco fratre meo, & Teresa Sorore mea, eiusq; marito Lupo de Mendoza, cæterisque Sororibus, ac parentibus meis, confero Ecclesiæ S. Mariæ de Roda, & Ordini Cisterciensi, & vobis Domino Petro Sacramenia Abbati, vestrisque successoribus, & omnibus fratribus ibidem Deo seruientibus, tã præsentibus quam futuris, omnem terminum Rodæ, à riuo Sos, vsq; ad terminum Murelli, &c. *perpetuo iure possidere.* 2. a Ex Tabul. Sacr. Mæni. S. Prudentij.

Vouemus

Vouemus etiam, & S. Mariæ, quod simus defensores, & procuratores illius Ecclesiæ, & nullus deinceps de genere nostro hæreditatem istam Deo datam audeat repetere, vel in aliquo infestare, &c. Facta charta in Iubera XIII. Kalendas Maij, regnante Rege Alfonso in Toleto, & in omni regno suo, nutriente eum Comite Almerico, Pontifice Calagurritanensis Ecclesiæ Roderico, &c. Æra M. CC. Hucusque donatio. Crediderim venerabilem Abbatem Petrum ex sacris Mœnibus Riuogiam aduenisse, cum Monachis ibidem dimittendis. Tum lustrato loco, probatóque donatione acceptata, noui Cænobij non solùm ædificia, sed etiam victualia, & vtensilia, atque alia necessaria, maximè in Dei cultu disposuisse, & tunc demùm præfecto aliis Raymundo, ad sacra Mœnia cœtum repedasse. Neque enim nulla Raymundi mentio in donatione, si iam tunc erigendæ domui esset præfectus.

4. Vtcumque fuerit, Rutense Cœnobium cœpit per hoc tempus, ante biennium loco discessurum: Nempe seruandis pretiosissimis S. Prudentij exuuiis destinato, nulla quies, nedum requies, sine illis. In ædificio non multa mora fuit: aptatum breui potiùs, quàm perfectum. Sed vix aptatum, atque officinis suis distinctum, Monasterium accepit disciplinam; cum ecce ex vtroque Regno, inter quæ situm, & Castellæ nimirum, & Nauarræ, certatim confluere; sanctum viuendi genus venerari cunctos, imitari aliquos, plures suis expensis promouere. Quin & vterque Rex domum non Regiam priuilegiis, & donis cumulauit: Alter triennio à fundatione elapso, alter sexennio. Præueniebat tunc pietas Principum obtinendum à Monachis thesaurum: & quos optabant propitios ad Sanctum Præsulem, quippe ipsius sepulchro præficiendos, præsaga largitione conciliabant. Cæterùm qualiter sacrarium illud adepti, Rutensem locum statim deseruerint, atque ad longè antiquiorem transmigrauerint; in quo sacræ reliquiæ à multo tempore reconditæ fuissent; anno M. C. LXXXI. quo euenisse constat, dicemus cum multis aliis.

5. Monasterium Curatij Chronologia refert in annum M. C. LXXIII. quod tamen neque cum prima eius fundatione, neque cum vnione ad Cistercium stare potest. Quippe illa Cistercio longè antiquior: hæc quæ non multùm distet ab hoc anno: & quidem ante præscriptum in Chronologia, suscepisse Cistercium, imo & sub Ioachimo Abbate fuisse; constat ex litteris Marturanensis Episcopi ad eundem Ioachimum, iam Abbatem, datis anno M. C. LXX. quas suo loco ad verbum daturi sumus. Vt mirum sit, quæ semper præuenire solet Cœnobia prisca, Chronologiam, hoc vnum postposuisse, & per decennium, aut amplius retardasse. Certè ab hoc anno, plus minúsve reformatum Curatium ad nostras leges, quæ de eodem Ioachimo infrà dicemus, adeò clarè conuincunt, vt nulli locum relinquant dubitationi. Porrò Curatium Monasterium longè antiquum, nec minus celebre, fundatum à Rogerio Marturanensi ante annum M. LX. atque Ecclesiæ Romanæ concessisse, cui soli subesset, ipsius patrocinio protegendum; constat ex litteris Honorij Papæ II. ad Abbatem, & Monachos illius, quæ vulgatæ à Iacobo Silenæo totidem verbis veniunt describendæ.

6. [b] *Honorius Episcopus seruus seruorum Dei. Vniuersis, & singulis Christi fidelibus per vniuersam Calabriam constitutis, salutem, & Apostolicam benedictionem in perpetuum.*

b In Chronologia, Ioachim sect. 12.

Desiderium quod Religionis proponitur, & ad animarum salutem pertinere monstratur, auctore Deo, semper est aliqua dilectione complendum. Ea propter dilecti in Domino filij Monasterij siti in loco, quod dicitur de Curatio, ad honorem Virginis dedicatum; quod quidam filius noster Rogerius de Marturano construxit, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ obtulit, ad exemplar antecessorum nostrorum fœlicis recordationis Alexandri II. Gregorij VII. Vrbani II. Paschalis II. Calixti II. Sanctæ Apostolicæ Sedis Autoritate protegimus: & indulgentia priuilegio communimus. Ea propter cupientes indulgentiis, & gratiis spiritualibus ditari, & pro Virginis honoribus frequentari: omnibus, & singulis verè pœnitentibus, & confessis, qui eum locum in festiuitatibus ipsius Virginis gloriosæ, videlicet, Natiuitatis, Purificationis, Annuntiationis, & Assumptionis eiusdem, & Innocentium, visitauerint reuerenter: & in reparationem Ecclesiæ ipsius eleemosynam tribuerint, manúsque porrexerint adiutrices; de omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli authoritate confisi, centum, & quinquaginta annos, de iniunctis sibi pœnitentiis, & etiam per Octauas prædictarum Ecclesiæ festiuitatum, misericorditer in Domino relaxamus. Datum apud Sanctam Mariam de Curatio, per manus Almerici S. R. E. Diacom Cardinalis, & Cancellarij. Idibus Septembris Indictione III. Incarnationis Dominicæ anno M. C. XXX. Pontificatus nostri anno VII. Ita apud Iacobum Silenæum, licèt mendosè in Data. Quippè Honorius II. obiit ante Septembrem ann. M. C. XXX. Sed neque ad septimum Pontificatus peruenit, quod palàm constat.

Ex litteris his Lector facile videat, Monasterium Curatij, vt minimum à temporibus Alexandri II. qui anno Christi M. C. LXI. creatus est; adeóque ante centum annos fuisse constructum. Videat insuper Abbatiam non contemnendam, quam tot Pontificum, continuata serie, indultaj tot gratiæ, & concessiones nobilitarunt; nec dubium eadem ab Honorij successoribus, quæ ab antecessoribus, aut forte etiam maiora impetrasse, Cœnobium celebre, & quod Sedi Apostolicæ immediatè subiectum foret. Vt inde pateat, quale, & quantum erat, cum accessit Cistercio, in eius iura, & leges transiturum. De Abbate sub quo admissa reformatio, non satis constat, & sunt, qui putent fuisse Columbanum, quem paulo post, admisisse Ioachimum in præfectura sibi substituendum, dicemus inferius. Quicumque fuerit, Fossam-nouam adiit, atque inde, susceptos Monachos duxit, per quos Curatium Cistercij ritus addisceret; vnde in Tabulis Ecclesiarum Claræuallensium, Curatium, Diœcesis in Calabria Marturanensis, quarta Fossæ-nouæ filia commemoratur. 7.

Iacobus Græcus nequaquam sibi constans, Abbatiam de Curatio per Ioachimum Abbatem traditam Fossæ-nouæ, memoriæ prodit; quod tamen prius Sambucinenses Monachi, atque Casæmarienses, cum eis offerretur, recusauissent. *Verùm tamen, ait, qui duo talenta acceperat, vt duo alia lucraretur, Cœnobium Curatij Sambucinæ (fratribus concurrentibus) commendare studuit. At illud Sambucinenses recusarunt. Iterum illud, Monasterio de Casamarij (eo quòd ibidem Marij septennarij consulatus toga illustris, Villa extiterat) nuncupato, commendare tentauit: cuius Monachis pariter renuentibus, Curatium Monasterio de Fossa-noua inter Cisterciensia præclarissimo, & in omni sancta conuersationis puritate conspicuo commendauit.* Hæc ille. Sed cùm antea tradidisset, Ioachimum in Curatio professum 8.

sum Cistercij leges; & aliàs constet Cistercij nullam domum sine matre admissam, cuius visitationi subiaceret: fit vt ante ipsius susceptionem iam commendata,(nam eiusdem Authoris verbis vtar) non potuerit ab ipso commendari post adeptam illius præfecturam. Sanè Curatium antequàm Ioachimum, admisisse Cistercium ex eiusdem Iacobi Græci verbis,quæ infra referemus, ne eadem inutiliter repetamus,constabit apertè.

Iacet Curatium ad ripas fluuij Crotali, in Diœcesi Marturanensi;olim ingens Monasterium;nunc exiguum,vt reliqua Calabriæ sub commendarum, & commendatariorum gementia onere; quod ô vtinam auertat,qui solus potest. De eo, & Abbate Ioachimo inferiùs multa. Memoratur in litteris Honorij Papæ III. Datis Laterani pridie Idus Nouembris Pontificatus ipsius anno tertio:& in pluribus aliis,suis locis inferiùs adducendis. 9.

IESV CHRISTI ANN. 1163.

CISTERCII ANN. 66.

1. *Alexander Parisios venit ad Ludouicum.* 2. *Tum Fastradus, & Godefridus ad Alexandrum.* 3. *Fastradi mors,* 4. *S. Petro Tolosano præuisa:* 5. *atque visio euentu comprobata.* 6. *Rex,& Pontifex morienti Sancto assistunt.* 7. *Cælos conscendens conspicitur ex Anglia.* 8. *Dies obitus,* 9. *memoria,& sepultura.* 10. *Successor Gilbertus Magnus:* 11. *Quantus vir?* 12. *emendatus Pitsæus, & Gilbertus ab aliis condistinctus.* 13. *Ac S. Thomas inter glorias illius positus.*

CAPVT I.

1. INDIXERAT Alexander Papa Concilium Turonis in Octaua Pentecostes celebrandum anno millesimo, centesimo, sexagesimo tertio, qui sexagesimus sextus Cistercio fuit. Sed interim sub initium intrantis anni Parisios venerat, varia negotia cum Rege tractaturus. Porrò hunc aduentum Pontificis ad Regem, & qualiter ab eo susceptus sit, ex eiusdem Alexandri Actis, refert Baronius[a]. *Adueniente Quadragesima, colloquium habiturus Alexander Papa cum Rege Francorum,ad Parisiensem ciuitatem properauit: quam cum ingressurus esset, tanquam pius, & mitis Rex, cum Baronibus, & militibus suis per duas leucas illi occurrit:quo viso statim descendit, ad streguam eius festinanter occurrens,humiliter deosculatus est pedes ipsius,& statim ad eius oscula cum deuotione fuit receptus. Deinde singulariter procedentes intrauerunt prædictam ciuitatem: cui clerus cum maxima, & decora processione obuiam venit, & Pontificem, & eius fratres Cardinales deduxit in gaudio,& exultatione ad maiorem Ecclesiam. Mansit autem in dicta ciuitate per ipsam Quadragesimam, & Paschale in ea festum celebrauit.*

a Ad hunc ann.

2. Cum Fastradus communis Cistercij Pater, & Godefridus Claræuallensis Abbas, Bernardi vterque,& Discipulus, & successor (nam & Fastradus ante Godefridum, Claræualli præfuerat, vt vidimus)adiere Pontificem, acturi, vt S.Pater, quod vota omnium poscebant, in ea synodo solemni ritu inter sanctos Ecclesiæ adscriberetur. Meminit huius aduentus, & petitionis idemmet Alexander in litteris Canonizationis pòst expeditis. Vbi & eosdem magnos viros vocat.[b] *Contigit*, ait, *dum essemus Parisiis constituti, & magni quidam, ac venerabiles viri de canonizando sanctæ recordationis Bernardo, quondam Clarauallensi Abbate, facerent mentionem, optantes vtique, & piis nobis precibus suggerentes, vt in Concilio, quod de proximo erat Turonis celebrandum, digno huic, & laudabili voto celerem daremus effectum.* Hæc aduentus Fastradi ad Curiam occasio fuit. Quamuis non dubitem commune id omnium votum,etiam ipsius Pontificis:vnde non tā qui venerant,petiisse ab Alexandro dicuntur, quam memorasse: Et si quid fortè sub preces rogantium cecidit,acceleratio fuit, potiùs,quàm adscriptio.

b Baron.ibid.

Verùm Fastradus non vltra rediturus, cum vix ab Alexandro,ob reuerentiam eximiæ sanctitatis dimitteretur morbo correptus graui, lecto decubuit, à quo gloriosus in Cœlum euolauit, ingenti sanè suorum omnium luctu, quos Sancti Patris gloria,quia non visa; quantumuis certa,minus delectabat, quàm cruciarent præsentia sensibus hausta;nec inuentus Fastradus,cùm quæreretur; omnibus omnia longo experimento; & cui similem alium vix sperarent. Pretiosam viri in conspectu Domini mortem, visio quædam præcessit satis illustris, quam B. Petrus cognomento Tolosanus, Claræuallensis, sæpiùs memoratus habere meruit. Nos eam prius,mox fœlicem transitum,& in transitu gloriam; neque solam æternam sed temporalem: demum quæ transitum ipsum sequuta sunt, ex sincrono auctore, qui cunctis adfuit, atque totidem verbis describamus. 3.

De cuius (id est Sancti Fastradi[c]) *fœlici transitu mox futuro, cuidam de senioribus Claræuallis, Beatæ scilicet memoriæ Petro Tolosano (de quo in consequentibus aliqua dicemus) facta est huiusmodi reuelatio.Videbat in visione noctis,& ecce in nubibus cœli filius Dei,Sanctorum frequentia comitante,de cœlo adueniens, & in ipso aere consistens, in throno gloriæ residebat: & splendor ex eo procedens,mundum illuminabat.Porrò ad dexteram maiestatis illius monumentum quoddam gloriosissimum in aëre suspensum apparebat, quod miro opere fabricatum, intuentium oculos valde delectabat. At verò ante fores Basilicæ Claræuallis multitudo promiscui sexus innumerabilis adsistebat; qui sursum erectis vultibus, Dominum nostrum Iesum Christum, ipsúmque mausoleum respiciebant intentè. Præfatus autem Monachus Petrus accedens ad eandem turmam, de sepulchro illo, quod coram Domino erat; cœpit interrogare, quid esset, aut quid significaret: Tunc vnus ex eis respondit. Sepulchrum istud, de quo sciscitaris, scias esse cuiusdam Sancti viri de terra proximè adsumendi. De cuius morte magna in partibus istis longè, latéque desolatio erit; cuius etiam mors futura est in conspectu* 4.

c lib.1.c.38.

ctu Domini pretiosa, & in conspectu hominum celebris, atque praeclara.

5. Hactenus visio ostensa B. Petro, atque eius subobscura interpretatio, quam sequutus euentus declarauit: nam pergit auctor scribere in hunc modum. *Transacta autem visione, Senior qui viderat eam, coepit turbari, & moestus esse. In crastino autem cum ego vidissem eum obnubilato vultu, animi dolentis indicia praetendentem, sciscitatus sum ab eo moestitudinis ipsius causam. Cúmque rogatus multum, tandem exposuisset visionem, quam viderat per ordinem, sciens illum multa gratia praeditum, & magnis consolationibus frequenter à Domino honoratum, cogitaui, & credidi, quia verbum, quod viderat homo tam sanctus, támque perfectus, non poterat omnino non impleri. Euolutis autem posteà diebus circiter viginti, ecce repentè perculit aures nostras de inopinato eiusdem Sanctissimi Abbatis obitu rumor tristissimus; quo tristiorem à multis retrò diebus, in tempore illo accidisse non credimus, neque in partibus istis, neque in Ordine vniuerso Cisterciensi.* Tali visione, Deus dum monuit, muniit orphanos relinquendos Cistercij filios, atque paterna gloria est consolatus. Porrò hanc visionem vigesimo ante Sancti obitum die B. Petro Tolosano factam, Hugo Menardus in suo Martyrologio [d], atque alij recentes, notauere.

d *lib. 1. obseru. April. 19.*

6. Caeterùm quàm gloriosa mors Sancti fuerit, non solùm coram Deo, & Sanctis eius, sed etiam coram mundi huius Principibus; quae sequuntur, illustrius declarabunt [e]. *Cum Parisiis pro negotiis Monasterij, atque totius Ordinis sui, Domino Papa Alexandro tertio adsisteret, & correptus aegritudine, lecto decubuisset, infra quintum diem Sancto fine requieuit. Huic autem decedenti tota Romana Curia dignitas adstitit; ita, vt ipse quoque Dominus Papa propriis manibus eum vngens, atque Apostolica benedictione communiens, magno pietatis affectu morienti compateretur, & mortuo congratularetur. Et non solùm vir Apostolicus, verùm etiam piissimus Rex Francorum Ludouicus, qui & ipse praesens erat, cum sua nihilominus Curia, planctu magno Sanctissimum virum, quasi patrem charissimum planxit, multásque lachrymas super eum fudit.* Sic Sanctum virum in terris honorauit totius honoris fons, ante etiam, quàm in coelis conoraretur.

e *In Exor. Mag. loco suprà.*

7. Nec tacendum, quod Fastradus Parisiis migrans, coelos conscendere ex Anglia visus sit, eidem Sancto viro, cui suprà diximus, Bernardum Patrem, & antea quidem visum esse. Nisi quòd tamen Bernardi anima maior; Fastradi ingens, praeclaráque; sed aliquantò minor ei apparuit [f]. *Postmodum verò*, ait, *cùm hic, de quo loquimur, B. Fastradus Abbas exiret à corpore, eadem die, vidit ille, qui supra, eumdem Angelum ad terras descendentem; assumptámque ex eis quandam animam, ad coeli vestigia subleuantem. Quae quamuis magna, atque praeclara videretur, prioris tamen magnitudini, minimè aequiparabatur.*

f *Vbi suprà.*

8. De anno obitus nulla controuersia; de die aliqua; & Molanus, haud dubium bona fide, non paucis aliis errandi occasio fuit: memorans Sanctum Maij XIX. Quo Hugo Menardus in suo Martyrologio, Aubertúsque Miraeus transcripsere. Certius tamen Henriquez in Menologio: Atque Ignacius Firminus, in suis ad Exordium magnum notis: vterque ad vigesimam primam diem mensis Aprilis. Quippe vterque ex Martyrologio Cisterciensi (cuius, & nos exemplar nacti sumus) de Fastrado loquente in haec verba. *Vndecimo Kalendas Maij, anno M. C. LXIII. Dominus Fastradus obiit, septimus Cistercij Abbas.* Consonat Claudius Robertus in sua Gallia. Vltra hos autem, virum sanctum memorat Ioannes Abbas, & Missale Ordinis vetus, Henricus Gran: Basilio Sanctoro, & plures quos in nostra laurea olim retulimus: [g] quin Bonifacius in historia Virginali, [h] & plures alij antiqui, & recentiores. In Chronico Cisterciensi metrico, his virum Sanctum descriptum versibus video.

g *lib. 3. dist.*
h *lib. 4. c. 16.*

Post hunc Fastradus intrat venerabile foedus
Virtutum speculum, via vita, formáque morum.

Quod distichum sepulturae inscriptioni facilè aptes.

Fastradus iacet hic, sanctum, & venerabile foedus
Virtutum speculum, via vita, formáque morum.

Pingi solet puerum Iesum in vlnis tenens, fouénsque, in memoriam singularis illius fauoris, quo B. Virgo Sanctum prosequuta est, dum adhuc viueret, laterétque in Carthusia, ne raperetur electus ad Claramuallem. *Suscipe*, ait, *Fastrade filium meum, & serua mihi illum*: quod suprà suo loco commemorauimus.

Iustis solutis pro tempore, & pro loco; corpus Sancti ad Cistercium delatum est. Iuxta praedecessorum suorum sacros cineres omni cum reuerentia sepeliendum [i]: de quo Exordium. *Tandem verò sacrum eius corpus Cistercium delatum est; magnáque deuotione tumulatum* [k]. Robertus Claudius vlteriùs tumulum exprimit, nempè cum quatuor ex praedecessoribus suis, Alberico, Stephano, Rainaldo, & Gozeuino (nam Robertus Molismi, Lambertus Motimundi sepulti iacent) communi tumulo prope ingressum in Ecclesiam in ea parte claustri, quae Capitulum attingit. Vt nihil minùs ab eis crederetur, queis iungebatur, eodem cultu cum illis venerandus. *Fuit Fastradus* (ait Author Exordij Magni) *castus, pius, & humilis, mansuetus, atque modestus, super omnes, quos in diebus eius vidisse me memini. Porrò tanta Spiritus Sancti gratia in ipsius vultu angelico radiabat, vt vix posset aliquis desiderabilis eius aspectu satiari. Demum animi eius puritatem in exteriori homine, velut in proprio sigillo diuinitus impressam, quicumque conspiciebant, admirabantur.* 9.

i *Vbi suprà.*
k *In Gallia Christiana.*

Sancto Fastradro ad superos translato Gilbertus natione Anglus, cognomento Magnus, suffectus est, ex Abbate Vrsicampi, de quo in Cathalogo Abbatum Cisterciensium. *Octauus Abbas Cistercij Gilbertus cognomento Magnus, ex Abbate Vrsicampi, ei scribit Alexander tertius Monte Pessulo, anno M. C. L X V. Indictione X I I I. pridiè Nonas Augusti.* Potuisset & eiusdem Alexandri litteras memorare, ad eundem directas sequenti anno, nempe M. C. LXIV. quas nos in tempore, ex more referemus. Chronicon metricum Gilbertum ita describit. 10.

Iugiter affectus sursum iactat Gilbertus,
Terrea conculcans, ne conculcetur ab illis.

& quidem haec pro laude viri satis, quod terrena contemnere, & didicit, & docuit; sed longè maius, quod ea etiam contempsit, quae potuerant coelestia iudicari, singularem nimirum sapientiam, in qua excelluit.

Ioannes Pitsaeus, libro de illustribus Angliae scriptoribus, Gilbertũ Magnum, ob insignem peritiam scientiarum omnium, dictum, insinuat; nisi quod tamen in anno turpiter errat, integro saeculo, & vltra postponens virum; sed ipsa eius verba transcribamus [l]. *Gilbertus, cognomento Magnus* 11.

l *Ad ann. 1280.*

(Theolo

(Theologum nonnulli cognominant) *natione Anglus, Monachus Cistercienfis, & tandem totius illius Ordinis Præpositus Generalis, vir acuti ingenij, solidi iudicij, tenacis memoriæ. Quibus fretus adminiculis ad eminentem planè peruenit eruditionem. Poëta non contemnendus, Rethor eloquio clarus, stylo nitidus, sermone grauis; Philosophus etiam subtilis, & sublimis, historicus insignis; in concionibus celebris, in quibus Sanctorum Gregorij Magni, & Bernardi fuit diligens imitator. Theologus denique profundus, & solidus. Postquam Anglicas Academias frequentasset, Gallicas etiam inuisit, maximè Parisiensem, & Tholosanam; in quibus, studuit, disputauit, prælegit, scripsit, Bibliothecas perlustrauit; selectiores omnis generis libros peruoluit, notatu digniora diligenter vbique, tanquam flores decerpsit, in Ordinem redegit, & ex his plurima ad omnis posteritatis vtilitatem edidit.* Hæc Anglus auctor, ex antiquis decerpta, de viro Anglo.

12. Verum quod ait claruisse sub Eduardo primo Angliæ rege, circa annum Christi M.CC.LXXX. stare omnino non posse compertum est, cum constet virum immediatè post Fastradum, adeóque hoc anno adsumptum ad culmen rerum, intra biennium (ad summum) decessurum succedente Alexandro; quem dudum Grandi-syluæ præfectum commemorauimus. Sed neque in serie Abbatum Cisterciensium alius Gilbertus est, qui potuerit floruisse prædicto tempore. Fuit sanè alter Gilbertus natione Anglus, dictus Vniuersalis, ob multiplicem notitiam omnium rerum, cuius idem Pitsæus item meminit; sed hoc, quem nunc describimus, antiquior; neque Cistercij alumnus, nedum parens, ad quem iam tunc Episcopum Londini, Bernardus parens scripsit sub hoc titulo *Ad Gilbertum Magistrum Vniuersalem, Episcopum Londinensem.* Fuit & Gilbertus dictus de Hoilandia de quo statim, & quidem Cisterciensis: sed huius item æui, & qui nequaquam Cistercio vnquam præsederit.

Memoratur inter glorias Gilberti magni, Thomas Cantuariensis, eius tempore ad Ordinem admissus, sub quo & claruit miraculis, & cœlestibus confortari meruit visitationibus. Referam, Deo dante, multa inferius, & quod Cistercio semper in gloriam cedat; Sanctum virum ex quo nostris adscriptus fuit, profecisse virtute, sapientiáq; quod ex Ioanne Sarisbariensi, integræ fidei viro, ac cũ ipso exulante, tunc probabimus. Nunc tetigisse satis, supérque sit, orta occasione, ex Gilberti præfectura. 13.

---

1. Turonis de Canonizando Bernardo actum, & cur dilatum? 2. Thomas Cantuaria Episcopus interfuit. 3. Conradus Redageshausensis Abbas, ab Henrico Schismatico, 4. in Episcopum Lubecensem promotus, 5. Virgam nihilominus Pastoralem ab eo accipere renuit. 6. B. Thomæ reditus in Angliam. 7. Occasiones dissidiorum Regis cum ipso. 8. Episcopi à Metropolita diuisi appellant Pontificem. 9. Alexandri ad B. Thomam epistola, 10. consolatoria, exhortatoriáque, 11. & Thomæ ad ipsum. 12. Demum alia Alexandri, tam ad eum, quàm ad reliquos omnes Angliæ Præsules. 13. Prodigia in cœlo, & Bernardi prophetia.

CAPVT II.

1. AFFVERIT ne nouus Cistercij parens Turonensi Concilio; in dubio est. Constat post latam sententiam in Victorianos, atque in ipsum Victorem: & quosdam Canones in eo stabilitos, quos Baronius, & Vinius ad verbum referunt; inceptam à B. Fastrado, dum vixit, causam, de Bernardo adscribendo Sanctorum numero, annuente Alexandro, continuatam, ibidem absque dubio peragendam; si non sæculum illud Sanctorum ferax, tot alios obtulisset Canonizandos; vt meritò censuerit Summus Pontifex, in re grauissima obuiandum multitudini: ne vel Bernardus cultu, velut gregario, si simul omnes; vel solus, cum repulsorum querela, veneraretur. Certè Alexander in litteris Canonizationis illius, haud multò post expeditis, hanc dilati decreti causam tradit [a]. *Cùm enim (ait) nos eidem negotio (scilicet de canonizando S. Bernardo) fauorabili satis intenderemus affectu, superuenit multitudo, & frequentia petitorum, qui in diuersis prouinciis rem similem postulabant. Vnde cum nos videremus non posse congruenter omnibus satisfieri; statutum fuit pro scandalo deuitando etiam in hoc differri, quod oportebat pro tempore cæteris denegari.* Crediderim inter glorias Sancti Patris, haud fortè aliam æqualem posse perpendi. Vixisse ætate Sanctorum feracissima, quos tamen omnes potuerit obscurare: nam quæ eorum notitia ad nos peruenit? Cæteros lucem mundi Christus appellat; & quidem meritò; quippè qui luceant, sed in mediis tenebris; si Soli componantur, prorsus obscuri: Bernardum solem magis, adeóque lumen cœli posse, & debere dici; inde coniector, quod coram eo, vel planetæ ipsi non luxerint; neque domestici tantùm, sed externi; quales tunc Alexandro offerebantur.

[a] Apud Bar. hoc ann.

Matth.5.

Concernit item Annales Cistercienses, ex his, quæ in hoc Concilio gesta leguntur, quod D. Thomas Cantuariensis Archiepiscopus breui adscribendus nostris, illi interfuit. *Quem præter morem Alexander Papa* (ex Actis eiusdem [b] Sancti verba sumo) *eiusmodi excepit honorificentia. Fecit enim, vt omnes Cardinales occurrerent ei extra vrbem illam, præter duos tantum, qui soliti essent ei assistere; idemque obtinuit, quæcumque ab ipso Pontifice petiisset, nempè suæ Ecclesiæ priuilegiorum confirmationem.* Addit Guillelmus [c] Neubricensis. *In eodem Concilio vt dicitur, eundem Sanctum, Pontificatum minus syncerè, & canonicè, per operam, manumque Regiam, susceptum, (laicam scilicet inuestituram) pungentis conscientiæ stimulos non ferentem, secretò in manus Domini Papæ resignasse. Quod factum Alexander cum approbasset, pastoralem illi sarcinam Ecclesiasticæ manu rursus imposuit; & in homine scrupuloso turbatæ conscientiæ læsionem sanauit.* Scio Baronium hoc factum longè postponere, quod fortè repetitum orta occasione: & quæ secretò in Concilio prius gesta, iterata mox publicè velut tunc primum facta commemorantur. Nam 2.

[b] Apud Bar. hoc anno.

[c] lib.2. c.16.

Guillelmo

Guillelmo authori Anglo, & Sinchrono integra fides constat,assensu omnium. Illud compertum quocumque tempore, & quotiescumque cesserit, priorem renitentiam superasse. Vt restituere (liceat abuti exemplo) longè difficilius, quàm non furari: sic dignitates ægrius deponas, quàm non admittas. Nunquam operta membra contemnunt tegmen, & qua possunt, reiiciunt: semel assueta vestibus nudare; & quos dedidiscerant, rigoribus exponere; hoc opus, hic labor est.

3. Affuere Turonensi Concilio Patres, Episcopi C.XXIV. Abbates CD.XIV. ex quibus multos, & sanè perillustres Cistercium dedit. At non omnino indemne à labe schismatis, & vix potuit in tanta multitudine; Friderico, & Principibus Imperij quosdam vi, quosdam metu, sed quosdam alios per præmia subuertentibus; atque sibi, & Victori conciliantibus. Dum Turonis Concilium celebraretur,promouentibus nostri,Redagheshausensis Abbas Conradus (Cœnobium in Alsatia, de quo suprà) Geroldo fratri (nam frater eius erat) in Lubecensi Sede substituitur, promouente Henrico Leone Duce; laico,& Schismatico,atque ob vtramque causam incapaci, per quem Pontifex in Ecclesia constitueretur. Nec ignorabat Conradus ea obstacula; sed vicit tandem Pontificalis gloria virum,probum aliàs, vt facto consentiret; ac se, reclamante licet Bremensi Metropolita, consecrandum permitteret, quamuis non diu in errore permansurum. De electione hæc habet Albertus Krantzius.

4. [d] *Lubecensi deinde Ecclesia, pridem Aldenburgensi,per mortem Geroldi vacuata, successit Germanus eius frater, Conradus Abbas in Redagheshausen. Erat autem sexagesimus tertius post mille centum. Quem inuitis, sed repugnare non audentibus, dedit Præsulem Henricus Dux Leo. Hartuuicus Bremensis Archiepiscopus, reclamabat,adstruens non oportere per manum laicam de Ecclesiis disponi; sed non est auditus. Nam refragari Henrico eo tempore formidolosum erat; quando in hac prouincia solus imperabat. Consecratus est per manus Hartuuici Episcopi in Oppido Stady, vt alij, in arce Herborg: ibique per aliquot dies manere coactus. Tempestas enim tanta tunc est exorta vt Albis fluuius fieret immeabilis. Multa hominum millia, infinita pecora in terris palustribus Albis, & Visurgi fluminum, perierunt.* Ita Krantzius de illa promotione. At de promoto, hæc pauca,quæ sequuntur [e]. *Conradus*, ait, *Lubecencis Episcopus,litteratura, facundia, largitate, & affabilitate pollebat.*

d lib. 5. Metrop.cap.43.

e Eodem loco.

5. Tunc primum doluit errorem suum Conradus, cum perpetrauerat: & voluisset infectum, quod factum fuerat; sed quia non potuit, saltem quod potuit,faciendis obuiauit. Episcopatum ab Henrico Duce,per virgam accipere, sic Krantzius vocat,aut pensum soluere,nequaquam acquieuit: atque ob hanc causam multa passus est, errata prius ab eo per leuitatem, ex tunc iam per constantiam purgaturus. Sed de his in sequentibus agemus.Interim noto, qui prius recusauerat promotionem Conradi, Hartuuicum Bremensem Archiepiscopum,non multò post, industria viri cognita, summam rerum ad ipsum detulisse: quin & Henricum Ducem,quamuis spretum,spernentem Conradum solicitasse; quæ anno sequenti fusius comprobanda,nunc tetigisse satis,supérque erit. Conradum sub initio Episcopatus seuerum suis: atque eisdem extraneos quoscumque suetum præponere, idem Albertus Krantzius adnotauit. Cæterùm diuina prouidentia effectum esse, vt ab Henrico postea persecutus, disceret ex his, quæ passus est, misericordiam. Vt sic tandem Cisterciensi familiæ prius (namque & ab ea auulsus,quod à Schismaticis Episcopatum acceptauisset) mox Alexandro,& Ecclesiæ reconciliatus, & suis redditus; munus per omnia adimpleret boni Pontificis. Eundem Krantzium [e] loquentem audiamus. *Clero tamen suo seueritate quadam abusus est* (scilicet Conradus) *in principio,extraneos diligens, suos fastidiens: sed postea in alterum virum mutatus est. Multas enim aduersitates à Duce Henrico, cum Episcopatum ab eo per virgam accipere recusaret, perpessus Clero suo compati didicit.* Hæc de prima Conradi promotione,atque eiusdem initiis præfecturæ; ne qui Cistercij bona,& laudes pandimus, errata sola tacere videamur, quod non intendimus. Reliqua inseremus suis temporibus.

e lib. 6. c.43.

Nunc Sancti Thomæ reditum in Angliam, atque occasiones dissidiorum eius cum Rege,ex quatuor vitæ eius Authoribus, qui cunctis affuerunt, atque totidem verbis referamus [f]. 6. *Cùm ex Concilio Turonensi in Angliam est reuersus (secundus iste annus est ab eius consecratione) ab ipso Rege,vt pater à filio, hilari vultu suscipitur,& obsequio colitur. Sed post hæc oriri cœpta simultates; dum absque animi Regis offensione, Sanctus Thomas,quæ sunt, munera, Euangelici pastoris, exercet; in quibus obeundis,dum Ecclesiæ prædia à laicis vsurpata, malè verò à prædecessoribus alienata, recuperare laborat, plurimorum, eorumdémque potentium à se auertit animos. Inde verò cum Regium Fiscum pertigit, Regem ipsum paulatim sibi reddidit infensum. Inualuerat in Anglia praua illa consuetudo, vt fructus vacantium Ecclesiarum Fiscus sibi auidè vendicaret. Quamobrem orauit Sanctus Thomas,vt duobus diu vacantibus sedibus Episcopalibus, quàm citius ordinarentur Episcopi. Sed & non nihil permouit animum Regis,dum idem Sanctus Thomas, creatus Archiepiscopus,abdicauit se à munere Cancellaria,secundùm illud Apostoli* [g]. Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus. *Optabat enim Rex eum sibi retinere ministrum. Accessit huc,quod Thomas iniustam tributi prohibuit exactionem. His eodem tempore additum,quod homicidam Presbyterum damnatum minimè tradidit Curiæ sæculari; sed exauctoratum tradidit Monasterio. Simile quidpiam accidit de Philippo quodam Canonico facinoroso, quem non sic, vt Rex cuperet, pœnas dare compulerit Archiepiscopus; sed censuris tantùm cohibuerit Ecclesiasticis.*

f Apud Bar. hoc anno.

g 1. Tim.2.

Hæ primum causæ inuidiæ, & odij Regis aduersus Thomam fomitem ministrabant: sed maior alia ex eis orta occasio; antiquæ consuetudines derogantes Ecclesiæ immunitati, quibus Thomas, & cæteri Episcopi, non aliter, quàm saluo Ordine suo (quo pacto ipsi Abbates Cistercienses profitebantur) vellent subscribere; in quo vnanimes omnes conuenirent. Hinc ira Regis, & quæ tandem secuta sæua funera [h]. *Nam ad Archipræsulem,& ad Episcopos se conuertens, omnium sic vna, eadémque voce audita, dicebat: Aciem contra se omnium firmatam, & venenum verbo illi inesse; & captiosum esse,* Saluo Ordine suo. *Vnde petebat, vt absolutè,absque adiectione regias consuetudines se obseruaturos promitterent. Archipræsul respondit ad hoc, quòd fidelitatem ei iurauerat, vitam scilicet, membrum, & honorem terrenum, saluo Ordine suo; & quod in hoc honore terreno, regia fuissent consuetudines comprehensa: & ad earum conseruationem* 7.

h Baron.ibid.

se minimè in alia forma obligaturum, nisi in qua prius iurauerat. Cum verò multùm inclinata esset iam dies, tota die Rex vexatus, insalutatis Pontificibus, in ira, & indignatione multa subitò recedit ab aula. Cardinalis Baronius, dum hæc narrat, furorem regium ex epistolis Petri Blesensis latè porpendit, qui ferè hominem prorsus alienaret. Ast ego non aliunde id melius iudicem, quàm ex ipsis euētibus, & tota ipsius historia, cū Sancto Martyre.

8. Pergit Baronius [i] de Rege ita scribere. *Cùm in hoc statu res essent, Rex illud prauo consilio malignantium moliri cœpit, vt corpus illud vnitum; nempè coniunctio animorum Archiepiscopi, quæ planè inexpugnabile redditum fuerat, scinderetur; atque ita dissolutum, vincere posset: sicque factum est, vt in gratiam Regis inferiora membra capiti rebellarent; & si quando eos canonica vellet auctoritate compescere, mox ipsi sedem Apostolicam appellarent. Idem verò Sanctus ob ista, in summa animi constitutus angustia, reddidit de his Alexandrum Pontificem certiorem, ad ipsum cum litteris nuntium mittens; qui ipsi compatiens, has ad eum consolatorias litteras dedit, hac inscriptione in Codice notatas.* [k]

i Ibidem.

k lib.1.ep.17.

9. *Alexander Papa Thomæ, Cantuariensi Archiepiscopo, in initio tribulationis. Data nempè est hæc epistola hoc anno, in fine mensis Octobris.*

Litteras, quas nobis vestra faternitas destinauit, & ea, quæ Nuntius tuus viua voce proposuit, & attenta diligentia audiuimus, & graues anxietates, & amaritudines, quibus animus tuus assiduè affligitur, plenius attendimus. Vnde his auditis, & cognitis, spiritus noster commotus est, & valde turbatus, quibus cordi est libenter in tuis prosperitatibus delectari, & in aduersis, tanquam fratri charissimo, plurimum condolere. Tu ergo, sicut vir constans, & prudens, recolens sæpè quod dicitur. [l] Ibant Apostoli gaudentes à conspectu Concilij, quoniam digni facti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati; *huiusmodi angustias in patientia toleres, & non plusquam oporteat tuus spiritus anxietur; sed dignam in te ipso consolationem recipias; vt & nos tecum pariter in eo consolemur, qui te ad corroborationem Catholicæ, & Christianæ veritatis, hoc necessitatis articulo reseruauit; & cuius beneplacitum est, eorum quæ minus licitè commisisti, maculas abstergere, & per varias afflictiones punire, ne videantur in districto examine punienda reseruari.*

l Actor.5.

10. *De cætero non tibi graue sit, nec (sicut ex litteris, quas Clero tuo misisti, accepimus) vlla ratione meticulosum, quod es ad sedem Apostolicam appellatus: quia gratum nobis est, & acceptum; & volumus, vt si illi, qui te appellarunt, fortè venerint: tu per te ipsum si tibi visum fuerit, appellationem ipsam omni dubietate, & dilatione postposita, prosequaris: nec vnquam auctoritate Romanæ Ecclesiæ aliquis possit constantiæ tuæ timorem incutere, seu dubietatem. Quia nos iura, & dignitates Ecclesiæ tibi commissas, quantum salua iustitia, & ratione poterimus, studiosius tibi curabimus, auctore Deo, conseruare sicut illi, quem in facto Ecclesiæ constantem reperimus, & fortissimum propugnatorem. Ad hæc fraternitati tuæ præcipiendo mandamus, quatenus te in Cantuariensem Ecclesiam recipias, & paucis quidem retentis admodum necessariis, ad minus quam poteris per terram illam discurras. Illud autem specialiter suggerimus tuæ prouidentiæ, vt nullius timoris, vel aduersitatis obtentu, quæ tibi possit accidere, iuri, & dignitati Ecclesiæ tuæ abrenunciare cogaris. Data Senonis VII. Kalendas Nouembris.*

11. *Hæc (inquam) ipse Alexander Papa ipsius persequutionis exordio; ita præparans commilitonem, ad proximè venturum bellum. Quibus Thomas acceptis, has reddidit ad ipsum Alexandrum Pontificem litteras per Henricum familiarem, ad hoc, ad ipsum in Curiam missum.*

Littera consolationis, quas vestra est nobis dignata paternitas destinare, magnum quidem mediocriter anxiato afferre possent remedium, aut si saltem nostra circa vnum aliquid figeretur angustia, spem nonnullam respirandi possemus ex eis concipere: At quoniam de die in diem malitia inualescit, multiplicantur iniuria, non nostræ, sed Christi; imò quia Christi, eò magis nostræ, succedentibus sibi inuicem more fluctuum procellis: solum nobis videmus imminere naufragium; nec aliud consilium superesse, nisi, vt Christum, quasi dormientem in naui pro viribus nostris excitantes, dicamus: [n] *Domine salua nos, perimus. Et hoc sanè aptiorem malignandi nacta est iniquitas occasionem, quod statum sanctæ Romanæ Ecclesiæ infirmiorem conspicit. Vt verè liqueat, quod quidquid in caput, siue bonum, siue malum, siue dulce, siue amarum, defluit, per barbam descendens, nec oram vestimenti reliquit intactam: eripitur Iesu Christo, adeò vt nec Sanctorum Patrum sanctiones, nec statuta canonum, quorum apud nos etiam nomen exosum est, nec Clericis quidem patrocinari valeant modo, qui ab hac iurisdictione hucusque speciali priuilegio fuerunt exempti, & quoniam enarrare, vel persequi scripto, quæ patimur longum esset, & tædium: ad vestram mitsimus paternitatem Magistrum Henricum fidelem, & familiarem vestrum, & nostrum, in cuius ore posuimus singula seriatim, prout vidit, & audiuit, vobis exponenda. Et si placet credite, tanquam si nos loquentes audieritis viua voce. Hoc tamen sciatis, quoniam si fieri posset, multò libentiùs vos in persona visitaremus nostra, quàm in alia. Loquimur vobis sicut Patri, & Domino; & quod dicimus, summo silentio petimus occultari. Nihil enim nobis tutum est, cum omnia ferè referantur ad Regem, quæ nobis in conclaui, vel in aure dicuntur. Væ nobis, qui in hæc seruati sumus tempora, quorum diebus accesserunt hæc mala, qui in priori statu tanta potiti sumus libertate, quam modo dura, & pessima seruitute, recompensamus Fugissemus saltem, ne in direptionem patrimonium Crucifixi dari videremus: sed quò, nisi ad eum, qui nostrum refugium, & virtus est, ignoramus. De Vvallensibus, & Oeno, qui se Principem nominat, Domine prouideatis, quia Dominus Rex super hæc maximè motus est, & indignatur. Charissime Pater & Domine, bene valete.*

m lib. 1. ep.18.

n Matth.8.

Eodem quoque argumento, eodémque Nuntio scripsit ad Humbaldum Cardinalem Episcopum Ostiensem. Dedit item litteras ad Bernardum Episcopum Cardinalem Portuensem: nec non ad Albertum Presbyterum Cardinalem alias; alias verò ad Hyacintum Diaconum Cardinalem, quæ omnes integra in eodem codice asseruantur.

o Eodem Codice lib. 1. epist.19.20.21.22.

12. *Post hæc Alexander subodoratus ventura prælia præparat se ad resistendum, monens tam ipsum, quàm omnes Episcopos Angliæ, ne quid Regi indulgeant contra libertatem Ecclesiasticam: & quod Regi promisissent contra eandem libertatem, non seruent. Quæ data habentur ad ipsum Thomam, & ad omnes Episcopos Angliæ his verbis.*

p lib.1.ep.91.

Ad hoc Pōtificalis officij onus suscepisse noscimini, vt cōmissas vobis Ecclesias sic ad honorē Dei, & subditorū profectum, atq; salutem regatis, quod earundē Ecclesiarū libertas per vos nullatenus minuatur; sed in suo statu per studium vestrum, & per operam cōseruetur. Inde siquidē est, quod fraternitati vestræ per Apostolica

ſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, & in virtute obedientiæ iniungimus, quatenus, ſi illuſtris Anglorum Rex quidquam à vobis aliquo tempore requiſierit, quod contra Eccleſiaſticam libertatem exiſtat, hoc ei facere nullatenus attentetis. Nec vos illi in aliquo maximè contra Romanam Eccleſiam obligetis, aut noua promiſſionis, ſeu iuramenti formam inducere præſumatis, præter id, quod Epiſcopi ſuis Regibus facere conſueuerunt. Si autem iam dicto Regi ſuper huiuſmodi vos in aliquo adſtrictos cognoſcitis, quod promiſiſtis, nullatenus obſeruetis, ſed hoc potiùs reuocare curetis, & de promiſſione illicita Deo ſatisfacere ſtudeatis, & Eccleſiæ reconciliari.

11. *Hæc Alexander cuſtos vigilantiſſimus ſacrorum Canonum, nihil in gratiam Regis præſumptum contra eos ſinens, quamuis eidem Regi ob recentia accepta beneficia plurimum deberet.* Hæc ex Baronio ad litteram tranſcripſi, quia nec omittere libuit, neq; ſine iniuria licuit immutare.

Illud tamen memoratu dignum occurrit, quod ab eodem Baronio prætermiſſum, Polydorus Virgilius adnotauit.[q] *Eodem anno, quo inter Regem, & Thomam diſſidium cœpit, nempè anno Chriſti M. C. LXIII. Kalendas Octobris, per tres ferè horas tres circulos circa ſolem viſos, quibus ſubinde euaneſcentibus, duo ſoles oriri videbantur. Quo prodigio diſſidium Regis, & Thomæ prænunciatum, iam tunc vulgus credidit, quod in dies magis creſcens ſimultas in apertum protulit,* Sic Polydorus, qui etiam ſubdit prædictum à Bernardo, dum adhuc viueret, *Fore vt Henricus Anglus cum ſuis filiis, & filii ipſi inter ſe perpetuò digladiarentur, perinde, ac planè euenit.* Quod in pœnam violati Sacerdotij, ac parricidij ſacrilegi euenturum, quamuis tacuerit, nequaquam dubitauerit. 12.

q In hiſtor. Angliæ ſub Henrico 2. fol. mihi 215.

---

1. *Suuinshede in Hoillandia Cœnobium ante Ciſtercium.* 2. *Tum poſt Ciſtercium ſub Gilberto Abbate.* 3. *Filiorum ſanctitas,* 4. *ab ipſo declamata:* 5. *& multa de illorum perfectione.* 6. *Moniales ſub eodem Patre ſanctiſſimæ.* 7. *& dictum de earum conſolationibus,* 8. *& timore aliquarum,* 9. *non imprudenti.* 10. *Gilebertus continuans ſermones Bernardi ſuper Cantica.* 11. *Oſtenſa ratio temporis,* 12. *& de fame opprimente Fontanos Monachos.*

Capvt III.

1. Retinent nos ab Anglia diſceſſuros Gilebertus Abbas (Gilbertum alij vocant) Bernardi expoſitionem ſuper Cantica reuerẽter continuans; atque duplex ſub ipſo Monaſteriũ, vnum virorum; fœminarum aliud, vtrumq; florens Sanctis: hoc ab initio Ciſtercij iura noſcens; illud, quod inter filias Sauigniaci, cum matre reformatũ ad annum Chriſti M.C.XLVIII. in hunc locũ remiſimus tractandum. Hæc ergo tria dicenda nobis ordine. Sed priùs Suuinshede, quia antiquius. De loco certant Scoti, Angli: & illi Sant-Andreanæ Diœceſi adſcribunt, hi Lincolnienſi. Situm deſcribit Nicolaus Arspheldius, Inſulam cinctam aquis duorum fluminum, nec vacuam oppidis, aut deſertam, ſed habitatam[a]. *Eſt autem* (ait) *Hoillandia prouinciola, quam Velandi, & Lindi magna flumina complectuntur.* In hoc receſſu ſurgit Monaſterium; atque vtrumque alio nomine appellatur Inſula ſacra: mutatis inuicem inter ſe vocabulis; vt & Cœnobium, Inſula, à ſitu: & Inſula, à Cœnobio, ſacra cognominetur. Sunt & qui locum Dei aliàs appellant; ſiue ex amœnitate loci, & aëris, ſiue ex Sanctorum; ibidem commorantium habitatione. Fundator domus, Robertus Giſleius miles, ſi qua fides Arsfeldio[b]: Monachi ex Furneſio vocati ſunt, cum nondum ſuſcepiſſent Ciſtercij leges: Abbatis primi nomen prorſus intercidit: nam Gilebertus, qui hoc anno præſidebat, alteri ſucceſſiſſe, & quidem docto, & pio, & eiuſmet ſcriptis planè conuincitur. Quippè collaudans filios, quos regebat, non à ſe genitos, ſed ab anteceſſore à quo acceperit ipſe, teſtificatur, *Crebro* (ait[c]) *vos exercitatos inueni in huiuſmodi ſtudiis: non poſſum gloriari hos me genuiſſe affectus in vobis: gaudeo tamen inueniſſe vos in illis. Et ſi non hæc in vobis ſtudia formaui; vtinam vos in illis fouere poſſim.* Ergo alium Patrem habuerunt ante Gilbertum, cuius doctrinæ lacte nutritis, adultiſque, tales à ſe inuentos congratulatur. Atque hæc quidem omnia ante Ciſtercium.

a Saculo 13. c. 15.

b In Cathalogo Sacrar. Ædi. Angl.

c Serm. 6. in Cantic.

Poſt admiſſum Ciſtercium Gilebertus ſuſcepit clauum: dubium, an educatus in ea domo; an aliunde tranſmiſſus. Arsfeldius[d], & Pitſæus[e], ex Claraualle: Thomas Demſterus[f], ex Meilroſia veniſſe tradunt. Vndecumque, (nam id nobis incertum) ingens illius doctrinæ, nec minor pietatis opinio fuit. Ioannes Pitſæus Bernardo Patri componit, dum ita ſcribit[g]. *Gilbertus de Hoillandia in Anglia natus, ibidem in virtutis, & bonarum litterarum ſtudiis ab ætate tenera educatus; ita vt pietas, boni mores, & eruditio, in eo cum ætate ſimul coaleſcerent. Succeſſu temporis ſub D. Bernardo factus Monachus Ciſtercienſis, Sanctiſſimum illum ſuum Abbatem tãto cum feruore imitatus eſt, charismata meliora æmulando, vt ſimillimus ei in omnibus euaſerit. Tandem electus eſt Abbas in Cœnobio Suuinſhedenſi Lincolnienſis agri, vbi ſuos verbo, & exemplo pauit; & tum virtutes, tum litteras, quas laborioſè didicerat, diligentiſſimè docuit. Erat autem ſummus Theologus, & (vt ſcribit Trithemius) in Diuinis litteris ſtudioſus, & egregiè doctus. Cœleſtium rerum contemplationi impensè deditus, paſſionum ſuarum motus tanta animi moderatione repreſſit, & rationis imperio rexit, vt non tam prauas inclinationes reſtringere, quàm nullas prorſus habere videretur. Natura mitis, in omni congreſſu affabilis, ſermone comptus, ingenio ſubtilis, eloquio clarus, & facilis, in omni actione dulcis, & humilis: vt qui cognouerit Magiſtrum, non difficulter agnouerit diſcipulum. Multos etiam ex ſuis in eodem ſpiritu lenitatis, inſtruxit, & erudiuit, ſuique ſimiles quantùm potuit, effecit. Breuiter Sanctus Bernardus iam mortuus, in huius doctrina, & moribus quodammodo viuere viſus eſt.* Ita Pitſæus de magno viro.

d Vbi ſuprà.
e De Scripto. Angliæ
f lib. 7 fol. mihi 119.
g Vbi ſuprà anno 1200.

Cæterum quod ait multos diſcipulos habuiſſe ſimiles ſibi, ex ipſius operibus facilè coniiciat, quicumque perfectionem illius domus, & Monachorum eius ab eodem Gilberto deſcriptam videat. *Siue enim, ait, libertatem (ſpiritus,) ſiue lætitiam,* 2.

in plateis intelligas; vbi ampliores, quàm in hoc ordine nostro plateas reperies? Sed nec facilè dixeris, vbi sint arctiores vici, vbi maior libertas, & ad vsum, & ad exercitium virtutis, quàm in hoc Ordine, & Conuentu Sancto. Et ideo maior ad bonum libertas, ex eo quod sit minor licentia in malum. Et alibi. *Vobis se vberiùs, & quadam specialitate (sponsus) indulget, sed tamen alias (oues, siue animas) non obliuiscitur, quæ vestram nondum valeant ad mensuram pertingere.* Et rursus de amore sancto loquens [h]. *Non estis in hoc rudes, & inexercitati, negotio; vestrum hoc proprium officium est. In amoris enim præcipuè munus estis dedicati. Denique, & propter vos fercula Salomonis media charitate constrata dicuntur.* Media, *inquit* [i], charitate constrauit propter filias Hierusalem. *Quodam quasi priuilegio vobis hic sermo delegauit vsum amoris.* Et tandem iterum [k]. *Iam vestrum, in corona prærogatiua, intelligitis priuilegium, qui purioris estis vitæ, & professione adstricti, & exercitio instructi, & indefessi studio, & otio festiui. Iure Diadematis censentur nomine, quos iam non tam pugna solicitat, quàm triumphus lætificat: quibus non est colluctatio aduersùs carnem, & sanguinem, qui serpentis iam caput non obseruant, sed Christi exornant. Vos estis corona Christi, & gaudium: & ideò sicut cœpistis, sic ambulate charissimi, sic state in Domino, imò, sic capite Dominum.* Hæc de Monachis filiis Gileberti, ipso, qui docuit, perhibente testimonium, eorum sanctitati satis fidele.

h Serm. 19. — i Cant. 3. — k Serm. 10.

4. Proferam tamen aliud haud inferius, sed longiùs aliquantulum, quo sanctam illam Fratrum congregationem interiùs, & exactiùs describit in hunc tenorem [l]. *Et fratres mei (vt modicum de communi glorier, qui de priuato non possum) si totius vitæ vestræ respexeritis ordinem, & regularis obseruantiæ cursum, non erit exiguus, quem boni testimonij coædificatis, aceruus. Nam si à nocturnis vigiliis, quas impigro, velut primitias quasdam, prælibatis affectu; & effunditis à principio vigiliarum, sicut aquam, cor vestrum ante conspectum Dei, si, inquam, à capite singulos per gradus conuersationis diurnæ seriatim velitis incedere: quid ibi reperitur, quod disciplinam non sonet? quod non concinat fidei vestræ? quod non vel corpus atterat, vel mentem erigat, vel dirigat erectam? Inter psallendum, quanta est disciplina in corpore, & quàm maior quorundam in mente, dum ne ad modicum, vel certè tantùm ad modicum, à sensu verborum illam sinunt abire? Nam ibi, id est, in ipsis, quæ cantantur verbis, aut ligatam tenent, aut ad cognata relaxant: ad peregrina nequaquam. Quod si contingat (fugax est enim mens humana) quanta statim castigant censura; & moræ huius vsuras à se reposcunt? Sed nec ipsa communium horarum interualla nocturna vacant. Deus bone! hora illa noctis, quàm sine nocte est, quàm* [m] *nox illa illuminatio in deliciis? Orationes illæ priuatim fiunt, sed priuata non petunt. Submissior quidem vox, sed mens intensior, & preces tacitæ multum habent acuminis. Denique frequenter eripit vocem oratio vehemens: & verbis nec eget, nec vtitur, quæ puro, & pleno fertur affectu.*

l Serm. 13. — m Psal. 138.

5. Et paulo inferiùs, post corporales labores, ex quibus pauperes etiam sustentarent, enumeratos. [n] *Interuallis quibusdam leuant labores, sed fesso corpore feruet affectus. Illic tacitæ lachrymæ vbertim voluuntur, prodeunt gemitus, erumpunt suspiria, vt qui iuxta sedent, si fortè ex se frigidi sunt, vicinis possint scintillis accendi. Qui denique non de crastino cogitant, nec de hodiernis quidem, omnem curam proiicientes in ipsum, qui eis præest: non præmium, sed quærentes regnum Dei. Quid (quod pene præterieram) in Capitulo singulis diebus examinandi Abbatis adstant iudicio, quasi ad Christi præsentari tribunal? Ibi quisque in primis accusator est sui, accusandi se locum aliis præripere festinans. Quid? ipsum continuum silentium, & quadam compassionis grauitas, nonne totam conuersationem venustat, & quadam sanctitatis pulchra vestit facie.* Hæc, & similia, quæ latè ibi prosequitur, vltra communem Ordinis rigorem, Gilebertus dum videbat in filiis, admirabatur.

n Serm. vbi suprà.

6. Cæterùm in horum vnguentorum odorem, non solùm viri ex vtroque regno certatim, sed & currebāt fœminæ; & virgines, ad normam Cisterciensium Deo sacratæ, Angliam illustrabant, sub B. Abbatis Gileberti visitatione. Narrat omni exceptione maior testis, Sanctus Ailredus, ad suos Rieuallenses hæc habens verba. [o] *In Monasterio Virginum, quæ sub venerabili, & cum summa reuerentia nominando, Sancto Patre Gileberto, vberes pudicitiæ fructus quotidie transmittunt ad cœlos.* Quod fuerit Cœnobium, ignotum nobis, neque exprimit Ailredus. Constat Comitissam Adam, Regis Guillelmi Scoti, qui Macolmo successit, matrē, per hæc tempora construxisse Asceterium Virginum Cisterciēsium, de quo Ioannes Maior, Historicus, & ipse factus ex Theologo, in ea, quam texuit, Britanniæ Magnæ, historia. [p] *Ada (ait) Comitissa, Regis Guillelmi mater, Monasterium Monialium apud Hamduitanam fundauit, Ordinis D. Bernardi, pulchrum & opulentum.* Nec multum erit, si mater Regis Scotiæ Monasterium à se in Anglia constructum subdiderit Cœnobio Vvinshedensi, quod Scotis ęquè, atq; Anglis adscribebatur: maximè Præsidente Gileberto, quem cuncti Ducem, ac Magistrum desiderarent.

o Serm. 2. in Esai. cap. 13. — p lib. 4. c. 5.

7. Quodcumque fuerit, florebat per hoc tempus sacris virginibus; & quæ pro sexu, maioribus præuentæ consolationibus; nihilominus semper cum timore, tremoreque, salutem suam impensiùs operabantur. Nam audi, quod de eis idem, qui supra, Sanctus Pater Ailredus scriptum habet. [q] *Scio (inquit) in Monasterio Virginum, quæ sub venerabili, & cum summa reuerentia nominando, Sancto Patre Gileberto, vberes pudicitiæ fructus quotidie transmittunt ad cœlos: quandam fuisse, vel adhuc superesse Virginē sanctam, quæ cum omnem mundi amorem, ac carnales omnes affectus, curamque corporis omnem, & exteriorem solicitudinem à suo pectore exclusisset; cœpit quodam mentis æstu, & fastidire terrena, & desiderare Cœlestia. Accidit autem aliquando, vt cùm more solito orationi incumberet, mira quadam suauitas superueniens, omnes animi motus, omnes cogitationis excursus, omnes insuper spirituales, quos circa amicos habebat, extinxit affectus: moxque anima eius, quasi oneribus, quæ in mundo sunt vale dicens, rapitur supra se; & ab ineffabili quadam, & incomprehensibili luce excepta, nihil aliud videbat, nisi quod est, & quod omnium esse est. Neque lux illa corporea fuit, aut aliqua corporis similitudo; nec distendebatur, nec diffundebatur, ita, vt vbique videretur; nec ipsa tenebatur, & tenebat omnia: & hoc miro, & ineffabili modo, sicut esse tenet, quicquid est; veritas, quicquid verum est.*

q Vbi suprà.

8. *Hac igitur luce perfusa, ipsum Christum, quem prius nouerat secundum carnem; cœpit iam secundùm carnem non nosse, quia spiritus* [r] *ante faciē eius Christus Iesus in ipsam eam induxerat veritatem. In hoc igitur excessu, cum ei hora non parua præterisset, pulsata*

sata à sororibus, vix potuit ad corporales, quos reliquerat, sensus, redire. Itaque cùm hoc sæpius ei contigisset, & multum rogata, tandem ipsius modum excessus cæteris exposuisset; cœperunt plurima visionis eius excellentiam æmulari. Vnde se ab omnibus curis, solicitudinibusque mundanis abstrahentes, lachrymis orationibúsque continuis, plures eandem gratiam sortita sunt; & ita, vt inter sororum conuenticula sæpiùs hac luce perfunderentur etiam inuita. Erat ibi virgo quædam, magnæ discretionis fœmina, quæ omni spiritui sciens non esse credendum, totum hoc, aut morbo, aut phantasticis illusionibus credidit assignandum: & sororibus, quantum potuit, talis visionis frequentiam dissuasit. Inquirenti autem ab illa, quæ in his superior habebatur, cur sibi nihil tale accidisset? respondit illa: quia fidem nobis non adhibes, nec in aliis diligis virtutem, quam ipsa non habes. Roga (inquit) Deum, vt si ex ipso est, mihi hoc ipsum eueniat. Cúmque aliquot diebus orassent, & nihil profecissent, requisita iterum, quæ supra, & vnde supra, respondit. Oportet te omnibus mundi huius, cunctorumque mortalium, renunciare affectibus, & circa solius Dei memoriam occupari. Quid (inquit illa) pro amicis meis, & benefactoribus non orabo? Cui illa. Eo tempore, quo volueris, ad superiora mentis contemplatione conscendere necesse est, vt omnes, quos diligis, Deo commendes, atque committas, & quasi profectura de mundo, omnique omnino creaturæ vale dicens, ad eius, quem diligis, suspires aspectum.

9. *Adhuc illa non credens, rogat vt orationibus eius, si ex Deo essent ista, voti sui mererentur effectum. Nolo tamen (inquit) vt anima mea ita sustollatur, rapiatúrque à corpore, vt à mente mea omnium rerum, maximè amicorum, deleatur memoria. Sufficit autem mihi scire, vtrum ex Deo sint ista. Itaque die Parasceue cum anxiis cogitationibus fluctuaret, subito ipsa, quam diximus, luce perfusa, cœpit in eam modo ineffabili subuehi, & ad altiora sustolli. At illa radiantem in se lucem illam inaccessibilem oculo infirmiori non ferens, ad Dominicæ passionis intuitum reuocari se, vt potuit, postulauit. Cùm ergo vidisset quasi raptim id esse, quod est, à superioribus ad inferiora delata, in illam spiritualem visionem transfertur: videtque in spiritu Iesum in Cruce pendentem, confixum clauis, lancea perforatum, sanguinemque, per quinque foramina profluentem; eúmque mitissimo oculo respicientem. Tum illa resoluta in lachrymas, & in se tandem reuersa fidem sororibus adhibuit; & se huic luci minus idoneam æstimauit.* Hactenus de virginibus illis Sanctus Ailredus: vt palam fiat, nihil minus in eis, quàm in Monachis, sancti Patris doctrinam fructificasse.

10. Hæc agmina ducebat Gilebertus, hos educabat filios, filiasque; cum ex iniuncto; siue alterius Gilberti, siue Fastradi, neque enim constat vter imperauerit, procurante fortasse Godefrido, Claræuallis Abbate, Bernardi super Cantica sermones continuandos suscepit; inuitus quidem, & se indignum protestans Bernardo componi: sed vt nihil ausurũ in re graui, nisi obediẽtia duce; ita nihil, si iubeatur, recusaturum. *Incepit autem* (ait Sixtus [f] Senensis) *vnde Sanctus Bernardus scribendi simul, & viuendi finem fecit: hoc est, ab eo loco tertij capitis: In lectulo meo quæsiui, &c.* Porrò, vt Bernardus sermones super Cantica, ita scribebat posteris, vt tamen prius ad filios declamaret: sic Gilebertus. Nisi quòd tamen Bernardus ad solos filios, Gilebertus, non ad eos tantùm in Suvinshede, quod suprà satis vidimus, sed etiam ad Moniales, vbi ingruebat occasio, concionabatur. Habemus id ex sermone 17. quem peroratum in Conuentu Virginum, ipsa eius verba ostendunt, quæ ita habent. [t] *Tibi Domine, hunc commendo Libanum, egregium hunc chorum virginum, sacrarum cœtum fœminarum. Tu custodi, vt non succidatur, sed sua illi seruetur integritas, seruetur castitatis candor, quia Libanus candorem sonat; seruetur puritas mentis, vt sancta sint & corpore, & spiritu.* Et infrà. *Videsne, Domine Iesu, quot hic habes reclinatoria. Nusquam se maiestatis tuæ caput libentiùs reclinat, quàm in virginitatis aureo sinu. Respice Domine, virginea pectora hæc, pectora vacantia tibi, &c.* Hactenus de vtroque Cœnobio sub Gileberto, & Gileberto ipso; ac de illi iniuncta per superiores Bernardi Patris in Cantica sermonum continuatione: quæ tamen nec ab ipso fuisse perfecta, & opus ostendit, & suo à nobis loco dicendum erit.

[f] In Biblio. lib.

[t] Serm. 17.

Cæterùm; quod ad rationem temporis attinet, quæ semper nobis ante oculos habenda; ex ipsa serie sermonum B. Viri videtur colligi non inefficaciter, per hoc tempus inceptos, plus minúsve. Quippe sermone quadragesimo primo defleт Ailredi mortem, quæ incidit in annum M. C. LXVI. vt ibidem videbimus. Vt autem multum in opere processerit, non tam priuatim scripto, quàm declamato in Capitulis ad fratres, neque id quotidie, sed per dies solenniores; triennio, vt minus, videtur indiguisse, vt pertingere posset ad eum numerum. Et si fortè aberramus à vero anno, faciliùs anticipem initium, quàm postponam: cùm maximè videam, quo tempore Ailredo superuixit, septem sermones non ampliùs concinnasse. 11.

Hoc ipso anno Monasterium Fontium in Anglia, supra modum afflixit ingens penuria frugum: super qua re Bathoniensis Archidiaconus, Petrus Blesensis, cum in Angliam ab Alexandro Papa missus, peracto iam negotio reuerteretur, talem ad Priorem, Monachósque, scripsisse epistolam inuenio. 12.

[u] Epist. 105.

Venerabilibus Dominis, & amicis, Priori, & Conuentui de Fontanis. M. Petrus Blesen Bles Bathon. Arch. salutem, & si quid melius, aut fructuosius est salute.

Cum licentia vestra, & benedictione recedo ab Eboracensi Prouincia, & vado ad eum, qui me misit. Quod autem circa vos in obsequiis, & visitationibus minus frequens extiti, fecit Domini Abbatis absentia, circa Ecclesiam nostram iugis occupatio, studiosa lectio, quæ dispendium temporis otiosi cum patientia non admittit; & præcipuè vestræ domus desolatio, cui totus quadam compatiendi, imò commoriendi affectione coanxior. Etsi ad tempus præsentialiter vos non video, præsens tamen spiritu vos in interioribus meis circumfero. Quantò enim præcellit anima corpori, tantò vobis sum vicinior in visceribus Christi, iacturámque absentiæ corporalis animæ longè ditior in suis affectibus recompensat, sanè citra spem hominum vobis alimenta hoc tempore defecerunt; & hæc est prædictæ desolationis occasio sed qui in deserto de paucis panibus, quinque millia hominum [x] pauit: qui tempore siccitatis Eliam [y] pascendum Viduæ, coruóque commisit; ille potens est exhibere vberiorem clementiam cœli. Et si de illo modico, quod habetis, feceritis indigentibus misericordiam

[x] Matth. 14. 21.

[y] 3. Reg. 14. 17.

ricordiam, nec hydriam farinæ, nec lecythum olei largitio minorabit. Fons misericordiæ, & fons sapientiæ, fons, & abyssus exultationis æternæ mihi, & Fratribus Fontanis vberiores riuos suæ miserationis infundat; vt à Torrente voluptatis illius inebriemur, & hauriamus cum gaudio de fontibus Saluatoris.

---

1. *Beatus Balsamus à Roma in Galliam missus, Schismaticos per miraculum euadit, 2. ad Claramuallem venit, 3. cuiusdam religiosi viri morti assistit, 4. petit animæ suæ vt moreretur: 5. febre corripitur, indéque ad Cælum sibi patens, euolat. 6. Perpensa B. Viri gloriosa mors. 7. Matthæi Lotharingiæ Ducis in Claroloco funus. 8. Morimundi Aliprando, Oddo succedit. 9. Sancti Richardi Valcellensis obitus. 10. Cui Sanctus æquè Nicolaus est subrogatus.*

CAPVT IV.

1. PER idem tempus egregiè pius Sacerdos sancti Anastasij Monachus, nomine simul, atque odore vitæ Balsamus, cuius superius fecimus mentionem, missus in Galliam ad Papam Alexandrum, sui Conuentus negotia tractaturus; cum in schismaticorum manus incidisset, per miraculum ab eisdem liberatus, diuinam satis virtutem manifestauit. Rem planè miram, Annalibus his dignam, ac sanctitatem viri commendantem, ex Authore Exordij describamus. [a] *Missus aliquando pro negotiis Monasterij sui ad Dominum Papam Alexandrum, qui tunc in Francia morabatur, casu incidit in manus quorumdam schismaticorum, qui Pseudopapæ Octauiani partem tuebantur. Mox de mula, cui insidebat, iniuriosè depositus, retrudi in custodiam iubetur. Vnus autem ex eis raptoribus super mulam hominis Dei insiliens, cum secum illam ducere vellet; illa miris gestibus, & saltibus recalcitrans, & quasi pro Domino suo pugnans ire penitus recusauit. Cúmque calcaribus, & flagellis innoxium animal vndique cæderent, vinci omnino non potuit, sed magis retrogradis passibus incedens, & semper in vetitum nitens, conatus omnium superauit. Videntes itaque Schismatici diuinitus agi contra se miraculum; tandem victi tædio pariter, & miraculo, virum sanctum dimiserunt, præcipientes, vt eamdem mulam coram eis ascenderet, & abiret. Illud verò mox cum tota mansuetudine, recepto Dei famulo, mirantibus vniuersis, sine vlla cunctatione, vel coactione processit, ambulans alacriter, & portans Dominum suum, quem læta recognouit.* Hic ille insignis pietatis Monachus est, qui olim ad Bernardum parentem missus, ad specialem Claræuallensium fraternitatem admissus est, nihil magis optans, quàm mori in Claraualle.

a Lib.6.c.3.

2. Cæterum quàm non fraudatus à desiderio suo, in eo tandem Conuentu post tempus aliquod, carnis sarcinam sanctè deposuerit; quia de anno non constat, in eodem Exordij loco subiunctum, hîc consequenter duxi transcribendum. [b] *Porrò, ait, desiderium illud moriendi in Claraualle, quod pridem sancta deuotione conceperat, quotidianis incentiuis auctum in corde ipsius semper viuebat. Appropinquante verò vocationis eius die, qui soli Deo cognitus erat, cui desiderium pauperum* [c] *exaudire familiare est; ipso Domino, qui omnia ad salutem electorum operatur, disponente, etiam ad Domum Claræuallis, quem locum sibi dormitionis, & sepulturæ fore semper optauerat, alia quidem occasione venire meruit. Contigit namque, vt supradicta Domus sancti Anastasij, quæ est vna ex filiabus Claræuallis, cuius ipse erat deuotissimus Monachus, spirituali pastore vacaret. Quapropter ab ipso summo Pontifice, & fratribus suis missus, domum adiit Claræuallis; vt inde nouum Abbatem ad arbitrium Patris eiusdem loci assumeret. Magis autem missus à Domino venit, vt de mundi huius pelago egrediens desiderij sui portum iam iamque teneret.*

b Ibidem.

c Psalm.

Dum ergo per dies aliquot ibidem moraretur, & de omnibus, quæ in sancto illo Conuentu videbat, & audiebat, ædificaretur, compungeretur, & ad deuotionem excitaretur; contigit vnum de fratribus, præsentis vitæ finem sortiri. Cumque tabula defunctoria sonante, illius cœtus (Monachorum scilicet, atque conuersorum) deuotissimum concursum, & occursum videret; commendationisque solemnem executionem; & in illatione funeris, cantus pietatem, magnaque multitudinis extensam, & ordinatam processionem; sacerdotum, & ministrorum pro anima defuncti Fratris Hostiam salutarem immolantium, sacrum obsequium; Psalmodia nihilominus circa corpus defuncti religiosas excubias; totus in affectum pietatis resolutus, & huius beneficij, quod semper optauerat, anxianti corde participium mereri desiderans, cum gemitu valido petiuit animæ suæ, vt moreretur; ex intimis medullis cordis clamans ad Dominum, & dicens: Moriatur, [d] Domine anima mea morte iustorum, & fiant nouissima mea horum similia. 3.

d Num.23.

4. *Exequiarum verò solemniis ritè celebratis, delatoque ad tumulum corpore, dum sicut moris est, tam nouiter sepeliendi, quam cæterorum fratrum ibidem pausantium sepulchra, Conuentus amplissimo ambitu corona in modum gyrasset, explicitis etiam Psalmis, sepulturæ attinentibus, Antiphona*, Clementissime Domine, *ab vniuersitate fratrum dulci modulatione decantabatur. Interim verò prædictus seruus Dei oculos non curiositatis, sed pietatis indices circumquaque ducens, atque reducens, sanctam illam multitudinem, velut Angelicum chorum lætus intuebatur: totusque dulcedinis, ac deuotionis affectibus in semetipso liquescens, quoniam in vita sua vnum ex ipsis fieri non licebat, nimirum obedientia renitente; vt saltem moriendo vnus ex eis fieri mereretur, feruentibus desiderij æstibus optabat, & orabat. Antiphona itaque percantata, dum in clausula eius, vbi dicitur,* Domine miserere super peccatore, *cuncti solito more veniam peterent, & pro anima defuncti fratris supplices exorarent; seruo Dei eandem veniam cum cæteris petente, atque eundem sermonem ardenti pietatis spiritu orante, rupti sunt fontes oculorum eius; largissimoque lachrymarum imbre faciem rigans, non solum defuncto requiem, sed & sibi celerem*

rum in eadem domo vitæ terminum postulabat.

5\. *Mox igitur diuina clementia desiderium serui sui effectui mancipare volente, in ipso loco inuasit eum peremptoria febris, quæ illum vsque ad exitum variis incommodis vexans, & subrepentium delictorum, sine quibus præsens vita non ducitur, rubiginem purgans, voti sui compotem tam fœliciter, quàm celeriter fecit. Sequenti verò nocte, cum membra sopori dedisset, apertum est ei cœlum; & vidit in eo Dominum nostrum Iesum Christum, eiusque beatissimam Genitricem Dominam nostram, nec non, & Sanctum Bernardum, aliorumque sanctorum multitudinem copiosam, cum gloria magna. Quorum fœlicissima visione ita lætatus est, vt iam se esse quasi vnum ex eis reputaret. Crescente autem languore, in multa patientia gratias agebat Deo, oris confessione, & cordis contritione; & sanctæ precis deuotione portionem sibi in terra viuentium dari precabatur. Sicque ad extremum deueniens, infra decimum diem sancto fine quieuit.*

6\. Hactenus sancti viri fœlix mors, quam ex necessitate naturæ vix fateatur, qui ex voto cognouerit: qui gratiæ munus fuisse, non dubitauerit. Certè, vt eiusdem Exordij Auctor subiungit. *Ecce Seruus iste Dei, cuius verè fœlicem consummationem descripsimus, doctus à Deo de virtutibus suis non altum sapere, sed in profectione sua semper timere Dominum, dum sanctissimæ Congregationis beatam societatem votis ardentibus concupiuit, quod viuenti virtus obedientiæ denegauit, eiusdem obedientiæ piissimus remunerator morienti benignè restituit; ipsúmque ineffabili gloriæ eorum, quæ solis perfectis Monachis debetur, associauit in cœlis, quorum sacris cineribus, vel in sepultura sociari humilibus votorum suspiriis præoptauit.* Memoratur in Menologio Cisterciensi Septembris XIX. sed nulla maiori temporis notitia, quàm nos habemus.

7\. Hoc item anno, sub quodam licèt dubio, nec modica distantia, notatum video à Doctissimo viro Auberto Miræo de Ecclesiastica vbique antiquitate sed in Belgio præcipuè, optimè merito, obiisse Matthæum Lotharingiæ Ducem, huius nominis primum, atque in Monasterio Clariloci à se fundato sepultum honorificè, vna cum vxore sua, quæ virum post aliquot annos sequuta est, vniuersalem præstolari resurrectionem. Verba eius ad litteram transcribo. [e] *Matthæus, primus Clariloci Monasterium, altero à milliari à Nancæio, construxit; & obiit ann. M. C. LXIII. aut M. C. LXXVI. ibidem conditus. Uxor Iuditha, aliis Bertha Friderici Imperatoris Soror fuit, ex qua genuit Simonem suum in Ducatu successorem: Fridericum Comitem de Bithsche, Matthæum Episcopum Tullensem à quibusdam electum. Et Alerdem Comitissam Burgundiæ. His addunt nonnulli Theodoricum electum Metensem Episcopum.* Hactenus ille: neque nos plura.

e *In notitia Eccl. Belgic. sub Lotharing. Ducib.*

8\. Regebat interim Ecclesiam Morimundi Aliprandus secundus; Vvalteri secundi etiam successor, qui breui præfectura functus, sicut, & Oddo, ante annum ad superos transierat: præmisso, an breui tempore sequuto Beato Lamberto, quondam Cistercij Abbate, quem supra diximus, abdicato pedo, priuatam elegisse vitam in Morimundo. Aliprandi præsulatus diuturnior fuit, ad quinquennium protractus, sexenniúmve, quo tempore, inuenta per miraculum, atque ad ipsum delata duo Virginum corpora, ex numero sociarum B. Vrsulæ, Morimundenses eximiè lætificarunt. Equus aliàs mansuetus, & domesticus, è stabulo resiliens, nec cibum sumens, latere in loco aliquid ostendit. Cum maximè quocumque inde extractus, obedientiæ consuetæ, & mansuetudini innatæ restitueretur. Effossa terra, thesaurus inuentus est, inter stercora fragrans, radiánsque; vt neque præteriri posset; neque ignorari. E colonia, nam ibi diu latuerat, primum ad Montem veterem: inde, cum filij aliis, nec minus certis sacrarum virginum exuuiis ditati essent; ad Morimundum dicitur transmissus, vbi hodie obseruatur in reuerentia. Non subest annus certus translationis: verum sub Aliprando Abbate factam, quod Tabulæ ad nos missæ testificantur, huic adscribendam censui, quod medius fuerit in eius præfectura.

Per idem tempus Sanctissimus Valcellensis Richardus Abbas, qui Radulpho successerat, meritis, 9.
ac reuelationibus plenus migrauit ad Dominum, succedente Nicolao viro æquè sancto, & quem sub eodem Pontifice Alexandro sub quo electus, & obiit; similis veneratio, & cultus præstolabatur, qui Radulphum; Richardumque manebat, vt suo loco dicemus. Richardum in Capitulo sepultum iuxta Radulphum compertum est; vnde clarus miraculis vterque, simul cum successore, auctoritate Concilij generalis eleuarentur. De die obitus videntur conuenire Belgici auctores, qui virum memorant XXVIII. die mensis Ianuarij: sic Arnoldus [f] de Raise, atque Henriquez [g] de anno nihil certi notatum video. Haud tamen censeo longius differendum; quippè leuando Nicolai corpore cum ossibus Richardi, atque Radulphi post annos sexdecim, Christi nimirum M. C. XXXIX. idque sub Alhelmo, quinto Abbate, inter quem, & Nicolaum alius intercessisset, vix potuit Præfectura Richardi vlteriùs progredi, ni successores nimium coarctemus, sed & vitæ, & miraculis post mortem, quæ eleuationem poscerent eiusdem Nicolai, tempus debet sufficiens assignari.

f *In Auctario.*
g *in Menol.*

Fuit Richardus, vt ex chronico Valcellensi Raise prius, & ex ipso Menardus tradidere, [h] *Moribus maturus, discretione præcipuus, hilaris vultu, affabilis in colloquiis, statura decorus, &c.* De Nicolao id tantùm licet dicere, quod æqualis doctrina, & sanctitate; at fractis per inediam, vigiliásque, salute, & viribus longè inferior fuit. Vnde, cum annos aliquot rexisset, Abbatiam tamen ante obitum deponere, & vitam priuatam agere decreuit: in qua quandiu vixerit, ignotum; illud compertum clarum vsque ad miracula; quem eisdem plus, quam Monachis clamantibus, eleuandum è terra, atque honorificè locandum, concilium duxit. Sed de hac eleuatione sanctorum corporum suo loco dicendum fusiùs erit. De Nicolao, iidem, qui de Richardo Martyrologium Monasticum; Menologium Cistercij: [i] Auctarium [k] Molani, [l] Fasciculus, [m] & alij meminere. 10.

h *in Martyrol. Maij 30.*
i *Maij 30.*
k *Decemb. 6.*
l *Maij 30.*
m *Lib. 2. dist. 64. 32.*

1. *Sancti Raimundi Calatraua Auctoris, mors, 2. Sepultura, & varia translationes. 3. De die primùm; 4. Deinde de loco obitus; 5. & successore Radulpho; 6. & cur inter Abbates Fiterij non inueniatur. 7. Petrus Alphonsus Lusitani Regis frater Monachum induit: 8. Cui nimium tentato Virgo apparet.. 9. Gundisaluus Viegas illi suffectus. 10. Bernardus Anziranus de profusione accusatus; 11. ex officinis, plenis per miraculum dati, & accepti rationem exactè reddit.*

Capvt V.

1. Compellat nos Hispania retardatos, imò accusat, quòd adeò externis rebus occupati, proprios fastos postremos referamus: & gesta quidem in ea digna Annalibus, quæ tres eius Prouincias celebriores, Castellam, Lusitaniã, Aragoniã, sed singulas diuersis, nobilitarũt. In Castella Raimundus Fiteriensis, mox Calatrauæ Abbas, atq; vtriusq; militiæ cœlestis, & terrenæ supremus Ductor: Post multas Victorias partas de Sarracenis, plures de Dæmone; post multos milites ad Ordinẽ admissos, queis vltra ipsam Calatrauæ arcem, & oppidum, plura alia loca, & castra, compẽsaret; post caputiatas galeas orbi inductas, cunctis fidei inimicis formidabiles: Demum post homines aptatos vtrisque armis, qui (Sanctio Rege quondam admirante, sed perhibente) & ad sonitum buccinæ leones, & ad tympani ictum agnos; illud in prælio, hoc in claustris imitarentur: Tandem plenus dierum, & virtutum, in vna ex villis, quas suis acquisiuit, *Ciruelos* loco nomen, defunctus est, atque ibidẽ honorificè sepultus; ingenti luctu vtrorumque subditorum. Claruit tamen miraculis in morte; vt in vita virtutibus; queis Rodericus Toletanus Præsul, simul, & sepulturæ fidem adstruit [a]. *Mortuus autem, sepultus est, in villa, quæ* Cirolos *dicitur, propè Toletum, vbi Deus per eum, vt fertur, miracula operatur.* Latiùs ex ipso, & aliis Mariana [b]. *Abbati, ait, Raimundo post aliquot annos defuncto ad oppidum Ciruelos, vbi, & sepultus etiam est, pro opera nauata honores à populo habiti, vsque eo, vt miraculis fulsisse creditus sit, qui cælestium numero reponatur.* Hæc Mariana.

a lib. 7. c. 14.

b lib. 11. c. 6.

2. Præfuerat Raimundus, cum desiit viuere, decem, & nouem annis in Nienzauas, Fiterij, & Calatrauæ; sex ante translationem prioris loci, in secundo octo, vtrobiq; quietem amplexus, & soli Deo militans; & tandem per quinquennium in Calatraua spirituali militiæ terrenam iungens, & cœlum tũ orationibus expugnãs, tũ hostes gladio. In loco vbi Sanctũ eius corpus sepultum est, sacellũ hodiéque manere dicitur, reuerentia thesauri, quem olim condidit. Post Toletum translatæ sacræ exuuiæ, in Monasterio Montis Sion, auctoritate Pauli Papæ II. litteris datis die XV. mensis Martij anno M. CCCC. LXVIII. collocatæ decenter, additis à Summo Pontifice indulgentiis, his, qui locum deuotè visitauerint. Demùm circa annum M. D. XC. super Altaris Aram ad Epistolæ latus, cuius medium effigies Sancti occupat, sub arcu lapideo pulcherrimè exornato, decentissimè repositæ visuntur; inscripta vrna litteris Hispanicis, quas, nec libuit, nec licuit immutare.

AQVI IACE EL BIENAVENTVRADO FRAY RAYMVNDO. MONIE DE ESTA ORDEN, PRIMER ABBAD DE FITERO: PORQVIEN DIOS A HECHO MVCHOS MILAGROS. ELQVAL DE LICENTIA DE EL REY DON SANCHO EL DESSEADO DEFENDIO A CALATRAVA DE LOS MOROS, E RESTITVIO EN ELLA EL ORDEN MILITAR DE CALATRAVA. MVRIO EL ANNO DE MIL, Y CIENTO Y SESENTA, Y TRES, TRASLADO SE AQVI. EL ANNO DE MIL YQVINIENTOS YNOVENTA.

3. Dies obitus hactenus ignotus, Arnoldo Vvionio occasio fuit Sanctum in additis ad Martyrologium. quorum dies ignorantur, recensendi. Melius Hugo Menardus, qui certum diem Pontificiæ concessionis (decimam quintam Martij) notandum censuit, vt translatio saltem certa commemoretur, quandiu non obitus. At qua occasione Henriquez in Menologio diem primum Februarij prælegerit, cum me lateat, non possum aperire. Aubertus Miræus [c] cautius à die abstinet, fallitur tamen, dum pro Raymundo, Rodericum Toletanum Præsulem citans, tandem concludit. *Translatum est ad Cœnobium Montis Sion iuxta Toletum, vbi quiescit in sacello, & tumulo sumptuoso, vnà cum dicto Roderico, nisi fallor.* Requiescit quidem, sed non cum Roderico, quippè hîc in Monasterio Hortensi iacet, Sanctum Martinum sequutus, quem summè coluit; à quo Toletum quadraginta fermè leucis distare noscitur. Sed de his satis.

c In Orig. Monast. lib. 5. c. 15.

4. Qua occasione perrexerit Ciruelos Abbas Sanctus, in dubio est: & potuit Dominij sui castrum visitaturus. Haud tamen censeo silentio prætereundum, quod in membrana quadam perantiqua, in Monasterio Fiterij, atque item S. Prudentij scriptum reperi concordante per omnia M. S. Sanbartholomæano, cuius fecimus mentionem; vt à Fiterio primum Calatrauam, sic mox à Calatraua, ad Ciruelos viuente Sancto, post eius mortem, à Ciruelos ad Corcoles; indéque ad Bugetum transiisse conuentum fratrum, crebris, sed fortè ad bella necessariis transmigrationibus. Verba membranæ lectori meo proponam. *Similiter* (ait) *à Calatraua, ad Cirolos propria auctoritate fuit translata (scilicet domus Fiterij) & postea à Cirolis, ad Corcolos; & à Corcolis ad Bugetum; verum quibus de causis toties se transtulerit, seriò percurrere audientium aures tædeat.* Hæc tantùm ibi. Nec credam facile sepultum in eo loco sanctum Abbatis corpus, nisi aliqua forma Conuentus ibidem esset. Siue ergo translatus illuc Conuentus, siue extensus, & veluti diuisus, cunctis se occursibus infidelium oppositurus; Sanctus vir inter fratres, & filios obiisse putandus est, cum quibus etiam voluerit sepeliri: consonat, quod in Calatrauæ deffinitionibus [d] habe-tur,

d In institut. c. 3.

tur, Monachos discedentes à Calatraua, post suppressum ibidem Abbatis nomen, in Ciruolos & Corcoles, mansisse; vsque dum ad Monasterium S. Petri propè Castrum Gumielis perducerentur? Neque enim credere licet viros Sanctos, & S. Raymundi filios, extra Conuentum mansisse tanto tẽpore; ni vitam ibi peragerent communem iuxta præscriptum regulæ, statim ad Fiterium redituros.

5\. Rades Andradius[e] post obitum Raymundi, quo iure, qua iniuria, Abbatiam suppressam in Calatraua, atque Magistro ex Militibus electo concessum regimen, quamuis oppositum in antiquis chartis inueniri non neget, cunctanter affirmat. Innixus Alexandri priuilegio sequenti anno expedito, ad instantiam Magistri: & reuera iam tunc Monachos pulsos, capellanis admissis, & Abbati, Magistrum; Monacho laicum successisse, multa, & certa instrumenta contestantur, quæ in tempore à nobis reddenda erunt: At non statim à morte Sancti viri, imò nec sine aliqua occasione, ipsa rei gestæ ratio persuadet. Cur enim statim à Monachis deciscerent, quos parentes habuissent, aut regimen Abbatum, quod non nisi sub Sanctissimo viro experti essent; & sub quo adeò floruissent, detrectarent? Sed nec Chartæ illæ antiquæ contemnẽdæ, quas nulla vtilitas potuit confinxisse: maximè, si concordent testimonia, quæ sola veritas solet conciliare. Ergo in membrana illa Fiteriensi, itémque in alia San-Bartholomæana, atque vtraque, vt dixi, satis antiqua, antiquis notata characteribus, sic scriptum lego. *Sed primus Abbas, scilicet Raimundus, qui à Fiterio in Calatrauam translationem fecerat, apud Ciroles obiit, & ibi sepultus iacet. Secundus verò Abbas, qui huic successit, in domo Calatraua migrauit, & in Corcolis sepultus inuenitur. Hoc secundo defuncto propter eiusdem iniustas exactiones, & alias inordinationes; fratres Calatrauæ hoc non ferentes elegerunt sibi Magistrum*, &c. Hæc ego ex antiquis M.S. atque ex ipsis, in quibus reperiuntur Bibliothecis, venerabilibus, veritatis amantior, quam Monachismi, euulganda putaui; militiæ inclytæ pro tempore honorifica, quæ sine causa in parentes non rebellauerit: nostris non indecora, quos eò magis Raimundus illustrabit, quominus similis ei alter inuentus fuerit. De nomine Abbatis nihil certum, sed qui loco Raimundi suffectus est, Radulphum appellatum, idem Rades affirmat eodem loco. Ego crediderim Radulphum successisse: sed, qui, cùm bella improsperè tractaret, ad exactiones, tributáque confugerit, quasi fortunam pecunia redempturus; quod frequens malum.

[e] Histor. Calatraua, c. 6.

6\. Certè hic Radulphus in Cathalogo Abbatum Fiteriensium non memoratur, velut qui illi domui nunquam præfuerit; vt vel hinc reuincendus veniat Rades, qui putat ad Fiterium transmigrasse, cum paucis Monachis. Idem Cathalogus post Sanctum Raymundum Guillelmum nominat, qui Fiterij præfuerit vsque ad annum Christi. M. C. LXXXII. Sed qui Raimundo, vt puto, non tam successerit, quàm Abbatiam suppressam restituerit; viuente adhuc Raimundo, illuc transmissus ab Scalæ Dei Abbate, cum eam domum desertam, missis Monachis, denuò restaurauit. Verùm quod in eodem Cathalogo inuenio eumdem Guillelmum extitisse Priorem sub Raimundo, non satis constat; nisi fortè ipsius experimento delatum fuit, vt Monachis ab Scala Dei missis præficeretur. Res perantiqua, & inuoluta silentij auctorum tenebris, & in qua longè faciliùs, quæcumque reprobes, quàm eligas, quod sit meritò approbandum.

In Lusitania Magister nouæ Militiæ, Regis Alphonsi frater, Petrus Alphonsus, cum multis annis Bernardi vocationi, magis Spiritui sancto restitisset; tandem in somnis ab eodem Sancto admonitus, in Monasterio Alcobatiæ conuersus est, fœliciter ibidem consummandus. Hic Comitis Henrici nothus, Alphonso minor, vix sexennis relictus, regia nihilominus magnificentia educatus est. Pueritiam erudiente Freas Rophinio, ex prima Lusitaniæ nobilitate. Inde cùm in Gyganteum corpus euaderet, & magnitudini vires, ac viribus industria responderent; ostentandæ militaris virtutis ardore Lotharingiam, Germaniámque, mox omnes Galliæ prouincias peragrauerat; vsque adeo victoriis gloriosus, vt Ludouico Rege promouente, etiam inter Pares Franciæ (sic historiæ produnt) numeraretur. Inter hæc ingredientem Claramuallem cum aliis pluribus, cereuisia benedicta per Bernardum ad Cistercium vocauerat, solùm cæteris tardius responsurum. Sed Lusitania virum præstolabatur; præstolabatur Alphonsus, insignes per eum victorias de Sarracenis, illustres de hostibus Christi triumphos reportaturus. Non vnquam sine ipso Frater vicit; per ipsum sæpius. Nec inferior virtute, in Deum pietas, in homines largitas; quibus omnino nihil arduum vnquam fuit. Et iam factus Magister Nouæ militiæ, post gloriosam victoriam de Sarracenis, spolia suis diuidere parabat, cum ecce in somnis Bernardi Patris imago, qualis ab ipso visi, dum adhuc viueret; quam, cucullam, in manibus gestabat, dormienti imposuit, increpans virum, quod gratiæ Dei resisteret. Horruit Dux, vel insomnis; sacram vestem, & dum à se respuere conatur, tandem euigilans, nequaquam vltra duxit recalcitrandum. Alphonsi Regis frater, virtutis specimen, Magister, & spes Nouæ Militiæ, terror Arabum, Lusitaniæ totius murus, obtenta prius licentia à pio fratre, atque ipso præsente, & & lachrymante, humilem Monachum induit in Alcobatia, ex tunc iam soli Christo, nec contra alium, quam contra se ipsum, militaturus. 7.

Ferunt, cum caro deliciis mundi sueta, rebellaret in spiritum; nec par esset insolitis laboribus; & corpus validum, ac multo cibo egens, sub oleribus gemeret, atque abstinentiam insuetam detrectaret; per continua cilicia, per vigilias, per verbera macerasse rebelles artus: quos cùm nec sic domare præualeret; recurrisse ad Virginem, fauorem eius, atque intercessionem, quanto posset affectu, rogaturum. Tum verò matrem totius misericordiæ apparuisse dormienti, velut quæ ad eum ab altari ipso descenderet, & bono animo esto, Petre, ait; ego pro te rogaui: non vltra carnem rebellem experieris. Dixit, & signo Crucis illi impresso, ad altare reuersa: quem tactu sacræ manus excitauit, virtute redemit, nullam vlteriùs in Ordinis laboribus, nullam in cibis pugnam perpessurus. Hactenus ex Bernardo[f] Brito Lusitano, quæ ipse pluribus. Reliqua infra reddemus, cum tempus venerit. Induit Monachum, si plena fides scriptis, annos natus septem, & quinquaginta, plus minúsve: quippè anno Christi M. C. XII. quo pater decesserat; sexennis relictus, vnum, & quinquaginta sub fratre egerat: quinquaginta in sæculo, in noua Militia annum; &, si credamus Brito, nondum integrum. Hinc factum est, vt ab aliquibus auctoribus, nequaquam inter Auisienses Magistros connumeretur. 8.

[f] lib. 5. histor. Cister. c. 16. & 17.

Petro

9. Petro Alphonso in Magisterio nouæ Militiæ, Gundisaluus Viegas subrogatur g, filius Egeæ Munniz, nutritij Regis, quo factum est, vt Alphonsus, quandiu vixit, quia filios non potuit, iunctiores sibi, quos potuit consecraret nascenti Ordini: geminos fratres, primum ex parente, secundum ex Nutricio sibi charissimo, quem non minus, quàm patrem veneraretur. Quippè tunc puer tantum, & vix nouerat: nutricium semper Achatem fidelem habuit; in bello æquè, & in pace, præceptorem, atque vtrobique dignum tanto discipulo. Creuit sub Gundisaluo noua Militia viris, & possessionibus; atque à Conimbrica, ad Eboram translata, tunc primum nomen à loco sortita est, quod vtrumque successor commutauit. Vt latius disserendum per annos singulos. Non satis constat de cuius Abbatis manu insignia magisterij Gundisaluus acceperit, obedientia promissa, iuratáque ad quam ex regulæ præscripto tenebatur. Credendum tamen, viuente Ioanne Zirita, quamuis iam abdicata Præfectura, non vllum aliud vocatum ad illud munus, sicut neque ad militiæ constructionem. Hæc in Lusitania.

g Diffin. tit. 1. c. 6.

10. In Catalaunia Bernardus Anziranus, Reguli Carletensis filius, qui in Populeto Monachum induerat, quanto tardius ad fidem Christi conuersus, eò feruentior, ac pietate insigniori decorabatur. Præfecerat cellario Monasterij Stephanus Abbas; & quam olim Valentini Regis Fisco; negotiis domus, operam impendere, homini industrio, expertóque præceperat. Et crescebant sub ipso annui fructus; sed qui in pauperes largè distributi, siue, vt aliquibus videbatur, prodigè, vix putarentur conuentui suffecturi. Crescebat in dies concursus aduentantium; nec numero alendorum multiplicato, panes decrescere, aut minus singulis tribui, animaduersum zelatúmque; ne domus Dei exhausta, deficiente annona, ad vltimam miseriam redigeretur: esse modum in omnibus virtutibus, quem vltra non sint tales: nec liberalitatem debere dici, quæ omnem liberalitatis materiam de medio tollat: nam vnde postmodum liberales existant, cum nihil habeant? quin, si cogantur præ inopia mendicare, absumpturos aliorum misericordiam; vt imparem vtrisque sustentandis, sic permissuram tot pauperes perire, quot alat Monachos: Exigendam proinde rationem à Cellerario; & computandos cum fructibus perceptis, fructus consumptos; atque item necessarios, vsque ad messem: tunc eroganda, si quæ fortè superfuerint: sed defectura, vt necesse erat, in proximo supplenda potiùs aliunde, quàm exhaurienda; & prouidendum ministrum prudentiorem, qui liberalitatem, parsimonia producat, non profusione impediat, nec petere cogatur, dum dare properat.

11. Hæc & similia ad Abbatem producta, primùm omissa; à magnanimo, incertú, an pusillanimi; certè à nolente, quem supplere minus posset defectum, agnoscere: sed mox, increbescentibus rumoribus, ad examen delata: & Bernardus ad iudicium vocatus est, dati, & accepti rationem redditurus. Iam libri ante Abbatem positi erant, iam sumptus comparati perceptis fructibus, duplo ferè excessisse comperiebantur; iam timebatur ingens æs alienum, quod ad excessum, Bernardus contraxisset; cum sanctus homo spiritu Dei plenus, & de exhibitione præcedentium, (nam creuerat annona, pecuniáque, hactenus ipso minùs aduertente; firmam concipiens futurorum expectationem) Ego, ait, ab extraneis nihil accepi, sed neque libros habeo certiores, quàm horrea Monasterij, & officinas: illic acceptum, & datum computetur. Nihil de foris aduenit; si quid habuerit, ea debiti nostri summa erit, in anni reliquum prudentius distribuenda. Res mira, sed certa, atque eò per multos comprobatior, quò mirabilior! Frumentū, vinum, oleum, pecuniáque, & si quid aliud cōuentus adquisierat, redundabat in doliis, horreis, thecis; ac si pluribus duplo cōgregatis, nihil omnino ex eis haustū fuisset. Hoc fuit initiū signorū B. Viri conuersi ex Mahometismo, prout narratur ab antiquis Scriptoribus [b]. Inde firmatus in fide, & charitate, profusior in dies, sed neq; Monachi experti Dei virtutem, & Sancti hominis merita, alium habere voluerunt dispensatorem. Vixit post hæc per annos fermè viginti, non minus signis clarus, quàm virtutibus; negotiis domus exteriùs ita intentus, vt nihilominus intus Deo vacaret; diuisa in varias curas parte inferiori: sed superiori vnita, ac cœlum intuenti: quæ nihil aliud, quàm gloriam Dei attenderet.

b Anton. Benter. lib. 2. c. 35.

---

1. Vvalterus Meilrosiæ Conuersus, à Fide cadit. 2. In loca pœnarum per visum deducitur: 3. nec sine violentia, cuius signa ostensa, liberatur. 4. Dehinc Sanctorum gloriam per speciem videt. 5. à Beato Vvaleno corripitur, & admonetur. 6. Huius secundæ visionis mirus effectus. 7. Fœlix illius, & aliorum Meilrosensium fratrum prauisa mors. 8. Perpensa historia. 9. & notata duæ fundationes præsentis anni.

CAPVT VI.

1. CIRCA hoc tempus, nec enim constat annus, nisi quod post decessū B. Vvaleni, in Meilrosia accidisse lego rem planè mirā, quam Author vitæ Sancti memoriæ prodit. Nec nobis licet silentio præterire [a]. *Erat Conuersus nomine Vvalterus* (longè diuersus ab eo, quem suprà dedimus) *in eodem Cœnobio, cuius cor Sathanas tandiu cribrauit, sicut triticum, donec penè Fidei medullam excuteret; & animam eius, tanquam paleam exsufflatam à facie venti, igni inextinguibili traderet: subtilibus argumentis fallacia sua illum supplantare, & subuertere nixus; quasi sub veritatis specie decipulam palliaus, & velut in calice aureo virus propinans; hominem illiteratum veteris legis ceremoniis, & prophetiis, in litteris discendis, insudare faciebat. Cœpit ergo paulatim mentis oculus circa cultum Christianæ Religionis, & vita regularis custodiam caligare; donec penè rationis lumen perderet; & Iudaicam sectam, veritati Catholicæ, credendo præferret. Ad vltimum in eo tantùm infidelitas accepit incrementum, vt nullam aliam vitam, nisi præsentem crederet. Et quod Scriptura sacra de pœnis reproborum, & gaudiis Iustorum loquuntur, nihil, & inane reputaret. In hoc errore ferè septennio manens pendulus, sub habitu Religionis*

a lib. 2. c. 4.

gionis vinens, non Abbati, nec alicui patri spirituali conscientiam reuelare voluit. Singulis etiam diebus ante noctis crepusculum, similiter, & noctibus ante diluculum proposuit habitum abiicere, & ad saeculum redire, diésque suos in malum consumere.

2. *Sed Deus omnipotens, qui, cui vult, & quandiu vult, & sicut vult miseretur; & ex vasibus irae, facit vasa misericordiae; & iubet de tenebris lumen splendescere, tali modo conuertit hominem ab errore viae suae. Quadã meridie, dum in lecto soporatus quiesceret, duo viri praeclari coram eo assistentes apprehensa dextera, eum deduxerunt in quendam hortum viridissimum, vernantem, & odoriferum. Illi verò, infidelitatem eius ei improperabant, & aspera, atque amara se illi illaturos minabantur. At ille conscientia damnatorio testimonio accusatus grauiter torquebatur; séque cuncta mala sibi inferenda iustè promeruisse protestabatur. Cúmque prospiceret vndique si fortè veniret auxilium, aut solatium; vidit Sanctum Vvallenum Abbatem, in eminenti loco, & perlucido, sedentem, turbámque candidatorum circunstantium, & circumsedentium. Adductus itaque in conspectu eius, veniam, prostratus pedibus eius, petiuit: & post aliquantulam morulam, quid de se fieri deberet, inquisiuit. Abbas Sanctus aliquantulum deliberans, sententiam sit dicens, quod diu occultauit in corde secretò, nunc reuelabitur in publico. Deinde ductoribus eius, ait sicut promeruit, imponatur rotae versatili, cui similes sui Infideles sunt imponẽdi; deinde ducatur ad loca poenaria, vt discat, quãta sit inter reos, & Iustos distãtia. His dictis, ductus est, & impositus cuidam rotae, cuius statura, & altitudo erat horribilis valde, summitas eius coelos tangebat, extremitas abyssum, subtúsque eam igneus fluuius decurrere videbatur, vt si quis de rota vertigine caderet, in ignis voragine demergeretur. Erant huius rotae latera, ac media, & radij vndique dentati, atque densati, quasi clauis ferreis acutis, & longis. Huic rotae ferreae imposito, & astricto, quidam in manibus clauos tenentes percutiebant rotam, móxque velociori vertigine versabatur, quam lapis molaris in molendino. In illa diu cruciabatur. Deinde depositus, ad quoddam mare ductus, in eius profundo mergebatur.*

3. Pergit ad alia tormentorum genera, quae per visum ostensa trepidanti: & tandem concludit. *Cúmque tremulus staret; existimans se medius flammis proiiciendum, decedentibus ab eo ductoribus, corruit in terram, velut mortuus. Tandem rediuiuus ad se reuersus, manibus, genibúsque repando, cum se omni conamine elongaret à loco tormentorum, prospexit eminus, non multum distantem ab eo domum praeclaram, perlucidam mansionem; cuius inhabitatores clari clamore magno illum ad se vocando praecipiebant properare, pollicentes ei quietem magnam, & liberam ab omni metu talium suppliciorum. Ad hanc vocem, prout potuit, surrexit, & versus vocantes se gressus accelerauit. Duo verò tetri illum insequebantur, & comprehendere nitebantur; ipso autem velociter currente, sanguis erupit, è naribus eius, & ore. Et cum venisset ad portam domus praedictae, corruit in limine. Viris quoq; candidis intrò eum per brachia, nigris per tibias ad se foras trahentibus; euigilauit, suúmque ceruical sanguine respersum inuenit, séque sanguine fluere sensit, & mirum in modum apparuit in eius corpore, quod in anima dormiens antea pertulit.* Hactenus de ostensis poenarum locis, comprobata per signa visione, quae hominem reuocaret ad fidem metu gehennae: & quam vix euasisset, damnationis. Verum, vt neq; de prẹmiis dubitaret, qui poenas nouerat: & motiuo timoris satis vtili, honestius adhuc motiuum spei succederet: priorem visio altera sequuta est, quam idem Author recenset sequenti capite.

[b] *Post haec* (ait) *in lecto decubans* (scilicet idem Vvalterus) *cum daret somnum oculis suis, & palpebris suis dormitationem, vidit in visu noctis duos illos praeclaros viros praescriptos ad se venientes, & apprehensa dextera eius, in hortum praenominatum coram Sancto Vvalleno se ducentes: frater ille recolens sententiam illius, priorem, & praeteritam, formidabat ventura peiora prioribus. Absentare, & abscondere se voluit à facie illius. Abbas autem Sanctus vultu sereno, & ore iucundo, illum ad se accersiens, ne timeret admonuit: Deinde ductoribus eius dixit. Ad loca requiei, & gaudij ducite illum, vt sciat reprobare malum, & eligere bonum. Ad hanc iussionem egrediens de horto, sustulerunt eum in montem excelsum valde, in quandam regionem lucis, ac pacis, latissimam. Vidit ibi mansiones multas, spatiosas, & speciosas; quasdam quasi de auro purissimo, quasdam de argento probatissimo, quasdam de ebore candidissimo, quasdam de lapidibus pretiosis constructas. Omnes incolae erant iuuenes splendidi, laetitia pleni, crebrò, inter caetera Cantica, Alleluya canentes, quorum plures prius agnouit in mundo degentes. Prospexit itaque ibi fluuium nectareum, & plura genera arborum, & florum terrigenis ignotorum.* 4. b Cap. 5. li. 2.

5. *Cùm verò ardentissimè desiderasset ibidem demorari, duces ipsius vltra murum quendam aureum altum nimis transuexerunt illum in aliam regionem lucidissimam, in cuius comparatione prioris patriae lux perexigua censebatur. Audiuit inibi tale, tantúmque melos, quale, quantúmve aures humanae capere, vel lingua carnis nequit exprimere. Cúmque staret, quasi prae gaudio stupefactus, affuit Sanctus Vvallenus, & dixit, vidisti supplicia reorum, & praemia iustorum, noli esse à modò incredulus, sed fidelis; declina à malo, & fac bonum; diligenter, & perseueranter obserua Ordinis, in quo vocatus es, sanctum propositum.* Et post pauca. *His dictis, ductores eius, per viam ignotam vsque ad portam de Meylros eum reduxerunt, & continuò ab eo discesserunt. Qui statim euigilans, se sensit sanum, & immensa laetitia perfusum.* Hoc insigne prodigium in Meylros reliquos omnes exterruit, & confirmauit: indubitato casu miseri fratris, nec minus certa Dei miseratione, atque Vvalleni meritis praeteritis, interuentione praesenti, per quae ad portum salutis emersisset.

6. Caeterùm vt priorem visionem sanguis, & liuor veritatem testantia sequuta sunt; sic posteriorem gloriosi alij effectus. *Mira res* (pergit scribere idem Author) *is frater ante visionem istam erat valde simplex, hebes, & impedita lingua, sed post, subtilis effectus est, & eloquens; ita vt in promptu haberet rythmos componere, rethoricè, & venustè. Vnde postea Euangelia plura, & expositiones eorum, ac historias, & sermones Orthodoxorum Patrum, & visiones istas, & alias, Anglica lingua, nobili stylo rithmicè dictauit; & audientes Abbates, & alias excellentes personas in admirationem, & multoties in lachrymas resoluit.* Sic non latere potuit diuina virtus: quam tamen multo certius expressit mutatio hominis, sic enim sequitur. *Ipse in reliquum vitam suam in magna religione composuit; abstinentiae & lachrymis assuefactus est, & aliarum virtutum exercitiis, dies suos in bonum consummauit.*

7. Quandiu vixerit ignotum nobis adhuc, verum quae in eius morte gesta sunt, quia ad gloriam Monasterij Meylrosensis, & qui, in eo, floruerunt, Sanctorum, multum conducit, cum nullus alius certus annus subsit, hîc consequenter censui describenda.

e Cap. 6. li. 2. da[e]. *Ante paucos annos mortis suæ, membris præ infirmitate debilitatus* (scilicet Vvalterus) *cum ex iussu, dormitorium custodiret Conuersorum, quadam meridie cæteris soporatis, dum ipse vigilans intenderet orationi, vidit Sanctam Dei genitricem Mariam, quasi Reginam coronatam incedentem cum duabus Virginibus obambulantibus, & obsequentibus ei: per claustrum, & dormitorium Monachorum ingredientem: & quendam cum atramento scriptoris, & pergameno sequentem; ipsa Regina erecta dextera, claustrum, & dormitorium, ac dormientes benedixit; veniens autem ante grabata quorundam, iussit scriptori suo dicens: scribe nomina illorum, quia iam parati sunt. Deinde de dormitorio exiens Monachorum, per Ecclesiam, inclinans ante altare, venit ad dormitorium Conuersorum. Transiens per singulos, præcepit scriptori suo eorum, quorundam nomina scribere, pronuncians paratos esse. Quo facto scriptor ille fratrem ista videntem intuens, sciscitatus est dicens: Domina quid iubes facere de isto fratre, cui concessisti ista videre? & Domina cæli, & terræ: etiam, inquit, & hunc scribe. Quo facto recesserunt, & ab oculis eius euanuerunt. Ipse vero multũ admirans meditabatur in cordis cubili secreto, quid portẽderet ita descriptio, nec multo post secundum ordinem descriptionis nominũ sequuta est defunctio, singulorum scriptorum. Postremò ipse graui infirmitate tactus, ac sacra vnctione atque viuificis sacramentis munitus, visionem præscriptam quibusdam familiarissimis suis enarrauit, mortem suam prædicens: læto vultu, mente hilari illam expectans, vltimus descriptorum in pace quieuit.*

Historiam hominis integram, quia alibi non potui maiori fide, nec tamen omittendam fore putaui, hic inserendam duxi: quæ Vvalleni pro suis solicitudinem, Virginis in Meylrosia protectionem, & pium Matris affectum palam facit: quæ Vvalterij Conuersi fœlicem lapsum, sed longè fœliciorẽ resurrectionem, visiones æquè miras, certásque magnitudine conciliantes admirationem; sed multo magis fidem, ipsis euentibus; vnde spes, vnde timor oriatur, proponat lectoribus; hic, continendis iustitia sanctis; illa, ad iustitiam peccatoribus reuocandis. Demum non licuit prætetire gloriosos obitus tot fratrum Meylrosensium ante visos, reuelante Maria: & testimonium illis perhibente, quod parati ad nuptias, thalamum forent cœlestem ingressuri. 8.

Sequitur Chronologia Cœnobiorum, quæ rursus arcta, quippè duo tantùm recenset Luba, & Lubes; illud Kalendis Iulij, hoc decimo septimo Kalendas Septembris, mundo exorta. Et quidem Lubam filiam Sanctæ Crucis in Boëmia fundatam Abbatiam, memorat Genesis Ecclesiarum Morimundensium. De Lubes parum, aut nihil dicere audeo, si diuersa à Lubenti Poloniæ, de qua suprà, cum maximè anno M. C C. X X V I I. Alia domus notetur eiusdem nominis. 9.

IESV CHRISTI ANN. 1164. — CISTERCII ANN. 67.

1. Varij, & graues euentus præsentis anni. 2. Thomas, vt Regi consentiat solicitatus; 3. ex sententia, vt putauit, Summi Pontificis, 4. Regi tandem consentit illico ad monitionem cuiusdam Clerici, sicuti ad Galli cantum, retractaturus. 5. Auctorum dicta de pœnitentia Sancti. 6. Consuetudines Regiæ, quæ petebantur, 7. ex quibus quasdam recenset Sarisberiensis; 8. & Nuntius Thomæ præuentus ab Alexandro.

CAPVT I.

1. INGREDIOR annum millesimum centesimũ, sexagesimum quartum, Cistercij septimum sexagesimúmque plenum variis casibus; prospera, aduersa, dubia, & belli, & pacis negotia continentem. Vix ferè quidquam Ecclesia multis sæculis, quod non hoc anno habuerit: vix quid hoc anno, quod non per Cistercienses, Cistercio item veniat adscribendum. Et illustrabunt annales Ecclesiasticos, quæ plura addiderimus, haud contemnenda. Regna terræ insultantia Sacerdotio, & Antipapis sibi succedentibus, continuata schismata: Monachi per Conuersos suos pulsi de sedibus; nec minus ideò admittentes expulsores; atque id genus alia dicenda erunt. Ordiar porrò à Thoma Cantuariensi, eiúsque primùm culpa, mox pœnitentia; atque inde ortis, siue fuga, siue exilio; Europæ in scandalum, Regibus (nam quis neget) in confusionem; nostris in gloriam. Quippè exceptutis quẽ illi repulissent; neque vt hospitem tantum, sed vt domesticum: verùm ex tunc futurum Cistercij Monachum Summi Pontificis Alexandri authoritate. Persequar autem singula seorsim; quæ Baronius prosequitur, perstringens; quæ omisit, vberius tractaturus.

2. Disceptabatur inter Henricum Regem, & Episcopos Angliæ super antiquis regni consuetudinibus, (sic enim eas Henricus appellabat) & ille quidem confirmandas ab eis per iuramentum sine vlla exceptione contendebat: hi se non absolutè iuraturos, sed saluo Ordine suo profitebantur. Et iam Henrici furor actiùs sæuiens ab ipsa resistentia, qui mos est Principum, aduersùs Cantuariensem debacchari, atque omnẽ Anglicanam Ecclesiã comminabatur: cùm ecce Episcopi, siue assentatione in sceptrũ, quæ magnos viros etiã solet inuoluere; seu metu indignationis illius territi; ad posterũ, vel quia ipsi ita sentirent; credendũ ad tempus, & dandum locũ iræ, nec resistendum furenti tẽpestati, quandiu nõ deferbuisset, consultũ ibant. Animos Regũ fluctibus persimiles, quibus naues permissæ supernatent, si obnitantur, statim obruẽdæ. Virgas flexibiles integras manere, duriores frangi; & subiectis Henricũ indulturũ, quæ tunc per vim extorqueret à rebellantibus. Tũ si fortè persistat in proposito, quãto minori dedecore Ecclesię duo verba omitti, quam totum ius amitti patiantur? Illa præcipuè, in quorum omissione nullum scandalum; nam de nouo inuenta, & quæ vel tacita debeant subintelligi. Nam quale iuramentum foret, aut ad quid obligaret si contra Ordinem? Ast si non concedant, iutra omnia pessum: & ruptis semel habenis, nihil futurum, quod non cum scandalo infringat potentia furens. Misereantur Ecclesiæ Anglicanæ, & dissimulent aliquid; ne cuncta simul pati necesse habeant. Demum affuerunt, qui nomine Alexandri hoc ipsum Thomæ consilium instillarent.

3. Putat Baronius [a] damnandum in Rogerio, quod dixerit suasione Alexandri Papæ, à Sancto Thoma erratum; si quid errauit. Nec dubito Sanctissimum Pontificem nihil contra Ecclesiam suasisse Martyri Sancto. Verùm eidem suggestum illius nomine, vt Regi consentiret, & verbum illud, *saluo Ordine suo*, non superadderet; ab Auctoribus Quadripartitæ historiæ proditum, quos sequitur Baronius, nec ipse quidem negat, dum ita ait [b]. *Crebris impetitur (scilicet Thomas) multorum Episcoporum, & Abbatum suasionibus, ne vnius verbi occasione seipsum, vnà cum vniuersa Ecclesia in discrimen adeò patens importunè valde coniiceret; asserente & vno ex eis Abbate, hanc esse mentem ipsius Alexandri Romani Pontificis.* Clarius adhuc Magister Eduardus in Actis Sancti [c]. *Interea*, ait, *Abbas quidam magnæ existimationis, è regionibus transmarinis superueniens, attulit litteras, vt ipse dicebat Pontificis, & Cardinalium, hortantium Archiepiscopum, vt Regi consentiret, quandoquidem certos Rex ipsos fecisset nihil eum contra Ordinem ab illo exacturum.* Ergo hanc esse mentem Alexandri prudenter credere: atque inde magis, quàm ex cæteris rationibus Archiepiscopus Thomas potuit sibi sequendam persuadere.

a In Annal. Angliæ. hoc anno.

b Hoc ann. in princ.

c Apud Sur. tom. 6.

4. Certè siue hac, siue illa causa motus, consensit Regi, & fluctuans licèt, atque in solo peccato varius, qui in pœnitentia supra humanum modum constans futurus erat, Conuentu Episcoporum, Procerumque apud Clarendunam abs Rege congregato, hoc [d] *anno ab incarnatione Domini millesimo sexagesimo quarto Pontificatus Alexandri anno quinto, illustrissimi Regis Anglorum Henrici secundi anno decimo, quarta die ante Purificationem Sanctæ Mariæ Virginis*, hoc est sub finem primi mensis eiusdem anni, consuetudines Regias iurauit bona fide, & sine addito diminuente *Ordine suo salui*. At cum productis eisdem consuetudinibus, & in formam Chirographi redactis, multæ inter illas nequaquam tolerandæ, & quæ plurimum Ecclesiæ derogarent, conspicerentur: Cumque vlterius isdem Archiepiscopus, à quodam Clerico suo, qui crucem ante ipsum portabat, velut præuaricator argueretur; tum demum homo ad vocem illius clerici, sicut ad Galli cantum Petrus olim, agnoscens crimen, atque ipsa remordente conscientia ad se reuersus. *Pœnitet me, ait, & grauiter; & meum exhorrescens excessum, meipsum iudico indignum, qui de cætero ad eum accedam in sacerdotio, de cuius Ecclesia contraxi tam vile commercium. Silebo itaque sedens in mœrore, donec me visitarit Dominus ex alto; vt per ipsum Dominum, & Dominum Papam merear absolui. Statimque inde destinauit Nuntium ad sedem Apostolicam.* Hæc de Thoma cadente, surgentéque, Quadripartita eiusdem vitæ historia; in qua etiam de his hæc per Apostrophem.

d Ex eodem epistol. Thom. lib. 1. post. epist. 11.

5. [e] *Vir ergo inuicta constantia, & in petra Christi fundatus, nec blanditiis emollitus, nec terroribus concussus: tandem à gremio veritatis, & sinu matris auellitur, cuius libertati adhærebat. Et ne victor in lite, per superbiam, intumesceret in mente, inde deficiens, vnde proficere deberet; derelinquitur ad horam, scilicet, vt cadat, & post casum resurgat; cadens, humanam fragilitatem agnoscat, resurgens circa se diuinam miserationem intelligat. Sic ne quis de sua virtute confidat, Princeps Apostolorum Petrus, & Dauid Sanctus ceciderunt: sic Beatus Thomas tentationi relinquitur ad horam, vt post modum fragilitatis propriæ memor, fortior resurgat ad pugnam.* Ioannes Saresberiensis apertè tradit peccatum S. Thomæ non excusandum; sed ostendendum per pœnitentiam esse purgatum, ait enim [f]. *Pollicitationem Clarendunæ, ad quam de consilio Episcoporum impulsus est, purgare non possum, quia non fuerat vtique facienda: sed offensam confessio diluit, accepta solemniter pœnitentia.* & alibi [g]. *Mittitur vobis epistola eius, vbi pro se satisfacit ex parte; sed quia deliquit, pœnituit, confessus est, à Domino Papa absolui meruit, causa cognita, & vt Ecclesiam Anglorum ab illicitis, & extortis obligationibus absolueret, impetrauit. Qui ergo imitati sunt, vt aiunt, delinquentem, quare pœnitentem, & satisfacientem non imitamur?* Cardinalis Baronius Thomam Petro; concedentem, neganti; Clericum, Gallo comparandos censuit; additque. *Fuit planè iste* (scilicet Clericus) *Gallus ille, cuius clamore excitatus Petrus fleuit amarè: statim namque ingemuit Cantuariensis, & suspirans adiecit. Pœnitet me, & grauiter, &c.* Igitur Thomas seipsum sacris inhibens, neque vltra ausus accedere ad Altare, ad Alexandrum misit, confessus culpam, pœnitentiæ subiectus, & veniam rogans, *& quia hæc* (ait Rogerius in annalibus) *tam inconsultè fecerat, ipse seipsum suspendit à celebratione Diuini officij, ab illa hora, vsque dum ipse, vel Nuntius eius loquutus fuisset cum Domino Papa.* Cæterùm quænam illæ consuetudines, quibus visis, exhorruit; & quas à se promissas in tantum doluit, Cardinalis Baronius tradit, ex Vaticano Codice, vbi; & damnatæ seorsim adnotantur.

e Apud Baron. hoc anno.

f Ibidem.

g Epist. 186.

6. 1 [h] *De aduocatione, & præsentatione Ecclesiarum, si controuersia emerserit inter laicos, & laicos; vel inter Clericos, & laicos, vel inter Clericos, & Clericos, in Curia Domini Regis tractetur, & terminetur. Primùm hoc damnauit S.R.E. sub Alexandro tertio.*

h Hoc anno.

2 *Ecclesiæ de feudo Domini Regis non possunt in perpetuum dari, absque assensu, & concessione ipsius. Hoc tolerauit.*

3 *Clerici citati, vel accusati, de quacumque re, moniti à iustitia Regis, venient, in Curiam ipsius, responsuri ibidem de hoc, vnde videbitur Curia Regis, quod sit ibi respondendum. Ita quod iustitia Regis mittet in Curiam Sanctæ Ecclesiæ ad videndum, quâ ratione res ibi tractabitur, & si clericus conuictus, vel confessus fuerit, non debet de cætero eum Ecclesia tueri. Hoc damnauit.*

4 *Archiepiscopis, Episcopis, & personis Regni non licet exire de Regno absque licentia Domini Regis: & si exire voluerint, si Domino Regi placuerit, assecurabunt, quod nec in eundo, nec in moram faciendo, nec in redeundo perquirent malum, vel damnum Domino Regi, vel Regno. Hoc damnauit.*

5 *Excommunicati non debent dare vadium ad remanens, nec præstare iuramentum; sed tantùm vadium, & plegium standi iudicio Ecclesiæ, vt absoluantur. Hoc damnauit.*

6 *Laici non debent accusari, nisi per certos, & legales accusatores, & testes in præsentia Episcopi; ita quod Archidiaconus non perdat ius suum, nec quidquam non inde habere debeat. Et si tales fuerint, qui culpantur, vt non velit, nec audeat aliquis accusare eos; Vicecomes requisitus ab Episcopo faciet iurare duodecim legales homines, de Vsueto, seu de villa coram Episcopo, quod inde veritatem secundum conscientiam suam manifestabunt. Hoc tolerauit.*

7 *Nullus, qui de Rege teneat in capite, nec aliquis dominicorum ministrorum eius excommunicetur, nec terra alicuius eorum sub interdicto ponantur, nisi prius Dominus Rex si in terra sua fuerit, conueniatur; vel iustitia eius, si fuerit extra Regnum, vt rectum de ipso faciat, & ita, vt quod pertineat ad Curiam*

riam Regiam, ibidem terminetur. Et de eo quod spectauit ad Ecclesiasticam Curiam, ad eamdem mittatur. vt terminetur. Hoc damnauit.

8. *De appellationibus si emerserint, ab Archidiacono debent procedere ad Episcopum, & ab Episcopo ad Archiepiscopum; etsi Archiepiscopus defuerit in iustitia exhibēda, ad Dominum Regem perueniēdum est postremo; vt precepto ipsius in Curia Archiepiscopi controuersia terminetur; ita quod non debet vlterius procedere, absque assensu Regis. Hoc damnauit.*

9 *Si calumnia emerserit inter Clericum, & laicum, vel è conuerso de vllo tenemento, quod Clericus velit ad eleemosynam attrahere, laicus verò ad laicum feudum; recognitione duodecim legalium hominum, per Capitalis Regis iustitiæ considerationem terminabitur, vtrum tenementum sit pertinens ad eleemosynam, siue ad feudum laicum, coram ipsa iustitia Regis. Etsi recognitum fuerit ad eleemosynam pertire; placitum erit in Curia Ecclesiastica. Si verò ad laicum feudum, nisi ambo tenementum de eodem Episcopo, vel Barone: erit placitum in Curia ipsius, ita quod propter factam recognitionem, saisinam non omittat, qui priùs saisatus fuerat. Hoc damnauit.*

10. *Qui de Ciuitate, vel Castello, vel Burgo, vel Dominio Remanerio Regis fuerit, si ab Archidiacono, vel Episcopo de aliquo delicto citatus fuerit vnde debeat eidem respondere, & ad citationes eorum satisfacere noluerit, bene licet eum sub interdicto ponere; sed non debet excommunicari, prius quàm capitalis minister Regis villæ illius conueniatur, vt iustitiet eum ad satisfactionem venire. Et si minister Regis inde defecerit, ipse erit in misericordia Regis: & exinde poterit Episcopus ipsum accusatum Ecclesiastica iustitia coërcere. Hoc damnauit.*

11 *Archiepiscopi, Episcopi & vniuersa persona Regni, qui de rege tenent in capite, & habent possessiones suas de Dominio Regis, sicut Baroniam, & inde respondent iustitiis, & ministris Regis, & sequuntur, & faciunt omnes consuetudines Regias, & rectitudines, & sicut cæteri Barones debent interesse iudiciis Curiæ Domini Regis cum Baronibus, vsque perueniatur in iudicio ad diminutionem membrorum, vel ad mortem. Hoc tolerauit.*

12 *Cum vacauerit Archiepiscopatus, vel Abbatia, vel Prioratus, de Dominio Regis, debet esse in manu eius, & inde percipiet omnes redditus, & exitus, sicut Dominicos. Et cùm ventum fuerit ad consulendum Ecclesiæ: debet Dominus Rex mandare potiores personas Ecclesiæ, & in capella ipsius debet electio fieri, assensu Regis, & consilio personarum Regis, quas ad hoc faciendum vocauerit; & ibidem faciet electus homagium, & fidelitatem Domino Regi, sicut ligio Domino de vita, & membris, & de honore suo terreno saluo ordine suo, priusquam sit consecratus. Hoc damnauit.*

13 *Si quisquam de Proceribus Regni disfortiauerit Archiepiscopo, vel Archidiacono, vel se, vel de suis iustitiam exhibere: Rex debet iustitiare. Et si fortè aliquis disfortiauerit Domino Regi rectitudinem suam, Archiepiscopi, vel Archidiaconi debent eum iustitiare, vt Domino Regi satisfaciat. Hoc tolerauit.*

14 *Catalla eorum, qui sunt in Regis foris facto, non detineat Ecclesia, vel cœmeterium contra iustitiam Regis, quia ipsius Regis sunt, siue in Ecclesiis, siue extra fuerint inuenta. Hoc tolerauit.*

15 *Placita de debitis, quæ fide interposita debentur, vel absque interpositione fidei, sint in Curia Regis. Hoc damnauit.*

16 *Filij rusticorum non debent ordinari absque assensu Domini, de cuius terra nati dignoscuntur. Hoc tolerauit.* Hactenus consuetudines propositæ à quibus, Thomas quantumuis consensisset, sed sanior factus, censuit resiliendum.

Ioannes Sarisberiensis eiusdem Sancti Clericus, 7.
& minister, & in exilio Comes damnatas tantùm, neque eas omnes, recenset, ad Exoniensem Episcopum scribens, dum ita ait [i]. *Hæc capitula in primis* i Epist. 159.
damnata sunt. Quod non liceat Episcopo excommunicare aliquem, qui de Rege teneat, sine licentia ipsius. Quod non valeat Episcopus coercere aliquem Parrochianorum suorum pro periurio, vel fide læsa. Quod ad sæcularia iudicia trahantur Clerici. Quod laici, siue Rex, siue alius causas de Ecclesiis, siue decimis tractent. Quod non appellaretur pro causa aliqua ad sedem Apostolicam, nisi Regis, & officialium suorum venia impetrata. Quod non liceat Archiepiscopo, vel Episcopo, & aliis Personis venire ad vocationem Domini Papæ, absque licentia Regis. Alia quoque in hunc modum, quæ decretis, legibus, & constitutionibus Sanctorum Patrum inueniuntur aduersa.

Præuenit fama Nuncium B. Viri ad Alexandrum 8.
missum, admissi criminis pœnitentiam debitam, ac per eam indulgentiam postulaturum; nunciatúmque supremum Angliæ Præsulem, quasi extra Ecclesiam factum, abstinere à sacris, quousque eisdem per Apostolicam sedem restituoretur. Ast Alexander Sanctitatis viri conscius, atque ex externa, quam sibiipsi iniunxerat, interiorem penitentiam haud dubiè colligens, antequam eius litteras susciperet, talibus censuit fore præueniendum [k]. *Ad* k Lib. 1. epist. 16.
aures nostras fraternitas tua nouerit fuisse perlatum, & quorumdam nobis relatione suggestum, quod occasione cuiusdam excessus, à Missarum proposueris celebratione cessare; & à consecratione Sanguinis, & Corporis Domini abstinere. Quod vtique quàm graue sit, præcipuè in tanta persona, & quantum possit exinde scandalum prouenire, solicita meditatione consideres; & hoc ipsum vigilantia tuæ discretionis attendat. Debet autem diligentia tua prudenter aduertere, quod plurimum interest, quando ex deliberatione, & propria voluntate, & quando ex ignorantia, & necessitate aliqua committuntur. Aliter enim in his, quæ spontanea voluntate, & aliter, quæ ignorantia (sicut dictum est) vel necessitate cogente fiunt, noscitur procedendum. Et aliter illa, aliter ista tractanda sunt, & viris discretis, & prudentibus metienda; velut sacra Scriptura testimoniis edocemur; intentio tua operi tuo nomen imponit. Nam sicut, & alibi legitur, vsque adeo voluntarium est peccatum, vt nisi fuerit voluntarium, non sit peccatum. Et omnipotens Dominus non factum agentis attendit, sed considerat potius intentionem, & diiudicat voluntatem. Si igitur aliquid te recolis commisisse, de quo propria te debeat conscientia remordere; quidquid sit, Sacerdoti, qui discretus, & prouidus habeatur, tibi consulimus per pœnitentiam confiteri. Quo facto, & misericors Dominus, qui multò ampliùs ad cor respicit, quàm ad actus, tibi consueta pietatis suæ miseratione dimittet; & nos, de Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius meritis confidentes, te ab eo, quod est commissum absoluimus, & id ipsum fraternitati tuæ auctoritate Apostolica relaxamus; consulentes vtique ac mandantes, vt postea à Missarum celebrationibus, propter hoc non debeatis abstinere. Datum Senonis Kalendis Aprilis. Hæc Alexander ad Thomam pœnitentem, quà decebat, paterna solicitudine.

1. *Henrici Regis in Thomam machinationes.* 2. *Alexandri responsum.* 3. *Conciliabulum indictum Northantona*, 4. *Sancti viri aduentus, & prauentiones.* 5. *Regis Edictum*, 6. *& Episcoporum consilia, atque defectio*: 7. *appellata vtrimque Romana Sedes*, 8. *& Thomas à Palatio Regis egressus.* 9. *Pracedentia ex Rogerio, & Eduardo*, 10. *murmur in Sanctum*, 11. *responsa Sarisberiensis.* 12. *& de Thoma discessu responsum Regis.*

CAPVT II.

1. THOMA Archiepiscopo, à promisso resiliente, turbatus Henricus, in varios erumpere parat nocendi modos. Et primum quidem ad Alexandum mittit, vt Legationem Angliæ decerni solitam Cantuariensi Archiepiscopo, Eboracensi crederet; futurum sperans, vt diuidente inter eos æmulatione, Eboracensem beneficio nouo obnoxium; & conseruandæ dignitatis cupidum, atque ex ipsa potentem; aduersus æmulum atrociorem experiretur; quin & omnes illius suffragantes sibi firmaret, Metropolitam haud dubiè sequuturos. Occasione deinde schismatis vtens, abutén ſve, in qua Alexander nihil denegaret; ne Regnum Angliæ sibi hactenus fidum cum suo Rege ad æmulum transferret, quæcumque peterent haud dubiè concessurum: instanti, inquam, occasione schismatis vtens, consuetudines Regias confirmandas Apostolica Authoritate audacter exposcit: quasi hac ratione, quod Thomas respuisset, annuente Alexandro, firmius esset: & Archiepiscopi in opprobrium vergeret, confusionémque, quod illa reprobasset quæ Summus Christi Vicarius rata haberet. Itaque suos ad Gallias ministros legat, per quos hæc impetraret. Sed neque Thomas omisit nuncium mittere, qui Alexandro pro ipso, pro Ecclesia, pro Sacerdotio supplicaret; atque ipsum de cunctis plenè instrueret; ne subreptionem passus, aliquid forsan quod minus expediret, detraheret.

2. Doluit statum rerum Vicarius Christi, qui neque Regem à se alienare vellet seu veriùs ab Ecclesia; neque aduersari Thomæ, qui sese pro Ecclesia Regi opponeret: illum si adhæreat parenti Imperatori, ingentes flammas schismati, ingentes vires æmulo additurum: hoc, quacumque ratione repulsam passo, confundendam Ecclesiam; ex exemplo serpente per prouincias, breui, à laicorum potentia subiugandam. Ergo post multam deliberationem vt neutram repelleret, vtrique in aliquo censuit deferendum. Et legatiam decreuit Eboracensi (nam quod ait Rogerius [a] Regi decretam. *Vt Rex ipse legatus esset totius Angliæ.* Vix credibile putē, aut ne vix quidem.) Tum conditiones, si quæ essent tolerabiles, confirmandas promisit, abrogatis, quæ Ecclesiæ contrariarentur. Sed nihilominus Archiepiscopo indulsit, vt legato nequaquam teneretur pro se, aut pro sua Diœcesi: sed neque Episcopi Cantuariæ suffraganei ab eius obedientia essent immunes, scripsit item ad Henricum Regem longam, & elegantem satis epistolam, in qua multis propositis exemplis, ad pietatem hortatur, qua sanè nihil, nihil omnino gloriosum, nihil sibi prosperum speraret posse succedere. Demùm quod vltimum potuit afflicto tempore, apud Cistercium, Claramuallem, & Pontigniacum orationes iniunxit pro Præsule, & Ecclesia Cantuariensi; siue his præ aliis fidendum fore putaret; siue iam tunc præsagus futurorum præsulem Sanctum Cistercio destinaret, velut per orationes consequendum. Constant priora, ex Alexandri litteris, quas adducit Baronius [b]. De vltimo extat ipsius nuncij epistola [c], quem Sanctus Thomas misit, inter alia, ad eundem ita scribentis. *Apud Clarauallem, Cistercium, & Pontigniacum, intercessione Domini Papa, oratur assiduè pro vobis, & pro Ecclesia vobis à Deo commissa.* Hæc ad vtrumque, & Regem, & Sacerdotem retulere legati, qui ad Alexandum ab vtroque confluxissent.

[a] In Annal. part. 2.

[b] ad hunc ann.

[c] In Vatican.

3. Doluit potentia se iterùm delusam, exemptione Archiepiscopi, à noua nouæ legatiæ iurisdictione; quin nec suffraganeorum obedientia illi substractam, nec confirmatas, Regias consuetudines; vt fere nihil in Thomam se potuisse apud Pontificem, de quo adeò benemeritus esset non sine multis suspiriis conquereretur. Ergò quia nihil per ius, & æquum poterat, ad vim dominationis confugiens Cancellariæ peractæ rationem petendam censuit, in Conuentu publico Northantonæ indicto, cui omnes Episcopi, & Proceres adessent. Narrant hoc Conciliabulum Rogerius, atque quatuor auctores vitæ Sancti Martyris, & ex his Cardinalis Baronius primum, mox Seuerinus Vinius pro suo more. *Facta quoque coitione apud Northantonam, Dominus noster trahitur in causam, seorsim ita in conclaui sedentibus Domino Cantuariensi cum suis Episcopis, ex edicto Regis feris obiectis, ne pateret exitus: propositum est ex parte Regis aduersùs Dominum Cantuariensem, quod cum Cancellarius esset, & Abbatias, & Episcopatus vacantes haberet, & multos redditus per annos plurimos, in manu sua; nullam super his redderet rationem, quam modò ipse Rex requireret exhiberi.*

4. Pergunt acta de responso Cantuariensis petentis sibi inducias vsque ad crastinum, & de variis consiliis Episcoporum, per quæ protracta dies, sed nec sequenti quidquam factum est, laborante passione iliaca Archiepiscopo, per quam non licuit ad curiam peruenire. Postera die ad eam perrecturus Missarum solennia primum, cum officio Protomartyris Stephani, quod incipit. *Etenim sederunt Principes, & aduersùm me loquebantur*, (dubium an proprio motu, an à Monacho quodam sancto suasus) Deo offerens: dein amoto ab humeris pallio cum infula, cæteris tamen indutus vestibus sacris, & cappa clericali superiniecta, ad Palatium venit; ibi Cameram Regis ingressurus, præeuntem Crucem de manu portantis arripit, & propria manu eandem sibi baiulans, tandem ingreditur, sequentibus Episcopis; & iam tunc, factum, in deterius interpretantibus. Timuit ad virum Dei cruce protectum Henricus egredi: &, quæ tantùm dæmonibus timenda, arma ad se detulisse conquerebatur. *Denique* (inquit auctor vitæ Sancti) *vocati sunt Episcopi ad Regis consilium, Cantuariensi sub iugulo relicto.* Et verè sub iugulo; quippè post longam deliberationem, nil nisi sanguis eius, & sectatorum ipsius sperabatur; nam audi quod sequitur, ad litteram transcriptum ex actis Sancti.

Psal. 118.

5. [d] *Exiens Rogerus Eboracensis Archiepiscopus, ait, Clericis suis, quos ibi inuenit, (erant enim ibi Magister Robertus, Grandis cognomine, & Osbernus à Rondel.) recedamus hinc. Non oportet nos videre, quæ hîc habent fieri citò de Cantuariensi. Magister Robertus ad hæc: non, inquit, hinc recedam, donec videro, quid Dei volũtas super his iudicauerit. Si pro Deo, & eius iustitia dimicauerit vsque ad sanguinem: pulchriùs, & meliùs vitam finire non poterit. Recedente itaque Eboracensi Archiepiscopo à Camera Regis, veniens Bartholemæus Exoniensis Episcopus, procidens ad pedes Domini Cantuariensis, ait; Pater mi miserere tui; miserere & nostri; omnes enim hodie perimus odio capitis tui. Exiit namque edictum à Rege, vt qui amplius cum Cantuariensi staret, publicus hostis iudicaretur, in capite puniendus. Dictum est etiam quod Ioscelinus Sarisberiensis Episcopus, & Vuillelmus Noruicensis Episcopus, quia adhuc restiterant, traherentur statim ad supplicium, in membris mutilandi, qui & ipsi pro salute sua Cantuariensem rogabant.*

d Baron. ad hunc ann.

6. *Inspiciens igitur Cantuariensis in Exoniensem Episcopum: Fuge hinc, ait, quia non sapis ea, quæ Dei sunt. Exierunt denique à consilio omnes simul Episcopi cum tumultu ad Cantuariensem, quorum vnus eloquens, Hilarius Cicestrensis Episcopus, prorumpens in vocem: Aliquando, ait, noster fuisti Archiepiscopus, & tenebamur tibi obedire; sed quia Domino Regi fidelitatem iurasti, hoc est vitam, membra, & terrenam dignitatem per te fore saluam, & consuetudines, quas ipse repetit, conseruandas; & tu eas niteris destruere, præcipuè cùm spectent ad terrenam suam dignitatem, & honorem: idcirco te reum periurij dicimus, & periuro Archiepiscopo de cætero non habemus obedire. Nos itaque, & nostra sub Domini Papæ protectione ponentes, te ad eius præsentiam appellamus, super his te responsurum: & diem statuit. Audio, inquit, Cantuariensis.*

7. *Subtrahentes se Episcopi, seorsum sedere ex aduerso diutius in summo silentio. Tandem à Rege processerunt Comites, & Barones, & plurima turba ad Dominum Cantuariensem. Quorum primus Robertus Leicestensis ait: Mandat tibi Rex, vt, venias redditurus rationem super obiectis, sicut heri promisisti te facturum, alioquin, audi iudicium tuum. Iudicium, inquit Cantuariensis, immò, fili Comes, & tu priùs audi. Non te latet, fili, quàm familiaris, & quàm fidelis, secundum statum huius mundi, Domino Regi fuerim. Eius rei gratia placuit ei, vt promoueret in Archiepiscopum Ecclesiæ Cantuariensis; Deus scit, me id non volente: nota enim mihi fuit infirmitas mea; & magis pro suo, quàm pro Dei amore acquieui. Id satis hodie palam est, dum Deus, & se mihi subtrahit, & Regem. Verumtamen in mea promotione, dum electio fieret, præsente Henrico Rege filio, & herede, cui, & hoc ipsum mandatum fuit, quæsitum est, qualem me redderent Cantuariensi Ecclesiæ: & responsum est, liberum, & absolutum ab omni nexu Curiali. Si igitur liber, & absolutus, super his à quibus sum liberatus, nec teneor, nec volo de cætero respondere. Et hoc aliter se habet (inquit Comes,) quàm Londinensis Regi suggesserat. Adiecit Cantuariensis. Ad hæc fili Comes, id attende, quantò dignior est anima, quàm corpus; tantò magis Deo, & mihi teneris obedire, quàm terreno Regi. Nec lex, nec ratio permittit, vt filij patrem iudicent, vel condemnent. Vnde Regis, tuum, & aliorum declino iudicium, sub Deo solo à Domino Papa iudicandus, cuius coram omnibus vobis præsentiam appello; Ecclesia Cantuariensi, Ordine & dignitate mea, cum ad eam pertinentibus, sub Dei, & sua protectione positis. Nihilominus vos fratres, & Coëpiscopi mei, quia magis homini, quàm Deo obeditis: ad Domini Papæ audientiam, & iudicium voco, & sic Catholica Ecclesia, & Apostolica Sedis authoritate munitus hinc recedo.*

Abeuntem illum sequuntur Curiales, & inuidi, contumeliis, & iniuriis Traditorem illum acclamãtes. Ei autem venienti ad vlteriorem portam, clausa est ianua, nec potuit exire, nullo ibi inuento custode; & dum res ageretur in metu, & dubio: nutu Dei contigit claues plurimas in fasciculo à muro pendere; quas arripiens quidam familiaris Domini Cantuariensis, vnam post alterã pertentauit, donec aperiret ianuam. Exeuntibus illis occurrunt multitudo morbo regio laborantium, pauperum, & infirmorum acclamantium, & dicentium: Benedictus Dominus, qui eripuit, & saluum fecit seruum suum à facie inimicorum suorum: credebatur enim iam fuisse extinctus. Præcedente igitur, & subsequente turba languidorum cum clero, & populo, in gaudio, & lætitia perducitur ad hospitium. Videns autem exultationem plebis, dixit sequentibus se: Quàm gloriosa processio nos conducit à facie tribulantis. Sinite pauperis Christi, & nostræ tribulationis participes omnes intrare nobiscum, vt epulemur in Domino ad inuicem; & impleta sunt Domus, & atria circũ quaque discumbentium. 8. Additur ex Quadripartita tunc contigisse legi in mensa, ex historia Tripartita, persequutionem Liberij cum restitit, videlicet Constantio Imperatori hæretico, à quo & passus exilium; & ex lectione Euangelij itidem legi soliti, illud Euangelistæ [e]: *Si persequnti vos fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam.* Hactenus Acta Sancti Pontificis, quæ quia præcipuam discessus eius causæ continent rationem, ad litteram transcribenda esse putaui. Certè Thomas, vt eiusdem diei mane officium Missæ Protomartyris Stephani [f], *Etenim sederunt Principes, & aduersùs me loquebantur*, statim in se implendum intellexit: sic Euangelij textum in mensa lectum, tanquàm diuinum Oraculum accepit, nec dubitauit sibi fugiendum à facie persequentis; atque Summum Pontificem adeundum, ad quem à suis Episcopis appellatus; & ipse etiam cunctos appellauerat.

e Matth. 5.

f Psal. 118.

9. Magister Eduardus in Sancti vita, quam ad Compédium redegit Laurentius Sugerius [g], antequam vocaretur ad ratiocinia, accusatum à milite, & citatum, mulctatumque, quia non comparuisset, Deo nihilominus pro Sancto vindicante memoriæ prodit; consentiente Rogerio [h], quæ non licet silentio præterire. *Sed ante eum Conuentum* (scilicet Northantonæ) *quidam miles*, ait, *è Regis domesticis, & qui multum valeret apud Regem, accusauit Archiepiscopum per calumniam. Mandat Rex, vt Northantonam veniat Archiepiscopus, & se purget, excusat se vir Sanctus, quod id grauis morbus non sinat: Rex nullam admittit excusationem, putans eum subterfugere iudicium. Citatur ergo Archiepiscopus ad Tribunal Regis. Aduenit vir Sanctus, adit Regem, orat submissè, vt pro vtriusque salute patiatur ipsum ire ad Pontificem. Iratus Rex iubet ocyùs decerni, quæ sit pœna mulctandus, quòd contempserit venire citatus à Rege. Condemnatur quingentarum librarum. Ingemiscit vir Sanctus videns in loco iudicij iniquitatem. Agitur indè de eo, quod miles ei intentarat. At Archiepiscopus magna libertate respondet, eam rem pertinere ad Ecclesiæ iudicium, nec probare potuisse militem, quod obiiciebat. Is miles eodem anno mortuus est cum duobus filiis,*

g Mense Decembr. tom. 6.

h Cap. 9.

filiis, quod non esset veritus mittere manum in Christum Domini. Sic nihil intentatum aduersùs Sanctum à Rege iuuene,& ministris assentatoribus. Porrò militem,qui Thomam accusauerat expressit Rogerius [i] Ioannem nimirum Regis Marescalcum, in quo Rex ipse nimium complaceret. Ast qualiter in Belgium,dein in Galliam prosperè hoc ipso anno transfretauerit, & quæ ibidem gesserit, sequenti capite latius expendemus.

i In Annal.

10. Interim adnoto non defuisse plures,qui siue assentatione in Regem,siue inuidia in Sanctum, hác eius fugam seueriùs reprehenderint. Quippè per quam Ecclesiam sibi commissam penitùs deseruerit: quod semper damnandum;sed periculo instante damnabilius;& tunc ab Alexandro cautum erat, teste eo Nuncio, quem ad ipsum Thomas transmiserat,cuius [k] hæc verba ad eumdem S.Thomam *Nouissimè nobis petitionem illam facientibus, vt scilicet ipse vos ad se venire praciperet:& super hoc vobis litteras dirigeret: cum dolore,& multa animi afflictione visus est respondisse. Absit, inquit, prius finiatur dies nostri, quàm nos videamus eum sic exire, & Ecclesiam suam sic desolatam relinquere.* Igitur hanc Ecclesiæ desertionem condemnabat inuidia, quin & hoc etiam venenato dente submurmurabat [l]. *Quod,qui in causa Ecclesia* (Ioannes Sarisberiensis ait,)*cesserat apud Clarendunam; in pecuniaria conuentus, in iure sibi conscius iniquitatis, & de prestigiis suis diffisus; subterfugio imprudenti,& impudenti, suam quodammodò, imò planè professus est iniustitiam; & partem iustificauit aduersam.* Hæc assentatio aulicorum aduersùs Thomam, adeò nullus immunis ab hac peste.

k Lib.1.epist. 23.

l Epist.186.

11. Verùm vtrique obiectioni fidelis eius, Ioannes Sarisberiensis satisfecit: primæ in hunc modum: quod licèt tunc Cantuariam deseruerit [m], *hoc autem non fuit Ecclesiam exponere,sed liberationi eius operam dare, nisi fortè, & ille tibi nauem relinquere videatur, qui, vt eam ad portum pertrahat, scapham ingreditur.* Secundæ verò,quia non Thomæ pecunia, quam potiùs absens auaritiæ Regiæ exposuit; sed Ecclesiæ libertas impetebatur [n]. *Quis enim nesciebat,quod Rex Cancellarium suum ab omni administratione liberum reddidit ad regimen Cantuariensis Ecclesia? Cui ignotum est, quanta instantia illi à Sede Apostolica pallium impetrauit?* Ergo in his omnibus sæculare iudicium detrectabat,qui solum conueniri deberet,& posset apud Pontificem. Sed neque foret, de quo conueniretur, si consentiret Ecclesiæ subiectioni. Rogerius Ovvedenius testis extitit,Thomam antequam Cantuariensi Ecclesiæ præficeretur, reddidisse rationem Cancellariæ;neque aliter,quàm facta totius dati,& accepti supputatione, ex qua constaret ipsum absolutum ab omni debito, infulas acceptasse, atque id ipsum Regi respondisse [o]. *Dominus,* inquit, *meus Rex scit,quod ego sæpiùs ei reddidi computationem, de omnibus his, qua ipse modò à me petit, antequam electus fuissem ad Archiepiscopatum Cantuariensem. Sed in electione mea Henricus filius eius, cui regnum adiuratum fuit; & omnes Barones, & Richardus de Leui Iusticiarius Anglia clamauerunt me quietum Deo, & Sancta Ecclesia de omnibus receptis, & computationibus,& ab omni exactione sæculari ex parte Domini Regis.* Hæc pro Sancto ex antiquis notanda duxi, ne lector hæreat,auditis accusationibus.

m Cod.Vatic. epist. 3. post lib.5.

n Epist.186.

o Ann.seqq.

Addam nihilominus ex Magistro Eduardo, id quod Regis, vel ab ipso furore acti, inuidiam leniat:quam non tam Thomas fortuitò euasetit, per negligentiam ianitorum apertis ianuis,quàm illæsus abire, deliberato consilio, permissus fuerit. Quippè [p], *cùm immanis existeret tumultus, suggestum est Regi, sempiterna illi ignominia fore, si intra aulam suam fineret Archiepiscopum discerpi. Itaque Rex iussit eum illæsum dimitti.* Hæc non addere piaculum putarem; vt qui flagitia malè suasi Regis pandimus; si quid consultiùs egit, non occultemus. 12.

p Eduard. apud Sur. c. 10.

---

1. *Discedens Thomas cum duobus Cistercij monachis*, 2. *mutato habitu, & nomine, Belgium applicuit.* 3. *Qua loca inuiserit.* 4. *Henrici Regis edictum aduersùs ipsum*, 5. *& complices illius,indecorum.* 6. *Legatio ad Regem Gallia*, 7. *responsum Regis*, 8. *& Nuncius pro Thoma missus ad Alexandrum.* 9. *Henrici item Nuncij ad summum Pontificem*, 10. *Thoma epistola*, 11. *Excusans*, 12. *incusansque, sed Regi parcens*, 13. *& demùm Alexandri ad eum rescriptum.*

CAPVT III.

1. INCLINABAT occasum versùs sol, & Sanctus Pontifex exilio per responsa(nam talia semper habuit)& per exilium Cistercio destinatus, & iam breui induiturus Cistercij monachum, Comites viæ Cistercienses sibi adhibuit.Verùm quâ hæc contingerint ratione, quo ordine, ex Eduardo [a] & Rogerio lector accipiat. *Postea iubet sibi lectum praparari* (scilicet Archiepiscopus) *in Oratorio retro altare,tanquam illic tutò quieturus.Profundis autem imminentibus tenebris, cum duobus fratribus, & famulo fideli, ex vrbe egressus est, nemine quicquam suspicante de habitu ipsius,propter largissimos imbres, & hyemales tempestates. Pro certo enim didicerat,si in crastinum diem maneret, in carcerem subiectum iri.*Hæc Eduardus: at Rogerius & socios viæ nominat, & Cistercienses prodit, ita scribens [b]. *Ipse* (nimirum Thomas) *sumpsit secum duos fratres Cistercienses socios in itinere, quorum vnus dicebatur Rubertus de Caune, & alter Scaiman, & vnum solum seruientem,qui dicebatur Rogerus de Broi.*

a Eduard. apud Suri. c. 11.

b Anno seqq.

Pergit Eduardus continuans in hunc modum [c]. *Tota verò nocte iter agens, aurora prodeunte,Lincolniam venit, vbi mutato & habitu, & nomine (nam frater Hermannus dictus est)alio se contulit,aliquãdiu latitãs,in quodam loco, quem Dominus postea multis miraculis illustrauit. Deinde noctibus ambulans,diebus delitescens cum suis tandẽ ad portum Sauuicum peruenit: vbi in nauicula, mari transmisso, portum publicum deuitans,in arenam se exponi voluit. Festinus autem per arenam ingrediens, humi collapsus est, insolita vestium, & calceorum crassitudine prapeditus: & qui paulò ante abundarat multis equis, iam vix habuit iumentum vilissimum, idque conductitium, & absque freno, & ephippio; vt in Christi paupertate, & ipse iam pauper factus pro Christo inciperet gloriari.Vbi ad Sanctum Audomarum ventum est,nobilem quendam Anglum offendit; qui cum agnoscens, hortabatur, vt in Angliam rediret; sed recusauit,* 2.

c Vbi supra.

recusauit, illo minas intentante, Sanctus Episcopus à Comite Flandriæ petiit fidem publicam. Sed illo quoque minante, Taruanensis Episcopi auxilio euasit. Per hos anfractus, labores, & pericula purgabat Sanctus, quæ in Ecclesiam peccasset, cum Regiis Angliæ assensisset consuetudinibus.

3. Rogerius Thomæ nullam in Belgio moram peractam tradit. Verum in transitu Claromariscum, Cisterciense Cœnobium, mox loco proximum Sancti Bertini domum, atque caput Artesiæ Attrebatum visitasse, hodiéque monumenta plura confirmant: quæ Ferreolus Locrius sic recenset [d]? *Sanctus Thomas cognomento Beket ab Henrico Anglorum Rege in exilium eiicitur: qui traiecta Morapalude, Claromariscum appellit, inde ad B. Bertini contendit. Sed Atrebatum Artesiæ caput sui præsentia fertur honorasse: ibique Missarum solemnia fuisse operatus: tum in priore nostra B. Nicolai ad Fossas, vt vocant, Basilica (extátque ad B. Antonij altare, in tabula antiqui characteris, aliquale monumentum, quod est eiusmodi.*

ICI S. THOMAS CELEBRA MESSE CERTAINEMENT.

Appicta Martyrij illius historia, ex vetere in recentiorem, quàm hodie frequentamus, Ecclesiam translata) tum etiam in B. Magdalenes altera Paracia, in quâ est fons limpidus S. Thomæ nomine celebris, cuius aqua febricitantibus sæpè contulit sanitatem, imò in augustiore Vedastinorum Templo, vbi hodieque excellens admodum calix, ex puro, puto, auro conflatus, asseruatur, quo ibidem sacris operans, fertur fuisse vsus [e]. Ita Ferreolus. Sed an hæc omnia in transitu ad Galliam, an durante exilio, non ausim dicere. Quadripartita Claromariscum memorat, atque Sanctum Bertinum, quibus se palam Sanctus Præsul dederit; reliqua loca ignotus pertransiuit. Meminit & Ferreolus Cœnobij Aquiscitini, quò aliquando diuertit; atque ibidem in hospitij gratiam, vestes sacras reliquit coloris viridis, quarum etiam Molanus notitiam dedit. Hæc in itinere

4. Interim Rex dum tertiò iam delusus dolet se imparem resistentiæ vnius Clerici, qui totam eius potentiam euacuasset; frustratus cominus: eminùs intentat, si fortè posset Thomæ præualere. Igitur primùm per edicta publica, mox per Legatos exturbare conatur virum, nulli prorsùs violentiæ parciturus. Et de edictis ex Codice Vaticano desumpta ista Baronius [f]. *Sic delusus Henricus, audiens ab his Sanctum Thomam fuga lapsum, aduersum eum, eiusque Clericos ipsum sequentes ista sanciuit.*

Henricus Rex Angliæ singulis Episcopis in Anglia constitutis.

Nosti, quàm male Thomas Cantuariensis Archiepiscopus operatus sit aduersùm me, & regnum meum; & quam malè recesserit. Et ideò mando tibi, quod clerici sui, qui circa ipsum fuerunt post fugam suam, & alij clerici, qui detraxerunt honori meo, & honori regni, non percipiant aliquid de redditibus illis, quos habuerunt in Episcopatu tuo, nisi per me; nec habeant aliquod auxilium, vel consilium à te. Hæc in sequaces.

5. Verùm in ipsum sanctum aliud adhuc edictum promulgauit; nempè, vt redditus Archiepiscopatus Cantuariensis omnes cederent fisco, atque in Regios thesauros, nulla Archiepiscopo parte reseruata, nulla ministris, nulla pauperibus, quo iure, qua iniuria, deferrentur. Quin & alia sanciuit horrenda dictu; neque prudentiam adhuc huius sæculi, sed furorem omnino præseferentia, quæ ad eundum Sanctum Archiepiscopum, à quodam tunc amico scripta, ipsius illius verbis præstat describere. *Sciatis hunc esse tenorem mandatorum, quæ Henricus Rex in Angliam misit, scilicet vt omnis portus cautissimè custodiatur, ne littera interdictionis vllatenus illac deferantur. Et si aliquis regularis illas attulerit, pedibus truncetur; si clericus oculos, & genitalia amittat: si laicus suspendatur: si leprosus comburatur. Et si quis Episcopus eius interdictum metuens recedere voluerit, nihil secum deferat præter baculum. Vult etiam, vt omnes scholares repatriare cogantur, aut beneficiis suis priuentur; & qui remanserint, sine spe remeandi remanebunt. Et Presbyteri, qui cantare noluerint, genitalia amittant, omnésque rebelles beneficiis priuentur.* Hæc Rex in Anglia, & prouinciis sibi subiectis furore sacrilego; qui non solùm in Thomam, sed propter Thomam, in omnes penè ecclesiasticos Ordines, per turpes, &, vel prolatu indignas pœnas debacchare tur.

At, qui intra propriam ditionem nihil omisit, externas etiam per Nuncios sollicitauit, & ante omnes Ludouicum Regem Franciæ, de quo hæc habet Rogerius in Annalibus [g]. 6. *Antequam Thomas ad Ludouicum Regem Francorum veniret, Gilbertus Folioth Lundonensis Episcopus, & Vuillelmus Comes de Arundel peruenerunt ex parte Regis Angliæ ad prohibendum Regi Franciæ, ne ipse illum Cantuariensem Archiepiscopum in regno suo reciperet; & vt ipse mandaret Domino Papæ, ne præ amore illius Cantuariensem Archiepiscopum in familiaritatem susciperet. Sed quantò magis præfati Nuncij Regis Angliæ plus laborarent, vt Cantuariensis Archiepiscopus à Regno Franciæ expelleretur, tantò magis Rex Franciæ illum, & causam fouebat suam.* Ita Rogerius.

7. Cæterum Regis, cum præfatis Nunciis, colloquiũ Eduardus enarrat paulò diffusiùs [h]. *Rex ait, Franciæ primùm simulauit se nescire, quid legati vellent. Illis verò dicentibus Archiepiscopum Thomam furtim ex Anglia se subduxisse malè sibi conscium, Rex ait. Noui Thomam Archiepiscopum, scio, qua fide, cum esset Cancellarius, Regi Angliæ seruierit: & ecce hæc ei merces refunditur, vt nec cum ipso pacem, nec hic perfugium eum obtinere finat. Digna planè merces, vt Regno suo pulsum, etiam in alieno persequatur. Legatis autem, eum in Archiepiscopum commouere, nitentibus; ille ait etiam cum iureiurando: si ille mihi ita inseruiisset, haud quaquam ingratus essem: & nunc, si scirem vbinam sit, festinus occurrerem venienti.*

8. Legati in prima parte petitionis repulsam passi, ad secundam perueniunt, *orántque* (pergit Eduardus) *vt Romano Pontifici scribat, ne etiam illum circumueniat.* At neque in hoc Rex Gallus morem gessit. *Quin illis abeuntibus, scripsit Pontifici, vt eum paterna dilectione complectatur, nec quemquam audiat contra iustitiæ sectatorem.* Addit Rogerius missum ad Pontificem Nuncium ex parte Ludouici, qui id rogaret [i]. *Præterea Rex Franciæ misit Fratrem Franciscum eleemosinarium suum ad Alexandrum Papam, qui tunc morabatur in Francia, mandans ei, vt sicut honorem Romanæ Ecclesiæ diligebat, & auxilium Regni Franciæ, sic in omnibus manu teneret Thomam Cantuariensem Archiepiscopum, & causam eius contra tyrannum Angliæ.*

Pergit

[d] Ann. seqq.
[e] Vbi suprà.
[f] Ad hunc ann.
[g] Ann. seqq.
[h] Apud Sur. c. 11.
[i] Vbi supra.

9. Pergit Eduardus Henrici solicitudinem, Legatos alios mittentis ad Alexandum. *Rex Angliæ*, ait, *vbi cognouit, quid Franciæ Rex Nunciis suis respondisset, illicò misit Episcopos aliquot, & viros nobiles, ac celebres ad summum Pontificem, vt ij S. Thomam anteuerterent*. Porrò quinam Legati prædicti fuerint, quot numero, & quantæ authoritatis, Rogerius narrat distinctiùs pro more suo [k]. *Item*, ait, *Henricus Rex Angliæ misit ad Dominum Papam Rogerum Eboracensem Archiepiscopum, & Henricum Vintoniensem, & Gillebertum Londoniensem, & Hilarium Cicestrensem, & Bartholomæum Exoniensem Episcopos, & Vvidonem Rufum, & Richardum de Iuecestre, & Ioannem de Oxenefort Clericos, & Vvillelmum Comitem de Arundel, & Hugonem de Giendeuisse, & Bernardum de Sancto, Vvalericum, & Henricum filium Geroldi*. En tot Pontifices, tot Principes, tot Magistros, aduersus vnum Thomam, furentis Regis manus destinabat. Ex his Eboracensi datæ litteræ Legationis obtentæ, quas, vt inutiles Alexandro redderet, exempto Thoma à Legati iurisdictione.

[k] *Ann. seqq.*

10. Cæterùm sanctus profugus, & exul, hanc tamen ante se epistolam misit.

[l] *Ad audientiam tuam, Pater Sanctissime, confugio, vt qui Ecclesiæ libertatem tanto tui discrimine redemisti, eam vel solam, vel maximam meæ persecutionis causam attendas, qui exemplo tuo vsus sum. Dolui enim statum Ecclesiæ labefactari paulatim. Et iura eius in auaritiam Principum dissipari; & occurrendum credidi morbo venienti. Et quò plus illi Domino meo, cui post Deum cæterà debeo, me sciebam obligatum; eò tutiùs iniquis eius instigationibus arbitrabar resistendum: donec obtinuerunt illi, & serenitatem illius offuscauerunt mihi exinde vt moris est, apud Principes, criminationes, & calumnias iniecerunt in occasionem persecutionis meæ. Et ego eiici malui, quàm succumbere. Accessit enim his malis, quòd vocatus fui coram Rege, tanquam laicus satisfacere. Et vnde mihi resistendi suffragia speraueram, inde deceptus sum. Animaduerti Dominos, & confratres nostros, Episcopos istos, pro Aulicorum arbitrio in me paratos animaduertere. Ita cunctis incursantibus ferè suffocatus, ad tuæ pietatis audientiam, quæ nec in extremis agentes negligit, respiraui. Sub quâ demonstraturus assisto, nec me ibi fuisse iudicandum, nec ab illis. Nam quid aliud hoc esset, Patres mei, quàm vestra iura vobis substrahere? Quid aliud quàm spiritualia temporalibus submittere? semel natum hoc exemplum esset ad multa; eò credidi firmiùs esse resistendum, quòd proclinior via nocendi nasceretur, si prius debilitatem agnoscerent.*

[l] *Apud Roger. in Annalibus.*

11. *At, inquient, reddenda erant Cæsari, quæ Cæsaris sunt: sed si in pluribus obtemperandum sit Regi: in illis tamen obtemperandum non est, quibus efficitur, ne sit Rex. Non essent illa Cæsaris, sed tyranni; in quibus etsi non pro me, pro se ipsis ei resisterent. Nam si illi extremum iudicium reseruatur, qui potens est iudicare corpus, & animam: nunquid extrema erit inter homines summa, qui iudicat secundum seipsum? si iustam fouerunt partem, quid me impetebant? Quid me arguunt, si ad eum appellaui; apud quem ius vitari, vel non licet, vel non expedit? aut iniustè me causabant, aut de iustitia vestra diffidebant. Dupliciter namque confundebar, si coram sanctitate vestra conuincerer. Nunquid eorum persequutionem merui, pro quibus tantis occursibus me opposueram, & obtinuissem, si voluissent illi? sed malè caput agit, si tam membris destituitur. Quid enim si oculi contra caput linguam adsumant? si benè præuidissent, in se perniciem machinabantur; & eorum vsi sunt Principales auxilio, in eorum seruitutem.*

Quod hæc tanti odij causa fiant, vt pro me extinguendo se ipsos extinguerent, ita pro temporalibus spiritualia negligunt, deficiunt in vtrisque. Quid quod, etiam me reclamante, & audientiam vestram appellante, Patrem suum iudicio damnare ausi sunt? Quin etiam si in vniuersam Ecclesiam cum offenso nobis Principe conspirationem fecerunt; & te Pater sanctissime, suspicio ista potuit attingere. At, inquient, Regi tenebãtur ex debito dominij; sed illi corporaliter, spiritualiter mihi, cui potiùs teneri potuerũt, quàm sibi ipsis? Nonne potius corporalium damnum, quàm spiritualium? At rursus, inquient, hoc tempore Principem non fuisse prouocandum. Quàm subtiliter in seruitutem suam argumentantur, imò ipsi prouocant, qui excessibus suis alas præbent ad suffragium; quieuissent enim, nisi adquieuissent illi. Et quo tempore magis constantia exigitur, quàm inter persecutores? Nonne familiares eius persecutionibus comprobantur? Si semper succumbant, qualiter obtinebunt? necesse est, aliquando resistant. Condescende ergo, Pater sanctissime, in fugam meam, & persecutiones, & me aliquando magnum fuisse reminiscere, tempore tuo, & propter te iniuriis lacessitum. Vtere rigore tuo, coërce illos, quorum instinctu nomen huius persecutionis obrepsit. Nec domino Regi horum aliquid imputetur, qui huius machinationis potius est minister, quàm repertor. Hucusque Thomas ad Alexandrum Summum Pontificem. 12.

Ad quæ Romanus Præsul ista rescripsit [m].

[m] *Baron. ad hunc annum.*

Alexander Papa, Thomæ Cantuariensi Archiepiscopo. 13.

Quod minor maiorem iudicare non possit, & eum præsertim, cui iure noscitur prælationis subesse, & obedientiæ vinculo tenetur adstrictus: tam diuinæ, quàm humanæ leges demonstrant; & præcipuè Sanctorum Patrum statutis id manifestiùs declaratur. Hæc siquidem nos, quorum interest errata corrigere, & ea, quæ incorrecta perniciosum posteris exemplum relinquerent, emendare; solicita consideratione pensantes, & quod ex delicto personæ non debet Ecclesia iacturam aliquam, vel incommodum sustinere: sententiam ab Episcopis, & Baronibus Angliæ, quoniam ad primam Regis citationem tui copiam non fecisti, aduersùm te præsumptuosè prolatam, in quâ tibi iam dicti Episcopi, & Barones omnia mobilia, tam contra iuris formam, quàm contra Ecclesiasticam consuetudinem abiudicarunt; præsertim cum nulla mobilia præterquàm de bonis Ecclesiæ tuæ habueris; irritam penitus esse censemus, & eam Apostolica authoritate cassamus; statuentes, vt nullas in posterum vires obtineat, aut tibi, aut successoribus tuis, seu Ecclesiæ tuæ gubernationi commissæ, aliquod in posterum præiudicium valeat, vel læsionem afferre. Extant & aliæ eiusdem Papæ litteræ, restituenda mandantis, quæ B. Thomæ, & aliis, occasione ipsius, fuissent ablata. At quid Legati Regis ab Alexandro, quid Thomas obtinuerint, sequenti capite fusiùs referendum.

1. Præuentus Thomas per Nuncios apud Pontificem. 2. Prima pars petitionis Henrici Regis; 3. in secunda oratio Londoniensis, 4. & Cicestrensis, 5. quæ ab Alexandro penitùs repulsa. 6. Aduentus Diui Thomæ, 7. eius Oratio, 8. turbatio Cardinalium auditis Regni Anglicani consuetudinibus. 9. Alexandri ad Diuum Thomam responsum. 10. Archiepiscopi cessio, 11. & super ea Cardinalium consultatio, 12. restitutio. 13. Vocatus Pontigniaci Abbas à Pontifice, 14. cui Thomas datus indutus Cisterciј habitu.

CAPVT IV.

1. PRÆVENERVNT Nuncij Regis B. Thomam, sed multa licèt machinari in ipsum, nihil extorquere potuerunt ab Alexãdro; siue quod audita ea die morte Octauiani, de quâ nos statim, minus sibi, & Ecclesiæ timendum crederet; seu Ludouici Regis Nuncio præuentus; demùm, seu quod reuerà constans animi, nec spei, aut metui cedens, nil vnquam foret in Sanctum intentaturus. Verùm quo ordine cuncta gesta sint, ex antiquorum scriptis hauriamus. Primò quod attinet ad litteras Legatiæ Alexandro remissas, tanquam inutiles, eò quòd Cantuariensem exceptarent; qualitérque easdem Papa susceperit habemus ex epistola Legati, quem Diuus Thomas habebat apud Pontificem; cuius hic tenor [a].

a *Apud Baron. hoc anno.*

2. *Amantissimo Domino suo, suus ille salutem, & benè semper valere.*

Per misericordiam Dei, quæ sperantes in se non deserit, factum est, vt eadem die, quâ Dominus Papa de morte Octauiani certificatus est, venerunt ad Curiam Nuncij Domini Regis K & H. hoc est K Ludouici, & Henrici Regis. Hi autem tantæ humilitatis speciem ex parte Regis prætendentes, viua voce, & litteris verbis eorum consonantibus, Dominum Papam, & aliquos Cardinalium adeò mouisse visi sunt, quòd (sicut ex relatione quorundam, qui vobis fauent, didici) ipsi vix lachrymas continebant. Post multas igitur allegationes, qualiter scilicet, & quo affectu ipse Rex eum, Alexandrum scilicet, receperit, quantam reuerentiam ei semper exhibuerit, & quandiu viuet, exhibebit, & in hunc modum multas reddiderunt literas Domino Papæ de Legatione, quas Archidiaconus vester minus honestè, & dum apud vos eram, in Angliam impetrauit. Conditionem verò ipsam, sub quâ eas obtinuit Dominus Rex per istos Nuncios, per se factam, vel quæsitam fuisse, penitus negauit. Dominus verò Papa cum tanto affectu, & ita auidè eas recepit, tanquam si ei aliquid desideratum oblatum fuerit: vt & quidam ei assidentes plurimum mirarentur. Hæc de priori parte legatiæ.

3. At de secunda, ex Actis viri Sancti, quæ Baronius adducit [b], hæc lector habeat. *Admissi omnes ad publicam audientiam, primóque loco in Consistorio, qui primum locum tenebat, primò loquutus est Episcopus Londoniensis in hæc verba. Pater, inquit, ad vos spectat Catholicæ Ecclesiæ cura, & solicitudo, vt qui sapiunt, per vestram foueantur prudentiam ad exemplum morum, & qui desipiunt, authoritate Apostolica comprimantur, vt sapiant. Sed apud vestram sapientiam non creditur sapere, qui in sua sapientia confidens, & fraternam concordiam, & Ecclesiæ pacem, Regísque deuotionem perturbare contendit. Nuper siquidem in Anglia orta est dissentio inter Regnum, & Sacerdotium, ex leui, & minus vtili occasione; quæ facilius posset extingui, si adhibita ei fuisset moderata curatio. Verùm Dominus Cantuariensis, suo singulari in hac parte, & non nostro vsus consilio, acrius æquo institit: non considerata temporis malitia, quod, vel quale dispendium ex tali impetu posset prouenire: & sibi, & fratribus suis contexuit laqueos. Et si ei in proposito suo noster fuisset assensus, iam res ipsa ad deteriorem calculum aduenisset. Verum quia nostram conniuentiam, sicut nec debuit, ad id quò tendebat, habere non potuit; nisus est in Dominum Regem, & nos, imò in totum regnum temeritatis suæ culpam retorquere. Quocirca ad decolorandam mutuæ fraternitatis infamiam, vim nemine inferente, vel minas intentante, fugam iniit, sicut scriptum est* [c]. *Fugit impius nemine persequente. Ad hæc Dominus Papa: Parce, inquit, frater. Et Londoniensis. Domine, parcam ei. Et Dominus Papa. Non dico frater, quod ei parcas, sed tibi: Ad hanc igitur Apostolicam vocem, & tubam, sensus Londoniensis infatuatus est à Domino, ita demum, quod amplius mutire non potuit.* Testatur Eduardus addidisse Pontificem [d]. *Frater, nō maledicas proximo tuo, neque enim ego maledicentē Archiepiscopo auscultare sustineo.* Sed pergunt Acta.

b *Ad hunc ann.*

c *Prou. 28.*

d *Cap. 12. Matth. 15.*

Excepit illum proinde sermonem facundus Hilarius Cicestrensis Episcopus, magis de sua confidens eloquentia, quàm de iustitia, & veritate, quod ex post facto innotuit. Pater, inquit, & Domine, interest Beatitudinis vestræ, quod perperam actum est in perniciē vniuersitatis, ad pacis, & concordiæ debitum statum citius reuocare; ne nimis huiusmodi immoderata præsumptio multorum stragem, & Catholicæ Ecclesiæ scissuram possit procreare. Id parum attēdit Dominus Cantuariensis, dum relicto maturiori consilio, se solum consuluit, vt sic sibi, & suis, Regi, & Regno, populo, & Clero grauiores labores procrearet, & angustias. Et certè virum tantæ auctoritatis non decuit, nec oportuit, nec aliquando oportuebat (ita grammatizabat Hilarius Cicestrensis, dicens oportuebat.) Insuper suos si saperent, non oportuebat sibi in talibus præbuisse cōsensum. Audito itaque qualiter facundus ille grammaticè prosiliret de portu, in portum, per illud iteratum oportuebat: soluti sunt in risum vniuersi. Inter quos vnus prorumpens in vocem: Malè, inquit, tandem venisti ad portum. In quo verbo ita Episcopum illū infatuauit Dominus, quod de cætero factus est mutus, & elinguis. Eboracensis autem Archiepiscopus priorum ruinam attendens, animi impetum, studuit temperare. Pergunt Acta, quæ plura alij dixerunt, non dissimili orationis suæ fructu. Verùm nos exitum totius legationis, & frustrata per omnia Regis mandata, etiam quæ iustè videbantur posse concedi, ex Rogerio Hovvedenio, qui paucis rem perstrinxit, prosequamur [e]. 4.

e *Ann. seq.*

Inuenerunt (scilicet Legati Regis) *Papam apud ciuitatē Senonensem & multa mala, & falsa dixerunt aduersus Cātuariensem Archiepiscopum. Sed Dominus Papa eis non credidit, sciens quod falsum dixerūt aduersus eum testimonium. Illi autem videntes se non posse proficere, petierūt à Domino Papa duos Legatos mitti in Angliam, ad cognoscendam controuersiam, quæ erat inter Regem, & Archiepiscopum; & determinandam causam ad honorem Dei, & Sanctæ Ecclesiæ, & Regni. Sed Dominus Papa nullū Cardinalē, nec aliquem Legatum mittere voluit, sciens quod* 5.

Rex

Rex Angliæ potens erat, in opere, & sermone; & quod Legati ex facili possent corrumpi, vtpote qui plus aurum, & argentum sitiunt, quàm iustitiam, & æquitatem. Nuncij itaque Regis Angliæ nihil proficientes, à Curia Domini Papæ recesserunt. Ita Rogerius. Addit Baronius: insalutato Papa, & absque eius accepta benedictione. Eduardus vltra, denegatæ legationis, quæ iustè videbatur posse concedi, causam subiungit [f]. *Maiorem enim illis Cardinalibus volebant potestatem adiungi, quàm æquum videretur.*

[f] Apud Sur. cap. 12.

6. Quarto à discessu Episcoporum die, aduenisse Senonas D. Thomam, Eduardus, & Rogerius contestantur. At qualiter exceptus à Cardinalibus, qualiter à Pontifice: qualiter demùm solus in sua causa, seu veriùs dicam Ecclesiæ, perorauerit; ex Quadripartita eiusdem sancti historia præstat describere. *Certè cui constituto in gratia Regis, & potenti in Anglia obuiam processerant omnes Cardinales, cum Turonis in Concilium adueniret; nunc pauper, exul, Regíque inuisus, tepidè quidem* (ait Alanus [g] in eo libro) *exceptus est (hæc hominum conditio etiam illustrium) ad Domini tamen Papæ præsentiam intromissus. Qui venientem ad se paterna suscepit benignitate, super vexatione eius multimoda, & peregrinatione eius tam periculosa, & dura, paternè compatiens. Dumque hæc, & illa verbo tenus agerentur, demùm recepit in mandatis, in crastinum exilij sui causas coram fratribus exponere. Sequenti ergo die, dum quæreretur inter sodales, quis eorum causam exponeret, singulis sese excusantibus, verbi pondus apud Archiepiscopum resedit. Doctus igitur à Deo, & per se impræmeditatus, dum primus à Domino Papa sederet, & propter reuerentiam vellet assurgere, iussus residendo causam edicere, sic incœpit.*

[g] Apud Baron. hoc anno.

7. *Licet non multum sapientes, nec tamen vsque adeò sumus fatui, vt Regem Angliæ suos, & sua, pro nihilo relinqueremus. Nam si vellemus sua per omnia placere voluntati: in sua potestate, vel regno non esset quis, qui nobis non obediret pro libito. Et dum sub hac conditione ei militauimus; quid fuit, quod nobis non successit ad votum? Ex quò verò aliam ingressi sumus viam memores professionis, & obedientiæ, quam pro Deo suscepimus, quem ad nos habuit, tepuit profectò prior affectus. Adhuc autem, si ab isto proposito vellemus resilire, ad eius recuperandam gratiam nullius persona egeremus interuentu. Veràm quia Cantuariensis Ecclesia sol solet esse Occidentis, & nostris temporibus offuscata est eius claritas, quodlibet tormentum, sed & mille mortis genera, si tot occurrerent, libentius exciperemus in Domino, quam sustineremus sub dissimulatione his diebus mala, quæ patitur. Porrò ne videar curiosè, vel obtentu vanæ gloriæ hæc inchoasse, expedit, vt oculata fide constet de effectu. Et producens scriptum, in quo continebantur consuetudines illæ, de quibus contendebatur, cum lachrymis dixit: ecce quæ statuit Rex Angliæ contra libertatem Ecclesiæ Catholicæ, si hæc licet dissimulare sine dispendio animæ, vos videritis.*

8. Hactenus S. Oratio extemporanea, eò efficaciùs affectus cunctorum mouens, quò magis ad naturam, minus ex arte: Nec quidquam continere videbatur, quod non ex puro corde Ecclesiæ zelo, & veritatis amore proueniret. At postquàm lectis auitis, vt volebat Henricus, consuetudinibus; ecclesiasticam omnem immunitatem deprehenderunt euersam: & nullis bonis, paucis tolerandis; reliquas omnes exitiosas Ecclesiæ fore; Tùm verò demum, pergit idem Auctor, *Moti sunt omnes vsque ad lachrymas; nec ij se continere poterant, qui priùs pro viribus aduersabantur: communi voce Dominum laudantes, dum vel vnum sibi reseruauit. qui pro Ecclesia sua in illa tempestate ausus fuit ex aduerso ascendere. Et qui ante videbantur super hac causa variè disceptare, iam in vnam conuenere sententiam, in persona Cantuariensis Archiepiscopi, Vniuersali Ecclesiæ succurrendum.*

Sequuntur in eadem historia capita consuetudinum, quæ nos ex ea superius recensuimus, & statim subiungitur. *His Alexander Papa valde commotus ad Archiepiscopum se conuertens: Tecum, inquit, frater, etsi tuus, & coëpiscoporum tuorum grandis fuit excessus, & enormis; agendum est parcius. Quivesfi (vt confiteris) ipse cecidisti: mox post casum tuum resurgere conatus es; & propter casum multa grauia, & dira perpessus: & statim, vt cecideras, cum adhuc esses in Anglia, à nobis quæsisti, & meruisti de clementia nostra absolutionis beneficium. Vnde, vt dignum est, & nos tibi indulgemus, vt in tuis aduersis clementiæ nostræ consolationem, & gratiam præ cæteris personis Ecclesiasticis tantò pleniùs, & affectuosius sentias, quantò pro libertate Ecclesiæ, & pro fide, & deuotione nostra maiora reliquisti, & grauiora perpessus es. Et ita Vir Apostolicus Archipræsulem primo paterna seueritate obiurgans, & materna consolationis dulcedine reparans, tunc dimisit.* Hactenus super causa exilij B. Viri. 9.

Cæterum de abdicato Archipræsulatu coram Pontifice, siue antea semel iam abdicauisset vt quidam volunt, seu nunc primum eidem renuntiauerit; atque eodem sibi restituto, quæ in eadem historia referuntur postridie facta, accipiat lector [h]. *Postera verò die in secretiori thalamo, cum Domino Papa, & Cardinalibus residentibus, affuit & Archiepiscopus, hæc inquiens. Patres mei, & Domini, mentiri nemini licet alicubi, nedum coram Deo, & vestra præsentia. Vnde gemens fateor, quia has Anglicanæ Ecclesiæ molestias mea miserabilis culpa suscitauit. Ascendi in Ouile Christi, sed non per ipsum ostium* [i], *velut quem non canonica vocauit electio, sed terror publicæ potestatis intrusit. Et licet hoc onus susceperim inuitus, tamen ad hoc me induxit humana, non diuina voluntas. Quid igitur mirum, si mihi cessit in contrarium? Verùm si ad Regis communicationem, vt Coëpiscopi mei persuasere instantius, renunciassem, Episcopalis authoritatis mihi indulto priuilegio, ad Principum votum, & voluntatem; catholicæ Ecclesiæ perniciosum relinqueretur exemplum. Distuli igitur vsque ad vestri præsentiam. Nunc autem recognoscens ingressum meum minus Canonicum, & timens proinde exitum mihi prouenire deteriorem. Videns etiam vires meas oneri impares: ne gregi inueniar præesse ad ruinam, cui datus sum qualitercumque in pastorem in manu tua; pater, Archiepiscopatum Cantuariensem, in manu tua, inquam, resigno. Móxque transsumens annulum suum de digito suo rogabat Ecclesiæ dignum pastorem prouideri, eo quod ipse nomen pastoris habens, officium pastoris non impleret. Compléns que orationem in lachrymis, Dominum Papam, & omnes, qui aderant flere compulit. Imo & hæc audiens quis poterit se cõtinere à fletu?* 10.

[h] Apud Baron. ibidem.

[i] Ioan. 10.

Seorsum ergo Archiepiscopo sedente cum suis, in hoc verbo scandalizatis, nimirum qui iam cœperant desperare; Dominus Papa super his cum Cardinalibus cœpit conferre. Hinc inde varia, & diuersa est orta sententia. His visum est, oblata occasione, Regis iram sedari posse faciliùs; dum in alia persona Ecclesiæ Cantuariensis conciliaretur, & B. Thomæ possit alias competentius prouideri. Hi quidem erant ex Pharisæis (ita Auctor nominat Thomæ aduersarios.) *Aliis autem visum est diuersum,* 11.

qui

qui apertos habebant oculos, quod si is, qui pro tuenda Ecclesiæ libertate, summo periculo, & discrimini, non solum diuitias, & gloriam, dignitatem, auctoritatem, sed & vitam exposuit, ad Regis libitum deberet iure suo priuari: sic vt, & forma fieret aliis in consimili causa Regibus resistendi, si eius iustitia seruaretur illæsa: sic eo cadente, caderent vniuersi Episcopi, vt nullus futuris temporibus auderet obuiare Principis voluntati: & sic vacillaret status Catholicæ Ecclesiæ, & Romani Pontificis deperiret authoritas. Expedit igitur, inquiunt, hunc restitui etiam inuitum, & ei, qui pro nobis dimicat, omnimodis succurrendum. Placuit omnibus hæc sententia, præterquàm Pharisæis.

12. *Vocato igitur B. Thoma cum suis, Dominus Papa hæc ait ex sententia. Nunc demùm, frater, nobis liquet, quem habuisti, & habes zelum pro domo Domini: quam syncera conscientia teipsum statuisti murum ex aduerso. De tuo ingressu quam puram feceris confessionem, resignatione facta, quâ potuit, & debuit, deleri culpa delicti. Iam securè poteris de nouo de manu nostra, Pontificalis officij curam recipere, dum te in integrum ducimus restituendum: & merito, quem multiplici genere tentationis virum probatum nouimus, prouidum, & discretum, Deo, & hominibus charum, nobis, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ per omnia fidelem: Et sicut nostræ persecutionis factus es particeps, & consors indiuiduus; ita tibi, Deo authore, in nullo deesse poterimus, quandiu in hoc corpore vitalis durauerit spiritus.* Hæc in historia illa Quadripartita, quæ & ex ipsa Baronius vendicauit.

13. Contulerat cum Alexandro Papa B. Præsul, si Episcopum exueret, monachum se Cisterciensem induiturum; vt non obscurè, ex ipsa collatione sociisque, eius in nostram familiam deuotionem coniectauisset. Quin Alexander eidem summè addictus, aptam viri exilio, & spirituali profectui iudicauit. Itaque dum in Curia detinebatur, (mansit autem in ea per mensem integrum) Venerabilem Guicardum Pontigniacensem Abbatem ad se vocat, tanto donandum hospite; quem pauperem, quem exulem, quem monachum, quem constantem pro Ecclesia Christi athletam, vt Christum ipsum foret suscepturus. Aduenit Abbas, & lætus tanto Nuncio, Pontigniacum obsequio Thomæ exponit; monachos velut filios, se vt ministrum, cunctos eius vestigiis adhæsuros. Tum verò ad Thomam versus [k]. *Hactenus*, ait, *deliciis affluens, vt de cætero discas esse, quod debes, pauperum consolator (nec id doceri poteris, nisi docente religionis matre, ipsa paupertate) pauperibus Christi te duximus commendandum; huic, inquam, Abbati Pontigniacensi (erat enim ibi præsens ex condicto) non, inquam, educandum splendidè, sed simpliciter, vt decet exulem, & Christi Athletam: inter quos cum paucis, & necessariis, reliquis sociis per amicos diuisis, oportet te ad tempus conseruari, donec aspirauerit dies consolationis, & tempus pacis desuper ad nos descenderit. Interim autem forti animo esto, & his, qui pacem perturbant, resiste viriliter.* Hæc Alexandri, ad Thomam, verba fuisse, Quadripartitæ authores concordes tradunt.

k *Vbi suprà.*

At Thomas ipse Pontigniacum cum Guicardo proficiscendus, deuotionis suæ in Cistercium non oblitus, quæ vel sic tandem ad effectum perduci posset. 14. *Inter Monachos*, (ait Cardinalis Baronius, hæc ipsa referens [l]) *monastico volens viuere habitu, petiit ipsum benedici ab Alexandro Pontifice; quo indutus, perseuerauit monachus inter monachos, numeros omnes perfectionis monasticæ explens.* Tradiderat hoc ipsum ante Baronium, Polydorus Virgilius verbis non dubiis [m]. *Iussit*, ait, *Pontifex, vt ad Pontigniacum Cœnobium se conferret. Paruit Thomas libens Pontifici: & ad id Cœnobium profectus, accepto ab ipso Alexandro nouo vestitu, monasticam degere instituit.* Hic patuit aditus Thomæ ad Cistercienses, ex Monachatu, quem dum consecraretur, professus fuerat, vix exactè implendum, nisi in exilio. Ergò qui in prima sui creatione monachum induit, in resignatæ dignitatis restitutione Cistercium addidit: nec inter infulas laxius obseruandum; sed in toto rigore vitæ communis, & seuera claustrali districtione. Scio nonnullos hanc ipsam mutationem prioris habitus, paulisper differre; nec prius Thomam induisse Cistercij monachum, quàm Pontigniaci inter monachos conuersatus, disciplinæ rigorem expertus esset. Quo tandem tempore ad Pontificem scripsit, sine cuius consensu id non auderet. Parua distantia; & vt in primo feruor deuotionis, in secundo iudicium magis elucet; nisi quis maluit alterum ad habitum, alterum verò referre ad professionem; quod, vt non video fundamento firmo niti, sic neque habeo, vnde possit impugnari. Nos dicta ab his Authoribus notauimus; quæ ab aliis, non minus notaturi: vtraque in tempore. Interim Thomæ Cistercio iam adscripti genus, vitam, & mores, quæ hactenus omissa, vsque ad Cantuariensem Archipræsulatum proferamus.

l *Ad hunc ann.*

m *Pol. mihi 215.*

---

1. *Thomæ ortus*, 2. *parentes diuersæ gentis*, 3. *prægnantis matris; atque recens enixa visiones*, 4. *nec minùs certa patris, quamuis occulta*, 5. *studia iuuenis*, 6. *per miraculum seruati in mediis vndis*, 7. *Theobaldo Archiepiscopo se tradit*, 8. *à quo primum Archidiaconus Cantuariæ, mox Regni Cancellarius*, 9. *& quibus moribus*, 10. *dein Henrici Principis magister*. 11. *Et bello, & pace strenuus*, 12. *denique in Cantuariensem sedem sublimatur inuitus, nec nisi pactis certis conditionibus.*

CAPVT V.

1. PATRIA Thomæ Londinum, parentes nobiles, ingenium acre, decens forma corporis; mores inter iocundos, & seueros, qui comitatem in cunctis præseferrent, sed neque à grauitate declinarent. *Vbi primùm per ætatem licuit* (inquit Magister Eduardus [a] in eius vita) *prima litterarum elementa discere iussus est. Inde liberalibus admotus disciplinis multum in illis breui profecisse fertur. Nec tamen rerum mutatio passa est diu eum hærere in scholis, Parentes enim crebris incendiis, & multis casibus aduersis afflicti, illi instituendo minorem adhibuere curam. Accessit eò vtriusque obitus,*

a *Apud Sur.*

obitus, qui magnam filio attulit, cum orbitate, calamitatem. Hæc pueritiæ ipsius rudimenta, in vtramque fortunam ancipitia, procliuiora in aduersam; Eduardus enarrat: Quadripartita historia plura, rarioráque, & quæ summa portenderent, neque nobis silentio prætereunda.

2. Parentes ex diuersa gente natos, atque diuersis ritibus imbutos, Orienti Occidens; &, nisi mater ante conuersa esset, Mahometismum Christianismo copulasse Gilbertum patrem (id viro nomen fuit) patria Londinensem, profectum in Syriam, redemptionis nostræ loca visitaturum: sed ante reditum captum à Sarracenis, ac viro Principi deputatum inter mancipia, non paruo tempore seruitutis damna mœruisse. Tum filiam heri amore serui captam, quæ muliebris plerumque conditio est, cum à solicitato respueretur; elapsum fuga non multo post sequutam: Atque inuentum Londini, cum iam non virum, sed magistrum Christianæ pietatis habere vellet, per quem spiritum eius concepisset; euicisse cōstantiam Christiani hominis, vt se, in vtrumque munus lubens offerret. Et cathecumenam primùm, mox Christianam, ac Matildem vocatam, tandem sibi in sponsam copulasse; ex quo coniugio Thomas natus fuerit. Hic viri ortus fideli testimonio Quadripartitæ historiæ, quam domestici eius, conctorum omnium testes, conscripsere.

3. Prægnanti matri ingens in ventrem fluuius, dein in sinum duodecim stellæ intrare visæ: quorum primum ad conceptæ prolis doctrinam, & populorum regimen: posterius ad Pontificam dignitatem retulêre sapientes; cum super his à Matilde consulerentur. Nec defuit Cantuariensis Ecclesiæ præsaga visio, prægnantis ventre crescere conspecto, iuxta ianuas illius; quasi ingens illud vacuum impleturo. Sed longè maius, quod sanguinem protendit à puero fudendum pro Christi gloria. Nam iam enixæ iacere visus est intra cunam amictus purpureo panno: quem cum aptandum nutrix explicaret, atque in longum protenderet; non cubiculum cœpit, non tota domus, non viæ publicæ, non plateæ vrbis. Demùm audita vox de cælo dicens: Frustra nitimini hanc purpuram exerere, cui parua Anglia, & vix orbis sufficiet. Ita sanè purpureus viri sanguis Cantuariæ effundendus, gloria, & miraculis non solam Cantuariam, non solum Angliæ Regnum, sed vniuersum repleturus erat Christianum orbem.

4. Hæ maternæ visiones de sancto filio: sed neque pater expers ab hac gloria; nisi quod tamen visa silentio premere facilius in viris, eóque, quæ ipsos concernunt, occultiora. Constat, cum filium, quem tradiderat erudiendum Canonicis Merithoniæ, quadam die visitaret, coram Priore, procidisse ante pedes adolescentis in signum reuerentiæ: super quo, cum à Priore Cœnobij corriperetur, quasi qui naturæ ordinem inuerteret, ipse potius à filio venerandus. Scio, ait, quid facio: non miremini, neque enim filium pater, quod reprehenditis; sed in filio insignem Christi athletam veneror, magnum virum futurum coram Domino. Haud dubium, quin de eo multa didicerit vnctione magistra; sed quæ noluerit, apertius reuelare.

5. Duos supra viginti annos explebat, cum matrem amisit; ex quo nec diu pater superstes fuit. Tum verò Thomas sui iuris effectus, inter lubrica ætatis, & occasionum; vt perfectionis non statim arripuerit semitam angustiorem: at prohibita omnia laxamenta, atque illecebras carnis declinauit. *Delectabatur quidem* (ait Eduardus) *Canibus & auibus, vt solet illa ætas atque id genus aliis vitæ huius oblectamentis: sed mansit corpore integer, & veri in tantum amans, vt aut vix, aut nunquam quidquam vel ioco, vel seriò dixeris, quod esset cum mendacio coniunctum.* Hæc semina virtutum, rara in iuuene excreuere paulatim in grandem segetem.

Verùm in Thoma rarius adhuc fuit, quod vel in paruis magnus: atque ipsa ludrica, ad miracula in illo Deus prouexerit. *Accidit* (ait Eduardus, & consonant Auctores Quadripartitæ) *vt cùm Richerio equitans, (id viro nomen Gilberti familiari) videret accipitrem, dum vult anatem rapere, pene mergi in vndis. Eius misertus, ab equo desiliens, in flumen insilit, auem extracturus; sed raptus ipse aquarum vi, parum à summo abfuit periculo. Tandem appulso illo ad molendinum, rota stetit immobilis, donec extraheretur ex aquis, Domino illum iam desperatum conseruante, ne extingueretur lucerna in Israël.* Ingens miraculum, si pepercisset rota seruanti animam redemptam Christi sanguine: at pepercisse seruatori accipitris supra miraculum etiam visum fuit. Pergit Eduardus. 6.

Venit interim ad Cantuariensem Archiepiscopum Theobaldum, & honorificè ab eo acceptus, ludis, & leuitate reiecta, inter homines maturos, & sapientes versabatur, eorúmque sermonibus ad meliora informabatur. Animaduersa autem breui eius prudentia, & perspicacitate, Archiepiscopi consiliis, itemque negotiis tum publicis, tum priuatis interesse cogitur. Sensu autem peruigil, consilio prouidus, in responsis prudens, sermone cautus, & moderatus, Archiepiscopo charus, & omnibus gratus fuit; vt maleuolum se probaret, si quis tot gratia dona in illo non diligeret. Certè de illo Archiepiscopus testabatur palam, se nullum vnquam antea tam fidum rebus suis, & integrum comperisse. 7.

Ea vnica industriorum virorum sors, cognosci: cognitus Thomas Archidiaconus Cantuariæ, promouente Theobaldo; mox Cancellarius Angliæ, Henrico iuueni in Regno succedenti, veluti pedagogus, certè, vt fidus minister datus est; quæsitus magis, quàm quærens dignitates: nec sibi vnquam datas arbitratus, sed se illis. *Itaque* (pergunt Acta vitæ eius) *Archiepiscopus Theobaldus volens eum ad altiora euehere, commendat eum Regi, commemorat eius prudentiam, fidem, & veritatem. Confestim Rex facit eum suum Cancellarium, qui in illo Regno esset secundus ab ipso.* Ergo secundus à Rege in Anglia factus, in splendore domus nimietatem supra consuetum, adeóque vsque ad inuidiam: reliqua sine labe, multa etiam cum laude præsetulit. Quippè duas virtutes eximiè coluit, viro publico summè necessarias; zelum, & pietatem; illum aduersùs vitia, hanc pro hominibus. In aliis, etsi non vitiosus appareret magis, quàm Sanctus; regali fauore, & summo Cancellariæ munere potens, etiam, quod non apparebat, prædicabatur. Reddidere castitatem eius dubiam duo indicia, lauticies, & vrbanitas: & quæ hominibus innata conditio est, detrahendi virtutibus; ac bona quæque in deterius interpretandi. 8.

Quæsitum noctu in lecto, neque inuentum, qui quæsierant, comprehēsum iudicauere; quasi ad domum mulieris diuertisset, quondam Regi adamatæ; à qua xenia suscipere consueuit. Sed mox repertus in tecto secretiori, orationi post verbera, post orationem indulgens somno debito, in nuda terra iacens; demonstrauit, qualiter lautus simul, & 9.

& vrbanus, nihilominus contra stimulos carnis prævaleret. Hæc, & similia fama diuulgante, crescebat Thomas gratia, & opinione, non solùm apud Regem, sed apud plebem. Quippè ex tunc cultum illum, quem non ad fastum, sed incutiendæ reuerentiæ causa; & publicas delicias venerabantur; quas, coërcitas secreta pœnitentia, nequaquam nocituras, non dubitabant. Hæc cuncta pluribus Quadripartitæ historiæ Authores: nobis summatim sufficiat indicasse.

10. Inter hæc primogenito Regis Henrico Principi infantiam prætergresso, & iam pueritiam altiùs delibanti, idem Thomas magister designatur, per quem artium artem, regnandi leges, magis, quàm litteras; & belli, & pacis virtutes edoceretur: illas præcipuè, quæ decent virum Principem, iustitiam, & clementiam; atque vtriusque prudentiam moderatricem. Potuit Henricus Regni successori sapientiorem magistrum prouidere (nam Thomas libauerat scientias, non imbiberat) sed nihilominus hunc cæteris præposuit; seu Principum innata consuetudine, cuncta in vnum conferre, nec alios iudicare capaces, quàm quibus dederint; siue (quod mallem) iudicio firmo, & recto; ne nimirum doctus filius inde euaderet; haud aliter facilius deuiaturus à recto tramite, quàm si ad noua recurreret, quæ à se inuenta antiquis anteponeret. Errant, qui Principes nimium eruditos; errant, qui rudes volunt: alteros, dum se putant supra consilia, alteros, dum reuera infra consistunt: illos regi impatientes, hos incapaces; adeóque neutros regere peritos. Tales ergo ministros adhibendos, qui nec supra vagentur, nec infra maneant; vel si supergrediantur, sibi temperent, Principatus exposcit; moribus magis, atque animi virtutibus, quàm scientiarum argutiis nobilitandus.

11. Tum verò Thomas Regios animos sumere, ac se primum præceptis informare, curare rempublicam, & belli, & pacis artes præseferre: deinde Principi exempla pro præceptis; nec legenda proponere, aut audienda; sed ingerere oculis æmulanda, ex conuictu, atque ipsa pulchritudine virtutis auspicabatur. Londinense Palatium ruinosum, & ex parte collapsum, reparauit: idque duorum tantùm mensium spatio; nec fluxa opera, aut parum duratura: quod architectis miraculi instar fuit. Henricum Regem subditis amabilem, reuerendum vicinis, hostibus formidandum, aut fecit, aut habuit; sed verius dixerim habuit, quia fecit, semel, & iterùm congressum aduersus Gallos, consilio, opibus, virtute propria iuuit, vtrasque partes doctus docénsque: & qui tunc demùm neque segniter lautus; neque prodigè effusus (quod in Regibus summè necessarium) inuentus est, cum propriis viribus fortissimos prostrauit (sic Acta referunt) propriis sumptibus exercitum conduxit, per quem ablata, aut amissa reciperet, vrbes, oppida, castra subiugaret. Ferunt, quod posteà euentus comprobauit, Regem Francorum dilexisse, vt amicum, quem hostem patiebatur: quippè virtutis, quàm vrbium amantiorem; & inuidisse Anglo talem ministrum, cui quid negarent subditi, cùm vel hostes amore prosequerentur?

Inter hæc vacua sede Cantuariensi, Theobaldo defuncto, Thomas sufficitur, solicitante Rege promotionem; atque attestante se non minus eam, quàm filij sui in Regno successionem desiderasse. Eduardus eò putat respexisse quod persuasum haberet, si Thomas fieret Primas totius Angliæ; per omnia sibi in Ecclesiæ rebus obsequuturum, quem tam fidum habuisset ministrum Cancellariæ, cum fortè contra colligere deberet, haud minus fidum futurum ministrum Christi, quam eius fuisset. Ferunt Sanctum, dum onus detrectaret, prædixisse Henrico, fore, vt si in Archiepiscopum euaderet, gratiam eius amitteret; quippè nequaquam multis concessurus, quæ in Ecclesiam tentanda præsagiebat. Verùm cum Rex in proposito persisteret, duplicem excepisse conditionem, quacumque deficiente, respuiturum; alteram non sacrandum in Pontificem, nisi prius abdicata Cancellaria: alteram se tradendum Ecclesiæ liberum: si tunc petatur, rationem redditurus peracti muneris. Annuit Rex, atque Henricum filium misit, qui eius nomine abdicationem acceptaret, libertatem concederet. Hæc summatim ex Actis Sancti decerpta, reliqua abhinc, vel dedimus, vel dabimus. 12.

---

1. *Pseudopapæ Victoris infelix mors*, 2. *& loco eius Paschalis subrogatus*: 3. *Friderico insectante Cistercienses, & quosdam adducente in apostasiam.* 4. *Conradi Lubecensis industria*, 5. *& defectio ab Henrico*, 6. *atque Constantia*: 7 *tum ad Magdeburgensem inita fuga.* 8. *Acta Stephani Vpsalensis Archipræsulis*; 9. *& pax conciliata per ipsum in Septentrione.* 10. *Conradus ex Patauio promotus in Salitzburgum.* 11. *Acta viri.* 12. *Et Iosciontu sub Andræa Atrebatensi funus mirandum.*

Capvt VI.

1. DVM hæc in Anglia, & Gallia peragerentur, in Italia Octauianus Pseudo-Victor. *Infirmatus apud Lucam* (vt Acta Alexandri testantur, quæ adducit Baronius [a]) *circa festum Paschale, & impœnitens, & excommunicatus de hoc mundo migrauit ad inferos.*) Hunc finem habuit ambitio cæca hominis, qui totum orbem Christianum conturbauisset. Fertur tamen Sacerdotem Catholicum vocasse, sic volunt eadem Acta, sed qui prohibitus à schismaticis (iusto Dei iudicio id permittente) ad ipsum intrare non potuerit.

[a] *Ad hunc ann.*

2. Octauiano Guido Cardinalis Cremensis schismaticæ factionis homo, Paschalis (nam sic appellauere) suffectus est, ingenti malo totius Christiani Orbis; quò longiùs aberat à vera successione, eò maiori violentia sublimandus atque manutenẽdus à Friderico. Sensit Cisterciũ præ cæteris hoc damnũ, innouato edicto per Germaniam, vt omnes Pseudopapam

Pseudopapam adorarent, aut loco cederent; neque id tantum in Monachos prolatum, sed in Sanctimoniales; horrendum dictu! pulsis de sedibus integris agminibus, quæ vagationem longè, quàm exilium, & petendi indigentiam, multo magis mœrerent, quam paupertatem. Pro fide exules martyribus annumerant, quotquot de ipso martyrio benè sentiunt. Habuit Ecclesia Cisterciensium, martyrum choros: viros, fœminas actas in exilium, mendicare compulsas, & quod vltimum miseriarum est, ipsa necessitate velut expositas; vt nec cauere ab hominum consortio, sine vitæ discrimine; neque ingeri sine honestatis dispendio possent.

3. Et impegere multæ, multique huius offensionis acutos lapides; adeò, vt in ipsis castris Friderici, non multo post, quod non sine dolore, & rubore fatendum est (sed fatendum tamen, quò magis electorum virtus effulgeat; tum vt veritati historiæ morem, quantum in nobis fuerit, geramus) in ipsis, inquam, castris Friderici, plusquam trecenti Monachi, & Moniales per apostasiæ crimen inuenti fuerint; illi inter satellites, hæ inter scorta; & vt non credam, omnes Cistercienses, at saltem plures Albertus Krantzius facit, qui rem lachrymis, & dolore intimo dignam, his verbis narrat. [b] *Adstabant choro* (dum Missa scilicet in gratiarum actionem, pro quadam parta victoria cantaretur) *canentium, trecenti ex militantibus, omnes Monachi apostatæ, & ferè tot Moniales eiusdem sectæ. Singulari enim odio insectabatur Fridericus Ordinem Cisterciensium Alexandro præcipuè inhærentem. Vnde subuersis eius Ordinis Monasteriis, ex Monachis tot fuere satellites, & item ex Monialibus non pauciora scorta.* Hæc Author ille; à cuius numero, tanquam parum pij erga religiosos, quod negari non potest, ex aliis locis, etsi multos demamus: haud dubiè tamen non pauci relinquentur, nostris in confusionem simul, & gloriam.

[b] Lib. 6. Metrop. c. 49.

4. Conradus interim Episcopus Lubecæ, ex Abbate Cœnobij Redageshausen recèns promotus, cum Bremensi Archipræsuli adsisteret, qua industria pollebat in negotiis, summam rerum potentiam adeptus est; quod testatur Helmoldus Buzouiensis in sua historia Slauorum, ita scribens. [c] *Circa hos dies Conradus Lubicensis Ecclesiæ Episcopus morabatur apud Archiepiscopum, & pendebat in ipso summa consilij.* Hic status rerum Conradi cum Hartuuico. At cum Henrico Leone non ita prosper. Quippe quem, ob non acceptatum per virgam Episcopatū, à principio infensū, infensiorē reddiderant rumores, qui de Conrado per Halsatiā spargebantur: quos idem qui supra Helmoldus ita prosequitur. *Et perlatum est ad Ducem; quia non sentiret ea, quæ pacis sunt, sed quæ ad destructionem Ducis; & quia suggeris Archiepiscopo, vt transeat ad Principes, & rescindat amicitias, quas pepigerat cum Duce.* Paschali magis, quàm ab Henrico (quod euentus probauit) viro mox Alexandro reconciliato, nec iura Ecclesiæ inuadentem, suscepturo.

[c] Lib. 2. c. 9.

5. Dolebat Dux defectionem industrij hominis, & aliàs sibi chari, & quem vel se auersantem, reuerebatur. [d] *Volens ergo Dux rem certius nosse, vocauit eum ad colloquium Ertheneburg. At ille declinans iram petentis, declinauit in Fresiam, veluti fungens legatione Archiepiscopi: quem demum redeuntem Dux secundè vocauit. Conductu ergo Domini Archiepiscopi, & Domini Baronis Magnopolitani occurrit Duci apud Stathen, auditurus verbum eius. Et conuenit eum Dux super his, quæ ad ipsum perlata fuerant, qualiter scilicet verbis malis derogauerit honori suo, & dederit consilium aduersùs eum in malum. Affirmat Episcopus se nihil horum recognoscere.* Hactenus Helmoldus. Albertus Krātzius vlterius affirmat. [e] *Facilè ducem grauis viri verbis fidem habentem, suspicionem omnino deposuisse.* Hæc prima, & sanior colloquij illius pars, quæ potuisset sedare Henrici animum. Sed dum plus nimio emungere conatur, elicuit sanguinem repulsæ manifestæ, quæ demum salutis Conradi occasio fuit. Nam pergit Author scribere in hunc modum.

[d] Ibidem.

[e] Lib. 6. Sax. cap. 22.

Multis ergo verbis hinc, & inde habitis; cupiens Dux conuulsas amicitias resarcire, & Episcopum iam olim sibi dilectum, tenacius colligere; cœpit ab eo familiariter exigere Dominij debitum, quod sibi Imperiali donatione permissum in superioribus ostensum est; in his videlicet Slauorum prouinciis, quas ipse iure belli in clypeo suo, & gladio possederat. Ad huius propositionis verbum vir magnanimus resiliit, dicens: medicam esse stipem Ecclesiæ suæ, nunquam se intuitu huius libertatem suam occupaturum, aut cuiuslibet potestati submissurum. E conuerso proponit Dux, omnino, aut loco cedere, aut proposito parere. Cumque fixus in sententia maneret Episcopus, præcepit Dux occludi ei introitum Parochiæ suæ, & omnes redditus Episcopales tolli. Verba Ducis expressit Albertus Krantzius. *Quandoquidem*, inquit, *superioris ius contemnitur, iustè aditus in prælia denegatur.* Hactenus secunda Henrici cum Conrado colloquij pars, constantiam viri præseferens, atque vtramque, qua hactenus fœdabatur, defœcans scoriam Episcopatus sacrilegè occupati; ac nimiæ seueritatis in suos subditos; quippe his ex tunc, mali non ignarus, didicit subuenire: sed neq; ab illo vlteriùs quid percepit, quoadvsque Alexandro, & Ecclesiæ reconciliatus, ipsius authoritate promoueretur. Quod post biennium factum, dicam in tempore. 6.

Interim tamen cum furente Henrico Duce, neque Conradus, neque Bremensis ipse Hartuuicus in tuto se putarent posse consistere; & Aliàs Alexandro reconciliari haberent in votis, peregrinationem vterque deliberauit; quam tamen prior Conradus aggressus est, mansurus interim cum Magdeburgensi: id quod idem Helmoldus his verbis subdit. [f] *Post discessum ergo Ducis, locutus est Archiepiscopus ad Conradum Episcopum: existimo, quod non sit cautum vobis consistere apud nos, propter satellites Ducis, in quorum medio sumus. Quin potiùs consulite honori nostro, & saluti vestræ; & transite ad Magdeburgensem Archiepiscopum, & Principes, vt possitis euadere manus inimicorum vestrorum. Ego quoque post paucos dies prosequar vos, & peregrinabor cum peregrinante, & fecit iuxta consilium Archiepiscopi: & transiit ad Magdeburgensem Archiepiscopum, & mansit apud eum fermè duobus annis.* Ita Helmoldus. Haud dubium tamen interim Conradum scripsisse Alexandro, nec extra Ecclesiam vltra perseuerasse, quod ex infra dicendis apparebit. 7.

[f] Vbi suprà.

Hoc ipso anno Stephanus Vpsalensis Archipręsul, ex Cistercio adsumptus, cuius supra meminimus, cōmittente Alexandro summo Pontifice, Helenam viduam, insignis sanctimoniæ fœminam, inter sanctos relatam declarauit. Nec multo post, adiuncto Eskyllo socio, iam dudum in Cistercium destinato, Diui Canuti Danorum Ducis corpus transtulit. De quibus hæc in appendice ad Ioannem Magnum. *Curauitque* (Danus nimirum Princeps) *apud Alexandrum Papam tertium, vt Stephanum nuper in Archiepiscopum Vpsalensem consecratus,* 8.

[g] Lib. 4. c. 18.

tus, illustrissimam viduam Helenam de Schedulis, ob summam vitæ sanctimoniam, & miraculorum operationem, in numerum sanctorum referret, currente à nato Christo M.C.LXIV. Nec longè post idem Archiepiscopus Stephanus, vna cum Eskyllo Archiepiscopo Lundensi, in translatione Diui Canuti Danorum Ducis constitutus, multa pro publica Regnorum, & Regum pace prudenter effecit. Sic ille.

9. Porrò qua die Canutus eleuatus, atque templo, & altari donatus est, Canutus eius nepos in Regem vnctus, & paternæ ditionis legitimus successor est designatus, vngente iuuenem eodem Archiepiscopo. De quo, & de his, quæ Stephanus perfecit pro pace Regum, & Regnorum conciliandа, Saxo Grammaticus, Danus item author,
h lib 14. scripsisse inuenitur in hunc tenorem. [h] *Vbi* (id est apud Ringstadium) *Lundensis Pontificis ministerio, cuius id exequendi officium erat, & patris eius ossa aræ traduntur, & filius septem annos natus Kanutus Rex consecratur, regia in sella purpura venustatur. Quibus debita religione celebratis, Helgo Pontifex Osloensis, & Stephanus Vpsalensis, ab Erlingo missi, editiore loco occupato, pacem Noruegiensibus benigno precabantur alloquio. Quam à Rege eo potissimum die concedendam esse monstrabant, quo & filium diademate, & Parentem altari honoratum vidisset; tantumque excellenti eorum facundia tributum est, vt Erlingo familiaris colloquij aditus promitteretur, &c.* Nam longius ibi tractatus ipsos pacis, ac Stephani officia, & legationes idem author prosequitur; quæ satis indicasse pro instituto. Certè nisi per Eskyllum, & Stephanum, alterum ex Cistercio adsumptum, alterum in Cistercio consummandum, nil magnum in illis prouinciis per hæc tempora.

10. Hoc ipso anno, qui dudum exulabat, ob Ecclesiæ vnitatem, atque obedientiam Alexandri veri Pontificis, Conradus Pataviensis, de quo suprà, decimosexto à priori electione, in Archiepiscopum Salizburgensem promotus est, atque pallio donatus ab Alexandro: Quod Vvigulæus Hundius memoriæ prodit, verba ipsius ad litteram transcri-
i Archiep. 31. bam. [i] *Conradus, secundus huius nominis Episcopus Pataviensis, ex generosa stirpe natus, Patre S. Leopoldo Marchione Austriæ, Matre Agnete filia Henrici IV. Imperatoris. Fuit frater vterinus Conradi Regis Romanorum; Friderici verò Cæsaris Patruus, sororius autē Henrici V. Imperatoris, ac præfuit Ecclesiæ Patauiensi annis XVI. Postea anno M.C.LXIV. Tertio Kalendas Aprilis Archiepiscopus Iuuauiensis factus, & ab Alexandro III. pallio donatus. Fuit vir doctus, probitate vitæ, & rerum cognitione clarissimus, & fratri suo Ottoni Episcopo Frisingensi historico insigni, non dissimilis. Præfuit Archiepiscopatui annis fermè V.* Hæc ibi Hundius. Nec dissimilia in Cathalogo Episcoporum Pata-
k Episc. 39. uiensium. [k] *Hic illustris Conradus*, ait, *Episcopus Patauiensis, mortuo Eberhardo Archiepiscopo Salizburgensi, per Alexandrum Pontificem, cui fideliter adhæserat, suffectus est à quo, & pallium impetrauit.* Eadem habent Salizburgensia Chronica, ex Bibliotheca Doctoris Alberti Hungari per Henricum Canisium in lucem data; [l] quæ & Conradum redimitum virtutum floribus, atque omnium hominum amore dignum prædicant: vt non indignus Eberhardi successor visus sit, qui locum eius, aut impleret, aut occuparet. Ergo & hoc facit ad Conradi gloriam, quod Eberhardo successerit, viro San-
l Archiep. 30. ctissimo, de quo, miraculis post mortem claruisse idem Hundius testatur, dum ita ait [l]: *Cum debita pompa Iuuauium deportatus est, & in summo templo ante Altare omnium Sanctorum tumulatus, ad eius sepulchrum multa sunt facta diuinitus miracula.*

Cæterùm, de factis Conradi Patauiensis, antequam ad Salizburgensem assumeretur; deque 11.
eius constantia pro Alexandro, & pro libertate Ecclesiæ; hæc ab eodem authore notata lego [m]. *Hic ipse laudabilis Antistes cum Friderico* m Episc. Patau. 39.
Barbarossa, fratris sui scilicet vterino filio, Imperatore, Romam profectus, magno tumultui, qui propter inuestituram Prælatorum inter Pontificem, & Imperatorem exarserat, præsens interfuit; & non sine magno periculo sese vindicem opposuit, & Imperatorem læsæ Pontificiæ sanctitatis reum publicè reprehendit. Hæc ante schisma; nam in schismate, à nobis superius dictum, quæ, & quanta passus Conradus pro Alexandro. Sed pergit Hundius. *Cum postea Imperator Mediolanum expugnasset, idem ille Conradus Episcopus Patauiensis eidem obsidioni, & expugnationi, cum aliis pluribus Germaniæ Episcopis, Principibus, & Baronibus interfuit. Vbi super Sanctæ Crucis Abbatia Nidemburgensi, pro religione in ea restrenda priuilegium consequutus est, in quo Imperator illi Abbatiam cum omnibus possessionibus donat: ita vt singulis annis in Epiphania Domini XL. libras Ratisbonensis monetæ, Regio Fisco, de eadem Abbatia persolnat. Excepta tunc aduocatia prædictæ Abbatiæ, cuius inuestituram, sibi Imperator, & suis successoribus reseruat. Acta sunt hæc anno M.C.LXI. Extat diploma. Idem anno M.C.LV. anno VI. Pontificatus, donauit quasdam areas, & hortos, vt spatiosior esset locus, pro habitatione Canonicorum Patauiensium, quibus etiam donat Betzkirchen, & Subarnakirchen anno M.C.LIX.* Demum hoc ipso anno, quo promotus, cum bonus Pastor ab ouibus suis Patauiensibus, profugus, quamuis, & exul, agnosceretur [n]. *Patauiensi* n Hundius ibidem.
Ciuitati suæ, quatuordecim dierum, annuas nundinas, in festo S. Iacobi inchoandas, in præstita fidelitatis remunerationem concessit primus, anno M.C.LXIV. Hactenus ex Vvigulæo Hundio. Quæ omnia hîc congerenda esse putaui, ne quid omitterem. Cæterùm an volente Imperatore, fauentéque an dissimulante, seu non valente impedire, promotus fuerit, neque Hundius tradit, neque ego alibi potui inuenire.

Non desunt, qui Andreæ promotionem Vallsarniensis Abbatis, in Episcopum Atrebatensem, 12.
quam nos suprà ex Iperio, & Meiero commemorauimus, in hunc annum sentiant referendam. Quod ex Tabulis Ecclesiæ Atrebatensis desumptum [o], Ferreolus Locrius, atque Ægidius de o Vterque ad hunc annum.
Roma, antiquior multo Author tradidere. Nobis sufficiet notasse vtrunque annum, atque huic vltimo tabularum verba inserere. *Andreas*, aiunt, *genere Parisiensis. Abbas de Sernay, Ordinis Cisterciensis, post Godescalcum regimen Ecclesiæ suscepit. Hic dedit Capitulo altaria de Celest, de Dioencurt, de Suastre, de S. Amando, & de Pumiers*, &c. Illustrat etiam Andreæ Pontificatum B. Ioscionis Bertinensis funus, & cadauer gloriosum, cui inter alios Episcopos affuisse commemoratur: vidisséque *de vultu defuncti discooperto, quinque flores rosarum exeuntes, vnum ex ore, duos ex naribus, & duos ex auribus. Porrò in rosa, quæ de ore exibat inuenerunt scriptum AVE MARIA. Tenuerunt autem eum per dies septem donec tres Episcopi conuenirent: quorum vnus fuit Dominus Andreas,*

Atreba

Atrebatensis Episcopus, &c. Ita Iperius, & ipse Bertinensis, diuerso, licèt, anno. Ast Ferreolus Locrius in hunc refert, ex Andreanæ electionis coniectura; sic enim ait *In tempore variant* (scilicet Authores) *sed in hoc anno tenet me Andrea ordinatio, sine successio, qui Iosciónis funus curauit.* Dixisse solitum Iosciónem quinque Psalmos ob reuerentiam Virginis, incipientes, ex illis quinque litteris, quæ gloriosum nomen Maria continent, iidem, qui suprà, Authores prodidere.

---

1. *Secundi Abbatis Calatraua mors*, 2. *& Magistri electio*; 3. *electorum, electíque formido*: 4. *Oratio Magistri in Generali Cistercij Synodo*, 5. *& Gilberti responsum*. 6. *Dubitatum, quo loco admissi fuerint*; 7. *accepta omnia, & confirmata per Alexandrum*; 8. *quòd Cisterciensium fratrum Ordinem obseruarent perpetuò*; 9. *quòd traditis per Capitulum legibus parerent*, 10. *quòd eorum spiritualibus bonis participarent*. 11. *Confirmatio dictorum, & subscriptiones*. 12. *Confutati errores Radis Andradij*.

Capvt VII.

1. Aliarvm hactenus prouinciarum gesta, nec satis adhuc dicta: quippè ad quæ iterum hoc anno redeundum. Interim nos Hispania detinebit, dignam præbens annalibus materiam, & quam non licet silentio prætetire. Secundus Calatrauæ Abbas Radulphus, qui item vltimus, viam vniuersæ carnis ingressus est, nullum sui desiderium relinquens subditis. De eo in Membrana antiqua Fiteriensi. *Secundus Calatraua Abbas, qui, huic, scilicet Raymundo, successit in domo Calatraua migrauit, & in Corceles sepultus inuenitur. Hoc secundo defuncto propter eiusdem iniustas exactiones, & inordinationes, fratres Calatraua hoc non tulerunt*, &c. Hactenus ibi. Ergo, seu quisquis succederet Raimundo, vt meritis, sic gratia inferiot foret; siue Radulphus, præ innata duritie talis esset, qui vel primus veniret fastidiendus; ad posterum, seu impatientia militum, & recentium aliarum militiarum, quæ Magistris suberant, æmulatione; Abbatum iugo colla subtrahentes, elegerunt Magistrum Garsiam nomine, à quo, & per quem in cunctis gubernarentur. Nam cur in reliquis, militiam soli milites, Monachi in Calatraua pertractarent? Cur Abbas Chori, & cantus forsan gnarus, sed belli prorsus expers, agmen duceret, instrueret acies, atque armis præsideret, quæ nunquam nouerit? Raimundum Sanctum, doctúmque de cœlo, suffecisse negotiis belli, & pacis; reliquos omnes, si sibi relinquantur, dum vtraque confundunt, neutris pares: & bello defuturos, vt inexpertos; paci, velut qui armis inuigilarent. Sed neque hoc temerè ab eis aggressum iri: postquam Radulphum passi, propria damna mœruissent; si diu vixisset, immensum dilatanda.

2. Ita quo iure, quáve iniuria, dubium: constat noua Magistri creatione electionem Abbatis præuentam, & impeditam; & Monachos, vt non expresse pulsos, at abire compulsos à propriis sedibus; ne vel Clerici laico subderentur, Conuerso Monachi, aut acephali viuerent: seu si persisterent eligere Abbatem, in Conuentu bicipiti manerent. Et erat Calatraua concessa Abbati, & Monachis; sed viris quietem, cœlestiáque scientibus, cedere satius visum, quam litigare. Ad Fiterium regressos multos, nequaquam dubium; quam domum à Raimundo desertam olim Scalæ Dei Abbas, noua missa Colonia, restaurauerat. Sed sunt qui dicant aliquos mansisse in oppido Ciruelos, ad Sancti Patris Raimundi sepulchrum excubaturos. De Didaco Velasquio faciliùs credam, retentum Calatrauæ, nec abire permissum à militibus, qui eius hactenus auspiciis militassent; quemque post Raimundum, si non præ ipso, sui instituti auctorem venerarentur. Cuius mihi signum, haud leue est, quod obierit in Monasterio Sancti Petri prope Gumielem, domo acquisita per fratres Calatrauæ, & Morimundo tradita; nec Monachos aliunde susceptura,

Interim Garcias electus in Magistrum, ac cæteri Conuersi; gaudere primùm, & nouæ dignitatis honore frui; sed mox post factum, ardore defervescente, quod in humanis consiliis frequens est, conscientiæ stimulis cœperunt exagitari. Nam cur filij parentes eiecissent? Conuersi Monachos? Cur subditi in Prælatos rebellassent? se Cisterciensem Ordinem professos, ab Abbate, & Monachis admissos, obedientiam Abbati promisisse. Nunc suppressa Abbatiali dignitate, fugatis Monachis, quid sibi cum Cistercio commune fore? Notandos sacrilegij, & parricidij, Deo odibiles, hominibus inuisos; qui eos maximè parentes dedignarentur, quos vel exteri quærerent; & ei se iugo, sub eo nati, subtraherent, cui vel liberi colla subdidissent. Tum se laicos, idiotas, & sine litteris, vt nullis legibus obstricti tenerentur; egere sacerdotibus, egere ministris, à quibus spiritualia participarent. Ergo, vt vtrisque incommodis occurrerent, duplex medium electum, & executum; nam Capellanos susceperunt, quales Cistercium Monialibus prouiderat, ne Monachi extra Monasteria diuagarentur. Et nouus Magister generalem Conuentum adiit Cistercij celebrandum, normam vitæ, atque leges, sibi, & suis, tum incorporationem, si fortè posset, sin minus communicationem bonorum, & quam posset vnionem, impetraturus. 3.

Conuenerant ex omni natione Cistercij Patres; negotia Ordinis de more tractaturi: Cùm ecce Garcias capitulum ingressus, atque ad Gilberti parentis pedes procidens: Nos, inquit, etiam Cistercium amplectatur, fortè degeneres, sed veros Cistercij filios; nec vnquam sponte auellendos à matris gremio. Calatraua nos primum per Raimundum, per habitum concepit; per vota peperit. Cistercium inter filios educauit, approbante Lamberto, qui ratum habuit, si quid aduersùm leges peractum esset. Hactenus sub Abbatibus, vt cæteri, qui nobis regula; sed neque doctis tantum obedire; quæuis alia institutio quærenda fuit. Atque, ô vtinam sub eisdem manere concederetur, neque alia nos vincula irretirent deputatos militiæ, & infidelium Hispaniam occupantium impugnationi. Sed bello semper, & sanguine intentis, innocui Monachi imperare, aut sponte detrectant, aut minus possunt; nec se facilè à Rachelis diuelli sinu 4.

sinu, vt cum Lia cæcutiant, patiuntur. Hinc aliæ, in Hispania florent militiæ; quædam extraneæ, Cistercienses, per Magistros promotos ex militibus gubernari consuetæ; in quo omnes conueniunt. Nec aliter instituta Militia Templi, cui Sanctus Pater Bernardus iura dedit. Hinc etiam nos in Magistrum Calatrauæ, cui milites obtemperent, post Abbatis Radulphi mortem, electi sumus; non vt Monasticum iugum detrectemus; sed ne polluamus. Quippe qui sacerdotium bello eximere, non cum illo contendere; nec dignitatem ex parte diminuere, sed incruentum voluimus conseruare. Demum non nobis authoritas quæsita, sed repulsa ignominia, si tot per annos milites expertos, non vnquam duces liceret experiri. Hac electione Monachi irritati, remearunt ad propria; & nos, suo consortio, atque doctrina; seipsos, Calatraua destituere. Non Regio dono, Castro munitissimo, non parentis Raimundi dulci memoria, quem Deus iam miraculis illustrem, vt virtutibus olim, mundo ostendit; non proprio demum sanguine retenti, quem Calatrauæ non semel effuderunt; filios, & fratres statim deseruere; socios se, ac pastores aspernati, quandiu non duces. Nunc laicos homines relictos sine legibus, sine præceptoribus: & nisi admisissemus Capellanos, vel sine Sacramentis, quia iam sine ministris, relinquendos. Suscipiat saltem Capituli consensus, præscribat leges, normam vitæ tribuat, si placet, filiis; sin minùs familiaribus, nihil omnino, dum nos Cistercium foueat, detrectaturis.

5. Dixit & Gilebertus communis parens sereno vultu, & medio inter arguentem, & gratulantem; pauca de creatione Magisterij; & suppressa Abbatiali dignitate: nec tam factum, quàm modum condemnantia. Quod nimirum, capitulo inconsulto, sine licentia Abbatis Cisterciensis; tum sine vlla, qua factum tuerentur, authoritate. Ad petitionem mitia, atque beneuola: nec se, aut Conuentum illum defuturum iustis filiorum (quos negare non possent) supplicationibus; quæ vel cessante paterna pietate, exteris adhuc forent concedendæ. Nec quantumcumque admissa hactenus culpa, pellendos Cistercio, quicumque vellent sub eius vmbra protegi: Nedum in sinu eius nati homines, & qui iam de commissis pœnituissent. De modo tantùm deliberaturos, si quis securior; atque vtrisque quietior inueniretur. Tum verò Garcia honorificè dimisso per cunctorum suffragia res discussa: decretumque; vt poscentibus, viuendi norma, & leges militari exercitio accommodatæ; filiis, paternorum bonorum communicatio, seu constitutis sub patria potestate; seu iam emancipatis, præscriberentur. Reliqua in dubio; & de quibus nil liceat affirmare. Membrana illa, qua sæpius vsi sumus, vt veros fratres ad Ordinem susceptos, satis insinuat; queis Pater Abbas Scalæ Dei datus, per quem iuxta chartæ charitatis tenorem visitarentur. *Visum est autem*, ait, *toti capitulo, & de iure extitit iudicatum, satis fieri eorum petioni instanti. Propterea statutum ab vniuersali Capitulo Cistercij, & in priuilegio eorum impressum, donum Scala Dei, & Abbatem eius super illos Ordinis curam gerere, & in patrem illorum, scilicet Calatrauensium haberi.* Consonant Calatrauæ omnes Authores;[a] qui non diuersam, aut minorem putant hanc admissionem, ea quæ post annos tres supra viginti, Regis Castellæ interuentu, facta est: sub Morimundi Abbatis visitatione.

[a] *Rades in Chron & definitiones sæpè excussa.*

6. Verùm mihi rem altiùs contemplanti, dubia hæc omnia; neque hoc anno admissos, vt veros fratres, sed vt familiares: adeóque nulla domo designata, quam matrem agnoscerent, duo indicia videntur persuadere. Alterum est, quod si iam hoc anno fratres; quorsum millesimo, cētesimo, octuagesimo, septimo, Regis, & Procerum interuenit authoritas, vt in veros Ordinis fratres, non iam vt familiares susciperentur? Porrò Magistrum, qui tunc temporis erat, his litteris munitum, protectumque, repetiisse Cistercium, tunc videbimus. Alterum verò, quod semel acquisito iure Scalæ Dei Abbati, super Calatrauēses, aut semper sub eodem permansissent, quod rationi conformius, aut non nisi facta mētione illius decreti; sicut & illius, ab Alexandro Papa, dum hoc confirmat, nomen exprimeretur. Et tamen prætermissum in diplomate, manifestè constabit, dum iam transcribam. Ergo crediderim quos minùs obedientes ipso electionis facto experti fuissent, emancipasse filios, ac bonis, quæ potuerunt, communicatis, sui iuris effectos discessisse. Quamuis neque hoc, vt certum dicere ausim, sed lectoris iudicio decernendum.

Vtcumque fuerit, accepta norma vitæ, atque bonorum communicatione, Garcias Senonas ad Alexandrum profectus est, vtriusque gratiæ obtenturus confirmationem. Porrò quæ leges à Gilberto parente traditæ Cisterciensi militiæ, & quæ pacta conuenta inter vtrosque: Qualitérque non solùm ipsi milites, sed etiam Capellani, ad eandem communicationem suscepti sint, ipse Alexander narrat in hæc verba.[b] 7.

Alexander Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filiis Garcia Magistro, & fratribus de Calatraua tam præsentibus, quam futuris secundum Ordinem Cisterciensium fratrum viuentibus, in perpetuum. 8.

Iustis petentium desideriis, facilem nos conuenit impertiri consensum, & vota, quæ à rationis tramite non discordant, effectu sunt prosequente complenda. Ea propter dilecti in Domino filij vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu præfatum locum de Calatraua, in quo ad seruiendum Deo, diuino estis obsequio mancipati, sub B. Petri, & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Institutionem verò, quam dilecti filij nostri, Abbas, & fratres Cistercienses in eodem loco fecisse noscuntur, videlicet, vt Ordinem eorum firmiter seruaretis, & militaribus armis accincti contra Sarracenos ad ipsius loci defensionem viriliter pugnaretis, nos ratam habentes, deuotioni vestræ, authoritate Apostolica, confirmamus statuentes, vt quascumque possessiones, quæcumque bona idem locus impræsentiarum iustè, & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, seu iustis aliis modis præstante Domino poterit adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus, & illibata permaneant.

Præterea, ea, quæ de victu, & vestitu vestro prædicti Abbas, & fratres Cistercienses, & vniuersum Capitulum eiusdem Ordinis à vobis tenenda sanxerunt, vobis Authoritate Apostolica confirmamus. Ita siquidem statutum est, quod lineis in fœmoralibus tantum vobis vti licebit, tunicas ad equitandum idoneas habebitis, pelliceas quoque agninas, sed breues, mantella agninis forrata, & cappas, & scapulare pro habitu religionis. Vestiti, & cincti, dormietis, & in Refectorio, & in dormitorio, & in coquina iuge silentium tenebitis: summopere autem cauebitis, ne in qualicumque veste, aut superfluitatis argui, aut curiositatis 9.

tatis notari possitis. Sint ergo panni vestri in colore, & crassitudine prædictorum fratrum similes: tribus verò in hebdomada diebus; id est feria tertia, quinta, & Dominica, cum præcipuis diebus festis, carnibus vesci licebit, vno tantum ferculo, & vnius generis, quantum ad carnes pertinet, contenti eritis, & ad mensam vbique silentium tenebitis. Insuper statutum est, vt nulli Cisterciensis Ordinis liceat, quemcumque fratrum vestrorum recipere, absque assensu vestro; sed, & vos erga fratres eorum eadem lege tenebimini.

10. *Cùm autem ad aliquam Abbatiam Ordinis Cisterciensis veneritis, quoniam consuetudinem illorum minus nouistis, non in Conuentu, sed in hospitiis honestè, & charitatiuè, & quantò familiarius fieri poterit, recipiemini. In ieiuniis eandem obseruantiam tenebitis, sicut Conuersi illorum; Capellanos in domo vestra professos, sicut suos prædicti fratres in domo ordinis recipiunt. Sanè laborum vestrorum, quos propriis manibus, aut sumptibus colitis, siue de nutrimentis animalium vestrorum, nullus à vobis decimas, aut primitias exigere præsumat. Prohibemus autem, vt nulli fratrum vestrorum post factam in eodem loco professionem absque totius congregationis assensu liceat de loco illo discedere; discedentem verò absque communi litterarum cautione, nullus audeat retinere.*

11. *Decernimus ergo, vt nulli omnino hominum liceat iam dictum locum temerè perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed illibata omnia, & integra conseruentur, eorum pro quorum gubernatione, ac sustentatione concessa sunt, vsibus omnimodis profutura, salua Sedis Apostolicæ authoritate. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica, sæcularisve persona hanc constitutionis nostræ paginam sciens contra eam temerè venire tentauerit, Secundò, tertiòve commonita, nisi præsumptionem suam congrua satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reámque se in diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore, & sanguine Dei & Domini nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ vltioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco sua iura seruantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus, & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum iudicem præmia æternæ pacis inueniant. Amen. Amen. Dat. Senonis per manum Hermani Sanctæ Rom. Ecclesiæ Subdiaconi, & Notarij, VII. Kalend. Octobris Indictione XIII. Incarnationis Dominicæ anno M. C. LXII. Pontificatus verò Domini Alexandri Papæ Tertij anno VI.* Hactenus priuilegium Alexandri, cui primus omnium subscripsit noster Henricus. Cæterum ex eiusdem verbis planè videas, nullam Scalæ Dei, nullam Calatrauensium dependentiæ, aut obedientiæ Cistercio ex tunc præstandæ mentionem fieri. Vnde duplex vtrisque gloria accrescat, haud contemnenda; Cisterciensibus, quod se vltrò abdicauerint imperio summo in inclytam Militiam, quam ipsi proprio sanguine instituissent: Calatrauensibus, atque id omnino maius, quod post semel expertam libertatem, qua nihil dulcius; post plures annos, fauore ad id quæsito, obtentóque, subiectionem ambierint, atque obedientiæ iugo colla dederint.

Rades Andradius, qua caligine semper in his 12.
rebus, inter tenebras gradiens motam litem à Monachis affirmat ob Calatrauam, quæ ipsis dono Regis Sanctij cesserit, & à militibus iniustè detineretur. Sed initam concordiam inter vtrosque facta permutatione cum Monasterio Sancti Petri prope Gumielem, quod milites pro arce illa dedissent: mirum erroribus, verba superati, pluribus pauca. Quippe neque in antiquis litis mentio, quæ hoc anno, si quando; atque in Capitulo generali mouenda foret; adeóque in ipsis indultis memoranda. Nec Monasterium Sancti Petri, pro Calatraua, sed liberè collatum, ex ipsa donatione, vt infra videbimus. Tum nec Fiterio accreuit, vt debuerat, si loco Calatrauæ subrogabatur, sed Morimundo: cum tamen litem pro arce Calatrauæ, non Morimundus, cuius nunquam fuisset; sed Fiterium solùm, cui tradita à Sanctio, mouere posset. Demùm, quo tempore Cœnobium Sancti Petri admisit Cistercium, hoc est anno M. C. XCIV. iam Calatraua Cistercio restituta ante septennium, pacificè ab eo, & quietè possidebatur. Quæ omnia à nobis, ex ipsis instrumentis; suis singula locis pandenda erunt.

---

1. Sancti Ioannis Zirita gloriosus obitus, 2. & ab eodem præscitus, & prædictus, 3. circunstantiæ mortis; 4. Sepultura, & memoria sanctitatis. 5. Blasij pro Hortensi Cœnobio solicitudo; 6. priuilegium obtentum. 7. & incrementa; 8. Fœlix mors, 9. & Martini subrogatio. 10. Emendata memoriæ Monasterij, 11. & dictum de silentio Petri Alphonsi.

CAPVT VIII.

1. RETINET adhuc Hispania properantes, & Sanctorum Abbatum fœlices obitus, Ioannis, Blasiique quin in Horta Martini successionem (nam Ioannes præfectura se abdicauerat) & si quæ alia concernunt hos euentus, enodare compellit; prius quam ad Angliæ Regem, ex fuga Thomæ furentem, reuertamur. Itaque Ioannes Zirita Abbas emeritus, qui missos olim à Bernardo parente Monachos fouerat, qui primæ Lusitaniæ fundationis Auctor extiterat; qui se, & suos non multò post Cistercio dederat: post varias alias locorum constructiones, post informatam Lusitanam Militiam sanctis legibus; post triennium abdicata præfectura in summa rerum externarum quiete peractum; tandem plenus dierum, virtutumque, circa finem præsentis anni, lenta sed graui infirmitate supra senium correptus, fœliciter in Domino obdormiuit.

Diei, & horæ præscium affirmat Brito, doctum 2.
nimirum oraculo cœlesti, quo longè ante meruit illustrari. Tum verò addens virtutibus virtutes; & sibi merita, & fratribus, ac filiis, quæ poterat, bonorum operum exempla, cumulabat. Extat epistola eius deuota satis, & humilis, quam morti proximus ad Sancti Ioannis Taroucæ filios scripsit, eorum se commendans orationibus, quibus, si quid valeret apud Deum, nequaquam ipse ingratus inueniretur. Atque ecce eiusdem epistolæ transumptum,

* *Ioannes pauper virtutum, & diues defectuum,* 3.

vobis religiosis viris, qui Domino offertis Sacrificium immaculatum, salutem sempiternam, & mei recordationem. apud Brit. lib. 5. c. 25.

Placuit Domino Iesu Christo deducere me ad finem, quem desiderabam; appropinquat dies resolutionis, & gaudij mei; sed quia me noui inopem vestrarum virtutum, & timeo, ne sine oleo compaream coram sponso, vos, qui cum tempore praeparastis lampades vestras, succurrite mihi, dum tempus est, ne forte audiam illud durum eloquium: Nescio vos. Matth. 25. *Etsi Dominus dederit, quam spero, lucem inaccessibilem, meum erit, vestris non deesse necessitatibus; quippè qui frater, & socius vester fui in tribulationibus, vos non relicturus tempore gaudij; & quia infirmitas labefactat corpusculum, salutat vos anima mea, pro qua Dominum deprecamini.* Hactenus quam vulgauit Brito, epistola, charitatem humilitatémque, sed & fidem eructans; & digna, quae viri Sancti esse credatur.

3. Instante morte, facies viri viuida, hilares oculi, expedita lingua, & mens; quaque singulos alloqui, singulis benedicere non destitit, quoadvsque iam terminum attingens, atque ab hominibus ad Deum solum conuersus [b]. *Laudate* (ait) *Dominum de caelis, laudate eum in excelsis.* b Psal. 148. Et verè sibi in hoc obtemperauit, quippè, quem Psalmum in terris inchoauerat, ad coelestia inuitans, creditur in excelsis perfecisse. Erat Ioannes, cum ex hac vita migrauit, nonagenarius, plus, minúsve. Quippè qui Alphonsum Lusitanum Principem, iam tunc quatuor, & sexaginta annos agentem, suis à Deo impetrasset orationibus; cum prius militem, eremitam, anachoretam peregisset, non paruo tempore. Vixit in Ordine, computante Brito, annos XLI. Abbas Sanctorum Christophori, & Ioannis XXXVII. priuatus fermè quatuor, nec minus claruit miraculis post mortem, quàm dum viueret meritis; sed quae ad nostram notitiam, vt plura alia, antiquorū incuria, non peruenerint. Nisi quod tamen sepulturae viri tale curarunt Epithaphium superscribi.

IOANNES ABBAS ZIRIT REXIT MONAST.
S. IOANNIS. S. CHRISTOPHORI, SALZEDÆ. S. PETRI.
CLARVS VITA, CLARVS MERITIS, CLARVS
MIRACVLIS, CLARET IN COELIS, OBIIT
X. KAL. IANVARII, ÆRA. M. CC. II.

4. Hactenus prioris sepulchri superscriptio, cuius locum nec Brito ipse declarat. Translatum tamen corpus adseuerat, atque in Sacello eiusdem domus maximo, intra ligneam thecam collocatum, minùs decenter, quàm pro gloria meritorum. Vt non immeritò, & credi, & dici possit, cessasse hoc nostro saeculo miracula, ob minorem in Sanctum reuerentiam, & quae eam comitatur deuotionem. Memorat Sanctum Cisterciense Menologium ipsa quâ obiit die, Martyrologium Monasticum [c], Kalendarium Auberti Miraei [d], & alij Recentiores.

c Hug. Menard. & lib. obseruat. d Orig. Monast c. 15. & 17. lib 5.

5. Hoc ipso anno Venerabilis Blasius, seu Velasquius, secundus Abbas Hortensis Monasterij, inter Castellae, & Aragoniae terminos siti, quod ipse ex Cantauos paulò antè transtulerat, viam vniuersae carnis ingressus est, cum domum suam virtutibus, & viris, quae duo pro ingentibus copiis habenda sunt; sed multis possessionibus etiam locupletasset: quas mortis praescius, an timidus, & prouidus, antequam moreretur, fecit ab Alexandro confirmari: Legitur hodiè, perseueratque in Tabulario diploma ipsum, ex quo quantum sub Blasio domus creuerit, non difficile liquet. Sic enim habet. [e]

e In lib. priuileg. Horta.

6. *Alexander Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filiis, Blasio Abbati Monasterij B. Mariae de Horta, eiúsque fratribus, tam praesentibus, quàm futuris regularem vitam professis. In perpetuum.*

Religiosam vitam eligentibus Apostolicum conuenit adesse praesidium: ne cuiuslibet temeritatis incursus, aut eos à proposito reuocet, aut robur, quod absit, sacrae religionis infringat. Ea propter, dilecti in Domino filij, vestris iustis postulationibus clementer annuimus, & praefatum Monasterium B. Dei genitricis, sempérque Virginis Mariae, in quo diuino estis obsequio mancipati, sub B. Petri, & nostra protectione suscipimus, & praesentis scripti priuilegio communimus. In primis siquidem statuentes, vt Ordo Monasticus, qui secundum Dominum, & B. Benedicti regulam, & institutionem Cisterciensium fratrum in eodem Monasterio institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter obseruetur.

7. *Praeterea quascumque possessiones, quaecumque bona, idem Monasterium inpraesentiarum iustè, & Canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, liberalitate Regum, vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis operante Domino poterit adipisci, firma vobis, vestrísque successoribus, & illibata permaneant. In quibus haec propriis duximus exprimenda vocabulis: locum ipsum de Horta, in quo praedictum Monasterium situm est; cum omnibus appendiciis suis: Grangiam, quae dicitur Cantauos; Grangiam, quae dicitur Bonicias; cum appendiciis earum; Grangiam Alcardea cum appendiciis suis: Grangiam, quae dicitur Benuiuera, cum appendiciis suis: Grangiam; quae dicitur Arandela, cum appendiciis suis: Grangiam, quae dicitur Gludea, cum appendiciis suis*, &c. Pergit ad decimarum exemptionem, & communia alia indulta, eidem Coenobio specialiter firmanda. *Datum Senonis per manum Hermani S. R. E. Subdiaconi, & Notarij VII. Kalendas Octobris. Indictione XIII. Incarnationis Dominicae anno. M. C. LXIV. Pontificatus verò Domini Alexandri III. anno VI.* Hactenus ibi. Quibus planè videas, quot, & quae Blasius incrementa Hortae contulerit. Quippè praeter loca de Cantauos, & de Horta, quae sub Radulpho habuit, reliqua omnia sub eo illi accessere.

Igitur translatione domus peracta, atque tot acquisitis possessionibus, & quae maior, & melior cunctis fuit, Martino in Monachum per vota consecrato; hoc ipso anno, quo cuncta ab Alexandro confirmari curauerat, ipse etiam ad coelos translatus est, dolentibus filiis, & suam orbitatem lachrymantibus, qui tanto patre indigni essent inuenti. Dies obitus hactenus ignotus: annus constat ex Actis successoris, qui post viginti annos peractos in Abbatiâ, sex in Episcopatu Seguntino, & tres supra viginti vitae priuatae, post abdicatas infulas, hoc est post annos nouem, & quadraginta, tandem millesimo, ducentesimo, tertio-decimo mortuus est, ab hoc, quem scribimus omnino computando. Sepulchrum eius Hortensibus ignotum, nisi quòd creditur in Capitulo iacere. Nomen Menologio Cistercij adscriptum est, die vigesima quinta mensis Maij. At non ea obiisse compertum est, qui neque potuit alio, quàm 8.

quàm hoc anno, neque hoc potuit obiisse mense Martio, quem Alexander post semestre est allocutus.

9. Defuncto Blasio, Martinus suffectus est, sextum, & vigesimum annum ætatis agens; religionis sextum, quod Richardus testatur in eius vita.

Simplex claustralis annis sex vixit.

Ergo qui vigesimo ætatis suæ anno Monachum induit, post sex alios peractos in Religione, magis in cœlis (nam, vt idem Richardus de eo ait.

Mundum calcabat iuuenis per calica iura,
Moribus insistens sacris.)

Vigesimo sexto tandem promotus est, cunctorum in eum suffragiis conuenientibus. Leguntur adhuc Leonini versus, pro temporis incuria non incuriosi, à Richardo compositi in hunc modum.

Post hac Hortensis conuentus, Patre sepulto,
Votu immensis simul, & conamine multo;
Hunc sibi pastorem fieri, patrémque petebat.

Et post pauca.

Qui multis annis Abbatis honore potitur, &c.

Hæc de B. Viri electione, quam omnium incrementorum Hortæ initium fuisse ex inferius dicendis apparebit.

10. Interim noto, quod, dudum etiam in vita Sancti viri, quam vulgari sermone concinnaui, notandum duxi: Vnde etiam Henriquez [f], aliique; perperam in eadem domo virum Dei, primum eius Abbatem existimatum, atque item Monasterij translatorem; confirmante vtroque cœnotaphio, quod nouo eius sepulchro sculptum legitur. Nam reuera, qui Blasij successor fuit, tertio loco electus post Radulphum; nec domum potuit ipse transtulisse, cum Alexander Blasio adhuc viuenti, locum de Horta, in quo Monasterium ipsum situm esset; & rursus Cantauos, in Grangiam confirmauerit: nec demum præsidente in Horta Blasio, quod idem Alexander Papa affirmat, potuit Martinus primus præsedisse. Ad summum ergo primus dici potest in Horta electus, & sub quo domus ipsa tantum creuerit, vt velut iam diuersæ, alteriúsque ipse fundator dici promeruerit; atque in hoc sensu etiam primus Abbas.

[f] in Fascic. & in Menolog.

Concernit item historiam præsentis anni septimestre silentium Petri Alphonsi, Alphonsi Lusitani Regis, fratris, quo leuem sanè inanis gloriæ culpam, linguæ occasione admissam, castigauit. 11.
Hunc, dum Monachum agit in Alcobatia, Alphonsus frater sæpius visitare; miscere colloquia; virtutes pariter haurire, atque in genere; docere, & discere, (nam, & ipse reuera inter sceptrum, & arma, magister spiritus) atque animo, religionem aliàs ardenti, fraternæ persuasionis stimulos addere; labores præmiis; æternis temporalia; caducam gloriam mundi, mansuræ conferre, pius, & officiosus frequentabat. Inde vterque vegetior in virtute, nec magis Petrus Regias in Alphonso, quam Rex Monasticas in Petro promouebat. Sed inter hæc cùm à Laurentio Viegas, filio Egeæ Muñizij, lasciuientis ætatis quondam socio, idem Petrus Alphonsus visitaretur; & partis olim victoriis de suis æmulis, ad memoriam reductis, aliquali iactantiæ subiacuisset; adeò in se ipsum exarsit vindex seuerus; vt quia ex alloquio leuitas manasset, septem mensium silentium sibi iniunxerit; quod licentia Abbatis prius obtenta, adeò rigidè fertur obseruasse, vt præter hymnos, psalmósque in choro, nihil omnino aliud, vel ipso fratre prouocante, locutus fuerit. Ita Bernardus Brito Lusitanus [g]. Neque censui silentio prætereundum. Quippè nil credam non domitum à viro, qui propriæ linguæ valuit imperare.

[g] lib. 5. c. 17.

---

1. Henricus Rex in B. Thomam furens, 2. etiam contra Ecclesiam leges sancit, 3. (emendatus Baronius.) 4. Sancti Thomæ, & suorum bona confiscat. 5. Consentit Friderico Imperatori, 6. & contra Papam Alexandrum confœderatur; 7. minuta etiam tentat contra Archiepiscopum: 8. Hic Pontigniaci profitetur Monachum: 9 Cucullâque ab Alexandro missa, ab Abbate Guicardo, latus induitur, 10. perpensus Monachatus viri Dei, 11. & vita eius ad Cistercij normam, & suprà.

CAPVT IX.

1. HENRICVS interim, cum se à Thoma delusum, repulsum à Pontifice, ab vtroque contemptum (nam, sic ipse putabat) altius gemeret; impotens iræ, &, quæ furentum plerumque conditio est, eò magis audere, quò minùs possint; in vtrumque conuersus, se ipsum magis atrocibus promulgatis edictis, commaculabat. Extant apud Baronium [a] Constitutiones, seu potiùs subuersiones veri, & æqui; atque totius Christianæ pietatis, numero decem, quas ipse ex Vaticano Codice, nos ex ipso transcriptas hic placuit addere.

[a] Ad hunc ann.

2. *Hæ sunt Constitutiones, quas constituit Rex Henricus in Northmania, & mandauit iustitiis suis.*

1. Si quis inuentus fuerit ferens litteras Domini Papæ, vel aliquod mandatum Archiepiscopi Cantuariensis, continens interdictum Christianitatis in Angliam; capiatur, & de eo sine dilatione iustitia fiat, sicut de traditore Regis.

2. Præterea nullus Clericus, vel Monachus, vel conuersus, vel alicuius conuersionis permittatur transfretare, vel redire in Angliam, nisi de transitu suo habeat litteras iustitiæ, & de reditu suo litteras Domini Regis. Si quis aliter inuentus fuerit agere, capiatur, & incarceretur.

3. Ne aliquis appellet ad Papam, vel ad Archiepiscopum.

4. Ne aliquod placitum teneatur de mandatis Papæ, vel Archiepiscopi, vel aliquod mandatum illorum in Anglia ab vllo homine recipiatur. Si quis inuentus fuerit aliter agens, capiatur, & incarceretur.

5. Generaliter quoque interdictum est, quod nullus ferat aliquod mandatum clerici, vel laici Domino Papæ, vel Archiepiscopo. Si talis inuentus fuerit, capiatur, & incarceretur.

6. Si Episcopi, vel clerici, vel Abbates, vel laici sententiam interdicti tenere voluerint: Sine dilatione de terra eiiciantur, & tota eorum

cognatio: ita quod de Catallis suis nihil secum ferant.

7. *Vt Catalla omnium, Papa, vel Archiepiscopo fauentium, & omnes possessiones eorum, & omnium eis pertinentium, cuiuscumque gradus, vel Ordinis, vel sexus, vel conditionis sint, capiantur, & in Dominica manu Domini Regis confiscentur.*

8. *Vt omnes Clerici, qui redditus habent in Anglia, sint commoniti per omnes Comitatus, vt infra tres menses veniant in Angliam ad redditus suos, si diligunt redditus suos: etsi non venerint ad terminum statutum, redditus in manu Regis capiantur.*

9. *Vt denarij Beati Petri non reddantur vlterius Apostolico: sed diligentiùs colligantur, & seruentur in thesauro Regis; & expendantur ad eius praeceptum.*

10. *Londoniensis, & Nornicïensis Episcopi sint in misericordia Regis, & submoueantur per Vicecomites, & Bedellos, vt sint intra iustitias Regis ad rectum faciendum Regi, & iustitiis suis eius, de eo, quod contra statuta de Clarendona interdixerunt ex mandato Papae terram Comitis Hugonis, & excommunicationem, quam Dominus Papa in ipsum fecerat, per suas Parrochias diuulgauerunt sine licentia iustitiarum Regis.* Hactenus editae in vtrumque, Alexandrum, & Thomam, à Principe Anglicano, constitutiones.

3. Sed antequam ab eis discedamus, quod attinet ad denarium S. Petri corrigendus Baronius, eiusdem exactionem duobus Cisterciensibus Prioribus commissam, sed ab eis omissam tradens, timore Regis; quod ex Petro Blesensi ab ipso adductum, eiusdem verbis venit confutandum. Quippe Priores praepositi denario, & eius exactioni, de quibus Petrus; eiusdem professionis erant, cuius ille ad quem scribit, vel contra quem, tanquam in operum suorum deprauatorem; quod vel ex verbis à Baronio ipso adductis planè constat.

b Ad hunc ann. [b] *Bonae memoriae Rex Henricus pro denario Sancti Petri, quandoque aduersùs duos Priores Ordinis tui inexorabiliter, & irreuocabiliter excanduerat; nemo praesumebat se opponere ex aduerso. Ego fleti in confractione pro eis & in tempore iracundiae factus sum reconciliatio.* Porrò deprauatorem operum Blesensis, contra quem ipse scribit, non Cisterciensem Monachum, sed Canonicum potiùs regularem fuisse constat; ita inter alia in eadem inuectiua dicente Petro. *Tu verò regularis Canonicus, & spiritualis hom.o, quod in Canonum epistola legitur, euoluere debuisses.* Et paulò inferiùs, hominem incusans, quòd relicto claustro, in solitudinem confugerit. *Illud autem aequanimiter ferre non possum, quod abiecto Concilio, & congregatione iustorum; qui prius fueras Canonicus regularis, factus sis Canonicus insularis. Signum aegrotantis animi est, quod exis à conuersatione communi,* &c. Non ergo illi Priores, qui Regi cesserant, ex Cistercio assumpti: sed ex Canonicis magis Regularibus. Quod eò, vel maximè adnotandum esse duxi, ne quis (quod consequenter dicendum foret) deprauatorem etiam operum Petri, contra quem ipse scripsit, ex nostris probet: à quibus potiùs Blesensis summè cultus, & quos eximio amore est prosecutus. Redeo ad Henricum.

4. c Ibid. Qui *neque his contentus* (ait Baronius) [c] *in odium Sancti Thomae, res omnes eius, suorumque fecit confiscari: omnesque de ipsius cognatione, quique ei familiaritate coniuncti essent, ex Anglia deportari trans mare; cumque neque sexui, neque aetati parceret, summum specimen crudelitatis exhibuit.* Haec alij pluribus. Addam tamen saeuitiam ex Antonino, [d] Vincentioque, [e] quae Regiam impotentiam magis exprimat. *Cognoscens* (aiunt) *Rex Anglorum Henricus, in quanto honore venerandus Pontifex à Domino Papa susceptus fuisset, & quod in Pontigniaco locum sibi mansionis elegisset, in suos inaudito crudelitatis genere, debacchatus est. Praecepitque, vt vbicumque aliquis de cognatione eius vir, aut mulier inueniri posset, exhaeredatus, & spoliatus bonis propriis à Regno pelleretur; exacto prius ab eo iuramento, quod Pontigniacum contristandi Archiepiscopi gratia, proficisceretur, & se ei praesentaret. Tunc expulsi sunt senes, & iuuenes ad cognationem eius pertinentes, sed & mulieres cum pueris lactantibus; & quaedam etiam grauida.* Auctor est etiam Guillelmus in Quadripartita; neque his satiatum Regem, addidisse, eundem Sanctum, quasi id sibi liceret, priuare spiritualibus; inhibuisseque, (aeternum Regum probrum! Sed cauendae irae egregium monumentum) prohibuisse, inquam, vt nullus ipsi subditus, pro Archiepiscopo ad Deum preces funderet.

d Anton. p. 2. tit. 17. cap. 1. § 10.
e Vincent. lib. 29. c. 15.

Verùm qui haec in Thomam Cantuariensem, in Alexandrum etiam propter Thomam vltimum furoris sui virus effudit, ad schisma conuersus, & Friderico pro Paschali Antipapa confoederatus; quasi qui ab Alexandro ad eum confugeret, à quo nullam repulsam pertimesceret. Plangit id Ioannes Sarisberiensis, ad B. Thomam scribens in haec verba. *Et, vt de vobis taceam, & clericis, quos iniustè proscripsit, qui mulierculas, & paruulos in cunis innocentes omni solatio destitutos, non tam crudeli sententia, quàm insania compulit exulari: qui schismatis furorem iam ferè sopitum excitauit, & roborauit, & resuscitata procella, quam plurimum detinuerat, nauem Apostolicam, quantum in ipso est, cum Christo submersit, imo, & adhuc submergit.* 5.

Certè Henricum Friderico confoederatum per hoc tempus, perspicuum est. Porrò in ipsa confoederatione inter vtriusque hostes; Alexandrum expressum, nec nomine Alexandri, sed Rolandi; quasi cum nomine denegata auctoritate; quod idemmet Ioannes ad Episcopum Pictauiensem tradit his planè verbis [f]. *Nam cum Ioannes de Meneford, nomine Regis, Teutonico Tyranno coniuratus esset; & opem auxilij, & consilij, sacramento promitteret contra omnes homines, excepto solo Rege Francorum; ait Teutonicus per interpretem, sicut attestantur magni, & multi, & religiosi nostrates, de prouincia dico Rhemensi, qui interfuerunt. Rolandus hostis Ecclesiae, & Imperij, homo quidem est mortalis, & omnes Cardinales sui, & nullus eorum Rex Francorum est: vnde nullum eorum exceptum intelligo, nec volo intelligi in hac confoederatione mei, & Regis Anglorum; si vos ita sentitis, an aliter, publicè profiteamini. Cui Ioannes: Nos, inquit; & Dominus noster ita intelligimus, vt vos; & sub hoc intellectu, vice Regis nostri iuramenta praebemus. Quid multa? exiuit aduersus Dominum, & Ecclesiam.* Hactenus Ioannes Sarisberiensis in ea epistola: quibus Quadripartita etiam consentit; quamuis factum postponat, & quidem verè, quod nos etiam infra adnotabimus. Sed consultò ante tempus signandum duximus, quo vltimam furentis Regis insaniam perpendimus. 6.

f epist. 182.

Caeterùm Rex aduersum Archiepiscopum, sic maiora tentabat, vt neque à minimis etiam abstineret. Nam cùm multi ex ipsius familiaribus, seu proscripti ab ipso, seu charitate in Sanctum Archiepiscopum, exularent pariter; id omnimodis efficiendum sibi censuit, vt fidissimos quosque, 8.

quibus

quibus posset, pollicitationibus, irritamentisque, ab eodem auerteret, quo, & malorum vltimum solatium, (socios) demeret; atque propinquorum desertione, deserti causam Orbi suspectã faceret, cui nulli, nec intimi ipsi sese adiungerent. Constat id ex eiusdem Ioannis epistolis [g], qui semper pro Thoma stetit, vel inter paucos. *Deinde*, ait, *sollicitauerunt me quidam, vt praestarem securitatem, quod in nullo deinceps iuuarem Archiepiscopum, vt sic redirem in gratiam Regis.* Et alibi [h]. *Si exigeretur à me, vt abnegem Archiepiscopum meum, quod nullus suorum fecit adhuc; absit, vt acquiescam tantae turpitudini primus, aut vltimus.* His & similibus modis insectabatur Henricus virum Dei, vt nullum prorsus medium praetermitteret, quo eius posset constantiam labefactare.

g Epist. 157.

h Epist. 150.

8. At Sanctus Praesul quietior ab iniuriis, & vires sumens ab ipsa impugnatione; cum primum Pontigniacum peruenit, seu iam antè donatus Cistercij habitu, sed tunc primum Caelestem illam vitam actitari ab hominibus, neque sibi impossibilem conspiceret: *Misso* (ait Vincentius in speculo, atque eius transcriptor Antoninus [i]) *ad Dominum Papam, tunc apud Senones commorantem, secretius nuncio, habitum religionis sibi ab eo fieri, benedici, & transmitti, postulauit, & impetrauit; Domino Papa sic ei rescribente, Misimus tibi, Frater dilecte, habitum, non qualem voluimus, sed qualem habuimus.* Ita Vincentius [k], Antoninúsque, & alij. Sed longè exactiùs, & certiùs in Tripartita, atque Petro Rogerij, auctoribus coaeuis, & ocularibus, ex quibus, puto, alij desumpsere [l]. *Accepta itaque*, aiunt, *benedictione, scilicet Alexandri, B. Thomas cum paucis familiaribus (aliò destinatis, vt dictum est, caeteris) Pontigniacum ingressus, iudicauit se indignè curam pastoralem, de manu Apostolica accepisse; nisi etiam habitum religionis reciperet. Missis ergo proinde Nunciis, remisit ei Dominus Papa habitum Monachalem, quem ipse benedixit de laneo panno grosso, & crudo. Deinde & nuntiis iniunxit, dicens: dicite Domino Cantuariensi, quod habitum ei misimus, qualem habuimus, non qualem vellemus.* Hactenus de habitu benedicto prius, & deinde transmisso ab Alexandro.

i lib. cap.

k part. 2. lib. 17. c. 1. §. 10.

l Arspheld. saecul. 12. cap. 16.

9. Ceterùm quod ait idem Pontifex, se habitum, qualem habuit, remisisse, non qualem vellet; non sic intelligendum est, quasi in ipsa cuculla Monachali, transmittenda Archiepiscopo, delicatiorem materiam, formámve apponi voluisset; quae abhorreret à norma religionis; sed quia ipse Pontificalia magis libera, & expedita, cum reditu ad Ecclesiam Cantuariensem voluisset transmittere; dolerétque, quod Monachum indueret, occultandum sub modio vitae priuatae, quem candelabro imponendum, seu iam impositum, si posset, restituendum exoptaret. Ergo per habitum exprimit statum, habitationémque, à qua voluisset Thomam vendicare. Pergunt Rogerius, & Quadripartita de eodem habitu per Abbatem Guicardum Sancto, imposito, ne quid deesset ad vetum Monachum *Pontigniacensis verò Abbas, dum cum paucis B. Thomam illo habitu indueret; adstans ibidem quidam familiaris, dum vidit in ipso habitu caputium minoris quantitatis, quam vt toti congrueret, (fuit tamen id seriò factum) vtrum regularis, ait, nescio; liquet tamen Dominum Papam minùs congruè adinuenisse cucullae caputium.*

10. Hinc facile videas susceptum à B. Thoma Cistercij habitum, solenni ritu, ceremoniisque, etiam his, quae cum aliis Pontificibus, ex reuerentia dignitatis, dispensabantur. Quippè in Conuentu Monachum acturus, numeros omnes impleuit perfecti Monachi. Quin nec portandum tantùm in occulto, vt quem priùs Cantuariae susceperat: sed exteriùs vbique praeferendum. Certè de Monachatu Cantuariensi, ab eisdem auctoribus lego scriptum, eundem Sanctum gaudentem duplici veste, duplicem etiam personam exhibuisse. *Nam exteriori* (inquiunt) *Clericum exhibebat, interiori Monachum occultabat.* Monachum, inquam, quandiu extra Cistercium. At non sic posteà. Quippè indutus veste regulari, eáque capuciata panni crudi, & grossi, quae in nullo à caeteris aliis distinguetetur.

11. Tum vero Sanctus soli Deo vacans, solum sibi adiutorem eum proponere, orationi insistere, vigiliis, & ieiuniis corpus atterere, choro, & Psalmis instare, atque operibus manuum exerceri; quasi, qui nihil aliud curaret, auspicabatur; adeo, vt non minus religiositas vitae in Monachatu, quam in Praesulatu zelus, constantiaque, celebri fama per orbem diuulgaretur. Extat epistola Episcoporum Angliae, biennio post ad eundem Sanctum scripta, in quam haec inter alia, vel ab aemulis approbata, & laudata commemorantur. [m] *Erat*, aiunt, *nobis solatio, quod post discessum vestrum, ad omnes, fama diuulgante, peruenit; vos scilicet in transmarinis agentem, nil altum sapere, vos in Dominum nostrum Regem, aut regnum eius, nulla machinatione insurgere; sed sponte susceptum paupertatis onus cum modestia sustinere, lectioni, & orationi insistere, praeteritorúmque iacturam temporum, ieiuniis, vigiliis, lachrymisque redimere; & spiritualibus occupatum studiis, ad perfectum beatis virtutum incrementis ascendere.* Hactenus Episcopi. Verum haec eadem exactius ex antiquis Nicolaum Arspheldium decerpentem, [n] atque ipsiusmet verbis audiamus. *Admirabile verò est, quam seuera Pontigniaci viuendi disciplina vsus sit, quantúmque ad veterem vitae austeritatem adiecerit. Cum non cilicio tantum, & furtiuis flagellis, atque plagis carnem maceraret; sed & delicatiori omni, cibo qui de more parabatur, semoto, quemque pauperibus tribui curabat, aridis, & insipidis cibis, pulmentisque pro more Cisterciensis Ordinis, eo vsque vesceretur, & tamdiu in frigidissimo amne, qui iuxta Coenobium fluebat, nudus non sine magna corporis afflictione stare soleret; donec grauissimum inde contraxisset morbum. Quin & cum fratribus, rustici operis faciendi causa, in agros proficisci, & foenum metere, colligereque solebat. Noctis autem magnam partem precando transegit. Cúmque somnus, quem interdiu nunquam coepit, noctu opprimeret eum, capiebat, sed breuem; nē in lecto, sed humi, lapidéque capiti substrato. Somnúsque ille, eum non tam recreabat, quàm affligebat, propter cilicij asperitatem, & vermium copiam inde scaturientem.* Haec Sancti Thomae studia in Pontigniaco, nouum Monachatum illius consecrauere; vt nouae professionis numeros omnes non solùm exactè impleret, sed superaret. At quantum breui profecerit, per ea, idque tam in seipso, quàm apud Deum, sequenti anno commodiùs referemus.

m Baron. ad ann. 1167.

n Saecul. 12. c. 16.

1. *Chronologia Monasteriorum.* 2. *Dictum de Cupro Scotiæ,* 3. *& de Strata florida, aliisque.* 4. *Bonaeuallis Toletana initia,* 5. *Fundator Alphonsus Rex,* 6. *& status præsens.* 7. *Monasterium de Nucalibus desertum à virginibus.* 8. *Monachis traditur hoc anno inhabitandum.* 9. *Notitia domus.* 10. *Et sepulchrum Infantissa Legionensis:* 11. *Dictum de Monacho quodam Strata florida,* 12. *cui nihil occultum,* 13. *& quæ in choro videre solitus esset.* 14. *Oddonis Ducis Mors, & sepultura.*

CAPVT X.

1. QVOD attinet ad fundationes Monasteriorū, septem hoc anno designantur in Chronologia, quarum hæc series.

Anno M. C. LXIV. Kalendis Iulij fundata est Abbatia de Cupro.

Eodem anno, Abbatia de Stra flurt, aliàs Strata florida.

Eodem anno VI. Idus Septembris, Abbatia Gurnalia vel Gumtualia.

Eodem anno II. Kalendas Octobris Abbatia de domo S. Andreæ Morimundi.

Eodem anno Abbatia de Villalonga.

Eodem anno Abbatia de Crucibus.

Eodem anno Abbatia de Bonaualle, Morimundi. Hactenus ibi. Quibus addere possumus Hispanam Abbatiam de Nucalibus, Astoricensis diœcesis, quam à Monialibus desertam paulò ante, Abbati, & Fratribus Moterolensibus traditam hoc anno, constat ex instrumento donationis, quod mox adducam. Nunc breuiter per singulas discurro.

2. Cuprum insigne Scotiæ Monasterium fundauit Macolmus Rex, quem Virginem antiqui cognominarunt. De eo Thomas Demsterus in apparatu. *Cuprum in Angusia Ordinis Cisterciensis fundauit S. Malcolmus IV. Rex cognomento Virgo, anno M. C. LX. ab eodem Rege Deipara dicatum.* Ita Demsterus annum anteponens, quamuis ad M. C. LXIV. referenda initia, ex Rogerio Vvedenio statim tradat. Hector Boetius de eadem Abbatia, *Ab eo (scilicet Malcolmo) condita est Abbatia (Cupri) Diuæ Virgini sacra, & amplissimis dotata redditibus. Inhabitabant eam viri religiosi Ordinis Cisterciensis, multa pietate celebris.* Et alibi Monasteria Scotiæ numerans. *Duo præterea alia, religione, eruditioneque famosa Aberbrot, & Cupram; hoc Cisterciensis Ordinis; illud maioris Monasterij Turonensis.* Monachi ex Meilrosia transmissi, vnde & Cuprum inter filias eius domus, in linea Claræuallis commemoratur. Pertinet ad Sant-Andreanam Diœcesim, in qua centum florenis taxatam video. Reliqua (nam de Cupro plura incident) suis locis venient differenda.

3. Stratam floridam duplices agnoscunt litteræ Apostolicæ, alteram in Hybernia, in Anglia alteram; illam in Meneuensi Diœcesi sitam, ad cuius Abbatem scripsisse video Innocentium III. pro Monachis Monasterij Cornelicnsis Benedictinis, Anagniæ. V. Kalend. Martij, Pontificatus ipsius anno III. hanc in Londinensi, cuius, tum religionem, tum hospitalitatem, atque alias virtutes, eximiè laudat Alexander IV. multis eo nomine indultis priuilegiis, Laterani, Nonis Februarij, Pontificatus eius anno II. Quæ in Hybernia filia Blancæ-landæ, de linea Claræuallis, in Genesibus ponitur: Existentem in Anglia Exordium magnum [a] memorat, illustratam circa eius initia Monacho Sancto, qui præterita, futura æquè ac præsentia, atque cordium secreta penetraret, de quo dicam ad calcem istius capitis. Meminit & in Anglia Stratæfloridæ Nicolaus Arspheldius [b]. Nec vtra hoc anno cœperit, facilè mihi, aut promptum determinare: Sicut nec an earum aliqua sit, cuius Abbati Alexander III. scribit semel, & iterum, & habentur in cap. *Constitutus* 4. & in cap. veniens 8. de transactionibus. Quæ immediatè sequuntur quatuor Ecclesiæ, obscuriores adhuc: neque in Genesibus, præter Villam longam, quæ anno M. C. L I. notata est, earum aliquam potui inuenire notitiam.

[a] lib. 5. c. 12.

[b] In Cathal. Sanct. Ædi.

Bonamuallem in linea Morimundi vnicam lego, eamque in Hispaniæ Noua Castella, Diœcesis Toletanæ, quam Vallisbona Palentina propagauit. In libris Cameræ, Vallis bona, pro Bona-valle facili errore. Sed qui Matrem cum filia possit confundere. Fundator domus Alphonsus Castellæ Rex, Imperatoris Nepos, donato loco viris post annos vndecim, quem ab hoc possedissent, velut precariò. Fortè & donato antiquo Monasterio, quod ibi ante plures annos constructum esset. Certè Abbatiam antiquiorem donatione, ipsa donatio probat, quam statim dabo. Quis primus Abbas, incertum adhuc nobis: & fortè Munio, qui locum obtinuerit, ad quem Alphonsus Princeps ita scribit. 4.

Quoniam inter cætera pietatis opera maximè commendatur eleemosyna: idcirco ego Alphonsus, D.G. Rex Castella vnà cum vxore nostra Alienora Regina, causa Dei, & pro animabus Parentum nostrorum, & salute propria, dono, & concedo Domino Deo, & vobis Domne Muñoni Abbati Bona-vallis, Monasterium Sancta Maria eiusdem Bona-vallis, vestrisque successoribus vniuersis, & Monachis ibi degentibus, tam præsentibus, quàm futuris, totum ex integro cum omnibus directuris, pertinentiis, & terminis suis iure hæreditario habendum in perpetuum, cuius termini ita diuiduntur, de Muratel, cum omnibus, quæ inter hos terminos concluduntur. Dono quoque, & concedo vobis Caraquiz cum omnibus pertinentiis, & terminis suis; & in Vzata vineas, & hortum, & vnam terram, quæ est continua vineæ Fernandi Martini. Concedo vobis, & mando, vt nemini super vlla re, de qua inquisiti fueritis, nisi ante me cogamini, neque teneamini vnquam respondere. Si quis verò huius meæ donationis paginam in aliquo tempore rumpere, vel diminuere voluerit, iram Dei omnipotentis plenariè incurrat, & Regia parti mille Maravetinos; & damnum, quod intulerit vobis, duplicatum persoluat. Et hoc meum donum semper ratum, & vobis in perpetuum valiturum maneat. Facta charta in Fiterio Æra M.CC.XIIII.VIII. Kalend. Decemb. 5.

Ego Rex ALPHONSVS *regnans in Castella, & Toleto hanc chartam manu propria roboro, & confirmo.*

Zeno

Zenebrunus Toletanus Archiepiscopus,& Hispaniarum Primas confirmat. Hactenus priuilegium, quod multi alij Episcopi, atque Proceres Regni confirmauere.

6. Hoc priuilegium plura alia sequuta sunt, tum eiusdem Alphonsi Æra M. CC. XXIII. XII. Kalendas Maij: Tum Henrici primi,XVII.die mensis Ianuarij. Æra M.CC.LIV. Ferdinandi III. cognomento Sancti,Pridie Idus Martij Æra M. CC. LVI. XXII. Mensis Iulij, Æra M. CC. LVII. & XXVIII. die mensis Octobris,Æra M.CC. LXVI. Alphonsi, cognomento Sapientis; aliorúmque. Nec pauciora Pontificum, quæ longum esset, in præsenti recensere. Id vnum tantum libet adnotare,tot priuilegiis fundatam insignem domum, nihilominus tempori cessisse. Ac tandem Abbatia in ipsa suppressa,Prioratum relictum sub Abbate Monasterij Montis Sion,trecentis ferè annis posterioris. Vnde sacra Hispaniarum obseruantia, non sine magno fructu,sumpsit exordium; sed de his latius dicendum suis temporibus.

7. His Monasteriis notatis in Chronologia, addéda est Abbatia de Nucalibus,quæ non multo ante Monialibus donata sub Aldoara, sed ab eis deserta,post mortem Fundatoris: Hoc tandem anno Abbati,& fratribus de Morerola tradita est, Conuentum illuc,ex seipsis transmissuris. Extant litteræ coniugis cum Filiis,in quibus post priorem donationem commemoratam, hæc secunda succedit, sub hoc tenore. *Quapropter ego,prædicti Vela Gutierrez, Coniux Sanctia Comitissa, & mecum Filij mei Ferdinandus,Poncius,Petrus,atque Ioannes, post mortem Domini Vela superstites, quod prius Domnus Vela promisit, & fecit, nos ex toto complentes supra nominatam hereditatem de Nogales in omnibus, & per omnia,sicut superius est diuisum, distinctum, & determinatum; donamus, & concedimus totis votis, gratuita diligentia,& concordi fauore,pro nostra, & Domni Vela, atque Parentum nostrorum æterna salute, sanctæ Mariæ de Morerola, ad vsum, & cultum Monachorum,Cisterciensis Ordinis, in manu Domni Gualteri Abbatis, ad habendum, & hereditario iure possidendum in perpetuum, absque omni calumnia interdicto,quietè,atque pacificè:& deinceps de nostro iure sit illa hereditas abrasa, & Monachis prædicti Monasterij de Morerola,tam futuris, quàm præsentibus,firmiter,& inconuulsè data, atque concessa.*

Si quis autem ad hoc nostrum factum irrumpendum aliqua occasione insurrexerit, Dei omnipotentis iram incurrat,& cum Iuda proditore, cum Dathan, & Abiron, & omnibus reprobis pœnas in inferno luat perpetuas;& si quid de prædictis abstulerit,vel auferri fecerit,præfatis Monachis in duplum restituat, & Parti Regiæ sex millia marabitinos componat. Facta charta sub Æra M CC. II. tertio decimo Kalendas Ianuary.Regnante Rege Fernando in Toleto, & Extrematura,Legione, Asturiis,atque Gallecia. Domno Fernando existente Episcopo in Astorica. Maiori domus Regis Gomicio Guzcalbi. 8.

Ego Sancia Comitissa,filia Comitis Ponty, & pariter fily mei prædicti Ferdinandus, Pontius, Petrus, atque Ioannes, & Maria hanc chartam, quam fieri iussimus propriis manibus roborauimus, & signum fecimus.

Fernandus Astoricensis Episc.confirmat.
Ioannes Legionensis Episc confir.
Ramirus Ponty Signifer Regis confir.
Comes Ramirus confirmat.
Comes Petrus confirmat.
Fernandus Poncij minor confirmat.
Fernandus Rodici confirmat.
Gomicius Martini confirmat.
Stephanus Zamorensis Episcopus confir.
Gomicius Guzcalbi,Maiordomus Regis confir.
Comes Poncius de Minerua confirmat.
Comes Albarus confirmat.
Fernandus Poncij maior confirmat.
Fernandus Guterri confirmat.
Fernandus Baston confirmat.
Petrus Raigna confirmat.

Cid testis. Vellid testis. Xab. testis. Fernandus, qui notauit.

Hactenus noua charta donationis.

9. Monachos statim missos ex Morerola,vtriusque Monasterij memoriæ tradunt,sub quibus breui creuerit,nulli in regno Legionis postponendum. In libris Cameræ taxatum inuenitur Florenis XL. Floruisse legitur viris religiosis, & eruditis; inter quos illustrauit ætatem Patrum Cyprianus Huerguensis, Musa, & Phœnix Hispaniæ cognominatus.Nec multò post Ignacius Firminus, Iberus, ex alma Complutensi Academia,vbi sacram Theologiam,summa cum omnium laude profitebatur, in Abbatem Fiteriensem assumptus, cui vtrumque Exordium vulgatum Europa debet; & nos nondum vulgatas, nec vulgares, in vtrumque notas, quibus non semel in his Annalibus vsi sumus.Fuit absque dubio acris ingenij vir,& qui plurimum illustrasset antiquitatem, si perspicaciam labore promouisset; aut in plura alia diuisus (nam penè omnes calluit scientias, & artes) non singula paulisper eneruasset. Nostro item sæculo illustrauit Hispaniam nostram Nucalensis Alumnus, nobis (heu!) quondam charus, Franciscus Viuarius, qui nisi morte immatura,præuentus esset, vniuersam Ecclesiam exornasset suis scriptis. Namque post illustratos Flauium Dextrum, & Marcum Maximum, quibus in Orbe notus, Monachatum deductum ab Apostolis(ingens profectò opus) in procinctu,& plura alia parabat in lucem dare. Sed de his continuator Annalium,si quis fortassis erit, qui prosequatur.

Nucalensis Cœnobij templum illustrat Aldoncia Infans, Alfonsi Noni Legionensis Regis Filia, Comitis Petri Poncij de Cabrera coniux, cum quo in eodem loco sepulta iacet. Sepulchrum ornant Legionensium Regum insignia, multis distincta parmis, quibus Leones rubri in argentea planicie velut ascendunt. Meminit huius sepulchri, insigniúmque Ambrosius Moralius, & numerat inter prima,quæ Reges Legionenses prætulere.Sepulchro imminet Tabella parua appensa cum recenti inscriptione, in qua vulgari sermone hæc continentur. 10

HIC IACET SERENISSIMA INFANS DOMINA ALDONCIA ALFONSI, ALFONSI NONI LEGIONIS REGIS FILIA, CONIVX DOMINI PETRI PONCII DE CABRERA, FILII COMITIS. D. PONCII VELA, NEPOTIS ILLVSTRIVM ET MAGNIFICORVM FVNDATORVM HVIVS COENOBII. OBIIT CIRCA ANNOS CHRISTI. M. CC. LX. VI. CVM RECENS SACRATA ESSET NOVA ECCLESIA,

Sed

Sed de his fortè inferiùs agendum erit.

11. Interim quod de Strata-florida diximus, quia constat accidisse circa hoc tempus, nam neque potuit antea, quàm inciperet, nec multo post, ti ab Authore Exordij scribitur; quia satis celebre, nec minus admirandum, pro huius anni coronide transcribo. *In partibus Britanniæ* (ait) *in domo quadam Cisterciensis Ordinis, quæ Strata-florida dicitur, fuit quidam Seruus Dei, quem ad correctionem cæterorum Dominus, spiritu prouidentiæ implere dignatus est. Qui videlicet famulus Domini; cum à diebus adolescentiæ suæ terrena despicere, & amare cælestia, sanctitatem quoque sacri Ordinis enucleatius obseruare contenderet, quadam solemnitate Pentecostes, dum ad sonitum horologij surgens, matutinas Dominæ nostræ psallere inciperet, repentè quandam nouam, & antea sibi inexpertam deuotionem præcordiis suis allabi sentiebat. Quæ per extensum Vigiliarum spatium magis, ac magis incrementum sumens, mira alacritate interiorem pariter, & exteriorem hominem ipsius reficiebat. Cùm autem hymnus.* Benedicite omnia opera Domini Domino, *in quo omnis creatura ad benedicendum, & laudandum Dominum inuitatur à fratribus inciperetur, vidit carnalibus oculis Angelum Domini per oppositam sibi fenestram, cum magna claritatis fulgore in medium chori descendere, thuribulum cælesti thymiamate refertum in manu ferentem. Qui inde versùs altare progrediens, thurificabat illud, sicut in solemnitatibus ad Missam fieri solet. Indéque reuersus, vtrumque chorum lustrauit, & Monachis vigilantibus, & psallentibus spiritualium aromatum viuificum vaporem offerebat. Cum autem psallentes chori ad illum versum* Benedicamus Patrem, & Filium, cum sancto Spiritu, *peruenissent, Angelus Domini per ordinem circuiens vniuersos, iã ad fratrem, cui hæc videre concessum fuerat, peruenerat.*

12. *Tunc verò isdem frater mira deuotione pietatis*
c Psal. 18. *succensus, tanquam cum Propheta* [c] *diceret;* Os meũ aperui, & attraxi spiritum, quia mandata tua desiderabam: *totum se extendit, vt halitum attraheret, quatenus inclinans, laudem Patri, & Filio, & Spiritui sancto feruentius decantaret. Angelus verò Domini carbonem ardentissimum, atque lucidissimum duobus digitis, de thuribulo tollens, in os trahentis anhelitum proiecit. Qui per totum corpus eius descendens, interiora omnia eius suauissimo ardore succendit: ita vt ex sententia dicere posset cum Prophe-*
d Thren. 1. v. 13. *ta:* De excelso misit ignem in ossibus meis. *Itaque ardorem carbonis desolatorij salubriter in eo vitia consumentis ferre non valens, pallidus, & exanguis in terram corruit. Indéque delatus in infirmitorium, tribus diebus ibidem sine voce, & sine motu tanquam mortuus permansit. Post triduum verò eadem hora, qua raptus fuerat, ad se reuersus, ab omni carnali corruptione, quæ animam aggrauat, igne illo, quo fæliciter arserat, interim purgatus est: vt absentia, quasi præsens spiritualibus oculis videret, & tentationes etiam Monachorum domus suæ, quibus vel vigilantes, vel dormientes vexabantur, ediceret, modumque & causas earum exponeret, qualiter etiam caueri deberent, doceret; ita vt multi ex fratribus purioris vitæ sanctimoniam exhortationibus eius prouocati æmularentur.*

Dicebat præterea, singulis quidem noctibus, maximè autem Dominicis, & festiuis, nimiam multitudinem Dæmonum, in choro psallentium fratrum conuenire. 13. *Quorum execrabile officium non erat aliud, nisi multis, & variis modis fratribus illudere, eorúmque mentes ab intentione seruitij Dei auertere: pigritantibus quoque, & dormientibus, malignissimis applausibus, & cachinnis insultare, de dormiente ad dormientem gyrouaga pernicitate ire, & redire. Habebant vero in capitibus suis caputia quædam veterum pannorum sordidissima, & nimis fætentia, interius, & exterius, quasi squammis scabiosorum vlcerum perfusa, sub quibus abscondebant laruales facies suas, quasi timentes agnosci. Venientésque ante vnumquemlibet de Monachis, callidissima exploratione obseruabant, vtrumnam vigilaret, aut dormiret. Quod si dormientem eum reperissent, omnem continuò fætorem, & corruptionem putridi caputij sui, in vultum illius excutiebant: conclamantésque quasi ad signum plurimi coram illo veniebant: & quandiu dormitabat, phantasmata, & turpia somnia, illi immittentes non recedebant. Sanè si quos vigilantes, & psallentes aduertebant, à facie illorum, velut à facie ignis, fugiebant, ita vt habitum, qui de ore cantantium, Dominúmque laudantium, procedebat, ferre nullatenus possent.* Hæc in Exordio, nec tacenda nobis, neque alibi commodiùs memoranda.

Hic demum annus Cistercio funebris fuit, Oddonis inclyti Burgundiæ Ducis morte, adeò benefici in fundationem aui, patrísque; vt & ipse eis adiunctus, inter Cistercij non minus fundatores enumeraretur. 14. Iacet cum eis in eadem ipsa capella, sub duplici inscriptione, quam prima in Cœnobium beneficia, atque antiquorum patrum memoriam gratam: secunda benefactorum obitus memorat? Prima sic.

ODDONI, MATTILDI DVLCISSIMIS, ET CHARISIMIS CONIVGIBVS. HVGONI, ET ODDONI AMANTISSIMO FILIO, AC NEPOTI, INCLYTIS BVRGVNDIÆ DVCIBVS, QVORVM PIETATE, ET LARGITATE MONASTERIVM HOC FVNDATVM FVIT, ET ERECTVM. PP. PP.

Secunda verò sic.

HIC IACENT TRES ILLVSTRES BVRGVNDIÆ DVCES
ODDO FVNDATOR HVIVS MONAST. QVI OBIIT. ANN. M.C.II.
HVGO FILIVS EIVS, QVI OBIIT. ANN. M.C.XXXIII.
ODDO FILIVS. DICTI HVGONIS, QVI OBIIT. ANN. M.C.LXIV.

De duobus prioribus superius. Tertius hoc anno restabat commemorandus.

IESV CHRISTI ANN. 1165. CISTERCII ANN. 68.

1. Studia, atque profectus B. Thomæ. 2. Cui Virgo è cælo descendens cilicium consuit. 3. Mathildis Imperatrix Abbatem Voti ad Alexandrum mittit. 4. sed irrita ob Henrici dolos legatione. 5. Alexandri discessus à Gallis; 6. & Thomæ cum ipso in eadem via congressus; 7. atque miraculum. 8. Ratio temporis, & notata quædam alia. 9. Guillelmi Mompessulanei in Alexandrum fides simul & pietas: 10. ac Guicardi Pontigniacensis in Archiepiscopum Lugdunensem promotio.

CAPVT I.

1. SEQVENTI anno, Christi nimirum, millesimo, centesimo, sexagesimo quinto, Cistercij sexagesimo octauo, Archiepiscopus Thomas Pontigniaci vita communi prius indefessè; mox quod supererat, sacræ Scripturæ; ac varia canonum, Patrumque lectione, delectabatur. Narrat id Herebertus [a] in eius vita. *Tantus siquidem diuinarum scripturarum amator erat* (scilicet S. Thomas) *vt post horas regulares, quotidiè sacri Codices vix de manu eius discederent.* Porrò, quantum ex his in vtroque homine profectum expertus sit, Ioannes Sarisberiensis fidelis eius, ad Exoniensem Episcopum scribit his planè verbis. [b] *Credo autem indubitanter quia & mihi saltem cras respondebit iustitia per misericordiam Domini. Et procul dubio Domino Cantuariensi, quod ad litteraturam, & mores plurimùm profuit exilium istud, & aliquantulum mihi ipsi, vt diuinæ dispositioni gratias habeam.* Et iterum ad Magistrum Gerardum. [c] *Hoc autem de statu ipsius nobis indubitanter constat; quoniam pluris est, quod in virtutibus, & litteris acquisiuit, quàm quod Regis, & malignantium sibi extorsit improbitas* Demùm, quod ad diuinarum scripturarum sapientiam attinet, quam tamen antea tantùm degustauisset; idem; qui supra, Herebertus, post indefessum studium perpensum, subdit. [d] *Vnde ex amore hoc scripturarum, & opera, adeò in breui profecit, vt sæpissimè in scrupulosis, & nodosis scripturarum sententiis, etiam super docentes se intelligeret.*

[a] lib. 3. c. 15.
[b] Epist. 150.
[c] Epist. 178.
[d] lib. 3. c. 16.

2. Cæterùm quantò maiores in virtutibus, & meritis, quàm in litterarum studiis profectus fecerit, acceptus à B. Virgine fauor, ferè sine exemplo, quem ipsa post euulgandum curauit, illo tacente, quia in Actis vitæ eius scriptus non extat, vt notauit Cæsarius, ab eodem summatim, & minùs clarè, sed fusiùs à Cantipratano Thoma memoriæ proditum, in sancti gloriam, & lectoris, mei gratiam, non pigebit ad litteram transcribere. [e] *Gloriosissimũ quid* (ait Cantipratanus) *de matre Christi narrabo, in quo altissima humilitatis eius dignitas, & videri poterit, & probari. Scriptũ enim diligentius est, qualiter B. Thomas, Cantuariensis Præsul, & martyr, exilio trusus sit, & fugatus in Galliam; & in Pontigniaco, Monasterio Ordinis Cisterciensis, plurimo tempore demoratus. Beatus autem Præsul, cum multis annis, femoralibus, atque camisia ciliciniis vsus fuisset ad carnem, & subitò de Anglia exire compulsus, sibi pro mutatione harum vestium minimè prouidisset; & antiquitate nimia dicta femoralia soluerentur, & nullum vellet de familia, huius conscium habere secreti (nec præter quandam Reclusam sanctissimam apud Cantuariam, vnquam ante voluerat) die quadam solus in capite chori foras Ecclesiam, quasi reparaturus femoralia residebat. Operis ergo huius ignarus, & expers, anxius quid faceret, qualiter inciperet nesciebat: cum ecce Regina mundi, operis non ignara, quia teste Hieronymo, filius Virginis quæstuaria indicaturus est orbem terræ; Salutat Præsulem, confortat ne timeat; de manibus eius accipit vestem, residet iuxta illum, & conuenientissimè reparat laceratam. Nec mora, opere completo, disparet. Præsul autem effusus in lachrymas, laudes pro pretio, cum multa admiratione rependit.* Hactenus Thomas, cui consonat Cæsarius, [f] paulò antiquior, & sancto Præsuli fere coætaneus. Qualiter autem eundem hunc fauorem, ipsi exhibitum, eadem B. Virgo diuulgauit, paulò ante Sancti mortem, dicam in tempore.

[e] lib. 2. boni vniuer. c. 29. part. 12
[f] lib. 7. mirac. c. 4.

3. Inter hæc Mathildis Imperatrix solicita pro filio, cuius famam in toto orbe Christiano malè audire, ob impetitum tot iniuriis Thomam; cuius potentiam facilè imminuendam, si Ludouicus ea, aut alia occasione Northmaniam, Aquitaniam, Pictauiámque, & quas habebat conterminas prouincias, inuadere tentaret, non ignorabat: Abbatem sanctæ Mariæ de Voto (quod Monasterium nostris ipsa condiderat, vt supra memoraui) virum vtique industrium, ad se vocat; eundémque ad Alexandrum legatum mittit: conciliet Reges, Ludouicum; Henricúmque, atque inter eos mansuram pacem firmet. Pertulit Abbas voti mandata lætus; nec minus lætus, Alexander Papa audiuit: quippe qui nihil ardentius desideraret, quam pacem Regibus, & Thomæ restitutionem: & sperauit vtcunque prouenturum interuentu Mathildis, cui neque zelus deesset, neque authoritas: & credi poterat nihil intentare, nisi annuente filio, qui solus timeretur respuiturus. Dies Purificationis indicta est (in quo omnes conuenirent, vt concilianda cunctis inuicem gratia, in festo matris gratiæ fœlicibus auspiciis inchoaretur. Meminit huius legatiæ, & conuentionis Regum per Alexandrum, Ioannes Sarisberiensis [g], ad B. Thomam scribens totidem verbis. *Cùm* (inquit) *Dominum Papam nuper solicitarem, & animarem; & viam illi, quam mihi videbar intellexisse, ad pacem sibi, & vobis reformandam studiosius intimarem; respondit, se spem concepisse pacis ex verbis Imperatricis, quæ Abbatem S. Mariæ de Voto tunc transmiserat, promittens, Regem Angliæ facilè posse induci ad quæcunque vellet; si Dominus ipse Papa, Reges, vt diu petitum est, vellet confœderare. Ad quod quia Dominus Papa pronus est, & Rex Francorum facilis inclinari, ex colloquio suo, & Regum certus etiam videbatur. Et iam Regem Francorum euocauerat, vt Purificationis festum ageret secum.*

[g] Epist. 137

secum. Hæc de spe pacis tunc illucescente, antequam Pontifex à Gallia digrederetur.

4. At omnem spem fefellit indignatio Henrici, semel in Archiepiscopum concepta, in speciem quidem facile flexibilis; verum sceptro per virgam designato, id cum virga commune, quod eò tantùm plerumque flecti soleat, vt actriùs feriat. Sanè post varios nuncios vtrinque missos, vtrinque susceptos, nec Ludouico quicquam abnuente, quo pax sperata in Ecclesia Anglicana, imo in orbe Christiano (nam ferè inde pendebat) reformaretur: Anglorum Rex in eo solùm consensit, venturum se ad Pontificis præsentiam, sed si Thomas abesset. Narrat hæc in Quadripartita Alanus, ita scribens[h]. *Discurrebant interim hinc inde, & etiam à Domino Papa mittebantur nuntij ad pacis reformationem. Tandem verò placuit vtrobique Dominum Papam, & Regem statuto die, & loco, ad inuicem conuenire, vt per mutuum eorum colloquium via pacis posset facilius inueniri. Rex ait, ad id se venturum, sed in Archiepiscopi absentia; quia eo præsente demandat, nec Domini Papa faciem se visurum.*

h apud Bar. hoc. ann.

5. Suspecta exinde cunctis Regis intentio, quæ eò tantùm respiceret; vt Thomas inauditus condemnaretur. Quid enim aliud posset sperari, si Henrico comparente, vt accusaret, ille nec responsurus adueniret? Præsente vtroque inæquale iudicium fore, lancem quantumuis æquam, iustámque, tractura in suam partem potentia Principis. Quid si altera vacua relinquatur, & Rex potentia, & allegatis vrgeat? Thomæ nec defensionis propriæ locus, nec (quod vltimum reis solatium est) mouendæ saltem commiserationis affectus, per verba relinqueretur? Si ratione nitantur facta per Regem; quid congressum formidat? Si contrarientur; cur velit præualere? Quod si odio in personam, non metu causæ auersatur præsentem; quem neque aspectu dignatur, neque colloquio; quam sibi pacem promittat Archiepiscopus, quem adeò exosum habeat, adeò inuisum? Quid faciet liber, & sui iuris effectus in proprio regno, qui neque reuerentia Summi Pontificis, vel Ludouici Regis, vel intra limites dissimulationis, nedum veræ amicitiæ, contineretur? His, & similibus altè consideratis, negatus congressus; atque responsum Alexandri fuit. *Inauditum à sæculo* (sic habét Acta Sancti) *Romanam Ecclesiam ad alicuius Principis nutum, quenquam à suo conductu reiicere, maximè pro iustitia exulantem. Sed & id priuilegij, & authoritatis desuper esse indultum Apostolica Sedi, vt exulibus, & oppressis subueniat, etiam contra Principum iras, & violentos impetus malignorum.* Ita Mathildis delusa solicitudo, atque Abbas Voti cum pace reuersus est, quam respuisset Henricus: quippè non requiescente super eum, ad perferentem statim reuertenda.

6. Inter hæc Pontifex vocatus à Romanis, qui Guidonem, aliàs Pseudo-Paschalem, tenuebant admittere, longum schisma pertæsi, atque vsuri prudenter morte Victoris: cum iam Senonis esset discessurus, Pontigniacum mittit, Thomam accersit; nec dubium, quin cum eo etiam Guicardum, roboraturus viros; aliàs magnanimos; illum ne pro Ecclesia quid timeret; hunc, ne pro Thoma: tum cum vtroque celebraturus sacrum Pascha, antequam longiùs ab eis diuideretur. Affuit vterque vocationi summi Pontificis, Thomas in noua veste, quò humilior, haud dubiè gloriosior, & quò pauperior, eò venerabilior. Ibi dubia inter eos mixta colloquia, tum de Cœlestium rerum contemplatione, in qua omnes Magistri; tum de his, quæ instabant, Alexandro præcipuè, Thomæque vrgentibus periculis; illi ab Imperatore, huic à Rege: tum de perseuerantia necessaria, sine qua nulla virtus coronam habet. Mox sancto Paschate sanctè celebrato, Alexander profectus, atque eius iter prosequutus Thomas est ad Bituriges vsque; Guicardo, dubium reuerso, an comitante. Certè de Thoma non licet dubitare, asserente in historia eius Alano. *Ibi* (id est in Bituricensi vrbe) *accepta licentia, & benedictione Domini Papa, regreditur Pontigniacum, ampliùs faciem eius in carne non visurus.* Porrò, quod in itinere miraculum, vel ignarus patrauerit, Alexandro vidente, & admirante, ac repentis vicibus probante potentiam Dei, à vitæ eius authoribus omissum, sed ab Helmoldo Buzouiensi presbytero narratum, ex ipso fideliter lectori meo transcribam. Est autem tale.

7. *Accidit* (ait) *vna dierum, cum Apostolicus sederet cum Episcopo, vt fortè sitiret; & dixit puero assistenti sibi: affer mihi aquam de fonte, vt bibam. Qua cùm allata fuisset, dixit ampliùs Episcopo: Benedic, & bibe. Qui benedixit aquam, & mutata est in vinum; & bibens dedit Apostolico. Cúmque Apostolicus intellexisset vinum, (nam vocato puero, dixit ad eum, quid detulisti mihi? qui dixit, aquam) Apostolicus affer mihi adhuc de eadem. Cúmque hoc secundò factum fuisset, iterum dixit Apostolicus ad Episcopum, Frater benedic, & bibe. At ille virtutem de se exiisse nesciens, credens ex industria vinum allatum, simpliciter benedixit; & iterum mutata est in vinum: bibénsque dedit Apostolico. At ille adhuc non credens, putans errore factum fuisse, tertiò clàm præcepit afferri aquam, & tertiò mutata est in vinum. Tunc expauit Apostolicus, intelligens eum virum Sanctum fuisse, & virtutem Dei in eo celebratam.* Hactenus Helmoldus de virtute à Thoma prodeunte, quæ nec ipso quidem ignaro, reprimeretur.

i lib. 1. Chron Slauor. c. 19.

8. Non me latet Cæsarium Heisterbacensem, grauem Authorem, ac B. Thomæ penè coæqualem reliquisse scriptum de Sancto viro, nullis in persequutione sua fulsisse miraculis[l]. *Beatus Thomas* (ait) *Episcopus Cantuariensis qui nostris temporibus pro Ecclesia libertate vsque ad mortem dimicauit, nullis miraculis in suis persequationibus coruscauit.* Verùm id de frequentibus, & publicis: non de vno, aut alio priuatim facto, haud immeritò putem intelligendum: aliàs cilicium lacerum, & dissutum, ope Virginis interim consuisse, ipse etiam Cæsarius testis existit. Porrò de tempore, accidisse in hoc itinere duplex mihi persuadet coniectura; Altera est, quod propè mortem Sancti Helmoldus affirmet, nec quoduis aliud tempus illi proximius, quo Thomas, Alexanderque conuenerint; Altera, quòd non aliter, aut alibi commodior eius rei se occasio posset offerre, quàm in ipso itinere, cum simul pergerent, & simul fatigati ex calore, sitirent, & ex maiori familiaritate viæ, communis potus haustum non vererentur. Extant, leguntúrque apud Rogerium circa hunc annum, ab eodem Sancto Thoma scriptæ epistolæ, altera ad ipsum Henricum Regem Angliæ, altera ad Robertum Hereferdensem, graues, acrésque; & dignæ, quæ Annalibus his insererentur. Sed à Baronio Cardinali transcriptas, facile erit quærenti adinuenire.

l lib. 8. Dial. log. cap 68.

9. Concernit etiam Annales Cistercienses Guillelmi Domini Montis Pessulani Guillelmi nostri filij, sincera in Alexandrum Papam fides, de qua

m lib. 2. c. 17. qua Guillelmus [m] Neubricensis eius temporis scriptor, hæc habet verba. *Imperator verò non quiescens, secretis (vt dicitur) litteris, & promissis amplissimis, apud Vuillelmum, eiusdem vrbis Dominum agere studuit, vt proderet hospitem. At vir memorabilis integræ fidei inuentus est, & insignem hospitem decentissimè honorauit.* Pertinet autem ad Parentis gloriam talem filium, támque sibi similem reliquisse post se: Qui illæsa omnino iura pietatis, intemerata hospitij, integra religionis conseruauerit; nec vllis vnquam solicitationibus nullis vtilitatibus (quod in Principe rarum) ab his virtutibus potuerit dimoueri. Mansit Pontifex in Monte Pessulano, duobus ferè mensibus, nempe à festo Apostolorum Petri, & Pauli, vsque ad celebratam Assumptionem Mariæ Virginis; post quam incolumis, sed non sine periculis, primum Trinacriam, dein Romam appulsus, honorificè ibidem susceptus est; Clero, & populo cum palmis procedentibus, de quo latè Baronius in Annalibus.

10. Hoc ipso anno si Chronicis Ægidij de Roma, & Roberti Antisiodorensis certa fides, Guicardus Pontigniacensis Abbas, qui Sanctum Thomam ad Ordinem susceperat, & sub cuius obsequio, curáque magis, quàm obedientia, degebat in Pontigniaco; in Archiepiscopum Lugdunensem, septuagesimum octauum in ordine, communi acclamatione promotus, renitens licet, onúsque detrectans, Sanctissimum Pontificem deseruit, simul cum sibi dilectis claustro, & filiis. In promotione concordant omnes tabulæ; annum Ægidius signat, paucis pro more. *Anno*, inquit, *M.C.LXV. Guicardus Abbas Pontigniacensis fit Archiepiscopus Lugdunensis.* Consonat Chronicon Antisiodorense, quod refert Miræus; & præferendum in rebus Pontigniaci, quippè Cœnobij illustrantis eandem Diœcesim. Sane Præcedenti anno Christi nimirum M. C. LXIV. præsedisse Drogonem, instrumenta confirmant Lugdunensia, nec vlterius notitia eius progreditur; vt non immeritò & dici, & credi possit, successorem hoc anno fuisse sortitum. Pontigniaci suffectus Garinus, Guicardi loco, de cuius subrogatione hæc tantum lego in Cathalogo Abbatum Pontigniacensium. *Garinus tertius Abbas huius Monastery, postea Archiepiscopus Bituricensis.* Fatale id Cœnobio supra diximus, vt maioribus Ecclesiis totius Galliæ, ex Abbatibus suis daret Pontifices. Porrò Guicardus cum promotus est annos XXX. rexerat Cœnobium, non minori quam Hugo fructu, & laude. Vnde in titulo Abbatum Pontigniacensium, æquè titulo Sancti cohonestatur. Non fuit leuis Thomæ Cantuariensi hæc Abbatum mutatio, successiove: sed ferenda tamen, siue quia voluntate diuina facta; siue quia sibi ad meritum, & nouæ professionis cætera onera, quia spontanea, leuia; hoc quia inuitus subibat, longè grauius, atque aliis molestius experiebatur.

---

1. Conradi in Galliam iter, 2. deiecti à sede Lubecensi, mora in Claraualle, reditúsque. 3. Beati Godefridi Lingonensis quondam Episcopi, obitus, 4. Et sepultura. 5. Conuersi Hispani ad eandem domum aduentus. 6. Et mors ex voto, 7. Frouvini Salemmitani Abbatis obitus. 8. Atque Petri Alfonsi in Lusitania. 9. Amalricus, ex Abbate Caroli-loci, Episcopus Siluanectensis. 10. Et Stephanus Metensis ademptus Claraualensibus.

Capvt II.

1. Conradvs interim Lubecensis Ecclesiæ Præsul, seu sponte venerit, seu Henrici Leonis amissa gratia, virum à se, & à schismate excusserit: cum dudum apud Magdeburgensem exulasset, tandem Cistercij Generalem Synodum personaliter adiit; suis primùm (nam ea salutis via) inde per suos, suorúmque fautores, Pontifici Alexandro reconciliandus. Hinc ita Ducis acrior in amicum, quem à se sublimatum, promotumque, in cunctis aduersarium, veluti censorem expertus esset: non prius per vim à se inuestiri pallium, & palam iam decisentem à Paschali: in quorum primo Henricum sacrilegij, in secundo schismatis, dum resiliebat, apertè condemnabat. Potuisse se complures promouere, nec Conrado indigniores, qui sibi grati, qui in omnibus obsequentes inuenirentur: potuisse, & qui respuerent dignitatem si non in aliis forent consensuri. Nam cur a laico infulas accipit, in quas nil iuris illi esse putaret? Aut cur ab homine Victorem adorante, si Alexandrũ sentiret verũ Pontificem? Nunc vnum Monachum omnia perturbasse; qui Episcopari per schismaticum, & laicum, nequaquam refugisset; semel Episcopus, cuncta detrectaret. Neque conscientiæ ad id stimulis actus, sed vana zeli, aut constantiæ, ostentatione. Nisi fortè à Paschali resiliebat, qui Victori assenserat, quod ea pars tunc temporis debilior; neque iustitiam, quæ eadem pro vtroq; sed magis fortunã partium prosequeretur.

Itaque Conradus, cum Cistercium peruenisset, Alexandro, & Ecclesiæ reconciliatus; sed ab Henrico, per vim dominationis detrusus à sede, per aliquod tempus in Claraualle moratus est, cùm primùm posset, Magdeburgum rediturus. Narrat hæc paucis Helmoldus Buzouiensis, sed quæ non pigeat, in gratiam mei lectoris, huc transcribere. [a] a lib. 2. c. 9. 2.
Fecit (ait) iuxta consilium Archiepiscopi, & transiit ad Magdeburgensem Archiepiscopum, & mansit apud eum fermè duobus annis. Inde abiens in Franciam, visitauit Cisterciense concilium, & reconciliatus est Alexandro Papa per manus Papiensis Episcopi, qui fuit partium Alexandri. Et eiectus de sede sua morabatur in Claraualle. Deditque Pontifici in mandatum, vt prabita sibi facultate, aut ipse iret ad Alexandrum, aut legatum dirigeret. Clariùs paulisper, & distinctius Albertus Krantzius. [b] *Conradus, adita primum Francia, reconciliari Alexandro summo Pontifici curauit, quod de manu Henrici (qui Friderico in Papam adhærere videbatur) Pontificatum accepisset: Reperit Papiensem Episcopum in ea parte legatum, qui venientem in Concilium Cisterciense suscepit, reconciliauit, & prabito tempore indixit, vt vel in persona, vel per idoneum Nuncium adiret summum Pontificem.* Helmoldus loquens de eodem Conrado pergit. *His ita peractis, reuersus est Magdeburg, & inuenit ibi Hartuvicum Hammemburgensem Archiepiscopum, nam & ipse loco cesserat; & manserunt apud Magdeburgensem*

b lib. 6. Saxon. c. 21.

Episcopum diebus multis. Hæc de Conrado:de quo non satis constat, an Alexandrum per se, an per Nuncium,quod probabilius puto,visitauerit.

3. Cæterùm,dum in Claraualle demoraretur,quod ratio temporis manifestè nobis demonstrat, contigit Beatissimum virum Godefridum, quondam Lingonensem Episcopum qui dudum abdicata præfectura, priuatam vitam agebat in Claraualle,ad cœlestia vocatum, fœliciter in Domino obdormire. Ce cuius obitu in libro sepulchrorum Claræuallis hæc scripta lego.[c] *Iterum ad Claramuallem se contulit* (scilicet Godefridus) *fecitque fabricari ad opus suum,in loco vbi S. Bernardus migrauerat Capellulam satis humilem, vt apparet; & per annos tres,& menses circiter, domum S. Bernardi eidem capella contiguam inhabitans,in sanctáque Religione perseuerans, circa annum Domini M. C. LXV. VI. Idus Nouembris post celebratam Cistercij Synodum, qua circa medium Septembris congregabatur,eóque,vt dixi,assistente Conrado, euolauit ad superos,fœlix illa anima,cui Bernardus,dum vixit,in tantum detulit; quámque cateri alij aquè ac Bernardum, sanè post illum immediatè suspexere.* Memorant inter Sanctos Cistercij virum Ioannes Abbas,[d] & Missale Ordinis vetus;Menologium,[e] diuersa tamen die: Robertus Montis,[f] Vincentius Beluacensis,[g] & ex ipsis plerique recentiores.

4. Cernitur, hodiéque sepulchrum venerandum, ipsius atque aliorum quatuor Pontificum sacra ossa recondens,è vestigio altaris, in omnium Sanctorum honore dedicati, tabella superposita, in qua talis inscriptio sculpta legitur[h].

c apud Henriquez in Fascic. & in Menolog.

d In suis Cathalogis.

e Iulij 22.

f Ad ann. Christ. 1139.

g lib. 27. Specul. hist. c. 16.

h Ex lib. Sepulch. Claraeuallis.

ANTE ALTARE OMNIVM SS. IACENT QVINQVE VENERABILES EPISCOPI, ET PRIMO SEPVLTVS EST RECTE CONTRA MEDIVM IPSIVS ALTARIS, VIR VITÆ LAVDABILIS, D. GODEFRIDVS QVONDAM LINGONENSIS EPISCOPVS, COGNATVS. B. BERNARDI. HIC DE PRIMIS FILIIS EIVS FVIT, QVI PRÆSENS COENOBIVM IN SVO SANGVINE FVNDAVERVNT.

Hæc ibi. Ex quibus Tabulæ Episcoporum Lingonensium apud Demochares,atque Ioannem Chenum veniunt illustrandæ.

5. Per idem tempus, vt coniectatur Ignacius Fitteriensis in Notis ad Exordium[i],cùm ad Capitulum Abbates conuenissent, & proprias ante eius ingressum matres visitarent,Hispanus ille conuersus diem clauserat; nec tamen tam quia debuit, quàm quia voluit; Quippè desiderans mori in Claraualle vt de B.Balsamo ante diximus, rem sanè miram, ab Authore Exordij traditam; qui paulo post Claramuallem ingressus est, nempè antequam Gaufridus, Bernardi olim Notarius, tunc successor esse desineret; eiusdem verbis hic censui transcribendam[k]. *Instabat tempus generalis Capituli, & Abbates Cisterciensis Ordinis de vniuersis mundi partibus Cistercium festinabant. Inter quos Abbas quidam de filiis Claraualis, Abbatizans in Regione Hispaniarum,longo, & laborioso itinere generationis sua Matrem,id est Claramuallem adibat, secum in comitatu habens conuersum quendam moribus honestum,& deuotione praclarum. Is aliquoties audiens in patria sua nectaream famam de religione, & sanctitata domus Claraualis; incitabatur spiritu, desiderans videre Claramuallem,cui clarissimus Abbas claritate Sanctitatis clarum nomen in Orbe dedit. Iter itaque Capituli adorsus. quantò magis approximabat desiderata Claraualli,tanto magis optabat, si fieri posset,non solùm eam videre,sed etiam sortis extrema funiculum ibi sortiri.*

i lib. 1 c. 4. n. 10.

k lib. 6. c. 4.

6. *Vbi verò adeò contiguus factus est, vt eminus sacrum pinnaculum templi prospicere posset, deuotionis vnguentis,ad aspectum reuerendi loci, charitatis igne bullientibus, totus ad pietatem liquefactus est: eleuatisque manibus, & oculis ad cœlum, breuem quidem,sed fidei plenitudine sincerissimam precem ad Dominum effudit, quodammodo exclamans, & dicens; ô Domine,si petitio pauperis,& peccatoris non displicet Maiestati tua,sit quaso sacer iste locus, qui tantarum Sanctarum animarum tecum iam regnantium pignora seruat, requies mea in saeculum saeculi. Hic Domine,si dignaris, pausem, quoniam elegi eum. Ingressus itaque tabernaculi admirabilis locum, quod fecit Deus,& non homo, specialis patroni, & tutoris eiusdem loci,Sancti scilicet Bernardi,necnon, & insignis collateralis ipsius B. Malachia tumbas simpliciter veneratus est;& vt desiderij sui celerem consequi mereretur effectum, deuotè precabatur. Nec tardauit pia deuotionis effectus: sed repentè capitis viribus destitui corporis, lectóque agritudinis receptus, sic latus, & alacer ad agonem mortis, quasi ad epulas inuitatus,pergebat. Sanè postquam,eo quidem prodente, & Abbate ipsius testimonium perhibente, tam Monachis,quàm Conuersis innotuit illud desiderium moriendi in Claraualle: hanc sibi à Domino celerem mortem impetrasse, sacer ille Conuentus oppido gratulatus est. Sicque fœliciter morienti piè congaudens sanctissimo Collegio suo migrantem votis, & desideriis bona voluntatis associauit. Ipse verò sacramentali Oleo inunctus, & Viatico Dominici corporis,& sanguinis munitus,infra paucos dies, Abbatibus,qui in Natiuitate Beata Maria, Claraualli ante Capitulum Cisterciense conuenerant, ibidem adhuc demorantibus, in medio tanta, & tam sancta multitudinis,Abbatum,videlicet, Monachorum, & Conuersorum,sicut desiderauerat, fraternis orationibus protectus, spiritum exhalauit. Cuius exequias magni, & reuerendi cœtus illius frequentia solennibus, & deuotis officiis celebrans, terrámque terra adiiciens,mirabilem Deum,in sanctis suis (qui,quantum apud eum sincera supplicum vota valeant, in hoc paupere suo demonstrare dignatus est) in communi glorificabat.* Hactenus ex Authore Exordij Magni, quæ quia ex se illustria, & nostram item Hispaniam concernentia, nefas ducerem silentio præteriisse. Cœnobium nobis hactenus ignotum, sicut & nomen fratris,cui mors non tam obuiauit, quàm obediuit.

Hoc ipso anno, quia semel de obitibus sanctis loqui cœpimus; duo alij sanctitate insignes viri, alter in Germania, in Lusitania alter, fœliciter in Domino obdormiêre. Frouvinus primus Abbas Salemmitanus vnus fuit,qui post octo, & viginti annos in præfectura fœliciter exactos, eamdem simul, vitámque deseruit,inde ad cœlestia præmia transiturus, De eo Bruschius in sua Chronologia, & Cathalogo Abbatum illius domus. *Frouvinus è Monasterio Lucelensi euocatus, primus declaratur Abbas Salemmitanus,anno Christi M.C.XXXVII. sub Vlrio secundo Episcopo Constantiensi: prafuit laudabiliter XXVIII. annis fideliter bona Cœnobij ampliando. Obiit anno Christi M. C. L X V. Fuit vir admodum religiosus,& sua gubernationis studiosissimus,* Henriquez virum Menologio suo inseruit, 7.

ad

ad XVII. diem mensis Februarij: profertque tabulas Ecclesiæ Salemmitanæ, quibus non dubito fidem habendam fore. Frouvino successit Godefridus, teste Bruschio, qui triennio non ampliùs domum rexit.

8. In Lusitania Alfonsi Regis frater Petrus Alfonsus, cum iam biennio Monachum egisset in Alcobatia, hoc tandem item anno defunctus est, vt piè creditur, in cœlis coronandus. Obiisse fertur IX. die Maij, lumine, simul fragrantiáque perfusus, quæ domum totam, ac fratres occupauit. Ita Brito,[l] & ex ipso Henriquez in Menologio,[m] citatis aliis, qui illius gesta commemorant. Corpus in claustro antiquioris Cœnobij iacuit per multos annos, quæ erat humilis, veráque religio illius æui; pòst circa Christi M. CC. XCIII. decentius collocatum in sacello recentioris templi maximo ad latus Euangelij, tali lapidi superposita inscriptione.

l lib. 5. c. 7.
m Maij 9.

HIC REQVIESCIT D. PETRVS ALPHONSVS, ALCOBATIÆ MONACHVS, FRATER D. ALPHONSI; ILLVSTRIS PRIMI REGIS PORTVGALLIÆ, CVIVS LABORE, ET INDVSTRIA LOCVS ISTE CISTERCIENSI ORDINI, VIDELICET HVIC LOCO, DE ALCOBATIA FVIT DATVS IN ÆRA M.C.LXXXV. QVO ANNO COEPIT REX ALPHONSVS PRIMVS PORTVGALLIÆ SANCTARENAM, QVEM D. PETRVM ALPHONSI DE CLAVSTRO ALCOBATIÆ, VBI PRIVS FVERAT SEPVLTVS, IN DIE S. IOANNIS BAPTISTÆ. ÆRA M.CCC.XXXI. D. DOMINICVS ABBAS TRANSTVLIT AD HVNC LOCVM.

Hæc de Illustribus præsentis anni obitibus.

9. Sub idem tempus, nam annus electionis prorsus occultus, Siluanectensem regebat Ecclesiam Amalricus, ex Abbate Caroli-loci, quem in Cathalogo Episcoporum Siluanectensium Theobaldo, (qui quadragesimus septimus, à Sancto Regulo fuit) successisse inuenio[n]: Henricum verò, huius nominis primum anteecessisse. At assumptum ex familia Cisterciensi; & Abbate Caroli-loci, author est mihi Vincentius Beluacensis in speculo Historiali, vbi, & illius mortis annum notat. Sic enim ait[o]. *Anno Domini M.C.LXVII. Amalricus Abbas prius Caroli-loci, deinde Siluanectensis Episcopus obiit.* Reliqua incerta, atque adeo prætereunda. Sed neque annus mortis omnino constat. Cum Henricus successor in Cathalogo circa Annum M. C.LXXXIV. sub Philippo Rege Franciæ connumeretur.

n Apud Demochares & Ioan. Chenu.
o lib. 29. c. 16.

10. Hoc item anno, quamuis non desint, qui ad præcedentem referant[p], carnis debitum soluit omni cum reuerentia nominandus Stephanus, S. R. E. Diaconus Cardinalis, tit. S. Mariæ in Cosmedin Episcopus Metensis, Comitum Barri filius, fratérque & quod illi antiquius, Sancto Bernardo, dum vixit in primis charus; à quo & in fraternitatem Claræuallis recipi meruit, quod ipse Sanctus ad eum scribens ait[q]. *Ex quo dudum, si recolitis, nostra vos Fraternitati dignanter associastis*, &c. Pro eo scribit epistolam 332. & memoratur in libro vitæ eius non sine laude[r]: Viri pro sua Ecclesia solicitudinem, & restaurata castra, & possessiones ex antiquis eiusdem Monumentis, Ioannes Picardus, & post eum Ferdinandus Vghellus memorant, ille in notis ad Epistolas Bernardi[s], hic in Additis ad Chaconium[t], vbi & verum professorem fraternitatis, vt animum in vita, ita & corpus in morte, quod vnum potuit curauisse, ait, munire Cistercij veste, in qua sepultus iacet in medio chori Ecclesiæ Cathedralis, immortali, & gloriosa memoria dignus. Reliqua eius si quis noscere volet, in prædictis Authoribus inueniet: vbi non solùm pro Ecclesia sua passum deprehendet, sed pro Romana.

p Ioan. Chenu.
q Epist. 29.
r lib. 4. c. 5.
s Epist. 29.
t in Calixto 2.

---

1. Variæ, & opposita opiniones de Ioachimo, 2. eiusdem patria, natales, pueritiáque: 3. & in iuuenta, transmarina peregrinatio. 4. Scientia, vt fertur infusa: 5. Deinde reditus, secessúsque in Sicilia. 6. & in Calabria. 7. Prædicatio, 8. Et Monachatus apud Curatium, 9. atque ibidem emissa solennia vota. 10. Et coniectata vtcumque ratio temporis.

CAPVT III.

1. PArabat interim Cistercio diuina manus Ioachimum Abbatem, ingentis opinionis virum magis, quàm certæ: & de quo, vt nihil medium ab Authoribus, sic omnia extrema dicta: quibusdam Sanctum, Doctorem, Prophetámque; quibusdam illusorem, & hypocritam; vtrisque magnum, orbíque insignem, vsque in hodiernam diem concertaturis, non quod diuersus vnquam à se ipso: sed cum diuersis diuersa prophetauerit; vt propitium, aut aduersum experti sunt, extollunt, aut deprimunt, quibus sui, & suorum cura maior, quàm veritatis. Certè in Ioachimo Prophetiæ donum comprobauit euentus; Sanctitatem miracula; doctrinam scripta, auctoritatem, Florensis congregatio; cui ab ipso principium; & ni Petro Lombardo succensuisset, sententiarum Magistro, in quo graui errori permissus est; haud dubiè hodie conferretur Ecclesiæ Patribus. Cæterùm, vt laudatores bonorum operum; sic perperam scriptorum delatores Cistercienses expertus, quod suo loco trademus; nobis neque amore, neque odio dicendus erit. Quippè nec nostrum seuerius condemnare, nec accusatum, à nostris tenacius defendere, quàm res ipsa patiatur, procuraturis.

Ergo Ioachimus Tabellione parente natus, cui nomen Maurus, & Gemma matre, eiusdem notæ fœmina. *Circa annum à natiuitate Domini* (ait Iacobus Græcus[a] in Chronologia) *millesimum centesimum, quadragesimum, quintum, sanctam Catholicam Ecclesiam regente Eugenio tertio, regnante Conrado, huius nominis tertio, natus in vrbe Consentia Brutiorum, & totius Calabriæ Metropolis oppido,* cui 2.

a Ante primam Sectio.

cui nomen est Cælicum. Hæc patria viri; fœlix auspicio nominis, de ortu illud solùm memoriæ proditur. *Quod non nisi magnis parentum prodigiis in lucem prodiit.* At quænam, siue qualia prodigia fuerint, obscurum habetur. Quippe (quod Gabriel Brus ait, in eius vita) prægnanti matri in somniis Angelum visum, qui iusserit infantem non baptizandum, si eum viuere vellet ante septennium: & rursus patri ostensum in templo puerum, albis indutum vestibus, alta voce clamantem, atque canentem: *Puer natus est nobis Alleluya:* & cætera, quæ idem Author congessit; fabulæque quàm historiæ proximiora, tanquam apocrypha censeo refellenda. De pueritia hæc habet Iacobus Græcus. *Quod annos vsque quatuordecim Grammaticæ incubuit, eamque maxima coæuorum eius admiratione fœliciter assequutus fuit. Erat enim & ingenij acumine conspicuus, & memoria tenacissimus; corporis verò specie satis elegans, morúmque integritate suauissimus: quæ omnia futuræ excellentiæ specimen referebant.*

3. Quartum-decimum annum supergressus, in Curia primùm pro parentum modo: sed cùm pericula curiæ conspexisset, ad altiora, tutioráque vocatus, vltramarinam peregrinationem aggressus est: Deo iam tunc segregante sic hominem ad opus, ad quod illum assumebat. Nec destitit, retardante quamuis per varias suggestiones communi hoste, quoad vsque terras, mariáque emensus, loca illa sancta deuotus visitaret. Corpus ieiuniis, verberibúsque macerans; neque in aliquo omnino sibi parcens, quo appetitum rationi subiugaret. Ferunt quandoque ab ardore nimio Solis ad sulphureas aquas appellasse, quibus sese immersit, velut calore calorem mitigaturus. Porrò ex duplici flamma ignis, & aquæ, arida cute, atque exsiccatis carnibus penè ad interitum hominem adactum; interiturúmque, nisi de cœlo miraculosè adueniens sibilus auræ tenuis deficientes iam artus recreasset. Non tamen ideo mitiorem in seipsum, nouos in dies cruciatus, & noua semper tormentorum genera, quibus carnem domaret, excogitasse. *Nam in Regione eadem* (pergunt ipsius Acta) *in copiosam tribulorum aculeatam impegit; quibus oberrantis membra cruore non modico madueruntे: & adeo perdurauit, vt in hoc quasi martyrij genere Deo animam redditurus cunctaretur.*

4. Tenuerunt virum varia aliqua pericula, sed non detinuere, quominus sanctam vrbem ingressus, sancto feruore; & totam in ea, locisque vicinis quadragesimam ageret, non minùs Deo gratam, quàm sibi vtilem. Quippe in nocte Dominicæ Resurrectionis cœlestium mysteriorum perfusus clariori numine, sacræ Scripturæ arcana velut aperta (sic Acta ferunt) rimandáque conspexit; ex illa hora doctus, doctórque, quæ accepit ad alios transmissurus. Certè, cùm antea latinè tantùm sciret, nec aliquam scripturis sanctis dedisset operam, puer adhuc quindennis, aut paulò maior, tria illa volumina, profunda æquè, ac sublimia, concordiam nimirum vtriusque testamenti, Apocalypsis elucidationem, & Psalterium decem chordarum fœliciter exorsus est, quæ postmodum faciliùs consummauit. Ergo in eisdem nocte, locoque, quo Christus Dominus à mortuis resurrexit; memoriam abundantiæ suauitatis eius eructans, illuminatus creditur: vt ipsi etiam Propheta Regius psalleret: [b] *Quia tenebræ non obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur, sicut tenebræ eius, ita & lumen eius.* Et rursus: [c] *Et nox illuminatio mea in deliciis*

b Psal. 138.

ibid.

meis. Hic Ioachimicæ peregrinationis fructus ingens, si verus; singularis, si apparens tantùm fuit.

Ad propria rediens Trinacriam Insulam primum (vbi & à fœmina lasciua solicitatus, non tam eius, quàm sui victor euasit,) mox ad radices Ethnæ antrum incoluit, ferarum habitaculum; sed quale sibi nasciturus Christus elegerat, cum quo renasci, quà posset, deliberauit. Ibi, vt Iacobus Græcus ait in eius vita [d], *Biduanis, ac triduanis orationibus, & contemplationibus intentus, nullo prorsus corporali cibo refocillatus persistebat. Nec mirum: nam sic erat, & meditationibus absorptus, & lectione occupatus; vt in eo priscorum patrum renouata vestigia præfulgerent.* Haud aliter ad præsepe Domini olim Sanctus Hieronymus inter continuas macerati corporis pressuras, cœlestis doctrinæ fluenta, quò largiùs accipiebat, eò feruentiori studio, communicabat. Nisi quod Hieronymus antrum Christi quæsiuit; Ioachimus fecit. Illum semel inuentum præsepe tenuit; hunc, si fas dicere, penè sequutum est: illi vna ciuitas Christum natum reddidit; huic vbique terrarum Bethlehem fuit. 5.

d Sectionib.

Instabat tempus, quo homo Dei Ioachimus debebatur Cistercio, cui per tot beneficia, quasi ab ortu præuentus, præparabatur. Itaque primum Calabriæ restitutus, & suis redditus; cum parentes, qui perditum defleuerant, velut in transitu consolatus esset; atque ex terrenorum bonorum, ad cœlestia erexisset cadentes animos: Sambucinam Monasterium Cisterciense, cuius supra meminimus, se contulit; at non ibidem Monachus futurus, sed vt ad sanctioris vitæ normam, & cælestium culmina gaudiorum adspirans; proficeret, ex consortio Monachorum: neque vlla perfectionis arcta semita illibata maneret, animo perfectionem sitienti; & qua, inuenisset, eandem amplexuro. 6.

Verùm cum inquies adhuc, vacillánsque, fraterna charitate vrgente, in aliorum salutem procurandam, à vita solitaria retrahеretur; dum Sambucinam, atque eius Monachos deserit, Monachus ipse in Curatio factus est, tractus magis, quàm veniens ad Monachismum. De his Iacobi Græci [e], quamuis recentis, quia antiquiorem authorem non habuimus, verba ipsa lectori meo proponam. *Ioachin, Dei famulus, æstuans, spiritus feruore concepto, à memorato Cœnobio Cisterciensium Sambucinæ secedens, contra elatam Vallis Chratis terram, vbi Bucchita est nomen, iuxta Rhendarum oppidum transuolauit; ibidémque salutis opera non deseruit. Verùm [f] lucerna super candelabrum posita cunctis, quæ in domo sunt splendens occultari nequiuerat. Eapropter qua fuerat vnctione præuentus, Rhendensi populo, deuotione plurima Dei verbum audienti, disseminauit; & pullulantes in eo simultates feruente concione sedauit.* 7.

e Section. 8.

f Matth. 5.

Ast in agro dominico vberiores fructus in dies se producere comperiens, scrupulositate quadam turbatus fuit. Metuit siquidem absque præuia Episcopi Ordinatione prædicationis munus exercere: expauescens, ne in illum Apostolica comminatio caderet, cùm ait [g], Quomodo prædicabunt, nisi mittantur? *Propterea Cathozorij ciuitatem proceram ad Adriaticum mare ob tale munus habendum deuotione maxima non imparatus adire constituit. Accidit autem ad flumen Crothalum in Monasterium de Curatio Cisterciensis Ordinis diuertere, vbi charitatiuè hospitatus, religiosorum humanitatem inspexit. Verùm, quia ciuitas* [h] *in monte posita occultari nequit; de ore* 8.

g Rom. 10.

h Matth. 5.

ore suo ab erudito religioso agnitus, ad certam religionis aciem amplexandam rationibus validis compulsus, remansit. In Curatio ergo, vt fieri mandat Cisterciensis Ordo, secundum regulam Sanctissimi Patris nostri Benedicti stabilitatem, ac morum conuersionem statuit, sub Columbano Abbate, qui illum ad Columbina habitum religionis admisit: atque iuxta propositum ordinari curauit. Hactenus ibi.

9. Sic Ioachimus dum prædicandi munus, vrgente charitate, solicitius iniungi sibi procurat, dum fugit Monachos, Monachus efficitur: & quod diuturnior conuersatio Sambucinensium, longiori mora, efficere, non potuit, breui Caratij hospitio concessum est, atque Monachi vnius suggestioni. Verùm quod ait, eundem hominem Dei in Curatio mansurum, iuxta Regulam Sanctissimi Patris Benedicti, stabilitatem, ac morum conuersionem sub Columbano Abbate promisisse, non sic intelligendum est, quasi ea vota statim ab ingressu, & ante probationis annum emiserit, quod in Cistercio nulli vnquam permissum. Sed quia admissus in cella Nouitiorum, probandus pariter, & ipse probaturus: anno peracto probans, & probatus, à fratribus admissus, eisdem se per votorum solennium emissionem incorporauerit. Pergit author scribere in hunc modum. *Qualiter autem per primordia suscepti habitus Christi Athletà cucurrerit, ex effectu præcipuo euidentissimè comprobatur; nam post pauca, Monasterij Prior, ex debita omnium electione, ordinatus fuit. Mortuo denique memorabili, memoratóque Abbate Columbano, cuncti pariter, nemine penitus discrepante, in eorum Priorem Ioachimum conuenerunt.* Sed de his in sequentibus dicendum.

Ex dictis ratio temporis colligitur, quod non inuenio adnotatum ab Authoribus: Verùm non longè distans ab hoc anno, duplex mihi discursus manifestat. 10. Primus, quòd homo natus anno Christi millesimo, quadragesimo quinto, quod produnt memoriæ; quique ante Monachatum Christianis populis Euangelium in Calabria prædicauisset; non potuit non in matura iam ætate, & tanto muneri apta venire ad Ordinem; adeoque vt minimum viginti annos ingressus; id est, hoc ipso, aut circa, quem nunc transcurrimus. Subest prætereà, & alia coniectura desumpta ex priuilegio Michaelis Marturanensis Episcopi, Ioachimo concesso, anno millesimo, centesimo, septuagesimo, cum iam diu Curatio præsedisset, post Columbanum. Quandoquidem, qui Nouitius antè, & Monachus, mox Prior extitisset eiusdem domus; vt nimium properè hæc omnia illi contigerint, quadriennium saltem requirere videntur, intra quod singula exactè adeo expleuerit, vt prudenter, & Prioris officio, Monachus; & Prior Abbatiâ; & Abbas priuilegio dignus iudicaretur.

---

1. Chronologia nascentium Monasteriorum, 2. & dictum de Dorbelio. 3. Clarus-campus, & primus eius Abbas Eiso. 4. Cara Insula, Daniæ Monasterium, Caranifusta, & Paris ignotiora. 5. Barbellum additum, 6. Ludouici, Regis Francorum opus, & sepultura: 7. & Turris Aquilaris Regum Legionis fundatio non contemnenda. 8. Situs loci, & Monachi vnde venerint. 9. Demùm de Imagine Virginis Sanctissima.

CAPVT IV.

1. QVINQVE hoc anno Cœnobia recensentur in Chronologia, quæ accreuêre Cistercio, sequenti ordine.

Anno M.C.LXV. Kalendas Maij fundata est Abbatia de Dorbelio.

Eodem anno mense Septembri Abbatia de Claro-Campo.

Eodem anno XIV. Kalendas Martij, Abbatia de Cara Insula.

Eodem anno XIII. Kalendas Martij Abbatia de Caranifusta, aliàs de Carentiste.

Eodem anno Abbatia Parisiensis. Hæc tantùm ibi. Et quidem, Claro-Campo excepto, notiori domo, de reliquis pauca nobis dicenda subsunt.

2. Dorbelium primam de linea Morimundi, Vvalkenrode in Misnensi Diœcesi genuit, vt habet Genesis Ecclesiarum Morimundensium. Extat inter Decretales Gregorij IX. epistola honorifica ad Abbates de Buch, & de Bordalio, Cisterciensis Ordinis, Misnensis Diœcesis, vt litem quandam, dudum agitatam inter plures Episcopos, super quibusdam Castris, Villisque, cum pertinentiis suis, *quæ sunt inter flumen, quod dicitur Leba, Orientem versùs; & flumen, quod dicitur Rechazan, Occidentem versus; & quasdam alias possessiones Caminensis Ecclesiæ, à claræ memoriæ Duce Pomeraniæ, eiusdem Ecclesiæ fundatore, pia liberalitate donatas*, plenariè componerent, ac terminarent: *Et personaliter adeuntes ad loca, vocatis, qui ad prædicta fuerint euocandi, sic prædictas Diœceses, æquitate præuia, prouidè limitare curarent; quibuslibet Episcoporum ipsorum suo iure seruato, vt quemlibet facerent manere contentum: quod de vtriusque solicitudine, & industria, quin & authoritate, qua apud ipsos Episcopos pollebant, non dubitaret. Datis Laterani IV Idus Maij Pontificatus ipsius anno I V.* Ita Gregorius. An autem Dorbelium, & Bordalium eadem domus sit, aliorum linquo iudicio discernendum. Sicut & an sit ipsa, vel diuersa, ad cuius Abbatem scribit Innocentius Papa 3. in cap. *Insinuante* 25. de officio, & potest. iudic. deleg. quamuis, quod ibi Vvigorniensis Episcopi in Anglia mentio fit, diuersam magis faciat coniectari.

Clarum-Campum, notiorem adhuc domum, 3. Claraualllis produxit, transmissa in Frisiam colonia Monachorum, à Godefrido, in quem ea domus venit referenda. Primus Abbas Eiso, religione conspicuus, doctrinaque; & qui primus Cistercium in patriam intulit, per totam prouinciam breui diffundendum. De eo, & fundatione Clari-Campi hæc ab Andræa Cornelio scripta lego. [a] *Anno M. C. L X V. Rismagestum insigne Monasterium campense Bernardini instituti, primùm in Frisia ædificatum est. Eiso, natione Friso, primus loci Abbas fuit, vixitque piam, ac sanctam cum fratribus vitam; sic, vt ea de causa postmodum plura apud Frisios eius Ordinis Monasteria sint instituta.* Ita Andræas Cornelius. In Genesi Ecclesiarum Claræuallensium Clarus-Campus Traiectensem Diœcesim occupat; in qua etiam notatur in libris Cameræ,

[a] In Annal. Fris. ad hunc ann.

meræ, quinquaginta Taxa florenorum præfixa. Porrò quæ protulit in eadem prouincia Frisiæ Clarus-Campus, Cœnobia quatuor video: Floridum Campum intra propriam Traiecti Diœcesim: Hierusalem, & S.Bernardum Frisiæ, vtrumque situm in Monasteriensi: atque Gerken, territorio nullo præfixo. Subest item Abbati Clari-Campi Virginum Abbatia de Sion dicta, cuius Cæsarius meminit [b] latè à nobis inferiùs referenda. Longo tempore protraxisse vitam cum præfectura Eisonem Abbatem, argumento est, quod anno M. C. XC I. quo Floridus è Claro-Campo prodiit, præesse adhuc dicitur, & Monachos, atque Abbatem dedisse tenellæ domui. An autem immediatè illi successerit S.Gerbrandus, eiusdem loci Abbas, de quo multa in tempore, nequaquam hactenus potui inuenire.

b Dialog. lib. 11. c. 30.

4. Caram Insulam in Arosiensi Diœcesi Daciæ, Vitæ Schola produxit, adaugens lineam Ecclesiæ Claræuallis, quod produnt Tabulæ. Chrysostomus [c] Henriquez in Menologio, sequutus Seguinum [d], hoc illud putat esse Monasterium in confinio Saxoniæ, de quo Author Exordij cap. 34. lib. 4. occasione cuiusdam Sancti Monachi, quem à carne migrantem, Ioannes primùm, mox Sacra Virgo, ad vltimum Iesus Christus ipse excepit; de quo nos supra. Sed dum eundem obiisse tradit anno M. C. LVII. quo Cara Insula nondum fundata erat, facile potest ex tempore conuinci, ostendique pertinuisse ad aliam domum, quæ ante illum annum sit exorta. Caranifusta ignotior nobis domus; nisi quod in quibusdam exemplaribus de Carentiste; in aliis de Caranifasta etiam cognominatur: & inuenitur inter Ecclesias de linea Claræuallis incerta matre; sed neque Parisiorum Abbatiam præter vnam innemo, Diœcesis Basiliensis in Theutonia, filiam Bellæuallis, de qua superius.

c Septemb. 1.
d lib. 3. c. 17.

5. Præcedentibus duas alias addendas insignes Abbatias, vtramque Regiam, alteram in Hispania, in Gallia alteram; hanc Ludouici, Francorum Regis, opus; Ferdinandi illam, quem ab Imperatoris Parentis morte Legionis regnum; post Sanctium fratrem, Castellæ etiam ambitio (puero adhuc impote, nec sceptris pari) ad titulos Hispanię sublimabant. Et quidem eam, quam Ludouicus struxit concernere hoc tempus, plus, minúsve, ipsa struēdi occasio manifestat, si quæ est coniectura Roberti Claudij [e]; nempe constructam *ob impetratum à Deo filium Philippum Augustum, alias Adeodatum, precibus Cleri, sed præcipuè Cisterciensium.* Quippè Philippus, quem XIV. ætatis suæ anno regni consors à patre assumptus est, ab ortu Christi M. C. LXXIX. vt Galli omnes authores asseuerant, hoc anno natus facilè conuincitur, vt neque multum potuerit retardari, neque anteponi. Ergo cùm Rex post longam orbitatem suscepisset Philippum, quem precibus obtentum, & orationibus, meritò Adeodatum cognominauit; quo se gratum tam numini exhiberet, quàm his, qui impetrauissent, Sanctis hominibus; Monasterium illustre condere statuit, in quo & hi segregati Deo viuerent; & illud religiosiori cultu, eóque sibi gratiori veneratum conspiceretur. Electus locus nouæ fundationi in Senonensi Diœcesi, *ad Sequanam fluuium, tribus passuum millibus supra Melodunum*, vt habet Robertus: & loco lego duplex nomen impositum, Barbellum, & Sacer-portus, Monachi Cisterciensis instituti; neque hi longè quæsiti, sed in eadem Senonensi Diœcesi, ex Pruliacensi Ecclesia vocati sunt, Cistercij lineam aucturi Regia nepte. Primus loci Abbas Tescelinus, vel Tercelinus, quem memoratum ex charta quadam Henrici, Franciæ Comitis, ab anno antecedenti, idem, qui supra, Robertus testificatur. Hoc initium illustris Monasterij, quod Ludouicus pingui dotatione, & priuilegiis multis, quandiu vixit, post mortem suo sepulchro nobilitauit.

e In sua Gall. Christiana.

Papyrius Massonius leuiorem multò causam fundationis, & ab ea sumptum nomen scriptum habet: quippe in suo illo de fluminibus Galliæ opere, de Meloduno loquens, ita scribit. *Id quoque Monasterium* (scilicet Barbatulus, nam sic ipse Barbellum interpretatur) *opus Ludouici septimi fuisse narratur ab historicis propter captum in fluuio Barbatulum piscem, quo exenterato, ac reperta intus pretiosa gemma, templum, & Monasterij septa, cellásque Monachorum construxit: cuius mausoleum, siue tumulus, in eo magnificentissimè positus est.* Ita Papyrius. Memoratur Barbellum, siue sacer portus (vtroque enim ibidem notatur nomine) Diœcesis Senonensis, in libris Cameræ octingentorum florenorum præfixa taxa. Quin apud Gallicarum rerum scriptores frequens eius mentio, præcipuè ex sepultura Ludouici, & coniugis Adelæ in eadem exornanda magnificentia, de qua nos etiam in tempore dicemus. 6.

Hispanam domum Sanctam Mariam de Aquilis, seu Turrim Aquilarem, vt alij vocant, in Lusitania sitam; etsi non constet de occasione fundationis, fundatam tamen à Ferdinando Legionensi, cùm se Regem Hispaniæ nominaret, compertum est ex ipso instrumento donationis, hoc anno factæ Abbati Hugoni, & Monachis, accitis ex Morerola, quæ hodieque in Archiuiis ipsius legitur sub hoc initio. *Ego Ferdinandus, Hispaniæ Rex vnà cum vxore mea Doña Vrraca, & filio meo Domino Alphonso, dono Deo, & Sanctæ Mariæ Aquilaris, & vobis Abbati Hugoni, & fratribus vestris locum, qui dicitur Turris Aquilaris, & Grangiam de Riochico, &c. Datum Legionis Vigesima secunda die mensis Augusti. Æra M. CC. III.* Nec multò post, Æra scilicet M. CC. XIV. *Idem Rex dat Monasterio Sanctæ Mariæ de Aquilis decem iugarias boum, in circuitu Fontis de Berbenosa, &c.* Itaque ex prima illa donatione liquidò constat initia Monasterij nequaquam vltra hunc annum differenda: indéque corrigendam Chronologiam, quæ tribuit anno M. C. LXXIV. vt suo loco videbimus. Extat in eadem domo publicum instrumentum, proximo sæculo authenticè exaratum; in quo coram Emanuele, Lusitaniæ Rege, Authores Cœnobij declarantur prædicti Ferdinandus, Alphonsúsque Reges Legionis, quo tempore ea Lusitaniæ pars, intra ipsorum ditionem continebatur. 7.

Iacet Cœnobium in terra opima, & fertili, contermina Castellæ, in Diœcesi Lamecensi, non longè ab oppido Comitatus titulo illustri, Vulgo Castell Rodrigo; nec pauciora, aut minora bona possidet intra fines Castellæ, quàm Lusitaniæ. Adductos illuc ex Morerola Monachos concordant Tabulæ Ecclesiarum Claræuallensium: Non desunt tamen, qui ex Valle Paradisi, velut à patribus ad filios acceptum tradant; indéque ad Sanctum Ioannem de Tarouca traductum ius, conniuentibus Prælatis in gratiam Regum cum locus ille Lusitanis adscriberetur. Profertur & antiquum M. S. Sancti Ioannis Taraucæ recensens filias, in quo Sancta Maria de Aquilis, velut à Valle Paradisi accepta commemoratur. *Abbatiæ*, inquit, *de Fianz, &* 8.

& Sancti Petri de Aquilis filia sunt Sancti Ioannis: ad quod item Cœnobium dicitur pertinere Sancta Maria de Aquilis transactione Regum Castellæ & Lusitaniæ, cùm antea Abbatiæ Vallis Paradisi in Castella subiiceretur.

9. Cæterùm quamuis prima donatio domus, & vt fertur constructio, Legionis Regibus Ferdinando, & Alphonso eius filio, tribuendæ sint: nihil tamen minus priuatorum religio præbuit; imo & circumiacentium oppidorum: Nam Æra M.CC.LII. regnante Rege Alphonso in Portugallia *Concilium de Garda fecit donationem de vna hereditate Deo, & Beata Maria, Conuentui Turris Aquilaris, & Mendo eius Abbati.* & Æra M.CC.LX. *Concilium de Castell Rodrigo dat Abbati Raimundo, & Priori Hilario, & Conuentui de Aquilis locum, qui dicitur Foz de Aguilar.* Atque huius generis aliæ extant donationes, quæ hodiéque manentes temporalem Monasterij substantiam non parum augent. Delata omnia sanctitati Monachorum: sed præcipuè deuotioni in sacram Virginẽ, & venerandam imaginẽ ipsius, quæ ab olim cœptas sanitates & miracula, hodie etiam continuat, non sine ingenti frequentia populorũ, qui vndique concurrunt; Diuinum, per ipsius opem, fauorem, & suis necessitatibus efficacia remedia impetraturi.

IESV CHRISTI ANN. 1156. CISTERCII ANN. 69.

1. Henricus defectionem intentat ab Alexandro. 2. Reginaldo Coloniensi scribit. 3. Guidonem Cremensem Papam per Nuncios iurat. 4. Henrici Cardinalis pro eo Zelus, atque Rotomagensis excusatio. 5. Gileberti Abbatis constantia aduersùs Regem. 6. Episcoporum Angliæ defectio ab Archiepiscopo. 7. Et legatia, vel exuli asserta. 8. Emendatus in tempore Baronius. 9. Acta Conciliabuli Herbipolensis. 10. Et Cisterciensium zelus, atque authoritas.

CAPVT I.

1. CENTESIMO, sexagesimo, supra millesimum reparatæ salutis per Christum anno, qui fuit Cistercio nonus, & sexagesimus, Henricus Rex Alexandrum auersatus, quod nimium Diuo Thomæ propitium, quem sibi hostem putabat, in cunctis cerneret; conceptum in vtrumque virus penè euomuit: missis ad eundem Pontificem legatis, per quos, aut Thomas statim ab Alexandro, aut Alexander ab ipso deserendus, Paschalem admissuro, denuntiaretur. Extat epistola eiusdem Regis Angliæ ad Coloniensem Præsulem (Schismaticorum caput, post Fridericum) qua & legatiæ finem patenter aperit, & legatis ad vrbem transituris, saluum conductum poscit, ita scribens [a]. a apud Bar. hoc anno.

2. *Diu desideraui iustam habere occasionem recedendi à Papa Alexandro, & à perfidis Cardinalibus eius, qui proditorem meum Thomam, quondam Cantuariensem Episcopum, contra me manutenere præsumunt. Vnde cum consilio omnium Baronum meorum, & cum consensu Cleri, magnos viros de Regno meo, scilicet Eboracensem Archiepiscopum, Londoniensem Episcopum, Archidiaconum Pictauiensem, Ioannem de Oxonoford, Richardum de Luci missurus sum Romam, qui publicè, & manifestè, ex parte mea, & totius Regni mei, & omnium alienarum terrarum, quas habeo, proponent, & denunciabunt Papæ Alexandro, & Cardinalibus suis, ne vlteriùs proditorem meum manutenoant; sed ita liberent me ab eo, vt alium cum consilio Cleri in Ecclesia Cantuariensi possint instituere. Denuntiabunt etiam, quod quidquid Thomas fecit, in irritum reuocent. Hoc etiam postulabunt, quod coram eis Papa iurare faciat publicè, quod ipse, & successores sui, & mihi, & omnibus successoribus meis Regias consuetudines Henrici, aui mei, inconcussas, & inuiolatas, quantùm ad se, conseruabunt in perpetuum. Quod si fortè aliquid petitionum mearum contradicere voluerint: neque ego, neque Barones mei, neque clerus meus aliquam ei vlterius seruabimus obedientiam; imò manifestè eum, & omnes suos impugnabimus. Et quicumque in terra mea inuentus fuerit, qui ei post hæc adhærere voluerit, expelletur. Ea propter rogamus vos, sicut charissimum amicum, quatenus Fratrem Ernoldum, vel Fratrem Rodulphum Hospitalarium, omni occasione remota, citatò ad me mittatis, qui ex parte Imperatoris, & vestra prædictis Nuntiis meis ducatum præbeat eundo, & redeundo per terram Imperatoris.* Hactenus epistola Regis ad Coloniensem, de qua hæc Ioannes Sarisberiensis in quadam alia [b]. *Quàm gloriosam, quam Catholicam, quàm piam epistolam Coloniensi Schismatico nuper miseris, ex scripto eius, quod vobis mittitur, potestis coniicere; vt pateat omnibus, quàm verum sit, quod de pietate, & iustitia Regis vestri, tanta confidentia prædicatur.* b Epist. 177.

Peruenerúntne ad Pontificem legati, non satis constat: certum ipsum immotum aduersùs minas, nam minas magis, quàm preces præseferebant; nihilominus in Thomam inclinasse; & libertatem commissæ sibi Ecclesiæ, quà pro tempore licuit, defendisse. Porrò legatos, cum per idem tempus Fridericus conciliabulum indixisset, apud Herbipolim celebrandum in Pentecoste, in eadem Pseudo-Synodo comparenter (iuxta, an citra mandata, non audeam dicere) suscepisse Paschalem, atque Alexandrum publicè abiurasse, nomine Regis: testatur id idem ipse Fridericus in epistola ad omnes Imperiales, in qua gestorum à patribus in Synodo rationem reddit, inter alia ita scribens [c]. *Ad hæc honorabiles legati illustres amici nostri, gloriosi Anglorum Regis, ad nos ab ipso transmissi, in totius Curiæ nostræ præsentia, super Sanctorum reliquias, ex parte Regis Angliæ publicè iurauerunt nobis, quod Rex ipse cum toto regno suo, in parte nostra fideliter stabit, dominum Paschalem, quem nos tenemus, nobiscum semper tenebit. De Rolando autem Schismatico manutenendo, nullatenus se de cætero intromittet.* Sic Fridericus. 3.

c Baron. ibid.

Tum verò Henricus tituli SS. Nerei, & Achillei Presbyter Cardinalis Cisterciensis, siue ex peracta 4.

in

in Anglia legatia Henrico familiaris, atque eius tum conscientiæ, tum famæ prouidens; siue ex iustitia pro Ecclesia zelans, resecaturus vires, quas ex Angliæ accessione schisma resumeret; graues, tum ad Mathildem Imperatricem, seueräsque; tum ad Episcopos regni litteras dedit, incusans apostasiam, atque detestans: quibus vtrique, dum factum, aut ignorant, aut erubescunt, negare compulsi, pro se, & pro Rege cautionem præstitere. Extat epistola Rothomagensis Archiepiscopi ad eundem Henricum, in qua hæc inter alia relatu digna [d]. *Pro Domino Rege Anglorum omnem exhibemus securitatem, quod Imperatori nec per se, nec per nuncios iuramentum præstitit, aut promissionem, quod Schismatico adhærere velit, Ecclesiam relicturus. Imò certi sumus, quod illis qualibuscumque de matrimonio pactionibus, licet Teutonici super hoc laborent per triduum, nihil vnquam concedere voluit, nisi præeunte in omnibus fidelitate Domini Papæ, & Ecclesiæ, & Regis Franciæ. Ipsi vero litteris nostris mandauimus domina Imperatrix, & nos, vt ab hac nota, se quam citius excuset.* Ita ad Henricum Rothomagensis Præsul. Sed & Henricus ad Collegium Cardinalium litteras dedit, in hunc eundem tenorem, quas lector meus inueniet apud Baronium. Extant, & apud eundem authorem plures epistolæ vltrò citróque missæ in hac eadem, & Sancti Thomæ causa, lectu dignissimæ: sed quas ab ipso dudum in lucem datas superuacaneum duxi huc transcribere.

d apud Bar. hoc anno.

5 Sic Rex Henricus, quam factis contrahebat, excusationibus infamiam dissimulabat, & profusior salutis, quàm opinionis, subscribebat Victori, Paschalique; sed velut in occulto: in publico Alexandrum profitebatur. In solum Thomam pudorem omnem effudit, quod salua Maiestate dictum sit; & parum ei erat, quod exularet; quod bonis defraudatus omnibus esset; quod viueret præcario, à quo modò tot populi penderent, cui tot Ecclesiæ, tot præsides subfuissent: quod suos omnes, pauperes, & exules in odium sui conspiceret, & multos prosperæ fortunæ eius exortes, aduersæ participes, tum primum patuit sanguine coniunctos, cum casu obrutos: leuia, inquam, hæc omnia videbantur, quandiu aliquid restabat, quod pati posset. Exagitandum vndecumque adortus, etiam à Pontigniaco exturbare conatus est, Abbati Cistercienti dans in litteris, vt Thomam inde faceret expelli; & suis, quas in Anglia habebat, Ecclesiis consultum iret. Sensit id idem Sanctus Archiepiscopus, atque Alexandro Papæ, velut vnico Patri, & suo, & totius Ecclesiæ notificauit [e]. *Personam* (inquit) *meam, & eorum, qui mecum exulant, adeò persequens, vt etiam beneficia Seruorum Dei, qui nobis Dei & vestri causa, victualia promidens, minis, & terroribus suis, auferre conetur. Scripsit etiam Abbati Cisterciensi, quod sicut Abbatias Ordinis, quæ in ipsius potestate sunt, diligit: ita nos a beneficio, & familiaritate Ordinis faciat alienos.* Et erat Gilbertus natione Anglus, vnde Regi obstrictior; & Anglicanis Monachis propensior; ac qui vix credi posset, tot illustrium suorum Monasteriorum in propria patria ruinas toleraturus: sed vicit hominem maior iustitiæ zelus, neque vllis precibus Regis, minisve, dum vixit, adduci potuit, vt permitteret Thomam semel admissum, à Pontigniaco egredi, nisi Cantuariensi Ecclesiæ, restituendum. Certè Gilbertum hoc anno decessisse, infra ostendam. Et tamen constat Sanctissimum Pontificem nequaquam loco cessisse ante

e apud Bar. ann. sequent.

sequentem, quod & probat Baronius, & nos ex ipso in tempore adnotabimus.

Non sic constantes Episcopi Anglicani, qui dum Regi furenti morem gerunt omnes relicto Thoma, velut fugisse, atque ab eo declinasse comperti sunt; vix aliquo inuento, qui adiuuaret. Plorat, & exprobat Ioannes Sarisberiensis, multis ad multos epistolis conscriptis; in quibus hæc illius summa querela, [f] *Horum meminisse iuuabit, cùm ille, authore Deo, euicerit Ecclesiæ libertatem; qui nunc (quod nostra tum perpetua ignominia est) torcular solus calcat, & de gente sua, Ecclesia scilicet Anglicana, comitem vix inuenit.* Et rursus ad Vvillelmum de Nordhalla. [g] *Dominus Cantuariensis, non sibi laborat, sed aliis: quia profectus eius gloria Dei erit, triumphus Ecclesiæ, Cleri totius liberatio. Militat quidem publicæ vtilitati, sed adhuc stipendiis suis: imò, quod nostra tum ignominia est, gentis alienæ.* Et item ad Robertum Archidiaconum. [h] *Pro libertate Ecclesiæ militat exul, & proscriptus, & in tota Anglicana Ecclesia paucissimos reperit adiutores.* Quod ipsum item in multis aliis repetit; mitigando dolori, qui mos afflictis: seu verius subleuandis depressis animis, vel ipsa admissæ impietatis exprobatione. 6

f Epist. 239.

g Epist. 245

h Epist. 249.

Verùm Episcopi, pro aulicorum more, cedentes tempori; ne se ruina Thomæ oppressos persentirent, si sustentarent; cadentem potius impellere elegerunt; & vsque ad probra, & conuitia, exagitate. Extant plures ad eum scriptæ epistolæ insultantium parenti, atque omnia scandala, quæ in Anglia contigissent, velut ab ipso emanassent, exprobrantium. Extat & Ioannis Sarisberiensis alia ad eumdem, in qua hæc inter alia. [i] *Sed interim H. Herfordensis Episcopus, qui à plerisque videbatur liberaturus Israel, & contemptu mundi, & peritia litterarum, quarum ab ignaris, vel cum ignorantibus credunt habere copiam, vos conturbatores Ecclesiæ nuncupat.* Hæc in Sanctissimum Patrem audebant filij. *Quod cùm innotuisset Alexandro, vt eum super persequutores suos erigeret* (ait Baronius [k]) *illos autem humiliaret; illud statuit; laude dignissimum; vt Sancto Archiepiscopo munus Apostolicæ Legationis iniungeret, plenissima potestate. Extant de his eiusdem Pontificis litteræ datæ, verbis istis.* 7

i apud Bar.

k hoc ann. & sequent.

Alexander seruus seruorum Dei, dilecto Fratri Thomæ Archiepiscopo Cantuariensi, salutem, & Apostolicam benedictionem.

Sacro Sancta Romana Ecclesia digniores personas, & eas maximè, quas honestate, prudentia, & litteratura, & eminentia virtutum præfulgere cognoscit; ampliori consueuit charitate amplecti, gloria, & honore præuenire. Attendentes itaque deuotionis, & fidei constantiam, qua pro Ecclesia Dei, sicut columna immobilis perstitisti: honestatis, & litteraturæ, ac discretionis prudentiam, qua præeminere dignosceris, nihilominus considerantes; dignum duximus, personam tuam tantarum virtutum insignibus decoratam, quodam speciali priuilegio, & singulari prærogatiua deligere, & honorare; tuæque vtilitati solita benignitate prospicere, & attentiori solicitudine prouidere. Indéque est, quod nos tibi legationem totius Angliæ, excepto Episcopatu Eboracensi, benigno fauore concedimus, vt ibi vice nostra corrigas, quæ inueneris corrigenda; & ad honorem Dei, & Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, & salutem animarum statuas, ædifices, & plantes, quæ statuenda fuerint, & plantanda. Quapropter monemus fraternitatem tuam, atque mandamus, quatenus cuncta cum prouidentia, & discretione, secundùm quod Deus tibi administrauerit,

uerit, agas; vitia extirpes, & virtutes in vinea Domini studeas complantare. Datum Anagnia VII. Idus Octobris. Hactenus Pontifex.

8. Porrò ex Data diplomati affixa, nempe mense Octobris, palam fit, expeditum hoc anno, non sequenti, in quo lapsus Baronius. Quippe sequenti appellatum à sententia, in vi commissæ sibi legatiæ, per Thomam lata; vt saltem vsque ad Octauam Paschæ suspenderetur. Sed & Archiepiscopus eodem ipso anno dicitur Viciliacum perrexisse, vt ibi in die Pentecostes, in Regem ipsum anathema proferret; quæ idemmet Baronius latè confirmat. Non potuit autem quicquam horum contingere, ni legatia iam antea decreta esset. Quare iniunctam Sancto viro mense Octobri, non subsequenti festa supradicta, sed præcedenti, adeóque huius anni, expeditam fateri necesse est, vt totius narrationis series constare possit. Sed neque possunt sententia, & appellatio in annum subsequentem Christi, nimirum M. C. LXVIII. aptè differri; cum Pontigniacum appellaturi aduenerint, vt Archiepiscopum ibi conuenirent; quem tamen constat duobus tantùm annis, certè infra tres completos, in eodem Cœnobio demoratum; tandem sponte ab eo discessisse, auertendis iniuriis, quibus in omnes Angliæ Cistercienses, Henricus, ob detentum Thomam, debaccharetur. Hoc ergo anno decreta Legatia Thomæ fuit, sed diu dissimulata, occultáque, nempe vsque in diem Conuersionis Sancti Pauli anni sequentis, quo, & rebellibus pœnitendi tempus daretur, & quæ agenda, maturiori consilio, eoque melius, ac fœlicius prouenirent.

9. Hactenus gesta in causa B. Thomæ. In Conciliabulo Herbipolensi multa contra Catholicos, eáque maximè contra Cistercienses, tanquam in primos Alexandri sectatores. *Edictum quoque, & statutum est,* (ait Imperator in litteris per vniuersum imperium missis, sed præcipuè ad Abbatem Stabulensem) *vt hac omnia iuramenta infrà sex hebdomadas ab omnibus compleantur. Quod si aliquis Monachorum, Clericorum, Laicorum, in Imperio nostro huic confirmationi, & edicto nostro aliquo modo se opponendo, contradixerint; certum sit apud te, quod sicut publicus hostis Imperij, absque omni spe recuperationis iudicatus est, & damnatus, & ab omni officio, & honore, & beneficio destitutus,* &c. Hæc Fridericus. Verùm diuina prouidentia effectum est, vt Cistercienses toties agitati, nunquam deficerent: sed nouis edictis, nouos semper exules darent; Monasteriis quantumlibet exhaustis, nunquam tamen ad fundum exhauriendis.

Porrò quanta constantia, zelóque pro veritate steterint; paucis illis exceptis, de quibus supra, inde vel maximè deprehendi potest, quod Reginaldo Coloniensi Præsule, schismatico notorio, & schismaticorum post Imperatorem antesignano, laborante hoc anno, duplici eáque graui tertiana febri; cum corporali ægritudine premente, spiritus ad cœlestia conuerteretur; non alios prius rectores, ductorésque in omnibus sequendos sibi proposuit, quàm Cistercienses; quorum se consilio stare, Ioanni Sarisberiensi promisisset. Narrat id idem Ioannes Sarisberiensis [l], ad B. Thomam scribens, in hæc verba. *Sed & Coloniensis, cum conuocatis militibus accinctus esset ad eundum in Italiam: arreptus est duplici tertiana, & ea adeò laborat, vt quasi certum sit, eum ante hyemem ire non posse. Promisit autem mihi in hac ægritudine sua, quòd si ipse in Italiam non iuerit, siue Imperator ierit, siue non, consilio Cisterciensium, & Regis Francorum, & vestro se committet, de facienda pace cum Papa Alexandro. Et ita proponit ordinare, vt quodammodo cogatur à Clero suo id facere. Istud in confessione vobis, sicut patri, & domino, scribo; vt sit absconditum penes vos, donec videamus, si res aliquem habitura sic effectum.* Hæc ille, vt planè videas opinionem gentis; qui soli Regibus collati: prælatique ex vniuersa Ecclesia, vnitatis, & pacis assertores, vel à Schimaticis ipsis designarentur. 10

[l] *Apud Baron.*

---

1. Ailredi Rieuallensis pretiosa mors. 2. Cum Bernardo Parente similitudo. 3. Theologia illi diuinitus infusa, 4. cum antea penè illitteratus esset. 5. Sed iussus scribere, 6. Bernardum stylo reddit. 7. Et cælestibus, inter scribendum, claret consolationibus. 8. Filios Sanctissimos in religione generat. 9. Et sibi dilectissimos: 10. Nec minus è contra diligentes parentem sanctum.

CAPVT II.

1. AILREDVM Abbatem Rieuallis hoc ipso anno deposuisse sarcinam corporis, & trabea carnis exutum euolasse ad cœlos, Angli omnes authores adseuerant. Quin apud Ioannem Pitsæum notatum video, [a] nascentis anni initia consecrasse, quippe qui obiit *pridie Idus Ianuary, anno ætatis suæ quinquagesimo septimo, incarnationis Domini M. C. LXVI. Regnante apud Anglos Henrico secundo.* Hæc ille, ex Cathalogo Balei sumens, vt alia pleraque; vt quæ in authore damnato non sine scrupulo, quippe erroribus mixta, legi poterant; à Catholico, & pio probata, scelectáque, piis item, & Catholicis lectoribus, absque periculo haurienda propinaret. Quod idem, & Richardus Gilbonus præstitit Societatis Iesu, vir de omni antiquitate optimè meritus, qui plura Ailredi opera vulgauit, de quibus statim. Itaque Sancti Ailredi pretiosa mors intrantis anni initia consecrauit.

Ailredi vitam, Actaque haberi, Miræus tradit. [b] Sed quæ à Richardo Gilbono conquisita, neque inuenta; nihil mirum si nos etiam subterfugerint, distantiores loco, & Bibliothecis antiquis, atque exemplaribus M. S. destitutiores. Vnum superfuit, quod potuimus præstare, si ex eius operibus, quæ extant, atque authoribus, à quibus memoratur, aliqua historia digna depromeremus. Bernardo Patri similem fecerunt, spretæ Infulæ, contempta gloria mundi, & contemptorem sequens; quæsita quies, sed sæpius interrupta, charitate vrgente; & pertractata negotia totius Regni. Tum zelus, mores, & demum scientia infusa; quæ solum Deum agnouerit Magistrum; eoque abundantius, ac longius diffunderetur. De primo Capgrauius, & ex ipso Baleus, author damnatus, & detrahere Monachis suetior, quàm commendare. *Episcopatus,* &

[a] *In Cath. script. Brit. sæculo 12.*

[b] *Lib. 5 Orig. Monast. c. 19.*

& alios mundi honores recusauit, [c] *vt ad exercitia virtutum expeditior haberetur. Varios ad tumultuaria certamina Principum motus, potissimum, vbi nulla spes pacis expectabatur, mirâ solebat industriâ compescere, atque ad optatum perducere finem.* Hæc de primo; sed clarius de secundo. *Vir erat idem atque alter Bernardus, ingenio mitis, actione pius,& consilio modestissimus.*

c In Cathal script. Brit. cent. 2. n. 99.

3. Verùm de tertio, quod singularius est, eundemmet sanctissimum doctorem declamantem audiamus ad suos Monachos. [d] *Fateor me*, (ait) *vestris profectibus per omnia debitorem; & propter officium quidem, sed maximè propter affectum. Sed & necessitas mihi incumbit, Va enim mihi, si non euangelizauero: præcipuè cùm quicquid in doctrina spirituali, quicquid in scripturarum intellectu proficio, non tam datum mihi, quàm vobis per me transmissum non ambigam. Neque enim meritis id adscribendum meis, cum peccator sim: nec scholasticis quidem disciplinis, cùm penè, vt scitis, illitteratus sim; sed neque studio, aut industria mea, cùm rarò in otio, crebrò in negotio sim. Totum igitur Dei est, mihi commissum, vobis transmissum, vt qui gloriatur, in Domino glorietur.* Hæc de seipso sanctus ad suos Monachos.

d De onere Babyl serm. 1.

1. Corint. 9.

4. Cæterùm clariùs adhuc, pressiúsque, cùm iussus speculum charitatis scribere, recusaret mandatum: & se nec Theologum, imò vix Grammaticum, adeoque imparem oneri prætenderet: quod ipse etiam, qui iusserat sciebat; verùm à Deo docendum non dubitabat. Certè in epistola operi præfixa, quam aut Gilleberti, aut Gaufridi, id est Abbatis Cistercij, aut Claræuallis, ex ipsomet præcepto, quod impon t, fuisse coniector; hæc verba lector meus scripta inueniet. *Sit ergo graue, quod iubeo, sit arduum, sit impossibile; sed nec sic excusationem habes. Persisto in sententia mea, præceptum ingemino. Quid facies? Nónne is, in cuius verba iurasti, sciat (inquit) iunior hoc sibi expedire; & confidens de adiutorio Dei obediat? fecisti vtique quantum debuisti, si non plus quàm debuisti: quo vsque licuit, profecisti. Causas tua impossibilitatis ostendisti, dicens te minus grammaticum, imò penè illitteratum; qui de coquinis, non de scholis, ad eremum veneris: vbi inter rupes, & montes, agrestis, & rusticus victitans, pro diurno pane in securi desudes, & malleo; vbi magis discitur silere, quàm loqui, vbi sub habitu pauperum piscatorum, cothurnus non admittitur Oratorum.*

5. *Accipio gratissimè excusationem tuam, qua desiderij mei scintillam augeri potiùs sentio, quàm extingui; cum dulcius mihi debeat sapere, si id proferas, quod non in cuiuslibet grammatici, sed in schola didiceris Spiritus sancti: cum fortè thesaurum ob id habeas in vase fictili, vt sublimitas sit virtutis Dei,& non ex te. Id quoque quàm iucundum! quod quodam præsagio futurorum, de coquina sis translatus ad eremum? cui fortè ad horam in Regia domo carnalium ciborum fuit credita dispensatio, vt aliquando in domo Regis nostri, spiritualibus spiritualia comparares, ac cibo verbi Dei esurientes reficeres.* Hactenus Gilebertus, siue Gaufridus, siue aliquis ex alterius antecessoribus: quibus haud dubiè, Ailredo scientiam inditam, non acquisitam: eoque superiorem, congratulatur.

2. Corint. 4.

6. Porrò qui eundem, cum Bernardo parente, Magistrum habuit, cœlestem Sancti Spiritus vnctionem, adeo Bernardo, stylo similis fuit, vt vix vtriusque opera, discernas, si attentè conferas. Extant carmina de scriptorum, quæ vterque dictauit, identitate, nedum similitudine, quæ mendosè descripta in Menologio, [e] correcta hîc putaui subiungenda. Sic autem habent.

e Ianuar. 12.

Ecquis Ailredum Bernardo inuidit? & vno
Tam similes calamo, credidit esse duos?
Legerit incautus, si quis monumenta duorum
Lactea; non ausit dicere, scripsit vter?
Bernardus ne ab hoc hausit? vel noster ab illo?
Vel simul ex vno flumina fonte trahunt?
Fouit vtrumque reor, mellita Maria clientem,
Mel de virgineo suxit vterque sinu.

Circumfertur inter opera Bernardi Ailredi Homilia de oneribus Isaiæ in aduentu Domini, quæ non antea ipsius credita est, quàm cæteris vulgatis proderetur; quod ante me, alij etiam adnotarunt. [f] Sed de Ailredi scriptis statim dicam.

f Richardus Gibbonus in præludis.

Fuit tamen aliquid Ailredo familiare, quod nec de Bernardo, nec de alio, quem recordor, scriptum lego: non vnquam adeo à cœlestibus abstractum, siue caligini corporis immersum inuentum iri, quin sacrorum librorum meditatione, statim ad superna animus surgeret, mens superfunderetur diuino lumine, atque, ex inuisibili, & interna consolatione, affectus lachrymarum, & gaudij extra erumpentes propalarent præsentiam spiritus Sancti. Ailredum [g] ipsum loquentem audiamus. *Quotiens mihi, Iesu bone, dies vergit in vesperam, quoties parua alicui consolationi, quasi diurna luci intolerabilis dolor, velut nocturna caligo succedit; vertuntur in fastidium omnia; oneri sunt cuncta, quæ video! si quis loquitur, vix audio: si quis pulsat, vix sentio: in modum silicis cor obduratur, haret lingua, oculorum vena siccatur. Quid tunc? Exeo certè ad meditandum in agro, sacrum reuolue codicem; meditationes meas ceris imprimo; cùm subitò mihi occurrens Rebecca, tua scilicet gratia, Iesu bone, sua luce tenebras discutit, pellit fastidium, duritiam frangit: mox suspiriis succedunt lachrymæ, lachrymas cœleste gaudium comitatur.* Hactenus Sanctus. Fœlix profectò, cui tam facilis ad cœlestia pateret aditus; qui sic cæteris scribendo proficeret, vt sibi interim non solùm sapientiam, verùm dulcedinem, abundantiámque spiritualium gratiarum reseraret. 7.

g Serm. 16. in c. 15. Isaia.

Filios in Religione habuit sanctissimos, quos in visceribus Christi semel genitos, paternæ charitatis affectu prosequebatur. Sanctitatem eorum summè commendat, quod ipse ait. [h] *Cœlestes spiritus* (haud dubiè, quin à se visos) *interesse psallentibus, assistere orantibus; legentibus, & meditationibus adesse. Isti se (ait) spiritibus immundis opponunt, illecebras mundi suadentibus, exemplum Dominicæ passionis obiiciunt; mentem ira inflammare volentibus, Dominica patientia bonitatem proponunt; elationem illis, vel superbiam immittentibus, humilitatem nobis humilis Iesu suggerunt imitandam. Ideo fratres Charissimi, state in Ecclesia cum reuerentia, & timore, & date honorem Deo, & habete gratiam his beatis, & amicis vobis spiritibus; ne fortè, aut leuitate vestra, aut aliqua contra inuicem indignatione offensi discedant, & sic ad corda vestra nequaquam Angelis liber prabeatur accessus.* Et alibi. [i] *Nullus itaque vestrum fratres, ideo se putet Deo minùs acceptum, quia se non videt miraculis gloriosum.* Quasi reuera in tanta sanctitate, pro miraculo esset, si non omnes miracula patrarent. 8.

h Serm. 5. in c. 13. Isaia.

i Serm. 4. super idem cap.

At

9. At summum Patris in filios dilectionem, plura eius confirmant testimonia, ex quibus pauca hîc nobis proferenda. Illud in primis, quod tempore capituli auellendus ad tempus, pro more Ordinis, legitur declamasse non sine lacrymis [k]. *Tempus est enim, vt iter arripiamus, ad quod nos lex Ordinis cogit, desiderium incitat, inuitat affectus; sed quomodo, vel tantum temporis separabor à visceribus meis? Separabor, inquam corpore, non spiritu; & scio, quia affectu, & spiritu tantò ero præsentior, quantò absentior fuero corpore. Humanum dico propter infirmitatem carnis meæ; voluntas mea est, vt inter vos deponam tabernaculum carnis meæ; vt in manibus vestris refundam spiritum meum, vt claudatis oculos patris vestri, & sub oculis vestris reponantur omnia ossa mea. Orate proinde, ô dulcia viscera mea, vt desiderium animæ meæ tribuat mibi Dominus.* Ita Ailredus auellendus à suis filiis, Ast illis redditus, audi, quæ sequuntur [l]. *Ecce adsum, filij mei charissimi, gaudium meum, & corona mea in Domino. Ecce adsum post multos labores, iterque satis periculosum redditus vobis, redditus affectionibus vestris. Dies iste dies est mihi exultationis, & lætitiæ, quem in terra aliena impositus, quem etiam bestiis, marique oppositus, diu desideraui, vt viderem, & desiderium pauperis exaudiuit Dominus. O amor, quam suauiter vris absentes, quàm delectabiliter pascis præsentes; nec tamen satias esurientes, donec ponas Ierusalem pacem, & adipe frumenti saties eam* Sed & in fine eiusdem sermonis, cum eo solito longius processisset. *Non miremini*, ait, *si vos hodie diutius tenui, quàm solebam; quoniam auidus vestri, post diuturnam famem, non facile potui vestra præsentia satiari. Nec putetis, quod vel nunc satiatus sim, cum sermonem omittam fatigatus, non satiatus. Satiabor cum apparuerit gloria Christi, in quo vos nunc amplector delectabiliter, quibus me spero fruiturum in ipso faliciter, cui est honor, & gloria in secula seculorum.*

k *Serm. 14. super. Esaia. 14.*
Rom. 6.
l *Serm. 15.*
Psal. 147.

Proferam, & alium eiusdem sancti locum, quo hæc Patris in filios mutua charitas; atque ex ea sanctitas etiam comprobetur. Sic enim (ait) in libris de amicitia [m]. *Nudius tertius cùm claustra Monasterij circuirem, consedente fratrum amantissima corona, & quasi inter paradysiacas amœnitates singularum arborum folia, flores, fructúsque mirarer: nullum inueniens in illa multitudine, quem non diligerem, & à quo me diligi non confiderem; tanto gaudio perfusus sum, vt omnes huius mundi delicias superaret. Sentiebam quippè meum spiritum transfusum in omnibus, & in me omnium transmigrasse affectum; vt dicerem cum Propheta. Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum.* Hæc patris, hæc filiorum in Rieualle charitas. Hæc vera effigies æternæ fœlicitatis, si quæ in terris. Ergo in ea sistendum nobis erit. Et reliqua, quæ de Ailredo dicenda sunt, in caput sequens reseruanda. 10.

m *Lib. 1. circa med.*
Psal. 132.

---

1. *Cathalogus scriptorum Sancti Ailredi.* 2. *Ab Ethelredi scriptis diuersorum.* 3. *Dictum de compendio.* 4. *Et de speculo quadam adnotata.* 5. *Neque minùs de libris de amicitia, & de sermonibus super Esaiam.* 6. *Plura de illis.* 7. *Et de tractatu de Puero Iesu duodenni.* 8. *De aliis operibus confusè.* 9. *Et Nicolai Rhieuallensis Epigramma in laudem Sancti.*

CAPVT III.

1. DICENDVM iam de scriptis Viri Sancti, quæ ab aliquibus plura, ab aliis verò pauciora connumerantur. Ioannes Trithemius [a], & Guillelmus Eisingrenius pauca recensent. Plura Ioannes Balæus [b] apud Gibbonum, sed plurima Pitsæus [c], ex quo Henriquez ad litteram transcripsit [d]. Huius cathalogum, quia longè copiosiorem, & complectentem reliquos subiiciam. *Sed, quod est* (ait [e]) *nostri instituti, ad doctrinam eius veniamus, cuius testes sunt multi scriptores, & manifesti Indices; ipsa, quæ composuit opera. Multa scripsit ad Laurentium Vvest Monasteriensem Abbatem, vt testes sunt Trithemius, & Sixtus Senensis.*

a *In suis indicibus.*
b *Ante opera Ailredi.*
c *De scriptor. Brit.*
d *In Fenice p. 1.*
e *Pitsæus ætate vi.*

Vitam Sancti Eduardi Anglorum Regis, & Confessoris Libros duos. Multis veterum studio fuisse. *M. S. in Bibliotheca Luleiana. Extat apud Surium quinto Ianuarij.*
Iterum vitam eiusdem carmine Librum vnum. Cum tibi Laurenti, cogar parere iubenti.
De miraculis eiusdem. Librum vnum. Rebus humanis exemptis, *M. S. in Rubra valle.*
De vita, & moribus quorundam Regum Anglorum. Librum vnum. Quoniam de optimis moribus. *M. S. in Bibliotheca Baronis de Lunleio, & Gualteri Copi.*
Vitam Dauidis Scotorum Regis. Libros duos. Religiosus, & pius Rex Dauid.
Planctum mortis eiusdem, Librum vnum.
Vitam Sancti Miniani Episcopi. Librum vnum. Multorum bonorum virorum.
Vitam S. Margaritæ Reginæ Scotiæ. Librum vnum. Præsentis diei exposcit ratio.
De statu eiusdem, Librum vnum.
Chronica ab Adamo. Librum vnum.
Chronica de bello Standardi, Librum vnum. M. S Cantabriæ in Collegio Sancti Benedicti.
De quodam miraculo. Librum vnum. Miracula Domini, & manifesta. *M. S. ibidem.*
De fundatione Monasteriorum S. Mariæ Eboracensis, & de Fontibus, Librum vnum. M. S. ibidem.
Sententiarum flores, Librum vnum. Cùm multos diuinæ authoritatis.
Homilias triginta tres in Isaiam Prophetam. Librum vnum.
De reuelationibus eiusdem, Librum vnum.
Aliarum Homiliarum, Librum vnum. Petis à me dilectissime in Domino.
Homiliarum in Euangelium S. Lucæ, de accensa lucerna, Librum vnum.
Iterum super Lucam, Librum vnum.
De Prælatorum moribus, Librum vnum. Beatus Paulus Apostolus.
De ministrorum officiis Librum vnum. In libro Numerorum scriptum est.
De abusionibus claustri, Librum vnum. Duodecim sunt abusiones claustri,

Centum Sermonum Synodalium Librum vnum.
Speculum charitatis, Libros tres.
Hortatu Geruasij Parchorensis Abbatis. Verè Sanctorum vera, & discreta. *M. S. in Bibliotheca Lumleiana.*
De spirituali amicitia, Libros tres. Ecce ego, & tu eadem. *M. S. ibidem.*
De vera amicitia. *Librum vnum.* Cùm adhuc puer essem in scholis.
De Aduentu Domini. *Librum vnum.*
De militia Christi. *Librum vnum.* Sagitta Ionathæ nunquam abiit.
Dialogorum plurium. *Librum vnum.*
Sagittam Ionathæ *Librum vnum.*
Genealogiam Regum Angliæ. *Librum vnum.*
De diuersis virtutibus. *Librum vnum.*
Orationem Pastoralem, *Librum vnum.*
Sermones de Sanctis. *Librum vnum.*
De tribus hominibus, *Librum vnum.*
In decimum tertium caput Isaiæ. Homilias Latinas triginta tres, sub hoc titulo. Super *onus Babylonis, Librum vnum.* Tempus est fratres Charissimi.
De oneribus vndecim Isaiæ, vel (Isac) Librum vnum. Audiens te Pater beatissime. *M. S. Oxonij in Pub. & in Priuatis Lumlei, & Copi.*
Dialogum inter hominem, & rationem, Librum vnum. Quare tristis est anima mea?
Super Cantica Canticorum: *Librum vnum.*
De institutione Sanctimonialium. *Librum vnum.* Iam pluribus annis exigis à.
Contra quasdam Episcoporum litteras. Librum vnum.
De virtute Gualteri Espec, *Librum vnum. Anno Dominicæ Incarnationis* 1138.
Epistolarum trecentarum, *Librum vnum.* In quieto littore degens adhuc.
De lectione Euangelica, *Librum vnum.*
De Christo duodenni. *Librum vnum.*
De Virginitate B Mariæ. *Librum vnum.*
De naturâ animæ. *Librum vnum.*
De dotibus animæ. *Librum vnum.*

Hactenus Ioannes Pitsæus in suo locupletissimo Cathalogo.

2. Notat verò, & rectè sub eius finem *quod huius scripta quædam, cum scriptis Ethelredi Abbatis Vvardensis confunduntur, & propter vicinitatem nominis & communionem religiosæ professionis, nonnulla opera litteraria huius, illi, & illius, huic aliquando tribuuntur. Sed Vvardensis ille diu post hunc floruit, anno videlicet M. C C. X X. Hic autem Ailredus Rhieuallis, ab hac vita ad meliorem translatus dicitur pridie Idus Ianuarij, anno ætatis suæ quinquagesimo septimo, Incarnationis Dominicæ M. C. L X V I.* Hactenus ibi: & quidem citra dubium omnino est, hos duos authores à pluribus confundi in quem errorem, quod satis minor, impegit doctus aliàs, & eruditus Pater Richardus Gibbonus [c] Societatis IESV, qui Guillelmo Eisingrenio vitio vertit, quod eosdem distinxerit: addens, tanquam omnino certum foret. *Ailredum Rhieuallensem monachum Cisterciensem, & Ethelredum Abbatem Cisterciensem, vnum eundémque authorem esse, non diuersos, vt ipse fortassis existimauit, referens ad diuersos annos: nam quæ numerauit opera, vnius nostri sunt Ailredi, non plurium authorum, vt infra ostendemus.* Ita Gibbonus. Neque inficior quæ Guillelmus vtrique adscribit opera, ab Ailredo conscripta. Verùm diuersos fuisse compertum est; vt temporum, & Cœnobiorum differentia, atque operum aliorum manifestat.

[c] *In Cathol. oper.*

3. Cæterùm in Cathalogo Pitsæi alia nobis occurrunt notatu digna. Primum est prætermissum ab ipso compendium speculi, quod diuersum ab speculo opus, & quasi præuium, eiusdem mox conscribendi occasio fuit. Extat vtrumque, circunfertúrque excussum in Bibliotheca Coloniensi tom. 13. ann. M. DC. XVIII. atque item seorsim in vrbe Duacena, opera Richardi Gibboni ann. M. DC. XXXI. Continet autem compendium capita septem, & septuaginta. Quorum prioris titulus hic est. *Vt creator à sua ametur creatura.* Atque hoc opus proculdubio fuit, quod Hugo Priori communicatum, perplacénsque, extorsit secundum, tribus libris distinctum, quod hortatu Geruasij Parchorensis Abbatis vulgatum, Pitsæus tradit.

Extat epistola operi præfixa sub hoc titulo. *Epistola cuiusdam ad Ailredum, de sequenti opere.* In textu [d] autem hæc habet inter alia. *Proinde cùm id, quod exigeris, tuum non esse noueis omnis, qui te nouit, cur erubescis, cur trepidas, cur dissimulas, cur ad eius vocis imperium, qui dedit, renuis erogare, quod dedit? An præsumptionis notam, vel aliquorum formidas inuidiam? Quasi aliquid vtile quis vnquam sine inuidia scripserit: aut præsumptionis possis argui, qui monachus Abbati parueris. Præcipio itaque in nomine Iesu Christi, & in Spiritu Dei nostri, quatenus ea, quæ tibi diuturna meditatione nota sunt, de excellentia charitatis, de fructu eius, de ordine eius, stylo adnotare non deferas, vt & quid sit charitas, & quanta in eius possessione habeatur dulcedo, quanta in cupiditate, quæ ei cõtraria est, sentiatur oppressio; quam non ipsam dulcedinem charitatis minuat, vt quidam putant, sed potiùs augeat hominis exterioris afflictio; postremò qualis in eius exhibitione sit habenda discretio, in ipso opere tuo, quasi in quodam speculo agnoscamus. Verùm, vt pudori tuo parcatur, hæc ipsa epistola in fronte operis præfigatur: vt quicquid in speculo charitatis (hoc enim libro nomen imponimus) lectori displicuerit, non tibi, qui parueris, sed mihi, qui inuitum coëgerim, imputetur. Vale in Christo, dilecte frater.* Hactenus ibi: sequitur prologus (cuius, non operis initium Pitsæus posuit) & statim opus ipsum sub hoc initio. *Extendisti Domine sicut pellem cælum tuum.* Primus liber triginta, & quatuor; viginti, & sex secundus: & tandem tertius vnum, & quadragita capita continent. Cæterùm, quod in epistola dicitur Abbatem Monacho id operis iniungere, argumento est, Ailredum hoc opus euulgasse, antequam in Abbatem promoueretur. Porrò eum Abbatem Geruasium fuisse, ex Fontibus transmissum, ad Parcolude, cuius meminimus 4.

[d] *Spec. charit. in princip.*

tomo

tomo præcedenti, vnde Pitſæus hauſerit; non liquet, quamuis reuera tempus ſatis concordet.

5. Item in libris de vera amicitia, & de amicitia ſpirituali, quos Pitſæus recenſet, notandum cenſeo. Non eſſe duo opera; ſed vnum, tribus libris contentum cum vno prologo: Porrò prologi initium illud eſſe, quod libro de vera amicitia ipſe adſcribit. *Cùm adhuc puer eſſem in ſcholis, &c.* Librorum verò, qui ſequuntur, id ipſum, quod Pitſæus adnotauit, licet præposterè. *Ecce ego, & tu, &c.* Haud aliter, Homilias in caput 13. Iſaiæ, & librum de vndecim oneribus. Atque alium in Aduentu Domini, diſtinguit; quæ prorſus eadem. Nam liber in Aduentu Domini nihil aliud eſt, quàm vna ex his Homiliis. Sequuntur illæ ſub initio ibi præfixo: *Tempus eſt fratres, &c.* Sed quem appellat librum de oneribus, incipientem. *Audiens te Pater beatiſſime*, nihil aliud eſt, quàm epiſtola quædam familiaris, quâ eædem Homiliæ G. Londonenſi Epiſcopo, ab authore offeruntur corrigendæ. Vtrumque opus, nimirum de amicitia, & de oneribus poſt præfecturam ſcriptum à Sancto Patre. Namque in priori meminit Supprioris illius ſancti, cuius nos etiam ſupra, & quam in partem iniunctæ ſibi curæ aſſumpſiſſe tradit. Homilias declamatas in capitulo ab Abbate, ad Monachos, ipſe earum contextus manifeſtat. Haud tamen tres, & triginta extant, vt vult Pitſæus: imò neque totidem à Doctore Sancto ſcriptæ, ſed vna minùs. Nimirùm ſermo vnus in Aduentu, de vndecim oneribus. Qui ab aliis Bernardo tribui ſolet. Dein vnus, & triginta, quos ipſe numerat, in vltimis prænotatæ verbis epiſtolæ, vbi ſic ait, *Eo igitur ſermone præmiſſo, qui nobis occaſionem præbuit cætera conſcribendi; de onere Babylonis decem, & nouem, de onere Philiſthiim tres, de onere Moab nouem Homilias ſubſcripſimus: pro veſtro arbitrio, vel hic ſubſiſtere, vel vltrà procedere parati.* Hactenus ibi.

6. Cæterùm in libris de amicitia illud vlterius notandum nobis occurrit; inceptos ad inſtantiam Iuonis Monachi, vnius ex domibus filiabus Rhieuallis, verùm per mortem eius interruptos, non niſi longum poſt tempus continuandos: quod vtrumque, ſimul cum miro affectu charitatis Ailredi cum Iuone, ex duobus eorundem librorum locis conſtat; nam ſub initium primi ſic loquitur [e]. *Gratulor plurimum* (& loquitur cum Ailredo) *intelligens quod cura eſt tibi de puero tuo, cuius tibi mentem, mentiſque propoſitum, non alius, quàm ſpiritus charitatis aperuit. Et vtinam hoc mihi tua concedat dignatio, vt quotieſcumque filios tuos, qui hic ſunt, viſitaueris, vel ſemel mihi liceat, cæteris remotis, tui habere copiam, & æſtus pectoris mei ſine perturbatione proferre.* Porrò in ſecundo Ailredus de Iuone [f]. *Et quidem chariſſimi mei recordatio, imò continuus amplexus, & affectus, ita mihi ſemper recens eſt, vt licèt humanis exemptus, conditioni ſatis dederit; in meo tamen animo nunquam videatur obiiſſe. Ibi enim ſemper mecum eſt, ibi mihi religioſus eius vultus elucet; ibi mihi dulces eius arrident oculi: ibi eius iucunda mihi verba ſic ſapiunt, vt vel ego videar cum eo ad meliora tranſiiſſe, vel ipſe meum adhuc in inferioribus conuerſari. Scis autem, quia plures præterierunt anni, ex quo ſchedula ipſa, cui de ſpirituali amicitia eius interrogationes, meáſque reſponſiones impreſſeram, nobis elapſa eſt.* Hæc de his libris qui in dialogum ſcripti, vt libri Ciceronis: pro Iuone defuncto, Galterum, Gratianúmque ſubſtituunt.

[e] De Spirit. amicit. lib. 1.

[f] Ibid. lib. 2.

Tractatum de Ieſu puero duodenni, Abbas item ſcripſit Ailredus, idque ad inſtantiam Monachi cuiuſdam, qui eius deuotionem, erga idem myſterium, aliàs promptam, ſed paſtorali cura, velut ſopitam, aut excitauit, aut ſolicitauit. Vnde procemium orditur in hunc modum. *Petis à me fili chariſſime, I. quatenùs ex lectione Euangelica, quâ duodennis pueri Ieſu pia geſta narrantur, aliqua pia meditationis, & ſancti amoris eliciam ſemina, & ſportulis litterarum commendans, tibi colligenda tranſmittam. Adhuc nuntius ita loquebatur, & ecce ſenſi in ipſis medullis cordis mei ex quanto, ex quali, ex quàm ardenti, ex quàm dulci tua id fraternitas petebat affectu. Cum ſubitò mihi venit in mentem, vbi aliquando fuerim, quid ſenſerim, quid in me ipſa Euangelica verba nonnunquam egerint, vel cum legerentur, vel cum cantarentur. Reſpexi, reſpexi miſer, & vidi, quàm longè poſt tergum meum illa ſuauia, ac iucunda reliquerim, quàm longè ab his delitiis, occupationum, ac ſolicitudinum, me funes abſtraxerint; adeo vt, quæ tangere tunc nolebat anima mea, nunc præ anguſtia cibi mei ſint.* Hactenus ibi: Quibus clarè videas, excitatam Ailredi deuotionem ad petentis inſtantiam: ſed quæ illi antiqua, & familiaris; & in qua crebras meruiſſet à Deo conſolationes. 7.

Reliqua opuſcula hactenus latentia, præter ea, quæ mutato parumper ſtylo vulgauit Surius: atque item fragmentum hiſtoriæ de Regibus Angliæ, quod ſub finem operum Ailredi reperitur, ſub tali titulo. *D. Ailredi fragmentum, ex opere eiuſdem de Regibus Angliæ; ex ſcriptum ex capite tertio decimi ſæculi Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Anglicanæ (Authore D. Nicolao Arſpheldio, Archidiacono Cantuarienſi) quæ propè diem, Deo fauente, in lucem prodibit. Continet hoc fragmentum orationem Eadgari, Magnifici, & Pacifici Regis, habitam ad Epiſcopos, Cœnobiorumque præfectos.* Atque hæc ſatis de ſcriptis viri Sanctiſſimi. 8.

Laudes Ailredi Nicolaus Rhieuallenſis celebrauit carminibus, quæ à Ioanne Picardo, in notis ad Guillelmum Neubricenſem adducta, Gibbonius etiam præfixit eius operibus; atque ecce carmina [g]. 9.

Inclytus Ailredus conditus aromate morum,
Et mellis fauus, & dulcedo fuit Monachorum.
Flore iuuentutis hunc Regis regia fouit;
Quæque nociua procul, animóque, manúque remouit.
De Hierico venit in Hieruſalem duce Chriſto.
Hic citò fructificat, ſpinas in lilia vertit.
Sparſa recollegit, & in vnum fracta redegit.
Celſior hinc factus, poſt cælica præmia nactus
Si libet, & fas eſt hic dicere, vera retexam;
Nec reor ordiri quidquam de ſtamine falſi.
Maurus erat maturis moribus: & Benedictus
Exemplo; ſimilis Bernardo cælibe vita.
Virtutum ſpecimen, vitiorum ſcopa, decuſque
Ordinis, & ſpeculum, via pacis, fibula legis.
Prætulit exubias Pauli Hieronymus auro
Craſſi, noſtra pari decoratur gemma nitore.
Intitulant alios præconia multa, ſed ipſe
Pacificus Salomon fuit, & manſuetus, vt agnus
Antiquo de conſilio non multa reuolue.

[g] In princ. oper.

Hactenus Nicolaus de Sancto viro; ſed affectuoſiùs adhuc, diſertiúſque, quamuis proſa oratione, Beatus Gilebertus, qui Bernardi ſermones ſuper Cantica ſub his temporibus luculenter continuabat.

1. *Gillebertus, dum Cantica explanat*, 2. *Ailredum deflet.* 3. *Quid de eius eximia Sanctitate.* 4. *Quid de doctrina.* 5. *Sed nihilominus dolori temperandum.* 6. *Ailredus Sanctorum adſcriptus numero.* 7. *Cui defuncto ſufficitur Siluanus.* 8. *Dictum de Gilleberto contra Hiſtoricos.* 9. *Et commendata doctrina eius, & pietas.*

CAPVT IV.

1. BERNARDI Patris ſermones ſuper Cantica continuabat Gillebertus, perueneràtque ad eum locum quinti capitis, quo ſe meſſuiſſe myrrham cum aromatibus, atque fauum cum melle comediſſe, ſponſa ab ſponſo præuenta gratulatur: cum ecce triſtem inter, lætûmque, de dormitione Ailredi perueniens Nuncius, expauentem inuadit, ac mel ſimul, ac myrrham guſtanda præbuit Quippè inter beatitudinis dulcedinem, amaritudo mortis; & gloriam acquiſiti noui Patroni, tanti patris diſceſſus funeſtabat. Tum verò ipſe Bernardum imitatus, Ailredumque; illum, dum mortem deflet Gerardi fratris, hunc, cum Simoni amico lachrymas ſoluit; medium inter ſermonem, Ailredum ingerens, locum non interrumpit, ſed explanat; atque obiter in eodem delineat vtrumque hominem.

2. a Serm. 41. Nam [a], *Quantus* (inquit) *fauus, quàm ingens, quam vber ad caleſte eſt tranſlatus his diebus conuiuium (Dominum Rhieuallenſem dico Abbatem) cuius nobis, dum locum iſtum tractamus, nuntiatus eſt tranſitus Videtur mihi in illo, dum ſublatus eſt, hortus noſter eſſe nudatus, & grandem agricola Deo reſignaſſe faſciculum myrrha. Nullus talis in aluearibus noſtris relictus eſt fauus. Vtrumque in illo cernere erat, & mellis fauum, & myrrha faſciculum, cùm aromatibus bonis. Quis illo, vel vita purior, vel doctrina prudentior? Quis magis illo, vel agrotus in carne, vel alacer in ſpiritu? Sermo eius, quaſi cereus, melleam effundebat ſcientiam. Carne languidus, magis tamen intus in ſpiritu caleſtium amore languebat. Myrrhata carne, mente aromatica, cremațione continua, indefeſſi amoris odoriferum incenſum offerebat.* Pſal. 62. *Corpore deſiccato, & arido, anima eius ſicut adipe, & pinguedine replebatur: ideo labiis exultationis laudauit dominum ſemper os eius, fauus diſtillans ipſius. Nam totus conuerſus in labia, modeſto vultu, & totius corporis habitu tranquillo, ſerenos animi prodebat affectus. Senſu perſpicuus erat, ſermone non praceps. Modeſtè rogabat, reddebat modeſtius. Moleſtos ſuſtinens, moleſtus nulli. Acutè intelligens, moroſè referens, aquanimiter ferens.*

3. *Memini frequenter illum, cum acceptum de aſſidentibus aliquis interrupiſſet ſermonem importunè, verba ſuſpendiſſe, donec alter totum effudiſſet ſpiritum ſuum: & cum importuni ſermonis impetuoſus defluxiſſet gurges, eadem qua ſuſtinuerat tranquillitate, ſuſpenſum verbum reſumpſit, opportunè loquens, & opportunè ſilens.* Iacob. 1. *Velox ad audiendum, ad loquendum tardus, & tardus ad iram. Quomodo ad iram dicendus eſt tardus, ad quam magis inuentus eſt (vt ſic dicam) nullus? Benè fauus, quia ſynceris vndique compoſitus, & conſitus cellis, in omni actu, ſermone, & geſtu interna putabatur dulcedinis mella ſudare. Fœlix, in quo Ieſus integrum fauum, quem comedat, inuenit, craſſum, non exſiccatum.* Hactenus Gillebertus Ailredi laudes.

4. At de efficacia ipſius prædicationis, audi quod ſequitur. *Noſter hic fauus* (ſcilicet Ailredus) *integer erat, & in aterno liquore exuberans. Plenus erat cellularum, hac, illac diſtillabat dulcedinem, ſermonis diuini aſſiduus operator fauos compenebat. Boni faui, quibus adhuc integris multorum quotidie indulcantur fauces. Moleſtam non ſectabatur ſubtilitatem, qua plus contentionis, quàm inſtructionis miniſtrat materiam. Circa moralem operoſus ſcientiam, cultiſſimus illam verborum cellis committebat. Prudens erat eloquij myſtici, quod inter perfectos diſpenſabat. Lactea in ſalutem, & conſolationem paruulorum, exuberabat doctrina, cui tamen latificantis, & inebriantis ſermonis vinum ſapè latenter immiſcuit. Ita eſt: Lac ipſius vini obtinebat virtutem. Simplex eius inſtitutio, & ſermo lacteus animum auditoris, in quendam inebriantem alienata mentis exceſſum furtim arripere conſueuit. Vnde, qui potabatur, iure dicere poterat, quia bibi vinum cum lacte.* Cantic. 5. *Imò in lacte nouerat iſta temperatè miſcere, & in altero vtrumque largiri. Facilis inerat ei intellectus, ſed affectio vehemens.* Ita quem ſanctum anteà prædicauerat, veneratus Doctorem, dum defleret defunctum, in lacrymas excitabat audientium animos.

Cæterùm moderandam triſtitiam, defuncti gloria: & nouo in cælis adepto patrocinio, compenſandam abſentiam doctoris tanti; nec deſperandum de diuina gratia, fauoréque, qui ſic ex hortis Ciſtercij flores colligat, vt alios, & alios erumpentes ſemper relinquat. 5. *Dolendum quidem* (ait) *quod tanti viri ſubtracta eſt nobis copia; ſed nihilominus gloriandum, quod talem, de hortulis noſtris faſciculum myrrha ad caleſtem illum hortum pramiſimus. Illic ornamentum eſt, qui nobis, hic fuerat adiumentum. Et ſi vacuata videntur aluearia noſtra, & hortus nudatus; multos tamen reliquit manipulos, de quibus potens eſt Deus per virtutum incrementa creare faſciculos.* Hæc de Ailredo Gillebertus Abbas, vir æquè ſanctus: quem tamen diutiùs non ſuperuixiſſe inde coniector, quòd imperfectum reliquit opus in Cantica, & declamatis hactenus ſermonibus, vno, & quadraginta, ſeptem alios nec plures, ſuperaddidit.

Ailredum Sanctorum adſcriptum numero omnes Angliæ authores adſeuerant, (quamuis neque annum notent, neque Pontificem) vnde & Martyrologiis ſuis inſerunt Thomas Demſterus, Ioannes Molanus, Hugo Menardus, Henriquez, aliique [b]: niſi quod primi ad diem quintam Ianuarij, fortè occaſione Eduardi Regis Angliæ, (qui ea die obiit) cuius vitam ſcripſit Ailredus & Surius edidit. Hugo Menardus vndecima eiuſdem, duodecima Henriquez in Menologio. Atque hic vltimus inſigni planè errore, dum ait obiiſſe ſequenti ſæculo, nimirum anno M. C C. X X. In Bibliotheca Archi-Cœnobij Ciſtercienſis, quam paruam appellant, extat antiquus liber M. S. continens multa ex operibus Sancti Ailredi; in cuius initio, de Authore hæc ſcripta leguntur. *Huius Sancti Abbatis Ailredi venerabile corpus requieſcit in Anglia, in* 6.

b *Apud Piſanum in catalog.*

in suo Monasterio de Rhieualle, vbi aliquot annis abbatizauit. Et eius solemnitas in Octauis Epiphania solemniter celebratur, iuxta decretum Capituli Generalis, anni M.CC. LXXVI. Hæc de Ailredo, cuius vitam, ex variis ipsius locis, atque aliis authoribus decerptam, inseruimus Annalibus, quandiu eam, quæ dicitur extare, nancisci non licuit, quam ô vtinam quis alius superaddat!

7. Defuncto Ailredo, Siluanus suffectus est, vir æquè Sanctus, de cuius successione versus leguntur [c].

Primitias cœpit Guillelmus; proximus illi
Ailredus maiora tulit: Siluanus adauxit.
Tres sunt præcipui: meriti vix imparis. Ille
Primus, & alter ei successit, & iste supremus.

Hæc Nicolaus Rhieuallis Monachus de successione Abbatum Rhieuallensium: quam proximè ad hæc tempora scripsisse, vel inde colligo; Quod Siluanum supremum Abbatem nominat. Cæterùm quod in eodem carmine subdit, de annis quibus singuli præfuerunt, ab aliis scriptoribus diuersum, censui in præsenti fore subiiciendum. Sic enim ait.

Claruit officio V. dennis, & tribus annis,
Ter senis fuit Ai. pastor prius in Rieualle
Ter dennis, ternisque simul. S. præfuit annis.

Id est Vvillelmus tredecim, Ailredus decem, & octo, tres, & triginta Siluanus præfuere. Quam computationem, si sequamur; quidquid sit de Guillelmo, in cuius obitu discrepantia parua est; ast Ailredus quinquennio ante migrauit. Neque hoc dixerim, vt narrata omnia inuertam: sed vt lectorem moneam, ne nimium distrahatur his discordantiis.

Cæterùm quia de Beato Gilleberto semel meminimus, quem Sancto Ailredo non diu superuixisse coniectabamur; breuiter etiam de eo nobis dicendum: nec aliis melius, quàm Sixti Senensis verbis [d]. *Scripsit ad imitationem Sancti Bernardi in tria Canticorum capita, quadraginta, & octo sermones elegantissimos, inde incipiens, vbi D. Bernardus, scribendi simul, & viuendi finem fecit. hoc est, ab eo loco tertij capitis:* In lectulo meo quæsiui, *vsque ad eum locum capitis quinti:* Dilectus meus candidus. *Quo cum peruenisset, & ipse è viuis decessit.* Ita Sixtus Senensis: quæ eadem Pitsæus [e], & alij referunt. Ex quibus videas, quàm turpiter errauerint, dum mortem viri ad vltimum huius sæculi annum referunt. Quippè scribentem sermonem quadragesimum primum circa hunc annum, & in quadragesimo octauo præuentum morte, non potuit vita tandiu comitari: sed qui in pluribus aliis Ioannes Tritemius, in hoc etiam eis errandi occasio fuit. Gillebertum inter illustres scriptores Ecclesiæ memorant, quotquot de illis cathalogum texuerunt. Opera eius Boltonus Buriensis, ex quo Pitsæus, exactius cæteris recenset, in hanc seriem. *Scripsit, vt dictum est, secutus Bernardum quadraginta Sermones.* 8.

c *Apud Ioan. Picard. in notis ad Guillel. Neubrigensem.*

d *Lib. ... Bibliot.*

e *Vbi suprà.*

In Cantica Canticorum.	*Librum vnum.* Varij sunt amantium affectus.
Super Psalterium.	*Librum vnum.*
Super Matthæum.	*Librum vnum.*
Super Epistolas D. Pauli.	*Libros quatuordecim.*
In Apocalypsim S. Ioannis.	*Librum vnum.*
Theologicarum Sententiarum.	*Librum vnum.*
De statu animæ.	*Librum vnum.*
De vita S. Bernardi.	*Librum vnum.*
Homiliarum diuersarum.	*Librum vnum.*
Epistolarum.	*Librum vnum. M.S. Oxoniæ in Bibliotheca publica.*
De casu Diaboli,	*Librum vnum. Et alia quædam.*

Hactenus ibi. Addit Balæus Homiliarum librum vnum, quem non video à Bettono memorari.

9. Porrò quod ait scripsisse Gillebertum quadraginta sermones super Cantica, supplendum est, atque octo, & quadraginta reponendum. *Solet* (ait Pitsæus [f] eodem loco) *hoc opus vnà cum operibus D. Bernardi, nomine tamen authoris apposito, coniungi, vti habetur in editione Parisiensi anno Domini M.DC.II. In quo sanè opere stylum & Magistri spiritum ita sapit, vt si sine nomine, opus reliquisset, ipsum sibi quodammodo Bernardi nomen imposuisset; omnesque Bernardum authorem indicassent.* Hæc summa laus scriptorum Gilleberti, quod potuerint videri Bernardi patris. Quo magis nobis dolendum sit, cætera eius opera periisse. Atque vtinam epistolarum librum, qui dicitur extare Oxoniæ, potuissemus nancisci, inde enim multa excerpere licuisset, quæ eius vitam simul illustrarent, & hos annales. Ioannes Balæus Cistercij obiisse tradit, procul à patrio solo, quod non video ab aliis memorari. Vvaræus in natali solo multus, vt Gillebertum Scotum fuisse probet contra Balæum; in sepultura diminutus omninò fuit. De viri sanctitate multa superius déque sanctissimis filiis, & filiabus, queis præerat, & proderat verbo, & exemplo; Ailredi testimonio comprobauimus. Eum Henriquez Menologio suo inseruit ad vigesimam quintam Maij diem. In titulo sermonum super Cantica non Diuus, sed deuotus pater dicitur. *Deuoti Domini Gilleberti, &c.* Fortè quia cœpti legi ipso viuente; quod ex Ailredi loco satis colligo. Haud aliter, quod semel habuit Beda Venerabilis nomen, hucvsque retinet. Non quia non possit coli sacratiori; sed quia illud antiquius; & viuenti concessum, gloriosius.

f *Pitsæus vbi suprà.*

1. Gilberti, cognomento Magni obitus, scripta, 2. Eximia Sanctitas: 3. Et successor Alexander. 4. Cui in Grandi-sylua Pontius subrogatur. 5. Alanus Antisiodorensi Ecclesia renuntians, 6. In Claraualle manet. 7. Stephanus in Hoscensem sedem assumitur. 8. Noua militia in Eboram translata. 9. Et Calatraua vnita. 10. Conuictus Rades. 11. Et coniectatum de Bullis Innocentij. 12. Peretrenses donati multis præsidiis.

CAPVT V.

1. HOc item anno ad superos transfertur Gilbertus Magnus, cognomento Theologus, postquam triennio tenuisset Cistercij clauum, succedente Alexandro viro sanctissimo, quem olim à Bernardo Patre conuersum, nec multò post transmissum ex Claraualle, Grandi-sylua Pastorem venerabatur. Tolosæ obiisse apud Ioannem Pitsæum [a] lego: Verùm, dum mortem in sequens sæculum differt, quæcumque alia congessit, suspecta facit. Virum doctrina insignem compertum est; & qui non solos imbuerit præsentes, sed etiam posteros: scripsisse fertur [b]

Commentarios in diuersos Sacræ scripturæ textus, *Libros plures.*
In Psalterium, *Librum vnum.* Christus est integer caput cum membris.
Distinctiones Theologicas, *Librum vnum.* Duplex est absentia Detestabilis, *&c.*
Doctorum collectanea. *Librum vnum.*
Concionum, *Librum vnum.* *Rom.* 15. Quæcumque scripta sunt ad nostram.
Pro Christianis, contra Gentiles versu Elegiaco, *Librum vnum.*
Quid sit Monachus. *Librum vnum.*
Conciones in Oraculum Cyrilli Carmelitæ Græci. *Librum vnum.* Cum ad Monasterium Cluniacense.
De naturis rerum. *Librum vnum.*
Epistolarum ad diuersos. *Librum vnum.*
Historiam, Scropum imitatus, *Librum vnum.* Hæc ex Pitsæo. Nec dubitandum claruisse supra alios illius ætatis viros, quem Theologum, quem Magnum cognominarunt.

2. Memoratur non solùm inter doctos, sed etiam inter Sanctos Cistercij Patres, ab Abbate Ioanne de Zireio, itemque in Missali antiquo Ordinis; ex quibus fermè plerique recentiores; præcipuè Aubertus Miræus [c], & Henriquez [d], licet hic decimam septimam Octobris, ille primam diem notet mensis Nouembris. Notandus tamen in Chrysostomo Henriquez insignis error, errores plures continens. Quippe Gilbertum in Abbatem promotum tradit, defunctùmque; vtrumque anno M. C. L X V. cùm annum vnum præfuisset, & menses quatuor. Sed neque electus eo, quem notat, anno, qui Fastrado successit immediatè decedenti Parisiis 11. Kalendas Maij, anno M. C. L X I I I. neque eo, quo successit, obire potuit, si vltra annum præfuit: nec denique decessit ante hunc annum; quod litteræ Alexandri Papæ, ad ipsum datæ sub finem præcedentis satis ostendunt.

3. Gilberto Magno ad superos translato, electores Alexandrum subrogauere Grandis-siluæ Abbatem, de qua electione hæc pauca Exordium Magnum [d]. *Deinceps Grandis-syluæ pastor effectus*, (scilicet Alexander) *adeò feruenter in sanctitate vitæ profecit, vt post modum fieret Cisterciensis Abbas Cœnobij, ac totius Ordinis Pater vniuersalis.* Hic nonus Abbas Cistercij, sed quartus fuit ex filiis Claræ-uallis (vnde Rainaldus, Fastradus, & Gilbertus) ad apicem assumptus totius Ordinis. Cùm tres priores venissent ex Molismo, Lambertus ex Morimundo: nec nisi Gozeuinus quisquam esset, qui ex Cistercio, Cistercio præfuisset. Et eligebant eiusdem Ecclesiæ Monachi. Sed viris Sanctis propinquior, quicumque sanctior: reliqua omnia spernenda esse putabant.

4. Alexandro ad Cistercium promoto, in Grandi-syua sufficitur Pontius, cuius supra meminimus, quem dudum Deus in Abbatem Claræ-uallis, & successorem Bernardi præparabat. De hac item electione, simulque de electo ita Exordium [e]. *Famulus Domini Pontius, cum succedenti tempore, præficientibus meritis, ad regimen eiusdem Ecclesiæ* (scilicet Grandi-syluæ) *assumptus fuisset; locum dignitatis, condignis adornabat moribus. Pastoralem quidem curam debita authoritate exercens; sed ouis* (sic enim legendum est, & non eius) *mansuetudinem, & innocentiam non amittens.* Hactenus ibi. Cæterùm, quæ sub eius præfectura, quantumuis breui, in Grandi-sylua memoratu digna contigerint, anno, quò euenerunt, dicenda erunt.

Per idem tempus Antisiodorensis Præsul Alanus, quondam Abbas Ripatorij, Bernardi discipulus, Godefridi Lingonensis exemplum imitatus, 5.
cum se prius Episcopatu abdicauisset, ad Claramuallem rediit; fœliciter ibidem, plures licèt post annos, consummandus. Constat de facto simul, annóque, ex libro sepulchrorum Claræ-uallis, vbi hæc inter alia de Sancto viro [f]. *Anno nouissimo vitæ Beati Bernardi, ab Ecclesia Altisiodorensi in Episcopum concorditer est electus. Hic multam hospitalitatem omnibus Religiosis domos suas frequentantibus exhibuit; subque monasterio de Ripatorio, vnde Abbas fuerat, multa noscitur contulisse. Claræ-uallensi autem Cœnobio, quantam poterat diligentiam exhibebat, illud sæpè visitans, auxilia, quanta poterat conferens opportuna. Peractis in Episcopatu tredecim annis, de licentia Sedis Apostolicæ cessit Episcopatui, & ad suam rediit Claram-uallem.* Hæc de cessione, & de reditu Sancti ad Claram-uallem.

At de loco, quem in eadem domo sibi elegit, nimirum Cellula, quam Godfridus Lingonensis, 6.
post Bernardum, communem vtriusque patrem, sibi construxerat, déque vita ab ipso ibi peracta, hæc quæ sequuntur. *Mansit autem in Claraualle in domo Sancti Bernardi, post discessum Domini Godefridi Lingonensis Episcopi; plurimaque solatia fratribus exhibens, & tanquam multum exercitatus in negotiis Ordinis pariter, & Ecclesiasticis, Domino Abbati Pontio, & successoribus eius, vsque ad Dominum Petrum venerabilem Abbatem Claraualensem octauum, non mediocriter necessarius fuit.* Hactenus ibi. Quibus planè

[a] Lib. de script. Britan. ann. 1120.
[b] Apud Pitseum. ibid.
[c] Lib. 5. Orig. Monast. c. 15.
[d] In Menolog.
[d] Lib. 1. c. 39.
[e] Lib. 2. c. 25.
[f] In Menolog. Octobris 14.

planè videas Arnaldum Vvionium, dum eius meminit, tot penè mendis scatere, quot verba profert g. Quippe ait, promotum anno reparatæ salutis M. C. LI. præfuisse Antissiodori annos XVI. & obiisse anno M. C. LXVII. nihil ex fide: cum anno M. C. LIII. promotus, tredecim tantum annos sedem tenuerit: & nihilominus produxerit vitam vsque ad M. C. LXXXI. circa quem etiam compilauit, correxitque vitam B. Bernardi, quam Sancto Petro Monoculo dicauit, vt suo loco dicemus. Hæc in Gallia.

g *In Ligno vitæ lib. 1.*

7. In Hispania tertius Populeti Abbas Stephanus, qui Grimoaldo ad superos translato, concordi fratrum electione, successerat, circa annum Christi. M. C. LX. Cùm per sexennium laudabiliter præfuisset, ac Monasterium mirè promouisset vtrisque bonis; in Episcopum Hoscensem assumptus est h, ad instantiam Raimundi Barchinonensis, & populi, atque Cleri postulationem. Quot annos Hoscæ præsederit, incertum. Memoria eius cunctis venerabilis, atque obitus, vt ignotus annus, sic notus dies, qui fuit vigesimus nonus mensis Decembris. Nec quid aliud de eo certum habemus. In Populeto suffectus Stephano, Hugo; qui quatuordecim annis clauum tenens, non contemnendam reliquit sui memoriam.

h *Ex monumentis Populetanis.*

8. Quod ad militias Cistercienses attinet, quæ in Lusitania, Noua, hactenus dicta, translata Eboram, inde nomen traxit. Ea vrbs olim possessa à Sarracenis, à Christianis prædonibus inuasa, captaque, sub Alfonsi Regis iugum hoc anno venit, Giraldus cognomento Intrepidus, vulgo sine pauore, prædonum Dux præterita flagitia diluit, præsenti gloria. Extat eius memoria, non obscura, in historia Gothorum, his paucis verbis. *Æra* M. CC. IV. *Ebora capta est, & prædata, & noctu ingressa à Giraldo cognomento sine pauore, & latronibus sociis eius, & tradidit eam Regi Domino Alfonso.* Ergo ab Alfonso præsidio Nouæ militiæ donata Ebora: Nec minùs milites donati in vrbe, vico, qui hodiéque ab ipsis *da freiria* i; quasi fratrum hospitium, nominatur. Inde deductum nomen Militiæ Eboræ, quod expressum in multis instrumentis, vsque ad annum Christi M. CC. XXII. quo ad Auis transmigrarunt, perseuerauit.

i *Brandam. lib. 11. c. 10.*

9. Interim, quamuis annus nondum constet, crescente fama militiæ Calatrauæ; Alfonsi Regis, non solùm conniuentia, sed interuentu, Eborenses se illi subdiderunt; nec Lusitani recusarunt Castellæ iugum, aliàs semper inuisum; dummodo se Cistercio arctius vnirent. Rades vnionem istam nimium differt k: Nempe vsque ad tempora Roderici Garcesij, Magistri Calatrauæ, qui ab anno M. CC. XII. vsque ad M. CC. XV. militiam rexit. Cæterum factam ante M. CC. I. conuincit Innocentij III. priuilegium, datum Laterani XVI. Kalend. Iunij, pontificatus ipsius anno IV. sub tali titulo. *Innocentius Episcopus, seruus seruorum Dei, dilectis filiis Magistro, & fratribus militiæ Ebora, Ordinem Calatrauæ profitentibus, salutem, & Apostolicam benedictionem,* &c. Præcessit ergo tempore hæc vnio, quamuis, non satis constet, quo anno cœperit.

k *In Chron. Calatra cap. 16.*

De modo, controuersia agitatur inter vtrosque, 10.
Eborenses nimirum (hodie Auisienses) Calatrauensésque; asserentibus illis, se vltroneos, neque vlla inuitatos donatione, Calatrauæ vnitos, velut Militiæ, quæ per Monachos cœpta, formatáque Cistercium, quod & ipsi profitebantur, altius imbibissent: è contra his adoptionem præferentibus, dote hæreditaria, id est collatis castris, & Xenodochio, quæ ipsi in Lusitania possedissent. Rades hoc vltimum tanquam certum ponit l; & nititur probare, quod eadem Castra, & Xenodochium, videat confirmata inter bona Calatrauæ ab Innocentio III. semel anno M. C. XC. IX. Pontificatus eius secundo; & iterum M. CC. XIV. Pontificatus ipsius XVII. Cæterum mihi rem altiùs perpendenti contrarium certo certius esse apparet; & bona illa, cum aliis Calatrauæ, commemorata, non quia propria; sed quia Militiæ Eboræ, quæ & ipsa iam pertinebat ad Calatrauam: quod in secundis litteris compertum; quippè tredecim annis posterioribus, illis, in quibus Ebora Ordinis Calatrauæ nominatur, facilè ad primas potest applicari. Certè sacram Militiam Calatrauensem in Lusitania Castra acquisiuisse, ante Eboram sibi incorporatam, non aliunde habemus: & aliàs constat, Lusitanos Milites, à capta Ebora, aliquibus donatos simul cum nomine; plura etiam per arma comparasse; neque vlla alia licet inuenire, præter ea, quæ in litteris illis, Calatrauæ indultis, commemorantur.

l *Vbi suprà.*

His coniecturis addendam aliam censeo, quæ 11.
prorsus fundamentum Rades eneruat; in Bullis illis non tantum confirmari bona, hactenus Calatrauæ acquisita, sed acquirenda: additáque decursu temporis loca, quæ Calatrauæ accedebant, quocumque modo; non quia in originali expressa, sed quia non minus in eo confirmata; primum in margine, mox vel in textu venerunt adnotanda. Eius rei, meo iudicio, euidens signum Auis, atque Pereyrum, in eisdemmet Bullis, sed clarius in secunda connumerata. *Pereyrum inter ciuitatem Roderici, atque Trancosum, cum omnibus pertinentiis suis.* Et infrà. *Auis cum omnibus pertinentiis suis*, &c. Ita in Bulla Innocentij, expedita anno M. CC. XIV. & tamen constat Pereyrum post quatuor annos, Christi nimirum M. CC. XVIII. Auis non accessisse, nisi post nouem, nempè M. CC. XXIII. vt suis locis vtrumque demonstrabimus.

Hoc ipso anno, cum bellis emergentibus inter 12.
Alfonsum, Ferdinandúmque, socrum, & generum; illum Lusitanum Regem, hunc Legionensem, Milites Pereyrenses pro Ferdinando strenuè pugnauissent, atque victoriam illi comparassent; quibusdam castris ab eodem donati sunt, priuilegio expedito, quod refert Brito, inter quæ Raigada, Villar, Turpin, Colmenar, Almendea, & grangia de Fonseca connumerantur. Ergo acquirebat vtraque Militia oppida, & castra, ex quibus maior, & augustior veniret ad Calatrauam.

1. Rex Aragonum Horta multa indulget. 2. Priuilegio expedito circa hunc annum. 3. Quo etiam Amalricus Narbona Dux in eodem Cœnobio sepelitur. 4. Hermesendis, 5. pro nouo Cœnobio condendo locum donat. 6. Quem filius firmat. 7. Descriptio loci, & adicula vicina B. Virginis. 8. Amalricus filius fratrem inuisurus in Hispaniam venit. 9. Vtriusque largitas. 10. Dein solius Petri. 11. Perpensa hac, & dictorum ratio reddita.

Capvt VI.

1. RETINENT properantem ad alia res domesticæ; quas si parum prolixius pertractauero, pietate, aut laudabor, aut excusabor. Igitur Horta in confinio Regnorum posita, præsidente Martino, velut certatim, à Principibus vtriusque promouebatur: Nec soli Castellani, ad quos iure dominij, & fundationis; sed Aragonum Reges eandem sibi, aut ambiebant, aut aggregabant. Legitur priuilegium Alfonsi Principis, quo nihil minus Hortensibus indulget, quàm dare posset, si intra proprios fines Aragonensium largitate Regum fundata, atque dotata continerentur, est autem tale [a].

a In lib. priuileg. Horta.

2. *NOtum sit cunctis tam præsentibus, quàm futuris: Quod ego Ildefonsus, Dei gratia Rex Aragonensis, & Comes Barchinonensis, pro salute anima mea, & remedio anima patris mei, & patrum meorum, accipio Monasterium Sancta Maria de Horta, & catera ad illud pertinentia in tutela, & defensione mea. Et concedo, vt quicquid aliquis pradicto monasterio pro salute anima sua in terra mea obtuleris; vel si quid ibidem domino seruientes iustè in terra mea emerint, vel adquisierint, ratum sit. Pracipio iterum, vt in terra mea, Lezdam, nec porage de propriis rebus non tribuant. Iubeo etiam, vt pecora, & omnia ad illos pertinentia, in terra mea securè ambulent, & pascantur. Et non donent herbage. Siquis verò pradicto monasterio, vel in grangiis, vel in pecoribus, vel in cunctis eidem pertinentibus de terra mea violentiam fecerit, amorem meum perdet; & pro facta violentia Regi mille tribuet aureos. Facta est ista charta in mense Iulij, in Calatainba. Æra M. C C. I V. Regnante Ildefonso Rege in Aragone, & in Barchinone; & regnante Ildefonso in Castella, & in Estrematura, & regnante Rege Sancio in Nauarra. Ego Sanctius de Petrarubia, pracepto domini mei Regis Ildefonsi scripsi.* Hactenus Priuilegium Ildefonsi Regis concessum exteris, quo nihil maius propriis dare posset.

3. Hoc ipso anno Amalricus Molinæ Comes, (quæ ditio hodie sub titulo Dominij cessit Hispaniæ Regibus) Hermesendis Narbonensis Galliæ Principis coniux mortis debitum soluens, in eodem Monasterio sepultus est, in claustro capituli, in quo ipsius, & vxoris Mausoleum, honorificum satis, iuxta portam Ecclesiæ hodiéque visitur. Reliquit liberos Amalricum, Petrumque, quorum primus Narbonam, secundus natu Molinam hæreditarunt; quos etiam claudit eadem sepultura. Porrò Hermesenda defuncti vxor, vtriusque mater, anniuersarium mariti celebrauit, insigni donatione, pro construendo nouo Monasterio, quod iam antea sub Abbate Blasio tentasset, per Monachos ex Horta transmittendos, adeóque sub Abbatis illius visitatione. Legitur hodiéque diploma fœminæ sequenti anno expeditum, certis vtrimque pactis conditionibus; in quo & antiqua largitio Blasio facta, & præsens incrementum Martino indultum, pro illius æui stylo commemorantur. Est autem tale.

IN [b] nomine Domini Nostri Iesu Christi, & ad honorem Beatissima Maria, Genitricis eius; Ego 4.
Armesem Comitissa, vxor Comitis Almarich, & filia Armerich de Narbona, pro peccatis meis, & pro anima Comitis Almarich, & pro animabus parentum meorum, concedo Ordini Cisterciensi, & Monasterio Sancta Maria de Horta, & Abbati Martino, & fratribus, tam præsentibus, quàm futuris, ibidem Domino seruientibus, Arandelam cum terminis suis, cum cultis, & incultis: Tali pacto, vt duobus annis seruiat pradicta hareditas Monasterio prafato. Et finitis duobus annis, qualicumque hora ego dedero hareditatem, quam habet Diago Petrez in Molina, scilicet terras, molendinos, hortos, casas, & omnia qua modò habet ibi Petrus Tendas; similiter, & hareditatem quam habet Petro Pardo in Molina. Sicut ego prasente Episcopo Celebruno, & Fernando Martino, & multis aliis, Abbati Blasio exterminaui.

b Ibidem.

Et cùm omnia pranominata rata Abbati, & fratribus de Horta ad opus Arandela tradidero, & redditus ducentorum mille, & pretium magistri monasterium operantis incipiant facere Abbaziam: hos autem ducentos menchales, & pretium magistri per vnum quemque annum tandiu tribuam, donec pradictum monasterium cum officinis suis de sectis lapidibus perficiatur. Si verò per expletionem duorum annorum Abbas Horta, & Monachi, has omnia, me tribuente, vel filio meo, Abbatiam incipere noluerint, remota omni querimonia, accipiam Arandelam, ipsis tamen fructum ipsius anni colligentibus. Si autem vel ego, vel filius meus hoc implere noluerimus, absque aliqua contradictione iure perpetuo Arandelam cum terminis suis Monasterium Horta possideat. Si quis verò has duas hareditates, videlicet, hareditatem de Diego Petrez, sicut dictum est superius, & hareditatem de Petro Pardo, si Abbatia in Arandela fuerit, vi extrahere molierit; vel si nobis pradictum pactum non complentibus, Arandelam de Monasterio Horta extrahere tentauerit; sit excommunicatus, & eandem cum Iuda traditore maledictionem sortiatur. Facta charta sub Æra M. C C. V. 5.

Hactenus instrumentum fœminæ Principis, quod anno seqenti factum, nempè millesimo, centesimo, sexagesimo, septimo, ex Æra illi præfixa satis constat.

Biennio post, cùm Ciues Molinenses cum Hortensibus, de loco decertarent; Hermesendis secundus natu filius, Molinæ Comes, vnà cum Sancto Abbate terminos præfixerunt vtrique parti. Cuius rei instrumentum etiam extat, legiturque inter antiqua domus [c], sub hoc initio. *Hac est charta exterminationis de Arandela, quam exterminauerunt Petrus Comes, & Martinus Abbas de Horta, & homines de Molina. Propter hoc venit Petrus Comes ad Arandelam, cum exterminatoribus, qui Patri suo exterminauerunt.* 6.

c Ibidem.

nauerunt. Videlicet cum Ioanne Muñioz, & Ioanne Rotan, missis à Concilio. Sic autem exterminauerunt, &c. Facta charta in anno quo captus fuit Comes Nuñoz in Zorita Æra M. C C. V I I. Hæc pietatis officia detinebant illius æui Principes, suetos non solum dare, sed etiam obsequi, & ipsa quæ dedissent, rata facere.

7. Frustratam tamen fundationem noui Cœnobij in comperto est, nec certum, quâ occasione. Locus adhuc Hortensium ditioni subest; & iuxta locum ædicula Deiparæ de *Montesino*, quam accolæ deuotè venerantur, frequentántque, etiam infirmi, & debiles, non sine experimento sanitatum, quas crebras Deus ibidem operatur. Ferunt desumptum nomen à Sarraceno ibidem baptizato, qui multa mala Christianis intulisset, priusquam ad fidem Christi conuerteretur. Ædicula extra Hortæ terminos sita, intra ditionem Marchionis de Baides, per clericos plerumque administratur.

8. Crediderim cessasse fundationem, ad petitionem Ducis, Comitisque; neque tam retinendis cæteris bonis, quam vt omnes possessionis illius fructus Hortæ cederent, in qua se dudum statuerant sepeliendos. Certè anno. M. C. LXXII. cum Almericus, qui post mortem Patris Narbonæ præerat, in Hispaniam venisset, Petrum fratrem, atque alios inuisurus; ingentem aliam vterque donationem Cœnobio fecit, medietatis nimirum Salinarum iuxta Metimnam Cæli: cui postmodum medietatem aliam addidit alter ex eis Petrus Molinæ Comes, cum illi in partem cessisset hæreditatis. Nisi quòd hæc posterior vendita dicitur, idque pro vno equo. Fortè, quo firmior transactio inde constaret. Vtriusque largitatis instrumentum, non contemnendum monumentum antiquitatis, paulatim quamuis annis anteuersis, placet subiungere [d].

d Ibidem.

9. *IN nomine Domini Nostri Iesu Christi. Notum sit omnibus præsentibus, & futuris, quod ego Almericus Dux Narbonæ, & ego Comes Petrus frater eius, nos ambo filij Comitis Almerici, bono animo, & bona voluntate, intuitu pietatis, & misericordia, donamus Domino Deo, & Beata Maria, & Ordini Cisterciensi, & Monasterio de Horta, & vobis D. Martino Abbati, & fratribus, ibidem Domino seruientibus, præsentibus, & futuris, medietatem Salinarum de Tercequela, pro hæreditate in perpetuum valitura. Hanc autem donationem facimus, & cum hac præsenti charta laudamus, & confirmamus, pro remissione peccatorum nostrorum, & parentum nostrorum, vt participes simus omnium beneficiorum, quæ in prædicto Monasterio facta fuerint, vsque in finem. Si verò contingat fieri partitionem hæreditatis, inter nos, vel sorores nostras, vel posteros nostros; prædicta medietas Salinarum de Tercequela in partem nostram cadat, sine omni impedimento, & contradictione. Ista autem donatio facta fuit, quando prædictus Almericus Dux Narbonæ primò venit in Castellam videre fratrem suum Comitem Petrum, & alios parentes, & amicos suos. Si quis verò istud donum nostrum dirumpere voluerit, anathema sit; & cum Iuda traditore in inferno damnatus: Facta charta in Molina XVI. Kalendas Iunij. Sub Æra M. C C. X.* Hoc instrumentum donationis vtriusque fratris, pro medietate dictarum Salinarum. At medietatis alterius charta talis fuit.

HÆc est charta venditionis, quam fecit Comes Petrus, & Eleinfant vxor sua Sancia, de medietate Salinarum, quam habent in Tercequela Abbati D. Martino de Horta, & fratribus eiusdem loci, tam præsentibus, quam futuris; pro vno equo; tali conuenientia; vt in vita sua, vel post mortem suam, si quis de parentibus suis, vel de aliis hominibus quæsierint partem in illis Salinis, reintegret se in aliis salinis, vel hæreditatibus Comitis. Aliam siquidem partem Salinarum de Tercequela iam Comes Petrus, & frater suus Almericus dederunt eidem Abbati de Horta, & cæteris fratribus pro redemptione animarum suarum, & parentum suorum. De istis verò salinis, quas Comes, & frater suus Almericus dederunt, & de illis quas Comes vendidit, si Episcopus, vel Canonicus Seguntina Ecclesia decimas quæsierint, reintegrent se in salinis, vel hæreditatibus Comitis. Huius venditionis fuerunt testes Gonzaluo Diaz, Ferrant Martinez, Nunio Sancio, Nudarra, Garcia Stephanez, Pelaio Petrez. Facta charta in Berlanga. Æra M. CC. X I. Si verò hanc venditionem, & donationem aliquis infringere voluerit: sit maledictus cum Iuda, & Datan, & Abiron. Hanc chartam confirmo ego Comes Petrus, & ego vxor sua Sancia. 10.

Hæc instrumenta Annalibus inserui, pietate in Ecclesiam, quam Matrem habeo; dein in Principes Narbonæ, atque Molinæ, Regum Galliæ, & Hispaniæ progenitores; quos ingentibus hisce donationibus, velut secundos Hortæ fundatores, certè amplificatores, iure agnoscimus; tertiò ad maiorem notitiam antiquitatis, ex qua non paucæ historiæ vtriusque Regni, quæ multæ in Amalrico, & Hermescenda, lucem accipient, quartò, vt largitas constet illius æui, quæ, vt doceret donare sine fastu; vendere sine pretio, aut nouit, aut didicit: eò profusior, quo minus sibi retinens; & vel nomen effundens largitatis. Demum in gloriam Sanctissimi Abbatis, sub quo sic floruit Horta, quam vt Rodulphus, & Blasius Abbates, alter plantauerit, altérque transtulerit; at incrementa, post Deum, Martinus dedit; quod in sequentibus latius demonstrabitur. 11.

---

1. Gerardi Tornacensis Præsulis obitus. 2. Prolixa lis Oliuensis Monasterij, cum Monte Aragonis, 3. Transactione composita, 4. & annuus census redemptus hoc nostro sæculo. 5. Dictum de duplici Chronologia fundatione, 6. Et de Sancto Andraa de Valle-benigna, 7. donatione Alfonsi Regis Castellæ reformata ad Cistercium, 8. cùm ante centum annos fundata esset. 9. Priuilegia eius & alia remissiuè.

CAPVT VII.

1. HOc ipso anno in Cœnobio Villariensi cessit Vlricus, vir, vt ait Grammaius [a], *plenus dierum, & fama suaue olentis* in cuius locum subrogatus est Gerardus, qui domum illam strenuè administraret

a In Villario.

ministraret. Ita Tabulæ [b] Ecclesiæ Villariensis nam in anno Grammaius non nihil discrepat. Sub idem tempus, quo hic idem Gerardus in locum cedentis Vlrici est subrogatus, Gerardus alter, seu Giraldus viuere desiit, Tornacensis Episcopus, ex Abbate secundo eiusdem domus, cuius suprà meminimus: quemque inter Episcopos assumptos ex Claraualle diximus ab Arnoldo [c] commemorari: Certè hoc anno in Episcopatu Tornacensi successisse Gualterum, alij graues authores testificantur. Porro si ad eum vsque Giraldus vitam produxit, dicendus est præfuisse annis septemdecim; nempe à millesimo, centesimo, quadragesimo nono, quo fuit assumptus. Gerardi acta, quæ ex Buzelino, & aliis pauca accepimus, superiùs tradidimus. De eo agunt Seguinus [d], & Henriquez [e], ille inter claros Pontifices Cistercij, hic in Menologio: sed ille minori notitia, quam par foret; hic vt solet, maiori pietate. Quippe ille reticet præfecturam Villariensem, ad quam à Bernardo transmissus, ex Claraualle: hic dum Bernardi discipulum agnoscit, non dubitat Beatum appellare: cùm tamen ex antiquis nullum proferat, qui inter sanctos recenseat; neque in cathalogis, qui solent circumferri, connumeretur.

b *Apud Henric in Fascic. lib. 1. dist. 4.*

c *Lib. 2. Vita S. Bern. c. 8.*

d *Lib. 1. c. 11.*

e *Septembr. 22.*

2. Sub idem tempus Monasterium dela Oliua in Regno Nauarræ, cuius suprà meminimus, cum diu & multum cum Ecclesia Regali Montis Aragonis iuribus super quibusdam litigasset; tandem coacto Concilio Episcoporum (inter quos affuit Stephanus, hoc ipso anno assumptus, ex Populeto, & qui illi successit Abbas Hugo) sub Archiepiscopo Tarraconensi Hugone, transactum est; & Ecclesia Chari-castelli, quæ in litem venerat, pleno iure Oliuæ adiudicata, sub annuo censu, & pretio tunc soluto, & possessionis alterius redemptione. Proferam instrumentum transactionis, quia antiquum; atque ipsa assistentium grauitate authoritatem præferens, qua res Cistercij ab antiquis pertractabantur. Extat autem in Tabulario domus de Oliua, sub hoc tenore.

3. *IN Dei nomine. Hæc est charta compositionis, quam ego Fortunius Abbas Montis Aragonis, cum consilio, & voluntate fratrum meorum Concanonicorum, facio cum Bertrando Abbate Sanctæ Mariæ de Oliua, & vniuersis successoribus, & fratribus suis, in præsentia Domini Hugonis Archiepiscopi Tarraconensis, & aliorum multorum Episcoporum, & Abbatum, & aliarum religiosarum personarum. Cùm multo siquidem tempore inter Ecclesiam Oliuensem, & Ecclesiam Montis Aragonis controuersia agitaretur, voluntaria compositione, in præsentia præfatorum Dominorum, in hunc modum decisa est. Intuitu enim pacis, & charitatis alternæ, & amore Iesu Nazareni, & Matris eius, in cuius honore constructum est Monasterium Oliuense, præfata Ecclesia Montis Aragonis tradit Ecclesiæ Oliuensi Ecclesiam de Charo-Castello integraliter, cum omni iure suo siue decimarum, siue primitiarum, vel oblationum, vel sepulturarum, vel quarumlibet aliarum rerum, quas in præfata Ecclesia, & vniuersis terminis eius Ecclesia Montis Aragonis habet, vel habere debet. Pro compositione verò ista, & largitione, debet persoluere in die Pentecostes, pro censu annuatim, Ecclesia Oliuensis, Ecclesiæ Montis Aragonis quatuor Marauetinos bonos, & boni auri, & recti ponderis. Insuper Ecclesia Oliuensis, quando compositio facta est, redemit quandam vineam de Saluras, quam tenebat Bertrandus Leminicanus obligatam in pignore pro mille solidis, & restituit eam Ecclesiæ Montis Aragonis. Actum est XII. Kalend. Iulij, Anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo sexagesimo sexto. Huius autem pacificæ compositionis testes sunt subscripti Episcopi, & Abbates.*

Sig † num Guillermi Barchionensis Episcopi.
Petrus Dei Gratia Cæsaraugustanus Episcopus.
Guilelmus, Dei gratia Illerden Ecclesiæ Episcopus S. Raimundi Episcopi.
Pontius Dei dignatione, Dertusensis Episcopus.
Petrus Ausonensis Episcopus.
Sig † num Stephani, Oscensis Episcopi.
S. Petri Abbatis Vallis Lauræ.
S. Hugonis Abbatis Populeti.
S. Vvillelmi scriptoris, qui hoc scripsit die, & anno, quo supra. Hactenus instrumentum Transactionis.

Permanet hodiéque Ecclesia Carcastellensis Monasterio Oliuæ: & perdurauit solutio census annui vsque ad hoc nostrum sæculum, in quo anno millesimo, sexcentesimo, decimo octauo, vir verè clarus, & mihi quondam charus, Magister frater Ludouicus Almandarius, Marchionis Chadereitæ Frater natu maior, ex Monacho Vallis Paradisi, in Abbatem Oliuensem, inde in Iacensem primò, mox Vrgelitanum Episcopum, demúmque in Archiepiscopum Tarraconensem assumptus, inter alia, quæ sui præsulatus monumenta reliquit, hoc etiam vltimum in decessu suo adiecit, Oliua quatuor illis aureis marabetinis, ducentorum ducatorum pretio, quod ipse persoluit, eximeretur; non vnquam amplius soluendis Monti Aragonis. Hæc in gratiam amici, & condiscipuli, quem nobis, imò & bono publico abstulit immatura mors, cùm vltra præfatas sedes, pro regis Cathaloniæ officio perfunctus esset. Expleuit sanè in breui consummatus tempora multa honorum, & dignitatum; expleuit, quantum coniectari licet, & meritorum: Quippe, vt cui, si diu superuixisset, incrementa terrena penè iam deerant; cælestia occurrerent, non habitura terminum, nullo vnquam occasu defutura. 4.

Quod attinet ad fundationes Monasteriorum, duas tantum hoc anno notatas lego de Grossouosco, & Bonæ-cumbæ, aut Combæ, & quidem prior in Engolismensi diœcesi, notatur inter Filias Obacinæ, in Tabulis Ecclesiarum Cistercienſium; sed quam longè anteriorem videtur facere author vitæ Sancti Stephani Obaciensis; quippe Cistercio cum Obacina ipsa traditam, sub Abbate Girardo, viro Sanctissimo: secundam, in Rutenensi, Candelium protulit, fundatore Raimundo Tolosæ Comite, vt habet Claudius Robertus in sua Gallia. *Bona cumba* (ait) *Cisterciensis Ordinis, Ruthenensis Diœcesis, fundatur anno M. C. LXVI. à Raymundo Comite Tolosano, & Hugone Episcopo Ruthenensi: pridie Idus Ianuarias, Manfredo primo Abbate.* Latius hæc eadem Guillelmus Katell, in ea, quam Gallicè texuit, historia Tolosæ Comitum. *Anno*, ait, *Incarnationis Domini nostri, & Saluatoris M. C. LXVI. Abbatia Bona-Comba Cisterciensis Ordinis, Ruthenensis Diœcesis ædificata est, in honorem Dei omnipotentis, & eius gloriosissimæ Matris, atque omnium Beatarum virtutum, ab illustrissimo Principe Raymundo, Comite Tolosano, & Domino Hugone Ruthenensi Episcopo, fratre Domini Comitis, & celebrata fuit prima Missa de Spiritu sancto per Reuerendum Patrem Dominum Gaubertum Abbatem Candelij, & Fratrem Abbatiæ ipsius Dominum* 5.

Dominum Manfredum: & fuit ordinatum, quod omnes cantarent de Spiritu sancto, & in Conuentu celebraretur Missa, sicut vnius Apostoli, scilicet Pridiè Idus Ianuarij. Hactenus ille.

6. His fundationibus addendam censeo tertiam, quæ in Hispania, vt non de nouo cœperit, de nouo tamen Cisterciensia iura suscepit, cum antea militasset sub nigro habitu dicata domus Apostolo Andreæ, secundo lapide à Vallisoleto, in Palentina Diœcesi: nomen à Valle-benigna; vulgo de *Valueni*: donatio facta ab Alfonso Rege Castellæ, cui iure patronatus competebat: & tradita Monasterio Vallis-bonæ, non longè inde distanti, & Venerabili VVillelmo eius Abbati, vt in ritus Cistercij reformaretur. Atque ecce instrumentum donationis, quam constat factam ab Alfonso Rege hoc anno.

7. *EGo D. Alfonsus Rex Castellæ, & Extrematuræ, Regis Domini Sancij Filius, pro amore Dei, & sanctæ eius Genitricis, & pro salute animæ meæ, & pro animabus Patris, & Aui mei, & propter remissionem peccatorum parentum meorum, & omnium Fidel. Christianorum. Facio chartam donationis, & dono Ordini Cisterciensi, & vobis Domino VVillelmo Abbati Vallis-bonæ, & Fratribus eiusdem loci præsentibus, atque futuris, Monasterium, quod dicitur S. Andreæ de Valueni, in perpetuum vobis & successoribus vestris iure hæreditario possidendum; & omnia ad ipsum pertinentia: scilicet, Decanias, montes, valles, colles, pascua, defessas, prata, fontes, piscaria, & denique terras omnes cultas, & incultas, vbicumque sint per sua loca, & per terminos antiquos, secundum quod inquiri, & inueniri poterit; vt ex hoc nunc teneatis, & possideatis illud liberum, & immune in perpetuum. Hoc autem donum, & eleemosynam meam quicumque irrumpere præsumpserit, vel annullare tentauerit sit anathema maranata, &c. Facta est charta huius doni, & roborata a Domino Rege Alfonso apud Abulam in Palatio, quod est contiguum Ecclesiæ S. Saluatoris, Æra M. CC. IV. Kalendis Martij Regnante Rege Alfonso in Castella, & in Extrematura, & in Toleto, & in Nauarra Ego Rex Alfonsus, qui hanc chartam fieri iussi, manu propria roboro.* Hactenus instrumentum donationis.

8. Porrò ex eius verbis primum colligo corrigendam chronologiam, quæ Monasterium Sanctæ Mariæ de Palatiolis in quod postea migrauit, S. Andræas, refert in æuum M. C. LXIX: triennio reformationem eius postponens. Quamuis non negem fieri potuisse, vt missio Monachorum ex Valle-bona, post acceptatam donationem, retardaretur. Cæterum donationem hoc anno factam, non noui Monasterij, sed antiqui, quod multis annis sub Regula Sancti Patris Benedicti militauisset, in primis probant Decaniæ illis subiectæ, quarum Alfonsus meminit in ipsomet instrumento donationis. Sed longè clarius, euidentiúsque antiquiores aliæ donationes, quæ adhuc extant: altera facta Monasterio Sancti Andreæ Apostoli, & Abbati Bellido Æra M. C. I. quæ incidit in annum M. LXIII. Altera facta eidem Monasterio, & Abbati eius Ioanni Æra M. C. XXXVIII. quæ incidit in annum M. C. Ergò ante centum annos fundatam domum, atque auctam subiectis Decaniis, interuentu Alfonsi Regis Castellæ constat in iura Cistercij transisse, sub Bonæ-vallis Abbatis visitatione. Atque hoc primum Monasterium fuit, quod, dono Alfonsi Regis, nostris accessit: quod quam multa exinde sequuta sint, ipsa series historiæ demonstrabit.

Nouennio post, idem Alfonsus Rex, quod dederat Abbati Vallis-bonæ, Generali Cistercij confirmauit. *Monasterium meum, scilicet, Ecclesiam Sancti Andreæ Apostoli, quod situm est in Valle-benigna, Ordini Cisterciensi, & vobis Domino Ioanni Abbati, vice Christi, eiusdem Ordinis Magistro præsidenti, iure hæreditario in perpetuum tradidi, & trado: tali tamen conditione, & tenore, vt Cisterciensis Ordo, Domino præbente, & auxiliante, illibatus ibidem, & integer custodiatur. Facta charta Vallisoleti, septimo Kalendas Octobris. Æra M.CC.XIII.* 9.
Extant, & plura alia priuilegia eiusdem Regis, indulta eidem Cœnobio, & Abbatibus pro tempore existentibus; Martino Abbati Monasterij Sancti Andreæ de Valle-benigna, & successoribus eius, *Facta charta apud Bell-foratum Æra M. C C. XXVII. in anno, quo prædictus Alfonsus Rex Castellæ, & Toleti Alfonsum Legionensem Regem cingulo Militiæ accinxit, & ipse Alfonsus Rex Legionis osculatus est manum dicti Alfonsi Regis Castellæ; & consequenter eodem anno, quo paucis diebus elapsis, sæpe dictus Alfonsus Rex Castellæ, Romani. Imperatoris Filium Conradum nomine, in nouum militem armauit, & ei filiam suam Berengariam tradidit in vxorem, &c.* Godefrido Abbati Sancti Andreæ de Valle-benigna, & successoribus eius, *Facta Charta apud Sanctum Stephanum de Gormaz. Æra M. C C. XXXVIII.* VVillelmo Abbati Monasterij Sancti Andreæ. *Facta Charta apud Burgos. Æra M. C C. XLIII.* Non vllum aliud Cœnobium inuenietur, cui plura, aut maiora ab Alfonso concessa fuerint. Qualiter autem Monasterium omnino Regium post annos septem supra quadraginta, ad priuatos transierit, ac locum simul, nomenque mutauerit, & pro Valle-benigna, Palatiola, pro Sancto Andræa Mariam Dei genitricem. Demùm pro antiquo loco, nouum, non longè dissitum, ad Pisoricæ ripas, acquisierit, anno M. C C. XIII. quo constat euenisse, cum reliquis, quæ eam domum concernunt, dicendum erit.

Iesu Christi Ann. 1167. Cistercii Ann. 70.

1. *Frustrato Imperatore Friderico.* 2. *Sanctus Thomas Alexandro congratulatur.* 3. *Confusionem, ignominiámque Henrico prædicit.* 4. *Tum à Pontifice creatus legatus Angliæ.* 5. *Super quo Londoniensis Regi scribit:* 6. *Appellationem suadens, quam prohibuerat.)* 7. *Litteris datis ad Prouinciæ Cantiæ Episcopos.* 8. *Desperatis remediis mitioribus,* 9. *Consuetudines Regias expressè damnat.* 10. *Schismaticos,* 11. *& consuetudinibus fauentes anathemate percutit.* 12. *Delato interim Rege, ni resipiscat, etiam percutiendo.*

Caput I.

1. Annus sequitur millesimus, centesimus, sexagesimus, septimus; à condito Cistercio septuagesimus, quo *status sacræ Romanæ Ecclesiæ*, vt scribit Baronius Cardinalis [a], *in extremum discrimen adductus, diuina tandem miseratione, clade immensa percussis hostibus, speciosiore nitore refloruit.* Certè Alexander eò adductus est, vt, nisi fuga sibi consuluisset, sub peregrini veste (quod tradit Romualdus Salernitanus [b]) nequaquam euasisset manus tyranni. Quin & eiusdem captio Friderico prædicta per falsos vates, non solum illi audaciam, ferociamque, verum & Regi Anglo contra Ecclesiam, atque eius vindicem Thomam, subministrabat. Scribit id paucis Ioannes Sarisberiensis [c], ad Magistrum Radulfum Nigrum, totidẽ verbis *Rex* (scilicet Angliæ) *in Imperatore confidit, & in captione Domini Papæ, quã ei vaticinantur Prophetæ Baal, falsa videntes, & stulta, quæ non loquuntur adhuc.* Verùm quam falsa, euentus comprobauit. Nam Pontifex elapsus fuga, vt dixi; & Fridericus expertus Dei vindictam, post plures Principes, & militum gregariorum ingentem numerum peste absumptos; & reliquos, siue odio in duces partium, siue metu contagij pulsos à Longobardis; non minùs profugus, per auia montium gradiens, tandem deserere Italiã coactus est, ingenti admiratione totius orbis.

a Ad hunc ann.

b Apud Baron.

c Epist. 171.

2. Tum verò S. Thomas, qui Pontigniaci; tantæ rei exitum solicitus, æquè, ac pius præstolabatur; cum Theutonicam cladem, vulgante fama, atque Ecclesiæ victoriam accepisset; transmisso nuntio, per quem certius de cunctis instrueretur, tales ad Alexandum gratulatorias, atque totius reuerentiæ plenas litteras dedit [d].

d Apud Baron. hoc ann.

Amantissimo Domino, & Patri Sanctissimo, Alexandro D.G. summo Pontifici, Thomas Cantuariensis Ecclesiæ minister humilis, miser, & miserabilis exul, salutem, & contra sæuitiam Principum semper animi constantiam.

Soliciti de statu, & de prosperitate vestra, optaueramus iam pridem, certum salutis Nuncium audisse de vobis, & de confratribus vestris; quid etiam egerit vobiscum, & cum Ecclesia sua, Dei magnificentia. Insonuit enim auribus nostris, & toti Galliæ verbum, quod nouiter factum dicitur a Domino: videlicet illum Fridericum schismaticum, ignominiosè humiliatũ, factum sine honore, coram populo, & gente. Verùm, quoniam rumoribus credi oportere, & non oportere fas est; paternitatem vestram affectuosè solicitamus, vt recurrente cum litteris nuntio, per vos certissimè audiamus, & congaudeamus, si fecerit vobiscum Deus, quod facere consueuit sperantibus in se, non ponentibus carnem brachium suum, non habentibus fiduciam in Principibus, in quibus non est salus. Si egerit vobiscum, sicut egit cum Ezechia de Sennacherib, retorquens pœnam in ipsum, quâ moliebatur demoliri ipsum Ezechiam, cum vniuersa gente sua. Si sic se rei habet euentus, sicut fama diuulgauit; benedictus Deus, qui nouit facere misericordiam cum seruis suis: Ecce quanta Dei potentia, quàm magna ipsius miseratio! [e] *Nisi ipse enim custodierit ciuitatem, frustra vigilat, qui custodit eam. Non est à sæculo audita virtus Dei manifestior, si rectè pensetur, quod euenerit. Iustitia ipsius iustior quâ contriuit ipsos fabricatores huius militiæ, tantæ persecutionis authores; consumpsit etiam eos morte famosissima. Ipsum vtinam iam exprincipem viuentem dederit in opprobrium omni populo, in derisum omni transeunti; vt ab omnibus digito monstretur, & fiat de ipso, quasi celebre prouerbium, more vulgi dicentis* [f]; Ecce homo, qui non posuit Deum adiutorem suum., *sed confisus in potentia sua defecit in ipsa vanitate sua. Cui satius fuisset, & gloriosius, apud homines moriendo succubuisse, impugnando suos aduersarios, quàm viuendo fieri despectui cunctis, & in derisum. Hæc est Dei virtus, & fortitudo brachij ipsius. Quis ergo audeat de cætero, habens Christi vices in terra, obsequi voluntati Principum in confusionem Ecclesiæ non puniendo delinquentes? Audeat, qui voluerit, non ego; ne transferatur in me pœna delinquentis, ne iudicer culpabilis, ex dissimulatione vindictæ; ne transeam in culpam, qui culpam non admisi.* Hactenus D. Thomas ad Alexandrum.

e Psal. 126.

f Psal. 51.

Porro quod Dei vindictam pro Ecclesia, aduersus Fridericum, in causam suam transfert; haud obscurè designat Angliæ Regem, simili culpæ obnoxium, nec dissimili pœnæ subiiciendum, ni resipiscat. Quod vtrum Sanctus spiritu prophetico afflatus prædixerit; an solùm præcauens, & timens magis quam præscius; in dubio est. Certum Henricum eodem modo confusum, & humiliatum, ex quo se palam exhibuit Ecclesiæ hostem. Quod vtique, collatione facta cum Friderico, Ioannes Sarisberiensis perpendit graui epistola [g]. *Quis enim* (ait) *similis erat Friderico in filiis hominum, antequàm in tyrannum verteretur, ex Principe; & ex catholico Imperatore, schismaticus, & hereticus fieret? Non dico, quod in articulis Fidei, ne rectè credatur, inducat errorem. Sed quia in synceritate Ecclesiastici Ordinis procedere non sinat veritatem. Ille Sacerdotium scidit aduersùs Dominum, & à Domino scissuram sensit Imperij. Sic & Rex Anglorum, qui vicinis Principibus terrorem incusserat, ex quo calcaneum erexit aduersus Ecclesiam, & eam conatus est subiicere seruituti, ab inermibus expugnatur; vt adiacentium nationum opem cogatur implorare; & aduersus Dominum intumescens, illico manifesta virium suarum, & suorum sensit dispendia plurima.* Hæc ad Episcopum Oxouiensem, Ioannes Sarisberiensis in hac epistola: nec dissimilia in altera anteriori [h]. *Memini* (inquit) *quamuis erat Rex Anglorum, cum paruulus videretur in oculis* 3.

g Epist. 177.

h Epist. 159.

suis:

ſuis:& ad Eccleſiam Domini veſtri ſpeciem fidei, & reuerentia pratendebat; & planè videbatis eum iam nullo fruſtratum conatu. Sagitta eius retrorſum non abiit, clypeus eius non declinauit in bello, & haſta non eſt auerſa: ſuper pradam accumbebat, vt leo, vt nullus eum excitare praſumeret. Vel viſu terrebat hoſtes; vicini ſe inclinabant obſequiis, remoti Principes amicitias expetebant; colebatur à ſuis, honorabatur ab extraneis, pradicabatur à cunctis, à bonis diligebatur. Hic rerum Angliæ ſub Henrico ſtatus, dum adhuc pius. At poſtquam in Eccleſiam extendit manum. *Numquid* (ait) *ab ea die fortuna eius non retrorſum ceſſit, & ſucceſſuum vbertas emarcuit?* Hæc ergo Thomas potuit prædixiſſe. Quæ tamen, ne Martyrij palmam, ad quam dudum electus, illi ſubtraherent, parcius diuina prouidentia, & veluti latentiùs diſpenſabat.

4\. Inter hæc, quæ diſſimulatæ hactenus litteræ Alexandri Pontificis ad Thomam, & legatio per Angliam illi iniuncta, ſub huius anni initium deteguntur: directis circa feſtũ S. Pauli, ad ſingulos Epiſcopos mandatis, quibus Thomæ obedire, atq; eius obſeruare ſãctiones, remota appellatione præcipiebantur. Satis, ſupérque viſum Archiepiſcopos, ſi tres integros menſes ſuſtinuiſſet, ſua abutentes patientia; & quo maiori, licentius abuſuros. Inſtabant etiam duo alia præcepta, quæ celerem poſcebant exequutionem: alterum de colligendo denario S. Petri, quod Rex Henricus inter alia prohibuerat: alterum de reſtituendis poſſeſſionibus, beneficiíſque, quæ clericis eiuſdem D. Thomæ contra fas, contra ius ablatà eſſent. Ergo vt his omnibus opportunè prouideret, patentes litteras Alexandri Papæ ad Gilebertum Londonienſem in Angliam mittit, ab eo ſtatim ad alios tranſmittendas. At Gilebertus, cùm nec aduerſari Pontificiis mandatis tutum putaret, nec ſeſe Regi opponere auderet; hanc ad eundem epiſtolam ſcripſit, quâ & ipſum de cunctis certiorem facit, & vt cedat Pontifici, & rationi, aut eos ſaltem tandem permittat cedere, ſupplex expoſcit.

[h] *Henrico Regi Anglia Londonienſis Epiſcopus.*

h Baron. ad hunc ann.

5\. *Tanta nos Domine mandatorum moles opprimit, tanta ſe nobis authoritas opponit, vt conſilium pariter, & auxilium a vobis expetere, ſumma compellamur neceſſitate. Nam quod Authoritas Apoſtolica pracipit, hoc appellatio non ſuſpendit; nec aduerſus eius mandatum vllum poteſt eſſe remedium, cum, quod pracipitur, implere neceſſe ſit, aut inobedientia reatum incurrere. Die namque Beati Pauli; cum Londoniis ad altare conſiſteremus, litteras Domini Papa, de manu cuiuſdam nobis penitus ignoti ſuſcepimus, quibus legatio in totam Angliam, excepto Eboracenſi Epiſcopatu, Domino Cantuarienſi conceditur, & auctoritate confirmatur. Omnibus etiam nobis regni ipſius Epiſcopis eiuſdem authoritate iniungitur, quatenus ei, tanquam Apoſtolica Sedis legato humiliter obediamus; & ad eius vocationem, abſque contradictione, conueniamus; & qua ſtatuerit, firmiter obſeruanda ſuſcipiamus. Adiicitur etiam, vt omnes, qui beneficia Clericorum Archiepiſcopi in eorum abſentia mandato veſtro perceperunt, ad plenam eorum infra duos menſes reſtitutionem, anathematis ſententia, omni appellatione remota, compellamus. Denarium etiam Beati Petri à fratribus, & Coëpiſcopis noſtris pracipimur exigere, & nuntiis deſtinandis ad nos integrè conſignare. Litteras etiam legationis iam dicta, & litteras Archiepiſcopi, quas ad plures tranſmiſit Epiſcopos, ipſis aut mittere, aut praſentare pracipimur, ſi in noſtri ſtatus, & Ordinis integritate vlteriùs perſeuerare curamus.*

Ad pedes itaque ſublimitatis veſtra corde proſtrati depoſcimus, ne ob magna negotia, qua cura Regia ſubminiſtrat, reſpicere deſinatis ad nos; ſed, ne in ſummam noſtri ignominiam, ex toto redigamur in nihilum, pietate regia prouideatis. Quod quidem benefacietis, ſi mandatis Apoſtolicis pace veſtra obedire conceſſeritis; & reddito denario Beati Petri, & Clericis, qua ſua ſunt, in miſericordia veſtra reſtitutis, Epiſcopis omnibus mandaueritis, vt ſi in litteris Archiepiſcopi aduersùs regni conſuetudinem, grauamen aliquod intellexerint, ad Dominum Papam ſtatim, vel, ad legatos, qui diriguntur ad nos, confidenter appellent. Sic enim opus miſericordia perficietis, & nos ab inobedientia reatu conſeruabitis; & cauſa noſtra, ne in aliquo detrimentum accipiat, communi omnium appellatione prouidebitis. Doceat vos Dominus facere voluntatem ſuam, & eam ſubleuare moneat, quam ad praſens experimur anguſtiam. Valeat Dominus meus in Chriſto chariſſimus. Sic Londonienſi per remedium appellationis, quod cæteris negabat, ſibi, & Coëpiſcopis orabat prouidendum. 6.

At Sanctus Thomas legationis ſuffultus munere, ne vacuum nomen gereret, néve damnatis Angliæ conſuetudinibus, propter quas exulabat, aut conſentire, aut aſſertionis earum miniſtros impios, aliquomodo videretur non coërcere; primùm quidem Epiſcopos fideles, à promiſſione facta ſuper conſuetudinibus abſoluit: atque, vt Regi reſiſtant, piè hortatur: inde inſigniores, ex eis conſuetudinibus, ad verbum exprimens, tanquam ſacrilegas, impiaſque condemnat. Demum Regi, pœnitentiæ tempus indulgens, cæteros omnes miniſtros prauitatis anathemate mulctat: Quoſdam, quod Friderico, contra Alexandrum, in ſchiſmate nefario participaſſent: quoſdam, quod dictis fauerent conſuetudinibus. Et quoſdam tandem velut impios detentores bonorum Eccleſiæ Cantuarienſis. Quæ omnia continent litteræ ab eo datæ Pontigniaci, hoc anno, ad Epiſcopos Angliæ ſibi ſubiectos, quas idem Cardinalis dimidiatas, Rogerius [i] integras inſeruere ſuis Annalibus; earum autem tenor ita ſe habet. 7.

i Ad hunc ann.

Thomas, Dei gratia, Cantuarienſis Eccleſia miniſter humilis, venerabilibus fratribus ſuis Londonienſi, caterìſque totius Cantuarienſis Prouincia Epiſcopis, ſic tranſire per bona temporalia, vt non amittant aterna. 8.

Fratres mei dilectiſſimi, quare non conſurgitis mecum aduerſus malignantes? vt quid non ſtatis mecum aduerſus operantes iniquitatem? an ignoratis, quoniam diſſipat Dominus oſſa eorum, qui hominibus placent? confundentur; quoniam Dominus ſpreuit eos. Satis nouit diſcretio veſtra, quoniam error, cui non reſiſtitur, approbatur; & veritas, cum minimè defenditur; opprimitur; videturque, teſtante Gregorio, conſentire erranti, qui ad reſecanda, qua corrigi debent, non occurrit. Inde eſt quod Dominum noſtrum Regem Anglia ſatis, ſupérque ſatis ſuſtinuimus; nec vllum ex eo ſuſtinentia noſtra aſſecuta eſt Eccleſia Dei compendium. Periculoſum, & intolerabile de catero nobis viſum eſt, & tantos illius, officialiumque ſuorum contra Eccleſiam Dei, & Eccleſiaſticas perſonas exceſſus, vt hactenus, impunitos relinquere. Praſertim cum ſapiſſimè litteris & nuntiis, modiſque aliis, prout decuit, ſtuduerimus eum, à peruerſo propoſito ſuo reuocare.

Et quoniam vix ab eo auditi ſumus, nullatenus tamen exauditi, ſcriptum illud, in quo illa non conſuetudines, 9.

tudines, sed potiùs prauitates, quibus perturbatur, & confunditur ad præsens Anglicana Ecclesia, continentur, ipsiúsque scripti authoritatem, inuocata Spiritus Sancti gratia, publicè condemnauimus, & cassauimus. Vniuersos etiam obseruatores, exactores, consiliatores, adiutores, seu defensores earum, excommunicauimus; omnesque vos Episcopos à promissione, qua contra institutionem Ecclesiasticam, ad earum obseruationem tenebamini, authoritate Dei, & nostra, absoluimus. Quis enim dubitat Sacerdotes Christi, Regum, & Principum, omniúmque fidelium patres, & magistros censeri? Nónne miserabilis insania esse cognoscitur, si filius Patrem, discipulus magistrum sibi conetur subiugare; & iniquis obligationibus illum potestati suæ subiicere, à quo credit non solum se in terra, sed etiam in cælis ligari posse, & solui? Proinde, ne in huius sententia commissum incidamus, & authoritatem ipsius scripti, ipsumque scriptum cum prauitatibus, quæ in eo continentur, in irritum duximus, & cassauimus. Præsertim his: quod non appelletur ad sedem Apostolicam, in aliqua causa, nisi licentia Regis: Quod non liceat Archiepiscopo, vel Episcopo exire de regno, & venire ad vocationem Domini Papæ, sine licentia Regis: Quod non liceat Episcopo excommunicare aliquem, qui teneat de Rege in capite, sine licentia Regis; vel aliquem alium officialium suorum sub interdicto ponere: Quod non liceat Episcopo coercere aliquem de periurio, vel fide læsa: Quod Clerici trahantur ad sæcularia iudicia. Quod laici, seu Rex, seu alij, tractent causas de Ecclesiis, vel decimis, & alia in hunc modum.

10. *Denuntiamus etiam excommunicatum, & excommunicamus ex nomine Ioannem de Oxenefort, qui in hæresim damnatam incidit, parando iuramentum schismaticis, per quem schisma iam fere emortuum in Alemania reuixit; communicando etiam, nominatissimo illi schismatico Reginaldo Coloniensi. Et quia contra mandatum Domini Papæ, & nostrum Sarisberiensis Ecclesiæ Decanatum sibi vsurpauit. Quod quidem factum tam detestabile, tam iuri contrarium, tam Ecclesiæ Dei exemplo perniciosum, penitus cassauimus, & reuocauimus, in irritum; præcipientes Episcopo Saruberiensi, & capitulo, in virtute Sanctæ obedientiæ, & in periculo Ordinis sui; ne de cætero, visis litteris nostris, ex eo facto eum Decanum haberent. Similiter & Richardum de Iuecestre denuntiamus excommunicatum, & excommunicauimus, eò quòd in eandem hæresim damnatam inciderit, communicando Reginaldo Coloniensi schismatico; machinando etiam, & fabricando omnia mala cum schismaticis, & Theutonicis illis, in perniciem Ecclesiæ Dei; & præsertim Ecclesiæ Romanæ, ex pactis contractis inter Dominum Regem, & ipsos.*

Excommunicamus etiam Richardum de Luci, & 11.
Iocelinum de Bailol, qui prauitatum illarum authores, & fabricatores extiterunt; Ranulphum etiam de Broc, qui bona Ecclesiæ Cantuariensis, quæ alimenta de iure sunt pauperum occupauit, & detinet; homines que nostros tanquam laicos capit, & in captione detinet; excommunicamus etiam Hugonem de Sancto Claro, & Thomam filium Bernardi, qui eiusdem Ecclesiæ Cantuariensis bona, & possessiones absque conniuentia, siue assensu nostro occupauerunt. Omnes, qui de cætero in possessiones, & bona Ecclesiæ Cantuariensis, contra voluntatem nostram, & consensum, manus violentas extendunt, eadem excommunicationis sententia innodauimus, iuxta illud Papæ Lucij, omnes Ecclesiæ raptores, atque suarum facultatum alienatores, à liminibus eiusdem matris Ecclesiæ sequestrandos anathematibus damnamus, atque sacrilegos esse iudicamus. Et non solum eos, sed etiam cum his comprehendit consentientes. Et alibi dicit, qui consentit peccantibus, & alium peccantem defendit, maledictus erit apud Deum, & apud homines; corripietúrque increpatione seuerissima. Et iterùm: siquis peccantem defendit, acrius, quàm qui peccauit, coërceatur.

Sanè in Domini Regis personam sententiam ad- 12.
huc ferre distulimus, expectantes, si fortè, inspirante diuina gratia, resipiscat. In proximo tamen eam laturi, nisi citiùs resipuerit. Et inde est, quod fraternitati vestræ mandamus, atque in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, quatenus viros prætaxatos, qui à nobis excommunicati sunt, vos quoque prout excommunicatos habeatis, & denuntiari faciatis, iuxta illud Decretum Honorij Papæ; licitum sit omnibus Episcopis excommunicatorum suorum nomina, tam vicinis Episcopis, quam suis parrochianis, pariter indicare, eáque in celebri loco posita præ foribus Ecclesiæ, cunctis venientibus inculcare; quatenus in vtraque diligentia, excommunicatis vbique Ecclesiasticus aditus denegetur; & excommunicationis causa omnibus auferatur. Tibi autem, Pater Episcope Londoniensis, mãdamus, & in vi obedientiæ iniungimus, quatenus litteras præsentes, aliis fratribus, & Coëpiscopis nostris omnibus de Prouincia nostra manifestes, & ostendas. Valete in Christo, & pro nobis constanter orate.

---

1. Henricus Rex Chinonense Concilium congregat. 2. Sancti Thomæ cognatos Anglia exturbat. 3. Nec minùs ipsum expellendum procurat à Pontigniaco, 4. Litteris datis ad Abbates, & Capitulum. 5. Sancti abstinentia vsque ad defectum virium. 6. Et grauem inde sequutam infirmitatem. 7. Peregrinatio ad Vrbem Suessionensem, quæ appellantes fustrauit. 8. Sententia in Regem dilata; 9. lata in alios, 10. à qua appellatum rursus, conatu irrito.

CAPVT II.

1. IRAM Regum plerumque frænari nesciam, & faciliorem irritari, quàm coerceri; longa experientia probatum priscis temporibus, recenti exemplo Henricus confirmauit: cùm vix auditis S. Thomæ litteris, congregauit Conuentum Chinonensem; Episcopos, & Proceres Regni, aduersùm Thomam, quà posset accensurus. Ioannes Sarisberiensis author est, [a] *Studio-*
a Epist. 139. *sius inquisiuisse, præmissis minis, & obtestatione quamplurima; quonam consilio sibi vtendum foret aduersùs Ecclesiam?* Sed quod in primis vrebat pectus ipsius. *De Cantuariensi Archiepiscopo grauissimè conquerens, non sine gemitibus, & suspiriis multis, & (vt tunc præsentes, postea retulerunt) lachrymatus est, dicens; quod idem Cantuariensis ei corpus, & animam pariter auferret. Tandem dixit, quòd omnes proditores erant, qui eum adhibita opera, & diligentia, ab vnius hominis infestatione nolebant expedire.*

Hinc

2. Hinc factum puto, vt quotquot modis posset, noua rabie Archiepiscopum vexaret. Nam audi Rogerium de ipso ita loquentem. [b] *Eodem hoc anno, idem Henricus Rex filius Mathildis Imperatricis (iterum) expulit ab Anglia, & ab omnibus terris suæ dominationis omnes homines, & fœminas, quoscumque inuenire potuit, de cognatione B. Thomæ. Pueros etiam in cunis vagientes, & adhuc ad vbera matrum pendentes, misit in exilium; vt, visis illis, augmentaretur dolor præfati Archiepiscopi. Quos cùm B. ille Thomas videret, turbatus est valde; & dolori eorum compatiens, plusquam martyr fuit. Tamen hæc omnia vir Dei cum multa patientia sufferebat.* Ita Rogerius, seu factum Regis differens vsque ad præsentem annum, in quo ei Quadripartita adstipulatur: seu replicatum insinuans hac occasione: quasi, si quos prima illa ira pertransiit, hæc secunda inuoluerit; & nouo edicto extorres facti fuerint, quos primùm, aut excepit, aut non inuenit.

b in Annalib.

3. In eodem etiam, vt puto, Concilio factum, vt cum permulti Regi renuntiarent, Thomam adeo adhæsisse Pontigniacensibus, vt nihil sibi molestum reputaret, quandiu inter eos conuersari permitteretur, eò conuerterit vim dominationis, vt sanctum à Pontigniaco exturbaret: atque Alexandro, Guarinóque Abbatibus, quin, & capitulo Cisterciensi scripserit, se totum Ordinem expulsurũ à Regno Angliæ, nisi ipsi illico à se Thomam expellerent. Testatur id, quod ad Alexandrum Abbatem attinet, idem ipse B. Martyr Thomas, ad Alexandrum Pontificem scribens totidem verbis. [c] *Sed & personam meam, & eos qui mecum exulant, adeo persequitur* (scilicet Henricus,) *vt etiam beneficia seruorum Dei, qui nobis Dei, & vestri causa victualia prouident, minis, & terroribus suis auferre conetur. Scripsit enim Abbati Cisterciensi, quod sicut Abbatias Ordinis, quæ in ipsius potestate sunt, diligit, ita nos à beneficio, & familiaritate Ordinis faciat alienos.* Hæc S. Thomas ad Papam Alexandrum, de his, quæ Henricus Alexandro Abbati scripsit. Ioannes Sarisberiensis vlteriùs addit accitum Alexandrum ab Henrico, quasi præsentem faciliùs persuasuro. *Acciuit* (ait) *ad se Rex Dominum Cisterciensem, & alios, per quorum prudentiam, malitiam consilij sui posse credit armari, &c.*

c apud Bar. hoc ann.

4. Verum id ipsum scripsisse etiam Guarino Pontigniacensi, testatur item Rogerius in Annalibus [d]. *Vix enim* ait, *(nempe Sanctus Thomas) per duos annos moram fecerat in Abbatia de Pontigniaco, cum Guarino Abbati, & Monachis, ibidem Deo seruientibus, quibus commendatus fuerat in custodia, ab Alexandro Summo Pontifice; & ecce Rex Angliæ mandauit prædicto Abbati de Pontigniaco, quod si ille vlteriùs retineret Cantuariensem Archiepiscopum in domo sua, ipse fugaret ab Anglia omnes Monachos sui Ordinis.* Demum Capitulo etiam scripsisse, quod tunc celebrabatur, affirmant quatuor socij Sancti Martyris, qui vitam eius stylo mandauerunt [e]. Quibus planè videat lector nihil prorsus omissum in Sanctum virum, vel viuentem, martyrio coronandum. Quippè primùm ab sponsa sua Ecclesia, mox à filiis auulsum, deinde ab his, quos vt fratres diligebat, à quibúsque tanquam Pater venerabatur: atque interim plura in suis passum, pauperiem, exilium, minas, longè sibi acerbiora, quàm in se ipso. Demùm in ipso Concilio Chinonensi, contra imminens anathematis fulmen prouisum est, vt Rex, & Episcopi appellationis remedio, quod in Thoma damnabant, aduersùs Thomam vtendum sibi decernerent. Quo tamen qualiter, post longum licèt iter, frustrati sint non multò pòst commodiùs referemus.

d Vbi suprà.

e lib. 2. c. 17.

Interea Sanctus, quod vnicum restabat (nam in aliis perfectum agebat Monachum) vt regularibus cibis vesceretur; leguminibus nimirum, pultibúsque, vtrisque insipidis; adeò seuerè, & feruenter amplexus est, vt viribus absumptis per abstinentiam; ac lacescente, præ insolentia cibi, stomacho; inciderit in febrem satis molestam: & à qua vix, nisi lautiori paululum cibo, nec breui tempore, potuerit reparari. Narrat id eadem Quadripartita historia [f], quæ etiam addit ægrè (ad extrema perductum) potuisse adigi ab incepto desistere, nisi Abbate Guarino præcipiente; ac proponente instantem sibi mortem, & cuius aliàs ipse reus existeret. 5.

f Vbi suprà.

Eduardus [g] abstinentiæ torturam addit, quâ se affligebat immersum labenti flumini. Porrò ægritudinem eò vsque processisse, vt non sine duorum ossium extractione, dolor, quo cruciabatur, mitigaretur. *Et ille,* ait, *(nempe Diuus Thomas) dum esset Pontigniaci corpus suum multis afflixit modis; sed celabat, quantum potuit, alios. Contentus enim oleribus, & vilioribus, magísque parabilibus cibis; delicatiores sibi subtrahebat, & indigentibus ministrandos curabat. In amnem quoque, qui per Monasterij officinas decurrebat, descendens, incredibili se dolore afficiebat, in frigidis aquis immoratus. Declarauit id morbus inde sequutus. Nam non multò post altera ex genis intumuit, & vsque ad interiores fauces, computruit; vnde fistula morbus enatus, diu eum cruciauit. Tandem, duobus ossibus, non sine multo dolore, euulsis, sanatus est.* 6.

g apud Sur. tom. 6. c. 14.

Cæterùm qualiter cum paulùm conualuisset, Suessionem profectus (Sanctos Gregorium, & Dransium visitaturus; atque oraturus pro se, & sua Ecclesia Episcoporum appellationem) deluserit, Ioannes Sarisberiensis his verbis narrat [h]. *Timebat quidem (Rex) & meritò, ne in terram eius, interdicti; & in personam eius anathematis sententia citissimè ferretur, authoritate, & mandato Summi Pontificis. Cùm ergo his angustiis premeretur, Lexouiensis Episcopus vnum dixit esse remedium, imminentem sententiam appellationis obstaculo præpedire. Et ita nescio, quo pacto (nisi quia veritas ventilata plus pollet, & iustitia, quò magis concutitur, eò ampliùs conualescit) dum Rex per auitas consuetudines appellationum ius euacuare conatur, magis confirmat; dum ipsemet, pro capite suo, ad appellandi refugium cogitat euolare: ab illo ergo consilio egressi sunt à facie Dei, & Regis sui, Lexouiensis, & Sagiensis Episcopi, ad sæpe dictum Cantuariensem properantes, vt appellatione interposita, vsque ad octauas Paschæ suspenderent sententiam eius. Rothomagensis quoque cum eis profectus est, non quidem appellaturus, vt ait, sed de pace, quam desiderabat, tractaturus. Archiepiscopus verò noster in procinctu ferendæ sententiæ constitutus, iter arripuit ad vrbem Suessionum, orationis causa; vt Beatæ Virgini, cuius ibi memoria celebris est, & Beato Dransio, ad quem confugiunt pugnaturi, & Beato Gregorio Anglicanæ Ecclesiæ fundatori, qui in eadem vrbe requiescit, agonem suum precibus commendaret. Est autem Beatus Dransius gloriosissimus Confessor, qui sicut Franci, & Lotharingi credunt, pugiles, qui ad memoriam eius pernoctant, reddit inuictos, vt & de Burgundia, & Italia, in tali necessitate, confugitur ad ipsum; nam & Robertus de Munfort ibi pernoctauit aduersùm Henricum dimicaturus. Sic ergo, Domino fauente, elusa est solicitudo regalium Episcoporum: quia cum venissent Pontigniacum,* 7.

h Epist. 139.

cum, Archiepiscopum, quem appellarent, non inuenerunt; sed frustrati à proposito suo, reuersi sunt queruli, quod sua consumpserant; laborauerant, & non profecerant. Hactenus ille de peregrinatione Beati Thomæ, & frustrata Episcoporum appellatione.

8. At de reditu Sancti ad Pontigniacum, déque graui infirmitate Regis Henrici, ob quam anathema in ipsum promulgandum dilatum fuit; pergit author scribere in hunc modum. *Archiepiscopus verò, cùm in præfatis Sanctorum memoriis triduo pernoctasset, die prima post Ascensionem versùs Vizeliacum properabat, vt ibi in die Pentecostes in Regem, & suos anathematis sententiam daret. Sed nutu diuino contigit, vt dum esset in Ecclesia Reginatensi, sexta feria iam dictam præcedente solemnitatem, nuntiatum ei esset certissimè, & verissimè, quod Rex Angliæ, grauissima laborabat infirmitate, qui & ad colloquium Regis Francorum, quod miro desiderio, & magnis muneribus expetierat, non venerit, sed miserit excusatores Richardum Pictauiensem, & R. de Humaz, qui hanc causam absentiæ eius, præstito iuramento, volebant astruere. Hac ergo ratione, cum hoc per nuntium Regis Franciæ innotuisset Archiepiscopo, in Regem ferre sententiam distulit.* Hactenus de his Ioannes Sarisberiensis.

9. In eodem loco publicè declarauit Beatus Thomas Ioannem de Oxonefort, [i] *Et authoritate Romani Pontificis excommunicauit, vt verbis eius vtar, eo quod in hæresim damnatam inciderit, præstando Imperatori sacrilegum Sacramentum; excommunicauit Coloniensem Schismaticum, qui contra mandatum Domini . . . . vsurpauit Decanatum Sarisberiensis Ecclesiæ. Has autem causas allegauit in pulpito in auditu omnium, qui Vizelliaci de diuersis nationibus, ad diem festum conuenerant. Ibidem & allegatis variis causis, & iustis, excommunicauit Richard Pictau, Archid. R. de Luci, Iocel de Baillot, Rauen de Brog. Hug. de Sancto Claro, & Thomam filium Bernardi, & omnes, qui de cætero in possessiones, & bona Cantuar. Ecclesiæ manus extenderint, vt eis abutantur; aut eorum vsu impediant, quorum necessitatibus deputata sunt. Regem verò quem ante per litteras, & nuncios, secundum regulam, & morem Ecclesiæ, vocauerat ad satisfactionem; publicata vocatione, ad fructum pœnitentiæ, inuitauit; comminans se in eum laturum sententiam anathematis, si breui non resipuerit; & de tantis aduersùs Ecclesiam ausis satisfecerit, quod tamen non nisi inuitus faciet.* Hactenus ibi de gestis à Beato Thoma in reditu.

[i] idem epist. 159.

Verum cum Pontigniacum peruenisset. *Venerunt* (ait idem, qui suprà, Ioannes in alia epistola [k]) *ad eum nuper Clerici duo (sicut mihi pro certo relatum est, ab eo, qui tunc erat Pontigniaci) hæc publicantes, & appellantes, vnus ex parte Domini Sarisberiensis Episcopi, alter ex parte Decani sui inficiantes omninò, se iuramentum aliquod præstitisse Imperatori, vel Reginaldo Coloniensi schismatico in aliquo communicasse. Idem etiam, confitens se Clericum familiarem de mensa magistri Ioannis de Oxeneford, qui Clericus Regis est, se Regis ad Archiepiscopum verbum habere dixit, appellans ex parte, & nomine Regis, & de mandato eius, (vt aiebat) eundem Archiepiscopum ad audientiam Domini Papæ Alexandri, & per eum appellabat, diem præfigens, quâ cantabitur:* Ego sum Pastor bonus. *Archiepiscopus verò in hæc verba respondit: Tu, cùm ignotus nobis sis, nec mandatum, nec litteras Regis habens, & excommunicationi Domini tui Ioannis de Oxeneford, quem excommunicatum esse constat per litteras Domini Papæ, excommunicatus sis, appellantis officium implere non potes. Nos autem mandatum Apostolicum exequemur, & Deo authore, implebimus: & paulo post. Cæterùm factum istud Episcoporum Franciæ tota miratur, dicens eos oportuisse conuenire, vt tractarent de salute Regis sui, quem sicut Imperatorem ex causa schismatis, ita propter Clerum, & Ecclesiam, quam collidit, quotidie labefactari conspiciunt.* Hæc ipse. Sed quas post hæc scriptas inuicem legimus, Episcoporum Angliæ ad Diuum Thomam, atque item sancti ad ipsos, duæ epistolæ; quamuis à Cardinali Baronio editæ sint, quia ad præsentem historiam mirè faciunt, nequaquam censui silentio prætereundas. Porrò epistolæ ipsæ ita se habent. 10.

[k] Epist. 166.

1. Cantiæ Episcopi ad Diuum Thomam scribunt. 2. Hortantur pacem. 3. Propositis beneficiis Regis in ipsum. 4. Tum si irritetur, schismatis periculo: 5. & spe satisfactionis, si exaudiatur. 6. Demùm summum Pontificem appellant. 7. Rescriptum sancti ad Gilbertum Londoniensem. 8. Appellationem incusans, 9. & primùm scandalis, 10. mox beneficiis acceptis, 11. satisfaciens. 12. Quid de sua electione. 13. Quid de Rege, 14. Atque in epistola oblata satisfactione. 15. Constantini exemplum satis illustre. 16. Et iudicium authoris de his epistolis.

CAPVT III.

1. VENERABILI *Patri,* [a] *ac Domino Thomæ, Dei gratia, Cantuariensi Archiepiscopo, suffraganei eiusdem Ecclesiæ Episcopi, & personæ per eorundem Diœcesim in locis variis constitutæ, debitam subiectionem, & obedientiam.*

[a] Baron ad hunc ann.

Quæ vestro, Pater, discessu in longinqua, inopinatæ rei ipsius nouitate turbata sunt, vestra sperabamus humilitate, & prudentia in pacis pristinæ serenitatem, cooperante diuina gratia, reuocari. Erat quidem nobis solatio, quod post discessum vestrum ad omnes, fama diuulgante, peruenit: vos scilicet in transmarinis agentem, nil altum sapere: vos in dominum nostrum Regem, aut regnum eius nulla machinatione insurgere; sed sponte susceptum paupertatis onus cum modestia sustinere; lectioni, & orationi insistere; præteritorumque iacturam temporum ieiuniis, vigiliis, lachrymisque redimere; & spiritualibus occupatum studiis, ad perfectum beatis virtutum incrementis ascendere. Ad pacis bona reformanda vos studiis huiusmodi gaudebamus insistere: ex quibus spes erat, vos in cor Domini Regis nostri, hanc posse gratiam desuper euocare, vt vobis iram suam Regia pietate remitteret, & illatas in discessu, & ex discessu vestro iniurias ad cor de cætero non reuocaret. Erat amicis vestris, & beneuolis ad ipsum aliquis accessus, dum hæc de vobis audirentur; & ob conciliandam vobis gratiam

gratiam supplicantes benignè quemque sustinuit. Iam verò quorundam relatione didicimus, quod ad memoriam anxiè reuocamus; vos scilicet in eum commminatorium emisisse, quo salutationem omittitis, quo non ad obtentum gratia consilium, preces ve porrigitis, quo non amicum quid sentitis, aut scribitis; sed intentatis minis, interdictum, aut precisionis elogium in eum iam dicendum ferè, multa seueritate proponitis. Quod si quàm durè dictum sit, tam fuerit seuerè completum: qua turbata sunt; non iam speramus ad pacem redigi; sed in perenne quoddam odium, & inexorabile pertimescimus inflammari. Rerum verò finem prudentia sancta considerat, dans operam solicitè, vt, quod prudenter inchoat, bono quoque fine concludat.

2. *Aduertat itaque (si placet) discretio vestra, quò tendat, an conatibus huiusmodi finem queat obtinere, quem optat. Nos quidem his causis, à spe magna cecidimus; & qui pacis obtinenda spem quandoque concepimus; ab ipsis iam spei liminibus graui quadam desperatione repellimur. Et dum velut extracto gladio pugna conseritur, pro vobis supplicandi locus vtique non inuenitur. Vnde patri scribimus ex charitate consilium, ne labores laboribus, iniurias superaddat iniuriis: sed omissis minis, patientia, & humilitati inseruiat; causam suam diuina clementia, Domini sui gratia, & misericordia committat; & sic agendo carbones ignis in multorum capita coaceruet, & congerat. Accenderetur hoc modo charitas, & quod mina non poterant, inspirante Domino, bonorúmque consilio suadente, sola fortasse pietas obtineret. Bonum magis erat de paupertate voluntaria gloriosè laudari, quam de beneficij ingratitudine ab omnibus in communi notari.*

3. *Insedit aliè cunctorum mentibus, quàm benignus Dominus noster Rex vobis extiterit; in quam vos gloriam, ab exili prouexerit; & in familiarē gratiam tam lata vos mente susceperit, vt dominationis sua loca, qua à Borealo Oceano Pireneum vsque porrecta sunt, adeo potestati vestra cuncta subiecerit, vt in his solum hos beatos reputaret opinio, qui in vestris oculis poterant complacere. Et ne vestram gloriam mobilitas posset mundana conterere, vos in his, qua Dei sunt, voluit immobiliter radicare. Et dissuadente matre sua, regno reclamante, Ecclesia Dei, quoad licuit, suspirante, & ingemiscente, vos in eam, qua praestis, dignitatem modis omnibus studuit sublimare; sperans se de catero regnare fœliciter, & ope vestra, & consilio, summa securitate gaudere. Si ergo securim accipit, vnde securitatem sperabat, qua de vobis erit, in cunctorum ore narratio. Qua retributionis hactenus inaudita remuneratio, vel rememoratio? Parcatis ergo (si placet) fama vestra, parcatis & gloria, & humilitate dominum nostrum, filiumque vestrum charitate vincere studeatis.*

4. *At, quod si nostra vos monita mouere nequeunt, debet saltem Summi Pontificis, & S. R. E. dilectio, & fidelitas inclinare; vobis enim suaderi debet, & facilè, ne quid attentare velitis, quod laboranti iamdiu matri vestra labores augeat, quo ne multorum inobedientiam deploranti, in eorum, qui obediunt, amissione, dolor accrescat. Quid enim, si vestra (quod absit) exacerbatione, vel opera, Dominus noster, quem, largiente Domino, populi sequuntur, & regna; à Domino Papa recesserit, ipsumque fortassis aduersum vos solatia denegantem, sequi de catero declinauerit? Ipsum namque in hoc, que supplicationes, qua dona, quot, quantáve promissa solicitant? In petra, cum hucvsque firmus perstitit, & totum, quod mundus offerre potest, victor alta mente calcauit: vnum nobis timori est, vt quem oblata diuitia, & totum, quod in hominum gloria pretiosum est, flectere nequiuerunt; animi sui valeat indignatio sola subuertere. Quod si per vos acciderit, in threnos Ieremia totus ire, & lachrymarum fontem oculis vestris de catero negare, nulla quidem ratione poteritis.*

Reuocetis itaque, si placet sublimitati vestra, consilium, Domino quidem Papa, & S R.E. vobis etiam, si placeat aduertere, modis omnibus, si processerit, obfuturum. Sed qui penes vos alta sapiunt, vos fortè hac via progredi, non permittunt. Hortantur experiri in Dominum nostrum Regem, quis sitis; & omnia, qua sua sunt, potestatem exercere, quā praestis. Qua nimirum potestas peccanti timenda est, satisfacere nolenti formidanda. Dominum verò Regem non quidem peccasse nunquam dicimus; sed semper Domino paratum satisfacere, confidenter dicimus, & pradicamus. Rex à Domino constitutus paci prouidet subiectorum per omnia: vt hanc conseruet Ecclesiis, & commissis sibi populis; dignitates Regibus ante se debitas, & exhibitas sibi, vult exhiberi, & exigit. In quo si inter ipsum, & vos aliqua oborta est contentio, à summo super hoc Pontifice paterna gratia, per venerabiles patres nostros Londoniensem, & Herfordensem Episcopos conuentus, & commonitus, non in calum os suum posuit, sed de omnibus, in quibus Ecclesia, vel Ecclesiastica persona, quacumque se grauatam ostenderet, se non alienum quarere, sed Ecclesia regni sui parsiturum iudicio, humiliter, & mansuetè respondit. Quod quidem, & factis implere paratus est, & dulce reputat obsequium, cum monetur, vt corrigat, si quid offenderit in Deum. Nec solùm satisfacere, sed & si ius exigat, in hoc satis dare paratus est. Sed & satis dare, satisque facere volentem, Ecclesia se iudicio in his, qua Ecclesia sunt, nec in modico subtrahentem, colla Christi iugo subdentem quo iure, quà lege, quóve Canone, aut interdicto grauabitis; aut securi, quod absit, Euangelica pracidetis? Non impetu quidem ferri, sed iudicio prudenter regi, laudabile est. Vnde nostrum omnium vna est in commune petitio, ne consilio pracipiti mactare pergatis, & perdere: sed commissis ouibus, vt vitam, vt pacem, vt securitatem habeant, paterna studeatis gratia prouidere. 5.

Mouet quidem nos omnes, quod in fratrem nostrum Dominum Sarisberiensem Episcopum, & Decanum eius, prapostere, vt quidam astimant, nuper actum audiuimus. In quos suspensionis, aut dānationis pœnam, ante motam de culpa controuersiam, calorem, vt videtur, iracundia, plusquam iustitia secuti tramitem, intorsistis. Ordo iudiciorum nouus hic est, hucusque legibus, & Canonibus, vt speramus, incognitus; damnare primùm, & de culpa postremò cognoscere. Quem, ne in Dominum nostrum Regem, & regnum eius, nec in nos, & commissas nobis Ecclesias, & parochias in Domini Papa damnum, & S.R.E. dedecus, & detrimentum, vestraque confusionis augmentum non modicum, exercere tentetis, & extendere; remedium vobis appellationis opponimus, & qui contra metum grauaminum, in facie Ecclesia, viua iam dudum voce ad Dominum Papam appellauimus; iterato iam nunc ad ipsum scripto etiam appellamus, & appellationi terminum, diem Ascensionis Dominica, designamus, quanta quidem possumus deuotione supplicantes, vt inito salubriori consilio, vestris, ac nostris laboribus, expensísque parcatis; causámque vestram, in hoc, vt remedium habere queat, ponere studeatis. Valere vos optamus in Domino Pater. 6.

Hactenus litteræ Episcoporum ad Sanctum Thomam, oleo in Regem madentes, felle in ipsum.

Cæterùm

7. Cæterùm ipse, quâ pollebat constantiâ animi, cùm sub nomine omnium palliatum, Londoniensis solius stylum facile nosset; qui cæterorum nomine scripsisset; talem eidem epistolam rescripsit, de se humiliter, sed non abiectè loquens: de causa Dei modestè, sed sublimiter.

b Vbi suprà. [b] *Thomas Cantuariensis, Ecclesiæ humilis minister, Gileberto Episcopo Londoniensi, quod semel, hoc iterum, sic transire per bona temporalia, vt non amittat æterna.*

Mirandum, & vehementer stupendum est, virum prudentem, sacris litteris eruditum, præsertim religionem habitu præferentem, adeò manifestè, ne dicam irreuerenter, & timore Dei postposito, aduersari veritati, iustitiæ resistere, & ad omne fas, nefásque confundendum, statum Sanctæ Ecclesiæ, quam ipse fundauit Altissimus, velle euertere. Veritas enim est, c Matth. 16. *quæ dicit* [c]: Portæ inferi non præualebunt aduersùs eam. *Non sani igitur capitis esse dignoscitur, qui intendit ei ruinam, & homini similis, montem magnum fune circumligatum, tentanti deiicere. Sed nunquid ira, vel odio deferbui, vt exacerbatus iaculari compellar huiusmodi verba in fratrem meum, & collegam, & Coëpiscopum meum? absit. Sed de litteris tuis, quas per Archidiaconum tuum destinatas accepi, talia collegi. Neque enim de spinis vuas, aut de tribulis ficus colligere potui. Vt clareat, an ita sit proponamus eas, & continentiam earum in lucem proferamus. Finis collatus principio, similitudinem scorpionis confirmat. Illud blandiens ad nos ingreditur; ille pungens nos acerbè, silentium nobis imponere machinatur. Quid enim aliud est, primò recognoscere debitam nobis subiectionem, & subiectioni cohærentem obedientiam promittere; demùm ne obedire debeas, ad appellationem conuolare? Nunquid apud me sunt,* est, & non, *dicit Apostolus? Sed neque apud Apostoli deberent esse discipulum. Necessariò acceperunt discipuli à Domino potestatem calcandi super serpentes, &* d Ezech. 2. *scorpiones* [d]. *Habitat Ezechiel, & hodie cum scorpionibus.*

8. *Et illud video, quo sensu dixeris: ad appellationis remedium confugimus. Christi sequelam te dicis. In hoc dicto secus inueneris. Omnium enim malorum nostrorum efficax, imò efficacissimum remedium commendauit nobis Christus obedientiam; non solum verbo, sed euidentissimo exemplo, factus obediens Patri suo vsque ad mortem: & tu qua fronte appellas remedium, obedientiæ impedimentum? Quod non remedium, sed detrimentum rectius habet nominari: Sed & hoc quâ fiducia præsumis? Speras ne te habiturum defensorem ad non obediendum illi, qui vindicandi in omnem inobedientiam, & officium accepit, & præceptum? Malè hoc est sperare de eo, & in ipsum grauiter offendere. Poterant & retardare ab huiusmodi præsumptione, quas iam passus es, prima, & secunda repulsio. Viua quippè vox tua primùm, & deinde littera tua ad persuadendum composita experta sunt, quàm firmiter stet, quàm veraciter sit Vicarius Petri, quem non precibus, non donis, nec commonitionibus, vel promissis mouere potuisti. Sed tertiò attentandus est, vt Domini sui exemplo tertia attentatione triumphum reportet. Porrò, vt nihil deesset grauaminis, defixisti terminum tuæ appellationi, anni fere spatium. Nec misertus es nostri exilij, vel labores Sanctæ Ecclesiæ, sponsæ Christi, quam ipse suo sanguine acquisiuit. Et vt hæc mittam (non omittenda tamen) prouidere debueras, cui te fauere dicis, domino nostro Regi, qui quamdiu sic agit in nos, vel in Ecclesiam Christi, nec ad bella procedere nec in pace degere, sine periculo animæ suæ poterit: ad reliqua transeamus.*

Quædam turbata esse commemoras in discessu, & ex discessu nostro. Timeant huius perturbationis auctores, & consiliarij, & ne ipsi perturbentur. Magnis me laudibus extollis, quasi de bono principio meæ peregrinationis. Et quidem sapientis est, famam non negligere: sed discreti est, nulli magis de se, quàm sibi credere. De iniuriis insimulor, quasi illatis Domino nostro Regi. Sed quia nullam designas ex nomine, nec ego scio, cui respondere debeam. Quia ergo superficie tenus accusor, superficie tenus in hac parte me excuso. Hoc tamen interim accipe responsum: quia nullius mihi conscius sum, nec propterea iustificatus sum. De comminatorio miraris, quod nos in eum emisimus. Quis pater videt filium aberrare, & tacet? Quis virga non percutit, ne gladium incurrat? Desperat pater de filio, quem comminatione non corripit, vel flagello. Absit autem, vt tecum sentiamus, dominum nostrum impatientem correptionis, ad exterminationem apostasiæ lapsurum. Non enim Patris cælestis plantatio eradicabitur? Nauem concutit sæuissima tempestas; clauum teneo: & ad somnum me vocas? 9.

Congeris, & statuis ante oculos nostros beneficia nobis à Domino nostro Rege collata, & de exili me commemoras ad summa prouectum. Vt autem hinc aliquantisper respondeam; in insipientia mea tamen, de quàm exili putas. Si tempus, quo ministerio suo me præstituit, respicias; Archidiaconatus Cantuariensis, Præpositura Beuerlaci, plurimæ Ecclesiæ, Præbenda nonnullæ; alia etiam non pauca, quæ nominis mei erant possessio, tunc temporis, adeò tenuem, vt dicis, quantum ad ea, quæ mundi sunt, contradicunt me fuisse. Quod si id generis mei radicem, & progenitores meos intenderis; ciues quidem fuerunt Londoniæ in medio conciuium suorum habitantes sine querela; nec omnino infimi. Sed vt aliquando mundi tenebris semotis iudicemur à lumine veritatis: quid gloriosius, nasci de mediocribus, vel etiam infimis, an de mundi magnatibus, & honoratis: cùm dicat Apostolus: [e] Inhonestiora corporis nostri membra abundantiori circumdamus honore. *Stemmata quid faciunt? ait Gentilis Poëta. Quid habet dicere Christianus Episcopus litteratus, & religiosus? Sed fortassis de exiguitatis meæ memoria notam confusionis mihi obiicere voluisti; confundere autem Patrem, quantum cedat in reatum, ipse videris ex præcepto Domini,* [f] *quod de honorando Patre accepisti.* 10. e 1. Cor. 12. f Exod. 20.

11. *Pro gratia verò Regis nobis commendanda, commemoratione beneficiorum eius, non multò fuit laborandum. Testem enim Dominum inuoco, nihil sub sole me gratia ipsius, & saluti præponere; tantum salua sint, quæ Dei sunt, & Sancta Ecclesia. Non enim aliter fœliciter regnare poterit, vel securè. Esto, quia ita est. Multò sunt plura, & ampliora, quàm tua explicet oratio, beneficia eius erga me: debuíne pro his omnibus, vel etiamsi conduplicarentur, Ecclesiæ Dei libertatem exponere? Quantò minùs famæ meæ, quæ sæpiùs à vero deuiat, conseruatione. Si mitiùs in alios egi: in hoc nec tibi, nec aliis parco, neque Angelo, si descenderit de cælo; sed statim vt audiuero talia commonentem, audiet ex me.* [g] Vade retrò Sathana: non sapis, quæ Dei sunt. *Absit à me ista dementia; auertat à me Dominus amentiam istam, vt aliquatenus persuadear aliquibus tergiuersationibus inire commercium de corpore Christi, vnde ego Iudæ venditori, & Dominus meus Iudæis assimiletur emptoribus Christi.* g Matth. 16.

12. *De promotione verò mea, quam scribis factam, matre Domini nostri dissuadente, regno reclamante, Ecclesia Dei, quoad licuit, suspirante, hæc tibi respondeo:*

deo? Quod regni reclamationem, non audiuimus, sed potius acclamationem. Dissuasio verò genitricis Domini nostri, si fuit, vsque ad publicum non prodiit. Potuit autem fieri aliquas ecclesiasticas personas ad eandem promotionem, vt solet, aspirantes suspirasse; cum se sentirent ab ea, quam conceperant, spe decidere. Qui & hodie fortassis, in vltionem sui casus, præsentis dissensionis auctores sunt, & consiliarij. Sed væ illi, per quem scandalum venit.[h] *Prætaxatis verò obstaculis, & aliis, si qua fuerunt, diuina præualuit dispensatio, vt est hodie cernere. Exigor itaque ab eo, qui est ipsa iustitia, nulli omnino eum postponere; qui me statuit in gradu isto sua miseratione. Illud etiam, quod ad iustificandum Dominum Regem, videris proposuisse, iudicauimus non prætereundum leuiter, vel absque discussione. Et vtinam à sententia non dissentires, & nostra aduersus eum minus iusta appareret querela.*

h Matth. 18.

13\. *Dicis enim ipsum esse ad satisfaciendum, & semper fuisse paratum. Hoc te confidenter dicere, hoc te asseris prædicare. Sustine igitur paulisper, & ad interrogata responde. Illud quod dicis, paratum esse ad satisfaciendum, quo sensu intelligis? Illos, quorum se Deus dicit patrem, & iudicem, orphanos, viduas, pupillos, innocentes, & omnino huius, quæ nos mouet, controuersiæ ignaros, vides proscribi; & taces: Clericos exterminari, & non reclamas? alios bonis suis spoliari, & contumeliis affici, & non contradicis? seruientes meos in vincula coniici, & teneri; & obmutescis? matris tuæ Cantuariensis Ecclesiæ bona diripi, & non resistis? me patrem tuum gladios, ceruici meæ iam iam imminentes, vix euasisse; & non doles? sed, quod deterius est, cum persecutoribus meis, & in me, Deo, & Ecclesiæ ipsius, & hoc non in occulto, stare non erubescis. Est ne hoc satisfacere: perpetrata mala non corrigere, & malis deteriora de die in diem adiicere? Sed fortassis illud in contrarium intelligis, vt sit hoc satisfacere, voluntati impiorum deseruire, secundùm illud:*[i] Inebriabo sagittas meas sanguine: *sed dicis mihi: Pater mi, de quibus me calumniaris? Absolue me paucis: tunicam meam timeo. Verùm est, mi fili, & nimis verum, quod respondes, & ideò gladium non habes.*

i Deut. 32.

14\. *Quod enim scribis, ipsum paratum stare iudicio regni sui, quasi condigna satisfactio sit hæc: quis est in terra, vel etiam in cœlo, qui de diuina dispensatione præsumat iudicare? Humana iudicentur; diuina penitùs inconcussa remaneant, & relinquãtur. Quantò melius, frater mi, illi salubrius; tibi securius, intimare ei, persuadere omnibus modis elaborares voluntatem Dei de conseruanda pace Ecclesiæ suæ, de non appetendis his, quæ concessa non sunt eius administrationi; de honorandis sacerdotibus Dei, nec qui sunt attendat, sed cuius serui sunt. In Sarisberiensem Episcopum, & Ioannem Oxeneferdensem, non Decanum, vt dicis, sed Decanatus inuasorem, me præiudicio abusum calumniaris: sed meminisse debuisti, quædam manifesta præcedere ad iudicium. Et motum te dicis; quid ni?* Vcalegon trepidat, paries cùm proximus ardet. *Et vtinam bene mouearis ab eo, in quo non bene stetisti. Sciat ergo, & intelligat, te intimante, Dominus meus, quòd qui dominatur in regno hominum, sed & Angelorum, duas sub se potestates ordinauit, Principes, & Sacerdotes, vnam terrenam, alteram spiritualem; vnam ministrantem, alteram præeminentem, vnam, cui potentiam concessit, alteram, cui reuerentiam exhiberi voluit. Qui verò his, vel illis de suo iure subtrahit, Dei ordinationi resistit. Non indignatur, Deos appellans eos, sæpius in sacris litteris, sic enim dicit*[k]. Ego dixi, Dij estis, *&c. Et iterum*[l]. Constitui te Deum Pharaonis: *&c.*[m] Diis non detrahes, *id est, Sacerdotibus. Et de eo, qui iuraturus erat, loquens per Moysen, ait*[n], Applica illum ad Deos, *id est, ad Sacerdotes: Nec præsumat Dominus noster iudices suos velle iudicare: terrenis enim potestatibus non sunt commissæ claues regni cœlorum, sed Sacerdotibus. Ideo scriptum est*[o]: Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini est. *Et Paulus etiam dicit*[p]: Nonne Angelos iudicabimus, quantò magis homines?

k Psalm. 81. l Exod. 9. m Ibid. 22. n Ibid. o Malach. 2. p Corinth. 6.

15\. *Illud etiam, te suggerente, commemoretur Domino nostro dignum memoria, & imitatione, quod in Ecclesiastica legimus historia de Constantino Imperatore, cui cum oblata fuissent scripto accusationes contra Episcopos; accusationis quidem libellos accepit, & accusatos conuocans, in eorum conspectu eosdem incendit, dicens: vos dij estis, à vero Deo constituti. Ite, & inter vos causas vestras disponite, quia dignum non est, vt nos homines iudicemus Deos. O magnum Imperatorem! O discretè regnantem in terra, quæ aliena sunt fraude non vsurpantem, & regnum æternum in cœlo promerentem! Studeat itaque Dominus noster tantum, tam discretum, tam felicem imitari Principem: cuius & memoria laudabilis frequentatur in terris, & vita perpetua, & gloriosa habetur in cœlis. Alioquin timeat, quod in Deuteronomio Dominus minatus est, dicens*[q]: Homo quicumque fecerit in superbia, vt non exaudiat Sacerdotem; ante iudicem morietur. *Ad hoc enim vocatus est, & in hoc ipsum temporalis regni pax, & magnificentia de qua nos commones, ministratur ei de cœlo. Alioquin* non saluatur Rex per multam virtutem suam[r], *etsi subdantur ei regna, & inclinentur nationes. Sed hæc hactenus. Quoscumque autem prætaxatarum habuisti conscriptores litterarum, quod tibi responsum est, nouerint sibi esse responsum. De cætero, fratres, commoneo vos, rogo, & obsecro, vt nos non separent schismata, nec obnubilent simultates; sed sit in Domino cor vnum, & anima vna, & audiamus illum, qui dixit*[s]. Pro iustitia agonizare pro anima tua, & vsque ad mortem certa pro iustitia, & Deus expugnabit pro te inimicos tuos. *Non obliuiscamur illum districtum iudicem, ante cuius tribunal constitutos sola nos veritas iudicabit, amoto timore, & fiducia omnis terrenæ potestatis. Valeat in Domino fraternitas vestra.* Sic D. Thomas ad suos suffraganeos, in persona Gilberti Londoniensis, à quo sciebat epistolam dictatam, & cui cæteri alij consensissent.

q Deut. 17. r Psal. 32. s Eccles. 4.

16\. Mihi rem totam altiùs perpendenti, illud summè dolendum menti occurrit; ex quo Redemptor noster recens natus, ab Herode quæsitus; prouectus, à Pilato comprehensus; damnatusque; illo insistente responsis sacerdotum, hoc irritato accusationibus Pontificum; vix quicquam graue sponsam eius passam inter fideles, nisi ab his, quos pastores illi prouidit: neque vnquam adeo insaniisse potentiam Regum, vt in Ecclesiam, sine Ecclesiasticorum obtentu debaccharentur. Ecce in Thomam propugnantem Ecclesiæ iura, non alij acriùs excandescunt, quàm Coëpiscopi; prorumpentes in ipsum vsque ad conuitia; & nullis prorsus rationibus parcentes, queis possent teneram verecundiam ipsius exagitare. Sed inter hæc admiror constantiam Sancti; & reuerentiam, salua humilitate, qua singulis obiectis satisfecerit; nec tantùm pro Ecclesia Dei sublimiter; sed pro seipso grauiter respondit. Extant & aliæ Episcoporum litteræ ad Alexandrum Papam, in quibus plures pro Rege excusationes, in Thomam querelæ; & demùm ap-

pellatio continebatur. Verùm de his, & de aliis Regis Henrici, ad eundem Pontificem, quia vix diuersa à supradictis continent, legat, qui volet Cardinalem Baronium, qui vtrasque vulgauit hoc ipso anno. Nunc Sanctum virum cedentem furori regio; & heu! à Pontigniaco discedentem, sequenti capite deuoti prosequamur.

---

1. *S. Thomas, vt consulat Cistercio, meditatur discessum à Pontigniaco.* 2. *Reprehensio nostrorum,* 3. *& excusatio.* 4. *Pontigniaci reuelata Sancto palma martyrij,* 5. *& honorificus ad Ecclesiam suam reditus.* 6. *Lachryma discedentis, & desertorum.* 7. *Reuerentia in Sanctum.* 8. *Regis insidia,* 9. *& Alexander deceptus spe pacis.* 10. *Querela Thoma,* 11. *De sublatis obedientia sua Episcopis.* 12. *Sibique insultantibus,* 13. *In propriam, caeterorúmque perniciem;* 14. *Recusatum iudicium inimici,* 15. *& scandalum multorum aduersùs Sanctum.*

CAPVT IV.

1. PERVENIT interim ad aures Beati Præsulis, quæ Rex Henricus in familiam Cisterciensem, si diutiùs ipsum Pontigniaci retinerent, comminabatur. Nec dubitabat effrænem iram Principum, ignaram reprimi; vltionem tardiùs concipere, quàm patrare. Ergo qui hactenus leuamen malorum omnium Pontigniacenses fratres, ac professionis vltrò à se susceptæ Sanctum illud consortium, cælestium, velut officinam consolationum, expertus fuisset; ne quos teneriùs in Christo diligebat, acerbiùs læderet; aut exilio mulctari pateretur, à quibus per biennium exul ipse filiali pietate sustentabatur: Pontigniacum deserere statuit; & qui terrenis omnibus subsidiis, pro defendenda Ecclesiæ libertate lubens carebat, pro conseruanda familia Cisterciensi, vel spiritualibus se voluit abdicare: certus non aliter præsentiorem Deum haberi, quàm si cuncta deficiant: & vel Christi præsentiam corporalem offecisse discipulis, quominus Spiritum sanctum consequerentur. De hoc discessu Rogerius [a] hæc in annalibus. *Ecce Rex Angliæ mandauit prædicto Abbati de Pontigniaco, quòd si ille vlterius retineret Cantuariensem Archiepiscopum in domo sua, ipse fugaret ab Anglia omnes Monachos sui Ordinis. Vnde factum est, vt Beatus Thomas sponte sua alienaretur à domo illa, ne causa ipsius tot domus religiosorum perirent.* Ita Rogerius, cui alij omnes concordant.

[a] In annalib.

2. Tum verò Sanctus, seu famæ suæ prouidens, si fortè ex noua loci mutatione, leuitatis vt postet; seu vitæ si ex contemptu subsidiorum communium, desperationis labem incurrisset; ad Ludouicum Regem directo nuntio, quem animo conceperat discessum, atque discessus sui causam aperuit aduersùs iram Regis potentiam Regiam interpellans fidentiùs; atque ad eius recurrens munificentiam, cui nihil ab Henrico timendum foret. Illud compertum, Ludouicum audito nuntio, & comperto consilio viri Sancti, vltrò se obtulisse hospiti tanto. Quin & in nostris nonnihil reprehendisse, quod vllis siue minis, siue terroribus abire permitterent, quem vel inuitum debuissent retinere[b]. *O religio, inquit, ô religio! vbi es? Ecce enim, quos credebamus sæculo mortuos, sæculi minas timent; & pro rebus caducis, quas propter Dominum contempsisse profitentur, à Dei opere quod inceperant, conuertuntur retrorsum Dei causa exulantem eiicientes à se.* Hæc Ludouicum in nostros proclamasse Vvillelmus affirmat, in sua illa historia Quadripartita; atque ex ipso Baronius; quamuis cæteri penitus omittant, vnde aliquibus suspectum esse apparet.

[b] in Quadripart. lib. 2.

Certè si res attentiùs perpendatur, neque Thomas expulsus à Pontigniaco, quem certò constat sponte discessisse; imò Monachis multùm repugnantibus, vt ex eodem Vvillelmo dicam inferiùs: nec Ludouicus, saltem sibi constans, reprehendere potuit, quos collaudasset; & quibus coram ipso in discessu Thomæ, gratias egisse, ex oculari teste, grauique, magistro Eduardo, statim ostendemus: nec demùm mirum, si vim non adhibuerint, discedere volenti, quibus recens expulsis à Germania occasione Alexandri, per Fridericum; si tunc etiam occasione Thomæ, ab Anglia, per Henricum expellerentur, deficerent in residuo orbe Cœnobia, ad quæ possent confugere; neque extra sine periculo animarum (heu nimium cognito) & graui spirituali iactura diuagarentur. Ergo qui, ne Alexandro non obedirent, in quo peccatum foret, perpessi omnia; neque vllis subsequendis bonis potuerunt induci, vt patrarent id malum: Thomam abire, quod peccatum non erat, passi sunt; vt multa spiritualia bona consequerentur, multa mala vitarent, quæ imminebant. Nec amissione temporalium territi, sed solo ducti periculo animarum; pro quibus Christus passus, idque approbante Ludouico Rege; & peccatorum, quæ inde sequerentur, & iam experti essent, detestatione.

Distant Senonæ ab Ecclesia Pontigniaci, vsque ad decimum lapidem, neque enim longiùs se auelli permisit: hanc sibi sedem elegit Sanctus Præsul, exilij reliquum in ea toleraturus. Cæterùm antequam exiret à Pontigniaco, martyrij sui certior factus est, præcedente visione, quam ipse primum, Abbatibus duobus, Cisterciensi, vtrique, Vallis lucentis nimirum, & Pontigniaci: illi deinde aliis, quamuis post mortem Sancti, iuxta promissa: sed Herebertus cunctis palam fecit in Quadripartita historia scribens, in hunc tenorem. *Cum Abbas Pontigniacensis instantius peteret* (scilicet à Beato Thoma Cantuariensi) *vt si quam de se habuisset reuelationem, sibi tanquam amico patefaceret; Archiepiscopus præmisso iuramento, de non reuelando secreto, dum ipse viueret, respondit. Sciatis Pater, quod hac ipsa nocte, sisti me vidi ante Tribunal Pontificis, & Cardinalium, idque in Ecclesia quadam, pro cuius libertate pugnabam cum Rege Angliæ, Cardinalibus mihi repugnantibus, vt Regi fauerent: sed nihilominus causam meam promouente summo Pontifice. Porrò dum hæc inter ipsos agitarentur, ecce quatuor satellites ingressi, ab eorum præsentia repente raptum, in eadem Ecclesia trucidabant, inciso vertice, & cute à cranio auulsa, non sine meo ingenti dolore. Vt mihi inde palam factum sit, atrocem tandem mortem, quamuis,* 3.

quamuis, vt spero, Deo non displicentem, quippè pro eius gloria, subeundam. Hæc Herebertus in Quadripartita, diuersis licèt verbis, sed quæ sensum nullatenus immutent. Eduardus paucioribus rem aperit. [c] *Oblata* (ait) *quoque ei fuit visio quadam terribilis, cum fatigatus multis precibus, & genuum curuationibus obdormiisset; quæ futuram eius eadem significaret. Quamobrem magis, magisque ille se diuinis mancipauit obsequiis, & ad tolerandas iniurias omnes animum confirmauit.*

c apud Sur.

5. Cæterum in Capella Pontigniacensi, quæ vsque hodie Sacrata D. Thomæ, memoriam reuelationis huius confirmat, Angelicas auditas à Sancto voces, & cœleste oraculum, quo non solùm martyrio coronandus, sed & Cantuariæ antea restituendus prædiceretur; satis, supérq; inscriptiones duæ insinuant. Altera prosa, oratione versa altera, quæ sic se habent,

Diuus in hoc Thomas faciens pia vota sacello,
Audiit Angelicis verba superna sonis.

Noli timere serue Domini; quin citò ad tuam sedem Cantuariensem cum honore remeabis: non post multùm temporis, cum martyrij palma, ad paradisi gaudia peruenturus. Hactenus ibi. Porrò hoc idem sacellum Pontigniaci, quod Sanctus Stephanus olim incoluerat, cuius suprà meminimus, tabulæ antiquæ Cœnobij testificantur, ex quibus hæc ad nos transmissa à Cantore Cœnobij: relatione fideli accipiat lector. *Extat quoque paruum sacellum, quod multis annis ante constructionem dicti Cœnobij Diuo Stephano Eremita fuit consecratum, in quo Diuus Thomas Cantuariensis audiuit sacrum oraculum, vocibus Angelorum de cælo sibi emissum: quod videlicet cum honore in sedem sui Archiepiscopatus restitueretur, deinde exiguo temporis interuallo palmam martyrij adipisceretur.* Meminit & eiusdem oraculi Matthæus Paris, addens in die Martis ad ipsum factum, in quo natus, & passus, & in quo pleraque illi contigêre [d]. *Die enim Martis*, scilicet D. Thomæ Apostoli, *natus extitit, propter quod Thomas ex voto Matris in baptismo est appellatus. Passus quoque fuit die Martis, & translatus die Martis. Die Martis sederunt Principes apud Northantoniam; Actus est die Martis in exilium. Die Martis apparuit Dominus apud Pontigniacum dicens: Thoma Ecclesia mea glorificabitur in sanguine tuo; die insuper Martis reuersus est de exilio, mortuus quoque die Martis palmam est adeptus.*

d fol. mihi 155.

6. Hac reuelatione munitus, præuentúsque egregius Christi Athleta, ægrè tandem discessit à Pontigniaco. Certè Vuillelmus in eadem historia tradit, qui peregrinationem, qui exilium, qui paupertatem, qui suas tot, & suorum miserias siccis oculis, atque inconcussa mente tolerauisset: cum Guarinum, cum Monachos desereret, à dolore oppressum; nec se aliquatenus potuisse continere, quominus etiam in lachrymas erumperet. *Cùm iam* (ait) *in procinctu esset Archiepiscopus, vt pergeret Senonas, atque à sanctissima illa societate Pontigniacensium fratrum diuelleretur nequaquam lachrymas potuit cohibere; adeò, vt Guarinus ipsum reprehenderet. Et quidnam agitis, Pater amantissime? Vbi robur animi vestri? vbi constantia? Nunquid, quam hactenus integram seruastis ab inimicis, coram filiis abiicitis? Nunquid qui semper etiam supra hominem, virum vos præstitistis, nunc in affectus fœmineos degeneratis? Quæ Patris verba filij prosecuti: si minus (inquiunt) largitati regiæ fiditis; si quæ forsan in loci mutatione vobis, aut minus placent, aut non sufficiunt: en Pontigniacum vestrum; vobis supplicat, ipsum vt non deseratis, aut asportetis: fœlix vtique, si secum vos retineat; sed neque minus fœlix, si sequatur: & quæcumque libentiùs perpessurum, quàm à vobis diuelli quantumuis lætis; nedum tristibus, atque ita lachrymantibus.* Hæc Vuillelmus in persona Pontigniacensium. Sed hæc, & alia dicentes deseruit Sanctus, non quia vicem rependere non voluit, sed quia non potuit. Guarinus tamen prosequutus est euntem, dum alij vtrumque, & lachrymis, & mente prosequebantur. Addit Eduardus Ludouicum Regem Pontigniacum adiisse hac occasione, atque alloquutum Monachos, fortè non aliter Thomam dimissuros. *Vt autem* (ait) *ad Ludouicum Regem hæc perlata sunt, ocyùs properauit Pontigniacum; conuocatis fratribus, gratias egit, quod tanto colligendo hospite Franciam honorassent. Cum autem Rex illum secum abduceret, lachrymis eum prosequuti sunt Monachi, memores qua mansuetudine, & humilitate inter ipsos, & quasi vnus ex ipsis vixisset annis duobus*

Appropinquanti Senonas futuro Martyri Archiepiscopus cum Clero obuiam processit: nec diu distulit Ludouicus Rex hospitem visitare, quem sibi à Deo commissum non dubitabat. Vt penè Henricum Anglum pœnituerit exturbasse ab eremo Pontigniaci, quem Metropolitana vrbs excepisset; atque exposuisset Regi, Regno, & populis, qui Sancti viri constantiam prædicarent; eius in ipsum impietatem detestarentur. Et augebant inuidiam Primates alij, Hispaniæ, Galliæ, Daniæ; qui Principibus suis, fortè ob similes causas, olim inuisi, iam tunc optata pace, suis restituti Ecclesiis, perfruebantur. Perpendit id Ioannes Sarisberiensis [e], scribens ad Nicolaum de Monte, disertis verbis. *Archiepiscopus* (ait) *Sancti Iacobi diu proscriptus, iam à multo tempore, reuocatus est à Rege suo. Rex Danorum suum reuocans Archiepiscopum, consilio eius agit omnia, compescit inimicos, & eum colit vt parem. Lugdunensis Archiepiscopus suam recepit sedem; & prouinciam Catholicæ reddidit vnitati. Vrbes Italiæ, eiecto Friderico schismatico, Catholicos Episcopos receperunt. Deo teste, nisi Dominus Rex suum reuocet, quid de illo timeo; dicere reformido.* Ergo quæ cæteris concessa per orbem pax, dum soli Thomæ in Anglia denegatur, concitabat inuidiam populorum aduersùs Regem; qui omnium præsulum illius sæculi optimum, neque aliam, quàm Ecclesiæ, & Dei causam agentem, maiori præ cæteris odio prosequeretur. 7.

e Apud Baron. hoc ann.

Itaque siue vt hanc notam à se arceret, siue vt de Thoma, quod ardentiùs optabat, vltionem sumeret; seu tandem vt imminentem sibi dudum sententiam excommunicationis eluderet. *Nouas* [f], *easdémque subdolas, sed potentiores excogitat artes; nempe nouam adornare legationem, Simonem alterum Romam mittere, qui falsis adhibitis iuramentis, decipiat Alexandrum; & auro corrumpat, quos poterit Cardinales. Delectus est ad scelus nequissimum omnium hominum, periurus, excommunicatus Ioannes de Oxeneford Decanatus inuasor, de quo superiùs mentio facta est, qui mendaciis, falsisque promissionibus suffarcinatus, & auro, iudicium totum inuerteret; atque primùm ab inferendis sententiis excommunicationis, & interdicti Alexandrum Papam reuocet; deceptum firmis propositis promissionibus pacis, & integra restitutione omnium à Rege inuasorum Ecclesiæ iurium.* Demùm qui Cardinalem Papiensem inuisum Thomæ, quémque aliâs sibi fidum, atque muneribus obsequentem nouerat, impetraret legatum, concessa illi plenaria potestate; 8.

f apud Baron. hoc anno.

vt

vt vel sic Thomam, quem per vim non poterat, saltem per speciem iudicij labefactaret.

9. Corrupit nuntius, si quos auro non potuit, sponsionibus falsis, atque iurata pacis promissione; cui componendæ Vuillelmus Papiensis aptior visus; non quia cæteris sanctior prudentiórve: sed quia Regi amicitior; per quem ad viam iustitiæ, & pietatis, à quibus deuiabat, reuocaretur. Nec sensit dolos Alexander Papa, quæ hominum plerumque conditio est, facilè credidisse quæcumque optant. Et satis suspicioni legati prouisum censuit, si totius expertem suspicionis, Ottonem Cardinalem tituli Sancti Nicolai in carcere Tulliano, legationis collegam superadderet. Itaque vafer ille Ioannes de Oxeneford, munera fraudibus, atque fraudes muneribus alternans; atque vnumquemque, quà parte vacillabat, quæ summa politicorum omnium ars, inuadens subdolè; facilè ab Alexandro impetrauit, quæcumque voluit. Et obtinuisset fortassis optatum finem; si æquè præteritas fraudes silentio tegeret, ac præsentes celabat; nec iactabundus detexisset dolos, quos callidus præualuit persuadere. Certè, quæ aduersùs Thomam, tunc Romæ gesta, adeo omnes turbarunt, & perturbarunt; vt vel fideles Angliæ ipsum desererent; nec deessent in Gallia multi Episcopi, qui quos ex suis habebant commendatos, ipsi remitterent; non vt incolumi, & ad propria restituendo; sed quasi desperato, & cum quo omnes perituri pariter forent; Extat epistola eiusdem Sancti Thomæ ad Ioannem Cantuariensem de his omnibus, & aliis, quæ acciderunt in nuntij reditu; quam quia rem totam plenissimè explanat, deploratque, non pigebit ad litteram transcribere.

10. *Thomas, Dei gratia, Cantuariensis Ecclesiæ minister humilis, Ioanni Cantuariensi salutem.*

Quomodo de nouo facti sumus opprobrium vicinis nostris, subsannatio, & illusio iis non modò, qui in circuitu nostro sunt, verum etiam omnibus ferè gentibus vtriusque regni, & Francorum, & Anglorum, & fortè Imperij; qualisque fama, ne dicamus, infamia, & scandalum circumuolat per aures, & ora omnium in Dominum Papam, vnde magis dolemus (Deus nouit) quàm de propria persona; & in totam Curiam grauiter frementium, & insultantium, & improperia inexpiabilia improperantium; ex subscriptis poteris aliquatenus perpendere, & Domino Papa, & amicis (si qui tamen sunt) secretiùs intimare. Subiicit his, quæ fideli relatione ex Anglia essent nuper allata, ait enim.

11. *Ecce Ioannes de Oxeneford, & alij Regis nuncij à Curia redierunt, extollentes se super id omne, quod dicitur, aut quod colitur Deus; dicentes se impetrasse à Curia, quidquid desiderauerunt. Videlicet, quod Rex exemptus sit à potestate omnium Episcoporum, præterquam Domini Papæ, quoad excommunicationis innodationem. Et quod habiturus sit legatum, quem petiuit, Vuillelmum scilicet Papiensem; qui inimicus noster est plusquam manifestus; cum plenitudine potestatis in omnem terram Regis, vt ædificet, & plantet; & præsertim eradicet, & euellat, omni remedio appellationis sublato, & maximè ad decidendam principalem, quæ inter Regem, & nos vertitur, causam; & omnia incidentia, omni exceptioni, & omni de cætero, vt dicitur, præiudicium allaturum. Et cum hac pompa, & cum hoc fastu rediit Ioannes de Oxeneford in Angliam. Et cùm applicuisset in portu quodam, inuenit ibi fratrem nostrum Herefordensem Episcopum, auram prosperam ad transfretandum furtim saltem expectantem; quia palam non poterat, prohibitus à ministralibus regiis ex parte Regis, & litteris eius. Quo inuento, inhibuit ei primò, ex parte Regis, ne transiret; deinde ex parte Domini Papæ. Episcopo autem quærente, (sicut nuntius suus, qui ad nos postea venit, & Dominum suum excusaturus, nobis retulit) vtrum super hoc Domini Papæ litteras haberet. Dixit se habere, quibus inhibebat Dominus Papa, & ei, & omnibus Episcopis Angliæ, ne venirent ad vocationem nostram, atque in aliquo obedirent, quousque veniret legatus de latere Domini Papæ à Rege impetratus. Qui & causam super appellationem, quam fecerunt, & causam etiam principalem inter Regem, & nos, & omnes alias incidentes, cum plenitudine potestatis, amoto omni appellationis obstaculo, terminaret.*

Cum instaret Episcopus, vt litteras inspiceret; dixit se non habere præ manibus, quia miserat eas cum expelimento suo vsque Vuintoniam, quæ distat à portu Hantona per duodecim milliaria. Misit Episcopus, habito consilio cum suis, Vuintoniam cum Ioanne magistrum Eduardum Clericum suum, virum probum (vt credimus) & fidelem; qui vidit litteras, vnà cum Londoniensi Episcopo similiter transfretare volente. Qui Londoniensis, visis litteris, prorupit in vocem gratulabundus, dicens: de cætero Thomas meus non erit Archiepiscopus. Adiecit etiam Ioannes, quia ipse priuilegiata erat persona, quod nec de cætero posset à nobis excommunicari, nec etiam conuenitri in præsentia Domini Papæ; & liberam se habere potestatem donandi Decanatum Sarisberiensis Ecclesiæ, cui vellet; & in omnibus imminutam nostram dignitatem vsque in aduentum legati venturi. Hæc omnia mandauit nobis Episcopus per Capellanum suum Canonicum regularem, virum religiosum, quem misit ad nos excusaturum, quare non venerit ad vocationem nostram. Vocaueramus enim eum semel, & secundò, & tandem tertiò cum peremptorio edicto, quatenus infra Purificationem exhiberet nobis præsentiam suam, tanquam vir magnæ auctoritatis, & familiaris Regis, tractaturus de pace inter Regem, & nos, si quomodo fieri posset. Hæc omnia paratus erat Canonicus iurare, se ita accepisse ab ore Episcopi, nobis ex parte eius significanda, 12.

Quæ si vera sunt, tunc proculdubio suffocauit, & strangulauit Dominus Papa non modò personam nostram, sed, & se, & omnes Ecclesiasticas personas vtriusque regni; imo etiam vtramque Ecclesiam, tam Gallicanam, quàm Anglicanam. Quid enim exemplo hoc pessimo non audebunt cæteri Principes terrarum, aduersùs Ecclesiasticas personas? Ad quem recurrent? Quomodo confidere poterunt de Romana Ecclesia, quæ nos pro ipsa stantes, & vsque ad sanguinem decertantes ita deseruit, & destituit? Quid erit, si manentibus his inauditis, & detestandis priuilegiis, & emancipationibus, tam persona Regis, quam aliorum, sub quocumque prætextu (quod Deus auertat) vt decidat Papa, vel vt in vrbe turbata fuerint omnia? transferentur hæc in hæredes, nec poterunt auelli à manibus eorum. Et quod deterius est, alij Principes hoc exemplo similia extorquebunt priuilegia, & emancipationes ab Ecclesia, velit, nolit, ipsa: & sic peribit omnis Ecclesiæ libertas, & Episcoporum iurisdictio, atque potestas, cùm non sit, qui cohibere possit, & coërcere tyrannorum flagitia; quorum tota intentio est hodie grassari in Ecclesiam Dei, & eius ministros; nec desistent quousque eos, sicut & alios, in seruitutem redegerint. 13.

Quis tandem erit finis, adhuc nescimus. Verum id scimus, quia supra modum grauamur, siue vera sint, siue non, quæ proponuntur. Non enim obediunt nobis, 14.

nec

nec respiciũt nos in aliquo, sicut solẽt, vel Episcopi, vel Abbates, vel alij de Clero Angliæ, iam quasi certi de depositione nostra. Verùm securus sit dominus Papa, quòd nulla ratione intrabimus terram Regis litigaturi, nec stabimus iudicio inimicorum nostrorum; & præsertim Papiensis, qui non sitit nisi sanguinem nostrum, vt obtineat Sedem nostram, quæ reuera (vt accepimus) ei promissa est, dummodo à nobis Rex possit liberari.

15. *Est & aliud, in quo grauamur, quia nobiles viri, tam proceres, quàm Episcopi, & alij Prælati de regno Francorum iam quasi desperati de nobis, coexules nostros, quos misericorditer sustentabant, nobis remiserunt. Qui frigore, & fame de cætero peribunt, sicut & quidam iam perierunt. Hæc omnia Domino Papæ diligenter insinua, vt remedium aliquod contra hæc mala nobis prouideat, sicut petimus, si quid zeli Dei in eo remansit, quod adhuc speramus; & vtinam spes non confundat. Vale, & quàm citiùs poteris, nuntium nobis istum remitte, per quem de his, & aliis certioremur, vtpote in arcto constituti, si vera sunt quæ proponuntur.* Hactenus Sanctus Thomas ad Ioannem. Verùm quæ post hæc statim sequuta sunt, sequenti capite commodius explanabimus.

---

1. Henrici Regis iactantia de impetratis. 2. Ludouici indignatio, zelúsque. 3. Epistola Lombardi ad Alexandrum. 4. Quæ vtriusque effectus, 5. & murmur populi, 6. simul cum damnis decreta legationis proponit audaciter. 7. Et eamdem retractari fidenter postulat. 8. Cardinalis Papiensis ambitio, vanitas: & potestas arctata. 9. Demùm Thomæ, ab Henrico nouum periculum.

CAPVT V.

1. IACTANTIA Ioannis Oxenefordensis de fauore Pontificis, dum litteris ostensis comprobatur, facilè potuit ad Henricum Regem transire: qui adeo se præualuisse gloriabatur, vt *Episcopo Vvigorniensi diceret*, (quod Ioannes de Sarisberia,[a] memoriæ prodit) *quod ipse, & alij omnes Episcopi exempti sunt à potestate Domini Cantuariensis; præcepitque non timere minas aliquas, quia nunc Dominum Papam, & omnes Cardinales habet in bursa sua: adeóque gloriatur, vt palam dicat se nunc demum aui sui consequutum priuilegium, quia in terra sua erat Rex, Legatus Apostolicus, Patriarcha, Imperator, & omnia, quæ volebat.* Porrò hæc ipsa in vulgus paulatim sparsa, dum audita, & relata, ex more crescunt, Alexãdri egregij aliàs Pontificis, opinionem non parum obscurabant. Certè idem Ioannes, siue ex metu, credulus; siue ex dolore audax; non dubitauit, eundem Papam, pseudo-Pontificibus; & Cardinales, Schismaticis conferre, qui conciliando sibi Angliæ Regno, nihil prorsus Henrico denegassent. [b] *Quid enim*, ait, *ei ampliùs contulisset Octauianus, vel Cremensis hæresiarcha? quid aliud fecissent Cardinales eorum, quam præfati illi Domini Alexandri Cardinales, qui exacuerunt linguas Angliæ, & ignem, & venenum fecerunt euomere, vt terrerent Dominum Papam, & inclinarent ad libitum suum? Hæc in Ecclesia Romana scribentur annalibus, & certè, Deo procurante, qui describant, non deerunt. Quod ad petitionem, & comminationem Regis Angliæ, cuius intolerabiles excessus tanto tempore sustinuerat, præconem veritatis, libertatis assertorem, prædicatorem iustitiæ pro causa Domini, cum infinita multitudine innocentum iam quadriennio exulantem, neglecto rationis, & iuris ordine, velut criminosum, officij sui potestate priuauit; non quidem, quia ille meruerit, sed quia placuit tyranno.* Hactenus ille amaricato stomacho, & ex quo nihil prodiret, nisi amarum.

a Epist. 181.

b vbi suprà.

2. At non soli Archiepiscopi coëxules, quos eadem inuoluebat tempestas, aduersùs Alexandrum, super his factis; sed ex eis etiam, qui eminus spectabant, quo melior quisque eò grauius concitabatur. Nam cur pugnanti pro Ecclesia Dei ministro, non per omnia faueret Ecclesiæ vindex? Cur suffraganeos Summo Metropolitæ; discolos, Sancto, & dissipantes bona fideli seruo insultare permitteret? Cur excommunicatos per sacros Canones, ante satisfactionem, imo ante pœnitentiam, non absolueret tantùm, sed honoraret? Cur demùm indigna illa legatia, Ecclesiam regno, Sacerdotium sæculo subderet; atque innocentem, & iustum Archiepiscopum in animam inimicorum ipsius traderet? Hæc, & similia accendebant optimum quemque. Verum præ aliis Ludouicum Galliæ Regem tanto zelo in Pontificem armarunt, vt aditum legatis intercludere, nec peruiam Galliam permittere transituris, communicato consilio, deliberauit: Quin & Episcopos Regni conuocare, quibus de Alexandro conquereretur. Extat epistola Lõbardi, nescio cuius, Romanæ Ecclesiæ Subdiaconi, ad eundem Pontificem, plena zelo in ipsum, & in Ecclesiam; quibus hæc omnia, & alia illi patefacit; quam à Baronio Cardinali, ex Vaticano Codice vulgatam, non pigebit ad litteram transcribere.

Reuerendo Patri, ac domino Alexandro, Dei gratia, Summo Pontifici, Lombardus, eius Clericus, fidelis obedientiæ famulatum. 3.

Cùm vestræ sanctitatis puer, & vestrarum manuum opus in Christo sim, quæ in vestræ famæ sugillationem, atque vestri nominis derogationem celebriter dicuntur; quæque in totius Ecclesiæ detrimentum callidè struuntur; dissimulare nec possum, nec debeo. Ioannes siquidem Oxenefordensis, cum Decanatus honore, & gratia vestra plenitudine Romæ rediisse insolenter se iactat; nihilominus arroganter adiiciens, se priuilegio munitum aduersùs dominum Cantuariensem, & omnem Episcopum; & quasi paulominus à Cardinalium ordine constitutum, vobis soli, & Apostolatui vestro se subiectum asserit. Præterea quod regnum nullum vnquam obtinere valuit, pro Rege obtinuisse, gloriando superbè loquitur; scilicet inter Regis filium, & filiam Comitis Britaniæ in tertio gradu consanguineos, matrimonium, vestra auctoritate firmatum. Addens quoque à Rege legatos specialiter postulatos destinari, qui appellationis remedio sublato, audiant, & definiant, quidquid Regi aduersùs dominum Archiepiscopum placuerit proponere. Hæc Sanctissime Pater, Ioanne Romā redeunte, diuulgata sunt. Quæ quantò magis inusitata, quantò rariùs fieri solent, tantò vehementius audientium animos perculerunt.

Quibus auditis, Francorum Rex, vester, Ecclesiæ filius 4.

filius deuotus, ita vehementer turbatus est, vt confestim se velle nuntios dirigere, qui vestris legatis regni sui ingressum inhiberent, diceret. Plus aliquid fecit, quod in ore latoris posui. Conuocare etiam Archiepiscopos, & Episcopos se velle dixit, quatenus eis exponeret, atque proponeret, quomodo Romana Ecclesia, aduersus se, & eam, malignantes, exaltat; eum autem deprimere quærit, dicens: Annon laborat me inhonorare, qui sanguinem Cantuariensis Archiepiscopi viri innocentis, pro iustitia, & Ecclesiæ libertate exulantis, callidè effundere quærit; impiè tradens ipsum in manus inimicorum, & persequutorum eius, quem non obsequiorum obtentu · · · · · cum nobis magis iniurias intulerit; obsequendo tamen ei, qui nunc ipsum persequitur, sed potius iustissima causa, quam fouet intuitu, eius probitatis contemplatione, amore etiam domini Papæ, qui satis instanter me pro eo rogauit, exhibere honorificè, & decenter, quandiu in exilio fuerit, & quasi in sinu meo confouere constanter disposui, sicut & iam cepi? Denuntians etiam, & manifestè protestans, non esse sibi minus molestum, quod pro hac causa legatos mittitis, quam si ad coronam sibi auferendam eos destinaretis. Eius animum adeò concitatum non defuerunt, qui magis incenderent.

5. *Data est occasio aduersus nos, & Dei Ecclesiam malignandi, atque plurima moliendi iis, quibus ab initio animus, & nocendi vobis conatus fuit; quorum maleuolum propositum vestra non mutauit indulgentia, etsi horum conatum represserit auctoritas. Hæc per quemdam Clericum vobis fidelem, & deuotum, præsentem dum hæc agerentur, mihi ea priuatim referentem, didici. Illud vnum, pater Sanctissime, verissimè scio (quod tamen absque lachrymis non scribo) quia vestri nominis odor, ex aliqua parte offuscatur; quoniam fama vestra derogatio quasi cibus est, & potus detrahentium, & maledicorum; qui velut vino potati, & inebriati, vestram famam discerpunt; & quasi vos totum maledictionis dentibus corrodunt, tam fauentes Domino Cantuariensi, quam eum odio persequentes; maximè cùm prope esset dies victoria eius, & vestra, sicut à multis credebatur. Timebat enim Rex adeò, die appellationis elapso, excommunicari, vniuersam terram suam interdici, vt manifestè diceret, se Episcopis appellare, nec persuasisse, nec compulisse, ideóque partes suas, in ea re non esset interpositurus. Episcopi verò in tantum angebantur, & interdici metuebant, vt quidam ad Dominum Cantuariensem nuntios mitterent, quidam ad eius vocationem parati essent.*

6. *Cum Ioannes Oxeneford, velut legatus vester, vniuersos Episcopos conuocans, eis auctoritate vestra, sicut fama est in Gallia, ne ad Domini Cantuariensis vocationem venirent præcepit: Qua occasione magister Robertus Herefordensis Episcopus, cùm iam ad mare venisset, transfretaturus, reuocatus est, sicut ipse coram Domino Cantuariensi per nuntios suos viros religiosos, & bene notos, me præsente, se excusauit. Propterea tanta est in multorum animis perturbatio. Verentur enim Regis versutias, & ex his, Anglicanæ, atque omnium Ecclesiarum terræ suæ ruinam, & libertatis subuersionem, ac prolixiorem, vehementioremque, Archiepiscopi persecutionem. Quippe cum à multis, & sæpè, quod Rex in aduersa fortuna, & obitu vestro, (quem Deus sua benignissima clementia in longa tempora differat) omnem spem suam locasse dicatur, firmissimè asserens (sicut à pluribus fertur) successorem vestrum nequaquam suscepturum, nisi prius omnes dignitates, & consuetudines regni sui confirmauerit.*

Eapropter dolosè, & fraudulenter creditur legatos postulasse, ad suam voluntatem, non solum aduersus Dominum Cantuariensem, verum etiam aduersus omnes Episcopos terræ suæ, complendam; vel vt saltem sic eius excommunicatio, & terra interdictum differatur. Quatenus hoc modo frustrando tempora, Domini Cantuariēsis auctoritatē euacuare possit; vt si fortè vestro tempore non ligetur, à successore vestro ligari non metuat, cū nec facilè (sicut à multis dicitur) proposuerit eum suscepturum. Itaque Prudentissime Pater, qui spiritum Dei habent, & pacem Ecclesiæ desiderant, Spiritum Danielis in nobis excitari [c] *ad Belis astutias deprehendendas, & draconem interficiendum, summo animi affectu optant; super quo Deum assiduis, & cumulatis precibus exorant. Valeat sanctitas vestra in tempora multa.* Hucusque Lombardus, de quo, an Magister sententiarum sit, qui vixit per hæc tempora, non immeritò Baronius dubitaret; nisi ante hunc annum obiisse, compertum foret: nec dubium sit Papiensis legatiam nequaquam ante ipsum fuisse decretam. 7. c Dan. 14.

Addit Quadripartita Sancti Historia, eundem Cardinalem Vuillelmum, qui vltra amicitiam Regis, & odium Thomæ, ad sedem Cantuariensem suspirabat, cùm sibi traditum videret Præsulem Sanctum, cui deponendo confidebat posse succedere: iudicium stolidis minis anteuertisse, nec se, nisi ad perdendum Archiepiscopum, à Pontifice missum dictitasse: vt vel sic tandē, scandalo sublato, pax inter sacerdotium, & Regnum reformaretur. Tum verò Ludouicum ira percitum scripsisse Alexandro adeò seuere, & grauiter, vt ipse tandem veritate rei comperta, Præsulem Sanctum legatorum iudicio exemerit: Nec quidquam aliud in eum illis permiserit, nisi vt componere possent, non iudicare. Sed hæc anno sequenti, quo gesta sunt, more nostro commodiùs differemus. 8.

Interim adnoto, qui Thomam à Pontigniaco; eundem etiam Senonis, Galliaque exturbare conatum Præsulem Sanctum; aut vlturum iniurias quas sibi ab eo illatas reputabat, si vndecumque eiiceret; aut fortè ipsa viuendi necessitate, hominem à constantia deiecturum. Itaque minis, querelis, promissionibus; ac demùm conuentionum exactionibus, inter se, & Ludouicum in quantum poterat, vndecumque exagitabat. Et discessisset vltrò vir planè mitis, si æquè Ludouico, atque Cistercio, à minis Regis Angliæ timendum foret. De his Archiepiscopus ipse ad Alexandrum, Henrico licèt parcens, pro suo more. *Videntur enim magnum malitiæ suæ recepisse compendium, si nos exturbare possent de habitaculo cælitus præparato; & præriperent solatium eleemosynæ Principis, sicut excusserunt subsidium Ordinis Cisterciensis.* 9.

1. Morbus

1. *Morbus pestilens serpens in Grandisilua.* 2. *Bernardi Monachi conuersio,* 3. *Moresque* 4. *Morbus inuadens.* 5. *Et, instante morte, ecstasis.* 6. *Praeceptum Pontij. Et responsum Beati viri.* 7. *Cæleste oraculum firmatum morte dicentis.* 8. *Dictum de alto Bernardo eiusdem domus.* 9. *Et de Monacho Sancto.* 10. *Decedentium in ea peste alacritas.* 11. *Fælix dormitio Stephani Conuersi.* 12. *Et post mortem salubris apparitio.*

CAPVT VI.

1. PER idem tempus Grandi-siluam pestis inuadens, domum funeribus; cælum beatis spiritibus; decedentes, gaudio; relictos, sancta inuidia cumulauit. Præerat Monasterio Beatus Pontius, cuius suprà meminimus, non multò post, cedente Godefrido, ad Claramuallem transferendus. Vt inde ratio temporis sumatur, si non omnino certi, at non multùm distantis ab hoc anno. Quippè Pontius subrogatus Godefrido intra sequentem, quod suo loco latiùs probandum erit. Mortalitatem factam in Grandi-silua tempore
a lib.2.c.25. Pontij, author Exordij Magni memoriæ prodit [a]. *Factum est autem, vt in diebus Prælationis eius, occulta dispensatione tremendorum iudiciorum suorum, Dominus in eandem domum mitteret mortalitatem vehementer grassantem, ita vt infra duos menses quadraginta circiter, & quinque fratres de medio tollerentur.* Hæc de peste grassante in ea Ecclesia.

2. At quàm fœlix, absumptis, gliscente morbo; quàm superstitibus cunctis, inuidenda; quàm Monachis Cistercij consolatoria; simul & vitam, mortémque pretiosam Beati Bernardi, tum aliorum, qui in ea occubuerunt, hæc quæ sequuntur, pleniùs
b lib.2.c.26. declarabunt [b]. *Frater quidam magnæ religionis in eodem Cœnobio degebat nomine Bernardus. Hic in primordio conuersionis suæ, dum peccatorum suorum enormitatem, districtíque iudicis æquitatem attentius intueretur, tanta formidine motus est, vt in desperationem propemodum laberetur. Quo comperto venerabilis Abbas (Pontius) exemplis, & monitis multis ei persuadere conabatur, quia confessus, & pœnitens quilibet, quantumlibet reus, nunquam indulgentia priuaretur. Et cùm necdum ei hoc modo satisfacere posset, adiecit, & ait. Ego salutis tuæ fideiussorem me constituo, & anima mea pro tua requiratur, dummodo obediens perseueres in Ordine isto. Hac ergo promissione frater ille magnificè roboratus, spiritum diffidentiæ, à quo impugnabatur, penitus expugnauit: & exultans Domino, cum tremore, misericordiam, & iudicium deinceps cantare consueuit.*

3. *Qui cùm esset nobilis genere, nullam tamen generositatem arbitrabatur, nisi pro Christo pauperem fieri, & seruire pauperibus. Erat enim infirmarius in hospitio pauperum constitutus: quibus officiosissimè semper intendens, non extraneis mendicantibus seruiebat, sed tanquam Dominis suis, & tanquam membris filij Dei. Si quem inter eos morbidum, si quem vlcerosum, & vermibus scaturientem aspiceret, huic omnem pietatis operam impendens, abluendo, tergendo, atque refocillando, quasi mater ægrotanti filio, iugiter assistebat. Dum hæc, & his similia Dei famulus agere non cessaret, contigit, eum in prædicta mortalitate, migrare ad Dominum. Cùm enim videret socios suos quotidie subtrahi, & ipse desiderabat desiderio magno dissolui similiter, & esse cum Christo. Pius verò Dominus, qui semper præsto est contritis, & spiritu contribulatis seruulis suis, decreuit adimplere desiderium eius.*

Oborta ergo febricula parua, cum tenuiter ægrotare cœpisset, lecto decubuit. Cúmque Dominus Abbas Pontius introisset ad visitandum illum; mirabatur, quod homo feruentissimus tam leui occasione lecto detineretur. Vnde & subridens, aiebat. Ne timeas, frater mi Bernarde, quia non modò morieris; sed adhuc comesturus es nobiscum de fabis, & oleribus nostris. Ipse verò respondit. Non timeo Pater mi, non timeo; sed confido in Domino, quia minimè iam fraudabor à desiderio meo. Quid multa? Post quatuor, aut quinque dies, scintillula creuit in incendium magnum; & facta est peremptoria febris, quæ ephemera putabatur. Tunc proprium iudicium Abbas reprehendit, & fratris sententiam, quam de seipso protulerat, cognouit præualere. Appropinquante autem hora migrationis, inunctus est frater oleo sacramentali. Expleta verò sacra vnctione, factus statim in spiritu; & raptus in contemplationem, per multum temporis spatium iacuit sine sensu, & sine motu; ita vt penè mortuo similis videretur. 4.

Interea tamen aperti sunt ei oculi, & reuelata facie meruit inspicere gloriam Dei; adeo vt dicere posset; vidi Dominum facie ad faciem, & salua facta est anima mea. Cúmque per multam moram velut exanimis iacens, secreta cæli non præsumptione, sed gratia duce, rimaretur; tandem ad se reuersus, ipsa hilaritate vultus, vbinam fuisset, satis indicauit. Ad quem pius Pater accedens, interrogauit, quomodo se haberet? Qui respondit. Bene est (inquit) mihi, Domine Pater, per indulgentiam Dei. Et nunc charissime Pater, absoluo te à debito sponsionis tuæ, multas gratias agens solicitudini tuæ circa me peccatorem. Tunc enim promissor absoluitur, quando promissionis exhibitio iam tenetur. Abbas autem pristinæ obligationis suæ, qua se pro anima eiusdem fratris responsalem fecerat, oblitus, mirabatur vnde loqueretur. Tunc frater expressiùs commonefecit illum, & ait. Ergóne excidit tibi, quemadmodum olim salutis meæ te responsalem constituisti? Ab illa ergo fideiussione securum te facio, quia iam de saluatione mea per misericordiam Domini nostri Iesu Christi securus existo. 5.

Tunc verò Abbas, solicita inquisitione, cœpit ab eo indagare, quonammodo id potuisset agnoscere? Quod cùm modis omnibus dicere recusaret; cernens Abbas nihil se precibus proficere; in nomine Domini per virtutem obedientiæ præcepit, quatenus ea, quæ vidisset, ad ædificationem, & consolationem multorum, exponeret. Quo audito, frater ille infirmus, ita affatus est. Quoniam virtus obedientiæ veritatem me silere prohibet, rem sum dicturus vobis; cui fortasse fidem dubiam adhibebitis. Sed vt testimonium hoc credibile faciam, scitote, quod cum fine dicti, etiam finem vitæ accipiam. Nouerit ergo dilectio vestra, me licèt miserum, & indignum, Domino, & Saluatori nostro Iesu Christo fuisse præsentatum; vidisséque me illum facie ad faciem, non tamen in sua Diuinitate, sed in illa beatissima forma, quam dignatus 6.

dignatus est pro nobis assumere. Cuius benignissima indulgentia remissionem peccatorum accepi; & spem fœlicitatis æternæ,per gratiam ipsius, in sinu meo repositam habeo. Hactenus de seipso vir Beatus.

7. Verum de cæterorum, qui decesserunt in ea mortalitate, imò & cunctorum Cisterciensium præmio, si tamen obedientes perseuerant; subiunxit verba figenda nostrorum cordibus, quæ morte subsequuta, seu magis vita cœpta, confirmauit;nam sic ad Pontium, & fratres perrexit loqui. *Ex ipsius etiam* (scilicet Dei)*ore audiui: Quia omnes,qui obedientes in isto Ordine vsque ad mortem perseuerabunt,salutem æternam ab ipso consequuturi sunt. Fratres autem nostros, qui de sæculo migrauerunt,in magna beatitudine pausantes aspexi. Et mei ipsius locum,quem inter eos,miserante Domino, sum sortiturus prævidi. Cùm ergo ista dixisset, obticuit; statimque fœlicem animam reddidit.* Ita Bernardus consummatus fœlici obitu, & cæterorum obitus muniuit,& constantiam in morte roborauit.

8. Diuersum credo ab hoc Bernardo fuisse, alium eiusdem nominis, & domus, de quo in eodem Exordio scriptum lego. [c] *Alius quidam in eodem Monasterio erat Monachus, nomine Bernardus; hic quamuis iuuenili, ac vegeto corpore robustus appareret,tamen remissius cæteris agebat, reddens se ad opus manuum pigrum, & ad Vigilias somnolentum. Vnde etiam contubernalibus suis non parum onerosus erat, & vbique de inertia notabatur; præcipuè in Ecclesia,vbi negligentior inueniebatur. Quadam itaque nocte,cùm eum dormientem ad vigilias Præcentor Monasterij, pertæsus nimiam pigritiam eius, solito seueriùs excitasset,ille commotus surrexit, & in Dormitorium perrexit. Cúmque ad necessariam domum accederet, ecce turba dæmonum ad ostium, cum ingenti strepitu,& terrore, aduersùs eum clamans, & crebris vocibus iterans: Apprehendite, apprehendite illum. Quo audito,repentè totus inhorruit: & fugam festinanter arripiens, rapido cursu in Ecclesiam rediit. Cúmque venisset ad stallum suum tremebundus, & anhelus, illico defectum cordis incurrit;& currens in terram sine motu,& sensu diutius veluti exanimis iacuit.Sublatus autem inde Fratrum manibus,& in infirmitorium delatus,cum ab illo terrore aliquantulum respirasset,& sui compos effectus fuisset; percunctantibus fratribus,quidnam ei accidisset;rem per ordinem referens,contumaciæ suæ,& somnolentiæ pœnas se soluisse testatus est. Porrò nouitius quidam dum ipsa hora in Oratorio esset, eundem dæmonum strepitum,& clamorem se audisse testabatur.* Hunc Bernardum diuersum nequaquā dubito: sed & à Deo dilectum non minus constat: quem enim diligit Dominus corripit:& erat Grandis-syluæ Elogium per illud tempus, neminem periturum ex ea domo: sed Sanctos quosque in bono confirmandos; discolos ad salutem corripiendos. Simile quid de alio ibidem legimus,nisi quod segnis,ex infirmitate,non ex malitia, Angelum meruit habere correctorem. Sed de his satis.

9. Decesseritne ante,an post Bernardum, in dubio est: Constat de obitu cuiusdam alterius Monachi, per eandem pestem rapti, nec præuenti dissimili visione [d]. *Erat ibidem Monachus quidam probatissimæ conuersationis,qui in præfata mortalitate defunctus est. Hic itaque, cum iam ad horam vltimam deuenisset,pulsata est tabula post Completorium; & venerunt fratres ad eius exitum muniendum. Cantantibus autem fratribus circa illum Litanias,& Psalmos; & ipse confortatus in Domino,voce,qua poterat,psallebat. Explicita verò Psalmodia, Domnus Abbas Pontius signo facto, præcepit Conuentum abire; eo quod infirmum psallentem aspiceret; & propterea putaret adhuc aliquandiu spiritum trahere. Quod cùm frater ille videret, protensa manu, signauit Abbati, vt faceret eos ibidem adhuc subsistere paululum; quia sciebat se ad punctum in modico migraturum. Cernens itaque Abbas feruentissimum virum, quia propter Regularis disciplinæ censuram post Completorium, etiam in mortis articulo, silentium frangere nollet;præ gaudio se continere non potuit: sed ipse,rupto silentio,& præmisso(Benedicite)ait. Obsecro,charissime frater,quia Dominum video esse tecum, vt indices nobis, si tibi reuelatum est aliquid de illa beata spe,quam expectas;vt & nos valeamus in Domino respirare,& tibi pariter congaudere. Tunc idem infirmus respondit.Vt ad ea,quæ poscis, Pater,breuiter respondeam, sciat me vidisse,quæ loqui non licet. Verumtamen hoc vnum dicere possum, quia si omnium hominum merita solus ego transcenderem, necdum vtique dignus existerem adipisci æternæ Beatitudinis gloriam, quæ præparata est mihi, iam iámque abituro. Et cùm hæc dixisset, obdormiuit in Domino.*

His plures alios similia promeruisse, idem auctor testatur. Vnde effectum est vt quotquot ea tabe absumpti sunt, omnes, aut *ferè omnes,cum tanto pietatis desiderio dormitionem acceperint, quasi iam cælitus præuidissent, se post miserias huius vitæ continuò Beatitudinis æternæ vitæ participes futuros.* Cæterùm quod conuerso cuidam Sancto nomine Stephano; & Monacho, infirmario eiusdem domus, dum dissolui,& cum Christo esse arderet,tunc item contigit; quia vtrumque propositum confirmat; alibi, sed ab eodem authore proditum, hîc etiam duxi consequenter inserendum. 10.

11. *Cùm facta esset aliquando grandis mortalitas in domo Grandis-syluæ, sub venerabili Patre Pontio, postmodum Claræuallis Abbate, ægrotabat ibidem religiosus quidam Conuersus,nomine Stephanus, qui moriendi desiderio tactus vix aliquid sibi acquiescebat sumere:sed votis,& suspiriis continuis, vt ab hac valle plorationis, & de hoc durissimi exilij filiorum Adam ergastulo,educi mereretur,orabat. Vnde factum est,vt desiderium cordis eius tribuerit ei Dominus. Quem,cùm infirmarius ipsius,qui ei sedulè ministrauerat; cum tanta deuotione, & tranquillitate cordis morientem cerneret, accensus & ipse vehementer desiderio moriendi, dixit ad eum. Obsecro, Charissime Pater,quia video te de ærumnis huius sæculi mox eruendum,& in gaudium Domini tui fœliciter introducendum; vt cùm perueneris ad dulcissimum Dominum nostrum Iesum Christum, & mihi celerem commeatum, ab ipsius benignitate impetrare digneris. Ille verò respondit, suum ei non defuturum auxilium,dummodò liceret.*

12. *Euolutis autem post dormitionem ipsius paucis diebus, apparuit eidem infirmario suo per visionem, & dixit ei, Ecce in pace receptus,video bona Domini in terra viuentium, quæ incomparabiliter exuperant omne delectamentum carnis, & sanguinis. Et nunc ex debito sponsionis meæ reuertor ad te, opem laturus tibi; non tamen illam, quam incautè petiisti, sed quam tibi potiùs expedire cognoui. Recordare ergo,quia cum adhuc in sæculo esses, illud tale piaculum commisisti,de quo nondum per contritionem cordis, & confessionem oris absolui meruisti. Confitere igitur,& pœnitentiam age celeriter; quia si ante obitum tuum per confessionem deletum non fuerit, post mortem insolubile permanebit. Euigilans itaque frater, reduxit ad mentem illud graue delictum, quod ante*

c lib.5.c.6.

d lib.2. c.25.

c lib.5.c.4.

ante annos duodecim perpetrarat, sed ab ipsius memoria lethali obliuione funditus abolitum erat. Accelerauit igitur confitendo, & satisfaciendo, ab illo peccato liberari. Et gratias agens Deo, manifestè cognouit, quia non frustra Sanctorum suffragia expetuntur; nec parui pendendum esse Confessionis Sacramentum, quando liquidò constet, quòd etiam tales ignorantia taliter reputentur.

---

1. *Amalrici Siluanectensis.* 2. *& Theodorici Aureæ vallis obitus, successores.* 3. *Sancti Idesbaldi funus.* 4. *& Epitaphium.* 5. *Translatio corporis.* 6. *Atque apparitio cælestis luminis.* 7. *Recens inuentio.* 8. *Et antiqua memoria Sanctitatis.* 9. *Quid de Erone Armenteriæ Abbate scriptum.* 10. *Antiqua historia.* 11. *Traditio Monasterij, sed quæ nonnullis subiaceat difficultatibus.* 12. *De Sancto Ioanne dictum remissiuè.*

CAPVT VII.

1. AMALRICI, ex Abbate Kalisiano Siluanectensis Præsulis, cuius superiùs fecimus mentionem: Theodorici, Idesbaldique, Abbatum, Aureæ vallis illius, huius Dunensis, explanandi sequuntur fælices obitus, qui omnes illustrarunt præsentem annum. Eisdem Eronis per ducentos annos dormitio, siue historia, seu fabula breuiter nobis veniet subiungenda. Et quidem quod ad Amalricum attinet, quem B. Andreæ in Abbatiâ Kalisiana suffectum primò, mox Siluanectensis Ecclesiæ quadragesimum octauum eius Episcopum præfectum memorauimus; hoc obiisse anno, habemus ex Vincentio Beluacensi; subæquali authore, solita quamuis sibi præcisione [a]. *Ea tempestate*, ait, *(id est anno M. C. LXVII.) Amalricus, Abbas primus Caroli-loci, deinde Siluanectensis Episcopus obiit.* Inde supplendi Cathalogi vulgares apud Demochares, atque Ioannem Chenu, qui plerumque deficiunt in Chronologia. Reliqua ignora, præter successorem, nomine Henricum; nec nobis, nisi accepta ab antiquis in mente tradere.

[a] lib. .. cap. ...

2. Haud dissimili inuoluitur caligine Theodorici memoria, nisi quod vltra annum, dies obitus, in Martyrologio Aureæ vallis [b] notata legitur. *Kalendis*, inquit, *Februarij obiit Theodoricus Virdunensis tertius Abbas Aureæ vallis, anno millesimo, centesimo, sexagesimo, septimo* Hęc tantum ibi [b]: nec plura de viro alibi. De successore Adamo Longinio, qui Aureæm vallem decennio administrauit, nonnihil in sequentibus dicemus.

[b] apud Henr. Decemb. 10.

3. Idesbaldi notitia maior subest, ex Chronico Dunensi Hadriani Butij, ex miraculis patratis ad eius tumulum, ex recenti, & miranda hoc nostro sæculo sacri corporis eius inuentione. Cessisse præfectura constat sub hunc annum, cum per duodecim Dunas gubernasset. Cæterùm intra eundem obiisse, Adrianus affirmat, ex quo Chrysostomus Henriquez [c] hæc pauca hausit. *Cum duodecim annis (Idesbaldus) clementia, pietate, & zeli rectitudine, ac custodia disciplinæ Regularis, gregis Domini intenderet pastui; exemplo proprio potius, quam alieno, oues suas impinguans; malens contemplationi vacare, dignitatis suæ resignationem fecit. Qui dum in lectulo contemplationis quæreret, quem diligebat anima sua, transacta nocte tenebrosi sæculi huius, ad cælestem claritatem translatus, quem desiderabat, inuenit; cum quo in æternum latabundus exultat. Obiit itaque Christi humilis famulus, anno Domini M. C. LXVII. in veteri Monasterio; & ob eius sanctitatem in theca plumbea sepultus est.* Hæc de cessione, morte, & sepultura Viri Sanctissimi.

[c] lib. 2. Fasc. dist. 26. c. 3.

4. Deserti filij, cum patri iusta soluissent, hoc tumulo Epitaphium superscripsêre [d]

[d] lib. 2. Fasc. dist. 26. c. 3. & in Menol. April. 18.

Mæstus, Idesbalde, grex, & plebs anxia valdè
Tristatur, plangit, dum te mortis mola frangit.
Sed refouet ritè, melioris adeptio vitæ,
Quâ patriæ ciuis, fælici fœdere viuis.
Id tibi concedi, persuadent plurima credi.
Haud veneranda parum virtutum gesta tuarum,
Nam sibi cura patris sumpsit ab vtero matris.
Et tua verborum mens fonte refecta suorum.
Ardenter cœptis instans, non hæsit ineptis.

Hoc Epitaphium, quod hactenus viriatum apud Henriquez, aut restituimus, aut saltem sensu donauimus.

Claruisse fertur post mortem Idesbaldus multis miraculis, quæ Hadrianus Bucius [e], & alij prodidere. Sed extat adhuc perseuerátque miraculum continuum, & ad nostra vsque tempora prouectum, incorruptio, & fragrantia sacri corporis; quas duobus, & septuaginta annis elapsis ab eius morte, primùm; mox nostro sæculo plenissimè probatas, & approbatas, non putamus silentio prætereundas. Ergo de prima inuentione corporis Sancti, cum transferendum ad Nouum Monasterium, circa annum Christi M. CC. XXXIX. detegeretur, idem, qui supra, Adrianus, in suo Chronico, & ex ipso Arnoldus de Rayse in suis Natalitiis Sanctorum Belgij, hæc fideliter duxit transcribenda. *Obiit anno Christi M. C. LXVII. in veteri Monasterio; & ob eius sanctitatem in theca plumbea sepultus est. Annis verò post obitum, duobus super septuaginta, translatum fuit sacrum corpus in nouum Monasterium: & ecce incorruptum, & integrum repertum est. Quod mox tantam odoris suauitatem naribus adstantium afflauit, vt balsamo, aliisq; vnguentis perfusum credi potuisset; vbi tamen aliud appositum non erat, quàm nonnihil calcis.* Hæc prima reuelatio corporis Sancti, cuius memoriam refert Menologium ad Idus Martij, adductis etiam verbis Brandaonij Historici, quæ rem non solùm confirmant, sed perpendunt. 5.

[e] in Chronic. Dunensi.

Non multò post, crescente deuotione, atque ex ipsa miraculis, per quæ Serui Dei gloria, cultúsque, celebri populorum concursu, ad remotas vsque nationes diffundebatur: noua de cœlo apparitio subsequuta est, quam idem, qui suprà author, ita prosequitur. *Interea verò, aliquot interlabentibus annis, eius quoque beatis auspiciis, templum celeberrimum Monasterio coniunctum est: quod pridie, quàm ab Episcopo consecraretur, nocte apparuit nubes quadam perlucida, instar flammæ, tectis illius superemimens; quæ animos omnium propè, ac longè existentium adeo commouit, vt Bergenses incendium conclamarent.* Hæc ex antiquis sumpta, traditáque: verum quæ nuper contigisse dicitur, corporis Sancti secundam translationem: qualitérque post quinque 6.

fermè sæcula, hoc nostro, integrum, atque omnino illæsum repertum sit, ex testimonio Episcopi Iprensis D. Domini Antonij de Henin fideliter subiungit in hæc verba.

7. *Cæterùm dum hæc scribo; anno reparatæ salutis sexcentesimo, vigesimo, quarto supra millesimum, facta est alia translatio in nouum Monasterium; & loculo plumbeo reserato, integrum cum vestibus repertum est: in cuius rei pleniorem notitiam, & fidem faciendam, lubet verba referre litterarum Episcopi Iprensis, Antonij; qui & oculis vndecimo Kalendas Maias miraculum spectauit. Erat corpus sacrum vestitum veste religiosa, alba inferiori, & nigra superiori, adhuc prorsus firmis, & integris, (quæ tamen scissæ fuerunt ad inspectionem capiendam) cum herbis odorificis diuersi generis rosmarino, absynthio, calicibus rosarum, & aliis, quæ ex forma optimè nosci poterant; ac præterea vno magno inuolucro ex tela cerata omnino forti, ligato funibus canabinis, qui (quod essent omnino integri, & firmi) scissi fuerunt ad inspectionem. Ex qua inspectione deprehensum est caput integrum adhuc munitum capillis, inter quos imminebat corona religionis; frons integra, oculi suis tecti palpebris, & ornati superciliis; nasus aliquantulum fractus violento quodam ictu, quo vt dicebant, & Prælatus testabatur, in eundem impegerant, eius integritatem exploratam non habentes, dum funem cum linteo, quo innolutus erat, frustra vi in partes detrahere tentarent. Genæ integræ, labia integra coloris aliquantulum liuidi; os parum patens, ita vt duo, aut tres dentes in ipso aliqua sui parte videri possent. Barba valde copiosa, quam quis ab octo, aut nouem diebus rasam iudicasset; ita tamen firma, vt præsentibus nobis, fortiter pili eius à Chirurgo tracti, euelli non possent. Tota vultus constitutio tanquam dormientis in sinistrum latus versa; collum adhuc ductile, & prorsus integrum. Humeri, & brachia omnino integra, sicut & manus; in quarum dextra, adhuc parui vulneris vestigium. Venter præterea cum coxis, genibus, & tibiis prorsus integris, & pilosis, ipsis etiam musculis prominentibus. Pes sinister, integer, & iustæ magnitudinis; dexter verò, sicut & dextra manus, paulò contractior, ita vt videretur adhuc in viuis existens paralysi, spasmo, aut apoplexia malo laborasse. Tibialia omnino integra, ita vt etiam suturæ omnes dignoscerentur.* Hoc testimonium Episcopi Iprensis non multo post ex Belgio ad nos transmissum, ab eodem signatum, atque duorum tabellionum manu subscriptum, eisdem prorsus verbis apud me habeo.

8. Sancti Idesbaldi vitam, actáque, ex antiquis Chronicis, & variis monumentis Dunensis Domus collecta à se, & vulgata, in libro cui titulus est. *Vita Sanctorum Patrum Eremi Dunensis*, testatur Henriquez in Menologio Aprilis 18. quo die solemnem ipsius memoriam facit. Quin ab eodem iterum vulgandum additis multis, in libro cui titulus. *Nouum sydus Belgij* idem, qui supra, Arnaldus testatus est, in suis Sanctorum Belgij Natalitiis, ad vigesimum primum diem eiusdem mensis. Sed primum opus nancisci non potuimus: secundum an vulgatum, dubitamus. Quippe Chrysostomo ipso per mortem rapto, antequam plura, quæ edere parabat, editis quamuis multis, posset perficere. Quod *licet* (ait) *antiquitatis iniuria, & bellorum, ac temporum vicissitudinibus hoc intermissum fuerit; tamen vsque in hodiernum diem sacrum celebratur in honorem ipsius de communi Abbatum, eius nomine in Orationibus superaddito.* Sic ille, qui Dunas sæpiùs visitauit, & consonat Theodorus in suo opere. Eiusdem Sancti vltra Arnaldum, & Henriquez, Hugo Menardus meminit in secunda appendice ad suum Martyrologium littera I. Sed de Idesbaldo satis pro hoc anno: nunc ad Eronem.

Quem Monachum cœlestis auiculæ cantu, per tria sæcula, veluti ad horam raptum, suspensúmque historiæ commemorant; Armentariæ in Gallecia Abbatem fuisse, eundémque Eronem, qui domum illam à fundamentis struxit, rexítque, primùm sub nigro, mox sub albo habitu, eiusdem Monasterij traditio est, cui fidem faciunt quædam M.S. proximo inuenta sæculo, dum venerabilis Malachias Assus (qui postmodum Iacensi Ecclesiæ præfuit) in eodem Cœnobio Abbatem ageret. Id, quod Chrysostomus Enriquez semel, & iterum, in Fasciculo [f], & in Menologio [g] testificatur. Nisi quòd tamen quem Hispanum virum, atque in Hispania fundatorem constat illius domus, missum ex Claraualle ipse commemorat, nescio, quibus incertis coniecturis. Nobis primùm euentus satis mirabilis, sed sine certis, persona, loco, aut tempore; vt ab antiquis scriptus: mox quæ recentes tradunt; demum quibus subiaceat difficultatibus, fideliter ex more dicenda erunt. Ergo de ipso euentu celebri, olim collector Magni Speculi exemplorum, ita scribit [h]. 9.

f lib. 2. dist. 26. n. 5.

g August. 30.

h distinct. 9. exempl. 65. alias verbo cælestis gloria exempl. 12.

Legitur in libro Exemplorum, quod fuit quidam Monachus, qui legens in matutinis cum aliis fratribus: mille anni ante oculos tuos tanquam dies hesterna quæ præteriit; miratus est nimis, quomodo illud esset possibile? Erat enim Sanctus, & deuotus valde. Post matutinas ergo mansit in choro in sua deuotione, vt consueuerat; & petiuit sibi illum versum reuelari à Deo; & incepit discere. Et cum staret auis pulcherrima ante oculos eius, volauit, & auolauit. Sequebatur eam, quia totus fuit intentus ad visionem eius. Tandem volauit extra Ecclesiam, tamen semper prope ipsum, vt posset videri; & ita prope, vt posset apprehendi. Tandem deduxit eum extra Claustrum, & vlteriùs deduxit eum ad vnum nemus, quod fuit ante claustrum, magnum, & spatiosum valde. Et ibi Monachum illum detinebat per dulcem melodiam, per trecentos annos; nunc auolando, nunc appropinquando; quousque omnes Monachi dicti Monasterij essent defuncti. Et præ dulcedine cantus dictæ auis non esuriuit, nec sitiuit, nec comedit, nec bibit, postea auis auolans Monachum dimisit. Statim Monachus ad se reuersus Monasterij situm petiit, quia prope erat; putans se eadem nocte post matutinas recessisse. Iam erat hora tertia, vt sibi videbatur, & se petiuit intromitti. Dixit Portarius, quis esset, qui dixit. Sum Sacrista istius Monasterij, qui post matutinas egressus sum. Portarius putans eum delirum, non cognouit eum omnino; tamen requisiuit ab eo nomina fratrum, scilicet Abbatis, Prioris, & Cellarij. Recitauit ergo nomina eorum, qui erant temporibus suis; & portario omnino incogniti erant. Et admirans Monachus, quod non intromitteret eum, & simularet se nescire nomina fratrum petiuit, vt duceret eum ad Abbatem. Ductus autem ad Abbatem nec ipse cognouit Abbatem, nec Abbas è conuerso eum. Et inquisiuit Abbatem de prædecessore suo, & sic inuentum fuit, quòd Abbas ille, cum aliis, quos nominauit, ante trecentos annos esset defunctus. Tunc ostendit Abbati, & omnibus fratribus, quid Deus secum, operatus esset per tot annos in eremo, per auem, & illum versiculum, Mille anni, &c. & de gaudio paradisi, & tunc ipsum in fratrem receperunt. Qui statim sumptis Sacramentis Ecclesiasticis 10.

dulciter obdormiuit in Domino, & ad gaudia vitæ æternæ peruenit. Hactenus ibi.

11. Porrò hoc, aut simile, vnica tamen centuria annorum dempta, contigisse Eroni, Armentariæ Abbati, de quo suprà, recentiores affirmant, inter quos etiam olim & nos fuimus, quandiu minus adstricti Historiæ legibus: quippè sequentes vestigia præcedentium, neque tam, quà foret eundum, attendentes, quàm quà iretur [1]. Præfertur tamen Malachias Assus, vt dixi, qui rem inuenerit in antiquo M. S. atque Eronem, Armentariæ primum Abbatem, in eo deliquio animæ per ducentos annos ad auiculæ cantum perseuerasse, memoriæ prodar. Cui, si reliqua alia non obsisterent, non immeritò fides præstanda foret. Cæterùm obstat Historiæ antiquæ contextus, in qua non Abbas, sed Sacrista dicitur, qui in ecstasim raptus. Obstat & ipsius Eronis memoria conseruata Armentariæ in instrumentis vltra hunc annum quippè vsque ad M.C.LXXVI. in quo Martinum habuit successorem. Demum, si raptus, per trecentos annos, vt antiqui adseuerant, produxit vitam, pertigisset ad annum M. CCCC. LXVII. atque in eum incidisset reditus Sancti, quo per Hispaniam reformari cœptæ Cistercij domus pleniorem rei notitiam conseruassent. Sed nec, si centum, vt volunt, antecessisset, adeò cuncta obliuioni mandata essent, vt neque locus sepulturæ Sancti, neque aliud tantæ rei vestigium (nam reuera non extat) remansisset. Hæc in Historia difficilia nobis apparent; quæ vt non admittenda, sic, si ab aliquo superari valeant, sua fides traditioni integra erit.

1 apud Henriquez in Menolog. Augusti 30.

Sunt qui Sanctissimi Confessoris Christi Ioannis, ex Comite Montis mirabilis, Monachi Longipontis, gloriosum obitum adscribant huic anno: 12.
vt quem ad superos perhibent migrasse quarto-decimo post Bernardi parentis fœlicem mortem, quod Benedictus Gononius in suis vitis Patrum Occidentis testificatur. Verùm admissus ab Abbate Gualtero (qui postmodum Cisterciensis Abbas fuit) Dum Longum-pontem regeret, non potuit sæculum hoc anno deseruisse, nedum vitam. Quis enim credat, si iam nunc præsideret in Longo-Ponte, post tres, & quinquaginta annos transactos, in Cisterciensi sede promouendum? Hæc obiter in præsenti notanda duxi, ne viso forsan Gononio lector hæreret, aut tanti viri omissi nos argueret. Verùm haud dubiam eorundem probationem in proprium tempus consultò reseruamus; vitam sancti, conuersionem, mortémque; & miracula illustria, suis singula locis narraturi.

---

1. *Initium militiæ Sancti Michaëlis del Ala in Lusitania.* 2. *Alfonsus Alcobaciæ Conuentum visitat.* 3. *Victoriam per miraculum partam in Deum refert.* 4. *Pennatum brachium visum debellans Mauros pro insigni militibus.* 5. *& leges condita sub Abbate Alcobacensi.* 6. *Institutio ad exemplar militiæ Sancti Iacobi.* 7. *Sed duratio dissimilis.* 8. *& fortè Iacobea illi successit*

CAPVT VIII.

1. IN Lusitania instituta noua militia sub inuocatione Sancti Michaëlis, Cistercium auxit. Author illius Alfonsus, inuictus Princeps; milites, penè totius Regni proceres; instituendi occasio, victoria recens per miraculum parta, pennata manus armata de cœlo missa, quæ profligaret hostes, cùm Alfonsus Sanctorum Angelorum, Michaëlis præcipuè, per multas preces auxilium implorasset. Tempus victoriæ Lusitani authores differunt, & credibile instrumento institutionis irrepsisse mendum; sed quod nó facilè valeat emendari. Nos à Bernardo Brito, qui vulgauit, transcribemus fideliter, integrum relinquentes lectori nostro, aut postponere velit, & quanto tempore? Illud compertum, victoria à Mauris parta, Alcobatiam ab Alfonso Rege petitam: ibique post relatas gratias supremo Numini, atque sacratam Archangelo Michaëli aram; communicato consilio cum Abbate, Monachísque, & qui cum eo erant, Regni proceribus; nobilium militum societatem magis, quam ordinem, quippe, sine votis, institutam, & suis ordinationibus fulcitam instrumento confecto, in hunc tenorem. [a]

a lib. 5. c. 19.

2. *IN Dei nomine, Sancti Michaëlis Archangeli, & Sancti Angeli Custodis. Quoniam quidem decet beneficia omnipotentis Dei debitis compensare obsequiis; idcircò ego Alfonsus, Dei gratia, Portugallensium Rex; volens, & desiderans, diuinum fauorem, pro mea paruitate recognoscere; & vt posteri mei recordentur mirabilium suorum, per quæ Regnum nostrum stabiliuit in terra; de consilio, & matura deliberatione bonorum virorum, quos Dominus elegit sibi, Martini scilicet Abbatis Alcobatiæ, Ranulphi in diuinis litteris magistri, & plurimorum Monachorum eiusdem Cœnobij, qui affuerunt; nec non & nostræ curiæ Rectorum, instituimus quandam fraternitatem militum, in laudem, & honorem Domini nostri Iesu Christi, & Beatissimæ Virginis Mariæ matris eius; specialiter verò sub inuocationem Sancti Michaëlis Archangeli, & Angeli mei custodis. Ratio verò, cur sic instituatur societas ista, hæc est.*

Dum ego essem in Santarena, venit contra me Albarch Rex Sibilliæ, cum ingenti multitudine militum, taliter quòd omnes terminos Regni mei cooperiebant sua multitudine; & castrametauit iuxta oppidum, in quo ego cum parua manu meorum eram inclusus, expectans aliquorum aduentum; sed accessit nuntius referens aduenisse, consobrinum meum Regem Legionis; & quia erat inter nos suspicio, timui illum, credens, quod veniret in auxilium inimicorum meorum; propter quod constitui exire in bellum contra Albarch, antequam veniret, & iussi in crastinum præparare gentem meam, & ego in orationem rogaui Angelum meum, quem Deus per suam misericordiam dedit mihi in socium, & custodem, & B. Archangelum Michaëlem. quod veniret in meum auxilium, & eriperent me de manu inimicorum meorum. Quod quidem accidit: & cum in bello signum meum esset captum ab inimicis meis, ego desilij de curru, vt liberarem illud; & cum in pressura pedibus pugnarem, mirabile visu euenit iuxta peccatorem, brachium pugnantis, & adiuuantis me; armatus, quidem secundum visum meum, & summitatem eius cooperiebat ala tanquam Angeli; corpus autem non vide- 3.

bam, nec aliquis vidit, quamquam multi Maurorum manum vidissent, sicut postea dixerunt captiui: cum ego manum vidi, intra me confortatus insilij in hostes, & ecce cadebant à latere meo mille, & decem millia à dextris meis; vulnus autem ad me nullum appropinquabat. Victus est inimicus meus, & colligemus spolia eorum, & vidimus prostratam in campis Sarracena manum magnam, quæ persequuta fuerat nos, & cantauimus laudem Deo nostro, quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius.

4. *Postea autem cùm me pararem ad bellandum cum Rege Legionis, sciui illum venisse in adiutorium mihi, etiam reddere in pace; de quo lætus, & gaudens, veni, vt laudarem Dominum Iesum Christum ad Monasterium Alcobatiæ, in quo fui per dies triginta tres seruiens ei, & cogitans de Regno Dei; & ne obliuiscatur adiutorium Sancti Michaëlis, & Angeli mei, de consilio supradictorum, decreui facere vnum Ordinem, & societatem militum, qui deferant supra cor Alam purpuream, insignitam auro, & fulgure, sicut visum fuit oculis meis fuisse illam, quam videram in prælio. Conditiones autem, quas debent seruare milites huius societatis, & iurare, dum acceperint Alam, hæ sunt.*

5. *Prima: Nullus, qui nobilis de Palatio, & Curia nostra non fuerit, non deferat Alam, nec admittatur, ad societatem nostram.*

Secunda: Omnes, qui in conflictu pugnauerunt, vt eriperent signum meum, erunt admissi ad societatem, & deferent Alam.

Tertia: Ille, qui admittitur ad societatem, erit in prælio iuxta Regem, vel iuxta eius signum; & nullus poterit illud deferre, nisi portauerit Alam.

Quarta: Ille, cui datur Ala iurabit in manibus Abbatis Alcobatiæ fidelitatem Deo, Romano Pontifici, & Regi, in forma solita; & nullus dabit Alam præter Abbas Alcobatiæ.

Quinta, Miles huius militiæ recitet quotidie numerum orationum, quas solent recitare conuersi Ordinis Cisterciensis, siue in pace, siue in bello.

Sexta: Cum aliquis recipiet Ordinem, dabit quinquaginta solidos ad reparandum altare Sancti Michaelis, quod est in Ecclesia Alcobatiæ.

Septima: Omnes fratres huius militiæ ibunt ad Alcobatiam in vigilia S. Michaëlis, & audient horas vespertinas, matutinas, & Missam; & recipient Communionem de manu Abbatis induti in Cappis Albis ad formam Conuersorum.

Octaua, Abbas Alcobatiæ habebit iurisdictionem super milites, & poterit illos excommunicare, si malè vixerint, & compellere, vt relinquant concubinas, & pessimam viuendam.

Nouena: Milites huius societatis post primum matrimonium, si habuerint filios, vel filium heredem, non transient ad secundas nuptias, post obitum primæ vxoris; sed viuent in continentia.

Decima: In scutis in bello habebunt Alam absque alio insigni; & in pace non ibunt sine illa.

Vndecima: Erunt equites huius fraternitatis mites humilibus, duri superbis, mulieribus præcipuè nobilibus, virginibus, & viduis auxiliatores; in omnibus Fidei defensores, hostium impugnatores, & superioribus obedientes.

Duodecima: Erit numerus militum iuxta voluntatem Regis; & quem elegerit, mittet ad Abbatem Alcobatiæ, & ipse dabit ei Alam, & cappam candidam, cum sua benedictione; & accipiet ab eo iuramentum in forma consueta, & leget ei istas ordinationes, & alias sui Ordinis; & describet nomen eius in codice. Et quia hæc est mea voluntas, & volo memorare posteris meis beneficium Domini, & Sancti Michaëlis, constitui ego Rex Alfonsus hanc militiam in Cœnobio Alcobacino, Æra M.CC.V.

Hactenus instrumentum Regis Alfonsi, qui ideo nouam militiam instituisse, post Eborensem altiùs radicatam credendus est; vt sicut in priori cœlibatum, in secunda coniugium; & Lusitanos æquè sæculares, ac religiosos, per insignia honoris animaret in hostes Fidei: non vllis vnquam in gloria militari cessuros populis; quin strenuos quosque, quà possent, transcensuros. Habebant Regna Castellæ, atque Legionis vtrorumque collegia: & Calatraua, ac Pereirum cœlibes nobiles, Sancti Iacobi illustre sodalitium coniugatos armabant in Sarracenos. Æmulari priorem Lusitani Eborensem militiam; pro posterioribus, secundam ordinauerunt. Nec minus suis armatum recèns brachium Michaëlis Archangeli, furentes Mauros sternens, fugánsque: quàm nostris equitantem olim Apostolum eosdem profligantem, celebrandum putarunt; consecrata militia sub eius nomine; quæ, vt illa Iacobi, sic ista Michaëlis del Ala nuncuparetur, vtraque illustris, vtraque generosa: atque neutra coniugium excludens: nisi quod tamen Lusitanis placuit, vel coniugatos Cisterciо subiugare. 6.

Redditutum defectu, an personarum; seu verius ideo personarum, quia reddituum, quæ sub Alfonso floruit noua militia, sub filio, atque nepote paulatim desiit. Quippe cui solus pro vita, fauor Principis; successorum contemptus, pro morte fuit. Adeò virtus languescit, si desint præmia; neque humana conditio aliquid audet, vbi nihil sperat. Vltima Alfonsi tempora pacifica: cùm neque per victorias toties partas, à victis inuadi, nec victor ipse, per senium, morbósque, inuadere aduersarios Fidei permitteretur. Hinc factum est, vt neque noui milites dotem sibi per arma compararuerint, neque abs rege acceperint; sueto nimirum suis consignare, quæ hostes haberent; neque de propriis: id est subditorum (nam hæc Dominia connexa inter se mutuò) sed de infidelium bonis, ostentare potentiam, & pietatem. Quippe hæc sola Reipublicæ accrescunt: illa eo tantum non pereunt, quia ad alios transeunt: Hæc sine membri alicuius decremento: illa non aliter ditant, quàm si depauperent. 7.

8. Igitur militum Sancti Michaëlis pennata societas, velut ocyùs volans, citò pertransiit: vix aliam sui memoriam post se relinquens, quam suæ institutionis instrumentum, singulis militum nominibus subscriptis; quod Alcobatiæ à Bernardo Brito inuentum, idem ipse, qui inuenit, euulgauit. Crediderim eidem deficienti substitutam militiam Sancti Iacobi, ex Castella accitam, vnde altiùs radicata, firmatáque, palmites suos transmisit in Lusitaniam. Hæc coniectare facilius, quàm asserere, ex occurrentia temporum, atque vtriusque instituti, coniugium admittentis similitudine. Aliàs non desunt quidam recentiores, qui Iacobæos milites, ab eodem Alfonso sub finem sui Regni vocatos tradant. Quin & dotatos Castris, Castellisque, quæ hodiè ipsis subesse dignoscuntur. Sed de his alij, nos ad Monasteriorum fundationes, quæ hunc annum concernunt, more nostro tradendas, progrediamur.

1. *Chronologia, & de quinque fundationibus.* 2. *Marmasolij notitia,* 3. *atque Saltus nouulis in Hispania,* 4. *dotatio loci,* 5. *& conuicti ex ea quidam errores.* 6. *Dictum etiam de primo Abbate domus,* 7. *atque emendati versus,qui illic extant.* 8. *Sepulchra,* 9. *ac priuilegia Monasterij,* 10. *& quorundam opinio de illustri familia Sandoualium.* 11. *Inuentio capitis Sancti Ierotai.*

CAPVT IX.

1. IN Chronologia numeratas quinque inuenio, quarum haud multa nobis notitia subest.

Anno M.C.LXVII. VII. Idus Martij fundata est Abbatia de Aqua fridiga.

Eodem anno, II. Nonas Iunij, Abbatia de Carmesa.

Eodem anno, Abbatia de Sale-reis, aliàs de Sailariis.

Eodem anno Abbatia de Marmasolio.

Eodem anno, Abbatia de Casali. Hactenus Chronologia pro suo more. Nos Aquam frigidam vnam superius diximus de linea Claræuallis: Sed adhuc aliam in Tabulis inuenio, & Genesi Ecclesiarum Morimundensium. Filia ea Coronati, in Cumanensi Diœcesi, in qua non minùs notatur in libris Cameræ, *Sancta Maria de Aqua frigida Ordinis Cisterciensis soluit florenos C.XXV.* Carmesa è contra (Carmeiam alij dicunt) filia Reclusi, in Comitatu Campaniæ, extat in Genesi Ecclesiarum Claræuallensium. Memorat Domum Nicolaus Camuzatius in Miscellanois; vbi & *Carmoye* vulgò, & domum Comitis appellari consuetam tradit. Sed nec Salereis, nec de Casali Tabulæ meminerunt, nec eas alibi potui inuenire. Nam Casale Gualonis, diuersam domum, cuius maior notitia, post biennium notatur in Chronologia.

2. Notius paulisper Cœnobium Marmasolium in Terracinensi Diœcesi, quod Fossa-noua protulit, adaugens lineam Claræuallis, secunda prole. In libris Cameræ taxatur Florenis mille; sed insigni errore, non Terracinensi Campaniæ Diœcesi, sed in Tarraconensi Cathalauniæ, simul cum Populeto continetur. Memoratur in litteris Gregorij Papæ IX. ad Abbatem illius, conuentúmque, Datis Laterani, pridie Idus Iunij, Pontificatus ipsius anno XII. Necnon in aliis Pontificiis eiusdem Laterani, item datis, Nonas Maij, Pontificatus eius anno XIII. Nisi quod tamen in his vltimis litteris, non Terraciensis, sed Velitrensis Diœcesis dicitur. *Abbati, & Conuentui de Marmasolio Cisterciensis Ordinis, Velitrensis Diœcesis.* Et video domum adnotatam in libris Cameræ in Diœcesi eadem *De Mauserolio, Cisterciensis Ordinis, Florenos XL.* De qua an eadem, an diuersa sit, nihil hactenus audeam deffinire.

3. His fundationibus, quæ minus notæ, sextam aliam notiorem superaddamus, Saltus Noualis, vulgò *Sandoual*, antiquis *Sot-Noual* in Regno Legionensi, quam, loco à Rege Alfonso priùs accepto, secundo lapide ab ipsa primaria vrbe, illustres Comites Pontius de Minerua, & Stephania eius vxor, ædificarent. Monachi, à Monasterio Spinæ adducti, sub Abbate Didaco Martini, Hispano haud dubiè homine, cui video hoc anno firmatam donationem coram quatuor Episcopis, aliísque proceribus, confirmantibus filiis, filiabúsque; necnon duarum aliarum hæreditatum, cum suis iuribus iuriúmque dictione; quam vt nostri hactenus alibi admisissent, haud tamen video æquè expressam in instrumentis. Verba eius, ad litteram subiungam [b]. *b ex Tabul. Saltus Noualis.*

IN *nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti Amen. Ego Comes Poncius de Minerua, & vxor mea Comitissa Doña Stephania vna cum filiis meis Ramiro, Maria, & Sanctia, pro salute animarum nostrarum, damus Deo, & tibi Didaco Martini, & Fratribus tuis in Christo, tam præsentibus, quàm futuris, sub Regula B. Benedicti secundùm constitutionem Cisterciensem, locum nostrum de Sot Noual, cum Vasalis, Solares, Molendinis, riuis, pratis, fotis, terris, & fontibus, arboribus, hortis iurisdictionem ciuilem, & criminalem, sicut determinatur de vna parte cum flumine de Perma per vbicumque dictum flumen discurret. Et de aliis tribus partibus determinatur cum Mansela. Prædictum locum damus tibi, suísque successoribus cum suis pertinentiis, sicut Dominus Aldefonsus Rex Legionensis nobis dedit: insuper damus tibi, & fratribus tuis hæreditatem nostram de Villa viridi, & de Sancta Eugenia, vtramque totam, & integram cum toto iure, quod in eis habemus. Hanc ergo chartam donationis quicumque filiorum, vel parentum nostrorum infringere tentauerit, iram Dei omnipotentis, & Regis terræ habeat, & cum Iuda traditore in inferno inferiori sit damnatus, nisi resipuerit. Facta charta apud Legionem, Æra M.CC.V. quinto decimo Kalendas Martij. Regnante Rege Fernando in Legione, & Gallecia, & Asturiis.* 4.

Ego Comes Poncius de Minerua, & Ego vxor eius Comitissa Doña Stephania, vna cum filiis nostris Ramiro, Maria, & Sanctia, hanc chartam, quam fieri iussimus, propriis manibus roboramus, & signum facimus. †.

Ego Ioannes Episcopus Legionensis confirmo.

Ego Gonzalus Ouetensis confirmo.

Ego Fernandus Episcopus Astaricensis confirmo.

Ego Stephanus Episcopus Zamorensis confirmo.

Ego Comes Ramirus confirmo.

Ego Comes Petrus confirmo.

Ego Martinus Menendi confirmo.

Ego Petrus Ariæ confirmo.

Ego Arnulphus, diuino munere, Archidiaconus, præsens testis.

Ego Thomas, Canonicus Legionensis, præsens testis.

Ego Ioannes, Capellanus Comitis, præsens testis.

Ego Martinus Didaci, præsens testis.

Ego Petrus Petri Domini Regis scriba, qui ad omnia supra dicta præsens fui, & hoc scripsi, & signum meum feci.

Ex hoc instrumento corrigenda venit Chronologia; quæ fundationem domus Saltus-Noualis differt in annum M. C. LXX. Quippe facta, non Abbati, & Conuentui de Spina, qui Monachorum missionem differre possent, sed Didaco Martini, 5.

tini, & fratribus eius, cùm iam egressi ab Spinæ Monasterio, ad ipsum Saltus Noualis locum peruenissent. Corrigendi item Sandoualius, [a] Iepiusque,[b] qui minimum anteuertunt, dum alter anno M. C. XLII. alter M. C. X L I I I. fundatam tradunt: multo autem turpius errant Monumenta Spinæ ab Iepio citata, qui ad Æram M.C.LXXIII. hoc est, ad annum M. C. XXXV. referunt fundationem eiusdem domus; quo nondum ipsum Monasterium Spinæ fundatum erat. [c] *Æra* (inquit) *M. C. LXXIII. fundatum fuit Monasterium Saltus Noualis in Regno Legionensi: & missi fuerunt Monachi, qui illud habitarent, tempore Alfonsi dicti Imperatoris.* Melius ergo chronologicæ aliæ Tabulæ, ab eodem Authore [d] etiam adductæ, quæ ita habent. *Anno M. C. LXVII. fundata est Abbatia Saltus-Noualis in Regno Legionensi.* Atque hæc de anno.

a in Histor. Imper. c 45. b ad ann. 1143. c ad eundem ann. d loco suprà.

6. Missos ex Monasterio Spinæ Monachos, Tabulæ omnes concordes adseuerant. Verum quod putant Saltus-Noualenses, primum Abbatem Didacum Martini eundem fuisse, quem de Villa-maior Saluadores historiæ Hispanæ eximia cum laude memorant, Comitum fundatorum quondam generum, sed à morte vxoris Deo sacratum; quippe Abbatiam Canonicorum Regularium, dictam de Bene Biuere, in quâ sepultus iacet, fundasse dicitur; nulla prorsus ratione stare potest. Quippè quem constat ante annum obiisse, quod ipsa sepulchri eius inscriptio notat, quod ita habet.

Fœlix vita viri, qui vita tempore, templa
Trina, dedit trino, per tria lustra Deo.
Nascitur in sexta feria, Nonisque Nouembris
In cælis, terra mortuus, astra colit.
Vndecies centum sex anni septuaginta,
Hic numerus Christi carnis habendus erat.
Cùm datus est terra, bona, qui terrena refugis,
Et quem post vitam viuere fama facit.

Verum est tamen referri duos alios versus, qui in M.S. antiquo, his subiiciuntur.

Ergo locum subit ille nouum, quem rustica lingua
Sot-Naual dicit, quem situs ipse probat.

Quibus videtur describi Saltus Noualis. Sed sanè versus hi nimium recentes, atque adeò non magnæ authoritatis, vel ex ipso stylo comprobantur. Deinde esto eis fides habenda; quod subierit locum Saltus-Noualis, priusquam in eo Monasterium construeretur; nec Abbatiam conuincit, nec Monachatum; sed vel habitationem, aut partiale dominium eiusdem loci: aut ad summum construendi Monasterij, antequam Monachi ex Spina venirent, præparationem.

7. Extant & alij versus non contemnendi de fundatione domus, quibus eius constructor Poncius de Minerua, atque alij viri illustres in templo, & claustris sepulti commemorantur. Sed qui etiam deuiant ab stylo illius æui: & in supputatione annorum, nisi mendum irrepsit, turpiter errant. Quippè Saltum-Noualem hoc ipso anno quarto à morte Bernardi, commemorantes. Sed siue antiquos, siue recentiores in gratiam mei lectoris, & maiorem fundationis notitiam tradendos censui.

A Comite illustri Petro de Ponce Minerua
Hac domus insignis ædificata fuit.
Vxor ei bonitate nitens Stephania Ramirez
Coniugis accendens pectora, iuuit opus.
Martinez Didacus qui à Villa maiore, generque
Illorum, simul hoc cœpit, & auxit opus.
Tunc opus hoc cœptum est, cùm Roma tertius olim
Gessit Alexander munia sacra Petri.
Galleco, Asturicisque dabat pia iura secundus
Fernandus, sedem Rex Legiane tenens.
Castella Alphonsus Nonus, clarísque Toleti
Ducebat populos, aurea sceptra gerens.
Iam sexagesimum post centum, & mille rotarat
Sol annum, & cœptus septimus annus erat;
Iam sexaginta cum nono excreuerat annos
Condita Cisterciy religiosa domus,
Quarto post anno, quàm mors pia lumina clausit
Bernardi, cuius gloria firma manet.
Iuxta aram primam, curuo sub fornice dextra,
Ossa Petri Comitis vrnula parua tegit.
Nunius ibidem Comes est, cinerésque Ramiri
Et Domini Didaci membra sepulta iacent.

Hactenus carmina de fundatione, & sepulchris Saltus Noualis. In quorum noni distichi versu secundo, pro *quarto post anno*, lege *quarto post decimo*; & constabunt sensus & versus; & computus annorum certus erit.

Itaque Comes Pontius, qui & Petrus, donator loci, domúsque constructor; & ex eius progenie viri illustres, inter quos Ferdinandus, ipsius nepos, Alcantaræ Magister, de quo infra, in Saltu-Noualiensi sepulti iacent. Scio hunc, pronepotem, non nepotem ab aliquibus dici; neque Pontij Mineruæ, sed Cabreræ; de quo plura superius. Sed hæc nobis discutere non vacat, inferiùs forsan commodiùs discutienda. Iacet & clara infans Domna Vrraca, Imperatoris Alfonsi quondam filia, Ferdinandi, & Alfonsi Regum soror, atque Garsiæ Nauarræ Regis, coniux: & quæ medium capituli occupauit, vsque ad hoc sæculum; in quo, dum nouum sumptuosius surgit, ad Ecclesiam translata; inde ad proprium sepulchrum referenda. Haud aliter plures ex proceribus, qui Ecclesiam modò occupant, iacebant in claustris; quibus reædificandis translati sunt, sed vt puto, in Ecclesia permansuri. 8.

Gaudet Cœnobium multis priuilegiis, Ferdinandi secundi Legionensis, Alfonsi filij eius, & Ferdinandi, qui Sanctus populorum consensu est acclamatus: Gaudet & multis, & magnis possessionibus, quas ab eisdem, aliisque accepit; ex quarum fructibus restitui sibi potuit, ex duplici incendio, quod passa est, imo semper in melius renouari. In libris Cameræ taxatur XL. florenis. Memoratur in litteris Gregorij Papæ I X. Datis Perusij. I X. Kalendas Iunij, Pontificatus ipsius anno IX. in quibus generale indultum Ordinis, ne in litteris generalibus comprehendatur, nisi eius facta specifica mentione; Saltus-Noualis Abbati, Conuentuique nominatim dirigitur, atque eis velut specialiùs applicatur. *Cum Cisterciensis Ordinis titulus per Dei gratiam, adeò sit insignis, quod vix credatur ab his, qui contra vos litteras impetrant, sine malitia subticeri; nos & illorum fraudibus obuiare, ac innocentiam vestram volentes fauorabiliter confouere, authoritate vobis præsentium indulgemus, vt nequeatis per litteras Apostolicas conueniri, quæ de Cisterciensi Ordine non fecerint mentionem.* Hactenus priuilegium Gregorij I X. 9.

Non desunt, qui putent, Saltus-Noualis locum, hæreditariam olim possessionem Sandoualorum (*Solar* Hispani dicunt) hodie Ducum Lermæ, quam ab Vrraca matre Imperatoris, illis oblatam, Imperator eisdem restituerit. Quippe Stephania, ex eorum clara familia per Comitem D. Petrum Ansurium, vulgò *D. Pedro Anzurez*, quod aliæ etiam historiæ testificantur. Video id placuisse 10.

Pampl

Pampilonensi Episcopo Prudentio Sandoualio, cum magnus ille Princeps Franciscus Dux, sub Catholico Rege Philippo III. Hispani Orbis habenas moderaretur. Rem adhuc dubiam; neque satis constantem per instrumenta tetigisse sufficiet; nobis præcipuè ad alia properantibus, neque expeditis externa disputare, qui vel domesticis omnino impares sumus. Mansisse locum sub Pontio, & Stephania annos viginti quinque palam est, quippe acceptum ab Imperatore anno. M.C.XLII. Didaco, & fratribus hoc anno tradidere. Atque hæc satis de initiis Saltus-Noualis, plura, quæ occurrent, in tempore trademus: Id vnum tamen censeo superaddendum.

11. Inter plures exuuias SS. Martyrum, quibus ditantur Saltus-Noualenses, Diuini Ierothæi; sic enim ab antiquis vulgò dictus, integrum caput: ibidem asseruari, traditione acceptum, à patribus ad filios pertransiisse: confusè tamen, indistinctéque; vt nequaquam ab aliis discerni posset. Cæterùm ante paucos annos, quo hæc scribimus, anno nimirum M.DC.XXV. diuina prouidentia effectum est, vt Abbas, qui tunc domui præsidebat, Thomas Brauo & Mendoza, instigante Francisco Biuario viro pio, atque Ecclesiasticæ antiquitatis studiosissimo (vt, quæ opera scripsit, manifestant) dum fragmentorum sacrorum thecas euoluit, sericis pannis inuolutum cranium repererit, hac Græca superposita inscriptione κεφαλὴ Ἱεροθέου. Tum verò inuentio thesauri, diu absconditi celebrata solemniter, atque in honorem sancti altare erectum, perpulchra eius effigie, quæ loci, Hispaniæque (nam Ierothæus Segouiensis præsul fuit) insignem patronum oculis adorantium repræsentet, mentibus ingerat, & deuotos accendat in eius cultum, ipsius vel sic patrocinium promerituros. Sed iam Salcedæ Lusitanæ illustris Domus, quam hoc anno accepisse Monachos putat Bernardus Brito [c], initia, atque progressus prosequamur. c Lib.5.c.5.

---

1. Salcedæ initia, fundatrixque, 2. primùm sub nigro habitu, vt creditur, 3. Translatio domus, & suscepta Cistercij disciplina. 4. Inchoata Ecclesia, 5. & consummata, consecratáque. 6. & coniectatum de ministris consecrationis. 7. Tharasia in Monasterium mirus affectus, 8. & eximia largitas. 9 Coniectatum, ex quodam instrumento, admissi in eodem Cœnobio Cistercij tempus.

CAPVT X.

1. AMVLAM Alcobatiæ in Lusitania Abbatiam de Salzedas, quam Chronologia honoris gratia anticipat anno M.C.XLIV. vt vidimus ibidem; in proprium locum à nobis reseruatam, hîc iam excipiat; siue antiquiorem, vt fert ipsius traditio, sub nigro habitu; siue nunc primùm Monachos susceperit, vt vult Bernardus Brito [a], cùm opus longo tempore ante cœptum, longo pòst consummatum, constet ex monumentis eiusdem domus. Quippè supra consuetum sumptuosum, & permagnificum, nec breui potuit Monachos suscipere, nec pòst susceptos breui consummari. Donatrix loci simul, fundatrixque Tarasia Alfonsi, Alfonsi Comitis Asturicensis filia, Ægeæ Municij vxor, Alphonsi primi Lusitaniæ Regis nutrix, aut pedagoga; cuique, & marito eius tam ipse Alphonsus, quàm Henricus parens consueuissent deferre; atque inter proceres Lusitanos primos, speciali tum gratia, tum honore prosequerentur. Locus ipse acquisitus à Sarracenis, cum Lamecensi Regulo Ægeæ Municij industria, primùm victo, mox conuerso ad fidem, seruatóque, ne à subditis vicinis opprimeretur, ob repudiatam sectam; debellata confinia per Catholicos ad illius petitionem; atque ea pars, quam Barosa fluuius alluit, adscripta Muñicio, & iure belli ab ipso sibi asserta, in expugnantium dominium pertransiissent. Erecta ibidem à Tarasia coniuge aula educando Alphonso, quandiu inter annos infantiæ, pueritiæque (Henrico intento bellis) continebatur. Atque hanc domum hodiéque manere, lego in Bernardo Brito [b], quassatam licèt; & nisi reficiatur (illustre monumentum antiquitatis) nequaquam vltra diutiùs permansuram.

a Lib.5.c.1. Chronic. Cisterc.

b Vbi suprà.

2. Placuit Tharasiæ, quam educando Principi terreno fabricauerat, aulam, consecrare cœlesti; & Monasterium ibidem fabricare Benedictinis Monachis, qui precibus continuis, ieiuniisque, atque aliis pietatis operibus intenti, Deum sibi, & marito conciliarent. An illos prius ibidem collocauerit, in dubio est: & collocasse probabilius creditur, Quippè Æra M.C.LXIII. quæ incidit in annum M.C.XXV. iam Monachos habuisse habitatores instrumenta conuincere dicuntur: ac Monasterium ipsum simul cum Monachis traditum Sancto Ioanni Ziritæ sequenti anno, antequam ipse Cistercium professus esset. Vnde & Salcedenses eundem B. Ioannem primum sui Monasterij Abbatem volunt. Illud compertum, si eo anno iam Monachos habebat, non fuisse Cistercienses, quamuis & de Benedictinis dubium ingerat ipse Ioannes Zirita; qui non Monasticen, ante assumptum Cistercium, professus fuerat. Certè aliquos habuisse, præter continuam traditionem eiusdem domus, confirmare videtur Chronologia, quæ non alios consueuit anteponere, quàm ante natos sub alia disciplina, eóque adoptatos à nostris magis, quàm genitos: Tum fundatricis, sub initiis domus, ius præsentandi Abbates, quod non potuisset habere sub Cisterciensibus. Constare etiam per instrumenta memoriæ produnt inde ad nòs adductæ, cum lustratum Cœnobia Lusitaniæ industrium virum æquè, & eruditum fratrem Antonium Gasconem transmisissemus.

Vtcunque fuerit, cum primum ædificium non placeret, imò nec primus locus, quæsitus secundus; atque aptus satis, & commodus inuentus in ea parte terræ, in qua nunc Monasterium situm est, secundo lapide ab vrbe Lamecensi, fertili agro. Ibi magnificum ædificium cœptum circa annum Christi M.C.LXVIII. cum prius se Monachi illuc transtulissent. Haud dubiè quin subitaneis ædibus factis, in quibus habitarent, quandiu sumptuosiores officinæ, & reliqua habitatio fabricabatur. Hoc intra tempus admissæ Cistercij leges, incertum quo anno: nisi quod Brito antecedentem notat, 3.

tat, nempè M. C. LXVII. Memoriæ Salcedenses ad octennium anticipant; & anno M. C. L I X. susceptas tradunt. Nec desunt, qui ad M. C. L I V. referendas pronunciant, sub Ioanne Nuñez eiusdem domus Abbate, etiam post transitum conseruante præfecturam: quippe, qui ab anno M. C. XXIX. vsque ad M. C. LXV. rexisse dicitur. Ergo sub hoc, aut eius successore (Martinus illi nomen) mutatio facta, sub filiatione domus Claræuallis; siue inde missis Monachis, per quos edocerentur Cistercij ritus; seu designatis ex his, qui in Alcobatia, siue alibi erant, qui vice mittendorum subrogarentur. Hinc Salceda inter filias Claræuallis immediatè post Alcobaciam, & ante Grandi-syluam commemoratur.

4. Suscepta Cisterciensi reformatione, mutatus locus, atque Abbatia vetus (sic hodie dicitur) cum veteribus moribus relicta: & noua alia quæsita à nouis hominibus. Tum verò gratulante Tarasia nouæ vitæ, ac nouis exercitiis in suis Monachis, noua ædificia cœpta satis magnifica, & quæ vel hodie inter Lusitaniæ illustriora connumerentur. Extat inceptæ fabricæ memoria in libro perantiquo, antiquis caracteribus notata, sub hoc tenore.

5. *Decimo tertio Kalendas Februarij iecimus fundamentum in Ecclesia de Sancta Maria de Salceda omnes fratres, qui tunc temporis ibidem eramus degentes; in nomine Domini nostri Iesu Christi, & B. Dei genitricis Mariæ, & omnium Sanctorum. In die Sanctorum Martyrum Fabiani, & Sebastiani. Æra millesima ducentesima sexta.* Hæc de templi illius inchoatione.

De consummatione, & illius tempore, dubium; nisi quod constat dedicatam Ecclesiam post annos septem, & quinquaginta, nempe Christi M. CC. XXV. cuius rei testimonia duo extant: alterum in prædicto M. S. verbis sequentibus.

Sub Æra millesima, ducentesima, sexagesima tertia, decimo tertio Kalendas Nouembris, dedicata fuit Ecclesia ista. Alterum in quibusdam antiquis versibus, quos Brito [c] adducit, Barbaris quidem pro more illius temporis, sed M. S. per omnia concordantibus, quorum hæc verba. c Lib.5.c.1.

Versibus exquire, quicunque cupis bene scire,
Qualis erat verè numerus tunc temporis æra,
Cùm fuit Ecclesia Salceda Sancta Maria.
Consecrata Deo: pulsus, & inde leo.
Æra millena bis centum, térque vicena,
Insuper addantur tres anni, qui numerantur.
Ampliùs intendas ter nobis sexto Kalendas
Mensis, vt in libris, numeratur terno, Nouembris.

Templum est sumptuosum, & permagnificum, quadrato ex lapide aptissimè compactum, amplitudine supra consuetum; & quæ Tarasiæ, non animum tantùm, sed potentiam satis ostentat. Neque inferiora reliqua ædificia, vtpote, quæ ex eadem magnitudine & animi, & potentiæ progrediebantur.

Non potuisse constare de Pontifice, qui Salcedensem Ecclesiam consecrauit, Bernardus Brito scribit; & sanè dedicatoris Aræ summæ nulla memoria. Verùm in quodam alio libro antiquo, de Altari Conuersorum, quod eodem anno consecratum dicitur, hæc caracteribus priscis scripta legi, Antonius Gasconius, qui vidit, testificatur. 6.

CONSECRATVM EST ALTARE CONVERSORVM MANIBVS DOMINI PETRI PORTVGALENSIS EPISCOPI VENERABILIS MAGISTRI, SVB HONORE, ET NOMINE S. TRINITATIS, ANNO M. CC. XXV. IN QVO CONDIGNO HONORE RECONDIDIT RELIQVIAS: &c.

Hactenus ibi, addita reliquiarum memoria satis prolixa. Cæterum cùm huius Altaris consecratio, in eundem, in quem totius Ecclesiæ, annum inciderit; alterum è duobus colligi datur; aut hunc eundem Petrum Portugalensem consecrasse Ecclesiam, & reliqua Altaria, quorum tamen memoria amissa fuerit; aut multos affuisse dedicationi Lusitaniæ Pontifices, qui reseruata Ara summa Metropolitæ, seu fortè Diœcesano, altaria reliqua, singula per singulos, aut fortè plura, sacranda distribuerint: quod alibi etiam factum, nec semel vidimus.

7. Exoptauit Tarasia quandiu vixit fabricam consummare, nec cõsummandam successori suo relinquere; adeóque eam curauit promouere, nullis sumptibus parcens, nullis laboribus. Quin & Bernardus Brito [e] testis est impetrasse ab Adriano priuilegia ingrediendi Cœnobium, (quod rarum, neque aliàs auditum illis temporibus) ea sola intentione, vt artifices impensius solicitaret; & propositis præmiis vltra mercedem, vrgeret ad opera, non solùm meliùs sed celeriùs perficienda. Verùm cum non inceperit Ecclesia ante annum M. C. LXVIII. quo Hadriano defuncto, iam Alexander Ecclesiæ præsidebat, difficile est, indultum ab Hadriano, nisi forte ante tempus, & velut ad præuentionem obtentum fuerit: vel non tam ad Ecclesiam, vt Brito ait, quàm ad Cœnobium veniat referendum. Vtcunque sit, non contigit Tharasiæ videre, quod optabat, quippè præuenta morte longè antequam ædificium perficeretur. Obiit tamen, d lib.5.c.1.

Salcedæ adeò addicta, adeò animo adhærens, vt neque in morte ab ea diuulsa sit, sepelienda ibidem, & futuram Ecclesiam præstolatura. Adde quod magis affectum eius declarat, separata à marito Ægea Muñicio, alibi iam sepulto, ne à dilecto Cœnobio separaretur. Sed de his suo loco dicendum erit.

Interim addo non ædificiis tantùm, vtensilibúsque, quorum etiam ingentem copiam contulit, illustrasse Ecclesiam, cui se deuouerat; sed multis prædiis, villis, & possessionibus: vt, præter Alcobatiam, non vlla ditior, imò neque æquè diues in tota Lusitania reperiatur. Addita Abbati potestas iuris dicundi in non exiguos populos, & exercendi in eos vtrumque gladium, annuente Alphonso, qui nihil suæ nutrici, maximè in fauorem Cisterciensium, quos eximiè colebat, negare posset: & impetrata à Lamecensi Episcopo spirituali cura; donatáque tum ei, tum successoribus Ecclesia Bagaustensi cum suo pago, ne sedes Episcopalis defraudaretur. Cuius permutationis, vt sic vocem, dicitur, hodiéque extare instrumentum datum apud Lamecum, mense Martio, Æra M.C C.I I. quæ incidit in annum M.C.LXIV. Ita Bernardus Brito [e] in sua Chronica, ex qua, & ex monumentis eiusdem domus, quæ hactenus tradidimus, accepta, integra fide lectori proposuimus. 8. e Lib.5.c.1. & 2.

Ex hoc autem eodem instrumento sunt qui coniiciant Cistercium non admissum in Salceda ante illum ipsum annum M. C. L X I V. Quippè hæc, vt obtenta, possessáque sub alia professione, 9.

non

non forent forsan à nostris respuenda: at eadem directè sibi acquiri, haudquaquam permittebant Cistercij leges. Turpiùs eiicitur, quàm non admittitur hospes; & magnifica, maiestuosáque (si fortè occurrerint) honestiùs non reiicias, quàm procures, aut tibi ab aliis permittas procurari. Haud aliter Cœnobia aliis à Virgine nunquam sacrauimus? verùm ante sacrata non reiecimus; quin sub eisdem admissa conseruauimus. Certè si Salceda obtentam antè admissum Cistercium iurisdictionem sub Cistercio retinuit; facilè credam præiuisse Saltui Nouali, vt eam sibi donatam non recusaret. Seriem Salcedensium Abbatum adduxit Brito, quamuis diuersam ab ea, quam ipsi Salcedenses præferre solent. Nos ne lectorem in aliquo fraudemus in appendice fortè vtramque dabimus. Nec dubitamus exactiorem esse, quæ ex ipso Monasterio, vtpotè, quam ex Martyrologio desumptam, Antonius Gasconius exemplaribus collatis comprobauit. Inter eos præcelluisse pietate, & doctrina fertur Ioannes, quem Brito sextum, Salcedenses decimum numerant. Inseruit Menologio vitum Chrysostomus [f] Henriquez, & nos nonnihil de eo, cum tempus venerit [f] Iunij 19.

Iesu Christi Ann. 1168. — Cistercii Ann. 71.

1. Alexandri ad Legatos oratio. 2. Mandatáque. 3. Epistola ad Ludouicum Regem, 4. pro componenda pace. 5. Ad D. Thomam, 6. Vt, salua conscientia, cedat. 7. Alia ad Henricum. 8. Vtriusque Legati iter. 9. Quid mox ad D. Thomam Oddo. 10. Quid Vuillelmus, ex via vterque, scripserit.

Caput I.

1. Intrabat annus centesimus sexagesimus octauus supra millesimum; qui fuit Cistercij, primus & septuagesimus: & Cardinales Legati ab Alexandro ipsa die Kalendarum egressi vrbe, ad Henricum per Gallias properabant. Sed summus Præsul, antequam discederent, alloquutus vtrumque, præcipuè autem Vuillelmum Papiensem: Ecce, ait, Anglia in manu vestra est, vtinam per vos paci restituenda. Hactenus Thomam in Henricum Regem armauimus, vt effrænis audacia furentis Principis, Præsulis Sancti constantia reprimeretur. Nunc præualente malitia, cedere cogimur: & quem per minas terrere non potuimus, tentamus obsequio; si vel hac via, inueniamus faciliorem; atque æquè promptum flecti, quàm irritari. Iam Archiepiscopum legatiæ honore exuimus: non quia ipse meruit, sed quia Rex voluit. Iam te, Vuillelme, Legatum constituimus; non, vt minus suspectum vtrique parti, quod tu ipse fatearis; sed vt gratiorem alteri; & cui facilius obediat, quò magis fidat. Henricus tuo se iudicio tradit: tibi soli imputandum, si minùs fecerit. Et habes legatiæ socium Oddonem, cum quo apud ipsum excuses, quæcumque neges. Hæc occasio purgandæ suspicionis: nam augendæ non credam. Pro Thoma, non in Thomam Angliam mitteris: hoc est, non in Ecclesiam, nam æqua vtriusq; causa; sed pro Ecclesia: neque, vt iudices inter ipsam, & Regem, sed vt componas.

2. Dixit, & Vuillelmus Oddóque, supplex vterque; atque ille ex consuetudine fallendi, hic ex candore animi; promittere vterque paratior, quàm exhibere: hic testem se, & coadiutorem Vuillelmi (nam quid aliud restabat?) deuotus obtulit, ille taliter cuncta peragenda, vt omnem à se aboleret suspicionem; Regi obsequentem in Ecclesiam animum, Cantuariæ Thomam, & pacem restitueret. Quæ, quantò minùs implere cogitabat, tanto audaciùs pollicebatur: gratulante Alexandro; nec dubitante fidem adhibere vtriusque promissis: alterius, vt optantis verè quod promittebat; alterius, vt infamiam, qua laborabat, quod contrarium optaret, quanto posset studio purgaturi. Tum vero primùm, quæ ad pacem Ecclesiæ facerent, in ore vtriusque ponens, fideliter ab ipsis ad Henricum, atque Episcopos Angliæ perferenda: deinde prouidens Archiepiscopi honori, cui absque causa legatiæ munus ablatum, non dissimili compensandum fore putabat: pro Anglia, Galliam potestati eius subiecit; si tamen Ludouicus, alienigenam, atque Proceres Regni non recusarent. Demùm de his ad eundem Ludouicum: déque fauore, atque munificentia, qua Archiepiscopum Sanctum prosequebatur, de pace componenda per Legatos, ad Regem, & Episcopos Angliæ; de eadem, & Vuillelmi Papiensis promissionibus, quibus fidere posset; ad S. Thomam, per eosdem legatos litteras dedit. Atque ecce exemplar epistolæ ad Ludouicum.

[a] *Inter cætera magnificentiæ tuæ, & deuotionis insignia, illud specialiter animum nostrum vehementer accendit, quòd venerabilem fratrem nostrum Thomam Archiepiscopum Cantuariensem, virum siquidem religiosum, discretum pariter, & honestum, & nobis, & vniuersæ Ecclesiæ Dei charum omnimodis, & acceptum, & tot, & tantis honoribus præuenisti, & ei, tam ampla, & tam magnifica humanitatis beneficia regia munificentia dignatus es largiùs erogare. Super quo vtique Serenitati tuæ quantas, & quas possumus gratias exhibemus; & clementiam tuam exinde immensis in Domino laudibus commendamus: id, sicut Deo, cui hoc potius in persona illius fecisti, gratissimum; ita nobis acceptum putantes, tanquam si hoc personæ nostræ specialiter impendisses. Et quoniam eiusdem Archiepiscopi pacem totis cordis affectibus exoptamus; dilectos filios nostros Vuillelmum tituli S. Petri ad vincula, & Oddonem S. Nicolai in carcere Tulliano Diaconum Cardinalem, ad charissimum in Christo filium nostrum Henricum illustrem Anglorum Regem duximus destinandos; vt inter eundem Regem, & præfatum Archiepiscopum, ad vtriusque honorem pariter, & perfectam concordiam, & pacem, Domino cooperante, reforment; & in ipsius Regis terra transmarina causas emergentes audiant, & cognoscant, & ibidem Apostolicæ Sedis legatione fungantur.* 3.

[a] lib. 1. epist. Alex. ep. 43.

4. *Eapropter magnificentiam tuam per Apostolica scripta*

scripta rogando monemus, & exhortamur in Domino, quatenus pro Ecclesiæ Dei reuerentia, & honore B. Petri, & nostro, apud iam dictum Regem, & Archiepiscopum partes tuas efficaciter interponas; & studiosius elabores, quod ad honorem Dei, & Ecclesiæ, & sui etiam commodum, & augmentum amicabiliter inter se, & pacificè conueniant, & ad hoc animos, & voluntates suas, salua ipsius Archiepiscopi, & Ecclesiæ honestate, omnimodis inclinent. Quod si per studium iam dictorum Cardinalium, & laborem, & operam tuam, pax inter eos, & concordia poterit reformari, Ecclesia, quæ tuo post Deum est specialiter adiutorio fulta, non modicum inde suscipiet incrementum; & tu ab omnipotente Deo in illa fælici retributione iustorum speciale propter hoc præmium obtinebis. Si autem (quod Deus auertat) conuenire non possunt; dummodo regiæ voluntati cederet, & beneplacito tuo, nobis per omnem modum complaceret, & gratum valde existeret, & acceptum, quod si absque graui scandalo personarum regni tui fieri posset; vt nos prænominatum Archiepiscopum specialis honoris prærogatiua inter cæteros donaremus, & sibi vices nostras committeremus in illis partibus exequendas. Vnde Serenitatem tuam, quanta possumus prece rogamus, vt si pacem, salua honestate sua, & Ecclesiæ, quod omnimodis optaremus, habere non possit: nobis super his voluntatem tuam sub omni celeritate studeas intimare. Et hoc interim habeas omnino secretum. Hactenus Alexander ad Regem Galliæ, at verò ad Sanctum Thomam hæc, quæ sequuntur.

5. b lib.3. ep.1. [b] Quod personam tuam litteris nostris non sæpiùs visitamus, inde prouenire cognoscas, quòd per nuntios tuos ea, quæ non duximus scriptis committere, cognitioni tuæ viua voce curauimus frequentiùs intimare. Nunc autem ad tuæ discretionis notitiam volumus peruenire, quòd nos pacem tuam votiuis cordis affectibus exoptantes, dilectos filios nostros Vuillelmum tituli Sancti Petri ad Vincula Presbyterum, & Oddonem Sancti Nicolai in carcere Tulliano Diaconum Cardinalem, ad charissimum in Christo filium nostrum illustrem Anglorum Regem, vt legatione in terra sua cismarina fungantur, transmisimus; & specialiter, vt inter te, & eundem Regem concordiam, & pacem reforment; & cooperante Domino, amicabilem faciant compositionem. Vnde quoniam nos pacem tuam, & Ecclesiæ omnimodè vnam reputamus; nec magis, nisi quia ipsam maiorem Ecclesiæ vniuersali collaturam credimus vtilitatem, optamus; fraternitatem tuam per Apostolica scripta rogamus, monemus, consulimus, & mandamus, quatenus, quàm periculosus præsentis temporis status existat, & quantum Ecclesia tibi commissa, præsentia & consilio tuo indigeat, consideres diligentiùs, & attendas; ad pacem, & concordiam inter te, & memoratum Regem fundandam, quantumcumque, salua tua, & Ecclesiæ honestate fieri possit, animum, & voluntatem tuam inclines.

6. Et si tibi in his non omnia secundùm beneplacitum tuum succedant; ad præsens dissimules; & quæ corrigenda fuerint, ad statum pristinum, processu temporis, auctore Domino, reducturus. Nec pro verbo, quod nos in Christo charissimo filio nostro illustri Francorum Regi secundùm petitionem tuam significauimus, te à pace, & concordia bono quoquo modo retardes, aut ab his animum, & voluntatem tuam auertas, dummodo in conuentione tuam, & Ecclesiæ (sicut diximus) honestatem valeas conseruare; quoniam multa poteris in posterum paulatim habita discretione auellere, quæ si modò reprimeres, viderentur aliquid magni continere. Verùm in iam dictos Cardinales potes omnino confidere, nec de memorato Vuillelmo oportet te quomodolibet dubitare: quoniam nos ei, vt ad pacem tuam viribus totis intenderet, firmiter, & distinctè iniunximus: & ipse tantum nobis promisit, quòd nos inde nullatenus dubitamus. His Alexander Papa Sanctum Thomam solabatur paternè; interim tacens de Gallicana Legatia, quam illi apud Ludouicum sollicitabat. Demùm ad Regem, atque Episcopos Angliæ, nam idem ferè vtriusque epistolæ tenor, paucis tamen mutatis, ita scripsit.

[c] Magnificentiæ tuæ petitionibus gratanter admissis, & voluntati tuæ in omnibus (quantum cum Deo, & iustitia possumus) satisfacere cupientes, & tibi, & honori tuo deferre: dilectos filios nostros Vuillelmum tituli Sancti Petri ad Vincula Presbyterum; & Oddonem Sancti Nicolai in Carcere Tulliano Diaconum Cardinalem, viros siquidem litteratos, discretos pariter, & honestos, & magnum in Ecclesia Dei locum habentes, & tibi, & regno tuo deuotos, quos nos inter alios fratres nostros charos admodum, acceptósque tenemus, cum plenitudine potestatis causas, quas tibi in aliis litteris expressimus, & alias, quas expedire viderint, cognoscendi, in terram tuam cismarinam Excellentiæ tuæ Legatos duximus destinandos; quibus vices nostras in omnibus ita plenè commisimus exequendas, sicut illis, vel aliis Apostolicæ Sedis Legatis Ecclesia Romana committere consueuit. Ea propter Serenitati tuæ per Apostolica scripta rogamus, monemus, & exhortamur in Domino, quatenus ipsos, sicut tantos viros, & Apostolicæ Sedis decet Legatos, honorificè, & benignè recipias, & mansuetè (prout conuenit regio honori) pertractes; vt antiquam deuotionem tuam in filiis suis Sancta Romana Ecclesia recognoscat; & Excellentiæ tuæ, ac toti terræ tuæ gubernationi commissæ incrementum inde non modicum valeat, cooperante Domino, prouenire. Ea verò, quæ Sublimitati tuæ ex parte nostra proponent, ita grauiter admittas, & prompto animo, acquiescas, quòd Dominus in his, & Ecclesia sua dignis præueniatur honoribus; & tu ipse, ac vniuersa terra tuæ gubernationi commissa fructum inde multiplicem, & à Deo præmium, & coram hominibus laudem, & gloriam suscipere valeas. Hoc verò transcriptum nulli mortalium reueles, nisi soli magistro Gunterino, quia fidem meam, super hoc magistro Gualtero ita strictè, vt voluit, dedi. 7. c lib.2. ep.2.

8. His litteris susceptis à Pontifice, vterque legatus diuersa via ab vrbe profectus est, in Monte Pessulano conuenturi. Siue propria negotia quémque traxerint; seu metus Friderici Imperatoris, qui vt Alexandrum, sic Cardinales illius, persequebatur, vtrumque diuiserit, quasi seorsim secretiùs transituros. Accessit, & ingruentis belli rumor, inter Reges Gallorum, Anglorúmque, quos termini confines, mores dissimiles, subditorum priuatæ æmulationes; & nesciens cedere, subdíve potentia, inuicem accendebant; nec poterat cohiberi licentia militum, vt in eos solos, quos hostes putabant, debaccharentur. Igitur Oddo, per Venetias, Veronámque, & Brixiam (patrium solum) ac Mediolanum; cum ad Sanctum Ægidium peruenisset, nuntium cum litteris ad Sanctum Thomam misit; his, de itinere pro ipsius negotiis à se suscepto; illum, de ipsis negotiis, & legatia Archiepiscopum plenissimè instructurum. Atque ecce exemplar breuis epistolæ.

9. d lib.2. ep.4. [d] Admirabili Patri, & fratri Charissimo Thomæ, Dei gratia, Cantuariensi Archiepiscopo, Oddo eadem gratia S. R. E. Diaconus Cardinalis, & Apostolicæ

Apostolicæ Sedis Legatus salutem.

Notificamus charissimæ dilectioni vestræ, quod ex mandato Domini Papæ procedentes, per insidiosa, & plurimum periculosa, vsque ad Venetiam, Domino ducente, peruenimus; inimicis nostris, Schismaticis scilicet, vndique in insidiis excubantibus; quorum laquei, Domino fauente, contriti sunt, & nos liberati sumus. A Venetia autem non clam, sed manifestè cum plurimo gaudio, & amicorum nostrorum multo solatio, per Marchiam, & per Veronam, & per patriam nostram Brixiam, (vbi plurimum fuimus commorati) per Bergomum, per Mediolanum, iuxta Nouariam, per Vercellas, iuxta Taurinum transeuntes, vsque ad Sanctum Michaëlem de Clusa, & exinde per prouinciam vsque ad sanctum Ægidium incolumes, & illæsi perueniminus; inde ad Montem Pessulanum transiuri: veniente Domino Vuillelmo, amico nostro, par alias partes, sicut credimus, prout vos nouistis; quem Dominus Papa destinauit, profecturi. Mittimus ad vos Clericum nostrum præsentium latorem, cui super his, quæ vobis ex parte nostra dixerit, tanquam nobis ipsis firmiter credatis; & quod nobis significare volueritis, tanquam per vosmetipsos indubitanter renuntietis. Hæc Oddo ad Thomam amicè satis, & comiter.

Ast Vuillelmus, nec constat ex quo loco, longè seuerius.

10. c lib. 2. ep. 9.

[c] *Licet temporum qualitate variata, ne Romana Ecclesia schismate laborans, grauiora detrimenta incurreret, in varia erga vos, iuxta quorundam opinionem, videamur declinasse proposita: nouit tamen, qui inspector est cordium, dilectionem vestri nostro in pectore continuè resedisse. Sicut autem vigilantia vestra sæpè nos recolimus intimasse, suspicionem Domini Regis Angliæ, quatenus licuit, vitare curauimus; vt procedente tempore, inter vos, & ipsum amica interuentione efficaciùs mediare possimus, & tamē Principis deuotionem sedi Apostolicæ conseruare. Nunc autem ad quæstiones, quæ inter vos, & ipsum vertuntur, (sicut Ecclesiæ Dei magis expedire viderimus) terminandas, in terram suam, vnà cum venerabili fratre nostro Oddone Cardinali Diacono destinati, vigilantiam vestram exhortamur, & suademus attentiùs, his, quæ amplioris diffidij causas generare solent, quantum in vobis est, euitatis: ad ea, quæ concordiæ cooperari valeant, studiosius curetis attendere. Nos enim, & paci, & profectibus vestris, quatenus gratia diuina indulserit, remota personarum acceptione, studebimus cooperari; nihil studij relicturi, sicut authore Domino, rerum argumenta monstrabunt, quod ad honorem Dei, & Ecclesiæ suæ valeamus impendere.*

---

1. *Quid Sanctus Thomas, Vuillelmi litteris lectis,* 2. *respondendum censuerit.* 3. *Verùm consulto Ioanne Sarisberiensi,* 4. *atque incusante stylum,* 5. *Mutata omnia.* 6. *Eiusdem Sancti responsum ad Oddonem.* 7. *Et fragmentum epistolæ ad Pontificem,* 8. *querulum de Vuillelmo.* 9. *Alexandri responsum.* 10. *Atque iterata pro Sancto solicitudo.*

Caput II.

1. Expalluit Thomas Vuillelmi litteris lectis: quippe collatas litteris Pontificis, forte, & assertis ab Oddonis collegæ nuncio, inueniebat diuersas; & supra vtrique collatam (aut Pontifex fallebat) iurisdictionem. Nam Alexander, non vt iudicarent, sed vt componerent; atque inter eum, & Regem amicabiliter concordiam, atque pacem reformarent: Ast Vuillelmus missum se dicebat, *ad quæstiones, quæ inter vos, & ipsum Regem vertuntur, sicut Ecclesiæ Dei magis expedire viderimus, terminandas.* Ergo quam dudum de ipso suspicionem Sanctus conceperat, ex vsurpata, contra Papæ mandatum iurisdictione, confirmans animo; has ad eundem primùm amariores; mox ex Concilio Ioannis Sarisberiensis, temperatas parumper: deinde alias ad Alexandrum Papam querulas; atque ad Oddonem collegam legatiæ, officij, & reuerentiæ plenas; sed non penitùs vacuas suspicionis conceptæ de Vuillelmo, litteras dedit. Prioris, amarioríque epistolæ ad Vuillelmum scriptæ, exemplar hoc est.

2. a lib. 2. ep. 10. [a] *Litteras Celsitudinis vestræ nuper accepimus, speciem mellis initio propinantes, venenum in medio, oleum in fine. In quibus continetur, vos ad partes istas nunc temporis descendisse, ad terminandas quæstiones inter Dominum Regem Angliæ, & nos prout expedire videbitis. Non credimus vos ad hoc venisse: nec certè vos ad hoc suscipimus, multis ex causis; quas loco, & tempore opportuno manifestabimus. Verumtamen si quid boni, & pacis, per manum vestram, nobis acciderit: Deo gratias, & vobis. Valeat Celsitudo vestra, vt nobis inde sit meliùs.* Hæc Sanctus Thomas fulminante calamo; atque eo amatiori stylo, quo breuiori.

3. Scripsit tamen euacuando tantum stomacho, & quasi indulgens conceptæ indignationi. Nec volens transmittendas legato litteras, quoad vsque per Ioannem Sarisberiensem, vnum ex coëxulibus, cui plurimùm fidebat, corrigerentur. Ergo qui norma totius discretionis, prudentiæque, & cuius cuncti consilio vti solerent: cùm primùm se passioni obnoxium vidit; siue ea post vomitum, ex more, deferbuisset; siue adhuc integra temperamentum quæreret, quod ideo laudabilius, quia longè rarius, fidelem sibi Ioannem Sarisberiensem, neque minùs doctrina pollentem, quàm probitate, consulendum putauit, cuius epistola correctioni subiaceret; aut penitùs, si ita iudicaret, aboleretur. Porrò Ioannes, qua libertate pollebat spiritus, & prodesse paratior, quàm assentari; consulenti respondit in hunc tenorem [b]. b lib. 2. ep. 20.

4. *Inspectis litteris, quas Domino Vuillelmo Papiensi mittere decreuistis, etsi mentem scribentis iudicare non audeam, styli tamen formam probare non possum. Non enim sonare videntur humilitatem, aut processisse de mente hominis, qui Apostolum audierit exhortantem discipulos Christi:* modestia vestra nota sit omnibus hominibus, Dominus prope est. *Si enim litterarum vestrarum, & ipsi articuli singuli considerantur, ex amaritudine potius, & rancore animi, quam ex synceritatis charitate videbitur processisse responsio. Quid autem scripsit (vt ledorias, & scommata, id est patentes morsus, & figuratos taceam) vt eum rectè dicatis in medio litterarum suarum vobis propinare venenum? Nunquid vobis visus est Cardinalis presbyter, imò, & Apostolicæ sedis legatum*

tus in prima salutatione suspicionibus inurendus, & gratis exacerbandus conuitiis? profectò nec Domini Papæ Cursorem sic alloquendum esse arbitror. Si suas, & vestras Domino Papæ remiserit litteras, Regis causam iustificasse videbitur attestatio scripti vestri, & propriam contumaciam conuicisse. Esto quòd fuerit, & sit adhuc Vuillelmus inimicus, dissimulandum puto, donec opera eius in lucem prodeant. Et paulò pòst. *Si se dixit missum ad terminandas quæstiones, prout Ecclesiæ Dei videtur expedire, in quo vos læsit? nónne possunt, sicut per sententiam, ita & per compositionis benignitatem terminari? Si exhortatus est, vt euitetis, quantum in vobis est, ea, quæ solent amplioris dissidij causas generare, non video, quid peccauit, cùm hoc in ipsum sapientissimi, & sanctissimi consulant, monentes, vt quatenus, salua honestate Ecclesiæ, & persona vestra, licuerit, paci diligentiùs intendatis*, &c. Hactenus ille, consiliarios quoscumque docens, vt Thomas Principes; neque enim respuit consilium, quod exquisiuit: sed statim prima epistola recenta, scripsit secundam, minus quidem amaram, sed æquè grauem.

5. c lib.2.ep.11. [c] *Venerabili Domino, & amico, de meritis diligendo, Vuillelmo Dei gratia, tituli Sancti Petri ad Vincula Presbytero Cardinali, & Apostolicæ Sedis Legato, Thomas eadem gratia Cantuariensis Ecclesiæ minister humilis, salutem, & contra Principum insolentiam fortitudinem.*

Gratias habemus dilectioni vestræ, quod litteris Celsitudinis vestræ paruitatem nostram, nunc tandem visitare dignati estis; quæ quidem ex præsentis temporis statu pensatur à multis, non ex præterito; quam Deus in futuro de misericordia sua, cum voluerit, & dignum iudicauerit, erigere poterit in meliorem. Quod dicitis (sicut videtur multis) vos in varia proposita circa dilectionem nostram esse distractum, hoc factum fuisse vtilitatis nostræ causa, ne haberemini suspecti à Rege, quominus fieret deuotus S.R.E. minúsque benignus ad faciendam nobiscum pacem: nouit Dominus, qui inspector est cordium: ipséque rei manifestauit effectum. Si verò tunc temporis descenderitis in terram suam (prout litterarum vestrarum habet continentia) ad decidendas quæstiones, quæ inter nos, & ipsum vertuntur, sicut magis expedire videritis Ecclesiæ: hoc certè possibile est. Verumtamen credimus nos pro certo nosse, ad quid veneritis, & ad quid debeamus suscipere. Vnde est, quod discretionem vestram, quam plurimum exhortatam cupimus esse in Domino, vt sic vos in hoc negotio habeatis, vt inde sit honor Deo, releuamen Ecclesiæ, gloria nobis in populo, & in gente. Si verò aliquid boni, & pacis nobis, & Ecclesiæ Anglicanæ per operam vestram, & industriam acciderit: gratias Deo, & vestræ solicitudini. Et vtinam pio compassionis attendatis affectu, quanta nos, & Anglicana Ecclesia sustinuerimus grauamina, & adhuc sustineamus; quantúmque lædatur vniuersalis Ecclesia in nostro grauamine. Ad hoc quidem negotium vniuersorum respiciunt oculi, ipsiúsque finem expectant, in quo sumet sibi cornua Principum insolentia, vel (quod dignius est) sustinebit defectum. Et vtinam magis patiatur defectum, quàm ex aduentu vestro resumat vires. Valete, & vt nobis melius, & Ecclesiæ, Valete semper. Hactenus Sanctus Thomas ad Vuillelmum. Ast ad Oddonem longè reuerentius.

6. d lib.2.ep.18. [d] *Audito aduentu Magnitudinis vestræ, proscriptorum Christi coëxulantium nobis exhilaratus est cœtus, & quasi ad consolationem Ecclesiæ, & Clerici liberationem de cœlo missus sit Angelus, exultauit, & gratias egit omnis Ecclesia Sanctorum. Et licet multis suspectus sit collega vester, dicentibus, quod acceptor est personarum, & munerum, Domini Regis intimus fautor, & ei velit in omnibus patrocinari; & nos, imò Ecclesiam Dei confodere, & iugulare spoliis nostris: nominis tamen vestri (virtutum rectius dixerim) clarescit opinio, vt Angelum Domini cum Moyse, id est, Spiritum Sanctum in lege præuium habeatis, qui custodiat vos semper,* [e] *& Deum recentem habere non patiatur, vt verbo Dei, aut munus, aut personam, præferatis, aut causam.* Et paulò inferiùs de collega legationis. *Insultant nobis plurimi, & præcipuè nostri, imò Ecclesiæ aduersarij, dicentes, rectè contra nos missum esse Cardinalem S. Petri ad Vincula, vt ministerio eius Petrus denuò vinculetur*, &c. Hæc ad Legatos. Ad Alexandrum plura: & inter alia hæc censui scribenda. e Psalm. 81.

[f] *Præterea noscat sanctitas vestra, accidisse nobis, quod verebamur, quod prædicebamus; lucidum esse de præsumptione, & insolentia Domini Vuillelmi Papiensis, sicut ex litteris nostris statim in ipso aduentu suo transmissis, potestis perpendere, à quo magis sperabamus iuxta tenorem mandati vestri ad Dominum Regem Francorum, & ad nos emissi, solatium de consolatione pacis, quam confusionem de quæstionum decisione inter Regem Anglorum, & nos. Non enim ipse est talis, cuius in hac causa subdi debeamus ditioni; præsertim cum instantia Regis magis coëgerit vos ad eum mittendum, quam ipse coactus, & missus venerit à vobis. Credimus quidem non esse iuri consentaneum, nos eius subire iudicium, vel examen, qui quærit commercium sibi facere de sanguine nostro; de pretio, vtinam non iniquitatis, quærat sibi nomen, & gloriam. Proinde supplicamus paternitati vestræ affectuosè (si ei cura est de nobis) vt euacuetur potestas eius, si quam tamen habet circa nos, & negotia nostra. Transferatur malleus iste à nobis, qui potius elegit esse malleator Clericorum, obsequendo Principi, quàm Regum offensor, consequendo gratiam Diuinam.* Hæc de Vuillelmo Thomas ad Alexandrum. 7. f lib.2.ep.21.

Porrò quod ait, *non esse consentaneum se eius subire iudicium, vel examen, qui quæreret commercium sibi facere de sanguine suo, & de pretio, vtinam non iniquitatis, quæris sibi nomen, & gloriam*, eò respicere Baronius arbitratur [g]. *Quod* (vt apparet ex aliis litteris) *pro constanti haberetur, Regem ipsum Anglorum pollicitum esse eidem Vuillelmo Archiepiscopatum Cantuariensem, si eo priuaret Thomam ipsum.* Quod nos etiam superius adnotauimus. Sic Vuillelmus olim suspectus Thomæ, ex Amicitia Regis, atque ex insita sibi personarum, & munerum, quâ infamia laborabat, acceptatione; iam tunc ex ambitu Ecclesiæ Cantuariensis longè suspectior, vix vllo fræno cohibendus sperabatur. At summus Pontifex, & paci vtriusque Regni, nimirum Angliæ; securitati Ecclesiæ, ac Thomæ consulens, litteras ad vtrumque legatum dedit, quibus ante ipsum Cantuariæ restitutum, omnem eis legatiæ vsum inhibuit. 8. g Ad hunc annum.

[h] *Alexander Episcopus, seruus seruorum Dei, dilectis filiis Vuillelmo Sancti Petri ad Vincula Presbytero, & Oddoni Sancti Nicolai in Carcere Tulliano Diacono, Cardinalibus, & Apostolicæ Sedis Legatis salutem, & Apostolicam benedictionem.* 9. h lib.2.ep.34.

Quanta vniuersa Dei Ecclesia, & præsertim Romana, & Orientali detrimenta, & incommoda ex discordia, & dissensione, quæ inter charissimos in Christo filios nostros illustres Francorum, & Anglorum Reges, per humani generis contigit inimicum, potuerint euenire, nostram decet discretionem aduertere; & tantò diligentius ad ea extinguenda intendere, quantò exinde

exinde maiora (quod Deus auertat) pericula formidamus. Quo circa discretionem vestram per Apostolica scripta monemus, mandamus, atque præcipimus, quatenus ad pacem inter eos, & concordiam reformandam, modis omnibus per vos, & per alios religiosos, & discretos viros vtriusque Regni intendere studeatis, & adhoc tota diligentia, & totis viribus laboretis; vobis omnimodis præcauentes, ne ad petitionem, vel fauorem vnius aliquid statuatis, vnde alter scandalizari debeat, aut quoquomodo turbari. Ad hæc vobis distinctiùs prohibemus, ne vterque vestrum, vel alter, regnum Anglorum intrare, vel de negotiis eiusdem regni tractare, & præsertim de consecrationibus Episcoporum aliquid vnquam efficere, vel ordinare præsumat, nisi priùs venerabilis frater noster Thomas, Cantuariensis Archiepiscopus, iam dicto Anglorum Regi ex integro reconcilietur, quod per studium, & operam vestram, operante Domino, ad effectum posse perduci confidimus, & omnino speramus, sicut enim ex litteris multorum discretorum virorum accepimus, nihil est, vnde præfatus Francorum Rex, & tota terra ipsius ampliùs commota fuerit, vel turbata, quàm ex iis, quæ Ioannes Sarisberiensis Decanus à nobis rediens, in partibus illis dicitur disseminasse. Datum Beneuenti Kalend. Septembris. Sic Summus Præsul, quasi nil aliud vellet, quàm pacem Regum; Legatos non inhibuit in gratiam Thomæ, ne Henricum offenderet, sed stabiliendæ paci ipsos præfecit, quà æquè sibi vtrumque conciliaret.

10. Cæterùm, quod ait de turbatis Galliæ, & Rege, & Regno, ex his, quæ Ioannes Sarisberiensis, à Curia rediens, in illis partibus disseminauisset; alia eiusdem epistola declarat, ad eosdem Legatos, quæ Archiepiscopum non minùs illis commendat, & ita habet.

lib. 2. ep. 29. [i] *Post discessum vestrum graues ad nos rumores fuerunt perlati, dilectum scilicet filium nostrum Ioannem Sarisberiensem Decanum publicè proposuisse, quod cum Episcopos, & alias personas Ecclesiasticas, & seculares de regno Anglorum à iurisdictione, & potestate venerabilis fratris nostri Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi exemerimus, iuxta beneplacitum, & voluntatem Regis Anglorum, ad eius depositionem pariter, & condemnationem intenderemus, & vos pro hac re specialiter mittere deberemus. Aliud quoque nobis insinuatum est, quod Ioannes Cumin de Oxeneford omnia rescripta litterarum nostrarum, quas à nobis obtinuit, Guidoni Cremensi Antipapæ monstrauit, & ipsi secreta nostra detexit, vnde idem Archiepiscopus erubescentia, & dolore confunditur, & charissimus in Christo filius noster Ludouicus illustris Rex Franciæ, & Principes eius non parum sunt de eiusmodi rumoribus conturbati, & vehementiùs commoti.* Et paulò inferiùs in fauorem Archiepiscopi. *Quia tamen huiusmodi fama vsque adeò creuit, quod in partibus illis opinionem nostram sinistra faciat æstimatione corrodi; Discretionem vestram monemus, atque mandamus, quatenus continuò per litteras vestras prædictum Archiepiscopum consolari curetis, & omnem ab animo eius amaritudinem, & suspicionem tollentes, eum cum prædicto Rege in primis reconciliare, & plenam inter eos pacem componere, omnimodis intendatis; & quanta poteritis, ad hoc solicitudine, & diligentia elaboretis: ita quod sibi, & Ecclesiæ suæ antiqua iura, & libertatis integrè, & illibatè seruetis. Nec in terra ipsius Regis aliquid, quod magnum sit faciatis; & in regnum eius, si vos intrare vellet, nulla ratione intretis, nisi Archiepiscopus sibi primitus integrè reconcilietur. Quia super his nobis, & vobis detraheretur plurimùm, & communis vox omnium honestatem vestram sinistris detrectationibus laceraret. De Ioanne verò Cumin, si ita esse inueneritis, districtam iustitiam faciatis, ita quod alij debeant à similibus deterreri. Volumus autem, vt in omnibus actibus, & operationibus vestris circumspectè, & maturè, & prouidè vos habeatis, ita quòd aduersùs vos nulla possit detrectationis materia subrogari; & deuotio vtriusque Regni per studium, & conuersationem vestram, circa nos, & Ecclesiam debeat incessanter augeri; & vobis exinde perpetua valeat laus, & gloria comparari.* Hæc Alexander dum famæ suæ consuluit, quam ex Beati Thomæ defensione inter probos pendere non dubitabat.

---

1. Diuersæ epistolæ Legatorum, Thomæque: 2. Tum relatio colloquij cum ipsis habiti. 3. Responsa Thomæ, 4. De acceptione Regalium consuetudinum, 5. Ac de patientia, & dissimulatione, 6. Déque Legatorum iudicio subeundo. 7. Gesta per Regem, & Episcopos Angliæ post id colloquium, 8. Varij deinde in vtramque partem euentus: reuocati Legati per Alexandrum. 9. Ante discessum pro Thoma Regem adeunt.

CAPVT III.

1. BONVM esset recensere omnes epistolas, quæ vltrò, citróque vtrimque transcriptæ, à Baronio vulgatæ, egregia antiquitatis, & rerum Beati Thomæ notitia, circumferuntur. Neque nostri propositi est, quæ ab aliis peracta, retractare. Legat, qui volet inter huius anni euentus: inueniet Thomam propositi consilij vinculis ruptis, aduersus Vvillelmum tonantem acriter; cum candore mordacem, cum modestia liberum: quin cæteros etiam Cardinales, integra authoritate, reprehendentem: Alexandrum constantem pro veritate, atq; inter ipsa Pontificatus sui pericula, non pacis, quàm iustitiæ antelatorem: subdolum Regem, & nihil non causantem, nihil non opponentem aduersùs Thomam: sed nihilominus falsis promissionibus deludentem Pontificem: legatos duos; palam alterum prauum; clam alium probum: quippe impudentia vnius potuit efficere, vt alteri à virtute timendum foret. Post varias rerum, & causæ vicissitudines, eò tandem peruentum, vt conuenirent. Porrò quæ in eo conuentu tractata sint (neque enim quid peractum) integrè ferè vtrique ad Alexandrum, & legati, & Thomas scripsêre: sed adeò dissimilibus coloribus, diuersis affectibus, vt eadem, contraria esse videantur. Id planè ingens periculum historiæ, à quo vix fit, qui caueat: non solùm aberrare à vero, dum falsa narrat: sed dum vera in deterius, siue etiam aliquando in melius, interpretatur. Vtramque Legatorum, Thomæque, ad Pontificem missam relationé, Baronius[a] affert: nos tertiá aliam authoris subæqualis, & planè grauis, ex Rogerio adducemus, quæ ita habet.

a *Ad hunc anno.*

2. *[b] Cum igitur Thomas Cantuariensis Archiepiscopus, & nonnulli de coëxulibus suis in Octauis B. Martini inter Gisortium, & Trie, ad colloquium Legatorum accederent; Legati multa proposuerunt Archiepiscopo, de charitate Domini Papæ, de solicitudine Ecclesiæ Romanæ, quam attentiùs contra eum huc vsque gesserat; de laboribus ipsorum, & itineris sui periculis; de magnitudine Regis Angliæ, & de necessitudine Ecclesiæ, de malitia temporu, de amore, & beneficiis, quibus Rex Angliæ præuenerat eum, & honore, quem Rex ei semper exhibuerat. Adhibuerunt etiam querelas, & iniurias, quibus Rex Angliæ se ab ipso læsum esse conquestus est. Imponens ei etiam inter cætera, quod ei excitauerat guerram Regis Francorum. Quærentes consilium, quomodo tantam indignationem placare possent? quia sine multa humilitate, & moderatione, & honoris exhibitione, nouerant tantis periculis remedium adhiberi non posse.*

b in Annalib. anno seq.

3. *Cantuariensis autem in omni humilitate, & mansuetudine spiritus, post gratiarum actionem Domino Papæ, & illis debitam, respondit ad singula, rationibus veris, & probabilibus; querelas Regis euacuans; & iniurias Ecclesiæ, & damna intolerabilia patenter exponens. Et quia humilitatem, & delationem honoris ab eo exigebat, respondit, se libentissimè omnem humilitatem exhibiturum, & honorem reuerentiæ, quantumcumque posset, saluo honore Dei, & libertate Ecclesiæ, & honestate suæ personæ, & possessionibus Ecclesiarum, & si eis videretur aliquid adiiciendum, aut demendum, aut mutandum rogauit, vt ei consilium darent: habens acquiescendi propositum, salua conditione professionis, & Ordinis.*

4. *Illis autem dicentibus, se non venisse, vt ei, sed vt eum consulerent; & reconciliationis tentarent viam. Item, quæsitum est ab Archiepiscopo, an in præsentia legatorum vellet promittere obseruantiam consuetudinum, quibus prædecessorum suorum tempore Reges vsi sunt, & sic sopitis omnibus querelis, redire in gratiam Regis, & redire in sedem suam, & administrationem, & pacem sibi, & suis? Ad hæc Archiepiscopus respondit; nullum prædecessorum suorum sub aliquo Regum ad hanc professionem fuisse arctatum. Neque se, Deo authore, promissurum vnquam, vt obseruet consuetudines, quæ legi Dei patenter aduersantur, sed & Apostolicum conuellunt priuilegium, Ecclesiæ perimunt libertatem. Quas Dominus Papa Senonis in illorum, & multorum præsentia condemnauit; & ipse postea Domini Papæ secutus authoritatem, quasdam earum cum obseruatoribus suis subiecit anathemati, sicut in multis conciliis Ecclesia Catholica fecisse dignoscitur.*

5. *Tunc interrogatus est, an si non confirmationem, saltem dissimulationem, & tolerantiam vellet repromittere; aut non facta altrinsecùs aliqua mentione consuetudinum, recipere sedem suam, & pacem. Respondit Archiepiscopus, quod gentis nostræ prouerbium est, quod tacitus prætendit speciem consentientis: Et cùm Rex sibi videatur esse in possessione consuetudinum, & ad eas obseruandas iniustè, & violenter cogat Ecclesiam; si sic taciturnitate impetrata, cessaret concussio; authoritate Legatorum maximè interueniente, statim sibi, & aliis videretur obtinuisse in causa ista. Adiecit etiam, se malle exulare, perpetuò proscribi, & si Deus ita disposuit, pro iustitia defensione mori, quàm in salutis suæ dispendium, & præiudicium Ecclesiæ libertatis hanc ineat pacem. Deus enim est, qui in tali causa tacere prohibet Sacerdotes, quibus dissimulantibus gehennam præparauit: vbi nulla dissimulatio erit pœna. Lectus est & libellus illarum abominationum, & quæsitum à Cardinalibus, an à Christianis liceat talia obseruari, nedum à pastoribus dissimulari.*

Progressi sunt ad aliam quæstionem sciscitantes, an eorum vellet stare iudicio super his, quæ vertuntur inter ipsum, & Regem. Ille autem se de causa synceritate confidere respondit. Et cum ipse, & sui, qui à multo tempore destituti sunt, plenè ad omnia fuerint restituti; habita ratione causarum, & rerum, & temporis, iuri libenter pariturum; & se non posse, nec velle declarare, quin, vbi, & quando, & quomodo debuerit, subeat iudicium eius, vel illorum, cuius vel quorum iuditio Dominus Papa debere stare decreuerit. Interim se, & suos ad litigandum vrgeri non posse, nec paupertatem suam adhuc sufficere, cui etiam victualia desunt, nisi Christianissimi Regis Francorum vtatur expensis. Noluit enim prima facie declinare iudicium, etsi aliquem eorum iure optimo, possit habere suspectum, ne causam Regis iustificare videretur; nec se liti immergere antequam sit ad omnia restitutus, vt possit causam sufficienter instituere. 6.

Hactenus Rogerius de congressu legatorum, & Diui Thomæ, nisi quod factum refert sequenti anno. Verum quæ hunc Conuentum, atque illius solutionem sequuta sunt, non aliunde meliùs decerpemus, quam ex epistola legatorum ad S. Thomam, quæ ita habet.[c] c lib. 2. ep. 29.

Venerabili, & dilectissimo fratri, Cantuariensi Archiepiscopo, Vuillelmus, & Oddo Cardinales, salutem. 7.

Innotuit Regi, quid super concordia, quid etiam super causa, si contra vos agere vellet, respondistis. Et cùm priùs satis (sicut aiebat) ex præcedentibus actibus vestris, & suprà quàm satis, fuisset commotus: amplieri, & vehementiori fuit nunc indignatione permotus, vestri cordis altitudinem, & Domini Papæ incuriam erga ipsum indubitanter accusans. Episcopi verò, & Abbates Anglorum audientes, quia vos nihil cum eis agere, neque nostro iudicio vos supponere velitis: in nostra præsentia litteras Domini Papæ, quibus vos mandasse se dicit, ne vos regnum Anglorum interdicto supponatis, coram perlegerunt. Requisierunt etiam à nobis, si ab vtroque nostrum, vel altero, accepta legatione in Anglia, possent, à vestris grauaminibus defendi. Cùm autem respondissemus, nos de negotiis regni Anglorum nullatenus habere potestatem: ibidem incontinenti, tam pro seipsis, quàm pro toto regno ad Dominum Papam appellauerunt; & in protectione Domini Papæ, & nostra seipsos, & regnum ponentes, diem quoque ad festum Sancti Martini constituentes. Vnde mandamus dilectioni vestræ, & ex parte Domini Papæ, & nostra præcipimus, quatenus deferentes appellationi prædicta inhibitionem etiam, quam Dominus Papa se vobis fecisse testatur, attendentes: nullum interdictum, nullam excommunicationem in regnum Anglorum intendatis, quousque præsentia Apostolica adeatur, & quid Domino Papæ, & Romanæ Ecclesiæ super his placeat, cognoscatur. Ipsi quoque Episcopi, & Abbates nuntios proprios ad vos transmittunt, qui appellationem in nostra præsentia factam, & diem vobis denuntient. Hactenus gesta post primi illius Conuentus solutionem; quæ ab aliquibus variè interpretata, coëgere Archiepiscopum, vt litteris ad Alexandrum datis, & Cardinales, quas Baronius adducit, liberiùs de vtrorumque remissione in causa Christi, & Ecclesiæ conquereretur.

8. Vt variæ epistolæ, sic variæ commissiones, reuocationésque Summi Pontificis, pro qualitate temporum, ac querelarum delatarum ad ipsum diuersitate,

sitate, alternis vicibus negotium protelarunt. Nunc absolutis, iuramento præstito, quos Thomas ligauerat; nunc è contra ligatis, denuntiatisque, quos Cardinales absoluendos fore censuerant. Vnde, quod frequens in Ioanne Sarisberiensi, nunc congratulationes, nunc querelæ, sparsæ per Orbem, & litteris mandatæ, quæ nunc leguntur. Ad vltimum reuocati Cardinales, re omnino infecta, nec gratiam Regis, quòd Thomam non deposuissent; nec Dei, & hominum, quòd non restituissent, reportauerunt. Scitè de eis, & eorum titulis Franci [d]. *Quod vnus eorum plusquam expediret, hominem timet; alter Dominum non veretur; ita enim processerunt in causa Domini, ac si ille coram Rege constitutus, ad concludendum veritatem secum attulisset carcerem Tullianum: hic ad impedienda iura legum, & Canonum, Vincula Petri. Francorum hæc de eis sententia est.*

d Sarisber. epist. 225.

9. Feruntur tamen antequam discederent, alloquuti Henricum, in Archiepiscopum, si possent inclinaturi; quod ne ipse quidem Sarisberiensis tacendum duxit [e]. *Praterieram*, ait, *quod minimè esset prætereundum: scilicet Dominum Oddonem paucis diebus antequam recederet à Rege, ipsum diligentius conuenisse, vt pacem cum Archiepiscopo reformaret.* Et paulò inferiùs. *Deinde conuenit eum Archiepiscopus Papiensis eodem ferè modo. Sed semen verbi eius cecidit super arenam.* Hæc nos breuiter de infructuosa legatione; plura qui volet, in Baronio multa inueniet. Nunc quæ post eorum discessum gesta sint, in hoc ipso negotio, ex Quadripartita historia, sequenti capite veniunt referenda.

e apud Bar. epist. 105.

---

1. *Ludouici pro reformanda pace solicitudo.* 2. *Henrici in speciem laudabilis humilitas.* 3. *Thomæ constantia damnata, velut proteruia;* 4. *& Ludouici incurrens indignationem.* 5. *Desperatio ferè omnium coëxulum:* 6. *Solo Thoma in sua fide perseuerante.* 7. *Et promptum Dei auxilium pro eius fide.* 8. *Henrici furor,* 9. *vsque ad defectionis à fide Christiana comminationem.* 10. *Sed quæ Dei clementiâ non sit sequuta.*

CAPVT IV.

1. ANGEBAT Alexandrum causa Thomæ, & quam minùs potuisset per Legatos, modis omnibus quietem, pacémque, ipsi, & coëxulibus eius procurabat. *Dominus autem Rex Francorum* (ait Herebertus in Quadripartita [a]) *videns Dominum Papam de pace solicitum, tamquam filius pacis, obediens viro Apostolico, operosè, & attentè partes suas interposuit. Vnde & ad pleraque colloquia, quæ inter ipsum, & Regem Anglorum erant, Archiepiscopum vocauit, pacis inter eos, se mediatorem interponens. Inter quæ vnum colloquium fuit, in quo suggestum est Regi Angliæ Archiprasulem Cantuariensem suo se arbitrio omnino velle committere; ideóque gratius eius præsentiam ibi acceptabat. Multis igitur vtrimque ad id conuenientibus, ad pedes Regis Angliæ procidit Dominus Cantuariensis, dicens: Totam causam, vnde inter nos orta est dissensio, tuo committo arbitrio, honore saluo Dei. Tali adiectione audita, Rex vehementer scandalizatus est, multis ipsum contumeliis afficiens, multa improperans, plurima exprobrans, arguens eum tanquam superbum, & elatum, & regiæ munificentiæ, erga ipsum impensæ, immemorem, & ingratum.* Subdit Alanus. *Et ait Regi Franciæ: Domine mi, attende, si placet. Quidquid ipsi displicuerit, dicet honori Dei esse contrarium; & sic sua, & mea omnia sibi vendicabit: sed ne videar honori Dei, vel sibi in aliquo velle resistere, hoc offero. Multi fuerunt Reges Angliæ ante me, maioris, vel minoris authoritatis, quàm sum ego. Multi fuerunt ante eum Archiepiscopi Cantuariæ magni, & Sancti viri. Quod igitur antecessorum suorum maior, & sanctior fecit antecessorum meorum minimo: hoc mihi faciat, & quiesco. Acclamabatur vndique: Satis Rex se humiliat.*

a lib. 2. ep. 24.

2. *Dúmque Archiepiscopus aliquantulum subticuisset, Rex Franciæ adiecit: Domine Archiepiscope, vis maior esse Sanctis viris, an maior Petro? Quid dubitas? Ecce pax pro foribus. Ad hæc Archiepiscopus: Verum est, ait, antecessores nostri multò meliores me fuerunt, & maiores; singuli autem suis temporibus, etsi non omnia aduersùs Dominum excellentia, quædam resecuerunt. Nam si omnia radicitus tunc extirpassent: quis nunc aduersùs nos ignem tentationis huiusmodi excitaret? Quo cùm illis probati digni inueniamur, & cum illis laudem, & gloriam. . . . . multò meliùs nobis Deo consulente actum est, vt securi in eorum sorte, & merito laborauerimus, ita & illorum laboris, & præmij simus participes. Nec si aliquis eorum tepuit, vel excessit in aliquo, eius in hoc torporis, vel excessus exemplum sequi tenemur. Petrum enim Christum negantem arguimus, sed Petrum vsque ad capitis sui periculum Neronis impetum arguentem modis omnibus commendamus. Sanè quia Petrus ei consentire noluit in eo, quod dissimulare sine anima sua periculo non potuit, idcircò inimicorum victor in carne occubuit; & talibus pressuris Catholica surrexit, & creuit Ecclesia. Patres nostri passi sunt, quia noluerunt nomen Christi subticere: & ego, vt hominis mihi gratia restituatur, Christi nomen deberem supprimere. Absit, ait, Absit. Insurrexerunt itaque magnates vtriusque regni in eum, imputantes arrogantia Archiepiscopi impedimentum pacis vno inter alios Comite palam protestante, quia Archiepiscopus vtriusque regni consilio, & voluntati resistit; de cætero neutrius erat dignus auxilio; sed vt eiectum ab Anglia non reciperet Francia.* Hæc Alanus de colloquio vtriusque Regis cum Sancto Thoma; atque eius causa, accepta hactenus variè, iam tunc à cunctis palam reprobata, non sine omnium suorum confusione. Pergit Herebertus [b].

b lib. 2. ep. 19

3. *Soluto igitur colloquio non sine multorum murmure reditur ad propria, coëxulibus Archiepiscopi in summa desperatione positis. Et Reges quidem festinàtissimè in equis (mox quippe diremerat colloquium) recesserunt, nec salutantes, nec ab Archiepiscopo salutati. Quin potius Rex Anglorum adhuc in recessu, etsi non in facie à conuiuiis Archipræsulis, non cessauit, insultando & dicens inter alia, quod ea die, de suo se vltus fuisset proditore. Pariter & aulici, qui pacis mediatores extiterant, in recessu multa etiam in faciem Archipræsuli obiecerunt; quòd videlicet fuisset semper superbus, elatus sapiens in oculis suis,* propria

propria semper sectator voluntatis, & sententiæ, adjiciens, grande fuisse hoc malum, & enorme Ecclesiæ malum, & periculum, quod ipse rector Ecclesiæ constitutus fuisset; & quòd per ipsum ex parte iam destructa, penitùs citò destrueretur Ecclesia. Sed Archipræsul ponens ori suo custodiam, cum consisterent peccatores aduersùs eum factus est ad exprobrantes, & insultantes sibi quasi non audiens, & non habens in ore suo redargutiones, nisi quòd vni, de Ecclesiæ destructione exprobranti, & insultanti sibi, quasi non audienti; & humiliter quidem, & mansuetè respondit: Frater, inquiens, caue ne destruatur Ecclesia Dei per te, per me, fauente Domino, non destruetur. Et hic erat Ioannes natione Anglus, Episcopus tunc Pictauiensis, Archiepiscopo ex diuturna conuersatione, & societate familiaris admodum charus, & acceptus. Ab aliis verò conuitiatus, non reconuitiabatur, illius profectò discipulus, qui cum malediceretur, non maledicebat, cùm pateretur, non comminabatur.

4. *Sic igitur recessit à colloquio nunc in Francia, sicut priùs in Anglia apud Northantoniam, factus opprobrium abundantibus, & despectio superbis. Et recedens sic cum suis Dominum Regem Francorum sequebatur, cuius erant præparata hospitia in castro, quod Mons-mirabilis dicitur. Erat & Archiepiscopus in castro hoc pariter hospitatus cum Rege, ipso, semper per aulicos abundanter ei viaticum ministrante; Rex autem tunc non declinauit, quemadmodum in aliis colloquiis consueuerat, vt Archipræsulem in hospitio suo videret. Vnde & mox conyciebatur, cor Regis non ita cum Archiepiscopo esse, sicut heri, & nudius tertius. Nihilominus tamen Archiepiscopus hilarem, & iucundum se exhibuit; nec deprehendi potuit vultus eius in diuersa mutatus ob hoc. In quo aduerti potest magni viri constantia, fortitudo animi inuincibilis, qui mundo iam sibi contrario, nullam vel etiam modicam turbationem ex his, vel soliciti ostendit speciem.*

5. *In crastino à præfato castro recedens, & ea die Carnotum veniens, plerique (vt mos est) populi occurrerunt, vt transeuntes viderent; & quærebant, quis esset qui transiret. Et cùm cognouissent, quòd Archipræsul hic esset Cantuariensis, ipsum mox digito notarunt, aliis, qui ignorabant, indicantes, & dicentes inuicem, murmurando tamen: Ecce Archipræsul ille, qui in hesterno colloquio Dominum, propter Reges, negare noluit, nec Dei honorem subiicere. Postea etiam sæpissimè, cùm iter per Franciam faceret, multi in populo eadem de eo prædicarunt; à Carnoto verò recedens, quantocyus potuit, Senonas venit.* Hactenus ille. Sed addit Compilator, dum ista refert. *Tres igitur diætas cum Regis Franciæ comitatu ita transiit, vt nec ad eum Rex, vel aliquis ex sua parte accessit; & cum in talibus negotiis Dominus Cantuariensis solitus fuit à regia liberalitate procurari: post illud colloquium, & per id, quod diximus, spatium, exinde nihil omnino fuit exhibitum. Aliquando transeundo Senonensis Archiepiscopus, aliquando Pictauiensis Episcopus, vel aliquis alius frater, eius miseria afflictus, erga eum se habuit, vt mendicum. Quod plurimùm suos perterruit, quasi iam omni humano auxilio destitutos.* Sic Compilator. Quæ si vera sunt, præcedentia videntur limitare; vt Regis Galliæ expensis Thomas vixerit, vsque tempus colloquij, ex quo nihil solatij, quasi illius pertæsus superbiam, ei præstiterit. Pergit Quadripartita rem ita narrans. [c]

c lib. 2. c. 26.

6. *Tertio verò die peracto illius itineris, dum sedentes in hospitio super his confabularentur ad inuicem, & secum quærerent, quò possent diuertere: Dominus Cantuariensis iucundo vultu, quasi nihil aduersitatis habens, & ad omnes fortunæ impetus immutabilis; moderato risu, condolentibus alludit, dicens; solus, ait, impetor, & me cedente, non erit, qui vos persequatur acrius, &c. Confortamini igitur, & nolite expauescere. Cui, inquiunt, miseremur tui magis, dum nescimus, quò possis diuertere, vir tantæ authoritatis, à summis, & vltimis derelictus amicis, Deo (inquit Cantuariensis) nostri curam cōmittimus. Et ex quo vtriusque regni nobis præcluditur aditus; nec ad Romanos latrones, consolationis gratia, quis consulit nos reuertere? qui miserorum spolia sine delectu diripiunt.* Notat verò Baronius dum ista refert. *Idcirco id de Romanis dixisse Thomam, quod sederet ibi in basilica Sancti Petri Antipapa Guido Cremensis, pro cuius factione anni huius Senatores laborabant; & ad quem alendum prædæ diuersorum conferebantur.* Pergit Auctor. *Alia est nobis via procedendum. Audiuimus, siquidem circa Ararium fluuium Burgundiæ vsque ad partes prouinciæ, liberaliores esse homines. Ad hos ego, & vos mecum pedes ibimus, qui visa afflictione nostra, fortasse nostri miserebantur, victualia ministrantes ad tempus, donec nos Dominus visitauerit. Potens est Deus, & in vltimo miseriæ calculo suis adesse. Infideli deterior est, qui de Dei desperat misericordia.*

Et statim affuit pro foribus Dei misericordia. 7.
Accurrit enim quidam seruiens Regi Franciæ, qui diceret: Dominus Rex vos ad Curiam vocat. Adhuc ait vnus eorum: Vt eiiciamur è regno. Non es Propheta (inquit Cantuariensis) neque filius Prophetæ: noli vaticinari sinistra. Venientes ergo, inuenerunt Dominum Regem cum tristi vultu sedentem, & non assurgentem pro solito Domino Cantuariensi. Quod factum est in principio triste præsagium confidentibus illis adhuc tepidè vocatis, diutiùs facto silentio: Rex inclinato capite, quasi dolens, & inuitus cogitaret, vt eos de regno eiiceret, & illis id ipsum timentibus: obortis lachrymis, prosiliens cum singultu, proiecit se ad pedes Domini Cantuariensis, obstupentibus iis, qui aderant. Et Domino Cantuariensi se inclinante ad erigendum Regem, vix tandem ad se reuersus Rex præ angustia: Verè, ait, Domine mi Pater, tu solus vidisti. Et suspiria præ mœrore congeminans, Verè, ait, pater tu solus vidisti. Nos enim cæci sumus, qui contra Dominum dedimus tibi consilium, vt in causa tua, imò Dei, ad nutum hominis honorem Dei remitteres: pœnitet nos pater, & grauiter pœnitet: Ignosce, rogo, & ab hac culpa me miserum absolue. Sed, & Deo, & tibi meipsum, & regnum meum expono, & ab hac hora promitto, quòd tibi; vel tuis non deero, quandiu, Deo authore, vixero. Rege itaque absoluto, datáque ei benedictione; Dominus Cantuariensis Senonas regressus est cum suis in gaudio, vbi Rex Franciæ victum regaliter exhibuit, vsque ad reditum in Angliam. Sic Sancti viri probata constantia est, sed non diutiùs permissa tentationi: quin neque ipse fraudatus à spe sua, cùm desperatio quoscumque alios inuaderet. Pergit historia de Rege Angliæ irato; & Ludouicum, vt virum Dei expelleret per litteras, & Nuntios solicitante.

Quo audito, ait, Rex Angliæ Regi Franciæ demandat, se mirari plurimum, quomodo, vel qua ratione de iure posset contra eum fouere Cantuariensem, cum in ipsius Regis præsentia Rex Angliæ ita se humiliaret, ad omnem paratus iustitiam; nec per ipsum stetterit, quominus Cantuariensis pacem haberet, quam ipse arroganter, & contumeliosè reiecit. Quocirca, ait, Regem Franciæ tali de cætero in regno suo non debere præstare subsidium, in sui fidelis ignominiam, & 8.

& ruborem. Ad hac Rex Franciæ: Ite, inquit nuntiis, Regi vestro nuntiantes: Quia si Rex Angliæ auitas, quas vocat consuetudines, licèt minùs (vt aiunt) legi diuinæ congruas, tamen vt ad regiam dignitatem spectantes, non sustinet abrogari: multò minùs mihi licet ius illius liberalitatis subuertere, quod, cum corona regni, mihi iure competit hæreditario. Consueuit siquidem Francia ab antiquis temporibus, omnes miseros, & afflictos, & maximè pro iustitia exulantes recipere, & donec pacem habuerint, fouere, tueri, & defendere. Cuius honoris, & excellentiæ gratia, Deo propitio, me viuente, ad nullius personæ suggestionem Cantuariensi exuli derogabitur. Hactenus ex Quadripartita historia gesta huius anni, in causa B. Thomæ. Quibus addendum velut pro coronide, quod Ioannes Sarisberiensis, vltimum indignationis Regis in ipsum, ne dicam destinatæ excæcationis indicium, mandauit litteris, atque Bartholomæo Exoniensi Episcopo misit.

9. [e] Cum nuntij Regis, nam frequentes mittebat ad hoc negotium, Dominum Papam blanditiis, & promissis, deiicere non preualerent; ad minas conuersi sunt, mentientes, quòd Rex eorum Noradini citiùs sequeretur errores, & prophanæ religionis iniret consortium; quàm in Ecclesia Cantuariensi Thomam pateretur diutiùs Episcopari. At vir Dei, nec terrore concuti, nec seduci potuit blandimentis; eisque duas proponens vias, alteram vitæ, alteram mortis, respondit: eos, vt cœperant, facilè posse contempta gratia, & patientia Dei, pereuntium præeligere viam; sed se Domino propitiante, non recessurum à via recta. Eatenus eos ira regit, qui cuncta regunt: vt sæpè etiam conuertat contra seipsos. Sed in Henrico defuit verbis animus; & blasphemum se magis exhibuit, quam infidelem. Nam audi quod sequitur.

e Epist. 234.

[f] Deminuunt ergo in breui spiritus eorum: & videntes se hac via contra iustitiam non posse proficere, miserunt in Siciliam nuntios, & litteras Regis sui, quibus muniti venerant; vt ope Siculi Regis, & Reginæ possent aliquid à Domino Papa aduersus Ecclesiam impetrare. Sed Christianissimus Rex Francorum præsagiens hanc versutiam malignantium, Panormitano electo causam Ecclesiæ, & Domini Cantuariensis commendauit, vt propriam. Sic nullum lapidem Henricus non mouebat, actus ab ira, quam in virum Dei conceperat; impotens sui, & succumbens vindictæ, quam adpetebat. Verùm de Sancto Thoma satis hoc anno. Nunc ad alios euentus transeamus. 10.

f Ibidem.

---

1. Clarauallenses Rhemensem Archiepiscopum, quondam eorum socium contra Gaufridum vocant. 2. Qui nec mortuo internuntio, retardatur: Henrici aduentus. 3. & cessio Godefridi. 4. Dictum de lite longa, 5. prolixáque: 6. Godefridus electus in Episcopum acceptare recusat, 7. & subrogatio Pontij in Claraualle. 8. Fridericus anathemate damnatus, & exaugustus, 9. Cistercienſem Abbatem ad se vocat, cuius staret consilio. 10. Sed pro agrotante Godefridus missus; 11. Nihil apud Fridericum peracturus.

CAPVT V.

1. VISITANTE Alexandro Cisterciensi Claræuallis Ecclesiam (nam quatuor primas Cisterciensis Abbas visitat, ab eisdem ipse è conuerso visitandus) inter Bernardi filios emergens lis, tum primum orphanos parte demonstrauit, cùm litigantes inuicem ostendit; eo viuente nunquam vel cum aliis, nedum inter seipsos litigaturos. Sed viri Sancti, siue humanum aliquid passi; seu zelo ducti, qui Sanctos etiam inter se diuidere, dum, quæ putant charismata meliora, satagunt æmulari, consueuit; in Godefridum Bernardi olim Notarium, ac fidelem scriptorem vitæ illius, quem habebant Abbatem, insurgentes, deponere de sede sollicitarunt. Atque Henricum Ludouici Regis fratrem Rhemorum Antistitem, quem coalumnum sub Bernardo Patre habuerat, opposuere aduersarium, cui vir mansuetus aut statim cederet; aut si auderet resistere, pondere authoritatis obrueretur. Plurium ne, an pauciorum consilium fuerit, in dubio est. Constat Fromundum Rhemos pertexisse, Archiepiscopi aduentum in Claramuallem aduersùm Godefridum procuraturum. Meminit huius aduentus Sarisberiensis, in epistola ad Sanctum Thomam, vbi habet [a]. *Video Templ[a]rios in Curia eius* (id est Henrici Rhemensis Archiepiscopi) *benignè recipi, & negotia eorum commodè expediri. Ipse autem ad Claramuallem profectus est, accitus, vt aiunt, à maiori parte conuentus, in ruinam Abbatis.* Hæc Ioannes Sarisberiensis ad B. Thomam scribens.

a Epist. 166.

2. Sed ô altitudo diuitiarum Sapientiæ, & scientiæ Dei: quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, Archiepiscopus ad Claramuallem venit, Monachos audiit; causas nec certum quales, inquisiuit; fortè & inuenit: persuasus, Alexandro Abbati persuasit. Demùm Godefridus, seu iussus, seu sponte cessit; quod omnes tabulæ constanter asseuerant. At nihil horum vidit, qui procurauit, occulto Dei iudicio de viuis raptus, priùs quàm vrbem Rhemensem egrederetur. Audi, quæ idem Ioannes Sarisberiensis immediatè prosequitur, sic scribens [b]. *Fromundus, qui hoc iter, eius* (Henrici) *procurauerat, obiit pridie Idus Iulij, & in Monasterio Sancti Remigij sepultus est.* Hic nobis liceat parumper exclamare; non scrutatoribus diuinæ prouidentiæ: sed vt abyssus consiliorum illius admiratoribus. Si Godefridi innocentia tanta erat, vt Deum vltorem habere mereretur: cur non eundem defensorem habuit, in quem haud posset malitia præualere? E contra verò, si deponi meruit Quid præmatura morte, Fromundus luit? Anne putemus accidisse casu, vt in ipso conamine expiraret? An sine Dei prouidentia effectum est, vt piaculo, funus responderet, ita vt neque intentandum præueniret, sed neque consequendum præstolaretur? Quod si in vindictam patris; filius corruit; vel saltem corruisse putari debuit: cur aut vltra processum à Sanctis viris, quibus statim cessandum: aut non pariter vltum in contumaces, qui aduersùs stimulum cæci recalcitrarent? Sed hæc arcana veneranda magis, quàm inquirenda, & Dei cuncta iudicio reseruanda.

b Sarisberien. sis ibidem.

Sponte, an ab Alexandro Patre iussum, Gode- 3.

fridum cessisse, compertum est; cum septennio sedisset in Claraualle: & priùs illud credendum de viro Sancto, qui noluerit præesse non profuturus; nec facilè profectum speraret, ab his quibus iam ipse displicuisset: si non contrarium expressum inuenitemus in Dialogo, de prospero, & aduerso statu Ordinis, ante ducentos annos concinnato ab Authore Anonymo, sed graui, doctóque, atque antiquitatum Cistercij longè perito: qui hanc eamdem Godefridi depositionem, atque longam ex ea sequutam litem, agitatam in Curia, inter grauiores Cistercij calamitates numerare non timet, verbis statim à nobis referendis. Certè cessionem, seu iussam, siue vltroneam Exordium magnum memorat, in ipsa serie Abbatum Claræuallensium [e]. *Fastrado, inquit, ad Regimen Cisterciensis Ecclesiæ assumpto, Dominus Gaufridus, quondam Notarius Sancti Patris nostri Bernardi, plurimúmque ab eo dilectus, qui etiam vltimos tres libros vitæ suæ mellifluo sermone descripsit, quarta electione, pastor, & Abbas Clarauallis subrogatus est. Quo post aliquantos annos cedente*, &c. Hæc in Exordio, quod ad cessionem attinet. De tempore cessionis non minùs constat; Quippè hoc anno ad Fridericum Imperatorem missum iam exAbbatem, ex Ioanne Sarisberiensi [d], infrà tradenus. Sed neque potuit antea resignasse, cui successurus Pontius, qui hactenus agebat in Grandi-sylua. Bene ergo annum notat Robertus in Cathalogo Abbatum Claræuallensium.

e Lib. cap.

d in Gallia Christia.

4. Verùm eandem cessionem, non spontaneam, sed iussam per sententias, tum Abbatis Cistercij, tum Capituli, tum Romani Pontificis; à tempore Gilberti protracta lite, nec terminata ante præsentem annum, cùm Godefridus tum propria authoritate, tum Bernardi memoria gratus Pontifici, ipsius, & Cardinalium fauori subniteretur, non sine ingenti Cistercij turbatione, quod eatenus tales defensiones ignorauisset; narrat idem qui suprà Dialogi author, amaris quidem verbis in Godefridum, sed quæ nobis non liceat immutare. *Audi*, inquit, [e] *aliud, in quo Ordinis prosperitas non parum turbata fuit. Temporibus Alexandri Papæ III. Abbas quidam Clarauallis G. nomine, tam reprehensibilis vitæ extitit, vt Dominus Cisterciensis Monasterium Clarauallis visitans eundem G. à dignitate Abbatiali deponeret. Quo appellante, causa ad Generale capitulum deducta est: vbi depositio ipsa fuit confirmata. Diuersis ipse mediis, Curiam petit Romanam: falsa sugillat; & cum fauoribus, priori loco, & administrationi restituitur. Resistunt Dominus Cisterciensis, & fideles Ordinis: ad sedem Apostolicam destinantur Pruliaci & Eleemosynæ Abbates: quorum tam infaustus fuit aduentus, vt cum renocatione eorum, quæ per Dominum Cisterciensem, & per Generale capitulum contra eundem G. acta fuerant; simul suam à dignitatibus Abbatialibus audirent destitutionem, & ad alia quoque beneficia inhabilitatem. Non hi constantes viri à cœptis destiterunt. Reuersi in Galliam noua hæc Generali Capitulo referunt, in quibus totus Ordo non mediocriter turbatus, vsque in finem tamen, vt coronam reciperet, perseuerare decreuit.*

e lib. 2. c.31. in Godefrido.

5. *Mittitur rursum ad fontem iustitiæ, statur, pulsatur. Et ecce benigna Ordinis Patrona pro sui gregis consolatione filium deprecatur. Filius omnipotens, & benignus, in manu cuius est cor Regis spiritualis, ipsum ad iustitiæ tramitem, nec non Reuerendissimos Cardinales inflexit, præcipuè ad huius rei cognitionem deputatos: & cuncta aduersus Dominum Cisterciensem, dictumque Generale Capitulum pariter, & præfatos Pruliaci, & Eleemosynæ Abbates, in fauorem illius G. priùs edita, tanquam ex falsa relatione manantia, cassantur, & reuocantur, confirmaturque Domini Cisterciensis, & capituli generalis sententia, ipsiq; Abbates Pruliaci, & Eleemosynæ suis dignitatibus cũ laude, & triũpho restituuntur.* Hactenus ibi. Quæ si vera sunt, multã nobis ad alia lucẽ præbẽt. Quippè non mirum, si Henricus in Godefridum (in quem totum Cistercium) conspirauerit; aliàs piè defendendum à viro principe, neque vnquam eius depositionem procuraturo: rursus palam existit qua occasione Alexander, vix dum potitus rerum, appellationes à Cistercio relegauerit impetrato indulto, quod nos anno sequenti referemus: & tandem tertiò facilè intelligenda veniunt, & concilianda monumenta antiqua Claræuallis, quæ virum quadriennio tantùm præfuisse dicunt: non quòd habuerit successorem ante hunc annum: 6.
sed quia ex quo per Gilbertum fuit depositus, reputatur exabbas; nec tempus litis, quamuis restituto, inter præfecturæ annos connumeratur.

Eadem Claræuallis Monumenta memoriæ produnt, Godefridum electum in Episcopum, fortè Pontifice electionem procurante, quæ obuiaret discordiis; & virum cum honore liti eximeret; acceptare nihilominus noluisse: quippe vt ostenderet, non sibi honores quæri, sed infamiam fugi: neque minori humilitate præditum, dignitates contemnere; quàm constantia (quod cunctis palam erat) si irrogarentur, iniurias propulsare. Episcopatum Antisiodorensem, sunt qui existiment, [f] quod Godefridum Antisiodorensem vocatum, videant. Sed id cognomen ante Monachatum, nedum ante Abbatiam Claræuallis, Godefrido tributum superiùs vidimus: & ex Ecclesiis, quas administrarunt vocatos, multos; ex his quas respuissent, paucos, aut fortè nullum proferre licet. Memoriæ Claræuallis hæc tantùm habent. *Godefridus Notarius Beati Bernardi, postea Abbas Igniaci: Abbatizauit in Claraualle annis quatuor, electúsque in Episcopum, noluit consentire. Vnde versus.*

f Robertus Claudius in Gallia Christi.

Igniaci pastor, Gaufridus legis amator
Quatuor hic annis claruit; atque fuit.
Præsulis electus, virtutum nomine clarus
Noluit hoc fieri, dignus amore Dei.

Vtcumque fuerit, Godefridum quamuis depositum, multa in gratia mansisse, tum apud Principes, 7.
tum apud Alexandrum Cistercij patrem, venerabilem cunctis, & reuerendum, quæ statim dicam, palam declarabunt.

Godefrido cedenti, siue deposito suffectus Pontius; idque sub finem anni, nam in solemnitate omnium Sanctorum adhuc Abbatem agebat in Grandisylua: de qua electione hæc habet Exordium magnum. [g] *Godefrido post aliquantos annos cedente, venerabilis Pontius, Grandi-sylua Abbas, merito religionis, & prudentiæ suæ, communi Abbatum, & fratrum Claræuallensium electione, ad huius officij dignitatem sublimatus est.* Et rursus alibi [h]. *Igitur Sanctæ recordationis Domnus Pontius, Grandi-syluæ Abbas (cuius sanctitatem, & religionem in tam perfectis, & religiosis discipulis, de quibus loquuti sumus, æstimare licèt, vt, sicut scriptum est, Sanctus sanctificetur adhuc, & qui in modico fidelis inuentus est, supra multa bona Domini constitueretur) Diuina pariter, & humana electione Claræuallensis Ecclesiæ, totiúsque Clarauallis generationis, Pater, & pastor constitutus est.* Hæc in Exordio de electione viri Sanctissimi, déque biennio, quo rexit in Grandisyl- 8.
ua; nam de filiis, quos ibidem Deo, & Cistercio

g lib. 2. c.24.

h lib. eodem c.26.

cio genuit, atque in cælum præmisit, superiùs diximus.

8. Inter hæc Alexander Romanus Pontifex, qui Fridericum diutiùs sustinuisset, si fortè ad pœnitentiam prouocaretur, congregato Concilio, in contumacem anathema indixit. Italos omnes, qui ei causa Imperij religione iusiurandi tenebantur, à fidelitate absoluens, ipsumque exauctoratum, ac depositum Catholicis Principibus obiiciens, dehonestandum, vincendumque ab omnibus; atque inglorium victurum, quoad vsque vnitati Ecclesiæ restitueretur. Sententiam à Pontifice prolatam, confirmatam à Christo, subsequutus euentus demonstrauit. Quippè exercitu primùm, mox obsidibus, quos multos accepisset, eósque ex prima Italiæ nobilitate, relictis, aut amissis; demum seruili habitu indutus, fugere à facie gladij coactus est; gratulans quod Italiam perdidisset. Hæc pluribus, & sparsa per epistolas, prout res eueniebant, Sarisberiensis, atque alij authores. Verùm quæ statim ex hac ipsius fuga, salutaria haud dubiè si prouenissent; sed quoquomodo grauia, & digna historia, atque hos Annales omnino concernentia, sequuta sint; & qualiter se idem Fridericus Alexandri Abbatis, duorúmque aliorum, subdiderit consilio, Episcopi nimirum Papiensis, & Prioris Carthusiæ; quos tres ob eam causam ad se vocauerit, idem Sarisberiensis, qui cunctis aderat, ad Bartholomæum Exoniensem scribit in hæc verba.

9. [i] *Dum itaque in tantis versaretur Imperator angustiis, & omnino desperaret de exitu: tractatum habuit cum viris religiosis, quos constabat esse fideles Domini Papæ, simulans se cum Ecclesia Dei pacem esse facturũ. Est autem in domo Carthusiensi vir admodum religiosus, quondam familiarissimus Imperatori, qui ab eo pridẽ recesserat, ob cõscientiam schismatis, & ei plurimo cõpatiebatur affectu. Hic ergo accessit ad eum cum lachrymis, sibi pro certo innotuisse asserens, quòd pacem non erat habiturus, nisi Ecclesia Dei redderet pacem. Institit autem, & obtinuit, vt euocaret per litteras suas Priorem Carthusiensem, Abbatem Cisterciensem, & Episcopum Papiensem, quem expulerat; & promitteret se consilio eorum in omnibus acquieturum, dummodò illi in se reciperent periculum iuramenti, quod contra Alexandrum fieri fecerat; scilicet (vt dictum est superiùs) nunquam ipsum omnino recepturum. Omnes, qui hac verba audierunt, exhilarati sunt, & Lombardi iam cæperunt mitiùs agere, sperantes hominem esse conuersum.* Hactenus Ioannes, de Friderici exaugusti, (atque ô vtinam vera!) promissione; sed cui non tam intellectum, quàm fraudes vexatio dabat; vt promittere promptum, sic votis stare in arduo semper fuit.

i Epist. 234.

Vix Alexander Cisterciensis, pro Godefrido in Claraualle Pontium, quem vterque exoptabat, electorum suffragiis subrogauerat: cùm ecce (dubium, an priùs quàm inde abscederet) in grauem febrem incidit, adeo, vt de eius vita dubitaretur. Inuenit ergo in lectulo iacentem Imperatoris nuntius, spiritu, pro Ecclesiæ pace promptum, sed corpore impeditum, eius vt vellet mãdatis obtemperare. Verum ne tantum bonum retardaretur, quod vnum poterat, Godefridum pro se misit; virum æqualis ferè authoritatis, nec minoris doctrinæ, & cui Imperator plurimum deferre, atque eo audito, multa facere, ac libenter audire, solitus esset. Potuit per eum Ecclesiæ pax restitui, si Fridericus aut vere promisisset, aut diutiùs in discrimine vitæ (nam cætera spernebat) perseuerasset. Sed periculo exemptus, exuit fidem simul cum metu: & quod salua maiestate Imperij dixerim, omnem prorsus, effudit verecundiam. Nam audi quod sequitur. 10.

[k] *Interim sæpè dictus Marchio Mõtis ferrati egit cum cognato suo Comite Mortennensi, vt Imperatorem permitteret egredi; promittens ei non modò restitutionem oblatorum, sed montes aureos, & cum honore, & gloria Imperij gratiam sempiternam. Viri autem Religiosi quos euocauerat, arripuerunt iter, excepto Abbate Cisterciensi, qui graui detentus infirmitate, vice sua misit Dominum Gaufridum Antissiodorensem, qui Claraeuallensis fuerat Abbas; præmittentes fratrem quendam, qui à Tyranno exploraret, vbi, & quando eorum vellet vti colloquio. At ille audito aduentu eorum, & litteris, iam de exitu suo certus, induciis impetratis, respondit eos ob hanc causam frustra venturos esse, nisi Angelum de cælis secum patenter adducant; aut veniant in potestate faciendi miracula, vt possint mundare leprosos, & mortuos suscitare: & sic illi ad propria reuersi sunt.* Ita delusa totius Ecclesiæ spes, & pia Sanctorum virorum solicitudo. 11.

k Vbi suprà.

---

1. *Conuersorum in Cistercij Ecclesiis multiplicatio.* 2. *Vnius inobedientia.* 3. *Punita per Dæmones.* 4. *Nec sine grandi miraculo emendata.* 5. *Conspiratio eorumdem in Sconaugia,* 6. *paulatim crescens,* 7 *Ni impediretur, in scelus proruptura.* 8. *Prophetia Abbatis in ducem omnium,* 9. *repentina, & pauenda morte impleta.*

CAPVT VI.

1. CRESCEBAT interim per omnes Cistercij domos, numerus Conuersorum, laicos alij appellant, siue ad augmentum bonorum temporalium, augendis administris, nam Monachi intra claustra continebantur; siue multis gestientibus, vt solet, superare fortunam, natalésque, & quos abiectos, tædiosósque labores tolerarent in sæculo; in religione pari; plenos honore, & vacuos solicitudine. Ergo quod olim prædictum à Propheta. *Multiplicasti gentem, non magnificasti lætitiam.* In eisdem impletum, fælicem Ordinis statum, progressúsque, vt non deprimeret, saltem perturbabat. Referam statim dignos his Annalibus, paucos ex pluribus, eius sæculi euentus satis terribiles; exinde quæ de eis gloriosa Christi Virgo Hildegardis scripsit, siue prædixerit, seu tantùm deplorauerit. Igitur prius vnius inobedientiam, mox rebellionem plurium; vtramque ex Exordio magno depromptam, exempli gratia, ad litteram transcriptas, accipiat lector.

2. *Conuersus quidam Cisterciensis Ordinis (ait Author Exordij [a]) Priori suo inobediens factus, quod sibi imperabatur, superba mente facere despiciens; nullo respectu timoris Dei, nullis fratrum blandis admonitionibus, ad hoc poterat induci, vt obediret imperanti. Quinimò tumidis, & indisciplinatis responsionibus*

a lib. 5. c. 8.

hoc

hoc se nunquam facturum garriebat. Interea sole ad occasum vergente, clauditur dies; & ipse ranceris, & amaritudinis felle plenus, & in contumacia sua perdurare non pertimescens, tanquam pausaturus in lecto suo se collocauit, illius Apostolici malè memor [b]: Sol non occidat super iracundiam vestram. *Ecce autem primo noctis initio noctis, cum necdum obdormisset, sed adhuc dira superbia vitio, corde machinante malum, satisfaceret; adsunt duo nequam spiritus, fuligine tetriores, & draconibus crudeliores, stantes ante lectum ipsius. Quisnam est hic, qui iacet hic? Respondit alter: Conuersus quidam. Rursum ille prior, qui locutus fuerat, quasi subiocando, Nequaquam (inquit) sed inobediens quidam, & peruersus. Et continuò subiecit alter, dicens. Ergo si inobediens est, trahamus illum ad portam. Nec serius dicto, quod dixerant, exequuntur. Nam manus misero iniicientes, & de lectulo minus suauiter excutientes, os etiam ipsius, ne clamare posset, obturantes; de dormitorio, & cœtu fratrum obedientium, inobedientem, & contumacem traxêre crudeliter. Deinde per aëra eum ferentes, cum venissent extra septa Monasterij, cœperunt illudere ei per nefas ad alterutrum iaculantes, sicut solent homines ludentes pilam iacere, & capere. Cúmque diutiùs illusissent ei, dimiserunt eum, ad horam recedentes ab eo.*

b Ephes. 26.

3. *Sed ô inexplicabilis diabolica nequitia crudelitas! Post paululum namque reuersi, cum sicut priùs, cœpissent illudere ei, ecce signum seruitij omnipotentis Dei subitò insonuit; ad cuius sonitum tanquàm si tonitruum de cœlo cum fragore super eos rueret, territi fugerunt. Miserum verò Conuersum iam non superbum, & contumacem, sed ad instar damulæ pauidum, ac tremebundum in quandam paludem, quæ ibi erat, proiecerunt. Qui se inde, prout poterat, proripiens, sub quadam arbore consedit, totus ex vligine paludis denigratus, atque fœdatus. Vbi cum mœrore, & angustia depressus sederet; & tanquam incontinenti redituras laruales dæmonum effigies formidaret: assistit ei repente persona quædam reuerenda dicens ad illum. Confortare, & noli timere, quoniam maligni illi tenebrarum ministri, superbia, & contumacia vltores tibi vlteriùs nequaquam nocere præsument. Hæc autem iusto Dei iudicio tibi propterea acciderunt, quia iam superbè inobediens, & rebellis esse Seniori tuo non timuisti.*

4. *Manè autem facto, cum Conuersus idem inter cæteros fratres non appareret, & licèt multùm per officinas quæsitus, inueniri non posset, suspicati sunt omnes clandestino cum discessu ad sæculi vomitum rediisse. Erat autem situs loci talis, vt coquinarios oporteret ad ministerium coquinæ mundam aquam haurire extra portam. Vnde fratres, qui tunc coquinæ officio inseruiebant, summo manè ad hauriendam aquam egressi, viderunt Conuersum illum, velut amentem, sub arbore sedentem: Festinatóque redeuntes, Priori, & fratribus, quod viderant, indicarunt. Prior itaque assumptis secum aliquantis ex fratribus, exiuit foras ad eum. Vidénsque eum sic miserabiliter se habentem, quæsiuit, quare illic sederet, vel quid mali illi accidisset. Ipse verò caninis rictibus morsum intentans, fratribus ad se accedere volentibus, & toruis oculis singulos respiciens, dicebat. Vos tota hac nocte vidistis me ludibrio fuisse malignis spiritibus, & nemo ex vobis auxilium mihi ferre curauit. Protinus itaque intellexerunt fratres, eum pro culpa inobedientiæ, & contumaciæ suæ aliquas pœnas soluisse. Et præcipiente Priore, ductus est in Infirmitorium, vbi diu iacens, & eadem amentia laborans, didicit ex his, quæ passus est, contumax, & rebellis non esse, & sicut scriptum est.* [c] Tantummodò sola vexatio intellectum dedit auditui.

c Isaiæ 28.

Hactenus ex Authore Exordij de hoc Conuerso. Cæterùm de multorum rebellione aduersùs Monachos, quod Sconaugiæ circa idem tempus acciderit, parua sanè occasione, sed vltione in conspirationis antesignanum terribiliori, ex eodem Authore proferamus.

[d] *Apud Prouinciam, quæ Germania magna dicitur, in territorio ciuitatis Vvangionum, quæ est Vvermacia, extat Cœnobium Cisterciensis Ordinis de linea Claraeuallis, quod Germanica lingua Sconaugia vocatur, quodque interpretatum Latinè, Pulchra Insula, dicitur. In hoc Monasterio temporibus bonæ memoriæ Domini Godefridi Abbatis, facta est aliquando instigante maligno, grauissimi scandali occasio talis. Superiori tempore, per negligentiam, seu potiùs indiscretam beneuolentiam Prælatorum, consuetudo contra formam Ordinis præsumpta in eodem Monasterio inoleuerat, vt Conuersis, sicut & Monachis, annuatim noua bota darentur; Cùm autem prædictus vir strenuus de altera domo assumptus, diuina pariter, & humana vocatione, primum honoris gradum non pecuniæ, vel carnis, & sanguinis prærogatiua, sed vitæ merito, prudentiaque decore in eadem Ecclesia obtinuisset: & inueniret Conuersos temerario fastu delectari: laudabili zelo accensus, præsumptionem pessimam censuit esse corrigendam. Itaque priuatim in consiliis, & publicè in fratrum Capitulis, cœpit ingenuè de præsumpta nouitate causari, monere, rogare, tandem etiam præcipere, vt turpitudo praua consuetudinis, Ordinis rectitudini non conueniens, absque scandalo defensionis, si fieri posset, amputaretur. Sed quia viscus diræ præsumptionis carnalium fratrum mentibus tenacissimo glutino miseræ obstinationis sic inhæserat, vt absque scandalo euelli nequaquam posset, maluit vir prudens, vt secundùm Beati Gregorij doctrinam* [e]*, scandalum magis oriretur, quàm veritas relinqueretur.* 5.

d lib. 5. c. 10.

e Amal. 7. in Ezechielem.

Cœperunt itaque Conuersi, primò quidem in angulo susurrantes murmurare, dehinc conspiratione paulatim ingrauescente, seditionem publicam, effrænata insania meditari. Totius verò scandali inceptor, & conspirationis author extitit Conuersus quidam, cui Dormitorij fratrum, seruandarúmque botarum cura commissa fuerat. Qui diabolico spiritu repletus, & secundùm Prophetam [f] in omni loco silentium proiiciens, *nunc singulos, nunc simul plures conueniebat, suadebat, hortabatur, vt nunquam consuetudinem suam (insolentiæ fomitem, elationis incendium) quacumque precum, seu minarum occasione sibi paterentur auferri. Et ô quàm mirabili, imò quàm lamentabili dementia, spiritus superbiæ illos, quos semel deceperit, illaqueat! ita vt arduos diuersissimósque labores, quos si propter Deum subire cogerentur, intolerabiles iudicarent, contumaciæ, fastúsque typo inflati, tanquam leues, & faciles subire non vereantur. Cùm enim Dominus Abbas susurria primum deprehendisset, præcepit per virtutem Obedientiæ, vt quicumque ex eis silentium rumperet, si ante cibum hoc faceret, eadem die, sin verò postea, sequenti die in pane, & aquâ ieiunaret. Quod is, cuius suprà meminimus, non Conuersus, sed peruersus, nequaquam virtutis amore, sed vt inuidiam Abbati suo suscitaret, tanquam cælitus datam sententiam seruare curabat. Nam cùm penè quotidie, conspirationem conflando, silentium frangeret; singulis etiam ferè diebus in pane, & aquâ ieiunabat; vt vel sic animos fratrum in odium Abbatis inflammaret, qui tam duram, & inhumanam sententiam promulgasset.* 6.

f Amos c. 8.

Interea

Interea Sacratissima Dominici Aduentus celebritas superuenit,& conspirationis procella clandestinis susurriis aucta,& roborata,vndique intonabat. Iámque publicum scandalum, & ipsum grauissimum imminebat. Dederat namque praedicto pseudo-Conuersus consilium pessimum, quod & sceleratissima instantia fieri perurgebat. Scilicet, vt Vigilia Natalis Domini congregatis fratribus de Grangiis, vnanimi consensu Dormitorium Monachorum tempore laboris ascenderent, atque de singulorum lectis botas auferentes, minutatim eas ferro secarent, manibúsque discerperent. Licèt verò prodigiosa haec,& infamis eorum nequitia Venerabilis Abbatis conscientiam minimè lateret: dissimulauit tamen, sic vt scriptum est g: Quia prudens in tempore malo tacebit. *Caeterùm quantò instantibus angustiis longiùs aberat humanum consilium pariter,& auxilium; tantò enixius Diuinae pietatis viscera statuit interpellanda. Monachísque singularem orationem indicens, monebat, vt singuli secundum possibilitatem suam Domini misericordiam peterent, quatenus detenta insolentia carnalium fratrum, melius aliquid disponere de sua pietate dignaretur.*

g Amos c.5.

8. *Instabat iam praecipua,& festiua Natalis Domini solennitas,& ante paucos dies eiusdem solennitatis Domino Abbate Capitulo Conuersorum praesidente, praedictus signifer dissensionis,& minister Sathanae,de indiscreta abstinentia,& quia barbam suam nouacula penitus abrasisset (quod quidem miser ille intentione commouendi scandali fecerat) à quibusdam complicibus suis, nequaquam zelo Ordinis, nec fraternae charitatis intuitu, sed studio exercendae malitiae proclamatus est. Cúmque Dominus Abbas blando affatu quaereret ab eo, cur hoc fecisset? & ex tumidis,& inordinatis responsionibus eius intelligeret, malitiam ipsius esse completam: laudabili quodam iustitiae zelo accensus, sic ad eum praesago spiritu coram omnibus loquutus est. Debueram quidem frater salutaribus monitis aggredi contumacem animum tuum, si fortè resipisceres à laqueis Diaboli, à quo captiuus teneris, ad ipsius voluntatem: sed quoniam trabes superbiae oculum cordis tui adeò obnubilauit, vt eam per humilitatem meam eiici posse non praesumam, & quoniam sic te sensu alienatum video, vt monita nostra irrideas, potiùs quàm recipias: idcirco omnibus hic sedentibus, nunc de te fiducialiter pronuntio, quia, nisi celeriùs, & sine dilatione resipiscas, atque humiliato spiritu ad satisfactionem venias, Omnipotentis Dei terribile iudicium in breui sentias; & sicut scriptum est* h. In tempore vindictae disperdet te Dominus. *Ecce iterum, ac tertiò dico omnibus hic sanum intellectum habentibus, quoniam sicut pius,& misericors Deus humilibus dat gratiam* i, *sic terribilis Deus indeclinabili linea rectitudinis suae superbis resistit* k. *Ideóque tu, qui pacis,& institutionis, quam S.Patres sanxerunt, infensus hostis es, si in malitia perseueraueris, durissimum infra paucos dies portabis iudicium.* Hactenus religiosi Abbatis minae, an magis prophetia vltionis Diuinae. Nam audi, quod sequitur.

h Eccl.5.

i Iacob.4.

k Et 1. Petri 5.

l *Vespere diei Vigiliam Natalis Domini, praecedentis, cum post Completorium de Dormitorio descendisset, & Infirmarius Conuersorum, qui quasi secundarius eiusdem conspirationis author esse videbatur (cum quo etiam venenata consilia dissensionis frequenter tractabat) ei occurrisset; subitò vocem doloris cum gemitu valido coepit emittere; & pallescente facie, naribúsque contractis, oculis etiam de statu suo euersis, mortem in continenti affuturam tristia signa declarabant. Turbatus alter, cum iam nutantem cerneret, ne fortè repentino lapsu terrae allideretur, medium complexus est. Sed adeò subitanea mors fuit, vt antequam terram petere posset, inter manus tenentis se funesti sodalis, miseram animam exhalaret.* Sic, sic Deus vltionum liberè agens, & Prophetiam Abbatis Sancti impleuit, & dum punit delictum, praeuenit,& impediuit. *Accurrerunt vndique ad signiferum suum Conuersi: & quem postero die ad inauditum scelus perpetrandum, quasi Ducem, sequi decreuerant, eius (Iesu bone) cadauer extinctum miserabili tumultu in Infirmitorium deferentes, in area vbi fratres vita excedere solent, consternati metu,& tremore, collocarunt. Non enim passus es, Domine, sanctissimam solennitatem tuam, in qua primùm ministerio Angelorum pax terris anuntiata est, discordia, schismatisque perturbatione foedari. Cúmque Tabula defunctoria signum dante, vniuersorum aures percellerentur; maximè propterea, quia neminem illic sic proximum morti sciebant:* Pergit Author de lachrymis Abbatis, de corpore sepulturae sacrae tradito, ob sedandos Conuersos; quos non aliter sperabat posse lucrari, quàm si metum conciperent: pudorem leuiùs paterentur, quàm vt effunderent.

9. l li.5. Exord. Mag.c.10.

---

1. Sancta Hildegardis ad Cistercienses, 2. sub quadriformis animalis typo, epistola. 3. Quaedam de Monachis: 4. Sed plura de Conuersis, 5. contra quos scribit, continens 6. Euerbacensium ad eamdem Virginem scriptum. 7. Quibus missa epistola: haud tamen potuit impedire simile malum. 8. Rationes aliquae pro Conuersis conseruandis: 9. Atque aliae non inferiores, pro supprimendis.

CAPVT VII.

1. HÆc, & similia, seu vulgante fama, siue per spiritum Hildegardi Virgini nota, quae Bernardum, Eugeniúmque, quandiu vixere, charitate,& amore; post mortem deuotione etiam & cultu, atque vniuersum Cistercium prosequebatur; coelesti quoque mandato interueniente, ad Griseos, id est, Cistercienses Monachos, epistolam scripsit plenam oraculis, quae sub typo quadriformis illius, pennatique animalis, ab Ezechiele visi, pauca de Monachis, plura de Conuersis; demùm ne solos notare videretur, de aliis etiam Ordinibus declamat. Nos eam partem, quae Cistercium tangit reddemus ad litteram. Reliqua inter opera Sanctae legat, quicumque volet.

Ad Griseos Monachos, Hildegardis.

Ego paupercula in lecto aegritudinis plusquam per biennium iacens, haec vidi,& vocem de caelo ad me sic dicentem audiui: ad spiritalem populum, quem Deus in praesentia sua cum miraculis prophetiae, secundùm quod ipsi placuit, praesciuit, quae vides,& audis, scribe, hoc modo incipiens: Deus quaedam virtuosa opera, quae in sanctis,& electis suis operatus est, per quatuor secretorum Dei animalia praesignauit. Ipse enim homini per eadem animalia, & per caetera miracula, 2.

occulta

occulta mysteria sua manifestat; quemadmodum Ezechieli Prophetæ, & Ioanni dilecto suo per ipsa animalia ostendebat, quod ex communi populo, spiritualem populũ segregari, & cõgregari vellet. Et infrà.

3. *Et animal primum simile leoni, & secundum animal simile vitulo, & tertium animal habens quasi faciem hominis, & quartum animal simile aquilæ volanti. Quid dicitur? Animal hoc primum cucullatos homines significat, qui primi in fortitudine leonis, se omnino à sæculo abstrahunt: vnde etiam & illis igneis, qui occultis Dei velut vestimento cooperti sunt; & qui faciem Dei semper inspiciunt, assimilantur. Vestitus enim istorum non à sæculo est, sed mirabiliter à Deo, quemadmodum Deus in illis ordinauit, qui hunc primitùs ostendendo, & docendo, protulerunt. Nam cuculla eius ab Angelicis spiritibus præsignata est, qui in faciem Dei, & non in alium adspiciunt: [a] & latitudo eius ad similitudinem nubis tendit, quoniam & Angeli in nubibus multoties visi sunt: & quia etiam vestis innocentiæ Adæ, quasi lucida nubes erat. Homines itaque isti cuculla caput suum tegunt, ne ad sinistram, vel ad dexteram declinantes, rectè coram se in impetu spiritus gradiantur, Deum semper inspicientes; ne de bonis operibus reuertantur. Hæc omnia in obedientia, quam filius hominis per seipsum ostendit, fieri debent; quatenus præcepta magistrorum cum timore Dei obseruentur; ita etiam, vt sicut homo à voce tonitrui perire formidat, sic etiam peccata timeat. Nam sicut leo cæteras bestias in fortitudine præcellit, sic isti in fortissima vi diuinitatis cæteros homines præcedunt; quoniam quamuis homines sint, non sicut homines viuunt.* Pergit de Monachis, perfectionem eorum laudans, atque inculcans. De hisque qui per opera pietatis, prædicationémque, quos in vitulo notat, animarum salutem procurandam sibi proponunt. At de Conuersis, audi, quæ subiungit.

a Matth. 18.

4. *Hæc itaque præclara genera, videlicet hominum illorum, qui per leonem & vitulum designati sunt, aliud quoddam genus hominum ad se trahunt, quos ipsi Conuersos vocant; quorum plurimi se ad Deum in moribus suis non conuertunt, quia contrarietatem potiùs, quàm rectitudinem diligunt, & opera sua cum sono temeritatis agunt, de prælatis suis sic dicentes: Qui sunt, & quid sunt isti? Et quid fuimus, aut quid sumus nos? Et quoniam sic agunt, pseudoprophetis similes sunt, & quia non rectè diiudicant, quomodo Deus populum suum constituit. Vos ergo, qui Deum timetis, audite Spiritum Domini ad vos dicentem: Hæc supradicta mala à vobis auferte; & vosmetipsos ante dies tribulationum, illorum, purgate, cum inimici Dei, & nostri vos fugabunt, & in rectum locum humilitatis, & paupertatis vos conuertent; ne à modò in tanta latitudine permaneatis, quanta hactenus fuistis, quemadmodum etiam veterem legem Deus à consuetudine sua, in spiritualem vitam mutauit, & vnamquamque priorem institutionem ad vtiliora purgauit.* Et paulò inferiùs.

5. *Nunc vos magistri, supradictos homines, scilicet Conuersos, in ordine vestro corripite, & corrigite; quia plurima pars eorum, neque in die, nec in nocte operatur; quoniam nec Deo, nec sæculo ad perfectum seruiunt, & eos ab ignorantia ista excitate, velut bonus pigmentarius hortum suum ab inutilibus herbis purgat: in vobismetipsis autem secundùm ordinem vestrum prauidentes, & iustè intelligentes, ne iniustè iudicetis.* Hactenus, quà Cistercium tangit, epistola; nam licèt ad Cistercienses scripta sit, plura alia concernit, in quibus modò non vacat immorari. Missáne fuerit Capitulo Cistercij, in dubio est. Certum cùm per aliorum manus circũferretur, Euerbacenses Priorem, Monachósque scripsisse Hildegardi, vt hanc illis epistolam transcriberet. Porro epistolæ Euerbacensium Monachorum ad Sanctam Virginem, hoc est exemplar, quod rescripto Hildegardis præponi solet.

Dei dilectæ Hildegardi Dominæ Venerab. M. Prior, totáque Congregatio fratrum in Euerbach, in thalamo summi Regis perfrui deliciis sempiternis. 6.

Deo dignissima sanctitatis vestræ odorifera, & suauissima opinione sæpè audita, nos inertes, & indigni, ineffabilis spiritus lætitia summus gauisi, pro eo, quòd Deus omnipotens gratia, & misericordia vobis tanta suæ largitionis contulit dona mirifica. Patet enim luce clarius, quòd vos diligat Dominus in hominibus, ipsum diligentibus; quoniam tam digna, tam grata, tam amabilis, tã venerabilis estis eis omnibus, in quibus habitat, vt eum in vobis esse, vobiscũ manere nullus ambigat. Cui verò virtutum tanta collata sunt beneficia, sanctæ quoque pietatis vobis inesse non dubitamus munera, & piæ charitatis, piaque compassionis non deesse viscera. Vnde pietatis vestræ largitatem suppliciter exoramus, vt quia, pro peccatoribus redimendis, ac saluandis natus est Dominus, ex carne Beatæ Mariæ semper Virginis; amore ipsius Domini nostri omnipotentis, nostri conditoris, ac piissimi Redẽptoris, nostri misereamini, participesque orationum vestrarum facere nos dignemini. Insuper etiam obnixè rogamus, vt litteras, quas de sæcularibus, & idiotis, ad spiritalem conuersationem Conuersis, quos nos Cõuersos dicimus, in Spiritu sãcto vos scripsisse audiuimus, nobis benignè transmittere non dubitetis; quatenus mirifica opera Dei, & voluntatem eius in ipsis videamus, & quantum poterimus, toto affectu bonorum operum illa sequamur; & compleamus. Vale. Hæc de Conuersis indisciplinatis; quæ reprehendi faciliora fuere, quàm emendari.

Constat in ipso Cœnobio Euerbacensi, cui maior cura legendi Virginis monita, non multò post scandalum subortum, insigni Conuersorum peruicacia; & quod miremur, eadem occasione, quã Dei vltio nimis manifesta, per horrendam Conuersi mortem, in eiusdẽ regionis Cœnobio vindicauisset. Notauit id Exordij Magni author, loco præallegato, dum ita ait. *Certè quàm sereno pietatis suæ oculo Dominus hanc domum (Sconaugia) respexerit, Euerbacensis Ecclesia probat: in qua cùm longo post tempore nouarum botarum quæstio malignissimo dæmonum instinctu, mota fuisset; tantorum scandalorum, tantarúmq; calamitatum spina eruperunt, vt eas magis flere libeat, quàm verbis explicare.* Hactenus ibi: vt meritò credendũ nobis sit, ingẽtia scandala inde suborta fuisse. Atq; hæc satis, supérq; de Cõuersis. 7 b lib. 5. c. 10.

Ast mihi prædictorũ hominũ genus, & ministeria, atq; isthæc oracula, & euentus altiùs considerãti, dubia mens, & quæ in alteram partem vix inclinat. Incommodum antiquis visum est Monachos consecratos choro, & cãtui, à Rachelis amplexibus abstractos implicare negotiis, atque optima parte defraudare, quam elegissent. Nam quæ conuentio temporalis solicitudinis, cum spirituali quiete? iurgiorum, cum silentio? aut terrenæ substantiæ administrandæ cum cœlestium bonorum contẽplatione? Iam si lites occurrunt, vt sæpè solent; quod forensis strepitus commercium cũ solitudine? Liceat Monachis vacare diuinis laudibus; liceat se totos animarum sponso tradere; cuius contra, ad seipsos conuersionem, dum sustinẽt intenti, humilésq; deuoti, atque fœlices experiantur. Neque cogãtur ad sæculũ redire, quod semel fugerint: & à quo facilè 8.

inexperti

inexperti, rudésque, circumueniri valeant, aut superari. Nam quid, si dudum lotos per conuersionem, pedes luto immergant? Quid si & manus? Quid si ex picis contagio coinquinentur? habeant, quos his periculis exponant: & velut accessoriis membris adaugeant corpus, quæ vel resistant constantius ex adsuetudine; vel minori damno cadant, si fortè ceciderint. Peruersos aliquos, rebelles, & sacrilegos: sed laudabiles multos, qui meritis compensant, quæ alij peccant: & sustinuisse Christum Iudam œconomum; ne Apostoli eius gloriæ destinati, inferioribus curis distraherentur.

9. Hæc & similia antiqui pro Conuersis, alij è contra: quod genus prouidentiæ Mercenarios filiis; sapientibus ignaros, clericis, laicos; ac demùm homines à Deo remotiores (id quis negabit?) sanctis eius ministris anteponere? Nam vt vtrisque timendum à periculis; at quantò magis illis, quorum laxiora vincula: & renitentibus faciliùs disrumpenda? Et Monachos, si discoli euadant, facile coërceri; neque omnino inutiles, intra chorum, & claustra continendos: laicos è contra duriores, si degenerent; atque ab his temporalibus abstractos, nulli alteri vsui profuturos; Illos honorum, dignitatúmque capaces, vt metus non coërceat, spem allicere: his nulla prorsus spe solicitatis, haud superesse frænum, si metus desit. Æmulam charitatis ambitionem, quæ multos in officio continuerit, multos ad magna, præclaráque adegerit: quibus nulla proposita incrementa, iners plerúmque otium; & facilè in flagitia declinaturum. Tum si quæ nequeant fieri per Monachos; æquali sumptu, & periculo minori, per sæculares exequi; non vltra retinendos, quàm mereantur, &, ne expellantur, mercedem promerituros. Demùm Christum constituisse Iudam œconomum, sed non aliunde electum, quàm ex Apostolis. Nec instituisse tertium genus hominum, per quos his ministeriis prouideretur. Hæc in vtramque partem agitare faciliùs, quàm alterutram eligere. Id vnum constat Beatos illos Patres adeò extitisse auersos à temporalibus, vt Conuersos prætulerint: neque vllis experimentis potuisse adigi, vt eos excluderent, aut se exterioribus miscerent vltra consuetum.

---

1. *Mors Guillelmi Abbatis Claro-Marisci, & pro eodem Dauidis subrogatio.* 2. *De tempore electionis Ioachimi Calabri.* 3. *Columbani obitus, Ioachimi fuga,* 4. *ac reditus.* 5. *Ac de primis scriptis eiusdem viri.* 6. *Conradi Salizburgensis sancta mors;* 7. *& authorum elogia.* 8. *Karoli Regis in Albastra Cœnobio funus.* 9. *Et dictum aliquid de Pereyro & Calatraua.*

CAPVT VIII.

1. NIL planè magis humanum genus infestat, quàm mortalis conditio: nil magis iuuat: Quippè ipsa quæ insignes homines rapit (nam aliorum iactura nulla, aut leuis) venturis velut tempus, & locum cedit; non aliter numerandis inter insignes, quàm si priores de medio sublati fuerint. Neminem vnquam primum reputamus, quo priorem videmus: sed neque paruus apparere, aut dici potest, quo nullus maior. Vix annus nobis vacuus à funeribus; sed neque funera sine successoribus, per quos defunctorum sedes, locaque, non amitterent viros, sed mutarent; & aliter personarum numero crescerent; vt nullam meritorum iacturam experirentur. Obiere hoc anno insignes viri Columbanus, Guillelmusque, Claro-marisci hic Abbas, ille Curatij. Sed quibus statim duo alij successerint, Ioachimus Calaber, atque Dauid Belga: ille opinione doctrinæ, & sanctitatis longè superior, hic saltem non inferior antecessore. De Guillelmo, & Dauide pauca Ferreolus [a]. *Guillelmus secundus Claromariscensis Cœnobij Præsul, actis in ea præfectura annis XX. vita nuntium mittit: in munia eius eunte Dauide, qui anno M. C. LXXI. Bertinicis ob Arxensem agrum, molestias suscitauit.* Hæc tantùm ille: pluscula de successione Ioachimi Iacobus Græcus [b].

[a] *In Chronic. Belgio.*

[b] *Iacobus Græcus sect. 8.*

2. Additum Cisterciensi sodalitio, post longam licèt deliberationem, veræ, an in speciem virtutes, doctrináque; atque ingenium, aut magnum, aut singulare, discernebant ab aliis; & veluti eximebant communibus legibus. Hinc ab Abbate Columbano Prior, non multò pòst emissa vota solemnia: sed ipso de Curatio per mortem rapto, cunctorum conuenientibus suffragiis, in Abbatem electus, quod in hunc annum, aut circa contigisse, quamuis Iacobus taceat, inde coniector, quod proximo M. C. LXX. mense Augusto, iam Abbatem inuenio: neque recens electum, vt apparet; sed ipso suæ probationis experimento, venerabilem cunctis; & cui vix aliquis quidquam denegaret. Extat ad ipsum rescriptum Diœcesani fauorabile satis, amplúmque; quod suo loco veniet referendum. Nunc quæ Ioachimi electionem sequuta sint, & qualiter electus fugam inierit, & præesse recusauerit; quoad vsque electorum constantia, & prælatorum monitis consentire coactus est, ex eodem authore [c], quandiu antiquior non subest, proferamus.

[c] *Idem ibid.*

Mortuo denique memorabili, memoratoque Abbate Columbano, cuncti pariter, nemine penitus discrepante, in eorum Priorem (Ioachimum) conuenerunt. Qui sicut erat humilitate sublimis, exemplo Domini, qui in regem eligi recusauit, edoctus, inscijs fratribus ex monasterio recessit; & in Cœnobium S. Trinitatis ad oppidum Acra Ordinis prælibati, si fortè lateret, aufugit. Et inde in Sambucinam repedauit: cuius Monachi à Curatio recessum eius zelantes, quasi non receperunt: ipsius tamen humilitate perspecta, ad modicum sustinentes, quantùm erat ab ambitione alienus, non immeritò mirabantur. Ita Iacobus, de Ioachimo fugiête præesse suis. At qualiter acceptare compulsus est, sectione immediatè sequenti ita prosequitur. 3.

Perseuerantibus interea Curatij monachis in electione proposita, Ioachim redire perdifficillimum erat. Interposita verò deprecatione Ruffi Archiepiscopi Consentini, Simonis Sambucinæ Abbatis, & Hilarij Prioris eiusdem domus, nec non plurium nobilium exhortatione pulsatus, sciens tandem nolle acquiescere esse, quasi peccatum ariolandi; in communi exultatione Abbas in Curatium rediit. Et paulò inferiùs [d]. *Factus ergo monasterij Pater, tanquam fidelis seruus, & prudens, quem constituerat Dominus super familiam suam, conseruis suis mensuram tritici erogabat: ideo suscepti oneris* 4.

[d] Matth. 24.

cura peruigili solicitus erat, in temporalibus; magis tamen, ac magis in spiritualibus insudabat: præsertim super eo, quo fuerat intelligentia edoctus commentabatur. Hæc Iacobus Græcus, alludens ad spiritum intelligentiæ Scripturarum, quo iam tunc illustratus à Deo prædicabatur. Itaque iam tunc aliquos tractatus, ex illis, quos mox edidit, parabat.

5. Ast qualiter per Cistercij leges prohibitus nouos scribere libros, seu nouas sacrorum librorum expositiones; nihilominus easdem continuauerit; non facilè quis valeat iudicare. Iacobus Græcus subobscurè loquitur; & nunc generalis capituli licentiam; nunc Apostolicæ sedis obtinuisse, indicare videtur; quod saltem sub his initiis mihi difficile. Probabilius, quod paulò infrà subiungit; scripsisse hominem non sine formidine, quam aliqualiter ad præsens deposuerit; quasi non aliis legenda, sed sibi soli profutura *pia exercitationis studio meditaretur.* Vtcumque fuerit, nó sine nutu diuino effectum est, vt qui dubia conscientia scripti fuissent, dubiæ opinionis libri mox euaserint. Nec certius adhuc in Ioachimo Abbate donum sapientiæ sit, quam prophetiæ; de quo dubitatum ex tunc, vsque in præsens, saltem à multis, hisque viris grauissimis, & suprà diximus, & infrà etiam probabimus.

6. Hoc ipso anno, ingens Ecclesiæ decus, Venerabilis Conradus, D. Leopoldi Marchionis Austriæ filius, Ottonis frater, qui ex Abbate Monasterij Sanctæ Crucis, Episcopus, Ecclesiam Pataniensem; dein Archiepiscopus, Salisburgensem illustrauerat; post varios pro Ecclesia Dei labores, quos per sexdecim annos in Patauia; per quinque, aut circiter Salisburgi perpessus fuerat; cum suæ vrbis incendio superuixisset, (in quo ipso fœlicior Otto fuit, qui Frinsingense incendium morte præuenit) tandem plenus dierum, & virtutum, fœliciter in Domino obdormiuit, I V. Kalendas Octoris: de cuius obitu Hundius [e] hæc habet verba. *Hic illustris Conradus, qui mortuo Eberhardo, Archiepiscopo Salisburgensi, per Alexandrum Pontificem, cui fideliter adhæserat, suffectus fuerat; à quo & pallium impetrauerat; Sedit Salisburgi annos adhuc quatuor; obiit I V. Kalendas Octobris anno M. C. L X V I I I. Sepultus in Monasterio Admontensi.* Hæc in Cathalogo Episcoporum Pataniensium. Ast inter Salisburgenses Metropolitas, hæc quæ sequuntur. *Præfuit Archiepiscopatui annis fermè. V. mortuus M. C. LXVIII. Sepultus ante Altare Sancti Andreæ. Sub eodem anno M. C. LXVIII. Ecclesia Iuuauiensis, cum tota fermè ciuitate igne periit, quà eadem calamitate Ratisponensis, ac Frisingensis ciuitates perierant.* Habuit Archipræsulatus successorem Adalbertum, huius nomine secundum, ex sorore nepotem. Quem Gertrudis Imperatoris Conradi soror Ladislao Boëmiæ Regi pepererat.

e *In Cathalog. Episcop. Pataniensiũ.*

7. Henriquez more suo nihil omittens, sed pleraque intermiscens, haud æquè certa; hunc item virum adscripsit Menologio, ad tertiam diem mensis Augusti; quam pro vigesima octaua Septembris subrogauit. Sed crassiori errore Frisingensem, pro Pataniensi Episcopatu, Sancto attribuit; quasi vterque frater Otto, Conradusque eidem Frisingensi Ecclesiæ suffecti fuerint. De eximia Sanctitate Conradi multa inuenio. Sed inter alia Bambergensis Episcopus apud Canisium, de vltimis ipsius vitæ annis, hæc scripta habet. *Sed tanta, prædictus Antistes Conradus, nobilitatis lineam moribus extulit, probis actibus decorauit. De Pataniensi namque Ecclesia, cui X V I. annis præfuit, ad Salsburgensem, vt diximus, sedem translatus, quidquid prius in se notabile reprehenderat, nunc, quasi nouum hominem indutus, cœpit corrigere; & formã gregi sibi commisso, se non solùm nomine, sed & re, & opere, non segniter exhibere.* Hactenus Bambergensis de vita viri, eò Sanctioris, quo morti proximioris. Hundius eundem appellat virum doctum, probitate vitæ, & rerum cognitione clarissimum, & fratri suo Othoni Frisingensi Episcopo doctrina, & pietate persimilem.

Illustrauit item hoc anno externum funus Albastræ Monasterium à Suerchero illustri Danorum Rege fundatum, à Karolo eius filio locupletatum, & auctum; qui post multa tam in bello, quam in pace præclara gesta; inter quæ etiam Monasteria duo Cistercij, virorum vnum, fœminarum alterum; in Villa-Saba illud; hoc in Villa-Vreta, iuxta Lincopiam, quorum superiùs fecimus mentionem: tandem in bello à Canuto Rege victus, occisúsque, in Albastra elegit sepulturam. De eo in Appendice Olai; ita post alia [f]. *Tandem inter hunc Regem Karolum, & Canutum, Diui Erici Regis filium, adeò grauis, atque implacabilis controuersia suborta est, vt necessarium esset, aut hunc, aut illum, vel vtrumque in extrema pericula deuenire. Ipse enim Canutus sibi persuadere permiserat Karolum nonnihil operatum fuisse, vt pater à Danis impugnatus, vitam pariter, & regnum præmatura morte commutaret. Quo circa collectis hinc inde copiis, Karolum in insula Visingiana commorantem adortus occidit: occisúsque in Monasterio Albastra, propè paterna funera sepelitur, anno Christi M. C. L X V I I I. Postquam decimum regni sui annum attigisset.* Hactenus ibi. 8.

f *Post Opera Olai.*

Quod ad militias Cistercienses attinet, Calatraua Peteryensísque hoc anno auctæ, castris vtraque acceptis; illa à Rege Alfonso Castellano [g], hæc à Ferdinando Legionensi, triumphorum præmiis, quæ vtriusque milites vtrique comparauerant [h]. Sed Calataua non multò pòst orbata Garcia Magistro, quem primum sibi ex militibus elegerat, Ferdinandum Escazam subrogauit per quem res belli, & pacis, iuxta leges à Cistercio præscriptas, gubernarentur. Iubera loco nomen, ad confinia Nauarræ, qui virum protulit [i], reliqua ante initum Magistratum, prorsus ignota; si quæ Magister gessit, suis singula locis dicenda erunt. Ita Rades Andradius, aliique, quamuis non desint, qui faciant recentiorem [k]. 9.

g *Radu cap. 10.*

h *Brandanus lib. 11. c. 13.*

k *Michael Marrano. c. 6.*

1. *Raimundus Tolosanus Grandi-syluam deuotus visitat*, 2. *ac priuilegio donat, & multis iuribus*, 3. *quæ filius eius, & Gregorius I X. confirmauere. Fusniacensis Cœnobij incrementa*, 4. *& in Hispania Hortensis, ex Ecclesia Oxomensis largitate.* 5. *Aliprandi, Abbatis Morimundi mors, & Henrici subrogatio.* 6. *Chronologia*, 7. *& fundatio de Gradefes*, 8. *atque varia notitia eiusdem domus*, 9. *quæ translata, & relata hoc nostro sæculo.*

CAPVT IX.

1. HOc ipso anno, antequam Pontius in Abbatem Claræuallis promoueretur, Raymundus Tolosæ Comes Narbonæ Dux, in sacra omnium Sanctorum solennitate Monasterium Grandis-syluæ

syluæ visitauit deuotus: tum sacris in eo rite celebratis, ingressus Capitulum, atque Abbate, & Cõuentu coram positus, egregium suæ religionis, & pietatis præsetulit specimen, confirmans Monasterio possessiones, quascumque contentas infra fines suæ ditionis; atque à se abdicans omnia, & singula iura, quæ in eis habebat, vt libera, & sine vlla exactione, infestationéve, cederent Grandi-syluæ: & in Monachorum, atque pauperum vsus expenderentur. Extat transsumptum eiusdem priuilegij, primo à filio Raymundo post annos XXIX. Dein a Gregorio Papa IX. post sex supra triginta confirmatum, quod pietatis, munificentiæque exemplum egregium, operepretium duxi, si hic transcriberem.

2. *IN nomine Domini nostri Iesu Christi Amen. Incarnationis eiusdem anno M. C. LXVIII. Regnante Ludouico Rege Francorum, sit notum omnibus, quod ego Raymundus Comes Tolosa, Dux Narbonensis, Marchio Prouincia, per me, & per omnes successores nostros, bona fide, absque dolo, & sine omni retentione, pro amore Dei, & salute anima mea, dono, & laudo, atque confirmo in perpetuum Domino Deo, & B. Maria Grandis-sylua, & tibi Pontio Abbati, & vobis fratribus eiusdem loci, præsentibus, & futuris, omnia dona, & omnes possessiones, quas in præsenti habetis, vel in futurum acquirere poteritis, vbicumque sunt in omni ditione mea: & omnia iura nostra, qua in eisdem possessionibus habeo, vel habere debeo, quocumque digno modo, concedo vobis nunc, & in perpetuum, vt liberè, & quietè absque contradictione, atque infestatione vos, & successores vestri habeatis, & possideatis perpetuo iure. Hanc verò donationem, & laudationem feci in Capitulo Grandis-sylua in præsentia totius Conuentus Monachorum, & Conuersorum, in solennitate omnium Sanctorum, videntibus Betrando de Bellcemur, & Vuillelmo de Berbiem, & Petro de Tolosa, & Tesero de Tolosa, & Vuillelmo Seilant. Facta Charta VIII. Idus Septembris, Gerardo Tolosana Sedis Episcopo. Pontius Grandis-sylua scripsit.*

3. Ita Raymundus, qui ante biennium Bonam-Cumbam construxerat; hoc anno Grandi-syl-syluam amplificauit. Vt videat lector, à quanta pietate ceciderint Comites Tolosani, occasione hæreticorum Albigensium non multo post, in Cistercium præ aliis debacchaturi. Firmauit donationem Patris Raymundus filius ad litteram transcribens, confirmánsque anno vt dixi M. C. XCVII. Porrò idem vtriusque priuilegium. R. Dei gratia Narbonensis Archiepiscopi. R. Tolosani, & D. Albiensis Episcoporum roboratum sigillis, & subscriptionibus, continetur in registro Gregorij Papæ [a], in epistola ad Abbatem, Conuentúmque Monasterij Grandis-syluæ, Cisterciensis Ordinis, Tolosanæ Diœcesis. Data Laterani XVII. Kalendas Ianuarij, Pontificatus ipsius anno VII. Hoc item anno amplificatum lego Fusniacense Cœnobium sub Abbate Roberto, ab Ingelramo Toparcha Cuziacensi, addita aduocatia, atque aliis iuribus, de quibus ex Francisco Aluteo, Ioannes Ricardus in Notis ad Bernardi Patris epistolas.

[a] Tom. 7. epist. 408.

4. Cæterùm quia de indultis semel cœpimus, referam non contemnendam transactionem Oxomensis Episcopi, & Capituli, in fauorem Hortensis Monasterij, concessa illi, & Abbati eius, Martino, Parrochiali Ecclesia in Grangia de Bonizes, cum plena in ipsam, Parochumque ab Abbate eligendum, iurisdictione: atque ecce verba instrumenti transactionis:

Ego Ioannes Oxomensis Episcopus dono, & concedo Domino Martino Abbati Horta, ac eius successoribus ad vtilitatem, in vsus Monasterij eiusdem loci, vnà cum consensu, & conuenientia Oxomensis Capituli, & remitto in perpetuum vniuersum ius Episcopale, quod hucusque pertinuit ad Oxomensem Episcopum in Boñizes, & suis terminis, bono animo, & spontanea voluntate, ita tamen vt in Ecclesia præfati loci Clericus instituendus, si quem Abbas Hortensis voluerit instituere, instituatur. Et de manu Oxomensis Episcopi curam animarum suscipiat, habeátque Abbas Horta eam potestatem in Ecclesia, & in Clerico, quam Oxomensis Episcopus cognitus est habuisse, dum ibidem fuit Ecclesia. Cum autem ibi Ecclesia desierit, nihilominus tamen prædictus locus ab omni Episcopali exactione remaneat immunis, hoc tenore, vt non liceat ei, vel suis successoribus infra præfatos terminos inconsulto Oxomensi Episcopo, siue absque illius permissu Abbatiam construere. Ea etiam conditione, vt singulis annis in festo omnium Sanctorum persoluat Hortensis Abbas, nomine census, vnum marabetinum Oxomensi refectorio. Et si fortasse prædicta hæreditas ad alios transeat, quam Cisterciensis Ordinis, ius Episcopale ad Oxomensem reuertatur Episcopum, remisso pariter censu, qui superius est expressus. Facta charta apud Oxomam. Æra M. CC. VI. mense Maio. IV. Nonas eiusdem. Regnante Rege Aldefonso in Castella, & Toleto, & Extrematura.

Ego Ioannes Oxomensis Episc. subscribo.
Ego Bernardus Prior Oxomensis confirmo.
Ego Elias Supprior confirmo.
Ego Garsias Soriensis Archidiaconus confirmo.

Hactenus instrumentum transactionis, hodieque permanentis conseruata vtrinque possessione Hortæ, in Ecclesia, & Parocho, etiam Monacho; Oxomæ, in annui census perceptione.

Hoc anno, aut circiter VII. Kalendas Septembris, dicitur decessisse in Morimundo Aliprandus. 2. eiusdem domus Abbas ordine. 10. cum per quinque, aut sex annos (nam hic adhuc in dubio) administrasset. Successit Henricus, eius item nominis secundus, cuius nulla alia nobis notitia subest; nisi quod eius tempore circa annum Christi M. C. LXIX. legitur nata Fulliensis Abbatia, Morimundi ex Crista neptis præclara, quam primitiuo Cistercio restaurando post longa licèt sæcula ab æterno electam ætate nostra experimur, & gratulamur. 5.

Chronologia duo Cœnobia notat hoc anno nata, XVI. Kalendas Augusti Dulcis vallis, & nulla Diœcesi præfixa, & S. Leonardi. Vtriusque nobis parua notitia subest; nisi quod primum Morimundi lineam auxit ex Claro fonte. De eo Robertus Claudius in sua Gallia, annum licèt non parùm anteponens. *Vallis dulcis, Ordinis Cisterciensis, Diœcesis Lingonensis, fundatur à Manasse, Decano Lingonensi, in Decanatu Petra fita.* Secundum Pontigniaci, ex Bullio. De eo Aubertus Miræus [b] hoc ipso anno. *Anno M. C. LXVIII. fundata est Abbatia Sancti Leonardi, in Diœcesi Pictauiensi.* At prætermissum à Roberto Claudio, neque video notatum in libris Cameræ. Abbati Sancti Leonardi de Calamis Cisterciensis Ordinis scribit Alexander Papa IV. Neapoli pridie Idus Maij Pontificatus eius anno primo: Verùm non Pictauiensis, sed Xantonensis Diœcesis; nec ausim dicere, an idem, an diuersum. 6.

[b] In Chronic. Cistert.

His fundationibus addenda tertia Virginum, quam in Regno Legionis in Hispania, non longè ab vrbe Regia, fundauit Tarasia Garsia, Peresij vidua, ex Clara Aragonensium Regum prosapia. 7.

Hæc in puellari ætate adhuc relicta, Æra M.CC.IV. hoc est anno à Natiuitate Christi M. C. LXVI. cum biennio Monasterium ædificasset; tandem hoc anno M. C. LXVIII. locum dictum de *Gradefes*, quem vir eius, dum viueret, gestorum aduersus Fidei hostes præmium ab Imperatore Alfonso acceperat; simul Cœnobium in eodem loco structum, ac seipsam in eo Cistercio tradidit, incertum sub cuius Abbatis Visitatione. Nisi quod tamen accitis ex Cœnobio Tulebrensi primis Monialibus, quod infrà videbimus, credendum Abbatissæ Tulebrensi, sicut filias matri; quod tunc etiam in vsu, se, & suum Cœnobium subdidisse. Officinæ, pro qualitate temporis ampla, & magnificæ: templum supra consuetum illius æui. Perfectum illud post nouem, ab hoc annos, & lapidi incisa notitia temporis.

ÆRA M. CC. XV. KALENDAS MARTII FVNDATA EST ECCLESIA S. MARIÆ DE GRADEFES AB ABBATISSA TARASIA.

Hinc colligunt multi primam Abbatissam eandem, cum Tarasia fundatrice, quæ simul domum extruxerit, dotaueritque ante habitum susceptum; mox etiam rexerit.

8. Vixit Tarasia vsque ad Æram M. CC. XXII. hoc est, annum Christi M. C. LXXXIV. adeóque creditur rexisse annis sexdecim, in quibus multa prædia, nec pauca oppida acquisiuit Cœnobio Gradefes, LLamas, Ferreros, Vallem Viridem, aliáque, cum plena iuris in eis dicenda potestate; quæ tamen hodie, vicissitudine temporum, siue incuria Monialium, penes Magnum Castellæ Nauacum, Vulgo *Almirante*, noscitur residere. Iacere dicuntur retrò Altare maius duo fratres, Aragonum Infantes, atque nepotes Tarasiæ fundatricis. In capitulo item neptis alia; professa ibidem, quæ ingenti opinione sanctitatis, dum vixit, florens, hodie etiam fertur incorrupta permanere. Visuntur item in eodem Monasterio sepulchra sex Pontificalia insignia præseferentia, incertis tamen viris, sedibusque: nisi quod vnum non pridem reseratum, integrum etiam corpus continere, ornatum annulis, & superhumerali pendente cruce ad pectus, inuentum est: Vnde præ aliis reuerentia loco, & creditum alicuius Sancti Pontificis. Gaudet & Gradefiense Monasterium imagine deuota Dei genitricis, quam ægrotantium opitulatricem, experientia magistra, Moniales venerantur à multis annis.

Mansit Cœnobium in eodem loco per annos quadringentos, & quinquaginta, plus minúsve, vsque ad hoc nostrum sæculum, quo, prætextu obseruantiæ sacri Concilij, quasi oppidulum pro deserto reputaretur, Emeritam Augustam translatum est, *Medina de Rioseco* Hispani dicimus, tantæ vrbis auspiciis surrecturum. At cùm distantibus antiquæ hæreditates minùs fructificarent; & constitutis in vrbe populosa sumptus accrescerent; cùm vix sexennium ibidem peregisset, tandem sub Domna Elisabetha Maria de Quiñones, & Acuña, insigni viragine, & Carricensi adducta Monasterio (de quo infrà dicemus) & Gradefiensibus Monialibus præfecta, ad locum primitiuum relata sunt summa cum Regni Legionis acclamatione; & reparata breui deserta domus, quantumuis diruta; atque muro lapideo ingenti aucta, aliísque ædificiis, vt planè creuerit ex sui dissipatione. Hoc primum, quantum nancisci hactenus potui, Cœnobium est, ex his, quæ Deus insigni, Regióque, prope vrbem Burgensem struendo Alfonsi VIII. insigni monumento, (quod Huelgas dicunt) antequam construeretur, præparabat. 9.

IESV CHRISTI ANN. 1169. CISTERCII ANN. 72.

1. *Noua Henrici in Thomam machinamenta.* 2. *Reuelata ab amico eidem Sancto*, 3. *aliàs cuncta noscenti.* 4. *Iterata in Angliam legatia.* 5. *De qua admonitus Sanctus litteris Papæ*, 6. *pandentibus decreta, & commissionem.* 7. *Ioannes Sarisberiensis legatis obuius.* 8. *Henrici leuitas.* 9. *Legatorum aduentum frustrans.* 10. *Cistercienses assistunt consiliis pacis*, 11. *atque Abbas Cistercij Alexander ad Sanctum, à Rege missus.*

CAPVT I.

1. ANGEBAT interim Henricum Angliæ Regem Alexandri constantia pro D. Thoma: & re infecta, substractos sibi legatos, à quibus dudum cuncta sperauisset, conquerebatur. Ergò quod minus per seipsum impetrasset, per plures alios tentans; & quibus maior efficacia inesse solet, muneribus fidentior, quam precationibus; hoc anno Christi millesimo, centesimo, sexagesimo nono, qui fuit Cistercij septuagesimus secundus, interposito priùs Siciliæ Rege, cui totam Romanam Ecclesiam obstrictam nouerat, Mediolanensibus, Parmensibus, Cremensibus, Bononiensibúsque ne quos omitteret, ingentem repromisit argenti summam, si deiectionem, aut saltem translationem Præsulis Cantuariensis obtinerent ab Alexandro: aut si nec vltimum quidem possent consequi, vocari Romam facerent; per eundem (quod nunquam detrectaret) tanquam per Christi Vicarium, iudicandum. Non quod speraret damnandum à Pontifice; sed vt hac via à Regno Galliæ abstractum (quod aliàs non potuisset) eóque Regis præsidio destitutum, facilem capi; neque Anglorum insidias euasurum, ante accessum ad curiam, non dubitaret. Addidit & tentare ipsum Pontificem tam validis promissis, vt nisi nimietate fidem excederent, possent vel eius constantiam exagitare. Singulorum proponam probationes, eiusdem æui litteris à Baronio vulgatis; haud tamen integras, sed fragmenta tantùm excerpens. Itaque, quæ tentauit Henricus media, ad Sanctum Thomam amicus

cus quidam scripsit, hæc inter alia secretò illi reuelans [a].

[a] Ad hunc ann.

2. *Transmissa legatione* (scilicet Henricus Rex) *confugit ad Italiæ ciuitates promittens Mediolanensibus tria millia marcharum, ad murorum suorum validissimam reparationem; vt cum aliis ciuitatibus, quas corrumpere moliebatur, impetrarent à Papa, & Ecclesia Romana deiectionem, vel translationem Cantuariensis Archiepiscopi. Nam ob eandem causam Cremensibus duo millia marcharum promiserat, Parmensibus mille, & totidem Bononiensibus. Domino vero Papæ obtulit, quod data pecunia, liberaret eum ab exactionibus omnium Romanorum; & decem millia marcharum adiiceret: concedens etiam, vt tam in Ecclesia Cantuariensi, quàm in aliis vacantibus in Anglia, pastores ordinaret ad libitum. Sed quia fidem multa promissa leuabant, & in precibus manifesta continebatur iniquitas: repulsam passus est. Sed & quod per se impetrare non poterat, Regis Siculi viribus conatus est obtinere.* Ista de mediis.

3. At in quos fines hæc omnia dirigerentur, aperuit paucis ipse D. Thomas ad Humbaldum, Cardinalem Hostiensem scribens. Cùm enim de Legatis Regis Siculi, quos contra ipsum Henricus subornasset; tum de his, quos miserat ad Ludouicum Franciæ: qualitérque Rex magnanimus respondcrit: *Se hoc ius hæreditarium à suis antecessoribus accepisse, vt omnes pro iustitia exulantes benignè reciperet, & eis debita humanitatis solatia impenderet; & nunquam se tam laudabilem hæreditatem, támque Deo acceptam deserturum: demum, quod recepisset Archiepiscopum de manu Pontificis, quem solùm in terris recognosceret: & ideo nec pro Imperatore, neque pro Rege, neque pro aliqua mundi persona, dimissurum, quin illum, atque causam eius foueret:* Cùm, inquam, hæc, & alia retulisset frustra tentata, subdit de translatione ad aliam sedem, aut saltem de vocatione eius ad curiam, quam peteret in dolo, vt in transitu posset lancinare [b]. *Quia (inquit) legem Dei transferre nolumus, vt ei succedat iniquitas tyrannorum, quærit, vt nos, citra necessitatem, præter vtilitatem, contra authoritatem, ad aliam Ecclesiam transferamur. Quia verò vocantem ad iniquitatis consortium sequi nolumus, petit nos euocari à nobis, vt in transitu possit nostri sanguinis cum iniquitatis suæ consortibus qualecumque exercere commercium.* Itaque quem neque in Regno Galliæ capere; neque inde pulsum potuisset exturbare; per dolum Pontificiæ vocationis aggressus est; si vel sic saltem seductum, & eductum comprehendere posset, atque sanguine ipsius satiari.

[b] Ibid.

4. Nihil eorum, quæ aduersus Sanctum Thomam exoptauerat Rex, affectui mancipauit. Id vnum tantùm potuit obtinere, vt noua in Angliam legatio decerneretur. Directis illuc sub Diacono Gratiano, (quem reuerenter loquentur hi annales, tum ob memoriam Eugenij Papæ III. quem auunculum habuit, tum ob propriam ipsius integritatem) & Magistro Viuiano, insigni viro, atque Alexandro ab infantia familiari. Quibus tamen præscripsit formam pacis, inter Regem, & Thomam stabiliendæ; adiecta Sacramenti religione ne terminos præfixos transgrederentur. Extat epistola eiusdem Alexandri ad Sanctum Archiepiscopum, in transitu à Legatis consalutandum, cuius hic tenor.

5. *Illustris [c] Regis Anglorum nuncios, & litteras accepimus; & cum à nobis per eosdem nuncios quædam magna, & difficilia postulasset, & super iis obtinendis apud nos nuntij eius vehementer, & fortiter institissent: animum nostrum ad voluntatem suam nequaquam flectere potuerunt. Sed ne possent habere vllam materiam, & occasionem de nostra duritia conquerendi; & quod sibi nollemus in aliquo deferre: sequentes vestigia, & exempla prædecessorum nostrorum, quos sanctos esse non dubitamus; prædictum Regem cum omni benignitate, modestia, & mansuetudine, à suo reuocare proposito, & eius mitigare animum, & emollire disposuimus duritiam. Inde vtique fuit, quod nos (sicut de consilio, & deliberatione fratrum nostrorum processit) dilectos filios nostros Gratianum subdiaconum, & Notarium nostrum, virum honestum, & litteratum, quem ob memoriam sanctæ recordationis patris, & prædecessoris nostri Eugenij Papæ, & intuitu syncerissimæ fidei, & obsequij sui, charum omnimodis, acceptumque tenemus: & magistrum Viuianum, quem ob antiquam familiaritatem, prudentiam, & litteraturam eius syncero cordis affectu diligimus; ad præfati Regis præsentiam duximus destinandos. Per quos, & per litteras nostras ipsum cum omni studio, & solicitudine districtius, quam possumus, commonemus, vt tibi pacem, & gratiam suam restituens, te ad Ecclesiam tuam honorificè reuocet; & tam tibi, quàm eidem Ecclesiæ antiqua iura, & libertates, & honores integrè, & illibatè conseruet; & te, & tua cum omni pace, & tranquillitate esse permittat.*

[c] Baron. ad ann.

Quapropter rogamus fraternitatem tuam, atque monemus, quatenus malitiam, & angustiam temporis diligenter considerans; & attendens, quomodo maiores nostri tempora redemerunt, propter dierum malitiam: ad recuperandam gratiam, & amorem supradicti Regis, omnibus modis, quantum saluo Ordine, & officio tuo potest fieri, elabores, & eius satagas animum mitigare; illam potentiam, mansuetudinem, & benignitatem ostendens, quod à nullo meritò possit dici, per te remansisse, quominus gratiam, & bonam voluntatem illius plenius deberes adipisci. Rogamus præterea prudentiam tuam, monemus, consulimus, & volumus, vt vsque ad discessum nuntiorum nostrorum, nec in Regem, nec in personas regni, aut regnum aliquam sententiam proferas: & si fortè (quod non credimus) iam protulisti; ipsam vsque ad tempus illud suspendas. Hoc autem ideò dicimus, vt illi omnem conquerendi occasionem, & materiam tollamus, & eius duritiam tali modo vincamus. Si enim secus (quod absit) contigerit, nos tibi authoritatem tuam subtrahere nullatenus volumus, sed potius conseruare, & auxilium, & consilium nostrum diligenter conferre. Cætera verò in ore nuntiorum nostrorum posuimus, quorum dictis fidem incunctanter adhibeas, & eorum consiliis, & exhortationibus acquiescas. Hactenus Alexander ad Thomam. 6.

Peragrantibus Apostolicis nuntiis Galliarum populos, Ioannes Sarisberiensis obuiam iuit. Indagaturus fortassis eorum animos, an magis amici, scilicet Gratiani fœlici aduentui congratulaturus. Porrò ab eis exceptus gratanter satis, has ad Exoniensem Archidiaconum, tam de suo occursu, quam de acceptis ab ipsis, litteras dedit. 7.

Nuper in festo B. Mariæ Magdalenæ Vizeliacum profectus sum, occurrens ibi nuntiis Domini Papæ; causa, sicut videbatur, addiscendi, quid Cantuarienses timere operteat, vel sperare. Nam hæc famula omnem penè linguam, & aures vtriusque Regni (quod ad Clerum spectat, & certè ex magna parte ad populum) creditur occupare. Desiderabam reuera meum videre cognomen (eo quòd ipse Ioannes nominaretur, quòd interpretatur gratia, vnde Gratianus) &, quod magis est, compatriotam, & quodammodo fratrem, Gratianum; cuius (vt meminisse potes) à Sanctæ recordationis Papa Eugenio Ferentini decretus es institutor. Illum fratrem dixerim confidenter, cum quo mihi fidei, & societatis sunt iura communia. Et licèt nos non ediderit vna

ciuitas: patriam tamen nobis esse vnam, non ambigit, qui patriam fortium, quæ nobis indiuidua est, & quam charitas ostendit, reducit ad animum. Ab illo ergo, & socio eius Viuiano, amicè, & reuerenter exceptus, familiarius didici, quod Dominus Papa, & Ecclesia Romana Cantuariensi plurimum fauent; adeò quidem, vt nisi Rex nunc eidem Domino Cantuariensi, iuxta Consilium Domini Papæ, fecerit pacem: ei denuntiaturi sint, quod non modo in manus Archiepiscopi dabitur, sed & ipse Romanus Pontifex in eum aggrauaturus est manum suam. Itá Ioannes. Legatorum rimatus animum.

8. Incredibile relatu est, quales, ac quantas furoris, & patientiæ vicissitudines; indignationis, & humilitatis; minacis iræ, & pacatæ mansuetudinis; breui tempore, quo fuit cum Legatis Henricus subierit; subdolus, an inconstans, siue vtrumque. Legat, qui volet Cardinalem Baronium: qui cuncta latè. Nobis sufficiat, post varios conuentus habitos, post congregatos proceres, Episcopos, (cum quibus pariter Cistercienses Monachi; velut qui assisterent pro parte Diui Thomæ, conuocabantur) post intentatam à Rege conditionem, quam ante respuisset, & mox non minus abiecturus esset in causa Christi: hoc est, vt nihil offerret, nil promitteret; nisi salua sui Regni authoritate: quippè eo cæcitatis iam peruenerat, vt dignitatem Regni saluam vellet, qui Dei saluum honorem non toleraret: post longam discussionem vtrimque habitam, super mobilium Thomæ, & Ecclesiæ ablatorum compensatione; quorum dimidiam saltem partem restituendam Sanctus instabat [d]. *Ad soluenda nostra, & nostrorum debita* (sic ipse Sanctus loquitur) *ad sarta tecta reficienda; ad instruenda prædia, & reparandas varias Ecclesiæ necessitates; quæ ad summum calamitatis, officialium suorum depopulatione, & fraude, perducta est.* Post multas Regis fallaces promissiones; aut si quas pro mobilitate ingenij vetas, pro eadem, statim retractatas, atque adeò eneruantes aliarum fidem. Eo tandem in negotio peruentum est; vt neque refutari, quæ offerebat, neque acceptari possent; inuidiam hominum, si detrectarentur; si acceptentur, periculum, atque vitæ dispendium allatura: & suberant exempla fraudatæ fidei, quæ metum incuterent, & Regiam impotentiam demonstrarent. Contempsit præ amore pacis periculum Archiepiscopus Sanctus; nec dubitauit obiicere se Regi, præuenturus obsequio, humilitatéque; & quæ offerebat, reuerenter acceptaturus.

d *In epist. ad Guillelmum Senonensf. apud Baron.*

9. Detexit dolos denegatum osculum pacis; & patuit facile, quàm non vellet soluere, qui vel debita actione, communíque, confirmare promissa recusauit. Ergò quàm prius spem pacis conceperant, omnino reiecta, Gratianus primus, mox etiam Viuianus recesserunt à Rege vacui omnino, iuxta mandatum præscriptum ab Alexandro. Vacui, inquam, muneribus, & fructu: at non laude constantiæ; & supra consuetum eximiæ integritatis. Viuianus quidem dubia primum fama; mox reparata. Gratianus, quod ad laudem Eugenij facit, omnino integra; vt qui prauis, & probis consentientibus, æquè illis verendus aduenisset, his reuerendus. Extat epistola eiusdem S. Thomæ, ad Guillelmum Senonensem, de Rege Angliæ, in qua hæc inter alia. *Sed neque in Romana Ecclesia veretur aliquem* (scilicet Rex Henricus) *sicut sui testantur, præter Dominum Gratianum.* Item alia ad eundem, in quo ista. *Quicumque (alios) viderunt, & audierunt, publicè protestantur, solum ex omnibus, qui ad Regem Anglorum missi fuerant, sapere Gratianum.* Hæc Sanctus Thomas de nepote Beati Eugenij; vt non frustra de eo Sarisberiensis, cum primum ad Regem Anglorum destinaretur. *Est tamen spes multorum, quod filius gratiæ, cui ex re nomen est, & B. Eugenij nepos rectè incedet ad veritatem Euangelij, & Apostolicæ maiestatis gloriam, & Ecclesiæ laborantis honestatem & pacem.* Hæc de Gratiano in gratiam Sancti auunculi.

Verùm quod dixi Cistercienses Monachos affuisse conuentibus, qui stabiliendæ inter Regem, & Thomam paci, congregabantur: Acceptum debeo secretæ cuidam epistolæ, vt coniectatur Baronius, Petri Blesensis, ad sanctum virum scriptæ; in qua de primo conuentu ita scribit, cum Rex multa obtulisset, nec tamen impetraret, quæ postulabat. *Tunc,* ait, *conuocati sunt omnes Barones, & Monachi albi, nempè Cistercienses, qui præsentes erant, & omnes fere de capella Et Dominus Rex rogauit, vt tempore opportuno testificarentur pro eo, quanta, & qualia obtulerat, restitutionem scilicet Archiepiscopatus, & pacis.* Monachi, inquam, albi, qui præsentes erant; non, vt puto, adhærentes aulæ Principis, quod nequaquam permissum illis temporibus; sed affuturi pacis conuentionibus, tanquàm Thomæ consortes, quorum se dudum adscripsisset sodalitati. 10.

Inde aliàs, cùm idem Rex Henricus pacatum se simularet in Sanctum virum, cuique ex animo vellet reconciliari, Cisterciensem ad eum Abbatem misit, & Godefridum Antisiodorensem, iam demùm exabbatem, ex Claraualle; quasi per quos facilius persuaderetur; quod à sæpiùs citato Sarisberiensi, ad Episcopum Oxoniensem scriptum lego. *Deum, & Christianitatem suam obsidem dabat* (Henricus scilicet) *deinde Patruum suum, Regem Ierosolymorum; & omnes, qui conuenerant, constituebat fideiussores: quod ex animo in fide, & syncerirate Cantuariensi Episcopo remiserat omnes querelas, & iram, & animi rancorem; & omnibus suis: petens, vt redirent, sua omnia in pace, & securitate recepturi: nec aliquid exigebat, nisi, vt ei faciat Archiepiscopus, quod Regi debetur; & ipse vicissim illi, quod Rex debet, Archiepiscopo. Misit autem Abbatem Cisterciensem, & fratrem G. Fulcherij, Magistrum Templi, & G. Antisiodorensem Senonas, vt præfatum Cantuar. ad ipsum cum Episcopo Sagiensi in hæc verba adducerent. Sed cum fidem eorum secutus Archiepiscopus, Pontisaram venisset, denuntiauit ei Dominus Rothomagensis, ne procederet, quia Rex erat in Angliam transiturus sub omni celeritate, pace infecta.* Hactenus ibi. Vt inde palàm fiat, Principem vafrum, & qui populo sibi conciliando, atque abolendæ infamiæ cuncta dirigeret; Cisterciensibus in causa Diui Thomæ, præ aliis vsum; quasi cuncta per eos pertractaret, quibus plus ipse Thomas deberet fidere: sed nihilominus, nihil fidi posset, vt ipsi euentus palam demonstrabant. 11.

1. Iterati ad Alexandrum Papam Henrici nuntij, 2. & obtenta legatio, cum noua in Thomam potestatis suspensione. 3. Summi Pontificis ad legatos instructio, 4. & de gestis ab ipsis prior relatio, 5. humilitatem Thomæ, 6. & Regis inconstantiam manifestans. 7. Ostensum quis collega Simonis fuerit, 8. Posterior relatio. 9. De responsis tam Regis, quàm Diui Thomæ. 10. Et veritate comperta per Alexandrum, 11. restituta potestas Sancto Præsuli.

CAPVT II.

1. INTERIM post discessum Gratiani, Viuianíque, nouæ Henrici Regis excusationes, nonæ querelæ:se solùm ex Principibus Catholicis, ab Alexandro nunquam exaudiri, solùm contemni:relictum voluntati hominis trucis,& nimium capitosi, qui sub prætextu libertatis Ecclesiasticæ, priuata odia in ipsum exerceret.Thomam à se supra omnes alios homines ab infantia dilectum,atque in sublimen,ex humili,exaltatum;facilè sibi,si velit reconciliandum.Cedat tantummodo Regiæ maiestati: & precibus,quàm minis agat in eum,cuius munere accepit,vt posset agere.Mittantur alij,qui duritiam hominis frangant; qui,si animum nequeant,verba temperent:& gladium potestatis Ecclesiasticæ,diu in se,& in omnes suos exertum, vt non excutiant, ad tempus saltem abscondant. Quoad vsque restituta gratia pristina, reuerendum se magis,quàm timendum;& correctorem exhibeat, quàm vltorem. Esto inter Thomam, & ipsum non sit,qui iudicet: & neque ipse supremus Vicarius Christi, successor Petri, hominem sibi sistat iudicandum: esto Rex iudicandus ab ipso veniat, in nullo eius sententiam declinaturus: at liceat iudicari à non infenso, eoque non suspecto: liceat ante iudicium reconciliari.

2. Hæc, & similia Henrici ad Alexandrum, missis ad eum nuntiis,seu verè credita,seu quasi crederentur(quæ inter Principes plerumque prudentiæ lex) nouos alios legatos extorserũt. Quin,ne quid gratiæ deesse videretur,nouum mandatum,quatenus à ferendo in Regem anathemate, quoad vsque mutuò reconciliarentur, quod in proximo erat,suspẽdebatur.Atque hæc pro Henrico plena honoris.At pro Ecclesia, & Thoma litteras dedit commonitorias primum,paternasque:dein comminatorias aduersus Regem, si forte à pace,& cõcordia resiliret; quasi qui non aliter gladium Thomæ absconderet; quin proprium exereret; atque ita deferret maiestati,vt nihilominus Ecclesiæ præcaueret. Delecti ad hoc munus Bellicensis Episcopus,& Prior Carthusianus: verùm cum hi impediti inuenirentur, Prior alter Carthusiæ electus est,nempè de Monte Dei,nomine Simon,& Bernardus de Corilo;ex Ordine Grandimontensi,de quo infra: extant litteræ huius commissionis à Baronio [a] vulgatæ, in qui-
[a] *Ad hunc ann.* bus hæc inter alia summus Antistes.

3. *Litteras nostras commonitorias etiam*(scilicet Henrico Regi) *redditis.& commonitionem nostram in spiritu fortitudinis,& lenitatis adiungere studeatis. Quòd si vos, nec sic audire voluerit, sed in sua potius duritia, & obstinatione duxerit persistendum:eidem litteras nostras comminatorias porrigatis;ex nostra parte constanter addentes quod nos prænominato Archiepiscopo os de cætero nulla ratione claudemus; nec ipsi. nisi idem Rex ante initium Quadragesimæ, quæ iam quasi instare videtur,ea,quæ superius diximus,implere voluerit,vlterius inhibitionem aliquam faciemus, quin suas, & Ecclesiæ sibi commissæ, necnon & suorum iniurias Ecclesiasticæ seueritatis gladio, pro sui officij debito, grauius vlciscatur. Non enim credere debet,aut in mente habere, quia dormiens Dominus non aliquando excutietur: & quod Beati Petri gladium ita rubigo consumpserit,quin educi valeat,& vindictam debitam exercere. Volumus autem,vt hæc, (sicut prædiximus)diligentiùs exequamini; nisi venerabilis frater noster Bellicensis Episcopus, & dilectus filius Prior,Carthusiensis ea,prout illis mandauimus,exequantur. Dat.Beneuent.VIII.Kalendas Iunij.* Hactenus Alexander legatos instruens. Cæterùm quid per ipsos actum sit, ex litteris alterius ad Alexandrum in codice Vaticano contentis, exponamus.

Ad illustrem (inquit) *Regem Angliæ,cum fratre Bernardo de Corilo nuper profecti sumus, vt auctoritate mandati vestri inter ipsum, & Dominum Cantuariensem pax,& concordia confirmaretur. Et quo facilius tractaretur hoc verbum,Dominum Cantuariensem traximus ad locum,vbi Reges, authore Deo,reconciliati sunt. Traditis autem cõmonitoriis vestris Regi Angliæ, & adhibita diligentia,quam apud eum credimus expedire,monuimus,& cõsuluimus Domino Cantuariensi,vt se coram Rege humiliaret, & rigorem eius, humilitate precum,& sedulitate obsequendi studeret emollire. Hoc ipsum Christianissimus Rex Franciæ, Archiepiscopi, Episcopi,& magni viri, qui aderant, vnanimiter suadebant. Arctatus Regis consilio, & omnium Archiepiscoporum,& Baronũ, acquieuit Archiepiscopus;& corã omnibus accessit ad Regem Angliæ, & genibus flexis, posuit se in Deo,& Rege,ad honorẽ Dei,& Regis:vtens hac forma verborum,ad honorem Dei,vt sic posset pacẽ, & gratiam eius promereri. Rex autem propter verbum, ad honorem Dei,noluit eum recipere,coram omnibus dicens publicè,ne videretur,quod Archiepiscopus Dei honorem vellet seruare, & Rex minimè. Sed post multa (quæ vtinam siluisset) dixit, quòd ab Archiepiscopo nihil aliud quærebat,nisi vt ei tanquam presbyter,& Episcopus coram omnibus promitteret in verbo veritatis,se sine omni malo ingenio seruaturum consuetudines, quas Sancti Archiepiscopi Cantuarienses obseruauerant Regibus suis; & quas ipse Archiepiscopus sibi alia vice promiserat.* 4.

Archiepiscopus autem respondit, quòd Regi fecerat fidelitatem, quam ei præstito iuramento tenebatur seruare,vitam,membrum,& honorem terrenum,saluo Ordine suo;& hoc fidelissimè paratus erat implere; nec ab aliquo antecessorum suorum aliquid vlterius exactũ est; vel ab aliquo,exigẽdum Et cum Rex super hoc articulo plurimum institisset,Dominus Cãtuariensis adiecit:licet nullus antecessorum hoc fecisset, vel promisisset, nec ipse vllatenus de iure facere deberet; tamen dixit, quòd pro pace Ecclesiæ,& gratia eius,promitteret se consuetudines illas, quas Sancti antecessores sui Regibus suis seruauerant,saluo Ordine suo, ei seruaturũ,quatenus secundum Deum posset; & facere pro amore eius recuperando, quidquid posset, saluo honore Dei:asserens,quòd nunquã libentius ei seruiret, quam vt hæc faceret. si ei placeret. Noluit autem Rex hoc recipere, sed vt præcisè, & ab- 5.

solutè sub iuramento ei promitteret obseruantiam consuetudinum, quia nihil vlterius ab eo exigebat. Quod quia Archiepiscopus, licet multi instarent, facere noluit, Rex discessit, pace infecta.

6. *Cum verò Regem exhortaremur, vt iuxta mandatum vestrum reuocaret Archiepiscopum, in gratiam suam; & ei pacem, & Ecclesiam suam restitueret; respondit, quod fortasse consilium amicorum erit, vt Ecclesiam quandoque restituat; sed dixit, se gratiam non restiturum; quia tunc euacuaretur priuilegium, quod ei dedistis, & quo potestatem Archiepiscopi suspendistis, donec redeat in gratiam eius. Et quia praeceperatis eum primò conuenire in spiritu lenitatis per commonitorias vestras: comminatorias in aliud tempus dare distulimus. Interim verò Deum oramus, in cuius manu corda sunt Regum, vt animum eius emolliat, & ad honorem suum, & Ecclesiæ vtilitatem pacem faciat reformari. Quod verò de mandato vestro reliquum est, accepto tempore, per gratiam Dei cum omni diligentia exequemur; & exitum negotij, quem Deus dederit, maiestati vestræ significare curabimus. Rogatus Frater Bernardus, sicut nos, vt negotij seriem vobis scriberet, respondit, quod in Ordine suo inhibitum est, ne quis fratrum pro aliquo negotio vobis, vel aliis scribat; sed dicturum se spopondit coram nuntio vestro magistro Lombardo, qui litteras vestras tradidit, & qui vobis rem gestam, sicut is, qui præsens interfuit, fideliter significauit.* Hactenus Simon Prior, ad Alexandrum.

7. Cæterùm quod collega eius non scripserit, excusans, vt Carthusianus Simon ait, *quod in Ordine suo inhibitum est, ne quis fratrum pro aliquo negotio vobis; vel aliis scribat*, Recentioribus errandi occasio fuit, vt regularem alterius instituti, quam Carthusiani Cistercienſem putarent, quibus nisi in suis, suorúmve negotiis scribere Pontifici, constitutione octuagesima quarta, inter collectas à Beato Rainaldo, prohibebatur. Sed neque D. Thomas nostris extraneus, & Episcopi, Regésque excepti, pro quibus eis scribere liceret. Quin hunc Bernardum Grandimontensem fuisse, Ioannes Sarisberiensis [b] tradit, in Epistola ad Bartholomæum Exoniensem, in qua hæc de legatis, & legatia. *Receperat ante paucos dies Rex Angliæ per sanctissimum virum Priorem de Monte Dei, & iam dictum Bernardum de Grandimonte, pro Cantuariensi Archiepiscopo commonitorias Domini Papæ, quarum tibi exemplar mitto, &c.* Quicumque fuerit, & quacumque lege constrictus, mirum est, si prohibitum putauit, vt summo Præsuli, de gestis à se, & socio, in causa vtrique specialiter commissa, rationem redderet. Sed ea erat sancti illius sæculi admiranda synceritas, obedire paratior, quàm disputare. At quæ post hæc legati iidem gesserint; seu potius qualiter à Rege frustrati sint; alia eiusdem Simonis epistola recenset, ad Alexandrum missa, quæ ita habet.

b *Epist. 268.*

8. *Iuxta mandatum sanctitatis vestræ commonitorias vestras illustri Regi Angliæ porreximus, operam, & diligentiam pro viribus adhibentes, vt iuxta commonitionem vestram Dominum Cantuariensem in gratiam reuocaret, & ei sedem suam restitueret, & pacem; & Ecclesiæ suæ liberam dispositionem habere permitteret. Expectauimus diu, sperantes, & orantes, vt Deus emolliret animum eius. Sed cum non proficeremus, expectantes; vrgente mandato vestro, in colloquio Regum secundo, ei comminatorias vestras præsentauimus. Quas cum ille tandem vix recepisset, ad instantiam nostram, & magnorum virorum, qui aderant. hoc post multa, quæ referre longum est, responsum dedit. Ego Dominum Cantuariensem de Regno non expuli; & tamen pro reuerentia Domini Papæ, si voluerit mihi facere, quod debet, & seruare mihi, quod antecessores sui meis obseruauerunt, & ea, quæ ipse promisit; redire potest in Angliam, & habere pacem. Et post varietates responsionum, tandem dixit: euocaturum se Episcopos Angliæ, & vsurum consilio eorum; sed nec diem aliquem præfixit, nec aliquid aliud ab eo reportauimus, vnde possimus de pace Domini Cantuariensis, & mandati vestri executione certiorari. Et quia responsa frequenter mutabat, interrogauimus eum, an liceret Archiepiscopo redire in sedem suam, & frui in pace sua. Ille verò respondit, quod Archiepiscopus nunquam ingredietur terram, antea quam faciat ei, quod debet; & promittat se seruaturum, quod alij seruauerunt, & quod ipse promisit.*

Deinde rogauimus eum, vt scriberet, & signaret patentibus litteris responsum suum, quia oporteret nobis rem certam vobis referre, quam nondum habebamus; quia tam frequenter responsa variabat: ille verò noluit acquiescere. Archiepiscopus verò respondit, dum hoc ei retulissemus, se paratum esse parere Regi, quidquid debet; & seruare, quod ab antecessoribus seruatum est, quatenus possit, saluo Ordine suo: sed nouas inire obligationes, quæ à prædecessoribus suis præstita non sunt; & promittere aliquid huiusmodi, nisi saluo Ordine suo, sibi esse illicitum, sine authoritate domini Papæ: tum quia nouam formam in Ecclesiam inducere, perniciosum esset; tum quia à vobis inhibitus est, ne aliquid vnquam tale promittat, nisi saluo honore Dei, & Ordine suo. Et adiecit, quod eum increpando dixistis, quod nec pro capite suo debuisset se ad talium consuetudinum obseruantiam obligasse, nisi saluo Ordine suo. Sed si Rex (prout mandatis) ei gratiam suam, & pacem, & Ecclesiam & ablata sibi, & suis restituat; quidquid secundùm Deum, & saluo Ordine suo, poterit, libenter faceret ad voluntatem eius; & ei diligentissimè, & deuotissimè totis viribus seruire studebit. Placeat itaque Sanctitati vestræ, opem ferre Ecclesiæ laboranti, & perseuerare in eo, quod laudabiliter cœpistis. Quia (sicut à multis audiuimus, & credimus) si perseueraueritis, Ecclesiæ pax, & salus in ianuis est. Hæc de gestis à Simone, atque Bernardo. 9.

Porrò Henricus exemptus à D. Thoma, quoad vsque vterque reconciliaretur, non solum extendendo priuilegio differebat concordiam: sed ruptis, quod deterius erat, timoris vinculis, atrocius in Ecclesiam, atque in eius ministros, quod Ioannes Sarisberiensis deplorat, debacchabatur. Ergo Alexander, cum omnia pessum ire, atque Henricum clementia eius abuti, consideraret; nec quid tum magis retardare pacem, quàm suspensionem potestatis Thomæ in Regem, quam paci ipse firmandæ, prælegisset; eamdem illi decreuit restituendam, litteris datis excusatoriis primùm, deinde reuocatoriis suspensionis, sub hoc tenore. 10.

Ad discretionis tuæ notitiam credimus peruenisse, qualiter illustris Rex Anglorum Henricus nuntios suos nobis direxerit, & quam dura, & aspera, & quæ nostrũ animum plurimum affligebant, per eos à nobis petierit; terribiles minas prætendens nisi voluntati eius condescenderemus. Nos verò, quia nondum persequutio Ecclesiæ cessauit, nec temporis serenitas adhuc nobis, sicut expediret, arrisit: impetum, & motum animi sui, etsi non exaudiuimus petitiones suas, mitigare curauimus, & temperare; ille nempe timore perculsi, ne ad impediendam, & disturbandam pacem Ecclesiæ se (prout olim fecit) tyranno, & flagitioso inimico Ecclesiæ, Friderico videlicet Imperatori, aliquo fœdere societatis adiungeret; vel materiam haberet ab Ecclesia, & nostra deuotione recedendi. Inde est, 11.

quod

quod nos temporis malitiam attendentes, de communi fratrum nostrorum consilio, fraternitati tua, sub certa quasi spe, & fiducia, quod te in gratiam suam recipiat, & Cantuariensem Ecclesiam in tua libera dispositione dimittat, per Apostolica scripta mandauimus, vt nec in ipsum, nec in personas regni, aut in regnum interdicti, seu excommunicationis, vel suspensionis sententiam debeas promulgare, nisi alias nostras litteras reciperes, in quibus, si idem Rex nolis tibi gratiam suam reddere, facultatem habeas in eum, & suos, officium tuum exercendi. Quapropter quia tibi tanquam fratri charissimo, & Ecclesia tua proprium honorem, & libertatem cupimus omnibus modis conseruare; nisi (quod speramus, & vt proposuimus) vsque ad initium proxima Quadragesima effectui mancipauerit; sed in sua fuerit obstinatione induratus: tibi extunc authoritatem tuam restituimus, & tam in personas, quam etiam in regnum, & in ipsum Regem, si tibi, & Ecclesia tua congruere, & expedire cognoueris, facultatem liberam habeas, debitum officij tui, cessante omni appellationis obstaculo, exercendi, grauitate, ac maturitate Pontificali adhibita, quam conuenit adhiberi. Hæc de gestis hoc anno in causa D. Thomæ Cantuariensis. Reliqua in sequenti persequemur.

---

1. *Depositos Abbates, si appellent*, 2. *admittendos non esse Alexander Cistercij Abbas declamat*, 3. *atque idipsum Alexandro Papa proponit.* 4. *Impetratum indultum*, 5. *interdicens eisdem appellationem*, 6. *& subrogatis priuilegia alia indulgens*, 7. *qua postmodum relata in corpore Iuris.* 8. *Nostri pro decimis vexati fraudulenter*, 9. *ab eodem defenduntur illustri alio priuilegio illis concesso.*

CAPVT III.

1. HOc ipso anno Alexander Cistercij Parens pro grege suo solicitus, atque ex præteritis ad futura prouidus; nec minùs ei ab internis malis timens, quàm præcauens ab externis vexationibus, insignia duo impetrauit priuilegia, alterum in suos (quis id credere posset?) pro suis alterum, quæ singularia, atque eatenus non visa, quantumuis post ab aliis æmulata, nequaquam licèt silentio præterire. Inuenerat nonnullos ex Abbatibus, maximè Godefridum, Claræuallensem, vt non sibi rebelles, aut Capitulo, saltem suarum dignitatum nimium tenaces: & qui nec moniti prælaturis cedere vellent; & iussi, per appellationis remedium se tuerentur. Id sibi iuris tributum à natura, tributum à Christo: illa admittente propriam defensionem, per qualibet remedia; hoc substituente pro se summum Pontificem, qui causas omnium audiat, perpendat, iudicet, & liberet oppressos à potentioribus. Esse in Cistercio, quod non negabant, iudices plerumque Sanctos, doctos; sed homines tamen, & qui, etsi rarò, aliquando per ignorantiam, sæpiùs per nimium zelum, nonnunquam per humanas affectiones deciperentur. An si innocens iniustè condemnetur, quod vt nunquam euenerit, at euenire posse non est dubium; ipse sua opinione, famáque, quæ sola integra religiosis manere debet, sed præcipuè prælatis; Ecclesia idoneo ministro defraudetur? An soli Cistercienses in toto orbe sine timore iudicent, quasi qui à nullo veniant corrigendi? sine spe iudicentur, qui à nemine veniant vindicandi? An Ecclesia Romana, quæ cunctis patet, ipsis solis claudatur; nec correctura iniustos, neque iniustitiam patientes liberatura? Esse leues errores in sententiis, quos reus pati debeat: esse quos iura intolerandos dicunt; neque hos in aliis causis frequentiores, quàm in depositionibus. An & hi etiam veniant tolerandi? Audiantur illi, qui se grauiter læsos conqueruntur, & clamant; atrocius puniendi si fefellerint: sed, si iniustè opprimuntur, restituendi. Hæc, & similia appellationibus fauebant; & curia semper litigantibus propitia, videbatur eosdem admissura.

2. Ast Alexander nullius omnino sibi, non solùm iniustitiæ, sed nec auersi in quempiam affectus conscius, & cæteros rectiores se præsumens; fallacia hæc, & in speciem magis dicta, quàm veritati subnixa declamabat. Iudicia patrũ propensa semper in filios; neque absoluendum ab externis esse, quem ipsi, qui genuissent, condemnassent. Neminẽ hactenus depositum iniustè; quod nuper in Gaufrido, Romana curia quamuis obnitente, compertũ fuit; & prouisurum Deum, vt neque quis deinceps deponeretur. Sed esto sine causa sufficienti: at non ideo iniustè: nullo in Monacho iure residente, quod lædi possit. An qui nihil, vt proprium potest acquirere, prælatiã acquirat? aut ius in illam vendicare poterit, qui neque in vestem potest, aut quippiam aliud? Addictus tali ministerio fuit, quia ita videbatur; remouendus, non deponendus, quando, & quoties videbitur; non quia meretur, sed quia præcipitur: nec ipsi aliud incumbit, quam obedire. Religioso opinionem constare integrã, non ex adepta, aut amissa dignitate, sed ex seruata, aut violata professione. Resignationem propriæ voluntatis, summam illius laudẽ, in hoc consistere, quod in nullo, Prælato cõtradicat. Iam si hæc omnia minus certa essent; quæ causa iniusta, vbi sola membrorũ eiusdem corporis dissolutio, aut dissensio, pro iustissima debet iudicari? Quemcumque, subditi, prælatum fastidierint, nisi sint discoli, ineptus reputatur: quippe nequaquam violenta, coactáque, sed volũtaria holocausta Deus acceptat. Cur non; si illũ fastidiãt superiores? Meritò ab illo loco repellatur membrũ inutile; nõ quia in se dissolutum, obliquúmve; sed quia difforme aliis, quibus per omnia debebat conformari. Demùm si ne ex hoc quidẽ dignus esset, qui loco moueretur: at quàm gloriosè quodcũque membrum patitur, ne totum corpus pereat? Et quanto maius detrimentũ esse, si ianua pateat ad fora sæcularia; si locus sit potentiæ, fauorìve; si per munera, causæ peragerẽtur? si defectus occulti Monachorũ per vicos, per plateas, per publica notariorũ scrinia circumferantur. Tum verè famam eorum periclitari, cum propalentur vitia; & iudex, vt defendat, quod semel fecit; reus, vt accuset factum, factorémque; nihil sibi non putent detegendum: &, quod, in litibus frequens esse solet, addendum, vel in maius exagerandum.

Ergo quo erat zelo suorum feruens; ad Pontificem scribit, atque hæc, & alia in litteris inculcans, & modestè confirmans exemplo recenti; ingens ab eo indultum impetrauit; & si cuncta perpendas, sine exemplo. Nempe quod nulli penitus liceret, à sententiis Ordinis, extra ipsum appellare, etiam ad sedẽ Apostolicã: idque sine vlla addita, aut expressa 3.

in

in litteris indulti limitatione. Quinimò, ne, cui hac via obuiabatur, depositorum proteruia, alia erumperet; & per Episcopos sibi familiares impedire tentarent subrogatorum Abbatum benedictiones; siue illas negarent dicti Episcopi, quousque causa depositi prælati per Apostolicam sedem decideretur; siue plus aliquid à subrogatis exigerent, quam præstare deberent, adeóque impedirentur, dum recusarent: in eodem indulto cautum est, vt si Episcopi tertiò requisiti dictos Abbates renuerint benedicere, nihilominus suum munus exerceant; nec quicquàm aliud promittere teneantur quam quod ab initio Ordinis promisere: nimirum obedientiam, sed, saluo semper, & per omnia Ordine suo. Exemplar porrò Apostolici indulti ita se habet.

4. *Alexander* [a] *Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filiis Alexandro Cisterciensi Abbati, & vniuersis eiusdem Ordinis Coabbatibus, tam præsentibus, quàm futuris Canonicè instituendis in perpetuum.*

[a] Tom. 1. priuileg.

Attendentes quomodo vos à sæcularis vitæ latitudine conuersos, Omnipotens, & Clemens Deus, ad angustæ portæ deduxit introitum; & vos tanquam à carne, adipem separauit; gaudio gaudemus, & interna mentis lætitia, & exultatione iucunditatis replemur; monentes pariter, & exhortantes, vt solicita intentione nitamini in vasis vestris oleum deferre; quatenus cùm media nocte clamor factus fuerit, accensis lampadibus vestris, sponsi mereamini thalamum introire; & iustitiæ beatitudinem recipere, quæ vobis est seruata in cælis. Quapropter quia vos elegit Dominus in hæreditatem sibi, & à longè de alto respexit paci, & tranquillitati vestræ, quantum nobis gratia diuina concedit, prospicere cupientes, Apostolica vobis authoritate concedimus, & indulgemus:

5. *Vt Abbates vestri Ordinis, qui aliquo crimine fama publica respersi, aut publicè conuicti, à patribus Abbatibus secundum formam Ordinis commoniti suæ prælationi sponte cedere noluerint, ad sedem Apostolicam appellandi facultatem non habeant, aut suum reatum per personas aliquas defendendi. Sancimus præterea, vt si Episcopi tertiò cum humilitate, & deuotione, sicut conuenit, requisiti, substitutos Abbates benedicere fortè renuerint, eisdem Abbatibus liceat nouitios proprios benedicere, & alia, quæ ad illud officium pertinent, exercere; donec Episcopi ipsi duritiam suam recogitent, & Abbates benedicendos benedicere non recusent. Sanè si Episcopi aliquid ab Abbatibus præter obedientiam debitam, contra libertatem Ordinis, à prædecessoribus nostris, & nobis indultam, expetierint, liberum sit eisdem Abbatibus authoritate Apostolica denegare, quod petitur; ne occasione ista Ordo ipse, qui hactenus liber extitit, perpetuæ seruitutis laqueo vinciatur. Quod si Episcopi aliquam propter hoc in personas, vel Ecclesias vestras sententiam promulgauerint, eandem sententiam tanquàm contra Apostolicæ sedis indulta prolatam, irritam fore sancimus.*

6. *Decernimus ergò, vt nulli omninò hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis infringere, vel ei aliquatenus contraire. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica, sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire tentauerit; secundò, tertióve commonita, nisi præsumptionem suam digna satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui dignitate careat; reámque se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat; & à sacratissimo corpore, & sanguine Dei, & Domini nostri Redemptoris Iesu Christi aliena fiat: atque in extremo examine districtæ vltioni subiaceat. Cunctis autem hanc nostram constitutionem seruantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum iudicem præmia æterna pacis inueniant. Amen. Amen. Amen. Ego Alexander Catholicæ Ecclesiæ Episcopus signaui. Ego Hubaldus Ostiensis Episcopus S. Ego Renardus Portuensis, & Sanctæ Rufinæ Episcopus S. &c. Datum Beneuenti per manum Gerardi S. R. E. Notarij IV. Nonas Iulij, Indictione II. Anno Dominicæ Incarnationis. M. C. LXIX. Pontificatus verò Domini Alexandri Papæ anno X.* Hactenus priuilegium Summi Pontificis, cuius Renatus Chopinus in Monastico [b], & plures alij Authores meminere.

[b] Lib. 2. tit. 3. num 5.

Porrò hoc idem Alexandri Papæ diploma specialiter nostris concessum, quod attinet ad Abbatum suffectorum, si fortè eis negetur, benedictionem; ad corpus iuris Gregorius IX. transtulit, ac primum locum inter alia habere voluit sub titulo. *De supplenda negligentia prælatorum*: nempè sub his verbis. *Alexander tertius Cisterciensibus. Statuimus præterea, vt si Episcopus tertiò cum humilitate, ac deuotione (sicut conuenit) requisitus, substitutos Abbates vestros benedicere fortè renuerit: eisdem Abbatibus liceat proprios Monachos benedicere, & alia, quæ ad officium huiusmodi pertinent, exercere; donec ipsi Episcopi suam duritiem recogitent, & Abbates benedicere non recusent.* Hactenus quod ex prædicto priuilegio Gregorius Papa transferendum putauit ad corpus iuris. Atque hinc corrigendus venit Augustinus Barbosa. *De officio, & potestate Episcopi* allegatione 105. num. 12. vbi ait. *Cistercienses ab omni Diœcesanorum emperio, & iurisdictione absolutos fuisse ab Alexandro III. anno M. C. LXI. Pontificatus sui. III. vt patet ex eius priuilegio, quod incipit.* Dilectis, &c. Certè obedientiæ votum illis præstandum, saluo ordine suo, etiam post multos annos perseuerauit. Obedientiam absolutam, vt supra vidimus, ab ordinis initio non habuerunt: & cunctis ordinaris per leges Ordinis, omnis illi materia detrahebatur. Vnde Alexander ordinem liberum dixit, aliàs in seruitutem redigendum: sed neque anno tertio Pontificatus, sed decimo, diploma indultum fuit. 7.

Per idem tempus cùm nostri super decimis, vt palam iam non possent, tamen occultè, & per fraudes oppugnarentur; & quidam Clerici ab eodem Alexandro, suppresso Cisterciensis Ordinis titulo, velut si contra alios litigarent, litteras contra ipsos extorsissent, per quas in quodam præcipuè Monasterio, nec satis constat quale, vt statim dicam, ipso ignorante, nedum non volente, molestabantur: vt primum impetrantium dolum agnouit, reuocauit easdem, aliud Cistercio indulgens priuilegium non minùs singulare. Ne extunc Monachi per rescriptum Apostolicum quantumcumque absolutum, & generale, conueniri valerent, nisi in eo specialiter, & expressè nominarentur. Extat non minus relatũ in corpus iuris, mutilum licet, & vitiatum, vt alia pleraque; in capite *Cum ordinem.* de Rescriptis, cuius titulus: *Alexandri III* in omnibus; sed in qualibus: *Ad Cistercienses fratres*: in aliis: *Ad Abbatem Cisterciensem, & fratres de Cuman,* scriptus dicitũr. Vt liqueat facilè occasione alicuius Ecclesiæ, quæ vexabatur (fortè de Cumhir, de qua superiùs) interuentu Alexandri Cisterciensis, ad vniuersos indultum transiisse. Litteræ integræ (nam in textu, vt dixi, mutilæ) hæc verba continere deprehenduntur. 8.

Cum Ordinem Cisterciensem professi, eo priuilegio, quo fratres alij (eiusdem Ordinis) gaudetis; inter vos, & Clericos alios sæculares, super decimis, quæstione suborta, 9.

suborta, tacito, quod sitis Cisterciensis Ordinis, contra vos, veluti contra Monachos alterius Ordinis, litteras à Sede Apostolica impetrantes; deinde iuramentis, & litigiis, sicut vobis significantibus accepimus, & expensis difficilibus vos inquietant. Volentes ergo vobis solicitè prouidere, ne contra tenorem priuilegiorum vestrorum possitis quorumlibet temeritate vexari, authoritate Apostolica vobis mandamus, vt si contra vos super decimis, vel aliis, quæ Ordini vestro specialiter Sedes Apostolica indulsit, non facta mentione Cisterciensis Ordinis, litteræ fuerint à Sede Apostolica impetratæ, per eas minimè teneamini respondere, &c. Hactenus, quæ in corpus iuris inserta leguntur; neque enim Ioannes Abbas, quod sciamus, hoc priuilegium cum aliis euulgauit. Cæterùm qualiter hanc ipsam concessionem obliteratam, Gregorius Papa Nonus, post septuaginta annos bis innouauerit; semel dum eam inseruit in corpus iuris: iterùm verò dum alio priuilegio exemptionem eandem ratam voluit; tomo 4. dicemus, si Deus dederit.

1. Beati Alquirini Claræ-uallensis eximia pietas; 2. Vita sanctè peracta, 3. reuelationes, 4. atque alia quædam satis gloriosa. 5. Prædicti ab eo dies, & hora mortis. 6. Alterius senis Sancti, 7. gloriosa visio, 8. cuius hodie memoria extare creditur. 9. Monachus Euangelistæ Ioanni deuotus, 10. ab eo sæpiùs cum Christo visitatur. 11. Tandem B. Roberti dormitio fælix.

Capvt IV.

1. Florebant interim in Claraualle viri sanctissimi, inter quos Alquirinus, cuius, vt coniectari licet, gloriosus transitus, quippè sub Pontio Abbate, hunc, aut sequentem annum nobilitauit. Referam virum Exordij Magni verbis, quæ ita habent [a]. *Fuit in Cœnobio Claraualli monachus quidam professioni suæ, morum integritatem conformans, Alquirinus nomine, vir religiosus, ac spiritualis, sobrius in victu, humilis in vestitu, & durus admodum castigator corporis sui. Ita namque circumcisus, & temperans erat in his, quæ ad vsum corporis pertinere videbantur, vt omni voluptate, & vanitate depulsa, ipsis etiam necessariis parcissimè vteretur: licet occasio certum limitem excedendi se ei frequenter ingereret. Erat enim peritus in arte Medicinæ. Et quamuis magnates, & nobiles terræ operam eius incessanter expeterent, & inuitum, & renitentem per diuersa loca distraherent; ipse tamen super agros, & pauperes magis intelligens, omnimodam eorum curationi solicitudinem impendebat. Nec modo ipsorum ægritudines, liuoresque curabat; sed & languentium putridas carnes, & sanie defluentia membra ita dignanter, ita diligenter propriis manibus contrectabat, vt Christi vulnera fouere putaretur.* Sic, sic vir Sanctus confundebat multorum peruicaciam, qui vel in morbis animi curandis, pauperes fugiunt; & solis diuitibus assistunt, quasi pro his solis Christus passus; aut minus illi spectarent ad Regnum eius. Pergit author de Sancto ita scribere.

[a] Lib. 4. c. 1.

2. *Quadam igitur vice vidit huiusmodi visionem in Claraualle. In primis audiuit quendam præcursorem cælestem præconaria voce clamantem, & dicentem. Ecce Christus venit, surgite, & occurrite obuiam Saluatori. Cùmque omnes certatim ad videndum Dominum properarent, tunc & ipse cucurrit, & stetit in ostio claustri, per quod venturum esse sperabat. Itaque egrediente Domino, accessit, & adorauit eum, flagitans, vt acciperet benedictionem, & misericordiam à Deo salutari suo. Quâ percepta, cœpit eum attentius intueri: & miro pietatis affectu compatiebatur illi. Siquidem apparebat sicuti dolens, atque infirmus, confixus clauis, & lancea perforatus, ac si eadem hora de Cruce depositus fuisset, ita vt sanguis vbertim de plagis recentibus emanaret. Porrò ipse Dominus linteolos mundos, quasi corporalia munda, tenens, eisdem vulneribus imprimebat; & cruore deterso, in terram proiiciebat eos. Quos frater ille cum summa veneratione deosculans, quasi pro redemptione animæ suæ, in sinu suo repositos conseruabat.*

3. *His, & huiusmodi reuelationibus frequenter à Domino recreatus, non cessauit vsque in finem operari bonum ad omnes maximè autem ad peregrinos, & pauperes ægrotantes. Quàm verò rigidus in pœnitentia seruanda, quámque districtus castigator corporis sui fuerit, ex hoc satis apparet, quod cum indigentibus cunctis, cum feruore charitatis, curationis operam impenderet; se solum ab huiusmodi cura excipiebat. Licèt enim valetudinarius esset, ac debilis corpore, nunquam tamen acquieuit carnalem sibimet impendere medicinam; sed totum se Deo committebat, dicens: Quoniam ipsi cura est de nobis. Sciebat nimirum virtutes animæ in corporis infirmitate perfici; nec posse monachum spirituales consolationes à Domino percipere, qui circa consolatiunculas carnis suæ solicitus est, & gustare, & videre negligit quàm suauis est Dominus.*

Cursu itaque vitæ suæ laudabiliter peracto, cum iam tempus instaret, quo pro laboribus, sanctæ pietatis operibus æternam mercedem acciperet, infirmitate correptus ad extrema peruenit. Cúmque venerabilis Abbas Pontius, cuius supra meminimus, ad eum gratia visitationis venisset, quæsiuit ab eo, quid ageret, vel quomodo se haberet. Ille verò respondit: bene charissime Pater, & bene omninò agitur mecum, quia vadens vado ad Dominum meum. Quid ergò (inquit) corporalem molestiam ægrè non toleras, & mortis angustias non formidas? Ego (inquit) omnia tranquilla, omnia læta considero: quia tam præuentus sum à Domino in benedictionibus dulcedinis; qui omnem mihi mœrorem à corde, & omnem pœnæ dolorem à corpore tulit. Respondens itaque Abbas dixit ei: obsecro te, dilecte mi frater, vt propter Deum dicas mihi ad ædificationem nostram, si tibi diuinitus aliquid reuelatum est. Tunc ait illi. 4.

Modo antequam huc intraretis, apparuit mihi, licèt misero, & indigno Dominus Iesus Christus: qui propitio, ac sereno vultu me intuens, ac signa beatissimæ Passionis suæ ostendens, ait. Ecce peccata tua deleta sunt à facie mea. Veni ergo securus, veni, & vide, ac deosculare vulnera mea, quæ tantum dilexisti, & toties confouisti. Tali ergo promissione firmatus, iam mori non timeo, quia reposita est hæc spes mea in sinu meo. Et scitote, quia proxima nocte, (erat autem Vigilia Beati Martini) migraturus sum, dum opus Dei celebrabitur in Ecclesia, & tali hora. Defunctus est ergo eadem nocte, & eodem tempore, quò prædixerat. Itáque, vt verè confidimus, requiescit à laboribus suis, & tanquàm columba super niuem dealbata nidificat in foraminibus petræ [b], id est, sacratissima vulnera Domini complectendo adorat. Qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen. Hactenus ibi de transitu glorioso hominis Sancti, quem 5.

[b] Cant. 6.

quem Ægidius Aurifaber [e], & Ioannes Maior suis speculis ad verbum transcripsere. Nominant virum inter Monachos Sanctos Cistercienses Robertus Rusca, & Aubertus Miræus [d], & alij. Henriquez Menologio suo inseruit, ipsa, quâ obiit, die, quippè decima mensis Nouembris.

c Verbo infirmitas. 5. in compendio.
d Lib. 5. Originum. c. 15.

6. Circa idem tempus senex alius eiusdem domus, cuius (heu!) nomen periit, vidit visionem quandam satis gloriosam, quam ex ipsius ore audire meruit, idem, qui suprà, Author [e], cuius verbis est nobis transcribenda. *Quidam de senioribus Claraeuallis, vir religiosus, ac deuotus, quadam vice (sicut ab ipsius ore audiuimus) vidit in visione Beatissimam Virginem Mariam splendidissimo vultu, & habitu, Capitulo Monachorum præsidentem. Quæ etiam in ipso Capitulo, Abbatis locum tenere videbatur, & officium gerere. Hæc verò Benedictum fructum ventris sui, Paruulum, qui natus est nobis, gestabat in gremio: totúsque Conuentus Monachorum circa eam residebat in ordine suo. Porrò senior, qui hoc videbat, mirabatur, atque iucundabatur valdè in conspectu gloriosi Pueruli, speciosi præ filiis hominum, & eiusdem sacræ Puerperæ. Eapropter reuerberatis oculis, propter luminis claritatem, non satis præualebat in facies eorum intendere.*

e Lib. 3. cap. 29.

7. *Cúmque iam expleto Capitulo, soluendus esset ille Conuentus, imperiosa Virgo conuersa ad seniorem illum, qui ad eius dexteram sedebat; osculum pacis illi dignanter impressit, & insuper Benedictum fructum ventris sui ad intuendum, atque amplectendum obtulit illi. Quo facto, conuertens se ad alterum senem, qui ad sinistrum eius sedebat, similiter osculata est eum, & insuper gaudium cordis sui, ad intuendum præsentauit. Tunc vniuersi, qui aderant monachi, cælesti pace à senioribus illis hinc, inde mutuata, de tantæ Reginæ præsentia, salutare Dei in gremio suo fouentis, in iubilum & lætitiam cordis lætati sunt; sicque Conuentu illo soluto, visio ab oculis intuentis sublata est.* Hactenus ibi de admiranda visione; quæ ideo in capitulo fratrum ostensa est, vt correctiones in eo fieri solitas dulciores efficeret; quippè pacis per Virginem oblatæ vincula necterent; non querelas, aut iurgia prouocarent.

8. Addit author de eximia deuotione, quâ extunc Sanctus senex perfusus mansit. *Tantam verò deuotionem, de visionis huius dulcedine, senior ille concepit, vt domum Capituli non esse aliud nisi secretarium Dei, & portam Cæli intelligeret. Ideò quoties eandem domum Capituli transire debebat, toties ferè contra locum, in quo Matrem misericordiæ, cum adorando filio suo conspexerat, inclinari solebat.* Hæc ille. An autem ex hac visione ortum habuerit, quæ inter nostros inoleuit consuetudo, inclinandi contra sedem Abbatis, quoties ante ostium Capituli transimus, affirmare non ausim, sed neque assertum ab aliis reprobare. Floruisse senem, qui hæc videre meruit circa hoc idem tempus, perspicuum est; quippè à quo Author Exordij, dum adhuc iuuenis, audire cuncta potuit, quæ iam maturus, prouectæque ætatis scriptis mandauit, circa annum M. C C. plus minusvè, vt suo tempore latius demonstrabimus.

9. Eandem domum, nec multùm distante tempore, illustratam inuenio monacho alio, ex virtute notiorem, quàm ex nomine (quæ erat siue incuria, siue humilitas sanctæ illius ætatis) de quo hæc idem author memoriæ prodidit. *Frater quidam religiosus, ac timens Deum, dum proficiendi desiderio flagraret, & sanctis meditationibus die, noctúque vacaret, B. Ioannem Euangelistam præcipuo diligebat affectu in cuius etiam semper scriptura, atque memoria, mira pascebatur deuotione, studens ex dictis eius sententias tanquam mala punica decerpere, quibus lectulum conscientiæ suæ stipatum, contra fœtorem vitiorum, virtutum odore refoueret. Factum est autem quadam vice in Vigilia omnium Sanctorum, dum Missa in Conuentu celebraretur, vt ipse stans in ordine suo in Choro, pistillo vigilantis sollicitudinis, in mortariolo cordis, ad susceptionem tanti festi, thymiama sacræ deuotionis contereret. Cúmque de more legeretur epistola illa ex B. Ioannis Apocalypsi* [f]. Ego Ioannes vidi in medio throni, & quatuor animalium, & in medio seniorum, agnum stantem tanquam occisum *mira dulcedine, in eiusdem verbis, fruebatur. Tandem verò in vltimo versu, quo dicitur.* Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & diuinitatem, *& cætera, quæ sequuntur, tota in ipso liquefacta est anima eius igne diuini amoris. Tantáque iucunditatis affluentia perfusus est, vt præ immensitate lætitiæ seipsum vix caperet. Proinde totus in iubilo raptus, totus extra se fuit; solum Christum quasi præsentem oculis sui cordis intuens, & brachiis ardentis fidei, & pietatis amplectens. Dum verò adhuc ibidem ita staret, & pitantia illa cælesti mentem abundè reficeret, necdum finita Missa, sopor Domini irruit super eum tenuis quidem, sed diuina gratia suauis. Statim namque præsentiam suam dignanter exhibuit dormienti, qui supradictam iucunditatem infuderat vigilanti, Dominus Iesus Christus, cum dilecto sibi Apostolo Ioanne, alloquens eundem Apostolum, audiente fratre, & dicens. Hanc ego reuelationem dudum tibi ostendi, non propter te solummodo, cui iam de mea virtute, & dilectione certa cognitio, certáque fiducia inerat; sed maximè propter cæteros, qui me similiter diligunt; vt & ipsi gloriam meam agnoscentes fiduciam habeant in me. In his dictis, & verbis euigilans frater ille, repletus est gaudio magno, tum propter indultam sibi gratiam Dominicæ visitationis, & consolationis; tum etiam propter ipsius Domini attestationem de veritate Apocalypsis: pro eo maximè, quod dolens audierat, quosdam hæreticos eidem sancto libro detraxisse, dicentes, eum à B. Ioanne Apostolo scriptum non esse.*

f Apoc. 5.

Euolutis autem postea diebus circiter quindecim, 10.
cum supradictus frater, pro peccatis suis valde sollicitus, faciem Domini in confessione, & quotidiana cordis contritione præuenire curaret; astitit ei per visum Dominus Iesus Christus, cum eodem Apostolo suo Ioanne, qui etiam, ipso fratre audiente, prior sic locutus est. Si quis voluerit perfectam indulgentiam à Domino consequi, oportet eum peccata sua instanter flendo, ac pœnitendo punire. Respondens autem Dominus ait: Quicumque voluerit ad me peruenire, oportet eum hoc ipsum ardenter desiderare. Postmodum autem die natalis eiusdem S. Ioannis, vidit in visione Dominum Iesum Christum, cum gloriosa matre sua, quasi quoddam palatium magnum intrare, in quo dicebat esse paradisum. Ipsis verò ingressis, ianua mansit aperta. Cúmque miraretur, & secum cogitaret, quare porta eadem minimè clauderetur, dictum est ei. Hæc est ianua vitæ, quæ, ingresso per eam Domino cum sua matre non claudetur; sed cunctis fidelibus vsque in diem iudicij patebit. Quo ille audito, gratulans, & exultans ait intra se. Ergo & mihi patet aditus paradisi. Ingrediar ergo in locum tabernaculi admirabilis, vsque ad domum Dei. Quo cum introire cœpisset, protinus excepit eum venerabilis iucunditas quædam, atque suauitas, quæ cunctos sensus ipsius penetrans, & replens, nihil aliud cupere, nihil aliud cogitare sinebat, nisi memorari misericordiæ eius, & iustitiæ Dei solius In hac ergo mira suauitatis dulcedine euigilãs, adhuc in deliciis paradisi Dei se esse putabat. Sed continuò corruptibilis vitæ motibus, & sensibus vallatum se sentiens, tantam felicitatem nondum ad fruendum sibi collatam, sed ad excitandum in se cæleste desiderium, &

gustum

gustum tenuiter prærogatam esse cognouit. His & huiusmodi reuelationibus frater ille, de lecto desidiæ, torporisque ac negligentiæ excussus, & ardore diuinæ charitatis vehementer inflammatus, tanquam Issachar
g Gen.49. *asinus fortis* g *supposuit humerum ad portandum indeclinabiliter onus pœnitentiæ, vt requiem, quam viderat, adipisci mereretur.* Hæc de Monachis Sanctis dicta sint, qui per hoc tempus florebant in Claraualle.

II. Cæterum illis addendum etiam arbitror Beatæ memoriæ venerabilem Robertum, inde transmissum ad Fontem Mauriniacum, de cuius Sancta in Christo dormitione post Sanctam item vitam, hæc
h li.4 c.31. in eodem Exordio scripta lego [h]. *In domo Fontis Mauriniaci Conuersus quidam degebat, nomine Robertus, qui illuc à Claraualle transmissus, religionis, & disciplinæ, quam in Claraualle didicerat, nequaquam immemor erat, sed & virtutis, & deuotionis exempla fratribus eiusdem loci in omni conuersatione sua dabat. Inter cætera verò pietatis studia, quæ Domino sedulus offerebat, hoc præcipuum habebat, quod Beatissimæ Dei Genitricis, & Virginis Mariæ seruitio deuotus insistebat: specialis quoque patroni sui Beati Bernardi memoriam, frequenti, & dulci meditatione ruminabat. Cursu denique præsentis vitæ fœliciter peracto, saluationis suæ certitudinem, diem quoque mortis suæ, tali visione prognostica præuidere meruit. Ante quintum diem dormitionis suæ, vidit in visione Dominum Iesum Christum, & Beatissimam Dei genitricem, cum Sancto Bernardo Abbate stantes in quodam horto deliciarum. Cuius amœnitatis, & gloria tanta erat immensitas, vt humana locutione explicari non valeat. Ipse verò frater, qui hoc videbat, stabat seorsum, & respectum diuinæ miserationis suppliciter flagitabat. Tunc piissima Mater ait ad filium suum: Domine fili, quid facturus es de isto paupere tuo? & Dominus ad eam. Quidquid tibi placuerit Mater. Respondit illa pauperum susceptrix, & humilium consolatrix. Volo igitur, vt mittas eum in requiem tuam. Dixit autem Dominus ad eam. Fiat ei, sicut vis. Respondit ei Beatissima Virgo. Et quandiu fiet istud? Ait ei Dominus. Quinta die veniet, vt saluetur. Transacta igitur visione, frater ille, quod viderat, & audierat, cæteris indicauit; & omnes attonitos, & ad prædictum diem suspensos reddidit. Vt autem certitudo reuelationis probaretur, ingrauescente ægritudine, qua premebatur, quinta die, iuxta sermonem Domini, migrauit à corpore, & in requiem, & in pacem, quæ exuperat omnem sensum, assumptus est; quam ei Beatissima Dei Genitrix, suis piissimis precibus obtinere dignata est.* Hactenus concernentia Claramuallem.

---

1. *Monasterium in Insulis Arearum à Paganis vastatum, abductis Monachis.* 2. *Et ratio temporis deducta ex Bullis Pontificis.* 3. *Insignes obitus trium Episcoporum, Henrici Trecensis.* 4. *Bernardi Nannetensis.* 5. *& Conradi,* 6. *Lubecæ restituti.* 7. *Vvimundi conuersatio in Bella-Landa.* 8. *Gundisalui Hermiguez conuersio, in Alcobacia.* 9. *Martinus translationem Hortæ confirmat.* 10. *Burgis Comitiis Regiis assistit, nec vacuus redit.* 11. *Calatrauensium victoria, & incrementa.*

CAPUT V.

1. HOc eodem anno quantum ex litteris Innocentij Papæ Tertij licet conijcere, Cisterciensis instituti Cœnobium, à Paganis obsessum, vastatúmque & Monachos captiuos abductos lego. Cætera obduxit nebula, & caligo: nam neque Monachos, aut eorum Abbatem, nec Monasteriũ nouimus: nisi quòd nomen, ab Insulis Arearum; periculum, ex mari sibi fecit quod coronabat. Inde emergentes hostes cuncta diripere, neq; vtensilibus neque vasis sacris parcere, armenta abducere; conuersos, Monachos in vincula conijcere potuerunt, impunè, antequam à vicinis persentiretur. Sed neque cessit nostris deserta domus; non possessiones, agrique confines, & si quæ alia nequierunt asportari; translatis illuc Regularibus Canonicis, dubium qua authoritate, qui nil prorsus residuum non occuparunt. Extant de his Innocentij III. litteræ, post triginta annos datæ, ad Massiliensem, Agathensémq; Episcopos, in quibus hæc inter alia
a ex Regestis ann.1. commemorantur. [a] *Cum dilectus Abbas de Floreia nuper ad nostram præsentiam accessisset, nobis exposuit diligenter, & hoc ipsum Abbatis Insularum, & aliorum quorundam litteræ continebant; quod in Insulis Arearum fratres Cistercienses quondam fuerant commorati. Sed eis in Paganorum captiuitatem deductis, quoniam locus mari erat vicinus, illuc se quidam regulares Canonici transtulerunt, &c.* Hactenus litteræ Innocentij Papæ tertij.

2. Ex quibus ratio temporis colligitur, datis nimirum anno primo Pontificatus ipsius, qui incidit in annum Christi Domini M. C. XCIX. A quo si triginta demas, plus minúsve, quibus prædicta domus Cistercio vacua, à Canonicis inhabitata perhibetur in eisdem ipsis litteris; perueníes ad hunc M. C. LXIX. in quo & Monachi captiui abducti fuerint, & abductis Canonicis successerint; concedentibus nostris, seu cedentibus, & cuncta perdere malentibus ex more, quàm litigare. Quid de captiuis actum ignotum nobis; & credibile martyrij palmam adeptos, præuentos morte, aut oppressos seruitute. De domo constat, post triginta annos repetitam, obtentamque; quamuis non sine ingenti contradictione: de qua in Iure in cap. *cùm dilectus.* De his, quæ vi, metúsve causa fiunt. Verùm hæc nobis suo loco dicenda erunt.

Hunc ipsum annum illustrem reddidere tres insignes Episcopi, de suis sedibus ad Cœlestes translati, vt piè credimus. Henricus Trecẽsis, Bernardus Nannetensis, & Conradus Lubecensis; de quibus singulis pauca dicenda erunt. Et quidem Henricũ obiisse hoc anno, habemus ex Cathalogo Episcoporum Tricasiensium, siue Trecensium, [b] cùm sedisset annis viginti tribus. Quippe electum anno M. C. XL VI. vt suo loco notauimus. Adscripsit virum suo Menologio Chrysostomus Henriquez in prætermissis, ad diem Martij vndecimum. Vbi, & egisse legatum Regis Franciæ, apud Imperatorem, & cum Burchardo Argentinensi Episcopo dedicasse Cœnobium Noui castri summatim recenset. Sepultus est in Monasterio Bullencuriæ Ordinis Cisterciensis, ne vel mortuus ab his diuideretur, quorum, dum vixit, consortium impetrauit. 3.
b apud Ioan. Chenu.

Bernardus sequitur, ex Bernardi patris filiis (vt Henricus Ottonis) quem Nannetensis Ecclesiæ

superpositum viuente Sancto, post vigesimum secundum annum ab electione, matura tandem mors cœlo restituit. De eo breuiter Cathalogus Episcoporum Nannetensium. *Bernardus anno M. C. XLVII.* (nempe electus) *Episcopus, antea Monachus Claraeuallensis, obiit anno M. C. LXIX.* Hunc item virum inseruit Menologio Chrysostomus Henriquez, ad vigesimum secundum diem mensis Martij, & Seguinus Cathalogo Sanctorum, ex quibus alij. Certè quos Monachos Ecclesiæ Claræuallis infulæ decorarunt, Bernardo adhuc viuente; eximia sanctitate claros omnes agnoscunt: & Bernardus ex illis etiam est, quos Carnotensis Arnaldus[c], Alanúsq;[d], vel inter illustriores cõmemorarũt.

c lib. 2. c. 8.
d in Epitome.

5. De Conrado Episcopo Lubecæ cõstat ex Krantzio, rediisse in gratiam Henrici Ducis, Friderici interuentu; atque ea media restitutum suæ Ecclesiæ: sub eo tamen pacto, & conditione. *Vt sopita priori obstinatione*(sic Krantzius loquitur[e]) *Ducem recognosceret feudi authorem.* Hæc in Saxonia. Nec dissimilia in Vualia[f]. *Conradus quoque Lubecensis redire permittitur*(scilicet ad Ecclesiam suam) *facto prius hominio Duci, quod antea recusabat.* Hęc ego de regalibus, & merè sæcularibus, si quæ fortè Lubecensi Ecclesiæ suberant, intelligenda puto; de quibus Alexander Summus Pontifex consultus, licitè fieri homarium respondisset. Aliàs frustra adiisset Conradus Galliam, reconciliandus Ecclesiæ, atque Pontifici; à quibus statim foret discessurus. Vtcunque fuerit, quod reliquum vitæ habuit, muneri suo implendo consecrauit, in virum alterum mutatus, vt ait Krantzius[g]. *Didicit enim ex his, quæ ipse passus est, compati fratribus suis; & de cætero pronior fuit in humanitatis officia. Clerum defensauit à circumuentione potentium, præcipuè verò Henrici Comitis Turingi, tunc Holsatiam gubernantis; qui sacra, prosanáque miscuit, more militari.* Hæc de vita Conradi, moribúsque, postquam ad sedem suam fuit restitutus. Verum de morte, quæ grauiora suppetunt, ex eodem Authore, accipiat lector[h].

e lib. 6. cap. 25.
f lib. 5. c. 11.
g lib. 6. Saxo. cap. 25.
h cap. 29.

6. *Quo tempore Henricus Dux Leo, instituta, deuotionis gratia, longa in terram Sanctam peregrinatione, res primum diligentiùs composuit in omni suo principatu. Pribislaus Vuandalorum Princeps, ex hoste, Duci factus amicissimus, operas pollicitus est in gente sua, vt illas in fide contineret. Ergo omnibus ex sententia constitutis, adorare decreuit in loco, vbi steterunt pedes Domini. Saxoniam maximè Vuichmanno Archiepiscopo Magdeburgensi permisit commendatam: quem, in bello aduersum se suscepto, talem comprobauit, vt reddita tranquillitate, fidem illi in reliquum semper maximam haberet. Assumpsit autem itineris sacri Comites Conradum Episcopum Lubecensem, Henricum Abbatem de Brusvvico, eiusdem Conradi in Episcopatu successorem*, &c. Hactenus Krantzius: qui fusè satis in sequentibus prosequitur longi itineris labores, atque pericula: quin & victorias partas ab infidelibus. Cæterùm quod ad Conradum nostrum attinet, hæc subdit[i]. *Conradus interim Episcopus Lubecensis cœpit corpore tabescere, Bertoldus non minùs, Abbas Luneburgensis, lassessere. Dux Antiochiam inuisere cupiens, iussit illos interea refici Hierosolymis: ipse abiens deducitur militia Templariorum, & fratrum hospitaliorum. Episcopus relinqui se non passus nauigio insequitur Ducem præeuntem: sed in mari aucta, vt solet, ægritudine, cum Tyro appropinquaret, spiritum efflauit: ibique, opera Guncelini Comitis, honorificè tumulatur.* Hæc ibi Krantzius nec dissimilia li. 6. Metropolis; vbi & aliud pietatis eius monumentum posteris tradit, *Iste*, ait[k], *Conradus Ecclesiam Beati Petri in Lubeke, cum offertorio, & emolumentis, perpetuo concessit fratribus. Profectus in terram sanctam cum Duce Henrico, in ciuitate Tzurs (quæ aliàs Tyrus dicitur) spiritum Deo reddidit, sedit annos sex.* Hęc ibi Krãtzius. Porrò ex numero annorũ, quibus præfuit, annus mortis colligitur, quippè electus anno M. C. LXIII. nõ aliter sex annis præfuisse potuit, nisi. M. C. LXIX. vitã finierit. Verum est tamen, quod idem Albertus Krantzius in Saxonia, tardius obiisse videtur insinuare: sed id aliis relinquo discutiendum.

i cap. 32.
k cap. 43.

Per idem tempus agebat Bella-landæ, insigni domo de filiabus Sabigniaci, Vvimundus Episcopus, quem ex Furnesij Monacho assumptum, inde, vt tyrannum magis, quam vt Episcopum, inuadentem prouinciam, ac in Dauid Regem Scotiæ rebellantem, tandem comprehensum à comprouincialibus, atque vtroque lumine orbatum, superius diximus. Coniector autem durasse vsque ad hæc tempora; quod Guillelmus Neubricensis, qui anno primo Regni Regis Stephani, hoc est, Christi M. C. XXXV. natus legitur, & circa annum M. CC. scripsisse cõstat; sæpius sibi visum testatur in Bellalanda; nec puero, sed iam in ea ætate, in qua res eius gestas præscrutaretur[l]. *Quem ego*, inquit, *postmodum apud Bella landam nostram sæpius vidi, actúsque eius insolentissimos, cum dignissimo didici.* Porrò hominem ex consortio sanctorum sanctum, iustúmque; ac velut subitò mutatum in virum alterum, videor mihi ex eisdẽ verbis colligere. Si tamẽ pronomen illud *cum dignissimo* ad Vvimundum referendum sit, vt apparet. Certè in quiete peregisse reliquã vitam, iã ex ipso superiùs obseruauimus. Neque acribus ingeniis mediocre aliquid: sed summũ semper, aut malum, aut bonũ placet. Et præueniente gratia potuit ex Saulo, in Paulum transiisse. 7.

l lib. 1. c. 24.

Hoc ipso anno Regiam Alcobatiæ domum in Lusitania, Gundisaluus Hermiguez, cognomento *Traga Moros*, quasi Mauros deuorans (ea erat viro in armis strenuitas, ea in bello fœlicitas) Monasticem post militiam, professus, nobilitauit. Vir æquè instructus pacis, ac belli artibus, clarus genere, & opibus; ac Regi Alfonso charus, vel inter primos. Hic in expugnatione Castri salis, vulgò *Alcaçar da sal*, cum multa præda ditaret cæteros duces, sed multo maior ipsum præstolaretur, quippe qui meritis omnes anteiret: Virgine Sarracena contentus nomine Fatima, quam ętas, forma, genus, & quę his omnibus longè potentior est, occulta vis Astrorũ, conciliabant: in seruam primùm, quandiu sine fide; sed mox fonte Baptismatis ablutam, atque Orianam dictam, in dominam acciuerat; ac sibi in matrimonium copulauerat. Insita ex tunc vtrique alterius charitas, dum Gundisaluus beneficium, quod fecit, fouet: Oriana, quod accepit, quã potest, reddit. Haud vllos coniuges Lusitania vidit illis temporibus, quos mutui amoris nexus arctius iungeret; vincula sacra dulciùs innodarent. Sed inuidit Fortuna felici sorti, & quò gratiori, celerius transituræ. Oriana immatura morte rapta, diuisus thorus: & Gundisaluus testes, non tam vitæ, quam dolori relictus fuit, neque distulit mortem, sed protraxit. Dum ergo amissam meliorem sui partem deplorat anxius; aspernatus terrenas, quas tempus, & occasio plerumque parant, etiam in magnis malis, consolationes; ad cœlestes cõfugit; & qui non potuit sibi, sæculo mortuus, ac libitina indutus adhuc viuens; Monachũ agere decreuit in Alcobacia, nõ sine Regis, & Regni admiratione. Itaque se, & maiori ex parte, sua Cistercio tradidit. Inter quæ locus 8.

ad

ad Ourenum Castrum habitationi Monasticæ idoneum, nec destitutum agris, pascuísque, ex quorum fructibus fratres sustentarentur. Hæc ex Bernardo Brito Lusitano. Qualiter autem post biennium illuc transmissus cum aliis Monachis, Beatæ Virgini Cœnobium dedicauerit, *Dos Tomeraes* dictum, Alcobatiæ honore illustratum per quatuor sæcula, nūc annexū collegio Conimbricēsi, suppofita in eo Abbatiali dignitate, suo tēpore ex more referemus.

9. Dum hæc in Lusitania peraguntur in Castella Martinus Hortensis Abbas, quem ante quinque annos promotum diximus, crescens prudentia, ætate, gratiáque, apud Deum, & homines, per omnes fines Regni prædicabatur. Charus præcipuè Alphonso Castellæ Principi, à quo hoc anno, & trāslationis ab antecessore Blasio factæ confirmationem, ne Regium locum sine Regio assensu deseruisse aliquando videri possent; & noua alia obtinuit priuilegia, donationésque, quæ hodie etiam Cœnobio perseuerant. Extat diploma de confirmatione translationis, déque amplissima, tam pecorū, quàm rerum Cœnobium concernentium immunitate; in quo post enumeratas possessiones, atq; sub Regia potestate susceptas, ista subduntur. *Insuper mutationem Abbatia, quam fecistis de Cantauos in Hortam, concedimus, & confirmamus. Praterea pro remedio anima mea, & parentum meorum, in toto Regno nostro, omni ganato vestro pascua libera, & absoluta concedimus. Ita vt nulli concilio, vel alicui homini herbaticum detis. Adiicimus praterea, vt pro rebus vestris in toto Regno nostro nulli Portaticum persoluatis*, &c. *Facta charta Zorita in mense Martio, Æra M.CC.VII.* Hæc mense Martio Alfonsus Martino dedit.

10. At procedente anno, mense Nouembri, cum prælatorum, & procerum conuentum teneret Burgis, ad quem idem Martinus, pro ea, quā pollebat authoritate, vocatus esset: Adiecit & ingentem possessionem, iuxta Metinam cœli, quam priuilegio expedito roborauit. Cuius hæc verba.

QVoniam inter catera pietatis opera, nihil est, quod tantum deceat Regiam maiestatem, quantum Ecclesiam Dei diligere, honestos viros amare, & piis, ac religiosis locis grata suffragia, verbo, & opere conferre: idcircò ego Aldefonsus Dei gratia Rex, dono, & concedo Deo, & Monasterio de Horta, & vobis Domno Martino, eiusdem Monasterij Abbati, & Ordini Cisterciensi, & fratribus ibidem Deo seruientibus, tàm prasentibus, quàm futuris, pro animabus aui, & patris mei, necnon & parentum meorum, pro salute etiam anima mea hareditatem illam iuxta Metinam cœli, qua Esteuiella vocatur, cum omnibus terminis suis, videlicet, cum terris, vineis, pratis, pascuis, riuis, molendinis, cum cultis, & incultis, cum ingressibus, & egressibus, iure hareditario habere in perpetuum. Dono, inquam, vobis, & concedo, prafatam hareditatem, cum cunctis sibi pertinentibus, vt deinceps eam liberam, & quietam habeatis, & tempore perpetuo possideatis. Et de ea ad vestri Ordinis vtilitatem quicquid vobis placuerit, absolutè faciatis, donando, vendendo, impignorando, vel concambiando. Iubeo igitur, vt hac mea eleemosyna semper stabilis permaneat, & rata, &c. Facta apud Burgos Æra. M. CC.VII. XIV. Kalendarum Decembris. Tunc temporis, quando Serenissimus Rex Alfonsus inibi curias tenuit. Hactenus Alfonsus. Qui vocatum ad Curiam B. Vitum nequaquam vacuum ad Hortam redire voluit. Vtrumque priuilegium confirmatum post annos septē, in scriniis Hortensibus inuenio. Qualiter autem idem illustris Rex circa annum Christi M. C. LXXXIV. cum eodem Abbate, eiusdem sacræ domus, insignem fabricam, non solùm propriis sumptibus, sed propriis manibus etiam inchoauit; suo tempore, Deo dante dicturi sumus.

Quod attinet ad militias Cistercienses, illud etiam relatu dignum inuenio, Calatrauenses, Zorita oppido capto, in Regno Toletano, donatos arce, ex qua se Sarracenis murum opponerent. Insuper irruptione in hostes facta, ac multa præda, captiuísque abductis, prouocasse inertes, intra terminos proprios concludendos. Nec iam se continebant Castellæ finibus; ab Alfonso Aragonum Rege vocati, aduersus Agarenos Regni Valentiæ. Et missus legitur Martinus de Siones illustris miles, & Calatrauæ, vt vocabant, commendatarius; Qui Ferdinandi Scazæ tunc Magistri, virtutem æquè, ac locum repræsentans, ingentem Regi victoriam comparauit. Duodecim ex conflictu illo oppida, pulsis Sarracenis, accessere Christianis; ex quibus pleraque donata Calatrauensibus, vsque nunc sub eorum dominio perseuerant. Hæc sub Magistro Ferdinando Scaza, quæ Rades pluribus, nobis sufficiat ad compendium redegisse. 11.

---

1. Consecratur Ecclesia Sancti Ioannis in Lusitania, 2. & Sancti Benedicti de Castres Cœnobium surgit, 3. Sub Abbate Alcobacia. 4. Tum in Castella, antiquius de Faiola Cistercio traditur: 5. Donatio loci; 6. & nouo alio obtento à fundatoribus, 7. translatum ad Cagnas; 8. atque ibidem fundatrix, 9. sacrata Christo, 10. insignes Abbatissa eiusdem domus. 11. Priuilegia, & sepulchra. 12. Ac donatio Monasterij Montis salutis.

CAPVT VI.

1. INTER hæc Sancti Ioannis de Tarouca, quæ prima nostris domus in Lusitania, consecranda Ecclesia congregauit primores totius Regni, nimirum Archipræsulem, atque Episcopos Portugalensem, Lamacensem, Vissensémque, consecraturos: Regem, & Proceres, assuturos solennitati. Non alia dies celebrior illo æuo, inuidente quodammodo Alfonso, quod magnum Alcobaciæ templum, quod moliebatur, nondum posset gaudere simili gloria. Incisa lapidi consecratorum nomina, & præ foribus posita; præfixis, anno, & die vt tanti festi memoria permaneret.

ÆRA. M. CC. VII. XV. KALENDAS IVNII DEDICATA FVIT ECCLESIA ISTA PER MANVS IOANNIS BRACHARENSIS ARCHIEPISCOPI, ET PETRI TERTII PORTVGALENSIS: ET MEMENDI LAMACENSIS, ET GVNDISALVI VISSENSIS EPISCOPORVM.

a lib. 2. c. 7. Ita Bernardus Brito [a] Lusitanus, qui titulum transcripsit, atque vulgauit. Cæterùm non consecratores solum, sed Regem etiam, ac filium eius Sanctium, cum Proceribus Regni affuisse celebritati, produnt aliæ memoriæ eiusdem domus, quas idem Author [b] adducit, sub his verbis. b Vbi suprà.

HI SVNT PRINCIPES, QVIBVS SIT SANCTA REQVIES, QVI PRÆSENTES FVERVNT IN CONSECRATIONE NOSTRÆ ECCLESIÆ. REX D. ALDEFONSVS, FVNDATOR HVIVS LOCI, FILIVS EIVS REX SANCTIVS, VRRACA VIDVA COMITISA ILLVSTRIS, MENENDVS GARSIAS GALLECVS, LAVRENTIVS VANEGAS DOMINVS DE BRITIANDE DOMINA TARASIA ALFONSI VIDVA. ET HOS OMNES DEVS SERVET IN GLORIA SVA QVIA DITAVERVNT DONARIIS ECCLESIAM NOSTRAM IN ÆRA. M. CC. VII.

Hactenus ibi.

2. Hoc ipso anno in eodē Regno surrexit Virginū Monasterium, in Lusitania primū sub Cisterciensibus, non longè ab Ebora, sub S. Patris Benedicti inuocatione. Secesserunt Matronæ quædā nobiles in locum de *Castra* (sic Lusitani vocant) nulli Regulæ addictæ; sed sibi solis, & Deo vacaturæ. Et creuerāt accessione aliarum superuenientium in numerum maiorem, quàm pro exlegibus. Visum Diœcesano periculosum; & delatum ad Regem, coram Præsulibus Regni principalioribus: præualebat sententia, vt, dissoluto cœtu, singulæ ad proprias domos reuerterentur. Non quia sinistra aliqua suspicio earū opinionem obnubilaret: sed quia quantumuis feruens tunc spiritus, tempori obnoxius, dein etiam errori, quem præcauere consultiùs, quàm expectare. Vnus Martinus Alcobatiæ Abbas fuit, qui Cōuentum mulierum sanctarum, contra instantia pericula, muniendum potiùs censuit quàm dissociandum. Quas, si velint alicui regulæ adhærere, confirmandas in bono, atque ea donandas, quam prælegerint. Placuit eius sententia Regi, & Episcopis. Atque ipse ab omnibus designatus est, qui Vrracam Ximenez (id nomen antiquiori;) qui socias examinaret. Neque abnuerunt subire iugum legis, quibus lex meritum, non onus superaddebat. Quippè nihil ab eis omittebatur, quod conduceret ad puritatem vitæ, & perfectionem posset promouere.

3. Electa cunctis S. Patris regula, quem patronum habebant. Nam habitacula sibi præparauerant iuxta antiquum sacellum, sub S. Benedicti inuocatione. Huic additæ obseruantiæ Cistercienses, siue quòd perfectiores crederentur, siue quòd magis ad mentem Magistri Sancti: & quia Martinus Abbas Alcobatiæ negotio præfuit, elegerunt Prælatum, cuius per omnia paternali Curæ, atque visitationi subiicerentur, & gratulatus est Alfonsus Rex, cum domum, quam præ aliis diligebat, creuisse in matrem vidit; atque prælatam aliis antiquioribus. Prima Abbatissa, quæ antea pro matre cunctis, Vrraca Ximenia, Monasterium egregiè administrauit. Hæc pluribus, qui supra Bernardus Brito in Chronico Cistercij, vbi plures pietate eximias refert, quæ ex eo Cœnobio ad cælum transuolarunt. Sed inter alias Ioannam Ferreiram [c], circa annum Christi M.CCC. LXXXIII. à Lusitanis quibusdam satellitibus atrociter occisam, quod eos de flagitiis perpetratis aduersùs Castellanos reprehendisset. Sed de his latiùs in tempore dicemus.

c lib. 1. c. 32. & 33.

4. Quo tempore Castrense Monasterium in Lusitania (vt Monialium hoc anno anteponamus virorum fundationibus) eodem in Castella nostris accessit aliud, à loco dictum *de Fayola*, ex laxiori obseruantia Sanctæ Regulæ, in iura, & leges Cistercij pertransiuit. Fundatores habebat Cantabriæ Dominos (quæ hodie ditio accreuit Hispaniæ Regibus) Lupum Diaz de Haro, Aldonciamque Ferdinandi Rucij Castri filiam, ex prima totius Hispaniæ nobilitate. Hi cum vltra Cantabriam, in Riuogia latè dominaretur; nec pietate inferiores, quam potentia, condidissent Cœnobium Sacris Virginibus, quarum se precibus Deo commendarent; seu vltro cunctas ad altiora tendentes cernerent; seu ipsi consulerent, Cistercium eis, rarum adhuc in fœminis in partibus Hispaniæ, sed vbique verendum, & venerandum; ac Tulebrenses non longè inde distantes proposuere in exemplum, quibus se possent per omnia conformare. Placuit consilium mentibus accensis Diuini amoris flamma, & nihil iam pro Christo recusaturis. Ascitisque, per quas edocerentur noui instituti ritus, nouo se voto Deo consecrauere. Tum verò Lupus Comes, Aldonciáque, necnon & ipsi in ea mutatione, quam dexteræ Excelsi non dubitabant, aliquid facerent; locum ipsum, Monasteriúmque, & terminos eius, præcario ante possessa, donatione firmarunt, expedito instrumento donationis Ordini Cisterciensi, atq; Monialibus ad eius normam ibidem permansuris. Porrò instrumentum ipsum, quod hodiéque in Archiuiis domus legitur, hæc habet.

Ego Comes Lupus, & vxor mea Domna Aldoncia Comitissa, quorum hac hæreditas pertinet, sub nomine, & honore Domini nostri Iesu Christi, cuius Regnum, & Imperium permanet in æternum, facimus chartam donationis, Deo, & Ordini de Cistellis, ibique sororibus seruientibus, & omnibus successoribus earum ad illud Monasterium Sanctæ Mariæ de Faiola *ab integro, cum omnibus terminis suis, & cum illa villa suprascripta, cum solaribus, terris, vineis, pascuis, montibus, riuis, molendinis, atque cum omni exitu, & regressu. Damus itaque, & concedimus, vt adsignatum est, vt hæreditario iure illud Monasterium, scilicet, Sanctæ Mariæ de* Faiola *habeatis, & in perpetuum possideatis. Si quis autem ex nostris, & de extraneis temerario ausu, vel diabolico exagitatus instinctu, hanc chartam, & hanc donationem à nobis vobis factam, & in concilio legitimè roboratam, frangere, vel disturbare, aut inquietare voluerit, sit maledictus, & excommunicatus, & cum Iuda traditore in inferno perpetualiter damnatus, & insuper centum libras auri purissimi Regi terræ persoluere cogatur, necnon & illud Monasterium duplatum vobis; vel vocem vestram pulsanti reddat. Facta charta huius donationis sub Æra. M.CC.VII. Regnante Rege Ildefonso, filio Regis Sanctij in Toleto, & in Estremadura, & in Burgos. Dominante sub ea Naiara Comes Lupus.* 5.

6. Prima Abbatissa loci dicta Anderquina; nec constat, an ipsa, quæ præsidebat ante admissum Cistercium, an vocata ex Tulebris? Sed ab hoc anno protraxisse vitam cum præfectura vsque ad M. C. XCIX. plura instrumenta, quæ extant, testificantur. Breuior multò fundatori vita fuit: quippe anno sequenti per mortem rapto: &, quod mireris, sine vlla iactura domus, quam multis intra

intra breue illud spatium possessionibus auxit: atque Aldoncia ante mortem adoptata, post mortem iam soluta coniugij vinculis; minora si viueret dedisset, quàm mortuus dedit. Aldoncia statim Monialis effecta est, seipsam, filiam præ cæteris dilectam, & cætera, quæ potuit, Cœnobio tradens; & extat instrumentum traditionis, quod statim dabo: si tamen prius à marito factam, dum adhuc viueret, oppidi de Cañas cum adiacentibus, in quod postmodum domus translata est, & à quo nomen sumpsit permansurum, ex eisdem Archiuiis transcriptum dedero. Est autem tale.

7. *EGo Comes Lupus, nullo cogente Imperio, nec suggedente ingenio, sed propria mea voluntate, dono, atque concedo, Deo & Sanctæ Mariæ de Faiola, ibique sororibus seruientibus, & omnibus successoribus earum, ipsam villam, quæ dicitur Cañas, cum quantum mihi pertinet, cum montibus, & Vallibus, cultis, incultis, cum fontibus, riuis, pratis, & defesis, cum introitu, exitu, iure hereditario per cũcta sæcula, amen. Similiter dono, & concedo eodem modo Deo, & Sanctæ Mariæ, & sororibus ibi seruientibus sicut superius scriptum est, Camelas cum illud, quod mihi pertinet, & sicut Rex Sancius dedit mihi, atque concessit, cum introitu, & exitu, cum riuis, & fontibus, populatis, & hermis, iure hereditario per cuncta sæcula, Amen. Facta charta sub Æra M. CC. VIII. mense Aprilis, in Octaua Pascha feria quinta*, &c.

8. Transferendo, an augendo tantum Cœnobio, donata oppida? incompertum hactenus constat, cum in Faiola Sanctimoniales, ab Oppidanis Calceatensis vrbis infestarentur; atque locus ad Cañas opportunior, pinguius solum, & minus patens extraneis inueniretur, ante tres menses translatas illuc sedes; & Abbatiã antea de Faiola, extunc de Cañas dictam; quod nomen perseuerat vsque ad hanc diem. Nec minus constat intra idem tempus defunctum Comitem, cum prius Aldonciam coniugem dum vixit, in mortem sibi in filiam adoptasset. Extat adhuc in eodem Cœnobio, inter alia instrumenta charta adoptionis verbis non inconcinnis, pro more sæculi. *Magnus, ait, est titulus prosiliationis, quem nulla humana vires possunt disrumpere. Idcirco ego Comes Lupus, pro mea propria, & spontanea voluntate, & de consilio bonorum hominum, facio vobis, vxor mea charissima, Comitissa Aldoncia, chartam prosiliationis*, &c. Ergo adoptata in filiam Aldoncia coniuge, ne quod amoris vinculum, ne qua ostensio mutuæ charitatis illis deesset; ex hac vita migrauit Comes Lupus, ad meliorem, quod piè credendum est pro pietate, quã potuit, transiturus. Tum verò Aldoncia & orfana, & vidua: ac quamuis iuuenis pulchra, generosa, prædiuesque à multis peteretur in matrimonium: post primum virum, quem simul patrem habuit, cæteros aspernata, soli se Deo censuit consecrandum. Itaque mense Iunio eiusdem anni, se, suaque, quæ potuit, Cœnobio tradidit: traditione firmata per instrumentum, quod hodiéque pietatem fœminæ exprimit. Sic autem habet.

9. *EGo Comitissa Dona Aldoncia veram, & indiuiduam fidem credens, Deo Patri Omnipotenti, & Iesu Christo filio eius, inspirante Spiritu sancto, omni deuotione mentis, & corporis, decreui ceruices meas subdere lenissimo Christi iugo, & pio affectũ ei obedire, vt ipse mihi posse dederit, qui sanguinem suum pro omnibus effudit, & à mortali nexu, originali peccato mundatos, Patri suo reddidit conseruandos. Trado namque me, & commendo, in Ecclesia Sanctæ Mariæ de Cañas, quam Comes Lupus maritus meus in proprio solo fundauit, & ibi Sanctimoniales, vt sub regula B. Benedicti viuerent, instituit; atque de hæreditatibus, & possessionibus suis in tantum eis contulit, vt gratia Spiritus sancti cooperante regulariter possint currere stadium huius vitæ, vt in futuro valeant brauium fœlicissimæ spei impetrare. Affero itaque & firmiter concedo ego Comitissa Domna Aldoncia adquisitiones, & comparationes omnium hereditatum, quas cum marito meo Comite Lupo acquisiui, & comparaui supradictæ Ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Cañas, atque omnibus Sanctimonialibus, ibi fideliter Deo seruientibus in perpetuum iure hereditario; & hoc feci consilio, & voluntate omnium filiorum meorum, & in hoc priuilegio inserere iubeo*, &c. *Facta charta huius donationis, & confirmationis, sub Æra Millesima, ducentesima, octaua, duodecimo Kalendas Iulij, Regnante Alfonso Rege, Filio Regis Sancij in Toleto, & in Extrematura, & in Castella, in Burgis, & in Naxera, & in Calagurra, sub eo Dominante in Nagera Petro Ruiz*. Hæc in Aldonciæ Comitissæ traditione. Ex quibus videas obiisse Lupum coniugem cuius vxor se Deo consecrabat, & in cuius tenemento, Nageræ vrbis, Petrus Ruicius successerat: tum Monasterium translatum ad Cañas oppidum, à quo cognominatur: omnia intra duos menses à facta eiusdem loci donatione.

Floruit Cœnobium sanctissimis Monialibus, sed præcipuè duabus Abbatissis, Armezana, & Vrraca; tertia, & quarta; clara vtraque sanguine progenita, sed clariori secunda, & filia fundatorum, quæ se cum matre ibidem consecrauit. Anderquinæ protrahenti præfecturam ad annum Christi M. C. XCIX. Toda successit huic tertio loco Armezana subrogatam anno M.CC.XII. quã per triduum annos gubernante, magna cum laude, atque ingenti opinione sanctitatis migrante ad superos, quæ quarto loco Vrraca suffecta est, tot, ac tanta operata ibidem legitur, tot ac tanta à Principibus adepta, vt secunda fundatrix habeatur, certè eius tempore fundata domus dicitur, superposita claustro Refectorij, quod ipsa cõsũmauit, inscriptione. 10.

ÆRA M. CC. LXXIV. AB INCARNATIONE DOMINI ANNO M. CC. XXXVI. ÆDIFICATVM EST HOC MONASTERIVM, IN HONOREM. S. MARIÆ DE CANAS, ET IPSO ANNO CAPTA FVIT CORDVBA.

Hæc superscriptio. Sed his omnibus longè maius est, quòd opinione pietatis, & sanctimoniæ venerabilis cunctis, Armezanæ, aut æqualis, aut superior, vel in ipso sepulchro hodiéque colitur, non sine fama patratorum miraculorum, de quibus aliquid in tempore dicemus. Vrracam, Constantia, & Constantiam Maria excepit, post quas altera Vrraca sequuta est antecedentis nepos, quæ ab anno M. CC. LXXXVI. vsque ad annum M. CC. LXXXVIII. magnitudine operum, temporis breuitatem compensauit. Sed de his suis locis, si quid occurret.

Obtinuit Monasterium multa à Regibus, multa à Cantabriæ Dominis; his promouentibus Maiorum suorum opus; illis, vt coniectantibus in proprium tandem dominium transiturum, quod euentus probauit duplici titulo: altero ipsius Cantabriæ ditionis, quæ Regibus cessit: altero, Monasterij, quod cum aliis, Regio Sanctæ Mariæ de las Huelgas, nondum constructo, vrbem prope 11.

Burgensem, manus dedit: quod quando, & qualiter executioni mandatum sit, suis, & loco, & tempore dicemus. Sed præter Reges, & Cantabriæ Dominos, Domini Camerorum Regum Nauarræ progenies illustris, multa eidem Cœnobio contulere, firmatis donationibus anno M. CC. XXI. & rursus M.CC.LVII.& item anno M. CCC. VIII. atque addita in quibusdam eorum clausula *pro remedio animæ meæ, & Patris, & Matris meæ; necnon, & parentum meorum Monasterio de Cañas, Calagurritana Diœcesis, ibidem requiescentium.* Ergo hi etiam proceres sepulti in eodem Cœnobio, sacello, in quo apparuisse B.Virginé, traditio est; quod hodie clausum, distinctúmque ab Ecclesia, solis patet Monialibus, reponendis in eo vestibus sacris. Hæc cursim de Cœnobij fundatione, primordiísque, nam reliqua in sequentibus dicemus.

12. Hoc ipso anno Monasterium Montis Salutis in Noua Castella, quod anno M. C. XLI. fundatum diximus; quam à Ioanne, Archidiacono Optensi, vulgò de *Huete*, donationem acceperat, Rex Alphonsus firmauit suo diplomate, expedito apud Concham, Nonas Maij, Æra M.CC.VII. *Dono* (inquit) *Deo, & Beatæ Mariæ de Monte salutis, & vobis Domno Fortunio Abbati, & fratribus eiusdem Monasterij, tam præsentibus, quàm futuris; sicut Ioannes Archidiaconus Opta donauit vobis.* Hoc primum priuilegium Montis-salutis; cum donatio Archidiaconi expedita fuisset ante biennium. Hinc multis dubitandi occasio sumpta, an prima illa fundatio Imperatoris (cuius nullum instrumentum extat, nulla firma probatio) sit admittenda: maximè cum Cœnobij locus, & termini contineantur in hac Ioannis donatione; & vix credendum donatos ab Archidiacono, si prius ab Impetatore donati essent. Vtcumque fuerit, Abbatem primum domus Fortunium, vsque ad hunc annum vixisse, compertum est ex ipsa Alphonsi Regis confirmatione. Sed neque vlterius vitam produxisse, constat ex quodam alio priuilegio sequentis anni, nempè M.C.LXX. Raymundo Abbati indulto, qui iam in locum Fortunij successisset. Plura sub huius Raymundi præfectura memoranda inferius; produxit enim vitam per plures annos.

---

1. Chronologia Ecclesiarum huius anni. 2. Dictum de Burio, 3. & de Monasterio Fulliensi, congregationéque, ab ipso exorta. 4. Initia Vallis-Viridis, 5. & noui loci donatio facta abs Rege. 6. Translatio domus, 7. atque alia eius notitia, 8. sepulchrúmque. 9. Iuncaria fundatio, 10. & priuilegium, 11. atque varia eius domus mutationes.

CAPVT VII.

1. VLTIMO loco, ex more, transcribenda Chronologia Ecclesiarum, & de singulis dicendum, si quid occurrerit; nisi quòd tamen inter eas tres Hispanæ (nam Palatiola superius à nobis dicta) vel properantes non nihil retardabunt. Sunt autem septem notatæ sequenti ordine.

Anno M.C.LXIX.IX.Kalend. Aprilis, fundata est Abbatia de Casale Gualonis.

Eodem anno, Kalendas Augusti, Abbatia de Burio.

Eodem anno, mense Octobri Abbatia Vallis Viridis aliàs de Benauides.

Eodem anno, mense Ianuarij Abbatia de Iuncaria.

Eodem anno, Abbatia de Sancti Ioannis.

Eodem anno, Abbatia de Fullant.

Eodem anno, Abbatia de Palatiolis. Hæc Chronologia. Porrò ex his septem Ecclesiis, quas recenset, quatuor facilè expediam: duas, quia dictas; Burium, & Palatiola: illud ante decennium sub Bouri nomine; ante biennium hoc, sub Sancti Andreæ de Valle-Benigna appellatione: de Casale-Gualonis, & S.Ioanne, quia parum nobis notas: Nisi quod tamen vtramque reperimus in linea Morimundi; priorem Coronati filiam, posteriorem, Belli-montis: vtramque tamen sine certa diœcesi, aut pleniori notitia, quam proferamus. Palatiola repetenda nobis erunt, cum ad eum locum Conuentus transferatur.

2. Burium domus est in Lusitania, Diœcesis Bracharensis, tertio lapide ab ipsa vrbe Metropoli, quam olim primum Cluniacenses Monachos, mox Eremitas incoluisse commemorauimus. Sita olim in summitate montis de Xerez, in qua hodie perseuerat Eremitorium, cum imagine Virginis antiqua, quæ ab initio Cœnobium illustrauit. Conuentus nunc infra eiusdem iacet montis radices in fertili planitie, quæ nullis fermè indigeat extraneis fructibus. Reliqua ex Brandaonio [a], & Brito supra tradita: vbi & Monachos, ex Alcobacia missos, cæteris instruendis; & Burium Latinè, idem, quod Bourum, instrumento producto comprobauimus. Memoratur Cœnobium sub eo nomine in litteris Innocentij Papæ III. *Portugalensi, & Lamecensi Episcopis, & Abbati de Burio Cisterciensis Ordinis datis Laterani XII. Kalendas Augusti, Pontificatus ipsius anno II.* a lib.11.c.2.

3. Fulliense Monasterium, seu Fullientinum in Diœcesi Tolosana Crista produxit; illustraturum lineam Morimundi, cui nimirum speciali prærogatiua, vt aliis Monasteria, ita Monasteriorũ Congregationes destinabantur. De militaribus multa in superioribus, sed, Deo dante, plura infrà dicemus. De Monasticis illud nobis constat, quæ duo hoc anno Cœnobia commemorantur, Fullant, & Palatiola; alterum in Hispania, in Gallia alterum, destinata diuinitus in capita duarum Congregationum; per quas collapsa Cistercij disciplina, commendatum abusu, reformaretur. Nam Palatiola electa iam ab olim in sedem propriam, Generalis Reformatoris obseruantiæ Hispanæ, quamuis ipsa aliunde initium sumpserit. Fullant reformationi initiũ dedit, quæ primitiuum Cistercium penè exinanitum, hoc nostro æuo ad vitã reuocauit. Claudius Robertus hæc pauca de Cœnobio, & de congregatione orta ab ipso, vbi & recentẽ mutationem Diœcesis notat. *Fulliense* (Monasterium) *Ordinis Cisterciensis, Diœcesis olim Tolosanæ, nunc Riuensis, fundatur sexto Idus Iulij, M. C. LXIX. quod ad primæuum Sancti Benedicti, & Sancti Bernardi, institutum Ioannes Barrerius reduxit: qui Romæ obiit anno M. D C. ætatis suæ LVI. XXI. die mensis*

mensis Aprilis, non sine opinione sanctitatis. Sepultus in Sancto Bernardo; ad Termas Diocletianas. Vnde orta congregatio celebris tam Monachorum, quàm Monialium, quæ variis in locis fulget. Hactenus Claudius. Nec plura nos ante tempus, pro instituto. Cæterùm quod ad Monasterium attinet à Siluestro Maurolico in suo omnium Religionum Oceano notatum lego, [b] Dictum Fulliense, quasi foliensem, à foliis arborum, quibus impressa imago Beatæ Virginis, Cœnobium illustrantis, quæ hodiéque miraculis gloriosa, ibidem frequentatur, colitúrque, non sine frequentantium consolatione.

b Fol. 133. &c.

4. Supersunt duo Hispana Monasteria, alterum in Castella, in Gallecia alterum: sed vtrúque ex Gallecia propagatum, quippe alterũ Superadum protulit, alterum Mons-rami; vtrumque auctorum lineam Claræuallis. Vallem-viridem in Palentina Diœcesi, non longè ab oppido, quod Boadilla dicitur; incertum, quo authore; Alfonsus Rex donauit nouo loco, dicto *de Bene viuas*, in quem non multò pòst, translata domus, atque inde appellata de *Benauides*, corrupto vocabulo, quod hodie etiã Cœnobio perseuerat. Monachos ex Superado venisse constat, tam ex tabulis cunctis, quàm ex ipso instrumento donationis, quod mox adducam. Porrò primum Abbatem Bernardum dictum, cuius authoritati Rex detulerit, tum locum donans, tum firmans priuilegio, quod post decennium authenticè expeditum prædicta omnia pandit, sub his verbis.

5. *IN Dei nomine Amen. Ego Aldefonsus, Dei Gratia, Rex Castella, & Toleti, vna cum vxore mea Alienor Regina libenti animo, & voluntate spontanea, intuitu pietatis, & misericordia, pro animabus parentum meorum, & salute propria, & amore, & precibus Bernardi, Monasterij Sancta Maria de Valle-Viridi de Bobadella Abbatis, dono, & concedo. Iam dudum dederam, & concesseram Deo, & Monasterio de Superado, scilicet, Cisterciensi Ordini, & vobis Bernardo Monasterij Sancta Maria de Valle viridi de Bobadella Abbati, & vniuerso eiusdem Conuentui præsenti, & futuro totam hæreditatem* de Bene viuas, *quam ibi habeo, vel habere debeo, cum omnibus finibus nostris antiquis, cum montibus, & fontibus, cum riuis & molendinis, & eorum locis, cum pratis, pascuis, & hortis, cum cæteris, & vineis cultis, & incultis, cum arboribus fructuosis, & infructuosis, cum ingressibus, & egressibus, & cum omnibus directuris, & pertinentiis suis, liberè, & quietè perpetuò, iure hæreditario habendam, & irreuocabiliter possidendam. Defendo itaque vt nullus merinus, nullus Sayan, nullusque alius homo intra terminos præfati Monasterij Sancta Maria de Valle viridi de Bobadella per vim intrare, vel aliquid inde violenter extrahere, vel ibidem habitantibus iniuriam in aliquo facere occasione aliqua, de cætero præsumat. Siquis verò huius meæ donationis, & concessionis paginam, tam ex meo, quàm ex alieno genere in aliquo tempore, diminuere, vel inquietare ausu aliquo tentauerit: Iram Dei omnipotentis, & meam plenariè incurrat, & cum Iuda Domini traditore pœnas patiatur æternas, & insuper regia parti centum libras auri purissimi pectet, & damnum, quod vobis intulerit, vel vocem vestrã pulsanti duplatum in cauto persoluat. Facta charta apud Villam-Francam de Monte de Oca Æra M. CC. XVII. XIV. Kalendas Maij anno III. ex quo Serenissimus Rex præfatus Alphonsus Concham cœpit, & eam de potestate inimicorum Crucis Christi strenuè liberauit.*

Loco ab Alfonso Rege accepto, firmatóque, Bernardus Abbas, transferre Monasterium, aut non potuit; aut noluit, aut ad alia attendens, non curauit: Translationem reseruans successori, nomine Martino, qui circa annum M. C. XC. Vigesimo primo à fundatione domus, in Beneuiuas curauit transferendum. Constat ex duplici eius anni transactione, in quarum prima Vallis-viridis, in secunda, Monasterij *de Bene-viuas* Abbas cognominatur. Quamuis nec statim Monasterium, ædificatum, videtur colligi ex alia alterius Alfonsi donatione, Legionensis nimirum loci *de Bouges*, qui eidem *de Beneuiuas* contiguus creditur. *Ad Abbatiam ibidem Cisterciensis Ordinis construendam, quæ sit perpetua filia Abbatia de Superado. Facta charta apud Sanctum Iacobum vigesima septima die Mensis Nouembris Æra M. CC. XXVIII.* 6.

Creuit successu temporis Cœnobium fidelium largitionibus, inter quas duas inuenio Reddituales, alteram ad metendas Cœnobij segetes, alteram ad secandos, ex vitibus eiusdem superfluos palmites; ne Conuentus in his occuparetur. Prioris annus M.CC.XXXII. alterius M.CC.LXXII. Vt inde liqueat per ducentos ferè annos in vsu Monachis, non nisi in proprio sudore pane vesci, & iuxta Regium Prophetam, inde beari, quod mãducarent labores manuum suarum. Alia incrementa Monasterium habuit, sed reueta exilia, & quæ nihil vnquam magnum præseferent. Quamuis, quod inde processerit Conuentus, non multo post, ad fundandum Monasterium dela Vega, plus aliquid habuisse conuincit, quàm modò habet. 7.

In medio templi tumulus conspicitur, sex marmoreis leonibus innixus, & ipse marmoreus; Tumulo humana figura superposita, & figuræ subscriptio verbis Hispanis, quæ temporis præseferunt antiquitatem. 8.

SABVDA COSA SEA, QVE DON RODRIGO GONZALEZ FVE VNO DE LOS MAS NOBLES OMES DE ESPANA, DE MANAS, Y DE LINAXE; E FICO MVCHO BIEN A FIIOS DE ALGO EN CASAR, EN CRIAR, E FICO PORSVS MANOS MIL Y DVCIENTOS Y CINQVENTA Y CINCO CABALLEROS. E ALASAZON QVE EL MVRIO GVARDABANLO OCHO RICOS OMES, CON SIETECIENTOS CABALLEROS, QVE ERAN TODOS SVS ACOSTADOS E SVS PARIENTES. E A SV FINIAMIENTO ERAN CONEL DVCIENTOS Y CINQVENTA, Y CINCO CABALLEROS DE SVS VASALLOS. ENESTA SAZON ERA CASADO CON DONA VERENGVELA LOPEZ FIIA DE DON LOPE Y DE DONA VRRACA. ELLA PORSI ERA VNA DE LAS MEIORES DVENAS, QVE ERAN EN ESPANA. ENESTA SAZON REINABA EL REY DON ALONSO EN CASTILLA, E EN LEON E AINA GVERRA CONEL REI DON-IAIME DE ARAGON. E FINO DON RODRIGO GONZALEZ ENEL MES DE FEBRERO QVE FVE EN ÆRA DE M. CC. XCIV.

Hactenus tumulo inscriptio superposita. Porrò ex hoc Roderico & Berengaria descendere familias Ducum de Ossuna,& Marchionum de Villena (Girones Y Pachecos)traditio est, nec distat Cœnobium vltra secundum lapidem, ab oppido de Cisneros, quod olim solum Prosapiæ tantorum Principum.

9. Iuncariam, vulgo dictam de Espadañedo, in Diœcesi Auriensi,Mons-rami genuit; neque vltra lapidem secundum à se diuisit. Fundator domus Ferdinandus Legionis Rex,Imperatoris filius, qui Monachis vocatis locum dedit, quarto lapide ab vrbe Episcopali: donatumque distinxit per proprios terminos. Extat vtriusque liberalitatis, & pietatis instrumentum authenticum, ab Alfonso expeditum, Ferdinandi filio, vtrumque confirmans,quod ad fidem vtriusque conciliandam,non pigebit ad litteram transcribere.

10. *Notum sit omnibus,tā præsentibus,quàm futuris, quod ego Aldefonsus Dei gratia,Rex Legionis, & Galleciæ feci requiri, per quæ loca Dominus Rex Fernandus Pater meus bonæ memoriæ,terminauit cautum,quod dedit Monasterio de Iuncaria de Espadañedo in circuitu ipsius Monasterij,& inueni ex testimonio bonorū hominū,quod terminauit,& designauit, per hæc loca,videlicet per cautū, quod est inter Villariū,& Nidū Aquilæ.* Et post terminos omnes designatos tandem cōcludit. *Hoc igitur cautū per prædicta loca cū omnibus,quæ intra cautū ipsum ad Regiam vocem pertinent,iam dicto Monasterio de Iuncaria concedo,& confirmo. Hoc autem facio ob remedium animæ meæ, & Parentum meorum, & quia de bonis,& orationibus,quæ in prædicto Monasterio Iesu Christo Domino iugiter exhibentur, ipso largiente, partem mihi desidero promereri. Facta charta apud Villam Francam, pridie Kalendas Maij Æra. M. CC. LXV.*

Floruit Cœnobium, & in eo Abbatialis dignitas per octo, & octuaginta annos supra ducentos: 11.
nempè vsque ad millesimum, quadragentesimum, quinquagesimum,septimum, quo gemens sub infausto commendæ nomine, vt maior annorum prouentuum pars commendatario cederet, Abbatialis in eo suppressa dignitas, quæ Monachorum numerum poscebat:& prioratus substitutus est,vel in vno priore conseruandus. Sic sine Abbate sexaginta annis,vsque ad M.D.XVII.mox sub Abbate, sed commendatario nouem supra viginti, demùm anno M. D. XLVI. Sacræ obseruantiæ Hispanæ vnitum est,interuentu Caroli V.Imperatoris. Verùm hæc omnia suis singula locis si sit qui prosequatur,dicenda erunt.

IESV CHRISTI ANN. 1170. — CISTERCII ANN. 73.

1. *Vltima legatio in Angliam missa*, 2. *Pacis pactionibus præscriptis ab Alexandro.* 3. *Coronatus Henricus Henrici filius:* 4. *Sed sine coniuge, filia Regis Franciæ: neque per Thomam,* 5. *& prætermisso iuramento Ecclesiæ debito.* 6. *Alexandri ad eumdem Regem acres litteræ.* 7. *Henrici aliæ ad Legatos in speciem humiles.* 8. *Admissus Thomas.* 9. *Humaniter susceptus,* 10. *& patienter auditus.* 11. *Dein abs Rege publicè honoratus.* 12. *Petitio Sancti.* 13. *Regisque concessio.* 14. *& epistola Petri Cellensis pro Beato Thoma.*

CAPVT I.

1. CENTESIMVS septuagesimus annus supra millesimum,Cistercij tertius, & septuagesimus,vltimis vitæ,& rerum B. Thomæ prolixam satis historiam terminauit; quod attinet ad Sanctum fœlici exitu, quod ad Henricum Regem, maculoso,nec nisi per publicam pœnitentiam expiando. Post Cardinales Vuillelmum, Oddonémque; post Magistros Gratianum,& Biuianum;post Religiosos Simonem, Bernardúmque; ex Monte Dei vocatos, & Grandi-monte; ne quod hominum genus præteriret Romanus Antistes, quo in reformanda inter Regem, & Thomam pace, non vteretur; duos tandem Episcopos legauit, Rotomagensem nimirum,& Niuernensem; quibus tertium adiunxit Vuillelmum Senonensem Pontificem,quem zelo,authoritate,prudentiáque, & constantia pollere non dubitaret. Sic breui tempore Cardinales, Clerici, religiosi, Episcopi electi,qui negotium tractarent, pluribus forsan destinandis ab Alexandro,si plures in Ecclesia Ordines forent. Porrò quæ Episcopis dedit in mandatis, ex multis eius litteris collecta, per Cæsarem Baronium, sic
2. se habebant [a].

a Apud Baron. hoc ann.

Vt Sanctus Thomas ad suam rediret Ecclesiam, omnésque possessiones Ecclesiæ ablatas reciperet, & item exules alij singuli,quisque sua recuperarent: pacem plenam eidem concederet in osculo Sancto;si minus ad id cogi posset (quod iurasset nunquam id facturum)per filium suum impleret quod pollicitus erat: Et quòd consuetudines prauas contra Ecclesiasticam libertatem aboleret,penitúsque condemnaret, & Episcopos,qui promiserant eas seruare, à promissione eidem Nuntij absoluant: quod si spes sit pacis absoluant excommunicatos,ea conditione, vt, si pax secuta non fuerit, in eandem reincidant excommunicationem,absque aliqua appellatione. Porrò has conditiones intra dies quadraginta implendas esse præscripsit. Quod si dicto tempore pax consequuta non esset, nec conditiones impleta;mox prouinciam cismarinam,vbi Rex aderat,subiicerent interdicto. Hæc sunt, quæ legatis in mandatis ab Alexandro Pontifice data sunt,Apostolicis litteris scriptis hoc anno Beneuenti, decimo quarto Kalend. Februarij. Ita Baronius.

Cæterùm,dum præteritis malis remedia prouidet,noua alia suborta, non solùm Thomam, sed 3.
Ludouicum,Alexandrúmque, & vniuersam Ecclesiam perturbarunt. Henricum Henrici Anglorum Regis filium, Infantis Franciæ (Ludouici filiæ) coniugem,pater Henricus fecit coronari. Sed sine vxore,& per Eboracensem, ad quem non pertinebat; assistentibus aliis,quos anathema dudum innodabat; neque aliquo exacto iuramento de conseruanda

seruanda Ecclesiæ immunitate; quin præstito, quod deterius longè fuit, de conseruandis auitis consuetudinibus, per quas ea tempestas suborta fuisset. Omnia in contemptum; primùm Ludouici cuius filiam arceret à gloria Regni; secundum Thomæ, & Ecclesiæ Cantuariensis, ad cuius præsules inauguratio Regum Angliæ pertinere constabat; tertium, & quartum Alexandri, clauiúmque, quas non putaret sibi timendas fore. Ita vnica actione Thomam ipsum; & quos haberet infensos propter Thomam, Pontificem, & Regem Ludouicum, Henricus senior, quibus poterat modis, dehonestabat. Extant epistolæ Alexandri, Thomæque, & aliorum quorumdam super his rebus. Quæ facilè legi possunt apud Baronium. Nobis fragmenta tantùm tradenda erunt, fidei lectoris, vt in his arduis decet, conciliandæ.

4. Sanè de exclusa, à coronatione filij, eius vxore, in contumeliam soceri, hæc amicus secretus ad D. Thomam. [b] *Ea die coronauit filium Regis, Eboracensis* (Archiepiscopus) *vxore eius, filia scilicet Regis Francorum, apud Londonium relicta, & quasi repudiata, in contumeliam patris, & contemptum.* Rursus de accersito Eboracensi cum cæteris Episcopis, per quos ea coronatio celebraretur, in præiudicium Thomæ, & successorum; sic Vvillelmus in Quadripartita. [c] *Erant, qui dicerent, quòd successuro sibi Rex præcauerat hæredi; asserentibus aliis, quod in odium Archipræsulis, & in læsionem dignitatis Ecclesiæ Cantuariensis hoc fieret. Imposuit autem ei manum Archiepiscopus Eboracensis in Cantuariensi Diœcesi, in Ecclesia videlicet B. Petri apud Vest-Monasterium, contra dignitatem Ecclesiæ Cantuariensis, & antiquam consuetudinem; assistentibus sibi, & suffragantibus Præsulibus Londoniensi, Sarisberiensi, & Roffensi, nec ius Ecclesiæ Cantuariensis protestantibus, ad cuius dignitatem, & ius, Regum Anglorum coronatio ab antiquo tempore pertinere dignoscitur.*

b *Apud Baron. hoc ann.*

c *Ibidem.*

5. Demùm de prætermisso iuramento, de conseruanda Ecclesiæ libertate; & substituta execranda promissione de retinendis auitis consuetudinibus; Extant litteræ Alexandri Papæ ad Rogerium Eboracensem, hæc inter alia dolentis, & vindicantis. [d] *In coronatione autem illius* (Henrici iunioris) *nulla ex more de conseruanda Ecclesiæ libertate cautio est præstita, vel sicut aiunt, exacta: sed iuramento potiùs asseritur confirmatum, vt regni consuetudines, quas auitas dicunt, sub quibus dignitas periclitatur Ecclesiæ, illibatas debeat omni tempore conseruare.* Hæc Alexander, qui & eisdem litteris Eboracensem, Dunelmensémque suspendit, donec Regi resistant, & veros se, ac constantes exhibeant ministros Christi; & aliis ad Diuum Thomam directis cauet. [e] *Vt factum prædicti Archiepiscopi* (Eboracensis) *vobis (Thomæ nimirum, & successoribus) nulla ratione præiudicium possit in posteriori generare, quominus ius coronationis, & inunctionis Regum Angliæ possessionaliter habeatis, sicut antecessores vestri, & eadem Ecclesia, à quadraginta annis retrò habuisse dignoscitur.*

d *in Vatic. li. 5. epist. 67.*

e *Apud Baron. hoc ann.*

6. Cæterùm, qui hæc ad vtrumque Metropolitam, pro vno zelans, & in alium egregiè vindicans; ad Regem etiam Angliæ litteras dedit; quibus peremptorio termino præcipiebatur dare pacem Thomæ iuxta præscriptas conditiones: alioquin, si obedire adhuc contemneret expectare sententiam, & similem, quam tulerat, contra Fridericum Imperatorem; hoc est, qua illum exregem declararet; & cunctos, qui ei sacramento tenebantur, à iuramento absolueret, non vnquam ampliùs obedientiæ eius obnoxios. Hæc tandem comminatio Regem terruit: & quem non Ecclesiasticæ censuræ, non Alexandri preces, non mandata, non Ludouici Francorum Regis monita cohibere potuerant; amittendæ coronæ metus coercuit, remordente conscientia, prodentéque; vix vllos subditos sibi remansuros, si semel à promissa obedientia, Apostolica authoritate liberarentur. Ergo qui hactenus cuncta aspernaretur, hoc vnum metuens, (verè ne, an fictè, dubium: nam æqua in ipso vafricies cum leuitate) quam formam pacis Pontifex præscripserat, quasi à se constitutam & ordinatam, ad verbum impleturus professus est, litteris datis ad Rothomagensem Archiepiscopum, alterum ex Legatis; quarum hic tenor.

De vestro, aliorúmque fidelium Baronum meorum consilio pacis reformandæ inter me, & Archiepiscopum Cantuariensem susceptam formam Domino Papæ, nuntiis, & litteris meis insinuaui. Ipse sicut per suas mihi litteras significauit, eam cum tenore, quo à vestro prodiit consilio, eique ex parte vestra fuerat significata, suscepit cum gratiarum actione, palmam mādans; monens, & supplicans, & suadens attentiùs, vt illam exequar mediatione vestra, & Niuernensis Episcopi. Illam itaque vobis mediantibus plenè, & libenter complebo, nullatenus declinaturus formam vestro consilio propositam, teste Richardo de Luci apud Vestmonasterium. Hæc ad Rothomagensem Henricus Rex. Quæ, quam (in speciem) & syncerè promissa, & fideliter impleuerit, patefacit relatio Sancti Thomæ ad Alexandrum missa de his, quæ sibi insperata contigissent; postquam interuentione legatorum, atque ab eis deductus, ad Regem venit, quæ ita habet. 7.

f *Apud Baron. hoc ann.*

[g] *Ad nouissimas litteras vestras, quibus denuò Regi Anglorum innotuit, quod ei vlteriùs non parceretis, sicut nec pepercistis Friderico, dicto Imperatori, cùm intellexisset, terram eius, amotis omnibus subterfugiis, interdicto subiiciendam esse; & Episcopos, si qui fortè non obedirent, suspendendos, & excommunicandos, illico nobiscum pacem fecit ad honorem Dei, & maximam (vt speramus) Ecclesiæ vtilitatem. Nam de consuetudinibus, quas tanta pertinacia vendicare consueuerat, nec mutire præsumpsit; nullum à nobis, vel ab aliquo nostrorum iuramentum exegit; possessiones, quas occasione dissensionis huius, Ecclesiæ nostræ abstulerat, prout eas in chartula expresseramus, nobis concessit: pacem, & securitatem omnibus nostris promisit, & osculum, si tamen vellemus eum eatenus perurgere, vt non modo in omnibus articulis victus appareret; sed vt periurus diceretur ab his, qui audierant ipsum iurasse ea die, quod non erat nos osculo excepturus. Nos autem habito plurimorum sapientum consilio, & maximè Domini Senonensis, qui pacem nostram cæteris sollicitiùs, & efficaciùs procurabat, cum ipso ad colloquium Regis accessimus. Quem, Deo faciente (qui omnes illos amouerat, qui sanctitatem vestram variis dolis circumuenire soliti sunt) adeo immutatum inuenimus, vt (quod sine circumstantium admiratione non contigit) animus eius in nullo videretur, à quietis consiliis abhorrere.* 8.

g *li. 5. in Vatic. epist. 45.*

Nam vt nos procul venientes conspexit; à circumfusa turba exiliens, accurrit prosperus, & capite detecto, nos in salutationis verba prorumpere gestientes, salutatione præuenit; & habitis paucis sermonibus, solis nobis præsentibus, cum Domino Senonensi; nos illo diuertente, stupentibus vniuersis, traxit in partem, & diu tanta familiaritate allocutus est, vt videri posset, nunquam inter nos aliquando fuisse discordem. 9.

Omnes

Omnes ferè, quotquot aderant, latissima admiratione stupentes, plurimorum genis lachrymarum inundatione madentibus, glorificabant Deum, & benedicebant Beatam Magdalenam, in cuius solennitate Rex conuersus est à viis pristinis; vt toti terra sua lætitiam reformaret, & Ecclesia redderet pacem. Corripuimus tam adhibita moderatione, quam oportuit adhiberi; vias, quibus incesserat, & pericula, qua vndique imminebant, patenter ostendimus. Rogauimus, & monuimus, vt rediret ad cor; vt dignos fructus pœnitentiæ faciens, & Ecclesia, quam non mediocriter læserat, manifesta boni compensatione satisfaciens, purgaret conscientiam; vt redimeret famam; nam ab iniquis consiliariis, potius quàm propria voluntatis instinctu, graue vtriusque dispendium patiebatur.

10. *Cum autem hac omnia non modò patienter, sed & benignè audiret, & emendationem promitteret, adiecimus, sibi necessarium esse ad salutem, & liberis suis ad incolumitatem, & indemnitatem concessa diuinitus potestatis, vt in eo Sancta Cantuariensi Ecclesia satisfaceret, in quo eam grauissimè nuper læserat. Nam filium suum contra ius antiquissimum Ecclesia nostra fecerat enormiter coronari,* &c. Subiicit prolixam de his habitam cum Rege disceptationem; quem tandem eo redegerit, vt polliceretur, consecrationem ab excommunicatis à Papa habitam cum Eboracensi, irritam reddere, iteratámque faciendam canonicam consecrationem filij, quem vna cum Regina coniuge ipsius, idem Cantuariensis consecraret. Pergit de honoribus, quos Rex illi exhibuit. *Cùm ergo equo desiliens, me humiliarem ad pedes eius, ille arrepto scansili me coëgit ascendere, & visus illacrymari, ait: Quid multa? Domine Archiepiscope, restituamus nobis inuicem veteres affectiones; & alter alteri, quod potuerit, bonum exhibeat; & præcedentis odij prorsus simus immemores. Sed mihi quæso, coram illis, qui procul aspiciunt, honorem exhibeatis.*

11. *Et transiens ad illos (quia paucos ibi, quos lator præsentium indicabit, videbat amatores discordia, & odij incentores) ait, vt tam illorum, quàm omnium, ne quid maledicerent, ora præcluderet. Si ego, cùm Archiepiscopum ad omne bonum paratum inueniam, ei vicissim bonus non fuero; tunc ero nequior cæteris hominibus; & mala, qua de me dicuntur, vera esse probabo. Nec aliud consilium honestius, aut vtilius crediderim, quàm vt ipsum studeam benignitate præcedere; & tam charitate, quàm beneficiis superare. Sermonem Regis cum summa gratulatione, ferè quotquot aderant, exceperunt. Misit ergo ad nos Episcopos suos, qui monerent, vt petitionem nostram coram omnibus faceremus. Et si quorundam ex ipsis consilio credidissemus, in arbitrium eius contulissemus, & nos prorsus, & totam causam Ecclesia; nam ab initio vsque nunc, à scribis, & Pharisæis suis egressa est iniquitas, & de authoritate seniorum inualuit, qui debuerant regere populum. Sed benedictus Deus, qui non permisit, vt in consilium illorum transiret anima nostra, nec Ecclesia libertatem, & iustitiam Dei, exponeremus vniuscuiusque hominis voluntati. Illis autem dimissis, habita deliberatione cum Domino Senonensi, & Christi pauperibus, sociis peregrinationis nostra, in eo firmauimus propositum, vt nec quæstionem consuetudinum, nec damnorum, qua Ecclesia nostra intulerat, nec vsurpata consecrationis querelam, nec Ecclesiastica libertatis, aut honoris nostri dispendium, aliquo modo conferremus in arbitrium eius.*

12. *Et sic accedentes ad Regem, & suos, cum omni humilitate rogauimus per os Domini Senonensis, qui verbi nostri baiulus erat, vt nobis gratiam suam restitueret, & pacem & securitatem, tam nobis, quàm nostris; & Cantuariensem Ecclesiam, & possessiones Ecclesia, quas in charta positas legerat; & vt misericorditer emendaret, quod contra nos, & Ecclesiam nostram fuerat, in filij sui consecratione præsumptum; promittentes ei amorem, & honorem, & quidquid obsequij Regi, & Principi potest ab Archiepiscopo exhiberi in Domino. Ille verbum acceptans, annuit; & nos, & nostros, qui aderant, recepit in gratiam suam. Et quia non præceperatis, vt ipse nobis, & nostris ablata restitueret; neque à nobis poterat impetrari, aut poterit, Deo authore fieri, vt ea remittamus: iuxta mandatum vestrum repetitio eorum dilata est, non sublata. Nam si præcepissetis eo vigore, quem in nouissimis litteris expressistis, vt restituerentur; haud dubium, quin satisfecisset; & posteris dedisset exemplum, toti Ecclesia Dei, & maximè Apostolica sedi perpetuò profuturum. Tandem itaque nobiscum multa, & diu conferens; cum nos duo soli ferè vsque ad vesperam collocuti essemus, secundùm morem familiaritatis antiqua, in hoc conuenimus, vt eo discedente, rediremus gratias acturi Christianissimo Regi, & aliis benefactoribus nostris; reuersuri ad ipsum, rebus compositis, & aliquandiu moraturi circa eum, antequam rediremus in Angliam; vt omnibus innotescat, in quantam familiaritatem, & gratiam nos receperit. Expectabimus autem in Francia, donec redeant nuntij nostri, quos ad accipiendas possessiones nostras destinauimus; quia non est in animo, vt redeamus ad ipsum, quandiu de terra Ecclesia passum pedis abstulerit. Nam in restitutione possessionum facilè aduertemus, qua synceritate agatur nobiscum, &c.* Hactenus Diui Thomæ relatio, de primo illius colloquio cum Rege Angliæ; nec ex præteritis, in futurum desperantis; sed neque nimium præsentibus fidentis.

Porrò quos nuntios in Angliam Sanctus præmisit, his Rex munitos ad filium suum Henricum 13. [h] litteris voluit; quæ reconciliationem eius cum D. Thoma; atque restitutionem ablatorum, ab ipso illi decretam attestarentur. [h] *Sciatis, quòd Thomas Archiepiscopus Cantuariensis pacem mecum fecit ad voluntatem meam. Et ideò præcipio, quòd ipse, & omnes sui pacem habeant; & faciatis habere ipsi Archiepiscopo, & omnibus suis, qui cum eo exierunt ab Anglia, res suas bene, & in pace, & honore fore; sicut habuerunt tribus mensibus, antequam ipse Archiepiscopus recessisset ab Anglia. Et faciatis venire coram nobis de legalioribus, & antiquioribus militibus de Lyere, & de Saltsonde; & eorum sacramento faciatis recognosci, quod ibi habeatur de feudo Archiepiscopus Cantuariensis: & quod recognitum fuerit de feudo eius esse, ipsi Archiepiscopo habere faciatis.* Hæc Rex ad filium. His cum litteris Sanctus Thomas nuntios misit in Angliam; sed quòd aduersitates sint passi, redditis ad Thomam litteris, iidem significarunt, quæ incipiunt. *Mandatum vestrum, iuxta quod potuimus, adimpleuimus, &c.*

[h] li. 5. ep. 43.

Non deerant, qui culparent in Sancto Præsule 14. (quam auaritiam vocare non dubitabant) tam pertinacem omnium oblatorum repetitionem. Quibus tamen Cellensis olim Abbas, tunc iam Sancti Remigij, Petrus,[i] respondit, verbis, quæ ad maiorem historiæ illustrationem, & zeli quo agebatur præsul Sanctissimus, operepretium duxi huc transcripsisse. *Dicunt enim,* (ait ad eundemmet Sanctum Thomam scribens) *non debet Archiepiscopus tam instanter sua repetere à Rege Angliæ, vt remittat reconciliationis pacem pro amissa pecunia: falluntur specie*

[i] lib. 1. ep. 10.

specie veri, vel adulatione falsi. Qui specie veri decipiuntur, instruendi sunt: qui adulatione falsi, repellendi. Simplicitas enim reuocanda est, malitia prorsus abiicienda. Caeterùm pensandum est in omni tam contractu, quàm actu, quid, propter quid faciendum, vel dimittendum sit. Pensanda etiam sunt tempora, & diuersi status temporum, secundùm quos mutantur merita causarum. Nam in primitiua Ecclesia sola patientia locum habuit, vt auferenti tunicam dimitteret, & pallium. Alius enim erat, & alibi, id est, extra Ecclesiam, qui persequebatur; alius, & alibi, id est, intra Ecclesiam, qui patiebatur: modò verò iam adulta Ecclesia, non licet filiis Ecclesiae, quod aliquando licuit inimicis. Decet enim matrem corrigere filium, sicut decuit pupillam tolerare aduersarium. Haec ex Petro Cellensi in gratiam Sancti, atque totius historiae illustrationem.

---

1. Firmata pace, Sanctus Senonas redit. 2. Pontigniacensibus vale vltimum dicit. 3. Tum nono oraculo de Martyrio suo admonitus; 4. Retrocedente Rege, 5. Atque ablatorum respuente restitutionem; 6. Anathema in turbantem pacem indicit. 7. Neque, admonitus, desistit à transferendo. 8. Dein Henrico scribit constantem satis, 9. & Apostolico viro dignam epistolam. 10. Tandem, ratione temporis ostensa, deuotissimè in Ecclesia sua suscipitur.

Capvt II.

1. Haerebat Thomas, metum, & spem inter: & non minùs expertus Regias fraudes, quàm animi inconstantiam, & leuitatem; neutri parti adhaerebat, dum nec vult desperare, neque audet fidere: At fidenti similiter, quàm desperanti, imò velut, cui nihil timendum foret, ab Henrico discessit, praefixo tempore, ad ipsum rediturus. Tempus, & locum initae tandem pacis; simul & Sanctum Senonis restitutum, vnde cuncta disponeret; & Ludouico, ac caeteris, quorum munificentia hactenus vixerat, cum gratiarum actione valediceret; adnotauit Rogerius Ouuedenius haec inter alia scribens, ad hunc annum.[a] *Facta est autem pax ista inter Archiepiscopum, & Regem Angliae, IV. Idus Octobris feria secunda, in Monte laudato, qui est inter Turonicra, & Ambasium. Sicque omnibus completis, vnusquisque reuersus est in locum suum. Thomas verò Cantuariensis Archiepiscopus reuersus est ad Abbatiam Sanctae Columbae, vbi iam ferè per quatuor annos degebat.* Ita Rogerius, qui non multò pòst scripsit.

[a] in Annalibus.

2. Quos Sanctus Praesul inde visitauerit, & à quibus è contra visitatus, quae dudum optauisset, (adeò nihil ab incommodis vacuum in hac vita.) inter desertorum singultus, lacrymásque; restitutionis suae damna moeruerit; omisêre authores. Nec dubium quin confluxerint ad ipsum, ex omni Gallia, pro corporali praesentia, quam amittebant; memoriam saltem, benedictionémque, & si quid aliud possent, impetraturi. Sed inter alios filij, patrésque, Pontigniacenses Monachi, & iam tunc Archiepiscopus Guarinus, prouoluti ad pedes, Praesulis Sancti iacturam lamentabantur. Conueniissent hactenus quotidiano eius conuictu, caruissent exemplo, at non doctrina, per litteras frequentes; & crebras, ex quacumque occasione, visitationes. Id leuamen discessus à Pontigniaco, quod Senonis maneret: iam quid vltra expectarent? quid vltra quaererent? & terra, & mari ab ipso diuidendi? Tum si tandem in Angliam rediturus; vt quid ab eis auulsus, quos hactenus instruere potuisset; à quibus indefesso studio, atque intimo charitatis affectu colendus foret? Esto Monachi cuncti Cistercienses ab Anglia pulsi, quadriennio exulassent: quid gloriosius; cum sui exilij causa redituris? Haec, & similia quaerentes, Pontifex Sanctus, qua poterat constantia, consolabatur, & quàm tenerè ab ipsis discessisset, ad memoriam reducens; quem semel induisset Cistercij habitum, non vnquam exuturum professus denuò, lachrymas inter reliquisse credendus est; cum ne ipse à lachrymis posset temperare.

Iam Ludouico, iam Curiae eius proceribus, caeterisque, quibus se obnoxium Thomas agnoscebat, vltimum vale dixerat; atque ad Henricum Regem properabat: cum ecce admonitus oraculo coelesti, quam dudum repromissam palmam martyrij, quasi eminus conspectam praestolabatur, imminere cognouit, neque à reditu longius differendam. Tradit Rogerius antiquus, & grauis author.[b] *Quadam verò die, dum idem Archiepiscopus ibidem in Ecclesia, ante quoddam altare in oratione prostratus iaceret, audiuit vocem de coelo dicentem sibi; surge velociter, & abi in sedem tuam; & glorificabis Ecclesiam meam sanguine tuo; & tu gloriaberis in me.* Haec ex Rogerio, à Baronio praetermissa, recensenda putaui, ad Christi, & Sancti gloriam; quin ad constantem, qua ex tunc redire in Angliam animum obfirmauit, obstinationem. Polydorus Virgilius Author est, Sanctum Pontificem retardatum à Ludouico, veluti praescio mortis, quae iam iam imminebat ipsius capiti. *Rex* (inquit) *diuino (vt credere par est) afflatus spiritu, eum primò dehortatus est redire ad inimicos, malè reconciliatos. Perspexerat enim Henricum animo adhuc saucio venisse in hoc concordiae foedus. Sed postremò, cùm ille diceret necessariò se ad susceptam curam reuocari, quanquam dolebat eum regno suo decedere, quàm honorificè à se dimisit. Tunc Thomas ex Gallia discedens, in patriam rediit, non ignarus futuri martyrij.* Hactenus ille. 3.

[b] in Annalib. hoc anno.

Sed nihilominus antequam discederet, sequuta simulatae pacis indicia, seu retractatae mauis: & erumpentia signa veteris odij, quae imminebant, mala praenuntiarunt. Dilata abs Rege ablatorum restitutio; & admissi ad concilium turbatores, quos patratorum criminum conscientia aduersus D. Thomam stimulabat. Nec latuere haec ipsa S. Praesulem; praeualente in Henrici animo odio, latere diu nescio, & quo occultiori, violentius erupturo. Ioannes Sarisberiensis, atque Herebertus, à Thoma ad Regem missi, mox ipse Thomas auersae mentis signa comprobarunt.[c] *Cum enim Rex mutaret* (ait Quadripartita) *imo renueret ablatas Ecclesiae Cantuariensi possessiones restituere, vt didicerat ab eo, quem praemisit Ioannem Sarisberiensem, vna cum Hereberto ad Regem, audiens Archiepiscopus inter Regem,* 4.

[c] in Quadripart.

Regem, & nobilem virum Blesensem Comitem, colloquium futurum in proximo; pridie ante colloquium Turonis ad Regem processit. Audiens, autem Rex Archipræsulis aduentum, quosdam de aulicis in occursum præmisit, & ipsemet ciuitatem exiit, & occurrit. At cum conuenirent, non oculi, sed vultus Regis, (sicut notari poterat) erat super eum. Unde (quod multi notabant, qui cum Archiepiscopo erant) nocte illa Archiepiscopum in hospitio suo nec Rex inspexit, nec suorum aliquis. Quin potiùs summo mane Rex in capella sua celebrari missam fecit pro defunctis; suspicans (vt dicebatur) ne si fortè Archipræsul illi missæ interesset, in missa osculum pacis sibi offerret; & quod ibi negare non esset Christiani, sed planè inimici Christi. Et missa celebrata, mox Rex ciuitatem exiit, ad colloquium properans. Post colloquium cum Comite habitum, contulisse Sanctum Thomam cum Rege, rogasséque vt ante suum in Angliam regressum possessiones restituerentur; Rege negante, sed dicente, sibi antea reuertendum in Angliam fore; & sic ipsi restitutionem possessionum faciendam. Hactenus Herebertus in ea historia.

5. Porrò hæc eadem idem D. Thomas ad Alexandrum scripsit. Nisi quòd tamen non omnes possessiones, sed quasdam tantum Ecclesiæ substractas queritur. [d] *Ex quo, Pater,* (ait) *in auribus Regis Anglorum comminationis Apostolicæ tuba personauit; & tam sibi, quàm terræ suæ seueritatem Ecclesia credidit imminere: nobiscum pacem facit, promittens firmiter, quod de tota mandati vestri continentia, non iota præteriret, aut apicem: quin eam penitùs adimpleret. Cum autem sic declinasset turbinem sententiæ imminentis; in quibusdam articulis à pactione resiliit, subtrahens nobis adhuc, quasdam possessiones Ecclesiæ, quas prædecessor noster omnibus diebus vitæ suæ inconcussè possedit; & nos exinde, donec in Anglicanam Ecclesiam tempestatis huius procella surrexit. Captabimus autem gratiam hominis, quantumcumque, salua libertate, & honestate Ecclesiæ, poterimus; & testimonio conscientiæ nostræ experimentum facturi, an vel sic valeas ad mansuetudinem reuocari. Misit nobis clementia vestra litteras, ad correctionem, & correptionem, tam Eboracensis Archiepiscopi, quàm Coepiscoporum nostrorum, quas certum est, & dictatas, & conceptas à Spiritu sancto; & quæ Regis excessus, authoritate, quam successorem Petri, & Vicarium Christi decet, redarguunt.* Hæc Sanctus Thomas.

d li.5.ep.52.

6. Cæterùm cùm in portum Vvitsand, nauigaturus in Angliam peruenisset. *Ibi* (inquit Herebertus [e]) *antequam nauem ascenderet, Domini Papæ litteras, quæ (vt suprà diximus) erant de generali Episcoporum per Angliam suspensione & quorundam anathemate, præmisit; quorum aliqui, Rogerius Eboracensis, Gilebertus Londoniensis, & Iocelinus Sarisberiensis transfretare volentes, in ipso portu suspensionis suæ, & anathematis litteras susceperunt.* Hæc ille, & credendum à B. Thoma factum, non vt turbaret, quam tanto opere, laboréque quæsiisset, optatam pacem: sed vt illorum superbiam coërceret, duritiámque, quam contra Ecclesiam exercere apud Regem nunquam cessabant. Sed neque sine ipsius Regis nutu, assensúque, quicquam ab eo factum, idemmet Sanctus Thomas testatus est, cùm super hoc ab his, quos patiebatur, aduersariis, argueretur. Nam *super* [f] *Episcopos, quos à me, vel per me suspensos asseritis, vel excommunicatos; pro certo nouerit vestra discretio, quod quidquid actum est, regio actum est consensu, atque consilio. Cùm enim in festo Beatæ Mariæ Magdalenæ reformata inter nos pace, in pristinam me gratiam recepisset, & super iniuriis, & insolentiis in me, meósque illatis, maximè verò super Episcopis, qui in matris suæ Cantuariensis Ecclesiæ despectum, quod mei erat officij, vsurpare non timuerunt, querimoniam apud ipsum deposuissem; ille sui gratia vt à Domino Papa iuris, & æqui vindictam qualemcumque possem impetrare, concessit; adeo vt non solùm ad consensum inclinaret, sed & spondere mihi dignaretur auxilium.* Hæc Sanctus Thomas de Episcopis suspensis.

e lib.3.c.3.

f apud Baron. hoc ann.

7. Non latuit tamen quoscumque prudentes viros in ea concessione figmentum Regis, vnde & cætera suspecta esse cœperunt. Adeo, vt, ni Thomas oraculo cœlesti iussus esset transfretare in Angliam, ibidem sanguinem effusurus pro Christi gloria: vix restitisset multorum suggestionibus, qui cuncta illa mala prænunciabant. [g] *Cæterùm* (subdit eadem histotia) *quamuis per Comitem Boloniensem, & per eos, qui ex Anglia venerant, annuntiaretur ei, non nisi vincula, carceres, proditiones in Anglia ipsi parari; hæc respondisse fertur: nec, si membratim discerpendus sim, ab incepto itinere desisterem: non metus, non vis, non cruciatus degenerem reuocabit vlteriùs. Sufficiat Dominicum gregem pastoris sui absentiam luxisse septennium.* Hæc sanctus iam afflatus cœlesti spiritu, quem semel cum oraculo accepisset. Porrò idipsum, quod tunc verbis præsens professus est, & postea opere erat impleturus: mox absens litteris, scriptóque mandauit. Cùm enim non ad Regem, vt proposuisset; sed recta via Cantuariam properaret; hanc postremam ad eum scripsit epistolam, dignam, vt Cardinalis Baronius ait, viro Apostolico: & qui mortem subire pro suo grege, iam non timeret, sed neque dubitaret. Sic verò habet.

g lib.3.c.3.

8. [h] *Nouit inspector cordium, animarum iudex, & vindex culparum Christus, quanta animi puritate, & sinceritate amoris vobiscum fecerimus pacem; credentes, quod simpliciter, & bona fide nobiscum ageretur. Quid enim, serenissime Domine, aliud concipere debebamus ex verbis vestris, quæ vel arguendo, vel mulcendo, nobis vestræ benignitatis communicabat humanitas? Litteræ vestræ, quas ad Dominum nostrum Regem filium vestrum destinatis, vt nobis, & nostris omnia, quæ habueramus, antequam recederemus ab Anglia, restituerentur: quid aliud quam beneuolentiam, pacem, & securitatem omnimodam prætendebant? Sed ecce, quod (Deus nouit) nobis, pro honoris vestri periculo, quàm pro vtilitatis nostræ dispendio, grauius reputamus: rerum exhibitio, non simplicitatem prætendit, aut bonam fidem. Nam restitutio, quam nobis, & nostris fieri præcepistis, dilata est in diem decimum, sub obtentu Ranulphi, quem consiliarium Domini nostri filij vestri interim conueniendum, vt mandatum vestrum impleretur, censuerunt. Qui sint illi, & quomodo, & qua fide res gesta sit, vos, cum placuerit, requiretis. Nobis autem persuasum est, hæc fieri in dispendium Ecclesiæ, & salutis vestræ, & honoris; nisi diligentiùs corrigantur à vobis. Nam præfatus Ranulphus interim in bona Ecclesiæ debacchatur, & victualia nostra in castrum de Saltizde etiam nunc palam congerit, sicut accepimus ab his, qui (si id vobis placuerit) probare parati sunt. Multis audientibus gloriatus est, quod non diu gaudebimus de pace vestra, quia non comedemus panem integrum in Anglia, antequam (vt ille minatur) nobis auferat vitam.*

h li.5 ep.54.

9. *Scitis autem, serenissime Domine, quia culpæ particeps est, qui cùm possit corrigere, negligit emendare. Et quid præfatus Ranulphus possit, nisi vestræ voluntatis*

voluntatis fretus, & armatus sit authoritate? Quid litteris Domini Regis filij vestri responderis, super hoc negotio scribens ad ipsum, audiet, & indicabit beneplacito suo, discretio vestra. Et quia, sicut nunc ex perspicuis apparet indiciis, Sancta Cantuariensis Ecclesia Britanarum mater, in ipso periit, odio capitis nostri: ne illa pereat, sed euadat, tam prædicto Ranulpho, quàm complicibus suis Ecclesiæ persecutoribus, caput pro ipsa, Deo propitio, exponemus; parati pro Christo non modò mori; sed & mille mortes, & omnia tormenta excipere, si ille per gratiam suam dignatus fuerit patientiæ largiri vires. Ad vos, Domine, redire proposueram; sed me miserum ad miseram Ecclesiam necessitas trahit, ad illam vestra licentia & gratia rediturus; Et fortasse, ne illa pereat, periturus; nisi vestra pietas aliam nobis consolationem celeriùs præstare dignetur. Sed siue viuimus, siue morimur, vestri sumus, & erimus semper in Domino; & quidquid nobis contigat, & nostris, benefaciat vobis Deus, & liberis vestris. Hactenus res à Sancto in Gallia gestæ.

10. De tempore, quo nauim ingressus est, & quo in Angliam applicuit, hæc Herebertus [i]. *Anno igitur ab Incarnatione Domini M. C. LXX. exilij verò sui VII. inchoato secundo tertióve die in Domini Aduentu, gloriosus Dei amicus, & propugnator Ecclesiæ constantissimus Thomas Cantuariensis Archiepiscopus, noctè cum suis mare intrauit; & ad votum aura prospera vsus, peruenit in Angliam.* Extat Epistola Ioannis Sarisberiensis ad populum & Clerum Cantuariensem, exhortans in occursum sui Pastoris, vt olim obuiam exiissent Sancto Anselmo, de simili exilio redeunti. De populo, an processerit, non constat: de Clero, & Monachis hæc habet Rogerius [k]. *Transito itaque mari, Archiepiscopus, & futurus Martyr, in magna gratia, gloria, & honore, præcipuè à Monachis, cum solenni processione, quasi Angelus Dei, susceptus est in Ecclesia sua; omnibus præ gaudio illachrymantibus, & cum gratiarum actione clamantibus: Benedictus, qui venit in nomine Domini.* Porrò de his, quæ Ecclesię suę redditus, breui tempore, quo in ea superuixit Sanctus effecit, non alium melius, quàm ipsum audiamus, vltimam epistolam scribentem ad Alexandrum, sequenti capite à nobis transcribendam.

i Vbi suprà.

k in Annal.

---

1. Thomæ Archiepiscopi ad Alexandrum littera, 2. de Episcopis querula, 3. Sed obiter historicè de gestis tam ab eis, quàm à se ipso. 4. Qualiter portum intrare permissus sit. 5. Atque Cantuariam regredi. 6. Tractatum de absolutione Episcoporum. 7. Sed ob quorumdam malitiam, conatu irrito. 8. Tum ad memoriam reductus Virginis fauor, 9. Pontigniaci Sancto olim exhibitus, 10. Interuentu deuoti capellani, 11. Hominis Dei constantiam confirmauit. 12. Historia eadem à Cæsario mutata parum.

CAPVT III.

1. INCOLVMEN restitutum suæ Ecclesiæ Præsulem Sanctum, capite præcedenti à nobis traditum. Cæterùm quanta pericula subierit, armata manu exceptus, solo terrore Regis coërcenda: & qualia aduersùs eum machinamenta suspensi, excommunicatíque Episcopi, apud eundem Regem concitauerint, pluribus ipse Alexandro Papæ scripsit, quæ hic ad litteram veniunt recensenda.

2. [a] *Quàm iustis, & quàm honestis conditionibus cum Domino nostro Rege Anglorum pacem fecerimus, ad vestram notitiam, tam ex nostra, quàm multorum itinerantium relatione credimus peruenisse: & qualiter idem Dominus noster resilierit à pactis, & promissionibus suis. Quod tamen non tam illi credimus imputandum, quàm Sacerdotibus Baal, & falsorum filiis prophetarum, qui totius discordiæ incentores ab initio extiterunt. Sed horum omnium præcipui sunt Eboracensis ille, & Episcopus Londoniensis, qui quondam, cùm essetis Senonis à nobis redeuntes, Domino Rege nondum adito, vel audito, nos in Curia clementiæ vestræ pedibus assistentes possessionibus nostris spoliare non timuerunt; cum illis indubitanter constaret, nos duarum appellationum causas apud vos exercere, vtpote qui appellantes appellati. Cùm ergo ij Baalamitarum signiferi nos cum Domino Rege pacem fecisse audiissent: accitis sibi Sarisberiensi, & aliis complicibus suis, circuierunt mare, & aridam, vt initam pacis rescinderent vnitatem; per se, & per alios Domino Regi, & suis suadentes, concordiam regno inutilem, & inhonestam esse; nisi donationes Ecclesiarum nostrarum, quas Rex fecerat, stabiles permanerent; & nos cogeremur regni consuetudines, super quibus inter nos est orta contentio, obseruare, adeóque profecerunt in peruersitatibus suis, vt eorum instinctu Dominus Rex omnes redditus nostros, & nostrorum post pacem in festo B. M. Magdalenæ factam, vsque ad festum B. Martini abstulerit, tunc demùm nobis cedens domos vacuas & horrea demolita.*

a lib. 5. ep. 37.

3. *Clerici tamen sui, scilicet G. Ridel Archidiaconus noster, & Nigellus de Saccauer duas Ecclesias nostras, quas de manu laica receperunt, adhuc detinent occupatas. Et ipse plures Ecclesiæ nostræ possessiones, quas in pacis reformatione se promiserat redditurum, contradicit. Et licèt aliter, quàm ipsum deceret, contra pacta sua, vt pluribus notum est, versaretur: nos tamen enormia damna Ecclesiæ, & irreparabilia videntes, & præcauentes grauiora, vestro, & Dominorum Cardinalium præeunte consilio, ad Ecclesiam nostram laceratam & conculcatam redire decreuimus; vt si eam nō possemus erigere, & reformare; saltem cum ipsa pereuntes, confidentiùs pro ipsa præsentes spiritum redderemus. Quod, cùm illi inimici nostri certiùs didicissent; ambiguum est, quid veriti, consilium inierunt cum officialibus Regis, & sceleratissimo illo filio perditionis Ranulpho de Broc, qui in Ecclesiam Dei, publica potestatis abutens viribus, iam per septem annos licentiùs debacchatus est.*

4. *Decreuerunt ergo, vt armata manu portus maris, ad quos nos venturos suspicabantur, militum, & satellitum custodia, & diligentia obseruarent; ne terram possemus intrare, quin omnem supellectilem nostram curiosiùs perscrutarentur; & omnes litteras, quas impetrauimus à maiestate vestra, nobis auferrent. Sed nutu diuino contigit, vt machina*

machinamenta eorum nobis per amicos innotescerent; qui impudentiam eorum ex nimia præsumptione non paterentur esse absconditam. Nam satellites, quos prædiximus, armati littora circuibant, gressus suos dirigentes, prout eis iam dicti Eboracensis, Londomensis, & Saresberiensis Episcopi dictabant. Elegerant enim ad executionem huius malitiæ, quos nobis nouerant maximè esse infestos, Ranulphum de Broc, Reginaldum de Vvarenne, Geruasium Cantiæ Vicecomitem; qui palàm minabantur, si fortè præsumeremus applicare, nobis caput amputaturos. Sæpè dicti verò Episcopi Cantuariam venerunt, vt si satellites publicæ potestatis non insaniebant satis, eos amplius instigarent. Itaque consiliis eorum diligentius exploratis, vna die antequam mare ingrederemur, præmissæ sunt litteræ vestræ; sed & illæ, quibus Eboracensis suspendebatur, & Londoniensis, & Saresberiensis reuocabantur in sententiam anathematis, eis traditæ sunt.

4. *Die sequenti nauem ascendimus, & in Angliam peruenimus nauigatione fœlici, adducto nobiscum ex mandato Domini Regis Ioanne Decano Saresberiensi. Qui armatos, quos prædiximus, vidit non sine dolore, & rubore, accelerantes ad nauigium nostrum, vt aduentantibus vim inferrent. Præfatus ergo Decanus timens, ne si quid nobis, aut nostris mali inferretur, in Domini Regis redundaret infamiam: obuiam processit armatis, denuntians eis ex parte Domini Regis, ne nos, aut nostros læderent, quia hoc contra ipsum Regem, cum quo pacem feceramus, notam proditionis inureret; persuasitque eis, vt ad nos accederent inarmati. Illi tamen, quia Simonem Senonensem Archidiaconum nobiscum adduxeramus, qui amicos, quos habet in Anglia, decreuerat visitare, exegerunt ab eo iuramentum fidelitatis, quo se Regibus nostris, patri, & filio, contra omnes homines obligaret; nec nos excipientes, nec alium. Sed non nos permisimus, vt talis obligatio præstaretur; veriti, ne Clerus regni ad simile iuramentum cogeretur, authoritate exempli, si domestici nostri obligationes huiusmodi præstitissent. Quod vtique in dispendium Sedis Apostolicæ, vt authoritas eius euacuaretur aut minueretur in regno, moliuntur sæpè dicti Eboracensis, Londomensis, Saresberiensis, & complices sui. Officiales verò, qui iuramentum exegerant, pauciores erant, quàm vt possent contra voluntatem nostram in eo loco ad aliquid cogere; eo quod populus de reditu nostro gaudens, si vires pararentur, fortior erat.*

5. *Inde ad Ecclesiam nostram venientes, cum magna deuotione à Clero, & populo excepti sumus; licèt intrusi adhuc violenter incubent Ecclesiis nostris. In quibus in omni peste, & vexatione Ecclesiæ præcipui sunt Gaudefridus Ridel Archidiaconus noster, & Nigellus de Saccauilla Clericus eius; quorum alter, scilicet Gaufredus, occupat Ecclesiam de Otteford; alter, videlicet N. de Saccauilla, Ecclesiam de Berges, quas cum fructibus perceptis, nobis, & Clericis nostris, quorum sunt, ex mandato vestro reddere debuerant. Præcepistis enim Domino Rothomagensi, & Episcopo Niuernensi, vt eos absoluerent, accepto secundùm morem Ecclesiæ Sacramento, & præciperent authoritate vestra nobis Ecclesias cum fructibus resignari. Postquam verò ad Ecclesiam nostram venimus; incontinenti nos adierunt Officiales Regis, denuntiantes ex parte ipsius (sicut eos Dominus Eboracensis, & Londoniensis, & Saresberiensis Episcopi informauerant) vt suspensos Episcopos, & excommunicatos absolueremus; quia quod contra eos factum fuerat, in Regis iniuriam redundabat, & in euersionem consuetudinum regni; promittentes Episcopos prouinciæ nostræ, post absolutionem, venturos esse ad nos, & iuri, saluo honore Regis, libenter parituros. Nos autem respondimus, non esse iudicis inferioris, vt superioris sententiam soluat, & quod nulli hominum licet infirmare, quod Apostolica sedes decreuit.*

6. *Quia tamen illi instantius perurgebant, & minabantur Dominum Regem, nisi eis acquiesceremus, mira, & stupenda facturum, diximus eis, si Londoniensis, & Saresberiensis Episcopi iurarent coram nobis in forma Ecclesiæ, se vestro mandato parituros, nos pro pace Ecclesiæ, & reuerentia Domini Regis, cum consilio ipsius, & Domini Vvintoniensis, & aliorum fratrum nostrorum subiiceremus periculo, & faceremus inde, quidquid possemus, salua reuerentia vestra; & eos tanquam fratres charissimos diligeremus, & omni mansuetudine, & humanitate tractaremus. Quod cum Episcopis ab itinerantibus referretur, respondit Eboracensis, quærens seditionis occasiones, & schismatis incentores; iuramentum huiusmodi, nisi de voluntate Regis, non debere præstari, præsertim ab Episcopis, quia erat contra dignitatem Principis, & consuetudines Regni. Ei verò ex parte nostra responsum est, quod iidem Episcopi antea à nobis excommunicati fuerant; & non nisi præstito iuramento, cum nos multis solicitationibus interpellassent, absolui meruerunt. Et si nostra sententia sine iuramento ipsorum solui non debuit, multò minùs vestra, quæ longè fortior est, & incomparabili nobis, & mortalibus cunctis authoritate subnixa.*

7. *Ad quam responsionem (sicut nobis retulere, qui præsentes aderant) Episcopi adeò moti sunt, vt decreuerint venire ad nos, & secundùm morem Ecclesiæ recipere absolutionem; non ducentes tutum, vt pro conseruandis Regni consuetudinibus, Ecclesiæ se opponerent, & impugnarent Apostolicas sanctiones. Sed homo, pacis inimicus, & Ecclesiæ turbator Eboracensis, dissuasit, consulens, vt potius adirent Dominum Regem, qui eis semper patrocinatus est, & nuntios mitterent ad nouum Regem, qui persuaderent ei, quod eum deponere voluimus: cum nos, Deo teste, si ipse Ecclesiæ profuturus est, mallemus eum, non modò vnum possidere; sed amplissima, & plura regna terrarum. Huius verò legationis signifer est Archidiaconus noster: nam Eboracensis, & duo præfati Episcopi citiùs transfretauerunt, vt (quod Deus auertat) circumueniant Dominum Regem, & aduersùs Ecclesiam exacerbent iram eius. Fecerunt autem euocari senas personas vacantium Ecclesiarum, vt consilio eorum, contra canones, coram Rege in alieno regno, fratribus suis absentibus, celebrent electionem Episcoporum prouinciæ nostræ. Quod si sic electos noluerimus consecrare, videntur sibi habere causam seminandi discordiam inter nos, & Dominum Regem. Nihil est enim, quod magis timeant, quàm pacem Ecclesiæ, ne fortè videantur opera eorum, & corrigantur excessus. Cætera plura supplebit Nuntius, quæ ne tædium parerent, schedula non censuimus inserenda. Vos, si placet, preces nostras clementer audite.* Hactenus Sanctus Thomas ad Alexandrum narrans, ac mœrens cuncta, quæ gesta fuerunt.

8. Inter hæc autem, dum idem Beatus Præsul tot æmulantium laqueis irretitus, & calumniantium telis transuerberatus constanter resistit: nec minus ideò ad inferiora descendens, suorum clericorum mores, actúsque; & singulorum vitam perscrutatur: contigit res annalibus his digna, quam præter

prætermissam à vitæ ipsius authoribus, Cæsarius primùm, mox Cantipratanus, atque hic latius proximi æui authores, scriptis mandarunt. Ad memoriam reductus Virginis fauor in Pontigniaco olim Thomæ exhibitus, roborauit constantiam hominis Dei; & veluti Martyrio præparauit, quo se nouerat statim coronandum. Nam quid pro filij gloria posset refugere, quem tali conueniebat dignatione Mater Serenissima. Sed nos Thomam loquentem proferamus.

9. [b] *Obtenta*, ait, *pace ab Anglorum Rege, Beatus Præsul, & ad propriam sedem redire permissus est. Diebus autem paucissimis euolutis; Decanus quidam cum ruralibus Presbyteris, Pharisæis calumniantibus nequiores, accusant quendam vitæ fœlicissimæ Capellanum, qui nunquam nisi de Beata Maria Virgine consueuerat celebrare. Iste, vt totum rei ordinem dicam, adolescentiæ tempus attigerat; cum in amorem matris Christi totus æstuans, prima cum labore litterarum addisceraт elementa; vt sic proficiens veniret ad Ordines, & Missam in honore matris Christi quotidie celebraret. Sed cum præ nimio feruore, dilationis impatiens, non expectaret tempus in addiscendis litteris opportunum, importunè obtinuit Presbyter ordinari. Parauit ergo sibi capellam pulcherrimam, & habitaculum in fundo proprio, vbi cum Clerico, & famulo tantùm, de suo patrimonio calibem ducebat vitam. Qui eleemosynis, & orationibus insistens, quotidie Beatæ Virgini mira cum deuotione Missæ officium exhibebat. Hæc videntes vicini Presbyteri, inuidia tabescebant, eò quòd dissimilis vita eius, aliis nollet dissimilibus sociari. Et hæc causa proditionis nequissima fuit.*

[b] lib. 2. boni vniuersalis c. 29.

10. *Citatus ergo coram Archipræsule Sancto Thoma, negare noluit, nunquam se, nisi de Beata Virgine celebrasse; nec habere se vsum alterius Missæ professus est. Miratus ergo Præsul, condoluit Capellano, in nullo tamen secum ausus aliter dispensare, propter insufficientiam litterarum, dixit illi. Cessa, inquit, à Missa, charissime, donec assequi poteris Sacerdotale officium, quo teneris. Ad hæc verba confusus Capellanus, venit in Oratorium suum; vbi imaginem Beatæ Virginis mirè speciosam super altare locauerat: & stans coram imagine, tactus dolore cordis intrinsecùs dixit: Nouisti pietatis Mater, & Domina, quod pro tuo seruitio spreui nuptias nobiles, filiorúmque propaginem non curaui nisi tuis tantùm seruitiis inhærere: & ecce istis frustratus sum, & insuper omni abiectione confusus. Age ergo nunc, quòd tuæ congruit pietati; vt obsequium reddas, quod perdidi: vel certè istud tuum Oratorium dirúam, quod construxi. Hæc dicens miro lachrymarum imbre, altare, cui incumbebat, perfudit. Nec mora pietatis Mater, voce per imaginem delapsa, respondit: miti sis animo, & esto in pace, charissime: accedas ad Præsulem, & secretò dicas illi. Hæc tibi Domina per me mandat, ô Domine, quæ in capite Ecclesiæ Pontigniaci Monasterij tibi anxio femoralia reparauit.*

Ad hanc ergo vocem Capellanus mirificè stupefactus, prorupit in laudem, & mox ad Curiam Præsulis festinauit. Quem, vt vident Sacerdotes, & Clerici, qui eum pridie in curia confusum nouerant, ei nequiter insultare cœperunt, nec eum ad Præsulem intrare permittunt. Post horam autem quidam Archidiaconus egressus, qui conscius erat bonitatis, & innocentiæ Capellani; flentem vberrimè ad Præsulem introduxit; Quem, vt cognouit Episcopus, leniter solatur, & dixit: Patientem te oportet esse, charissime, & obedire mandatis: si quid deest tibi in necessariis vitæ, libenter opinionis vestræ causa, supplebo; hoc vero, quod flagitas, salua conscientia, exaudire non possum. Tunc Capellanus, Præsule seorsum confidentiùs euocato: Et tibi, ait, illa mandat Domina, quæ tibi in Pontigniaco Monasterio, in capite Ecclesiæ femoralia reparauit, vt mihi gratiam restituas celebrandi. Hoc dicto, Præsul ad pedes procidit Capellani; annuit votis eius, & offert beneficia, si quæ vellet. At ille satis habere, respondens, patronæ suæ seruire; regreditur, tantò deuotiùs, quantò gratiùs obligatus. Hactenus Thomas, qui statim subiungit. *His itaque gestis, non multis diebus pòst Beatus Thomas, pro Ecclesia Dei Martyrio coronatus est. Secretum autem miraculi, quod narraui, mansit incognitum, vsque ad supradicti obitum Capellani. Non diu autem post, annis fermè tribus, postquam corpus Sancti Thomæ eleuatum est, mihi à fide dignissimis reuelatum est, quod conscripsi.* 11.

Cæsarius paulò aliter rem narrat, nec femoralia, sed cilicium assutum tradit, quod nos etiam superiùs adnotauimus. Porrò hæc ad Clericum dixisse Virginem Matrem [c]. *Dices ei pro signo, quod cum tali hora, & in tali loco cilicium suum dissutum resarciret, ego ex vna parte tenebam adiuuans eum: statimque credet tibi.* Vtcumque fuerit, ingens dignatio Virginis, & mira Thomæ ad Martyrium præparatio; sed iam qualiter tandem passus sit, sequenti capite venit declarandum. 12.

[c] lib. 7. Dialog. c. 4.

---

1. *Natale Christi cum Henrico filio celebrare prohibitus,* 2. *Cantuariæ Thomas celebrat. Seminantes inter se, & Regem discordias, publicè damnat.* 3. *Commotus Rex in Sanctum, milites commouet.* 4. *Qui irreuerenter primùm;* 5. *Sed mox sacrilegè,* 6. *in Ecclesiam, & Beatum virum irruunt.* 7. *Et tandem trucidant.* 8. *Variæ reuelationes de gloria Martyris,* 9. *& cilicium inuentum ad eius corpus.* 10. *Habitus Monachalis nunquam dimissus, & miraculum in funere ostensum.* 11. *Ratio temporis, concordatique authores.* 12. *Quid de sacrilegis?* 13. *De quibus etiam varietas concordata:* 14. *& Henrici aliqualis excusatio.*

CAPVT IV.

1. PRETIOSAM mortem gloriosi Christi Athletæ, iam tàdem illaturi nostris Annalibus; inde præcipue initium auspicemur, vnde incepit Rogerius, qui cuncta cæteris aptiùs concinnauit. *Ea tempestate*, ait [a], *erat Henricus Rex Angliæ Regis Henrici filius in Anglia, & Natiuitas Domini, quam Rex ille cum primatibus terræ suæ solenniter celebraturus erat: Ad quam B. Thomas, licèt non esset inuitatus, ire proposuit. Et cum Londonias veniret, venit ad eum Gozelinus frater*

[a] in Annalibus.

Regina, & prohibuit ei ex parte Regis, ne vlterius procederet. Et sic Beatus Thomas Cantuariam reuersus est. Ergo damnis iterum, & atrocioribus iniuriis supra modum, & numerum Athleta Christi affectus est; & edicto publico praeceptus, Ecclesia sua septa non exire. Ita Rogerius. At quæ post hæc, tam ab ipso Sancto in Anglia, quàm contra eum in Normania gesta sunt, Magister Eduardus narrat, dum ita scribit.

2. [b] *Reuersus domum* (scilicet Sanctus Thomas) *cum summa animi deuotione, ac puritate celebrauit Christi Natale; atque eo ipso die post concionem, terribili sententia perculit vnum ex Regis Ministris, propter facinus quoddam, & casos Ministres suos: itémque Ranulphum hominem scelestum totius malitiæ incentorem. Tandem adiecit: à Iesu Christo maledicti sint, & à cœtu Sanctorum deleatur eorum memoria, quicumque inter me, & dominum meum Regem, odium & discordiam seminabunt. Abierunt tunc quidem magni viri ad Regem, & Sanctum Martyrem apud eum detulerunt; ita vt Rex grauissimè commotus, iteratis vocibus, ita dixisse feratur: Inertes, ac miseros homines enutriui, & erexi in Regno meo; qui nec fidem seruant Domino suo, quem à plebeio quodam clerico tam probrosè patiuntur illudi. Aderant ibi nobiles quatuor, generosè conspicui, & è familia Regis. Ij hæc verba ex ore Regis rapientes, secus ea, quàm Rex vellet, interpretati sunt: móxque in necem Sancti viri conspirarunt: nescientéque Rege, mare celerrimè traiecerunt.* Hactenus Eduardus, qui addit Regem, cum impium facinus ex militum discessu suspicaretur, misisse nuntios, qui illos reuocarent. Sed tardos heu! nec anteà peruenturos ad præeuntes, quàm facinus horrendum perpetrassent. Fabulæ quàm historiæ proximius credo id, quod Polydorus Virgilius [c] memoriæ prodit: non ideo tamen silentio prætereundum. *Vt Thomas Regis hostis habitus est, cœpit sic vulgò negligi, & contemni, vt, cùm venisset aliquando Strodum, qui vicus situs est ad Meduciam flumen, quod Resestriam alluit, eius loci accola, cupidi bonum Patrem ignominia aliqua afficere non dubitauerint, amputare caudam Equi, cui insidebat; seipsos perpetuo probro obligantes. Nam postea nutu ita Dei ita accidit, vt omnes ex eo hominum genere, qui hoc facinus fecissent, nati sint instar brutorum animalium caudati. Sed ea infamia nota iampridem cum gente illa eorum hominum, qui peccauerunt, deleta est.* Hæc Polydorus. Verùm quod attinet ad Martyrium Sancti pergit Rogerius.

3. *Vix Pater Sanctus in Ecclesia sua per mensem moram fecerat* (intellige, ex quo à Gallia in Angliam rediit) *& ecce quinta die Natalis Domini venerunt Cantuariam quatuor milites, imò Sathanæ conducti satellites; quorum nomina sunt hæc. Vuillelmus de Traci, Hugo de Moreuile, Richardus Brito, Reginaldus filius Vrsi: viri quidem generis præeminentia conspicui, sed enormis sceleris ausu, militia gloriam, & stemmatis titulum perpetua ignominia mox damnaturi. Hi ergo introëuntes ad Archiepiscopum; & quia non directa in manu eorum salus, ex concepta malitia, salutationis eloquium prætermittentes, cum fastu, & superbia alloquuntur.* Ita Rogerius: sed distinctiùs eadem, Magister Eduardus in vita Sancti [d]. *Illi homines nefarij postquam in Angliam venerunt, adiunctis sibi quibusdam Ministris Regis, quos Archiepiscopus excommunicauerat, & militum, satellitúmque coacta manu, mentiebantur se iussos à Rege, tollere è medio Archiepiscopum. Itaque die illo, qui Sanctorum Innocentium festum sequitur, absoluto iam prandio, sese colligunt aduersùs virum pium, & innocentem, qui iam in interiorem domum secesserat cum domesticis, de negotiis tractaturus. Soli autem quatuor, cum vno satellite ingressi sunt; itúmque illis obuiam est honorificè, tanquam domesticis Regis. Illi iubent dici Archiepiscope, velle se cum ipso, Regis nomine colloqui. Annuit vir Sanctus, vt introducantur. Introducti diu sedent taciti; & neque salutant, neque appellant Archiepiscopum. Tacet iam ipse aliquandiu; postea salutat pacificè. Illi pro salutatione reddunt maledicta, adeóque in necem eius ferebantur præcipites, vt nisi ostiarius Clericos, quos vir Sanctus exire iusserat, reuocasset, hasta quadam, quæ illic stabat, illum confodere voluerint, vti postea ipsi confessi sunt.*

Intro autem reuersis Clericis, qui primarius erat in his quatuor viris, ita ait: Rex controuersiis omnibus consopitis, te ad sedem tuam remisit; tu maleficiis beneficia compensans, eos, quorum opera filius Regis coronatus est, à suo Ministerio suspendisti; Ministros Regis anathemate percussisti: vt satis appareat, te filio Regis, modo quo possis, coronam auferre constituisse. De his vtrum coram Rege purgare te velis, edicito. Ea enim causa nos huc missi sumus. Respondit vir Sanctus: Testis est Deus, nunquam me filio Regis coronam eripere voluisse, cui ego mallem tres alias adiungere, cum regnis amplissimis, modò id rectè, atque ordine fieri possit. Neque verò ego suspendi à Ministerio Episcopos, sed Dominus Papa id fecit: nec me decet absoluere, vt vos vultis, quos ille ligauit. Tum illi: iubet, inquiunt, Rex, vt cum omnibus tuis è regno excedas. Contra, Archiepiscopus: sed me deinceps, ait, Deo propitio, nemo inter, & Ecclesiam meam, & mare conspiciet. Non veni vt fugerem: hic me reperiet, si quis quæsierit. Illis obiicientibus, quod animi furore percitus Ministros Regis ex Ecclesia turpiter eiecisset, vir Sanctus cum multo spiritus feruore illis respondit: Quisquis ausus fuerit Sancta Romana sedis instituta, vel Ecclesia Christi iura violare, nec vltro satisfecerit, non parcam, nec differam Ecclesiastica censura coërcere peccantem. Hæc illi viri Dei constantia perculsi propiùs accedunt, dicúntque ei: In capitis tui periculum hæc prolocutus es. At vir Sanctus: Non me, inquit, terrent mina vestra: nec gladij vestri promptiores sunt ad feriendum, quàm ego ad Martyrium obeundum. Alium quærite, qui vos fugiat: me collato pede pro Domino meo præliaturum comperietis. Illis cum clamore, & contumeliis exeuntibus, vir Dei suos consolabatur, & vt nobis visum est, qui præsentes affuimus, ita sedebat imperterritus, ac si ad nuptias inuitatus esset ab illis. 4.

Mox reuertuntur illi loricati, accinctique gladiis, & securibus armati. Fores autem clausæ erant, nec pulsantibus aperiebantur. Tunc illi occultiore via per pomarium ad sepem ligneam diuertunt, ferróque, & magna vi sibi aditum parant. Eo horribili strepitu Ministri, & Clerici penè omnes territi fugerunt. Hortantibus illis, qui remanserant, vt Sanctus vir in Ecclesiam se conferret, planè recusauit. 5.

Non

b In vita Sancti apud Surii tom. 6.

c In histor. Anglic. sub Henric. 2.

d apud Surii tom. 6.

Non enim tali casu fugiendum erat, sed dandum potius subditis exemplum, vt mallet quisque feriri gladio, quàm videre legis diuinæ contemptum, & sacrorum canonum euasionem. Instabant verò Monachi, aiebant indecorum esse, à vespertinis laudibus, quæ tunc celebrabantur, ipsum abesse. Ille verò non cessit, veritus se priuatum iri optata Martyrij corona, si in templum esset ingressus; cuius reuerentia arceri possent, à tanto scelere parricidæ illi. Sanè postquam ab exilio reuersus fuit, sic dixisse fertur, tanquam certus iam se per Martyrium hinc emigraturum. Habetis hîc dilectum Deo, ac verè Martyrem Elphegum: alium quoque vobis sine mora diuina miseratio prouidebit. Monachi autem cùm eum permouere non possent, valde inuitum asportarunt in Ecclesiam; quam cùm ingressi essent, quatuor illi nobiles cursu rapidissimo secuti sunt eum cum Hugone subdiacono deplorata nequitiæ, quem malum clericum appellabant. Volentes autem Monachi obseruare fores Ecclesiæ prohibiti sunt à Sancto viro, qui tunc præclarè dicebat. Nos patiendo potius, quàm pugnando, ex hoste triumphabimus: neque eò huc venimus, vt repugnemus, sed vt patiamur.

6. *Adsunt mox sacrilegi carnifices, exclamántque furibundi: Vbi est Thomas Beketh, Regis, & regni proditor? Eo non respondente, maiori contentione vociferantur: Vbi est Archiepiscopus? Tum ille planè intrepidus, & imperterritus, ecce adsum, inquit, non proditor Regni, sed Sacerdos. Paratus sum pro illo mori, qui me redemit sanguine suo. Absit, vt propter enses vestros, aut fugiam, aut à iustitia recedam. At illi, Absolue, inquiunt, quos excommunicasti, & suspendisti à suo officio. Nulla, ait vir Sanctus, ab illis exhibita est satisfactio, itaque non absoluam. Rursus illi: Nunc igitur morieris, & recipies pro meritis. Ego verò, ait Sanctus Martyr, pro Domino meo mori paratus sum, vt Ecclesia meo sanguine pacem, & libertatem assequatur. Præcipio autem ex parte omnipotentis Dei, ne quenquam ex meis lædatis. Mox illi, facto impetu, in eum irruunt, conantúrque extra fores extrahere, illic eum, aut iugulaturi, aut vinctum asportaturi, vti postea confessi sunt. Sed cùm difficile posset loco moueri, & vnum ex eis acriùs insistentem à se remouisset; is terribili incensus furore, ensem contra eius verticem vibrauit. Tum verò pius, & Sanctus vir cernens adesse horam qua promissam perciperet Martyrij coronam, ceruicem instar orantis inclinauit, iunctísque, & sursum erectis manibus, Deo, & Sanctæ Mariæ, Beatóque Martyri Dionysio suam, & Ecclesiæ, causam commendauit.*

7. *Vix ea proloquutum, nefandus vir, metuens ne populus eum eriperet ex manibus ipsorum, coronam capitis eius, vulnere capiti inflicto, tanta vi amputauit, vt pariter secaret, & præcideret brachium illhac referentis; qui solus cunctis, & Monachis, & clericis præ metu fugientibus, Sancto Martyri constanter adhæsit, & inter vlnas eum continuit, donec altera earum amputata est. Additus inde est alter ictus, in sacrum corpus eius, & ille mansit immotus, nihil se commouens. Tertiò percussus, genua flexit, dicens submissa voce: pro nomine Iesu, & Ecclesiæ defensione mori paratus sum. Tum verò tertius ex illis sacrilegis percussoribus, ita procumbenti graue inflixit vulnus, vt cum sanguine pariter, è capite cerebrum in eius faciem deflueret. Quartus interim abigebat superuenientes, vt cæteri possent in ea horrenda cæde liberius versari. Quinto loco accessit is, quem ante diximus, Hugo subdiaconus execrabilis, & posito pede in collum Sanctissimi Martyris, quod sine horrore dici non potest, cerebrum cum sanguine per pauimentum sparsit, atque ad illos quatuor: Abeamus hinc: iste posthac non resurget.* Hactenus Eduardus de morte Sancti, adeò concinnè, & grauiter; vt vix potuisset interrumpi, aut inuerti sine piaculo.

Addit Rogerius reuelationem, & miraculum à morte sequuta, quæ non licet silentio præterire. Sic autem ait. *Eodem die* (scilicet quo passus est) *passio Beati Thomæ reuelata est Beato Godrico anachoretæ per Spiritum sanctum apud Fintzhale, qui locus distat à Cantuaria plusquàm per centum sexaginta milliaria. Monachi autem Cantuariensis Ecclesiæ clauserunt ostia Ecclesiæ, & ita permansit Ecclesia suspensa à celebratione Missæ ferè per vnum annum; quousque receperunt reconciliationem Ecclesiæ per Dominum Papam Alexandrum. Monachi verò detulerunt Martyrē suum, & posuerunt nocte prima in choro, agentes circa illum exequias defunctorum. Et veraciter dicitur, quòd expletis circa corpus exequiis humanitatis, cùm iam in choro iaceret super feretrum, circa auroram leuata manu dextera, dedit benedictionem: deinde sepelierunt eum in crypta.* Addam & aliam, ex Beato Antonino reuelationem cuidam iuueni factam, quæ ita habet [e]. *Cùm quidam Iuuenis infirmaretur, à corpore egressa anima, iterum reuersa est ad illud: dixitque raptum in cœlum se vidisse sedem quendam vacuam valde ornatam, inter Apostolos sitam. Percunctante autem anima illa, cuius esset hæc sedes parata [f], & magnifica? respondit Angelus. Cuidam magno Sacerdoti Anglorum reseruatur. Quod intellectum est de Beato Thoma.* Idem author præcessisse signa in cœlo paulò antè tradiderat: nisi quòd in tempore quadriennio integro errat. 8.

Pergit Eduardus cætera describere, & primò de cilicio, quod ad Sancti Præsulis corpus inuentum est. Cùm enim iuxta Cistercij ritum abluendum, ante sepulturam, exueretur, *Ad nudam carnem* (ait) *apparuit cilicium adeò pediculis refertum, vt Martyrium, quod pridie vir Sanctus perpessus erat, isto tolerabilius videretur. Porrigebatur autem illud cilicium vsque ad genua, eóque admodum strictè femur cinctum erat. Ea res conspecta, largos ex præsentium oculis lacrymarum imbres expressit. Apparebat enim tunc rigor pœnitentiæ, & vitæ asperitas, atque sanctitas, quæ antea vix paucissimis familiaribus cognita fuerat.* Hæc Eduardus. Vincentius Beluacensis non cilicium tantùm tunc palàm factum; sed alia opera sanctæ charitatis, humilitatísque, quæ hactenus vix nota eius domesticis [g]. *Sub pretiosis vestibus* (inquit) *ciliciatus erat; & in secreto conclaui pedes pauperum lauabat.* Et paulò inferiùs. *Quod singulis diebus tredecim pauperes includi faciebat in secretiori cellula; & post refectionem singulis deuotè pedes lauans, tres argenteos dabat.* Extat epistola (sermonem potius dicam) Petri Blesensis, de Sancti viri meritis, tunc recens coronati Martyrij palma. Extant & aliæ, quæ longum hîc adducere. 9.

Inuenio etiā in Quadripartita historia Sancti religiosè obseruatū ab authoribus, quē semel Monachalē habitū induit in Pontigniaco, nunquam deposuisse; exteriùs æquè, ac interiùs perseuerantem, neq; ipsa morte ab illo diuidendū. Certè cùm post adeptam Martyrij palmā, ex more lauandus, vt dictū est, & Pontificalibus induendus denudaretur [h]. 10.

[e] 1. part. tit. 17. c. 3. §. 1.

[f] cap. 1. §. 11.

[g] in Specul. Moral. part. 10. dist. 3.

[h] lib. 3. c. 11.

Corpus eius, inquiunt, *cilicio sui duritia molesto, inuolutum inuenerunt; habitumq; Monachalem superindutum, stamineam scilicet tunicam, & cucullam.* Sic, quod semel assumpsit, nunquam dimisit, Religionis insigne, quod viro Sancto gloriosum in morte fuit. Nec tacendum ex Beato Antonino, quantumuis iam ad alia properantibus, insigne miraculum, quod eius item exequias illustrauit. Quod [i] *cum Missam clerici cantare inciperent defunctorum, scilicet,* Requiem æternam; *subitò (vt fertur, & scribit Iacobus de Voragine) audita sunt voces Angelorum concinnentes.* Lætabitur iustus in Domino. *Et clerici illud prosequuti sunt.* Hæc Sanctus Scriptor, quæ etsi omissa ab aliis, qui tunc præsentes fuerunt, suspecta teneantur: eius tamen fulcita authoritate, non putaui silentio prætereunda.

i Titul. 17. cap. 3. §. 2.

11. De tempore martyrij, hæc Eduardus. [k] *Casus est vir pius à cruentissimis illis carnificibus, tempore sacro, & loco sacro, in ipsa domo Dei, IV. Kalendas Ianuarij anno Christi Millesimo, centesimo, septuagesimo.* Nec dissimilia authores Quadripartitæ. [l] *Passus est autem egregius Dei Athleta Toomas Cantuariensis Ecclesiæ Archiepiscopus, totius Angliæ Primas, & Apostolicæ sedis Legatus, anno ab Incarnatione Domini, Millesimo, centesimo, septuagesimo, ætatis vero ipsius anno quinquagesimo tertio, quarto Kalendas Ianuarij, feria tertia, hora quasi vndecima, vt dies quintus Dominicæ Natiuitatis ad miseriam, eius fieret natalis ad gloriam.* Verum est tamen Rogerium in Annalibus, & Robertum de Monte, aliósque, rem in sequentem annum distulisse, additis versibus, quæ fidem concilient dicto.

k apud Surium. tom. 6

l Vbi suprà.

Annus millesimus centenus septuagenus
Primus erat, Primas quo ruit ense Thomas,
Quinta dies Natalis erat, flos orbis ab orbe
Pellitur, & fructus incipit esse Poli.

Sed nodum Cardinalis Baronius soluit, quod alij annum à die Natalis Christi, alij ab Octaua incipiunt numerare. Inde, qui inter hos terminos clauduntur, ab illis ad initium sequentis anni, ab his ad finem huius pertinere, sine vlla discordantia commemorantur. Atque hæc satis de consummatione Martyris Thomæ: vel in hoc Christo similis, quod vicerit à morte, atque ipsos hostes moriendo superauerit. Quippe quæ hactenus viuenti denegata, concessa defuncto, multis insuper additis, quæ suo loco, & tempore reddemus.

12. De sacrilegis, post patratam Sancti cædem, in sua, & suorum bona debacchantibus, hæc ex Magistro Eduardo, pro complemento pertinentium ad hunc annum, accipiat lector. *Cæde perpetrata, infœlices illi, & cæteris homicidis immaniores, gloriabundi per ædes, & officinas Archiepiscopi discurrunt, aurum, & argentum, vestes, vasa pretiosa, libros, & Ecclesiæ chartas, atque priuilegia, permultáque alia diripiunt. Inde in eius Clericos, clientes, & parentes suam exercet tyrannidem publica potestas; diuersisque affectos contumeliis, priuat facultatibus; ita vt miseri, & mendici per ignotas prouincias dispersi sunt.* Hæc Eduardus. Quæ eadem Ioannes Sarisberiensis, qui præsens fuit, Ioanni Pictauiensi Episcopo scribit. Addens vlterius, sæuitiem etiam in mortuum, quem Ecclesiastica sepultura indignum iudicauissent. [m] *Nec tamen in his omnibus,* ait, *persecutorum quieuit furor, dicentium corpus proditoris inter Sanctos Pontifices non esse humandum: sed projiciendum in paludem viliorem, vel suspendendum esse patibulo. Vnde Sancti viri qui aderant, vim sibi timentes inferri, eum in crypta antequam satellites Sathanæ, qui ad sacrilegia perpetranda conuocati fuerant, conuenirent, ante altare Sancti Ioannis Baptistæ, & Sancti Augustini Anglorum Apostoli in sarcophago marmoreo sepelierunt:* Hæc de execrandis perditorum hominum gestis, ex abysso in abyssum præcipitatis,

m Epist. 286.

At qualiter post patratum tandem scelus, pœnitentia, an desperatione acti, præsentiam Regis fugerint, in cuius cuncta obsequium perpetrassent; qualisque eos diuina vindicta sequuta sit, Rogerius Ovvedinus describit in Annalibus. [n] *Milites autem,* ait, *qui illud prophanum opus perpetrauerunt, statim prophani operis sui conscij, & de venia desperantes; ad Curiam Regis Angliæ, vnde venerant, redire non ausi fuerunt; sed in occidentales partes Angliæ secesserunt, vsque ad Enaresbure villam Hugonis de Moze-ville, & ibi tandiu remanserunt, donec viles habiti fuerunt, à compatriotis illius prouinciæ. Omnes enim illorum vitabant alloquia; nec aliquis cum eis manducare, vel bibere voluit. Soli ergo manducabant, & soli bibebant, & fragmenta cibariorum suorum proiiciebantur canibus, & cum inde gustassent, nolebant, inde quicquam comedere. Ecce manifesta, & digna Dei vindicta; vt illi, qui contempserunt Christum Domini, à canibus etiam contemnebantur.* Hactenus ille. Qualiter verò, tandem ad se reuersi Alexandrum adierint; & pœnitentia deuotè, ab eo accepta, quod Sancti meritis accidisse non dubitamus, Hierosolymis extremum diem clauserint; suo loco inferius referemus. Non sum ignarus Beatum Antoninum aliter scripsisse, adeò in sacrilegos desæuiisse diuinam iram, [o] *Vt aliqui sibi digitos dentibus frustratim discerperent, alij sanie diffluentes defecerunt; alij paralysi dissoluti, alij amentes effecti, iniusta mortis sancto illata, clara indicia præstiterunt.* Sic Antoninus. Nicolaus Arsfeldius diuidit; & Guilielmum, [p] qui primus gladium vibrauit in caput Martyris, substitisse in Sicilia, ibidemque terribili quodam mortis genere, carne ipsa à neruis, & ossibus frustratim desiliente, periisse affirmat: tres reliquos profectos Hierosolymam, ibidemque vsque ad mortem perseuerasse. 13.

n anno seq.

o part. 2. tit. 17. c. 3. §. 2.

p Sæcul. 12. c.

Addam in aliqualem Regis excusationem id, quod memoriæ produnt Authores graues, tanto affectum dolore ex morte Pontificis, siue fortè ex infamia, quam se inde contracturum non dubitabat, vt multo tempore negotiis se substraxerit, & sibi soli vixerit: satius reputans à nemine videri, neminem alloqui, quam crimen vultu prodere; ait, si dissimularet, damnari posse; quasi iam totum pudorem effudisset. *Dum ista fiunt* (ait Polydorus Virgilius [q]) *Henricus Rex, qui aliquot dies Argentomia substitit, ob rem acerbissimam mœrens, nulli mortalium de quauis causa agitanda potestatem sui conueniendi fecit, præ doloris magnitudine; cum se infamia commissi criminis aspergi sentiret. Legatos tamen Romam misit, partim purgatum facinus, partim veniam impetratum à Romano Pontifice, quod ex eo, quia temerè ira percitus in Cantuariensem probra iactasset, sui causam arripuissent ad tantum sacrilegium perpetrandum; partim denique oratum, quò ille vellet in Angliam legatos mittere, qui de morte Antistitis Thomæ, iuxta atque Sacerdotalis Ordinis statu cognoscerent.* Ita Polydorus. Et de Legatorum aduentu nos plura infra. Nunc reliqua huius anni prosequamur. 14.

q in Henriq.

1. Pseudo-papæ Paschalis infœlix mors. 2. & Friderici edictum pro successore, 3. in nostros primùm minax, mox retrocedens. 4. Alexander, & Pontius eundem adeunt. 5. & de pace cum Ecclesia Dei conueniunt, cui etiam pertractandæ præficiuntur. 6. Tum Pontio apud Pontificem retento, 7. Alexander cum litteris eiusdem, 8. honorificis satis, 9. Capitulum Generale celebraturus, Cistercium adit. 10. Vbi Hugonem Burgundum admittit in fratrem, exemptione obtenta: 11. Atque instrumento desuper confecto. 12. Frustrati interim in Italia tractatus pacis.

CAPVT V.

1. HOc ipso anno Guidonem Cremensem, Pseudo Paschalem dictum, cum apud Beati Petri Ecclesiam incubaret, & in erroris sui pertinacia demoraretur; ab eodem Apostolo immissus cancri morbus absumpsit: & tandiu, cum pulmonis anhelitu, saniem emisit fœtidam, donec impœnitentem spiritum exhalauit; & pessima, ac simillima vitæ morte occubuit. Hæc ferè totidem verbis acta Alexandri [a]. Porrò schismatici illicò Imperatoris tunc præsentis iussu, Romæ in ipsius locum substituere hominem quendam nequam, nomine Ioannem, natione Vngarum, & furto pridem infamem; quem ex Monacho, & Abbate Monasterij Strumensis, Victor IV. Antipapa Episcopum Cardinalem Albanensem, vel, vt alij tradunt, Tusculanum creauisset. Qui Calixti III. appellationem adsumens, in schismate contra Alexandrum sedit annos octo, plus minúsve: Imperatoris Friderici perpetuo studio: non charitate in ipsum, sed odio in Alexandrum; atque cœptæ perfidiæ obstinatione. Itaque, occasione nouæ electionis, innouata edicta, relegantia quoscumque non obsequentes: & quo longiùs à vero Calixtus aberat, eo maiori violentia retinendus; noua pericula nostris attulere: Hemmenrodensibus Monachis præcipuè, iamiam cessuris loco, Germaniáque; ni Sancti senis Dauid orationibus, ac meritis pretiosis, detinerentur. Extat de his Cæsarij testimonium Heisterbacensis Monachi, quod nobis venit hoc loco transcribendum.

a apud Bar.

2. [b] *Tempore schismatis, quod fuit inter Alexandrum, & Calixtum, sub Friderico Imperatore, qui eiusdem schismatis author erat, & defensor; compellebantur omnes Ecclesiæ per vniuersum orbem Romanum litteris Imperialibus, iurare fidelitatem, & obedientiam Calixto, quem ipse Papam creauerat; resistentes verò iussi sunt exulare. Cum huiusmodi litteræ exhibitæ fuissent conuentui de Hemmenrode, & fratres vnanimi consilio dicerent, se nequaquam velle recedere ab vnitate; præceptum est eis, vt celeriùs exirent de Romano Imperio. Viri illi virtutis, diuinum timorem, minis Regiis anteponentes; cùm iam res suas, & vestimenta sarcinassent, ordinatique fuissent in diuersas domos regni Francorum; dicebat vnus eorum Venerabili Sacerdoti Dauid Monacho ibidem: Pater, ignoras quia omnes migrabimus de loco isto? Ita enim intentus erat cœlestibus, vt quid in exterioribus ageretur, prorsus ignoraret: cui cum miranti, & interroganti causam, ille negotium totum explicaret; maximam in Domino habens fiduciam, vir beatus respondit: Confortamini fratres, non enim deserit Dominus sperantes in se. Antiphonam, quæ in nocte dicetur super* MAGNIFICAT, *fortiter, & cum lachrymis cantate, & Dominus consolabitur vos.*

b lib. 2. Dialog. c. 19.

3. *Erat autem Dominica ante Aduentum, in qua Antiphona est super* MAGNIFICAT: Qui cœlorum contines thronos, & abyssos intueris, terram pugno concludis, exaudi nos in gemitibus nostris. *Ipse verò Sanctus intrans Oratorium, effudit animam suam in oratione, cum multis lachrymis diuinam interpellans clementiam. Acquiescentes eius consilio fratres, eandem Antiphonam tantò intentius cantabant, quanto fortius cantantes angustia premebat, & ad cantandum incitabat. Flexus pius Dominus lachrymis seruorum suorum, Imperatoris cor mutauit, & missæ sunt litteræ sub festinatione, vt manerent, orarentque pro Imperio.* Hactenus ibi de constantia Hemmenrodensium; quos, quanti fecerit Fridericus, satis conuincit, quod à prioribus edictis excepti fuerint; & ne citatos quidem per hoc vltimum, atque abire paratos, passus sit; quin aduocatos ad Deum sibi elegerit. De sanctitate Dauidis superiùs aliqua, & plura nobis infra dicenda erunt.

Cæterùm, quod Fridericus eosdem viros Imperij fines exire non permiserit, vltra conceptam sanctitatis ipsorum venerationem, inde fortasse ortum, quod hoc anno circa Purificationem Beatæ Virginis, cum Norembergæ Comitia celebraret; ab Alexandro, & Pontio, Abbatibus Cistercij, & Claræuallis, conuentus legitur, persuasúsque, vt Catholicæ Ecclesiæ, & Alexandro, per Bambergensem Episcopum, quem idem Pontifex tamquam sibi fidum gratantet susciperet, odio postposito, reconciliaretur. Certè eius temporis author Radeuicus hæc de vtriusque sancto zelo; necnon & conniuentia Imperatoris, quæ apud ipsum vtriusque erat authoritas, scripta reliquit [c]. *Anno M.C. LXX. intrante Quadragesima, Cistercienfis, & Clarauallensis Abbates Imperatorem conueniunt super schismate: eique suggerunt, vt Bambergensem Episcopum cum eis Romam destinet. Quod & factum est.* Hæc Radeuicus. 4.

c in Appendice.

Carolus Sigonius, recentior quidem author, sed qui res Italiæ accuratè concinnauit, hæc ipsa fusius tradit, atque distinctiùs: Sic enim ait [d]. *Postremo anno, qui fuit millesimus, centesimus, septuagesimus, Fridericus Natalitiis Domini in Alsatia, celebratis, in Purificatione Conuentum habuit Normberga. Ibi Abbates Cisterciensis, & Claraeuallensis professi sunt, se ad Alexandrum in Italiam profecturos, & res cum eo composituros; si Fridericus Bambergensem Episcopum sibi concederet socium, qui vnus cum Alexandro, ex Germanis Episcopis, sentiebat. Non respuit conditionem Fridericus, vt qui Lombardos ab Alexandro deserto se faciliùs confideret subacturum. Atque ita omnes ire, cum liberis de pace mandatis, præcepit.* Ita, ex antiquis, Carolus Sigonius, quibus sancti vtriusque Abbatis Alexandri, & Pontij sanctum zelum, tum & authoritatem apud Principem: demùm reuocati mandati per Fridericum, de exilio Hemmenrodensium, occasio- 5.

d lib. 14.

nem, videre licet. Nec dubium alios edicto comprehensos, ex eadem familia Cisterciensi, quos egressuros non minùs detinuerit. Nisi quod illis, seu Sancti Dauid fides, siue Cæsarij calamus profuere; cæteros hactenus à nemine scriptos coniectari concessum, non adfirmare.

6. Inter hæc cum instaret mensis September, & in eo Concilium Generale, ex more celebrandum totius Ordinis; Alexander, negotio adhuc infecto, Cistercium proficiscitur, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus ibidem congregandis, ex debito sui officij, præfecturus; relicto interim Pontio apud Pontificem, qui cuncta pertractaret vtriusque nomine: & litteris ab eodem acceptis, grauibus sanè, sed longè dulcioribus; quæ excusarent absentem, atque vtriusque, & totius Cistercij, in se, & in Ecclesiam eximia merita, cum laudibus, & gratiarum actione, etiam supra consuetum, commemorarent. Extat transsumptum litterarum Apostolicarum, quas Cistercio gloriosas, & honorificas, tum ad historiam plurimum facientes, piaculum putarem, si præterirem. Sic autem habent.

7. [d] *Alexander Episcopus, seruus seruorum Dei, Venerabilibus fratribus, Archiepiscopis, Episcopis, & dilectis filiis vniuersis Abbatibus in Cisterciensi Capitulo congregatis, salutem, & Apostolicam benedictionem.*

d tom. 1. priu. in fine tomi.

Inter innumeras mundani turbinis tempestates, quas contra Ecclesiam Dei, & nos ipsos feruentis persecutionis procella commouit, magnum nobis est præstitum, Deo prouidente, remedium, cum vniuersitatis vestræ feruentissima charitas, nec pericula timuit, nec adminicula denegauit: ex his videlicet retributionis cumulum, ex illis, authore Domino, patientia consequutura triumphos. Meminimus planè, & cum omnium gratiarum actione recolimus, quàm inuiolabili firmitate fluctuantem Petri nauiculam fidei vestræ anchora seruauit in turbine; qualiter etiam frequens orationum instantia, quasi iterum dormientem in eadem nauicula Saluatorem, ingruente suscitauit tempestate: ita vt sæpenumerò, magnitudine stupefacti miraculi; & ipsum glorificemus, quo mari, & fluctibus imperante, optata cœpit arridere tranquillitas; & vos penitus venerabiles habemus, quorum nobis suffragantibus meritis cœlestis creditur placata maiestas.

8. *Accedit ad hæc omnia, dilectorum filiorum nostrorum Cisterciensis, & Claræuallensis Abbatum solicitudo laudabilis, & deuota, qui non humano instinctu, sed superni consilij spiritu prouocati, pro pace vniuersalis Ecclesiæ labores maximos, & pericula subierunt. Quod tantò nobis, & fratribus nostris gratum est amplius, & acceptum; quanto eorum studium, & laborem vniuersæ Dei Ecclesiæ magis confidimus profuturum. Maximéque speramus, quòd pia eorum instantia, vestris orationibus incessanter adiuta, ad Ordinis honorem, & commodum, & optatæ pacis profectura sit incrementum. Debitores ergo vobis, pro tam multiplici charitatis vestræ munere, constituti; vos, & sacrum Ordinem, quem seruatis, omni, qua possumus, affectione diligimus; & eiusdem Ordinis profectibus, & augmentis, amplissimo studio promptæ solicitudinis aspiramus: quandoquidem inutiliter videremur superni agricolæ vicissitudinem gerere, si plantationem, quam plantauit dextera eius, opportunis cessaremus imbribus irrigare.*

9. *Eapropter vniuersitatem vestram per Apostolica scripta rogamus, monemus, & exhortamur in Domino: quatenus recolentes, qualiter hæc plantatio sancta, hæc vitis fructifera, hæc denique vinea Domini Sabaoth, sub primis Ordinis patribus pullulauit, & palmites suos longè, latéque producens; ad mortifera circumquaque venena pellenda, flores protulit, & odores effudit: peruigili custodia studeatis eorum in omnibus inhærere vestigiis, per quos, cooperante Domino, in deserto mundi huius; flos huiuscemodi plantatus est honestatis: hi, quoniã monasticæ frugalitatis continentissimi professores, optimum ponentes in paupertate principium, totius sufficientiæ assequuti sunt complementum, Ecclesiæ chari, Episcopis, & Prælatis accepti, atque in conspectu Regum, & Principum fama, & merito gloriosi. De cætero nos, & totum Ecclesiæ sanctæ negotium vestris deuotis orationibus commendamus; orantes & ipsi, vt omnipotens pater, in cuius estis nomine congregati, ordinationes, & opera vestra in beneplacito suo disponat; & vos pariter, ac subditos fratres ad spiritualia iugiter incrementa promoueat. Adhuc, quia prædictum Claræuallensem Abbatem, pro ineuitabili necessitate promouendæ pacis, ab aduentu Capituli duximus retinendum; eum à vobis petimus haberi excusatum, sicut & de ipso Cisterciensi, in patientia vos sustinere rogamus, si fortè contigerit, vt eum pro tanta necessitate, celebrato capitulo, reuocemus. Datum Beneuento XIV. Kalend. Augusti.* Hactenus ad Prælatos Ecclesiarum Cistercij congregatos Romanus Præsul; ingenti sanè totius Cistercij laude, cui se, cui nauem Petri, hoc est Ecclesiam, & obnoxios fatetur; & tanta cum reuerentia, si ita fari licet congratulatur.

Dum hoc Capitulum in Cistercio celebraretur, Hugo Burgundiæ Dux (quod ab Auberto Miræo notatum, comprobat instrumentum, quod mox adducam) idem Cœnobium deuotus visitauit, & per grauissimos, sanctissimosque Præsules, qui ex more conuenerant, Guicardum nimirum Lugdunensem, & Petrum Tarantasiensem Archiepiscopos ad Capitulum ductus, deposita Imperij maiestate, ante Abbates consistens, suscipi se in eorum omnium fratrem humilis petiit, obtinuítque particeps extunc futurus orationum, atque spiritualium bonorum totius Ordinis. Ita tamen, vt vicem ipse contra rependerit Cistercio in temporalium communicatione; exemptione concessa, quam Renatus Chopinus adnotauit. [e] *Cistercium cum appulisset*, inquit, *scilicet Hugo Dux, in publico religiosæ sectæ conuentu, irrogauit ei priuilegium: Quod Monachi securè pergant per terram suam, ducántque, & vendant res proprias, absque pedagio, minagio, vecta, & omnia alia costuma anno M. C. LXX.* Ita Chopinus. 10.

e lib. 2. Monast. fol. mi. 252.

Verum vtriusque communicationis habemus adhuc firmius testimonium, instrumentumque, quod hodie perseuerat, ab Hugone ipso expeditum, in hunc tenorem. [f] *Anno ab Incarnatione Domini M. C. LXX. ego Hugo Dux Burgundiæ fui in Generali Capitulo Cisterciensi, vbi per manum Guichardi Archiepiscopi Lugdunensis, & Petri Archiepiscopi Tarantasiensis, & Alexandri Abbatis Cisterciensis, & omnium Abbatum, qui aderant, in beneficiis, & orationibus totius Ordinis susceptus: pro remedio animæ meæ, & parentum meorum eis largitus sum, vt fratres de omnibus Abbatiis ipsius Ordinis, per omnem terram meam securi pergant, res proprias absque vllo pedagio, minagio, vecta, & omni alia costuma deducant. Factum est donum hoc, præsente auunculo meo Comite Stephano de Sancerre, Guicardo de Fauernei, Guisardo de Origiel, & multis aliis.* Hactenus ibi de gestis apud Cistercium. 11.

f apud Henr. Iulij 29.

At quæ in Italia per Abbatem Pontium, de pace totius Ecclesiæ pertractabantur, cùm prouentura fœlicius 12.

fœlicius sperarentur, exigentibus hominum peccatis, frustrata euentu: & siue Friderici dolo concepta, siue Longobardorum astu delusa in irritum deuenit ea legatio. Quod idem, qui suprà, Radeuicus, in illa sua appendice paucis declarat. Sic enim ait, g *Sed propter Longobardorum insolentiam, negotium ipsum tunc profectu caruit. Nam Episcopus ipse ab eis repulsus ad propria redire coactus est.* Mitius hæc eadem Carolus Sigonius, sed verè eadem. *Alexander, vbi legatos ad se, de pace, à Friderico mitti audiuit, obuiam Beneuento Verulas venit, atque ibi senatu dato Bambergensem publicè de compositione agentem benignè audiuit. Verùm, cùm rationem pactionis haud quaquam, è re fœderatorum expedientem videret, re infecta, dimisit.* Pluribus acta Alexandri recensent singula, quæ facilè videantur apud Baronium. Sic re infecta, sed non amisso merito apud Deum & homines, & Cisterciensibus firmata interim pace, quietéque; neque Alexander, quod sciamus rediit; & Pontius ad propria remeauit.

g lib. 14. ad hunc annum.

---

1. Sancti in Villario Bonifacius, & Godefridus. 2. Hic ex Benedictino Coloniensi repulsam primùm passus in Hesterbaco. 3. Mox cœlesti præmonitus visione, Villarium venit. 4. Notata series Abbatum Villariensium. 5. Godefridi miracula. 6. Quæ, vel ipso nesciente, celebrabantur. 7. De Bonifacio Priore pauciora, déque obitu ipsius, & sepultura.

CAPVT VI.

1. FLORVISSE sub id tempus in Villario insignes pietate viros Bonifacium, Godefridúmque, alterum Monasterij Priorem, Sacristam alterum, Aubertus Miræus a adnotauit. Quem secutus Chrysostomus Henriquez in Menologio, eundem annum vtriusque morti assignat. Sed ex Abbatibus, sub quibus floruerunt, nimirum Bonifacius sub Vbrico, Godefridus sub Carolo, illo electo anno M. C. LX. hoc anno M. C. XCVII. facilè vtriusque conuincas diuersa tempora. Itaque si in Villario concurrere circa hunc annum; illud ad summum apparet similius vero, vt vnus tunc ad Ordinem veniret, cùm iam alter ad mortem, siue verius ad æternam vitam, appropinquaret. Vtriusque ergo referenda nobis natiuitas, alterius in religione, alterius in gloria. Sed Godefridi ex Monacho Benedictino Sancti Pantaleonis Coloniensis, nouam in Christo, imò & in Sancto Patre Benedicto regenerationem, quam dudum concepisset, Cæsarius Heisterbacensis, qui non multò pòst, Villarij Prior extitit, his planè verbis scriptam, memoriæ prodidit.

a in Chronic. Cister. & in Fastis. in Menologio.

2. b *In Monasterio Sancti Pantaleonis in Colonia, quod est nigri Ordinis Monachorum, iuuenis quidam fuit, nomine Godefridus puritatis eximiæ, inter fratres suos sine querela conuersatus, secundum disciplinam Ordinis illius. Et quia scriptum est, iustus iustificetur adhuc, & Sanctus sanctificetur adhuc; desiderio superna vitæ accensus idem Godefridus, & quia secundum regulæ mandatum viuere non posset, considerans; venit ad nos, humiliter, & instanter supplicans, vt fratrum collegio iungi mereretur. Timens Abbas noster magis in causa esse leuitatem, quàm deuotionem, eum hic suscipere non acquieuit. Passus est à nobis repulsam; Villarium venit, & quod petiit, citius obtinuit.* Ita Cæsarius de aduentu Sancti ad Villarium, cum prius alibi repulsam passus esset.

b lib. 1. dial. cap. 35.

3. Verùm non casu, sed diuino nutu reseruatum Villario, quam prius habuit: visio manifestat. *Cùm enim* (ait Author vitæ ipsius, quam latino sermone à Sancti penè morte M. S. & Villarij asseruatam, Ioannes de Astignies Gallicè vulgauit hoc nostro sæculo) *cùm enim inquam, idem Godefridus in Colonia adhuc manens, Dominum affectuosius supplicaret, vt dirigeret gressus eius; præostendit ei in spiritu statum Villariensis Cœnobij; quem ita adhuc Coloniæ præcognouerat, vt non solum personas, & conuersationem earum; sed situm loci, & vniuersa domus illius, ac si tota vita sua in eo commoratus fuisset.* Hæc de aduentu viri ad Villarienses: vt sibi præostenso, sic protendente eximiam sanctitatem, meritaque, quibus ibidem foret illustrandus. Anni ignorantia, ignorantiam Abbatis ingerit, à quo susceptus fuit: quippe Vlrico, Gerardo, Guillelmoque intra sexennium sibi succedentibus. Quicumque fuerit, ingens illi gloria, quod tanto filio Cistercium illustrauerit.

c tom. 2. c. 45. lib. 1.

Sanè Vlricum, cum Villario præfuisset per annos aliquot, tandem cessisse muneri, atque in Vallcellas priuatum secessisse, anno M. C. LXVI. quo factum creditur, supra memorauimus. Porrò in ipsius locum subrogatum Gerardum, æquè sanctum; & qui inter cæteras, quibus decorabatur, virtutes, mira abstinentia carnem maceraret. Hunc, cum sexennio Villarij præfuisset; adeóque anno M. C. LXXII. (quod semel dictum, non vltra nobis veniet repetendum) excepit Guillelmus, ex Priore Heisterbacensi; cuius id Elogium in catalogo Abbatum Villariensium, d *quod sanctissimè gregem sibi commissum rexit, & pijssimè obiit* Hos inter potuit velut diuagari Godefridi admissio: & dignus quilibet generare filium, quem cæteri inuiderent; aut charitate fugante æmulationem, quia inuidere non possent, gratularentur. Nobis medius eorum electus est, quo; vt non liceat certum tempus promere, minus à vero possimus aberrare. Sed redeo ad historiam. 4.

d Apud Henric. in Fastic.

Cùm Godefridus Villarium ingressus esset, in carne quidem pro humana conditione, sed velut extra carnem conuersari, orationi, & meditationi semper insistere, nec minùs ideo labore continuo manuum, ieiuniis, & vigiliis corpus atterere: singulorum virtutes æmulari, transcendere; seipsum despicere, cæteros alios eximiè venerari, & totius perfectionis numeros explens, ad cœlestia quantotius festinabat. Non tulit Deus latere diu lucernam sub modio positam, quin candelabro signorum superiniectam, salutis radios multis ministraret. Indulsit tamen teneræ eius menti, humilitatíque, vt quæ patrabat miracula, nesciret. Henricus, inquiunt Acta vitæ eius, e tunc Villariensis domus œconomus (nos cellerarium ex Regula vocamus) superius cingulum, quo nostri vti consuescunt (Virginis quondam munus Stephano collatum, scapulari, ne diffluat, colligendo) id, inquam, cingulum recentis adhuc Monachi, siue lauandum, reficiendúmve, 5.

e apud Afsignum.

reficiendúmve,seu pro furto substractum,obseruabat:cùm ecce puer ab ipsa infantia amens ad Cœnobium adductus,atq; orationibus fratrum commendatus,nec sibi reditus, vnius Godefridi virtutem experitur,compos sui effectus ad tactum cinguli, casu,an consilio allati,non satis constat.Certum extunc applicatum plurimis morbis, salubre cunctis remedium attulisse. Nam & periclitantem partu mulierem,edito infante,periculo exemit: & cæco visum non multò pòst restituit; atque aliis alia beneficia contulit, sancto viro, aut in totum ignorante,aut nequaquam credente:sed per totam Brabantiam acclamato,quasi in quo Deus suscitare pararet Bernardi spiritum.

6. Iam fama virum longiùs diuulgante,conueniebant ad ipsum,ex omni Belgio,surdi,claudi,& muti,cæterique, quos diuersæ vexabant infirmitates. Inter quos forte matrona quædam, affuit sæpiùs enixa,sed semper filios mortuos;queis adiungenda statim(adeo & ipsa morti appropinquabat) sperarétur. Nec tam pro se,quàm pro filiis dolebat mater,quos ante raptos,quàm sacro fonte ablutos, in ipso ingressu vitæ,pereuntes, & mortuos sibi, & Deo,prius quam nascerentur, deplorabat. Oblatæ fœminæ,nec constat,quo prætextu,nam quasi à se curandum nullum admisit;oblatæ,inquam, benedictum panem obtulit, quo, imminente periculo, vteretur. Res mira! in pane miraculum experta; plura,in seipsa;tot,quot pericula incolumis euasit. Nam panis tandiu incorruptus perseuerauit,quandiu opus mulieri:neque vltra,eo gustato enixa est, quin se,& prolem pericula exemptos,imò præuentos,laudans,& lætabunda gratularetur. Hæc pluribus auctor vitæ Sancti Patris,atque ex ipso,Ioannes de Asignis, quæ retulisse sufficiat, quasi in exemplum aliorum, quæ multa gessit. Reliqua prosequemur suis locis.

De Beato Bonifacio notitia minor,nisi quòd ex discipulis Bernardi, atque ab ipso ad Villarium transmissum ex Clarauallе, tum sub Vlrico Priorem superius diximus. Cætera dubia præter sanctitatem comprobatam miraculis, & venerantium populorum communi calculo. Ossa nostris temporibus leuata cum multis aliis, Monachorum sanctorum ossibus,quorum Villarium ferax, marmoreo in tumulo clausa esse dicuntur; & superaddita singulis inscriptione; ex quibus, quæ Bonifacium pandit,hæc verba continet. 7.

QVI VITIVM NESCIT BONIFACIVS HIC REQVIESCIT.

Memorant inter Sanctos Cistercij viros, Miræus, Henriquézque: ille in Chronico, hic in Menologio;[f] Raysse in Natalitiis Sanctorum Belgij,[g] quos alij item transcribunt recentiores.

f Iunij die 5.
g Octobris 1.

---

1. Ioachimi Calabri pro suo Monasterio solicitudo, 2. Priuilegium Michaëlis Marturanensis, 3. exemptioni procurationum, 4. Synodorum, 5. atque obedientia Episcopis præstandæ,nisi Ordine saluo,6. consensum prabens. 7. Dictum obiter de Bernardo Cardinali,8. & de Vvillelmo,Abbate Meilrosensi. 9. Alphonsus,Aragonensium Rex Rota munificus; 10. & Guillelmus Moncada sepultus in Sanctis Crucibus. 11. Calatrauensium virtus, 12. atque alia victoria. 13. Ferdinandi Magistri Senis cessio,& subrogatio Martini de Siones.

CAPVT VII.

1. EVNDEM annum illustrant alij euentus, quos leuiter perstringam in hoc capite. In Italia Ioachimus Curatij Abbas, à Michaële Marturanensi Præsule, ad cuius Parochiam Curatium pertinet,non tam indultum obtinuit, quàm assensum in ea priuilegia,quæ Alexander Cistercio concessisset. Vt neque sibi, neque suis successoribus reclamare liceret,ab his, quæ valida, & firma esse voluerant. Extat exemplar à Iacobo Græco vulgatum, quod in memoriam Præsulis vtriusque, concedentis nimirum, & impetrantis, operepretium duxi me facturum, si hic transcriberem. Est autem tale.

2. *MIchael, Dei gratia, Marturanensis Ecclesiæ humilis Episcopus,Ioachim Venerabili Abbati Sanctæ Mariæ de Curatio, eiusque fratribus regularem vitam professis,tam præsentibus,quàm futuris,in perpetuum.*

a Section. 11.

Speciosam mundi vitam fugientibus, pia conuenit adesse prouidentia:ne si eorum salutifera requies alicuius temeritate perturbetur,ab arctiori (quod absit) quam elegêre ingredi,via,violentia fatigati succumbant. Ea propter dilecti in Domino fratres, quamuis priuilegium Apostolicum, quod habetis Cisterciensis Ordinis libertatem vos à Domino, Beatissimo Papa, Alexandro tertio obtinuisse testatur:vt tamen Deo digni beneficij cooperatores,& nos esse mereamur:tam laudabilem libertatem præsenti priuilegio confirmamus. Quamuis quicquid libertatis quæque Cisterciensis Ordinis Monasteria habere noscuntur, vestrum Monasterium ex integro habere lætetur.

3. *Prouidentes igitur paci, & tranquillitati vestræ statuimus,concedimus, & confirmamus,vt nullus omnino Marturanensis Episcopus,vel alius, ad quem Ecclesiæ eiusdem cura pertinere,noscatur, vestrum Monasterium temerè audeat perturbare, aut de eius rebus aliquid auferre, vel ad donationem, aut mutationem,sibi, vel alicui faciendam, Abbatem vestrum,vel successores eius,aut vos, quacumque occasione compellere. Verùm si Marturanensis Episcopus amoris intuitu,vel qualicumque causa Monasterium vestrum aduenire voluerit;simpliciter,& paucis admodum sociis contentus, Monasterium vestrum ingredi studebit;illaque ad vsum proprium, & sociorum eius ad vescendum charitatiuè tantùm suscipiat,quæ ei ab Abbate, vel fratribus, pro eorum fratrum,& Abbatis voluntate,vel arbitrio, cum charitate oblata fuerint: saluo in omnibus Ordine vestro, omnique grauamine,& violentia remota.*

4. *Vt autem diuinis familiaritatibus liberius vacare possitis; statuimus, vt nullus vnquam Marturanensis Episcopus,vel eius clerus,curam,& solicitudinem vestri Abbatis,& successorum eius, quam super oues sibi commissas,aut committendas habere tenetur, aliquibus inquietationibus impedire præsumat: nec ad Synodum,vel ad Concilium,aut aliud quid agendum Abbatem Monasterij, vel qui pro tempore constitutus fuerit, venire compellat: nisi pro certa, & euidenti*

euidenti negotiorum ecclesiasticorum necessitate: sed, omni violentia remota, Monasterij sui necessitatibus, & fratrum commodis liberè intendere, & prouidere permittentur. Nulli igitur Marturanensis Ecclesiæ Episcopo liceat Abbati vestro, vel successoribus eius alicuius adinuentionis onus imponere, aut aliquid ab eis, vel à vobis contra voluntatem eorum, & vestram exigere: nisi id tantummodo, quod in vestro priuilegio, quod Beatissimus Alexander Papa tertius vobis fecit de iure Episcopali, continetur.

5. *Ideóque quamuis certum sit, quòd Abbas vester, qui pro tempore constituatur, Episcopum Marturanensem venerari debeat, & eidem, in sanctis, & spiritualibus mandatis obedire. Ne tamen occasione inobedientiæ vos exactioni subiicere (quod absit) præsumant, nec ad iurandum, & promittendum obedientiam Abbas vester, & successores eius vllatenus compellantur: sed vt postulatus fuerit simpliciter, & sine quæstione aliqua eis Marturanensis Episcopus munus benedictionis impendat. Alioquin si cum humilitate requisitus, munus benedictionis Abbati vestro cuilibet dare noluerit, sicut in priuilegio, quod à Domino Papa accepistis, continetur; licebit eidem Abbati proprios nouitios benedicere, & ea, quæ ad illud officium pertinent, exercere. Ad huius autem constitutionis memoriam, & inuiolabilem firmitatem præsens priuilegium per manus Tancredi Ecclesiæ nostræ canonici, & thesaurarij scribi & nostro sigillo fecimus roborari: nihilominus fratribus nostris Canonicis consentientibus, & propterea eorum manuum sigillis confirmantibus; quorum nomina inferiùs declarantur.*

6. *Si qua igitur in futurum Marturanensis Ecclesiæ persona, vel quilibet eius Prælatus hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temerè deuenire tentauerit, secundò, tertióve commonita, si non satisfactione congrua emendauerit, reum se diuino iudicio de perpetrata iniquitate cognoscat; & à sanctissimo corpore, & sanguinis Dei, & Redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat: atque in extremo examine diuinæ vltioni subiaceat; cunctis autem eidem loco sua iura seruantibus, sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus hic, & fructus bonæ actionis accipiant, & apud districtum iudicem præmia æternæ pacis inueniant. Amen. Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo, centesimo, septuagesimo, mense Augusto decima Indictione.*

Ego Michaël Episcopus Marturanensis confirmo præsens priuilegium in perpetuum.

Ego Mauritius Archidiaconus Marturanensis confirmo.

Ego Tancredus Canonicus, & Thesaurarius confirmo.

Ego Vincentius Canonicus testis sum, & confirmo.

Ego Ioannes Canonicus testis sum, & confirmo.

Ego Batholomæus Canonicus testis sum, & confirmo.

Ego Rogerius Canonicus.

Ego Moyses Canonicus.

7. Hæc in Italia nam quod alij tradunt, Bernardum Redonensem, olim à Beato Eugenio circa annum Christi M.C.L. Diaconum Cardinalem creatum tituli SS. Cosmæ, & Damiani, hoc anno persoluisse debitum Carnis, cum per annos viginti, plus minúsve, Cardinalitia dignitate fruitus esset;[b] quo verosimili nitatur fundamento, prorsus me latet; cum nullibi legatur promotus in Presbyterum, Episcopum vè; & aliàs Boso ab Hadriano IV. assumptus, in titulo SS. Cosmæ, & Damiani, circa annum Domini M.C.L.V. successerit. Quod mihi ingens argumentum est produxisse vitam vltra quinquennium. Certè Bernardus noster Rhedonensis, quandocumque occubuit, ingens Ecclesiæ desiderium sui reliquit. Quippe in cunctis laudatus à bonis omnibus, atque in exemplar positum, quod cæteri deberent imitari. Cætera ignota nobis, si quis inuenerit, vtinam addat, vt & multa alia, quæ huic operi deesse non dubitamus.

b Ferdin. Vghellus in suis Tabulis.

In historia Ecclesiastica Scotiæ,[c] à Thoma Demstero scripta, notatum lego, Vvillelmum, tertium Meilrosensem Abbatem, quem Sancto Vvalleno ad superos translato suffectum diximus, hoc anno præfecturę suæ cessisse; succedente Ioscelino, viro prudenti, & sancto, qui regimen illius Ecclesiæ, atque aliarum ab ipsa dependentium administraret. *Vvillelmus, Abbas tertius Meilrosensis, postquam aliquos annos prudenter, ac sanctè munus impleuisset suum, curam pastoralem humiliter dimisit, inquit Scot. Chronicon. lib. 8. cap. 14 Et ipso die precibus ipsius Abbas creatus est Ioscelinus. Curam regendi Monasterij dimisit anno M.C.LXX. X. Kalendas Maij. Eius exemplo alter Vvillelmus, Abbas eiusdem domus, curam pastoralem reliquit, inquit Scot. Chronicon. lib. 10. cap. 33. sub annum M.CC.LXXIII.* Ita Demsterus. Sed meo quidem iudicio multa confundens: etenim Ioscelini præfectura diuturnior fuit, quàm vt hoc anno electus, infra triennium non solùm successorem sortitus sit, sed & ei, qui successori eius successit, præfecturam potuerit abdicare. Crediderim continuasse Vvillelmum vsque ad annum M.C.LXXII. in quo animabus regendis minùs aptum, atque ob eam causam, cùm correctus non emendaret, tandem depositum, ex domestico authore comptobabimus. Vnde etiam fiet, vt, aut nullus alius Vvillelmus sit, qui regimini cesserit, aut longè illi recentior, quàm vt anno M.C.LXXIII. cessisse probari possit. Hæc pro Scotia sufficiat adnotasse: nunc, quæ in Hispania pauca prosequamur. 8.

c lib. 9. Fol. 660.

Potuisset auspicari nascentem annum Alphonsus Aragonensium Rex, Circumcisionem Christi Rotæ celebrans, si non historia Thomæ præoccupasset præuentos dudum, & dudum properantes ad gloriosi eius triumphi narrationem. Ergo qui initio à nobis prætermissus, saltem ad finem veniet referendus, religiosus, ac largus, vtrumque in nostros, quos suæ, tum pietatis, tum munificentiæ, vel in exteros sanctos, voluit esse participes. Referam autem eisdem ipsis verbis Hieronymi Zoritæ, Aragonensium rerum Polyhistoris, qui in Indicibus hæc habet ad hunc annum. *Rex statam Kalendis Ianuarij religionem Rotensi Cœnobio pro cultu suscipit, solemnique incipientis anni, Diui Vincentij sacello sacris precationibus celebrat. Ab Guillelmo Perezio, Ilerdensi, & Rotensi Episcopo, sacerdotúmque collegio impetrat, vt Diui Valerij caput, qui, Diocletiani Imperatoris sæuiente furore, verus Christianæ fidei antistes, & propugnator inuictus, mortem pro Christo sæpè appetiuit, Cæsaraugustam, cuius Ecclesiæ Diuinus Pastor, & Pontifex præfuerat, deueheretur: sacráque ea in æde eius præsens numen, atque auxilium ciues venerarentur; atque supplices implorarent. Eius voti religione Rex obstrictus Rotense Cœnobium Monterogo oppido donat.* Hactenus ille de Regia pietate, munificentiáque in Rotenses: de quo Cœnobio nos superiùs plura, quæ lector suis locis facilè videat. 9.

Intrante anno, Monasterium Sanctarum Crucium (tunc de Anchosa vocatum ab ipso loco) in Catalaunia, 10.

Catalaunia, Guillelmi Raymundi fundatoris, Mōcadæ Principis, funestarunt exequiæ; quin hoc anno obiisse memoriæ produnt.[d] Luxêre virum vtriusque Imperij Proceres, Aragonum nimirum, & Catalauniæ: quippe, quem illi magnum Seneścalcum exilij tempore; hi magnum Principem semper agnouissent; & si sacrilegum Tarraconensis Præsulis parricidium demas, cætera probum, & in armis semper strenuum, ac nulli procerum, quos ætas illa tulit, secundum dixeris. Reliquit filios ex filia quadam hostis Guillelmi de Campellbell, Guillelmum, Raymundum, & Berengarium; ex quibus duo priores (nisi fortè nepotes fuisse mauis) coronati martyrio, vt piè creditur, dum expugnarent Insulam Maioricam; atque inde relati ad Catalauniam, exuuiis suis illustrant prædictam domum. Sed de his suo tempore dicendum.

d *Ant. Bent. lib. 1. c. 10.*

11. Quod ad sacras militias attinet Calatrauensis sub Ferdinando Scaza, secundo eius Magistro, de quo superiùs Alphonso Regi, Zoritam obsidenti, ingens belli, & victoriæ adipiscendæ subsidium fuit. Detenta ea à Ferdinando Castrio, nomine Ferdinandi Legionensis, siue expectantis in nepote ætatem aptiorem sceptris; siue sub eo colore procurantis (quæ Principum plerumque conditio est) magnam partem Castellæ, Legioni addere, quam sibi conseruare postea facilè; recuperare, Alfonso arduum foret. Non tulit, etsi iuuenis Alfonsus vsurpatas arces, quæ sibi contigissent in patrimonium; nec censuit expectandum vltra pro aliis, quandiu Toletum, cæterarum caput, atque vrbem Regiam armis recepisset, expugnandam Zoritam sibi proposuit, neque inde, nisi capta arce, discedere. Obsidenti affluere Calatrauenses vsque ad ducentos equites: nec gladios, hactenus Sarracenis solis assuetos, exerere in Christianos, si modò iniustos alienorum detentores, aut Regi inobedientes, dubitarunt. Virtutis, quam in ea obsidione præse tulerunt monumenta supersunt; donatio non vulgarium possessionum in vrbe Toletana, Ferdinando Scazæ Magistro, & eius fratribus, per Comitem illustrem Pontium Cabrera. *Facta charta in obsidione super Zoritam, Æra M. CC. VII. (id est anno proximo) tunc temporis, quo Comes Nunius, & Comes Pontius, à nequissimo illo Lupo de Arenis (arcis præfecto) ibi detinebantur captiui.* Et post quinquennium donatio eiusdem arcis abs rege facta, firmata per instrumentum, vt propagata in ea sacra militia, à Sarracenis Valerdam incolentibus aditum ad Castellam, propugnaret. Hæc, anno M.C. LXXV. quo euenêre, fusiùs referemus.

Zorita interim Regi restituta, Ferdinandus Scaza cum suis hoc ipso anno adorsus Bæthicam, ad Idubedam populatus agros, & oppida, opima spolia reportauit ex Sarracenis. Illi non diu, pudore acceptæ cladis, neque minùs vindictæ cupiditate, ad octo millia peditum, & equitum, ordinati in agmen, ad Calatrauam audaces properabant. Timuere Ferdinandus, aliique exulceratos hostes, vt numero præliantium, ita vltionis ardore superiores: & nisi Toletanas cohortes auxiliares opportunè aduenissent, fortassis intra muros Calatrauæ impetum sustinuissent, quem formidabant. Ast, vbi se, vndequaque collectis copiis, subæquales viderunt, nam vsque ad quinque millia congregauerant: egressi obuiam, feriunt, feriuntúrque; & ancipiti pugna commissa primum; mox ipsi præualentes, tandem hostes profligant, diripiunt, capiunt, & longè ditiori præda potiti ad Calatrauam redeunt, inter socios ibidem distribuenda. Ingens ex hac victoria Christianis gaudium, Sarracenis confusio, metúsque: Calatrauæ militibus opinio, atque apud Regem gratia; & quod magnas ad bella vires addit, gloriosi suis; aduersariis formidandi esse cœperunt. Relatæ publicæ grates Cœlesti numini, non solum Calatrauæ, verum Toleti. 12.

His, & aliis congressibus victor, & victoriis illustris Ferdinandus intra biennium; cum se iam senem, fractúmque laboribus, & quietis appetentem conspexisset; tum, ne tempore breui parta gloria, quod prudentis iudicij consilium est, prolixiori periret, siue decresceret; & stare diu fortuna nescia, vt eleuauerat, subitò deprimeret; ad vltimum, vt soli Deo vacaret, & mortem in spe, & silentio præstolaretur: Magisterio cessit, suffecto sibi Martino de Siones, cuius suprà meminimus, viro in armis strenuo, & qui non degener tanti viri successor speraretur. Superuixit Ferdinandus per tempus aliquod, quo subscriptus inuenitur in instrumentis. *Frater Ferdinandus Scaza olim Magister.* An autem schismati contra Martinum de Siones, non multò post oborto, superstes fuerit, cùm nullam eius in eo memoriam videam, affirmare non ausim. Reliqua omnia in tempore dicemus. 13.

---

1. Chronologia Ecclesiarum præsentis anni. 2. Strata Marcelli, Hilda. 3. Doberanum, 4. reliquarum fundationum notitia breuis. 5. Sancti Petri de Aquilis antiqua, sed vsurpata: 6. mox restituta, 7. ab iniustis possessoribus, 8. & tradita Cistercio circa hunc annum. 9. Azebeyrus Benedictinorum Cœnobium, 10. nostris accrescens. 11. varia illius notitia. 12. & Sancti Gundisalui eius Abbatis.

CAPVT VIII.

1. MVLTIS hic annus abundans fundationibus, ferè nostris restituit Bernardi sæcula, nam duodecim notat Chronologia, quarum hæc series.

Anno M.C.LXX. XI. Kalend. Augusti, fundata est Abbatia de Strata Marcelli.

Eodem anno, III. Kalendas Februarij, Abbatia Saltus Noualis in Hispania.

Eodem anno, Abbatia de Hilda.

Eodem anno, Kalendis Martij, Abbatia de Doberano.

Eodem anno, XII. Kalendas Aprilis, Abbatia de Garnerio, siue Garnerij Villerij.

Eodem anno, Abbatia de Castro Dei.

Eodem anno, Abbatia de Victoria.

Eodem anno, Abbatia Belli-loci Lingonensis.

Eodem anno, Abbatia de Sancto Petro de Aquilis.

Eodem anno, Abbatia Cœna Sancta Maria.

Eodem anno, Abbatia de Roth.

Eodem

Eodē anno, Abbatia de Florano. Hactenus Chronologia; à qua tamen demendus Saltus Noualis, quia supradictus; & loco eius addendum Azebeyrum, quod hoc anno aggregatum Cistercio cōstat.

2. Primam Ecclesiam stratam Marcelli dictā, aliàs stratam Margill (quam Pollam multi etiam appellant) in Vvallia Prouincia Angliæ, atque eius fundatores, memorat paucis Nicolaus Arsfeldius pro suo more. *Strata Marcelli* (inquit) *vel Strat Margill, in Montis Gomerici Comitatu. Fundator Ovvenus, filius Grifini; & confirmatur ab eius filio Memmovvene, anno M.CC.II.* Hæc in Catalogo sacrarum ædium Angliæ; nam in historia plura de Cœnobio, & de Ioanne Vvadio, eius Abbate, vbi & Diœcesim notat Assanensem, aliàs Sancti Asaph, ita scribens [a]. *Electus fuit, sedente Isleepio* (Episcopo) *in præfectū Cœnobij strata Marcelli, Assanensis Diœcesis, Cistercienfis disciplina, quidam Ioānes Vvadius,* &c. De eo nos suo loco. Monachi ex Blancha-landa vocati sunt, vt habet Genesis Ecclesiarum Claræuallensium. Eandem lineam auxit Hilda, siue Ilda, in Diœcesi Camerinensi, in Marcha Anconitana; cuius Abbati Innocentius III. scribit, Anagniæ IV. Kalendas Februarij, Pontificatus ipsius anno VI. Memoratur in linea Claræuallis inter filias Esrom, vt mirum sit ad Italiam ex Dania transmissos Monachos, cum tot alij in Ecclesiis vicinioribus, nec minus celebres, possent inueniri. Sed id non semel in aliis vsurpatum, charitate in Ecclesias speciales, quas vellent fundatores amplificare.

a lib. 14. c. 33.

3. Doberanum (Doberum alij vocant, alij Dobranum) hoc ipso anno ab Auberto Miræo [b] notatam video. *Anno* (inquit) *M. C. LXX. fundatam lego Abbatiam de Doberano in Sclauonia. Designatur fortassè Doberanum, celeberrima Abbatia, secundo lapide à Rostochio, ad Mare Balticum olim sita, in Ducatu Mechelburgensi, seu Megapolensi; & in Diœcesi (ni fallor) Zuuerinensi, cuius hodiéque vestigia extant, vt ex oculato teste didici.* Ita Miræus. Verùm hæc eadem clarius, distinctiúsque in sua Vvandalia refert Albertus Krantzius, vbi & illustrē Cœnobij fundatorem Pribislaum Ducem, neque minùs illustrem interuentorem Bennonem Episcopum, superius memoratum; demum & primum Abbatem, & Monachos, ac domum, vnde venerint, propalat totidem verbis. *Erat tunc post mille centum pene septuagesimus annus, cum iam zelo Catholicæ fidei promotus Pribislaus, insigne Cisterciensis Ordinis Monasterium in Debram exædificauit, prædiis ditauit ad fratrum sustentationem; cooperante, & plurimum stimulante venerabili Bernone Magnopolensi Episcopo, qui Ordinis, & domus suæ de Amelongesborne fratres aduocauit, & introduxit, sub Abbate Conrado primùm ibi præsidente.* Consonant Krantzio Tabulæ Ecclesiarum Morimundensium, quæ Doberanum, Dobranúmve, in Zuuerinensi Diœcesi numerant inter Amelongesborne filias: an autem idem Monasterium sit, quod anno M.CC.LXXIV. à Mieszugeo Pomeraniæ Duce translatum legimus, suo tempore latius discutiemus.

b in Chron. Cisterc.

4. Garnerium, seu Garneium, Victoriámq; inuenio in Tabulis Ecclesiarum Morimundensium, vtramque filiam Monasterij de Villers, à quo & primam cognomen traxisse video. Notatur autem vtraque in Italia, altera Marsicanensis Diœcesis, in Lucania, siue Basilicata; Senensis altera. Castra Dei in Hibernia duo inuenio, atq; vtrumque de linea Claræuallis, alterum Surio Cœnobio genitum, alterum Furnesio: nec quicquam aliud de eis alibi lego. Et forsan sub nominibus diuersis ab Vbarso, aut aliis commemorantur. De Bello loco Lingonensi, Robertus Claudius pauca, nec satis firma. *Bellus locus, ait, Ordinis Cisterciensis Diœcesis Lingonensis in Decanatu Petra sita.* Beau lieu. *Fundatur anno M.C.LXX. filia Claraualli.* Hæc ille. Cæterùm Bellum-locum Lingonensem, non Claræuallis filiam, sed nepotem, ex charo loco natam, cōstat ex Genesi Ecclesiarum Claræuallēsium. Benefactores Belli-loci Dominos de Bergi in Notitiis Abbatiarū Galliæ à recenti scriptore notatos lego. Abbati de Bello-loco Cisterciensis Ordinis Lingonēsis Diœcesis scribit Innocentius Papa III. Anagniæ XIII. Kalendas Martij, Pontificatus sui anno VI. S. Petrum de Aquilis Lusitanam domum; cuius maior notitia, seorsim dabo. Cœnam S. Mariæ de Brandeburgum Vetus Mons genuit, auctam lineam Ecclesiarum Morimundensium. Ad quam etiam Floranum pertinere, Vasconiæ domum in Diœcesi Auxitana, ab Scala Dei productam superius diximus [c]. Nec constat an sit eadem, vel diuersa, ab ea, quam ibidem memorauimus. Ignotior Roth, quam solùm video inter neptes Claræuallis, incerta matre. Supersunt duæ domus, Hispana vtraque, Lusitana, & Gallaica, quæ breuiter, sed maiori luce tradendæ erunt.

c ad ann. 1151.

Sancti Petri de Aquilis Cœnobiū in Lusitania, 5.
ab antiquo fundatum Monachis nigris, adtitulatio prodit, nunquam aliàs inuenienda sine Maria. Initia domus in Rausendum, Thedonémque Reges, Ramiri filios antiquæ historiæ referunt, qui post varias victorias partas de Sarracenis, tandem sub Abbate Gelasio, Deo sacrati, & sibi ipsi bellum inferentes, gloriosiores triumphos reportarunt. Additur mors cuiusdam Sarracenæ, Regis Lamecę filiæ, ob amorem Tedonis baptizatæ, & tunc ab ipso ductæ; Sed à barbaro patre suffocatæ non multò pòst, in vindictam desertæ superstitionis. Nec tulisse Thedonem secundas nuptias; quin post amissam dilectam sibi coniugem, caduca cuncta spreuerit, & sola exinde cœlestia suspirauerit. Hoc initium antiqui Monasterij, teste Bernardo Brito Lusitano [d]; quod, siue desertione Monachorum, siue varia Bellorum, aut rerum humanarum vicissitudine, seu potentium tyrannide, in sæcularium dominium pertransierat: Cum ecce, siue scrupulis adacti; seu deuotione in familiam Cisterciensem; cui, si restitueretur, concessurum non dubitabant; hoc anno Monachis restitutum est; instrumento confecto, quod hodiéque obseruatum, & perseuerans, Brandaonius [e] adducit, in hunc tenorem.

d lib. 3. Chro. Cister. c. 13.

e lib. 11. c. 10.

IN nomine Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis; Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, quorum vna maiestas, parque honor, æqualis gloria durat in perpetuum, Amen. 6.

Nos omnes hæredes Sancti Petri de Aquilis, quicumque de stirpe Gania Rodriguez, & Domina Dordia vxoris eius nati sumus, timentes illam propheticam maledictionem, quā illi iustè plectuntur, qui loca diuino cultui mancipata ad contemptum Dei, atque iniuriam, in proprias possessiones vsurpare præsumunt [f], *qui dixerunt* hæreditate possideamus nobis sanctuarium Dei, Deus meus pone illos, vt rotam, & sicut stipulam ante faciem venti; *& cætera, quæ de hac maledictione sequuntur: chartam libertatis, atque firmitatis ob honorem Dei, & Beatæ semper Virginis Mariæ, & Beati Petri Apostolorum Principis, facimus de supradicto loco, cum omnibus, quæ ad eum pertinent, vobis fratribus, qui ibidem sub Regula Beati*

f Psal. 82.

Benedicti Domino seruire satagitis, & omnibus successoribus vestris. Concedimus itaque, atque statuimus, vt nullus nostrum, seu de potestate nostra habeat ibi Dominium, vel potestatem, inde vnquam aliquid auferre, neque inquietudines, vel perturbationem aliquas per violentiam, vel fraudem, siue per dolum, vel alio aliquo modo eidem loco inferre præsumat.

7. *Adiicimus etiam, vt nullus vnquam ibi Abbas constituatur, nisi quem sanior pars congregationis secundum Dei timorem Canonicè elegerit; neque alia aliqua persona Ecclesiastica, vel secularis in huiusmodi ordinatione se participem facere audeat, quod omninò prohibemus, atque modis omnibus interdicimus. Si igitur (quod absit) aliquis ex nobis, vel de posteritate nostra, contra hanc scripturam temerè venire voluerit, eamque in aliis infringere tentauerit, ex parte Dei omnipotentis, & B. Petri Apostoli sit maledictus, & excommunicatus: & cum Iuda, Dei, ac Domini nostri Iesu Christi traditore tartereis pœnis damnatus. Insuper verò si non congrua satisfactione secundum arbitrium Abbatis, & fratrum eiusdem loci, & 2. heredum fidelium, se emendauerit, omnes alij heredes vno animo insurgant in eum, & tandiu eum persequantur, atque constringant quousque præfato loco quingentos solidos dare cogatur. Quod si facere neglexerint, eúmque in sua pertinacia, atque malitia perdurare dimiserint, supradicta pœna maledictionis, & excommunicationis in hoc seculo, & in futuro simul cum eo sortiantur. Æra. M. CC. VIII. mense Maij facta est scriptura hac libertatis, Regnãte in Portugallia Rege Alfonso, Henrici Comitis, Reginaque Tharasia filio. Nos omnes heredes Sancti Petri de Aquilis hanc chartam propriis manibus roboramus. Ego Ioannes Bracharensis Archiepiscopus confirmo. Ego Menendus Lamecensis Episcopus confirmo. Gunsaluus notauit.* Hactenus instrumentum restitutionis.

8. Monachi, vt primum donati Monasterio, quo dudum caruissent; ne iterum acquisito destituerentur, Cistercium subeundum sibi putarunt; quippè sub cuius leges, iuráque acceptiores hominibus; & quod caput totius firmitudinis, Deo etiam dilectiores inuenirentur. Itaque accitis à Tarouca Monachis, accepere Cistercium, sub eiusdem Ecclesiæ in linea Claræuallis, generatione. Bernardus Brito Menendum Abbatem nominat, qui Cistercium admiserit, Sancti Ioannis Ziritæ interuentione; & adducit epistolas vtriusque vltrò, citróque missas. Sed quæ, Zirita defuncto ante sexennium, quod ex ipsa inscriptione sepulchri eius, ab eodem Brito adducta, constat;[f] stare non possunt, nisi reformationem Monasterij Sancti Petri de Aquilis, eius restitutioni anteponamus, quod non cohæret. Habet Cœnobium oppida, & Ecclesias, quæ plano illi iure in spiritualibus, & temporalibus substant, à multis annis, fortè à principio suæ reformationis. Memoratur in libris Cameræ Apostolicæ in Lamecensi Diœcesi taxatum Florenis LV. situs loci inter prærupta montium, multarum frugum ferax, saluti noxius; siue ex repercussione gyrantis Solis, siue ex subtus labentis fluuij Taboræ, atque exhalantium vaporum oppositione.

f lib. 5. c. 15.

9. Azebeyrum omisit Chronologia: incertum, qua de causa; sed quæ à quinque supra triginta annos fundata Benedictinis Monachis, hoc item tandem suscepit Cistercij iugum. Vtrumque probat mihi duplex inscriptio, duplici incisa lapidi: altera integra, quæ annum fundationis, & Monachorum numerum; corrosa altera, quæ reformationem, & primi Abbatis reformati nomen, si fortè Abbas ille, memoriæ prodit. Atque ecce exemplar prioris inscriptionis, quæ hodiéque in pariete claustri legitur.

ÆRA. MILLESIMA, CENTESIMA, SEPTVAGESIMA, TERTIA, QVARTO NONAS FEBRVARII, FACTVM EST IN PRIMO DVODECIM FRATRES VENERVNT IN HOC LOCO, NOBILIORQVE IPSE FACTVS, CENTVM SEX MONACHI SVB REGVLA SANCTI BENEDICTI.

Hæc de prima Cœnobij fundatione, & numero Monachorum supra centesimum.

Quinque, & triginta annis ab eius ortu, Petro quodam Martinez interueniente, dubium domus Abbate, an promotore, Cisterciense institutum amplexa est, impressa facti, & temporis memoria eidem parieti; sed characteribus, ob antiquitatem oblitteratis, adeò vt aliqua verba legi nequeant. Quæ patent oculis, & leguntur ita se habent. 10.

ÆRA MILLESIMA, DVCENTESIMA, OCTAVA, ET QVINTO IDVS SEPTEMBRIS······ ERECTVS EST ILLE CISTERCIVS, QVI DICITVR DOMVS ········ QVIDAM PETRVS MARTINEZ PROPTER AMOREM DEI MATRIS.·····

Hactenus ibi. Quæ ego vtcumque impleri posse puto, si sic legimus. *Æra M.CC.VIII. & V. Idus Septembris* in hoc loco, *ordo erectus est ille, qui Cistercius dicitur.* Domus huius Abbas *quidam Petrus Martinez propter amorem Dei Matris* fieri curauit. Hactenus inscriptiones, quæ solæ manent: nã instrumenta cuncta periere. Fratribus instituendis, ex Claraualle destinatos Magistros, obseruant pleræque Claræuallensis tabulæ: quæ Azebeyrum filiam Claræuallis, Eberbachum, & Balernam inter enumerant, seruata illi prioris fundationis antiquitate. Quod, S. Petro ab Aquilis negatũ, argumento est, nobilẽ tũ Ecclesiam Azebeyrũ, cui specialiter is fauor cócederetur. Id ipsũ probãt, duo alia Cœnobia, quæ breui protulit, vtrumq; in Lusitania, alterũ in Lamecensi, de Valle Paradisi: alterum in Bracharensi Diœcesi situm, vulgo de *Frades* dictum: quod de Fratribus Latinè interpreteris.

Fuerit ab initio Azebeyrũ Regia domus, in dubio est: cęterùm multa abs Regibus habuisse, Aldefósis præcipuè, nono, & decimo, ac Ferdinãdo huius patre, illius filio, quędam memoriæ antiquæ testificãtur. Fuit Monasteriũ temporali dominio, pollens; & iure patronatus in plures, neque ignobiles Ecclesias illius tractus. Iuris dicendi potestas, post longam litem, hoc nostro sæculo cessit Cõpostellano Archipræsuli, in cuius Diœcesi Monasterium sitũ est; ius Patronatus adhuc integrum manet. Et plura feuda domum locupletantia; nec solum in Gallecia, sed in Castella. Hodie suppressa Abbatiali dignitate, titulo præsidentiæ gaudet, & paucis Monachis: redditibus Salmantino Collegio primo, per Iulium Papam II. anno M.D.X. Dein Complutensi, seu meliùs dixerim, Salmantino ipsi ad Complutum translato, perpetuò applicatis per Clementem VII. anno salutis M.D. XXXII. Demum in communes obseruantiæ Hispanæ sumptus, dum Collegiis aliunde prouidetur. 11.

Antiquorum Abbatum nulla notitia, defectu instrumentorum; nisi quod tamen vnius Gundisalui, celebris sanctitatis viri, qui proauorum nostrorum sæculo floruit; sepulchrum, memoriáque, tali, tumulo, incisa subscriptione, verbis Hispanis. 12.

ESTE

ESTE SEPVLCRO ES DEL SANCTO ABBAG GONZALO, AQVIEN ENESTA TIERRA SETIENE MVI GRAN DEVOCION : COMO SE HECHA DEVER EN LA MVCHA GENTE, QVE ACVDE A EL DE MVCHAS PARTES A PEDIRLE SALVD ENSVS ENFERMEDADES : POSTRANDOSE DEVAXO DESV SEPVLCHRO, YADORANDOLE CON MVCHAS SENALES EXTERIORES DE DEVOCION ; CELEBRASSE SV FIESTA DOMINGO DE PASQVILLA, QVE ES ELDE QVASIMODO, AL OCTAVO DIA DELA RESVRRECCION DE N. SEÑOR : DICEN HA HECHO SV DIVINA MAGESTAD MVCHOS MILAGROS PORSV INTERCESSION. FLORECIO ESTE SANCTO POR LOS ANOS DE. M. CCCC. LXVI.

Hactenus tumulo impressa subscriptio : reliqua, quæ de illo, traditio magis, quam scriptura prodit : & si quid aliud, constat per instrumenta, siue per coniecturas recentiorum [f], (Nam tradunt aliqua Annalibus his digna)quæ suis tempore, & loco dicenda erunt.

f *Henriquez in Fascicul. & in Menologio. Hugo Menardus.*

IESV CHRISTI ANN. 1171. CISTERCII ANN. 74.

1. Varia sententia de nece Martyris Thoma, 2. in longum protrahenda, ni per miracula crebrescentia compescerentur. 3. Dubitatum de Henrico Anglorum Rege: 4. Contra quem Ludouicus, 5. ex cuius litteris etiam ratio temporis; 6. & pro quo Episcopi Angliæ scripsere: 7. Multa in eius fauorem, 8. inculcantes ad Alexandrum Papam; 9. Sed quæ facilè in eum torqueri possunt. 10. Quædam alia pro eo, ex Petro Blesensi.

CAPVT I.

1. DIVVLGABATVR per orbem Christianum indigna cædes Thomæ Cantuariensis, & quæ hominum plerumque pro varietate affectionum, varia mens; diuisi in partes, (adeò nihil à calumniis exemptum in hac vita?) docti, indocti, nobiles, ignobiles, diuersa, imò pugnantia prosequebantur.

a *Virg. 2. Æneid.*

[a] *Scinditur incertum studia in contraria vulgus.*

b *lib. 8. c. 69.*

Audi Cæsarium, coæuum penè authorem, hæc de eo scribentem in suis Dialogis [b]. *B. Thomas Episcopus Cantuariensis, qui nostris temporibus pro Ecclesia libertate, vsque ad mortem dimicauit, nullis miraculis in suis persecutionibus coruscauit; satisque de illo post occisionem disputatum est. Quidam dixerunt eum damnatum, vt Regni proditorem, alij Martyrem, vti Ecclesiæ defensorem. Eadem quæstio Parisiis inter Magistros ventilata est: nam Magister Rogerus iurauit illum dignum fuisse morte, etsi non tali; Beati viri constantiam, iudicans contumaciam. E contra Magister Petrus Cantor iurauit esse Martyrem Deo dignum, vtpote pro libertate Ecclesiæ trucidatum.* Ita Cæsarius. De hoc Petro Cantore inferius multa, cum Cistercium professum in Longo Ponte, ac multa sanctitate fulgentem ostenderimus.

2. Interim adnoto, vel longè post Sancti obitum, & comprobatã Martyrij sui causam crebris miraculis, ex quibus aliqua nos etiam adducemus; dubitatum à multis, vt non de re; nam in hanc quis auderet [c]? (Deus qui iustificat, quis est, qui condemnet?) At de tempore, & modo; quibus, vt non debuisset, potuisset parcere. Certè Guillelmus Neubricensis, grauis, & pius author, & quadraginta penè post annos scribens, de his nihil certi audet definire. *Nostra* (inquit[d]) *paruitati nequaquam conceditur de tanti viri actibus iudicare. Puto tamen, quod Beatissimus Papa Gregorius in molli adhuc, teneráque Regis concordia mitius egisset, & ea, quæ sine fidei Christiana periculo tolerari potuissent: ratione temporis, & compensatione pacis dissimulanda duxisset, iuxta illud Propheticum: Prudens in tempore illo tacebit, quia tẽpus malũ est. Itaq; quod à Venerabili Pontifice tunc actum est, neque laudandum esse iudico, nec vituperare præsumo.* Hactenus ille. Ergo quę vel miraculis firmata, non omnino sedarunt piorum mentes, ante miracula variè interpretata, optimos quosque haudubiè conturbabant.

c *Rom. 8.*

d *lib. 2. c. 25.*

Cæterùm, vt in Thomã, & pro Thoma diuisæ sẽtentiæ, sic ex his, qui fauebant Martyris causæ, alij pro Rege, qui facto nõ consensisset; alij in Regem, siue quòd sacrilegis infudisset audaciã tãti flagitij; siue quòd nõ vindicasset, inuehebantur. Et primam quidẽ quæstionem, quę ad Martyris gloriam pertinebat, statim Deus per miracula dissoluit. Secunda in dubio mansit, ancépsque, & quâ parte fœdare Regẽ potuit, suscepta pœnitentia, diluẽda. De prima ita Cæsarius loco supra, cum diuersas sentẽtias retulisset. *Quorum* (ait [e]) *quæstionẽ Christus soluit, cũ multis, & magnis eum* (Thomam) *signis glorificauit.* Porrò de miraculis, quæ statim increbuerant ad Sãcti tumulũ, tristitia penè in gaudium cõmutata: hęc ad Guillelmum Senonensem Archiepiscopum, sub huius anni initium, à Ioanne Saresberiensi scripta lego [f]. *Licèt Anglicana Ecclesia adhuc quidem ad multa sit ingens desolatio; tristitia tamen illius iam ex maxima parte in gaudium transiit; & luctus in Cantica, fælici prorsus, & læta mutatione conuersus est. Siquidem iam adeò ad memoriam Martyris inaudita miracula crebuerunt, vt si aliàs inaudita illic prouenerint, vix censeantur illius miraculis ascribenda.* Hactenus de frequentia miraculorum, à cæde Sancti statim subsequuta, ex quibus aliqua nos infra recensebimus. 3.

e *Vbi suprà.*

f *Epist. 287.*

Verùm, quæ, tum in Regem, tum pro ipso, à diuersis iactata, vario rumore per orbem ferebantur, non exactius aliunde nosci potuerunt, quàm ex diuersis litteris, ad Alexandrum missis, quas, tum Martyris Sancti filij orphani, tum Regis ipsius nuntij (nam vtrique illico ad curiam recurrerunt) à diuersis scriptas reportarunt. In Regem, quamuis non omnino clarè præ reuerentia sceptri, Comes Blesensis, Senonensis Archiepiscopus, atque alij Principes litteras dederunt. Sed præ cæteris Ludouicus Francorum Rex, seu charitate in hospitem antiquum, siue odio in æmulum, &, quæ hominum plerumque conditio est, vltionem de 4.

de acceptis olim iniuriis, per speciem honestans iustitiæ zelo, hæc per Martyris Christi familiares, acri, & ignito stylo scripto mandauit.

h apud Bar. [h] *Alexandro, Dei gratia, summo Pontifici, Ludouicus, eadem gratia, Francorum Rex, salutem, & debitam reuerentiam.*

Ab humana pietatis lege recedit filius, qui matrem deturpat; neque Creatoris beneficij reminiscuntur, qui Sanctæ Ecclesiæ illata turpitudine, non tristantur. Vnde specialiùs est condolendum, & nouitatem doloris excitat inaudita nouitas crudelitatis. Quoniam in Sanctum Dei insurgens malignitas, in pupillam Christi gladium infixit; & lucernam tantam Ecclesiæ non tam crudeliter, quàm turpiter iugulauit. Excitetur ergo exquisita genus iustitiæ, denudetur gladius Petri in vltionem Cantuariensis Martyris, quia sanguis eius pro vniuersali clamat Ecclesia; non tam sibi, quàm vniuersa Ecclesia conquerens de vindicta. Et ecce ad tumulum Agonistæ (vt reuelatum est nobis) diuina miraculis reuelatur gratia; & diuinitus demonstratur, vbi humatus requiescit, pro cuius nomine decertauit. Latores verò præsentium patre orbati, pietati vestræ seriem indicabunt; & testimonio veritatis aurem mitissimam adhibete; & tam de isto negotio, quàm de aliis, tanquàm nobis, credite. Valete. Sic Ludouicus ad Alexandrum aduersus occisores Martyris Sancti.

5. Ex qua epistola, vt id obiter notem, ratio temporis constat, quo miracula ad Beati Thomæ tumulum cœperunt crebescere, nempe ab ipso Martyrio, & sepultura. Neque enim, qui ad Pontificem pergebant, ab ipso consolandi Martyris filij, cædem prius, quàm miracula referre; aut Martyrem potuerunt pronuntiare, quin signis gloriosum, & veluti declaratum à Deo proloquerentur. *Ecce* (inquit) *ad tumulum Agonistæ (vt reuelatum est nobis) diuina miraculis reuelatur gratia, & diuinitus demonstratur, vbi humatus requiescit, pro cuius nomine decertauit.* Et statim, *Latores verò præsentium patre orbati, paternitati vestræ seriem indicabunt*: Scilicet non solum Martyrij, sed signorum, & è conuerso: quando vix vnum alterum præcessit, & ne vix potuit sine alio diuulgari. Iam quæ pro Rege Henrico Angliæ Episcopi, qui eundem in Sanctum irritauerant, ex eodem Codice Vaticano, à Baronio transcripta, accipiat lector. Scripsit autem Episcoporum omnium nomine Lexouiensis Episcopus, siue quòd eloquentior, siue quòd minùs suspectus in nece Sancti.

6. i Ibidem. [i] *Cum apud Regem nostrum pariter congregati, de magnis Ecclesiæ, regnique negotiis tractaturi, crederemur: subitus nos de Domino Cantuariensi rumor lamentabili mærore perfudit; adeò vt in momento serenitas in stuporem, & consolationes in suspiria verterentur. Per aliquos enim ab Anglia reuertentes certa relatione didicimus, quòd quidam inimici eius, crebris (vt aiebant) exacerbationibus, ad iracundiam, & amentiam prouocati temerè in eum irruptione facta (quod sine dolore dicere non possumus, nec debemus) personam eius aggredi, & trucidare crudeliter persisterunt. Ad Regis denique notitiam rumor infaustus, quibusdam perferentibus peruenit, quoniam ei non licuit ignorare, quod ad eius vindictam iure potestatis, & gladij videbatur specialius pertinere. Qui statim, in primis nefandi sermonis initiis, ad omnia lamentationum, & miserationum genera conuersus, regiam prorsus maiestatem, quasi cilicio immutans, & in cinere; in isto fortiùs amicum exhibuit, quàm Principem; stupens interdum; & post stuporem ad gemitus acriores, & acerbiores amaritudines reuolutus, tribus fere diebus reclusus in cubiculo, nec cibum capere, nec consolatores admittere sustinuit; sed mœstitia perniciosiore voluntariam sibi perniciem indicere pertinaciter videbatur.*

Miserabilis erat malorum facies, & anxia necessitudo dolorum; quoniam qui Sacerdotem lamentabamur primitus, de Regis salute consequenter cœpimus desperare; & in alterius nece miserabiliter vtrumque credebamus interiisse. Porro querentibus amicis, & Episcopis maximè, quòd eum ad se redire non permitteret? respondit, se metuere, ne sceleris auctores, & complices, veteris rancoris confidentia impunitatem sibi criminis promisissent; licèt ipse nouas inimicitias, recentibus iniuriis, & frequentibus maleficiis compararet: arbitrari se nominis sui famam, & gloriam, maledictis æmulorum respergi posse; & confingi, id ex eius conscientia processisse. Sed omnipotentem Deum se testem inuocare in animam suam, quod opus nefandum, nec sua voluntate, nec conscientia commissum est, nec artificio perquisitum. Nisi fortè in hoc delictum sit, quod adhuc minùs diligere credebatur. Super hoc quoque se iudicio Ecclesiæ prorsus exponere, & humiliter suscepturum quidquid in eo fuerit salubriter statuendum. 7.

8. *Communicato igitur consilio, in hoc consultatio omnium conquieuit, vt Sedis Apostolicæ Sapientiam, & authoritatem consuleret, quam spiritu Sapientiæ, & potestatis plenitudine Christiana Fides prædicat abundantiùs redundare, & apud eam suam studeat innocentiam modis legitimis, & canonicis approbare. Supplicamus ergo quatenus secundùm datum à Deo vobis spiritum consilij, & fortitudinis, tanti sceleris authoribus secundùm facti immanitatem seueritas vestra retribuat; & suam innocentiam Regi pietas Apostolica in statu suo velit affectuosiùs conseruare. Omnipotens Deus personam vestram Ecclesiæ suæ per multa tempora conseruet incolumem.* Hactenus Lexouiensis Episcopus nomine omnium, qui conuenerant, ad Regem excusandum, Episcoporum.

9. At quantum obnubilet mentem conscientia criminis, inde potissimum valet comprobari; quod hæc, quæ pro excusatione Regis scripta sint, penè accusationem ipsius magis contineant. Quippè dolentis non Sancti viri necem, non Christi offensam, non contemptum clauium; non denique Ecclesiæ, & Dei iniuriam; sed *quod nominis sui fama, & gloria, ea occasione maledictis æmulorum respergi posset, & confingi id ex eius conscientia processisse.* Quasi qui non tam factum condemnaret, quàm sibi de infamia eius timeret; & pro sua, non pro Christi causa tristatus, immane illud flagitium, non tam doleret, quàm proprij honoris, ex eo maculationem. Tum quæ maior in ipsum accusatio, quàm vindictæ impotentia, quam tamen iure potestatis, & gladij, ad eum pertinere confitebantur. Vt quid enim precantur Alexandrum, *Quatenus secundùm datum sibi à Deo spiritum consilij, & fortitudinis, tanti sceleris authoribus secundùm facti immanitatem retribuat?* An non poterat ipse vendicare? an non sibi facilius in proprio Regno occupare portus, occludere aditus, atque omne aufugium intercipere? An Alexander terra, & mari diuisus, nec potestate sæculari pollens: sacrilegos facilius comprehenderet? aut hoc solum delictum illi remitteret, qui per septennium cum eo decertasset, vt omnem penè auferret iurisdictionem? Nonnunquam se nocentibus puniendis imparem iudicaret, nisi ipse nocens. Sed hæc alias. Nunc ad historiæ seriem reuertamur.

Quod

10 Quod ergo ad excusationem Regis attinet, longe Episcopis meliùs, Petrus Blesensis in epistola ad Gualterum Panormitanum Præsulem tunc recens ad dignitatem eam promotum, atque de his curiosiùs inquirentem: in qua hæc habet. *Quod autem de morte Beati Martyris quæritis, in verbo Domini, & Diaconi vobis dico, me nullo modo habere in conscientia, ipsum huius rei culpabilem extitisse: huiúsque fidem plenissimam vobis facient Dominus Theodinus Portuensis Episcopus, & Dominus Albertus Cancellarius, qui propter hoc in partibus nostris, legatione fungentes, explorauerunt; & innocentiam viri cognouerunt: atque sub vmbra illius hoc quibusdã attentatum fuisse, totámque hãc iniquitatẽ à Sanctuario processisse. Accepta siquidem ab eis Canonica purgatione illius, de mãdato Summi Pontificis publicè sententiauerunt, eũ ab hoc crimine coram Deo, & hominibus esse innoxium; & in quosdam magnates, quorum malitiam in hac parte manifestè conuicerant, notam infamia retorserunt.* Hęc Petrus Blesensis: sed post missos in Angliam Cardinales ab Alexandro, de quibus nobis statim dicendum erit.

---

1. Abbas Vuallascia cum sex aliis collegis transmissus Romam. 2. Quid Alexander ante necem Sancti cognitam. 3. Quid post eius notitiam. 4. Vocati Nuntij Henrici in consistorio. 5. Relatio facti. 6. Et infensum Romani Henrici nomen. 7. Decretum interdictum in Regnum Angliæ: 8. Sed impeditum industria Legatorum. 9. Præstita cautione, & iurata obedientia nomine Regis. 10. Cardinales in Angliam destinati, qui coram reliqua commodiùs exequerentur.

Caput II.

1. CVM litteris Episcoporum Angliæ (nec dubium, quin Henricus etiam scripserit, quamuis eius epistola non extet) duo Episcopi Vvgorniensis nimirum, & Ebroicensis, & Abbas de Valace, seu de Valascia Ordinis Cisterciensis (quam domum supra Mottuo-mari genitam, à Matilde Imperatrice, Henrici matre, in Diœcesi Rothomagẽsi fundatam diximus) sex sociis adiunctis, missi sunt, Alexandrum, qua possent, placaturi. Neque enim acerbissimè laturum indignam Thomę cædem dubitabatur. Casu, an consilio factum; sed factum tamen, vt Episcopis tardius progrediẽtibus, Abbas cũ sociis prior perueniret. Creditũ ex industria retardatis, his, qui suspecti habebantur in causa Thomę, Cisterciensem præmissum cui magis ab Alexandro credendum foret. Extat relatio vnius ex Regiis Nuntiis ad Archidiaconum Pictauiensem, huius legationis ad Alexandrum missæ Ministros omnes, sed processum, & progressus, commemorantis. Et quidem de Legatis ista breuiter *Nuntij Regis fuerunt Episcopi Vvigorniensis, & Ebroicensis, & Abbas de Valace, & Archidiaconus Sarisberiensis, & Lexouiensis, & Dominus Robertus de nouo Burgo, & Richardus Barre, & Magister Henricus Pichim, & quidem Templarius; missi ad excusandum Regem, quod nec eius mandato, nec voluntate interfectus esset Cantuariensis. Hoc autem non est negatum, quin ipse Rex dedisset causam mortis suæ; & quin aliquid dixisset, vnde interfectores illi occasionem interficiendi sumpserunt. Sed nec isti Nuntij simul ad Curiam venerunt.* Hæc de legatis, & aduentu eorum ad Curiam.

2. Ast Alexander, qui nondum facinus nosset, sed tantum ex litteris Thomæ percepisset resilire à promissis Henricum Regem, intrãte anno legatos ad eum misit, in eodem negotio ante probatos, & fideles inuentos, constantésque; Gratianum nimirum, & Viuianum, de quibus supra; qui anathematis, interdictíque exertos dudum gladios, tandem in Regem, Regnúmque vibrarent, quoad vsque omnia cum Diuo Thoma pacta, iuxta tenorem Apostolici decreti manciparent effectui; nec quicquam penitùs differri, vel omitti dissimularent. De hac legatione Rogerius in Annalibus [a]. *Interim venerunt in Northmanniam duo legati Cardinales, à latere Alexandri Summi Pontificis missi, qui alias, vt dictum est, eodem sunt functi munere legationis, Gratianus scilicet, & Viuianus, qui magnis, & diuersis vexationibus Regem Angliæ angariauerunt; volentes eum, & terram suam sub interdicto ponere.* Pergit deinde appellatione interposita per Regem ad Alexandrum, atque in Angliam ex Northmannia, transfretatione. Et quidem ista Summus Ecclesiæ pastor, antequam cædem Sancti cognouisset.

Verùm cum primum execrandum facinus nouit. *Ita* (inquit idem, qui suprà Rogerius) *perturbatus est, quòd neque sui etiam fere per octo dies cum eo potuerunt habere colloquium. Et generaliter interdictum est, ne Angli ad eum haberent accessum; & suspensa sunt omnia eorum negotia.* Hinc factum est, vt qui venerant legati, quantumuis Cisterciensi Abbate velut protecti, paterentur repulsam: primò nullo eorum; mox ad instantiam quorundam Cardinalium, solo Abbate admisso, cum vno socio. Sic enim pergit, *Sed à Domino Papa non sunt admissi, neque in conspectu eius apparere potuerunt.* Intellige primis diebus; nam statim subdit. *Deinde ad preces quorundam Cardinalium recepti sunt Abbas de Valace, & Lexouiensis Archidiaconus.* 3.

Porrò quem adeò difficilem alloquio, nequaquam postea faciliorem experti sunt, integra semper Pontificia seueritate; neque habenas laxante iustitiæ zelo. *Appropinquante die Iouis ante Pascha, generaliter dicebatur in Curia, quod Dominus Papa illa die daturus erat sententiam excommunicationis in Regem, & regnum. Vnde nuntij timore perterriti quibusdam Cardinalibus intercedentibus significauerunt Domino Papæ, se accepisse in mandatis à Domino Rege, quòd iurarent in præsentia eius, quòd Rex stabit mandato suo; & hoc iurabit in propria persona. Eadem die Iouis, ferè circa horam nonam, vocati sunt tam Nuntij Regis, quàm Nuntij Episcoporum (miserunt enim Episcopi excommunicati, & suspensi Nuntios alios, absolutionem, si possent, impetraturos) in Generali consistorio. Iurauerunt Nuntij Regis, scilicet Abbas de Valace, & duo Archidiaconi prædicti, & Henricus, & Richardus Barre, quod Rex stabit iudicio Domini Papæ; & quod ad præceptum eius hoc iurabit. Eadem autem die excommunicauit generaliter interfectores Cantuariensis, & omnes, qui consiliũ, & auxilium, vel assensum præbuerunt; & omnes,* 4.

a *Ad hunc annum.*

qui eos in terram suam receperint, aut fouerint. Pergit relatio de aduentu Episcoporum Vuigorniensis,& Ebroicensis:& qualiter vocati ad audientiam post dies quindecim, nihil amplius impetrare potuerunt ab Alexandro. Sed de his omnibus exactiorem relationem ab Abbate Valaciæ, sociisque, eidem Regi conscriptam; vbi & de absolutione Episcoporum sub iuramento, in eodem Vaticano Codice inuentum,audiamus [b].

b apud Bar. hoc ann.

5. *Charissimo Domino suo Henrico illustri Anglorum Regi, Duci Northmanniæ,& Aquitaniæ,& Comiti Andegauensi, R. Abbbas Vualaciæ, R. Saresberiensis Archidiaconus, R. Lexouiensis Archidiaconus, Richardus Barre, & Magister Henricus, salutem,& fidele in omnibus,& vbique obsequium.*

Nouerit vestra Maiestas, quod cùm Richardus Barre nos præcessisset,& cum multo periculo,& grauamine, nos ad Curiam Domini Papæ præuenisset, nos quatuor cum duobus Episcopis, & Diacono Ebroicensi,& Magistro Henrico cum multa difficultate venimus vsque Senas: ibique diebus aliquot detenti fuimus. Comes enim Macarius, sic ex omni parte vias obsidebat, quod nulli patebat egressus. Cum verò nos quatuor, cum Episcopis, qui plurimum exire desiderabant, non potuissemus: in maxima angustia positi, ex communi consilio, media nocte,& latenter exiuimus,& sic per abrupta montium, per loca ferè inuia, sub magno timore, & periculo tandem venimus in Tusculanum. Ibi Richardum Barre de vestro honore, sicut decebat, solicitum, & ad vestram vtilitatem prudenter,& instanter laborantem inuenimus; multum tamen conturbatum,& confusum, quia nec Dominus Papa eum receperat, nec alij benignos, & humanos se illi exhibuerant. Nos autem venientes Dominus Papa nec videre, nec ad osculum, nec ad pedes voluit recipere. Vix enim plerique Cardinalium dignati sunt nos recipere, vel in verbo. Diu ergo in amaritudine spiritus nostri anxiè conturbati, iis, qui vos fideliùs diligebant, omnimodè supplicauimus, vt eorum interuentu Dominus Papa nobis quocumque modo audientiam indulgeret.

6. *Ad audientiam recepti sunt Dominus Abbas de Valacia,& R. Archidiaconus Lexouiensis, qui minus habebantur suspecti. Ipsi autem, cum nomen vestrum tanquam deuotissimi filij Romanæ Ecclesiæ in salutatione ex vestra parte proponerẽt; acclamauit tota Curia: Sustinete, sustinete: tanquam Domino Papæ abominabile esset audire nomen vestrum. Sic à Curia venientes, serò redierunt ad Dominum Papam, ei de nostro communi consilio exponentes, quod nobis fuerat à vestra Maiestate iniunctum: referentes etiam seriatim singula beneficia, quæ contuleratis Cantuariensi; & singulos excessus, & importunitates, quas contra vestram commiserat dignitatem; totúmque hoc primò, secreto; postea coram Domino Papa, & omnibus Cardinalibus, contendentibus etiam contra vos Alexandro Vualensi, Guntero Flandrensi, Clericis Cantuariensis Ecclesiæ.*

7. *Instante verò quinta feria ante Pascha, in quâ de consuetudine Romana Ecclesia solet Dominus Papa publicè absoluere, vel publicè excommunicare: cùm certi essemus, quòd de vestro,& regni vestri grauamine, tanquam ad hoc proni diutissimè tractassent; consuluimus eos, quos vestræ Maiestati fideliores cognouimus, scilicet, Dominum Portuensem, Dominum Hyacinthum, Dominum Papiensem, Dominum Tusculanum, Dominum Petrum de Mirlo, (Dominus Ioannes Neapolitanus aberat) cum omni studio, & instantia exorantes, vt nobis animum Domini Papæ, & quid circa vos statuere proponeret, aperirent. Ipsis verò nihil nisi sinistrum, & vestræ Celsitudini ignominiosum reportantibus: ex singultuosa eorum, & fratris Francisci fidelis vestri relatione præsensimus, quod ea die immutabiliter disposuerat Dominus Papa in vos nominatim, & in totam terram vestram cismarinam,& transmarinam, de communi fratrum consilio interdicti ferre sententiam; & eam, quæ in Episcopos lata fuerat, confirmare.*

Positi ergo in arctissimo, omni studio attentauimus per Cardinales, & per illos de sociis nostris, qui ad illum habebant accessum, & per familiares suos, vt cessaret ab hoc proposito; vel saltem differret, vsque ad aduentum Episcoporum vestrorum. Quod cùm nullo modo fieri posset, nos, sicut decet, & sicut debitores vobis sumus, personæ vestræ dedecus, & totius terræ vestræ grauamen sustinere non valentes, nec debentes, tandem conuocatis sociis nostris, coram quibusdam Cardinalibus, viam inuenimus saluti vestræ, & honori bonam,& securam, vniuersæ terræ vestræ vtilem;& Episcopis quoque necessariam, per quam à vobis,& à terra vestra, & ab Episcopis vestris dedecus,& periculum, quod imminebat, auertimus; & nos ipsos pro hac liberatione totos periculo exposuimus; credentes,& certam spem habentes, quòd totum negotium procederet, secundùm quod credimus vos velle debere. Timore namque perterriti, iisdem Cardinalibus intercedentibus, significauimus Domino Papæ, nos accepisse in mandatis à vobis, quod iuraremus in præsentia eius, quod stabitis mandato suo,& hoc iurabitis in propria persona. 8.

Eadem verò die Iouis circa horam nonam vocati sunt nuntij, tam vestri, quàm Episcoporum, & in generali Consistorio iurauimus, Abbas scilicet de Valascia,& Saresberiensis, & Lexouiensis Archidiaconi,& Magister Henricus,& Richardus Barre, quod stabitis mandato Papæ, & ad præceptum eius hoc iurabitis. Nuntij verò Archiepiscopi Eboracensis, & Londoniensis, & Saresberiensis Episcoporum iurauerunt similiter, quòd Domini sui stabunt præcepto eius,& hoc iurabunt. Ipsa die tamen generaliter excommunicauit interfectores Cantuariensis, & omnes qui consilium, vel auxilium, vel assensum præbuerunt; & omnes, qui in terram suam scienter eos receperint, aut fouerint. Dominus Vuigorniensis, & Dominus Ebroicensis Episcopi, & Robertus de Nouo Burgo Ebroicensis, & Magister Henricus in proximo venturi erant. Et eos, quidem dimisimus vltra modum anxios,& turbatos, quia pro explendo negotio vestro, pro velle suo venire non poterant. Fuitque de consilio eorum, quòd nos quocumque modo præcederemus eos, vt dedecus,& malum, quod parabant vobis aduersarij vestri, impedire possemus. Certi enim eramus, quòd vestrum grauamen in Curia præparabatur;& timuimus illius diei consuetudinem. Valeat, & diu vigeat sublimitas vestra. Confortamini in Domino, & exultet cor vestrum; quoniam præsens nubilum ad gloriam vestram sequetur serenum. Die Sabbati ante ramos Palmarum ad Curiam venimus, & lator præsentium die Pascha recessit à nobis. Hactenus fidelis relatio Abbatis de Valecia, sociorúmque, de suæ processu,& progressu legationis. 9.

His itaque peractis, Alexander Pontifex iuramentum Abbatis, sociorúmque, quod Rex stabit mandatis, & quod iurabit, se ab eis non deuiaturum, exacturus seuerè, simul & de re ipsa inquisiturus; quod per seipsum non poterat, per Legatos efficere decreuit. Elegit autem ex cunctis Cardinalibus duos viros, præstantes pietate, doctrináque, & experientia rerum illustres, vtrumque Presbyterum, alterum Theodinum, tituli S. Vitalis, seu Vestinæ, 10.

ſtinæ, & poſt Portuenſem Epiſcopum creandum; alterum (ne vel hoc ſine Ciſtercio) Albertum de Mota, tituli S. Laurentij in Lucina (quem ex Ciſtercio aſſumptum ſupra vidimus) Cancellarium Eccleſiæ breui futurum, nec niſi in ſede Petri conſummandum. Adeò nihil fiebat ſine Ciſtercio, etiam in propria Ciſtercienſis Martyris cauſa, vt ſiue Rex pro ſe Legatos ſupplices, ſiue Alexander de latere Legatos, cognituros de cauſa, miſſurus eſſet, neuter Ciſtercium voluerit euitare. De hac Theodini, & Alberti legatia, hæc habet Herebertus in hiſtoria illa Sancti Quadripartita.[c] *Verùm quia confeſſio, ſicut nec per ſcripta, nec per perſonas interpoſitas fieri ſolet, aut debet, & viua vox confitentis, quò plus auget deuotionem, eò plus habet virtutis: vir Apoſtolicus Alexander, à latere ſuo duos Cardinales miſit, piæ memoriæ Magiſtrum Theodinum Presbyterum tituli S. Vitalis, vel Veſtinæ (vtroque enim nomine dicitur) & Albertum S. Laurentij in Lucina presbyterum Cardinalem, Eccleſiæ Cancellarium, viros certè omni religionis ſanctitate, & ſcientia præditos.* Hæc de decreta hoc anno legatione, de Aduentu Legatorum, geſtiſque, ſequenti, quo euenere, referemus.

c apud Bar.

---

1. Thomæ miracula in dies crebreſcentia. 2. Et variæ de eius gloria reuelationes. 3. Quid de fræno ſuppoſito. 4. Quid de auicula inuocante auxilium Sancti? 5. Quæſitum de exhibenda veneratione? 6. Et expectata approbatio Summi Pontificis. 7. Ingens Petri Bleſenſis de Thoma laus. 8. Peregrinationes ad ipſum ex toto Orbe, & reliquiæ in cultu: ſed maximè per primores Caſtellæ vrbes.

CAPVT III.

1\. INTER hæc ad ſepulchrum Martyris Sancti, crebra miracula, cæci, ſurdi & muti, claudique, greſſui, loquelæ, auditui, atque viſui inceſſanter, omnes optatæ ſaluti reſtituebantur. Et multiplicabantur, dum diſcurrebant de Prouincia, in prouinciam; ſiue ex pia fidelium deuotione, dum vel leuia, pro magnis, dubia pro certis; & ſingula pro multis referebantur; quod non ſemel contingit; ſiue ex templi, & ſepulchri miniſtrorum (quod frequentius adhuc) queis miracula in quæſtu, cupiditate. Extat epiſtola Petri, quondam Cellenſis, tunc iam Abbatis Sancti Remigij, ad Priorem Eccleſiæ Cantuarienſis, reuelationes, & miracula inquirentem, ſub hoc initio. *Lugdunenſem Archiepiſcopum nobis aliquando ſcripſiſſe de reuelatione pretioſæ mortis Sancti, & glorioſi martyris Thomæ non teneo. Audiui quidem, ſed à quo audierim, mente excidit. Nolui ergo certa pro incertis ſcribere. Superflua enim ſunt impendia lucernæ, vbi Sol meridianus lucet in virtute ſua; & denigrat maieſtatem verorum, admiſtum modicum fermenti mendacij, & falſitatis. Credo enim magis laborandum, vt plura demantur miracula, quæ mera veritate fulciuntur in gloria Dei, & præfati Martyris; quàm vt aliqua furtiua, & emendicata ſupponantur.* Hactenus ille: vt coniectari liceat, creuiſſe famam, ab ipſa multitudine.

2\. Cæterùm quod ad reuelationes attinet, multis apertè oſtenſas, de Sancti gloria, Guillelmus Senonenſis Archiepiſcopus Alexandro ſcripſit, non niſi certa, ad ipſum relaturus.[a] *Dicitur namque, & conſtanter aſſeritur, poſt paſſionem ſuam multis apparuiſſe in viſu quibus perhibet ſe non mortuum eſſe, ſed viuere; & non vulnera, ſed vulnerum tantùm eis cicatrices oſtendit.* Quadripartita hiſtoria[b] Martyris Sancti præſtat eas, quas ſupra recenſui eadem ipſa die, quâ paſſus eſt, ſeptennem puerum in prouincia Deuoniæ poſitum ter exclamaſſe ait, non ſine audientium ingenti admiratione. *Bonus Sacerdos de medio ſublatus eſt, optimus paſtor obiit: ploremus omnes.* Quæ vox, puerilis nænia primùm credita; ſed mox paucis diebus euolutis, pro oraculo habita; dum eadem hora coronatum Martyrem conſtitit, quâ ex ore penè infantis laudem ſuſceperat. Tum Hieroſolymis, tranſactis diebus quindecim, Abbati ſuo apparuiſſe Monachum Sanctum non multò antè defunctum, qui Beati Martyris gloriam reuelauerit: Confirmatam deinde reuelationem, ipſo euentu Martyrij; quod hactenus ignotum in illis partibus, non multò pòſt vulgatum, aſſertæ gloriæ fidem conciliauit. Hinc frequens ad ſepulchrum eius concurſus ex prouinciis, ex regnis remotioribus, & qui ex longa peregrinatione remeabant ad propria, alij terram reſperſam Martyris ſanguine, alij raſuras lapidum; quidam fragmenta veſtium, ſi quæ poterant; demùm, quæ poterant, deuoti reportabant. Et credebatur ineſſe virtus his omnibus miracula patrandi, quam ipſi etiam euentus comprobabant.

a lib.4.c.2.

b lib.4.c.3.

Cæſarius Heiſterbacenſis, penè coæuus author, memoriæ prodit, non veris tantum exuuiis, ſed ſuppoſitis, hiſque longè diſtantibus, virtutem hanc conceſſam in Sancti gloriam, & fidei, quâ inuocabatur, confirmationem. 3.
Miles (ait[c]) *quidam prædictum Martyrem Beatum Thomam Cantuarienſem ardentiſſimè diligens, ſi aliquid de illius poſſet habere reliquiis, circumquaque inueſtigauit: hoc cùm audiſſet, quidam doloſus Sacerdos, in cuius domo hoſpitabatur, ait illi. Ego frænum, quo diu vſus eſt Beatus Thomas, penes me habeo, & ſæpè virtutes eius expertus ſum. Quod miles audiens, & ita eſſe putans, Sacerdoti pecuniam poſtulatam lætus obtulit; & frænum cum multa deuotione recepit: Deus verò cui nihil eſt impoſſibile, fidem militis remunerare volens, ad honorem ſui Martyris multa per idem frænum facere dignatus eſt miracula, quod miles conſiderans in honorem Martyris Eccleſiam condidit, loco reliquiarum frænum Sacerdotis peſſimi in ea reponens.* Ita Cæſarius, qui tamen omittit, qualiter Sacerdotis fallacia detecta fuerit. Quid putandum patraſſe reliquias veras, ſi vel falſis ea virtus donata fuit?

c lib.8.c.70.

Sed adhuc iucundius aliud; quia ſingularius, ex eodem authore[d] proferamus. 4.
Matrona quædam Beatum Thomam Cantuarienſem plurimùm diligens, aſſiduis infirmitatibus laborabat, & cùm doloribus angeretur, eumdem Martyrem his verbis inuocabat. Sancte, inquit, Thoma, adiuua me. Habebat autem, neſcio cuius generis auiculam, quæ ex aſſiduitate audiendi, eandem abſolutè ſatis proferre didicerat orationem. Die quadam, miluus extra domunculam eam videns, rapuit, & euolauit: in ipſo raptu, dum

d li.10.c.56.

vnguibus illius auis premeretur, cunctis, qui aderant audientibus, clamauit de aëre. Sancte Thoma, adiuua me. Vt autem mirabilis Deus Martyris sui merita gloriosa demonstraret, miluo, vt auiculam dimitteret, praecepit: quae statim cum multa alacritate rediit ad dominam, & ille rapina sua poenam luens, mortuus cecidit in terram. Hæc de multis sufficiat adduxisse. Plura, qui volet, consulet libellum miraculorum Sancti, qui post Quadripartitam circumfertur. Ioannes Saresberiensis non renuit dicere, [e] *Martyrem Sanctum omnes, de quibus legeris, vel audieris (Sanctos) in miraculorum exhibitione praecedere.* Et præcesserat ante viginti annos Bernardus, quem omnes alios longè præcessisse, grauium authorum testimonio confirmauimus.

e Epist. 187.

5. Quæsitum interim, & diu ventilatum inter fideles, an Sanctum Martyrem declaratum per tot miracula, atque ipsa, quæ eum sequebatur acclamatione populi, venerari liceret publico cultu, & multis placuit pars affirmatiua, quandiu res minus clara; inter quos vnus Petrus Cellensis fuit. Is ea à magistris Ioanne, Richardóque, super his requisitus, ita respondit. [f] *De quaestione autem illa, quam in fine passionis Beati Martyris Thomae, bone amice, posuisti, credo nullatenus solutionem te latere. Forsitan tamen, & meum animum in tuam sententiam translatum non dubitabas: sed vt recogitarem, quia, quod Deus per se facere disponit, hominis auxilium, vel authoritatem non quaerit: vbi autem ministeria hominum non despicit, causa nostrae vtilitatis, vel humilitatis hoc facit. Absque enim omni sacramento, id est, visibilium elementorum, vel operum adminiculo, hominem saluare posset, nisi exercitia humilitatis, vel fidei ad vtilitatem saluandorum vtilia procurasset. Diffinitiuè ergo teneo nulla ratione lucernam accensam in manu Dei posse supprimi, vel extingui: nec ibi expectandum hominis iudicium, vbi manifesta luce Dei se explanat iudicium.* Hactenus ille.

f Lib. 5. ep. 14.

6. Sed nihilominus declaratio summi Pontificis necessaria visa etiam tunc, desiderata que à quibusque bonis; & eo fortassis nonnihil retardata, quòd populus deuotione simplici magis, quàm temeraria audacia, sed nihilominus causam præuenisset, soli supremo iudicio reseruandam: hæc sanè mens Ioannis Saresberiensis, qui ad Vvillelmum Senonensem de his scribens, eleganter discurrit pro suo more. [g] *Mirarer itaque supramodum, cur eum Dominus Papa in catalogo martyrum recipi non praeceperit, nisi quia in Ecclesiastica historia legisse me recolo, quod cum Pilatus missa relatione, Tiberium Caesarem consuluisset, an Christum, qui tot, & tanta fecerat, & à plurimis colebatur, vt Deus, coli oporteret, vt Deum; Senatus ab Imperatore consultus respondit; colendum quidem fuisse, vt Deum, nisi quia id prouinciales citra Senatus authoritatem praesumpserant.* Hactenus grauiter, & doctè Saresberiensis.

g Epist. 187.

7. Petrus Blesensis, quantum ex ordine epistolarum eius licet conijcere, ante declarationem summi Pontificis, de Thoma Cantuariensi, adeo eximia, vt neque Apostolis vereatur comparare; in dignitate inferiorem, planè concedens, sed in miraculis affirmans superiorem. [h] *Exulta* (inquit) *Anglia, exulta Occidens, quia visitauit nos Oriens ex alto. Thomam Apostolum India, & Orientalis regio iactitabat; sed occidentalem respexit Ecclesiam, qui in caelis habitat, & humilia respicit. Dedit Dominus Angliae Thomam nostrum: non inuidemus Indiae Thomam suum. Sit Thomas Apostolus in India, sit Thomas Martyr noster in Anglia; vt per hos duos testes Christi ab ortu Solis vsque ad occasum sit laudabile nomen Domini. Eat, qui voluerit in Indiam ad suffragia Beati Apostoli: tam longa peregrinatio nimis laboriosa est mihi: mihi sufficit Thomas meus. Ille palpauit latus Domini, & fixuras clauorum: ille, qua vidit, credidit: beatus, qui non vidit, & credidit, nec dubitauit: atque holocaustum Christo, & pro Christo se obtulit. Non laboro Martyrem Apostolo comparare, cum Apostolus sit maior martyre. Sed gloriosum est nos habere Martyrem, qui Apostoli nomen habeat, & Apostolum miraculis, aut imitetur, aut vincat. Non indignatur Apostolus, quia nec indignatur Dominus Apostolorum, & Martyrum, si quandoque Spiritus sanctus in operatione virtutum plenius, & celebrius alicui se infudit. Et haec inquit Dominus, facietis, & maiora horum facietis.* Hæc eleganter coæuus ille Doctor, & qui patientem æque, gloriosúmque Sanctum Martyrem Thomam veneratus, vel Regi adhærens semper suspex esset.

h Epist. 46.

Miraculorum frequentia, deuotio populi; & deuotione, ad sepulchrum Sancti concepta vota, & peregrinationes increbruere: adeo Cantuaria non minus visitata, quàm Hierosolymæ, Roma, aut Compostella; id quod ante decennium prædictum narrat, qui librum de miraculis eius edidit. Quin procuratæ continua deuotione Reliquiæ Martyris, & dispersæ per Orbem; crescere ferè visæ, multiplicarique aliàs tot populis nequaquam suffecturæ. Extat apud Arnaldum de Raisse Duacenum [i] Syllabus Reliquiarum Sancti Thomæ, quæ sparsæ per Belgium, in varijs eius locis obseruantur: neque omnes recenset, quantumuis multas. Butzelinus [k] alias transmissas Marchianensibus, & inter eas fragmenta carnis, & ossium, cucullæque, cum qua sepultus fuerat, instrumento producto etiam confirmat: nec facilè ad compendium reduci possunt, quæ per Hispaniam, Galliam, & Italiam, Germaniámque, & reliquas Christiani Orbis prouincias circumferuntur. Duo vtriusque Castellæ illustria capita, Burgi, Toletúmque, sed vtrumque, post Thomam adscriptum Sanctorum Canoni; alterum diem festum illius feriatum celebrat; alterum in honorem eius aram struxit, sex post martyrium annis, quod Ioannes Mariana etiam obseruat. [l] *Ea religione in Hispania suscepta, Toleti in templo maximo, sexto non amplius ab obitu sancti anno, Altare Thomae nomine constitutum constat, Alcabonis praediis à Nunio Comite, ex vxore Tharasia, in eius cultum, attributis, quod Martyris sanctitati, sed & Regina eius gentilis gratia datum fuisse indicatur. Id Altare magna coniectura indicant extitisse, quo nunc loco sacellum D. Iacobi nomine, magistri equitum Aluari Lunae nobile monumentum extat.* Hæc Mariana. Burgis, Toletoque addamus Salmanticam, scientiarum omnium matrem, & magistram; quæ inter alia, Collegio decoratur, & Parochiali Ecclesia, Martyri sacris; vt insigniores vtriusque Regni vrbes, velut certatim colant memoriam Sancti. Hæc colligere libuit, velut dispersa: reliqua, quæ maiora, grauioráque, singula suis annis adnotabimus. 8.

i Decemb. 29.

k Lib. 2. Gall. flan.

l Lib. 11. c. 12.

1. Sancti Hugonis Abbatis Liuncelli sancta conuersatio. 2. Qualis inter domesticos. 3. Qualis item ad exteros, 4. & quo fructu. 5. Promotio eiusdem in Abbatem Bonæ-vallis. 6. Dictum de domus illius fœcunditate: 7. De sancti Hugonis in Bona-valle vita meritisque, 8. & de miraculis: 9. Quibusdam carptim scriptis; & coniectatum de plurium amissione.

Caput IV.

1. Florebat interim Liuncelli Beatus Hugo, & quod minùs præpedientibus curis, propriæ quieti vacare permittebatur, compensare curabat aliorum lucris, quibus se ex debito officij consecrasset. Quin & extraneos pro collata sibi gratia,& charitate, nunc vltro, nunc ab ipsis accersitus,nunc ab Episcopis,aut lapsos erigebat, aut persistentes per exempla, per verba confirmabat. Audi,quid de his author ipsius vitæ,postquam rediisset ex Monte Pessulano; accepta ab Alexandro Papa benedictione.[a] *Inde reuersus, non propter honorem illum,vel dignitatem, mutauit propositum exercitiorum spiritualium;sed Dominum habens præ oculis,& extremi diem examinis; ad superna vocationis brauium ardenti animo aspirabat. Non enim variauit illius animum honor ille, siue onus impositum:& licet militare Marthæ, & eius castra sequi, intendendo charitatis operibus, & misericordiæ, aut sæcularibus insudando negotiis, ipsum quandoque cogeret sui officij,aut Abbatiæ suæ necessitas, aut aliorum etiam vtilitas:tamen,inquantum poterat, vexillum Sanctæ Mariæ contemplationi deditus sequebatur.*

[a] Vita eius cap. 7.

2. *Insuper cùm illud tantillum cibi sumeret, ad quod sumendum illum trahebat corporalis conditio, oblitus cibi,& esca,sæpiùs raptus supra se, & totus in Deo, & in contemplatione cælestium factus: stuporem, & admirationem aspicientibus ingerebat. Semper solus quantum in se fuit,& secum esse voluit. Vnde multoties,atque frequenter etiam separatus à suis sociis, & disiunctus; in arce Diuinæ contemplationis residens, equitauit. Libros plures aptos claustralibus, & diuinis officiis in domo Liuncelli, non sibi, sed fratribus scribi curauit:Quippe qui vtilitati communi, magis quàm propria,pro suis viribus prouidebat. Eandem etiam domum in multis augmentauit possessionibus: imò diuina gratia,quæ per seruos suos,& cum eis misericorditer,& mirabiliter operatur, informare curauit Monachos Liuncellenses, & conuersos in sanctis moribus, & exemplo vitæ, & in sacris admonitionibus; & vincere eosdem, ne vagabundi nimis essent mente, vel corpore, regularis compedibus disciplinæ. Authoritates sacræ Scripturæ eisdem exponebat sapienter,& luculenter,ac amabiliter:& exempla Sanctorum Patrum ad excitandum pigros, & confortandum pauidos, & vt fortes in melius de die in diem proficere proponebat.* Hactenus ad domesticos. Porrò ad externos,audi quæ sequuntur.

3. *Vocabatur multotiens à vicinis Episcopis, & ab eis rogabatur humiliter, vt sermonem ad Synodum ipsorum faceret; siue ad populum: & vtrobique eius discretionem in talibus, & sapientiam mirabantur. Cum verò sermonem faciebat ad populum, miro modo ipsum vniuersi reuerentes, & in ipso Dominum Iesum Christum,ipsius verba intentè,porrectis auribus, auscultabant. Si equitare per ciuitatem, vel castellum,vel vicum aliquãdo ipsum contingeret, concurrebant affectu mirabili viri,& fœminæ,parui,& magni; diuites,& pauperes,ipsum videre,ipsum audire, ab eo benedici. vel de pãnis eius auferre aliquid gestientes. sæpè namque ad suum veniebat hospitium,detruncata cappa, & multis incisa partibus: ac nimis accurrentium improbitate hominum deformata. Cucullam etiam cappa non poterat ab eorum manu defendere; sed qui de cappa aliquid,vel de cuculla,siue de tunica valebat tollere,cultello,manu,vel forcipe,sicut magnas reliquias æstimabat. Proponebat Sanctus Hugo cibum salutis,& fidei frequenter, ita feruenti animo, & ardenti Spiritus Sancti gratia; vt quasi prodire flamma ex eius vultu,& oculis videretur.*

[b] Vbi suprà.

Compatiebatur verò miro affectu animi contribulatis corde,& patientibus ab iniustis iniurias; & infirmis, ac oppressis paupertatis molestiis: & compassionem mentis,pij frequenter exhibebat effectum operis; vt implere videretur illud Apostoli. Quis infirmatur,&c. Pœnitentes autem ad se venientes gratanti suscipiebat,& læto animo; & ipsorum contritionibus,atque gemitibus, vt discretus, & valde peritus medicus, mira, consolationum antidota, edoctus ab vnctione Sancti Spiritus apponebat. Duros verò corde, & tyrannos, ac sæculares Principes,authoritate libera sapienter redarguens:eisdem æterna supplicia, & cruciatus infinitos ex verbis Domini minabatur. Nulli adulabatur,vel parcebat in vitiis; omnes diligens,omnium salutem desiderans, & affectans. In personis autem Ecclesiasticis Simoniacam hæresim, & monstra alia vitiorum detestabilia resecare, & tollere,discretionis,& rationis gladio, cooperante Domino,nitebatur. Verumtamen vniuersi, & Clerici,& sæculares, licèt quandoque iaculis aspera correctionis confossi, ad cor reuertentes, ipsum miro modo, non contradicendo eius sermonibus, sed quasi consentiendo monitionibus, honorabant. Discordes autem, & maximè nobiles,inter se guerram habentes, curabat, & instabat ardenti studio, ad pacem, & ad concordiam reuocare. Non degenerabat Vir Beatus à vita, & moribus sui auunculi Sancti Hugonis Gratianopolitani Episcopi,confessoris Domini gloriosi:sed eius vestigia piis operibus, & conuersatione laudabili sequebatur. Christus namque ipsum fecerat vas electionis,vas regale,vas auri solidum: vas omni lapide pretioso artificiosè, & mirabiliter adornatum. Hic Sancti viri fructus in Liuncello, hic profectionis eius,in vtrisque exercitiis status fuit. 4.

Interim Venerabili Petro,Bonæ-vallis Abbate, per mortem rapto (quem Beato Gozeuino successisse superiùs diximus, cùm in Abbatem Cistercij promotus esset) adnitente Alexandro Cisterciensi, & suffragantium communi acclamatione, suffectus Hugo,atque in Bonæ-vallensium patrem electus est;non sine graui dolore Liuncellensium,qui se orphanos,viuente adhuc parente;qui sine duce, qui sine magistro relinqui,lamentabantur. De hac Sancti Hugonis promotione, hæc in ipsius Actis scripta lego.[c] *Cùm Sanctus Hugo Abbas Liuncelli his inuigilaret studiis;& non solum suis, & suæ Domui sed toti Religioni proficere, quasi quidam speculator constitutus in domo Domini, pio corde intenderet: diuina gratia ipsum extollere, & super maius candelabrum decreuit ponere; vt eleuatus altius,* lucerét 5.

[c] Vita Sancti cap. 8.

luceret amplius,& circumcirca, lumen maius effunderet,& splendorem. Prouidente itaque, ac ordinante diuina Sapientia, Domino Petro Abbate Bonaualllis, viro modesto,& honesto, viam vniuersæ carnis ingresso, ac sepulto in eiusdem domus Capitulo: B. Hugo Abbas Liuncelli, electus est tandem in Abbatem Bonauallensium,& de assensu Domini (Alexandri) Abbatis Cisterçij, per Dei gratiam constitutus. Gemebant sapientes Liuncelli tanto Patre, tam Sancto, tam honesto tam subitò spoliati. Hactenus Acta de Sancti promotione.

6. Fuit Hugo quartus Abbas Bonæuallis, præcedentibus tribus, ex quibus duo Sancti, Ioannes Gozeuinus,& si quid tertius minus ab eis fuit, quartus desuper abundanti virtutum cumulo, miraculorumque, de quibus infra, non solùm potuit supplere, verum supergredi: O fœlix Domus tales sortita Patres! fœlix, quæ ex Monachis Tarantasiensem Petrum, Ecclesiæ & orbis iubar,& Amedæum sæcularium Principum gloriam, intra vnius decurtati sæculi spatium fœcunda protulit. Meritò Bonæuallis sortita nomen, quæ tot palmites Christo, tot speciosas oliuas eius Ecclesiæ, tot magnos viros Orbi germinauit:& credẽdum obliuione sepultos alios, operoso illo sæculo, in quo non scriptoribus gesta, virtutésque, quibus cuncti insudabant: sed magis gestis,& virtutibus scriptores, otio prorsus excluso, deesse poterant. Vt neque scriptis metiri nobis liceat Sanctorum numerum; nec dubitemus nimium excelluisse, qui vel tunc scribi, ac nobis innotescere meruerunt. Sed iam qualis,& quantus Beatus Hugo ex eisdem eius actis, videamus.

7. d Ibidem. [d] *Factus igitur Sanctus Hugo Abbas Bonaualllis, semper in moribus,& in exercitiis spiritualibus, vt cedrus Libani multiplicata, fronde, flore, germine, studebat crescere; & inueniri se ipso melior; piis crescens operibus, cõsueta humilitatis tenax,& fragilitatis humanæ non immemor: contemplationis arcem non deserens, sed eam totis dilectionis labiis deosculãs,& amplectens. Sicut enim Palma sursum ad Deum ramos cogitationum,& operum, mira dactylorum plenos dulcedine dirigebat. Verè imitabatur Apostolum, cuius conuersatio in cœlis fuit: nam sicut testes sunt, qui ab ore eius audierant; vir beatus inter tumultus Clericorum,& sæcularium, ac causas Principum, quasi venditus, cõtẽplationi vacans, aut intendens, frequentiùs tanquam in claustro, vel in conclaui, mente cœlestibus inhærebat.* Hæc de viri virtute,& sanctitate, quam tamen statim confirmati cœptam miraculis, idem, qui supra, author pergit scribere.

8. e Ibidem. [e] *Dum supradictis vir Beatus intenderet, cœpit vita ipsius crebris coruscare miraculis: Diuina prouidente clementia, quæ sanctos suos mirificat, quando vult, & prout vult, ac glorificat, & extollit. Per ipsum enim multis infirmis; & diuersis infirmitatibus laborantibus, diuina gratia munus sanitatis optata tribuit: & eos à morborum suorum anxietatibus liberauit. Prætereà eidem visiones multas aperuit, & quæ ventura erant in posterum, reuelauit. Nos verò primum; quibus infirmis per Sanctum suum Deus sanitatis contulit: & postea Deo iuuante, quasdam de ipsis visionibus, non omnes, aperire curabimus.* Pergit deinde per octo, & decem capita, narrare miracula ex quibus nos nonnulla suis temporibus, reliquorum summaria, neque enim textum nancisci adhuc potuimus, morem gerentes lectoribus, reddemus.

Caput IX. De nobili viro Artando de Rosilione, ad tactum S. Hugonis sanato. 9.

Caput X. De Duranno Bruno, per Sanctum virum, à fistula curato.

Caput XI. De eodem per Sanctum Hugonem, à diuersis infirmitatibus sanato.

Caput XII. De quadam muliere, à quartanis febribus curata.

Caput XIII. De Petro Montanesij, per sanctum virum sanato.

Caput XIV. De puero à podraga simul,& chyragra liberato.

Caput XV. De Giroldo Monacho, à fistula curato.

Caput XVI. De muliere à contagione sanata.

Caput XVII. De Vuillelmo de Sancto Georgio, per Sanctum virum sanato.

Caput XVIII. De Ioanne Arcadon per Sanctum Hugonem curato.

Caput XIX. De Epileptico per virum Dei sanato.

Caput XX. De Guione de portario per Sanctum virum sanato.

Caput XXI. De pane, quem Sanctus Hugo excommunicauit.

Caput XXII. De aqua conuersa in vinum apud Caluasium.

Caput XXIII. De aqua conuersa in vinum tribus vicibus in hospitio Bonaualllis.

Caput XXIV. De Ioanne Longo, per virum Dei sanato.

Caput XXV. De Guiscardo de Montaneis, à B. Hugone sanato.

Caput XXVI. De Ioanne Arcadon, à quassatione capitis sanato. Hactenus summaria capitulorum. Neque ausim dicere, an alia desiderentur: nam codicem in Bonaualle mutilum, neque alibi à nobis integrum inuentum,& doluimus dudum,& dolemus: Certè quæ de visionibus scribenda promisit author in eo codice penitùs deficiunt. Quin nec de morte pretiosa viri Dei; vnde quæ alia de ipso dixerimus, ex diuersis decerpta colligimus.

---

1. *Illustres obitus in Ecclesia Claraualllis, 2. & cuiusdam ante mortem scientia infusa. 3. Duorum Conuersorum fœlices transitus, 4. præcipuè Constantini, de quo suprà. 5. Alterius pro leuissima culpa graue supplicium: 6. præcauens tamen magis, quàm castigans. 7. Efficacia orationum Godefridi, 8. electióque in Episcopum: 9. & ratio temporis ostensa sub quodam dubio. 10. Gualterus Daniel pietate,& doctrina claret. 11. atque emendati quidam Recentiores.*

CAPVT V.

1. DVm hæc in Bona illustrarent Sanctum Hugonem, in Claraualle Pontium plus, quàm miracula, quamuis neque ipsa deerant, gloriosi exitus fratrum consolabantur: & præfectus infirmis Godefridus, dictus de Meleduno, quem à morte Bernardi in ea domo Monachum induisse, vna

vna cum Gumaro, Regulo Sardiniæ, atque aliis viris Sanctis, commemorauimus. Quippe eo procurante salutem corporum, si qui deficiebant, non tam mori, quàm renouari, & transire ad meliora, manifesta indicia comprobabant. Multorum obitus Exordium magnum refert;[a] nos ex his paucos, qui hoc tempus concernunt, excipiemus. *Solebant* (ait) *infirmarij Claraualli cum gaudio, & admiratione magna referre de quodam religiosæ vitæ Converso gratiam quandam admirabilem, & memoria dignam quam Dominus ipsi ante obitũ ipsius conferre dignatus est. Cùm enim author gratiæ, bonæ vitæ ipsius merita remunerare disposuisset, & ipse infirmitate correptus aliquandiu decubuisset, tandem ingrauescente languore, mortis signa euidentiùs apparentia resolutionem corporis imminere nuntiabant. Et ecce inspirante, vbi voluit, & quando voluit, Spiritu Sancto, nouo, & verè stupendo miraculo, illuminatus, est intellectus eius, & aperta lingua illius. Cœpitque homo rusticanus, qui nunquam litteras didicerat, expeditè latino vti eloquio, miras quasdam sententias de sacris Scripturis disserens, nihil tamen proferens, nisi quod sanæ doctrinæ congruebat. Mirabantur fratres laici, qui litteras nesciebant, quid nam esset rei nouitas. Et accitis quantocyùs in audientiam ipsius multis Monachis, nihilominus iisdem infirmus scripturarum mysteria luculento sermone pandebat.*

2\. *Præterea suaues quasdam cantilenas de mysteriis Sanctæ Ecclesiæ modulatis vocibus decantabat, quæ nunquam audiri consueuerant; ita vt audientes, miræ rei nouitate attonitos redderet, & cantus suauitate mulceret.* Et paulò inferiùs. *Itaque nouus iste Theologus, de quo locuti fuimus, qui à timore Dei incipiens, fastigium perfectæ sapientiæ apprehendere meruit in consummatione præsentis vitæ; cum aliquandiu sanctarum sententiarum varietate, & cantuum modulata suauitate, tanquam dulcissimo poculo, audientes lætificasset: tandem in bona confessione transiuit ex hoc mundo ad Patrem, fœlici absorptione in abyssum æterni luminis absorbendus. Cuius in hac vita primitias ad hoc tantùm (vt reor) acceperat, vt nos in odorem vnguentorum, quibus delibutus erat, tantò auidius currere faceret, quantò solis mansuetis, & humilibus fontem veræ sapientiæ patere cognosceremus.* Hactenus ibi.

3\. Illustrasse creduntur hæc ipsa tempora duo alij Conuersi, Bernardi Patris studium, culturáque: alter Anonymus, alter Constantinus, quem ab ipso patibulo substractum, & Claræualli addictum superiùs diximus; fœlici vterque morte consummatus, quam ex eodem Exordio [b] accipiat lector. *Infirmabatur Conuersus quidam præfati Monasterij, homo religiosus, ac laudabilis conuersationis, qui in simplicitate cordis sui, vitam arctam, & angustam, per quam itur ad Deum inoffenso pede (sicut in morte ipsius patuit) cucurrerat. Cùm enim bonum cursum consummasset & iam ad extrema deuenisset, apertis oculis vidit Angelos Sanctos præsentes assistere lectulo suo. Quos vt vidit, & mirum in modum exhilaratus, quasi iam de morte triumpharet, circunstantibus ait: Nunquid non aspicitis Angelos Dei, qui modò aduenerunt? Pulsate ergo quantocyus tabulam, quoniam ipsi præstolantur exitum meum. Vix verba finierat, & mox pretiosam resolutus in mortem, fœlicem animam reddidit. Nec dubium, quin spiritus beati, quos præuidere meruerat, eam susceperint, & ad gaudia sempiterna Beatitudinis perduxerint.* Hæc ibi de Conuerso sancto Anonymo.

4\. De Constantino, cuius non minùs mortem ad hunc annum, ex tempore quo vixit in Claraualle, referendam censemus, hæc, quæ sequuntur. [c] *Triginta (ni fallor) vel eis ampliùs annis in ordine superueniens, migrauit ad Dominum: qui eum per merita Beatissimi Patris nostri à duplici morte, corporis videlicet, & animæ, misericorditer eripere dignatus est.* Virum inter illustres Cistercij numerãt, quotquot refert Henriquez in Menologio; addito ex Bernardo Brito obitus die, quem refert ad vigesimum primum mensis Iunij. Cæterùm quod idem Henriquez in suis Notis hunc Constantinum confundit cum alio milite, de quo simile Cæsarius, [d] in suis Dialogis; ex errore irrepsit. Quippe hic per Parentem Bernardum olim, ille per Danielem: hic Claræualli addictus, ille Sconaugiæ: hic damnatus à Theobaldo Comite, ille ab Henrico, Imperatoris Ottonis fratre fuit: & ille quidem tempore posterior, vt suo loco dicemus: hic longè prior, vt supra memorauimus.

Hos exitus habuisse viros Sanctos, mirandum minus: quamuis nonnihil ad Pontij gloriam faciat; nec non & Godefridi, quod illo Abbate, hoc præfecto infirmis, tales decesserint. Fulgebunt tamen magis eorum merita, si apertè constiterit sub eorum custodia, & cura positos, vel discolos præuentos; & vitæ, ac æternæ saluti donatos esse. Referam ex eodem Exordio Magno terribile exemplum, & bonis etiam quibusque formidabile, si non sanctis in gloriam; punito in salutem (fortè aliàs amittendam, si ex leuioribus in grauiora labi permissus esset) cęteris in terrorem, cautelámque, diuina prouidentia præordinasset; Referam autem cũ ipsa præmittendam. [e] *Quoniam,* inquit, *de præclaris moribus, religiosáque conuersatione, seu etiam pretiosa morte Sanctorum Patrum ad ædificationem proficientium, multa iam diximus: libet nunc ad cautelam desidium, negligentiam cuiusdam fratris, & pœnam, quam pro eadem negligentia sustinuit, interserere. Quatenus sicut proficere volentes, virtutum exemplis ad meliora prouocantur: ita negligentes quique diuinæ animaduersionis vltione territi, non solum maiora, verùm etiam minora sacri Ordinis instituta transgredi vereantur.* 5.

Conuersus quidam in vna grangiarum Clarævallis caligas suas absque magistri licẽtia lauare præsũpsit. Exierat autem solus, & stabat in crepidine riui, qui propè grangiam fluit, cœpto operi insistens: heu miser! non considerans qualiter in oculis Domini delinquunt qui vel in minimis puritatem sacri Ordinis violare præsumũt. Cum ergo (vt diximus) temerario operi, cuius magistri sui testem conscientiam non habebat, instaret: audiuit vocem clamantem, tanquam si aliquis alteri loqueretur, & dicentem: Percute, percute. Nec mora, sensit se idem Cõuersus duobus grauissimis ictibus feriri, vno in capite, & altero in pedibus. Tremẽs, ac pallens, concitus in grangiam rediit. Quid fecisset, vel quid accidisset, quid etiam pateretur, tremebũdus laicis fratribus indicauit. A quibus cum confestim ad Abbatiam transmissus fuisset: peccatũ suum pariter, & pœnã peccati, quã poterat humilitate confessus est. Dicebat autem, eosdem ictus, quos inuisibiliter acceperat, paulatim ad interiora sua serpere, vnum à parte capitis, alterum à parte pedum: séque modis omnibus vitæ terminum sortiturum, dum iidem ictus in corde suo sibi mutuò iungerentur. Quod ita verum fuisse, rei exitus probauit. Nam isdẽ frater, paucis interpositis diebus, in bona confessione vitam finiuit, tantò purior (vt piè credimus) ad Dominũ vadens; quantò terribiliori morte pro culpa sua puniri promeruit. Hæc in Exordio. Vix credam graues illic committi culpas, vbi vel leues tã seuerè castigabantur. Nisi dicamus, 6.

quia

[a] lib. 4. c. 17.
[b] lib. 4. c. 23.
[c] lib. 2. c. 15
[d] lib. 1. c. 31.
[e] lib. 4. c. 24

quia ex leuibus, ad graues facilè ruitur, præuentum intra leuem terminos fratré,ne grauibus succumberet,non sine graui cæterorum admonitione.

7. Porrò hunc ipsum diuinæ clementiæ fonté sub Pontio scaturientem in Clarauallé, nó secus ac sub Bernardo Parente olim vltra merita vtriusq; (nam respondebat præmiũ vtriusq; meritis) orationibus etiam Godefridi,cuius curæ incũbebant,qui ægrotabant,posse adscribi;forsan & deberi:probat oraculum ad ipsum de cælo factum in ipso tyrocinio, cum pro matre carnali,quam amisisset, [f] *Nimium foret solicitus*, eiusdem Exordij magni verba sumo) *& diuturnos exitus aquarum pro eadem deducerent oculi eius(multa siquidẽ ei gratia lachrymarũ collata erat)flagitabat instanter à Domino,vt sibi de illa reuelare dignaretur,vtrum adhuc in pœnis esset;an iam indulgentia requiem percepisset? Diu verò in hac supplicatione fatigato,facta est tandem diuinitùs vox ad eum de cælo dicens. Cur importunis precibus extorquere conaris,quod tuæ cognitioni non congruit. Tu tãtum ora pro tuis,& saluabuntur.* Sic in exordio. Notat autem Firminus Fiteriensis super hunc locum: promissionem occasione solius matris, à Christo factam; nihilominus non pro sola matre, sed ad quoscumque suos reputaret, extensam à Christo; atq; ipsum iussum pro omnibus orare:vt mirũ non matrem solã saluam,sed & cæteros fore, orationibus eius compertum esset. Neq; de causa dubitare posset,qui videret effectus,& aliàs factam de cœlo ad Godefridum tum promissionis, tum præcepti vocem non ignoraret.

f lib.3.c.2.

8. Inter hæc tamen ad altiora vocatũ virum;& siue celebri sanctitatis fama, doctrinæq; siue Gumari quondam Sardiniæ Principis, tunc socij eius indiuidui in Clarauallé,interuentione;ad Soritã in eadem insula sedem promouendum in breui,cœlestis visio præuenit,& cõfortauit.[g] *Erat*,ait idẽ author, *qui Exordium dedit, aliquãdo in oratione positus vir Dei Godefridus: cùm ecce per visionem persona quadam reuerenda apparẽs ei,digito ipsius annulum aureum imposuit:præsagium scilicet futuræ in proximo Pontificalis dignitatis.* Reuelationem euentus subsequutus comprobauit cœlestem: *nam in eodem anno*,ait,*sicut ipse nobis testatus est assumptus fuit in Episcopum Ecclesiæ Sorensis.* sic in Exordio. Porrò de hac electione Godefridi,in libro sepulchrorum Claræuallis,hæc,quæ sequuntur. *Quem*,id est Godefridum, *ad Episcopatum non traxit ambitio, sed compulit professio,vt alumnus Galliæ,ad ritus barbaros,& linguam,quam non nouerat, pertransiret. Vbi vixit per annos septẽ,& Monasterio Clarauallis plurima conferens,in pauperes,& alia loca multa dispersit.* Fœlix sæculum illud, gloriosumque, in quo non solum ex Prælatis Cœnobiorum, verum ex ministeriis inferioribus, in claustrorum secretis exquirebantur Sancti,doctique,qui prouinciis,qui Ecclesiis præficerentur.

g lib.3 c.23.

Cæterum quod ad rationem tẽporis attinet,animaduersũ velim meũ lectoré, in eodẽ libro sepulchrorũ Claræuallis,Godefridi electioné, non sub Pótio,sed sub Gerardo illius successore factã notari, cum adhuc sub eo infirmus præfectus esset; sic enim dicitur de eodẽ Sancto viro. *Sub Roberto*(scilicet Bernardi successore, à quo admissus fuit) *& successoribus eius(scilicet Fastrado,Godefrido & Põtio)diuersa gerens officia,inter fratres suos,cum eorum gratia,& fauore,est laudabiliter conuersatus. Demũ cũ infirmorũ fratrum esset sibi solicitudo commissa,sub Domino Gerardo sexto Abbate Clarauallis factus est Episcopus Soritanus in Sardinia,in Prouincia Tarritana.* Hactenus ibi:dilata morte Sancti in Annum M.C.LXXIX.vt pateat locus septennio Pontificatus.Verum cum Author Exordij, cui maior fides, nam liber sepulchrorum longè recentior, obiisse tradat[h] anno M.C.LXXVIII.nec sit,qui dubitet de annis præfecturæ, conuincitur hoc anno electum fuisse:atq; adeo sub Pontio,non sub Gerardo, qui annum adhuc vterq; sustinuere,quoadusque Pontius, relicta Clarauallé,Gerardus Fossã noua;ille in Episcopum Ecclesiæ Claromontanæ; hic in Claræuallis Abbatem promouerentur. 9.

h Vbi suprà.

Florebat interim in Anglia Gualterus Daniel, Ailredi discipulus;nec minus æmulator doctrinæ, quàm Sanctitatis.Ioannes Balæus [i] superiorem eũ appellat,sed authori dãnato suspecta fides, præcipuè in Sanctos;nisi quòd tamẽ in laudibus Alredi, quẽ Gualtero postponit,permultus fuit.Pitsæus ex Lelando,parciùs loquitur,quãuis nec ab eadẽ cõparatione abstineat,nec Gualterũ inferiorẽ Magistro faciat.De eius tũ scriptis(nã multa edidit)tum sanctitate, & meritis neq; non alibi nobis repetẽdus,hæc ex vtroq; authore accipiat lector. *Gualterus*(inquit [k]) *Daniel Ordinis Cisterciensis Monachus Anglus,Ailredi Rieuallensis Abbatis Diaconus, & eiusdẽ boni præceptoris optimus discipulus. Nã sẽper iisdẽ virtutis,& eruditionis vestigiis, quibus insistere vidit magistrũ,ipse etiã firmiter insistere,omni conatu & sancta quadã æmulatione nitebatur.Vnde ad parẽ ne dicam maiorẽ,in vtroq; genere perfectionis gradũ peruenit.Et in scriptis suis nonnunquam easdẽ, quas Ailredus tractauit,materias,& ipse tractandas suscepit,vt in illis suũ magistrũ superasse,vel saltẽ æquasse videretur. Omnia eius opera accuratissimè aliquãdo asseruata fuisse ferũt,tanquã immortalitate dignissima,in Bibliotheca Rieuallensi. Hac pleraq; ex Lelando. Scripsit autem contra Nicolaum Monachum:* 10.

i Cent.3.c.3.

k tom.1.relatum. ad ann.1117.

De Conceptione B. Mariæ. Librum vnum. Contra Nicolaum de Sancto Albano
De Virginitate eiusdem. Librum vnum. Crebrius me Gualterum prouocas.
De vera amicitia,Libros quinque. Quasi in biuio iam dudum spatiatur.
De onere iumentorum Austri. Libros duos. Animaduertens in Isaiæ capite tricesimo.
De honesta Virginis formula,Librum vnum. In primis huius nostri operis.
Centum Homiliarum,Librum vnum. Aduentus Domini nostri in carnem.
Epistolarum,Librum vnum. Mandasti mihi,vt hoc supra vires.
Centum sententiarum. Librum vnum.
Super Missus est. Librum vnum.
In aliquot loca sacræ Scripturæ. Librum vnum.

Tandem in Cœnobio Rieuallensi mortuus,& sepultus est circa annum gratiæ. M.C. LXX. sub Anglorum Rege Henrico secundo. Hactenus Ioannes Pitsæus ex Lelando,qui tamen mortem sanctam Beati viri,nonnihil anticipat, dum claritudinem refert ad sepulturam.

Non fuit hactenus,ex his quos ego legi qui virũ memorasset inter cæteros sãctitate illustres nostræ familiæ;cùm tamen inter scriptores omnes annumerent. Sed cũ æquè Ailredo subæqualẽ (nã id vt minimum,nullus est,qui neget) pietate,& meritis prodãt;ac doctrina,& scriptis;nõ video,cur excludatur à Menologio,vbi nõ paucos inuenio minoris notæ. Certè potiori iure recẽseatur;quàm qui hoc anno

anno dicitur obiisse Vvintoniensis Episcopus Henricus, Stephani Anglorum quondam Regis frater, Henrici auunculus, quem tamen Brito, & Henriquez memorauere: ille lib.4.cap.18. hic ad vndecimam diem mensis Octobris. Nam Henricus, vt id obiter dicam, ne lector erret, nec Cisterciensis reuerà, nec Sanctus fuit. Monasticam quidem vitam professus est, sed in Glascouiensi Monasterio Benedictino, quod nulli Anglicanæ historiæ mediocriter perito in dubium venit. Nec verò sanctum appellare licet, quem Bernardus [l] condemnat, neque alij scriptores Angliæ [m] excusant in multis actibus; sed in hoc vltimo, vt in multis aliis, Arnoldus Vvionius [n] vtrique, vt credo, errandi occasio fuit, qui virum tradit prophetiæ spiritu clarum. *Quod Henrico nepoti ipsum visitanti moriturus, prædixerit, castigandum à Deo ob necem S. Thomæ Cantuariensis.* Quasi ea vox non potuerit esse timentis longè facilius, quàm prophetantis. Ergo Henricus deleatur ex Menologio; & si licuerit pro eo substituatur Gualterius Daniel. Cæterùm quoniam primum viri opus de Conceptione Virginis, aduersùs Nicolaum scriptum commemorauimus; operepretium me facturum duxi, si, quæ hoc tempore de Bernardo, & Conceptione atrociùs recruduit, quæstionem propalem, magnos vtrímque defensores præseferentem; quam ab anno M. C. XXXVI. in hunc tomum remisi pertractandam.

l Epist. 237. m Arsfeldius facul. 12. n In ligno vitæ.

1. *Nicolai Monachi occasione impugnatæ Conceptionis, inuectiua in Bernardum, in Gallos, & in Cistercium.* 2. *Petri Cellensis responsio Apologetica*, 3. *pro Gallis*, 4. *pro Bernardo*, 5. *pro Cisterciensibus.* 6. *Quid ad obiecta in puncto Conceptionis?* 7. *Repetita calumnia per Nicolaum.* 8. *Et salua reuerentia sanctitatis*, 9. *diuulgatum figmentum de Sancti macula.* 10. *Atque pro Conceptione, pauca, & lenia.* 11. *Responsa Petri.* 12. *Atque ex ratione temporis, notata occasio prioris Gualteri operis.*

CAPVT VI.

1. ERGO his diebus, sopitam controuersiam à multis annis, de Conceptione immaculatæ Virginis, suscitauit inuidia magis, quam pietas: atque in Bernardum, velut qui obstitisset votiuæ deuotioni, Monachum quendam Anglum suscitauit: Petro Abbati Cellensi materiam præbens ostentandæ doctrinæ; sed multo magis, quã in Bernardum pollebat, atque in totum Cistercium, charitatis. An fuerit Nicolaus ille, primum Artemariensis, sub Cluniaco, & Petro venerabili, mox Claræuallis sub Bernardo parente Monachus, quem ipse Sanctus accusauit apud Eugenium; affirmare non ausim, quamuis suppetant plures coniecturæ. Nomen, ætas, ingenium, stylus audaciáque; quam nullus alius haberet in Sanctum Patrem: tum fuga hominis, elati, turgidíque, sed maculosi, comprehensíque in flagitiis, nec patientis latere, nec audentis in Gallia commorari; eundem esse facilè persuadent; qui terra, & mari diuisam Angliam quæreret (natale, vt multi putant ipsius solum) & repetitis antiquis institutionibus, in celebri Cœnobio Sancti Albani, quandiu Bernardus vixit, timidius egerit, ab eius morte, pudoris vinculis ruptis, quam de viuente nunquam ausus esset, saltem de mortuo vindictam intentauerit. Ergo seu ille, seu alius eiusdem nominis, natione Anglus, professione Monachus, & inter Sancti Albani monachos degens; odio in Bernardum, an tædio Cisterciensium (quæ malorum plerumque conditio est, optimos quosque, vel gratis fastidire) nam amore in Virginem, quis credat? cum non aliunde eosdem mordere posset; ex impugnata immaculata Conceptione occasionem desumens, qua populi fauorem, plausúmque per speciem pietatis conciliaret; tractatum edidit, non tam pro Maria, quàm aduersùs Bernardum, Cisterciúmque; huius nugas, & næniа, (nam sic vocabat) illius sanctitatem, doctrinámque, aut irridens, aut carpens. Quin in totam nationem Gallicanam arietizans audacter, neque vlli parcens conuitio, aut detractioni. Extat rescriptum Petri Abbatis Cellensis, cum iam Sancti Remigij teneret clauum, ex quo totius tractatus continentia (indigni qui maneret) perpendi potest; sic autem habet.

2. *Petrus* [a] *Sancti Remigij, Nicolao Monacho Sancti Albani.*

a Lib. 6. epist. 23.

Vacui, atque vacantis animi esset, singulis, quæ in litteris tuis sunt, recapitulatis, sigillatim ad verbum respondere. Summam itaque responsionum mearum constringens, & potioribus epistolæ tuæ dictis adstringens, pacis, & bonæ patientiæ pactum prius hinc, inde interpono; ne quis nostrum cuiuslibet commotionis scintilla, pro quolibet verbo aduratur, vel inflammetur. Sola mihi Sancti Bernardi iniuria donetur, & quæcumque, & vndecumque vis, iacula conglomera, siue vt meam rusticitatem confundas, siue vt de sensu meo vilissimas sententiarum quisquilias excutias; siue vt thesauros tuos homini pauperi aperias, siue vt nescientem doceas, & sensus tuos fortissimis assertionum repagulis stabilias. Aggredior igitur phantasmata tua, lenocinantia quidem pulchritudinis specie, sed titubantia stabilis fundamenti egestate. Quidquid enim Scriptura vasibus authoritatum non supportatur, nullius roboris stabilitate fulcitur. Hactenus velut de subiecto totius operis in Parentem Bernardum magis, quàm pro Maria: de quo vt apparet, ante hanc epistolam, vltrò, citróque missæ aliæ crebruerant.

3. At quæ pro sua, id est Gallicana natione Petrus responderit, iuxta obiecta à suo illo, imò & bonorum omnium antagonista, videamus. *Nec indignetur Anglicana leuitas, si ea solidior sit Gallica maturitas. Insula enim est, circumfusa aqua, vnde huius elementi propria qualitate eius incolæ non immeritò afficiuntur; & nimia mobilitate in tenuissimas, & subtiles phantasias frequenter transferuntur, somnia sua visionibus comparantes, ne dicam præferentes. Et quæ culpa naturæ, si talis est natura terræ? Certè expertus sum, somniatores plus esse Anglos, quàm Gallos. Cerebrum namque humidius, fumositate stomachi, citiùs inuoluitur; & quaslibet imagines in se ipso depingit, quæ ab animali virtute, vtcumque spirituali deferuntur, & ex occupatione omnium, tam naturalium, quàm animalium, seu spiritualium virtutum; infra iudicij veritatem confinguntur, vt phantasmata, seu somnia appellentur. Non sic cauernosa, non sic aquatica Gallia, vbi sunt montes lapidei, vbi ferrum nascitur, vbi terra suo pondere*

dere grauatur. Quid ergo? non citò à suo sensu mouetur, & veritatis auctoritatibus tenacius innititur. Ita pro Gallis Petrus aduersus Anglos; si non acriter antea prouocatus, fortè mordacius, quàm deceret modestiam viri.

4. Porrò quæ contra Bernardum, & Cistercienses, paulo inferius retundit, longè seuerius. *Petra*, inquit, *scandali est, quod Beatissimum Bernardum debita exuis veneratione: & verborum iacula post eum emittis, tanquam famam eius possis extenuare, vel gloriam euacuare. Bona fide, quâ te diligo, & fidelissima charitate laudo, consulo, & rogo, ne ampliùs in cælum ponas os tuum: quia nisi caueris tibi, in caput tuum recasurus est lapis, quo ferreum vis penetrare cælum. An excidit à mente tua omni Sancto competere:* flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo? *Super quem certè ceciderit lapis iste incautè missus, conteret eum. Subrides, & fortè nondum correctus labia mordes; quæ inquiens, huius Bernardi Sanctitas, quæ religio, quæ meritorũ prærogatiua? Nullus sum ego ad illius sancta præconia referenda. Vita eius, fama eius, opera, scripta, miracula fides, spes, charitas, castitas, abstinentia, mortificatio demùm in membris eius, sermo, vultus, habitus, & gestus eius, & his similia, ipsa sunt, quæ testimonium perhibent de eo. Prætermitto ista omnia: si nondum emolliri cor tuum potuit, vnum est, in quo, clauis in altum defixis, arbitror me, te apprehensurum; & in amorem Sancti Bernardi liquefacturum. Alumnus enim familiarissimus fuit Dominæ nostræ, cui non vnam tantùm Basilicam, sed totius Ordinis Cisterciensis Basilicas dedicauit; ad cuius laudem politissimos tractatus, & facundos composuit. Si ergo potes tangere pupillam, oculi Dominæ nostræ, scribe contra Bernardum suum, cui loquitur ipsa, Qui tangit te, quasi qui tangit pupillam oculi mei.* Hæc pro Bernardo. Sed quid pro Cisterciensibus. Audi quæ sequuntur.

Psal. 90.

5. *Cisterciensium quoque nugas nescio; quos præ aliis mortalibus, seriis, & sine fine mansuris intendere video. Hi sunt, qui vitam nostri, iam in agonia positi, Ordinis, reformauerunt. Hi sunt, qui regulam Beati Benedicti pene combustam, sicut Esdras veterem legem, restaurauerunt. Hi, qui cum Apostolo Corinthiis, id est agricolis, & rusticis sæcularibus, onerosi: sed propriis manibus laborantes, se, & alios pauperes pro posse exhibent. Claustra illorum castra Dei sunt, vbi nocte in Psalmis, & orationibus, parati sunt suscitare Leuiatam, qui sub vmbra dormit in locis humentibus; & in die in agro Hiericho Principi militiæ occurrunt, qui tenet gladium bis acutum; vt superflua resecet cogitationum, & operationum. Quærunt ergo cum Iosue dicentes:* Noster es, an aduersariorum? *vtilis quæstio, & inefflagitabilis solutio, vtrum Deus pro nobis, an contra nos. Si autem contra nos, quis pro nobis? Ampliorem prouocat amorem, si pro nobis, solicitudinem, & timorem, si contra nos. Ponamus itaque animum nostrum in manibus nostris, si contra nos: quia & si horrendum incidere in manus Dei post sæculum; melius est tamen incidere in hoc sæculo propitiabili, quàm in manus Dæmonum: dicamus itaque cum Iob: Etiam si occiderit me in ipso sperabo. Hæ sunt nugæ Cisterciensium.* Ita pro nostris Sancti Remigij Abbas; haud dubiè insinuans Nicolaum quondam ex nostris, siue potiùs à nostris exiisse, quia non ex eis.

6. Iam quæ pro Conceptione idem Apostata; leuia, & fictilia; cum potuisset sublimia, & ponderosa; tum quid Petrus responderit videamus. Arguebat ille: Recentes homines eodem spiritu regi, quo antiquos; natiuitatem Virginis non ab initio Ecclesiæ primitiuæ, inter fastos relatam, crescente postmodum fidelium deuotione, additam præclaris Ecclesiæ festiuitatibus. Quod si idem contingat in Conceptione? Iuxta mentem Hieronymi; nec Deum posse ex corrupta Virginem facere: nec decuisse præelectam in matrem Domini, peccato originali velut corrumpi, à quo nulla potentia ad omnimodam velut integritatem restitueretur. Demùm Dominæ nostræ animam non solum in passione filij gladio transfixam, sed etiam in Conceptionis suæ contradictione. Ad hæc Petrus: quod attinet ad transfixionem Virginis, & irreparabile damnum Virginitatis, irridet hominem, qui vel Mariam in cælis coronatam adhuc putet passibilem; vel exemplo Virginitatis irreparabilis, ad peccata translato; eneruet efficaciam passionis Christi. Quod verò attinet ad nouam deuotionem. *Est*, inquit, *auro locus, in quo conflatur; & habet argentum venarum suarum principia; sedem Petri, & curiam Romanam, quæ claues cæli principaliter tenet.* & infrà. *Vtinam, salua veritatis auctoritate, lance communis Concilij hæc Dominæ, & moderatrix totius Christianitatis Conceptionem Virginis librasset, & approbasset, & à mari, vsque ad mare hanc propagasset; Sole, id est Apostolico, ac Luna, id est, curia Romana præeunte! tam securè, quàm expeditè, in lumine vultus eorum, gressus meos ponerem, & disponerem; ex hoc videns vitare lubricum, & sequi solidum, & securum* Ita Cellensis in prima ex his, quæ extant, controuersiæ innouatæ ventilatione.

At non quieuit rabies procacis hominis; quin cum se à Petro retusum conspexisset, quò authoritatis auxilio destitutior, eò pronior ad somnia, nouum alium tractatum adorsus est, in modum Apologiæ, quo insigne illud de Macula Bernardi publicauit figmentum, ob impugnatam Mariæ Conceptionem: Ipsum pariter, Cisterciúmque deturpans; atque obiter aliam rationem promens pro Conceptione Virginis, dignam eius ingenio, & petulantiâ; quæ nihil præter nugas suffarcinaret. Ergo acriter punctus scripto Petri, talem ad eum Apologiam iterum scripsit [b]. 7.

b Lib. 9. epist. 9.

8. *Inuentionis palliatæ saturatus opprobrio, & ironice crapulatus à vino, verè putabam me missionem accepisse, & fœdus iam cum silentio pepigisse. Quid senserim sanè de priuilegio singularis integritatis in Virginum Virgine, scripseram; & metam ibi fixeram: & ecce meus Petrus de noua materia, nouum suscitat ex insperato bellum; & omnes Virginis domesticos prouocat ad indignationem, & doctos in lege Domini ad præsumptionis minus Catholicæ contradictionem.* Hæc in Exordio ad Petrum, cui respondebat. Sed in Beatum Bernardum paulò inferius.

9. *Ad [c] petram verò scandali de corde vestro tollendam, plusculum est immorandum, quia res exigit, vt palam faciam, quod clarè proposueram. Sanctus ille Bernardus, quem dicis me debita exuere veneratione, & post eum verborum iacula emittere, quondam Sanctorum cathalogo adscriptus, nuper est in Ecclesia canonizatus, & ab humano iudicio exemptus. Exemptus, inquam, est, ne de gloria eius dubitemus, sed non vt minùs de eius dictis disputemus. De gloria Beati Martyris Cypriani Beatus Augustinus non dubitat, tamen in Spiritus sancti datione eum errasse verissimè comprobat. Errorem martyrio deletum scribit: & sic decuit Ecclesiam venerari martyris gloriam, vt tamen non imitaretur errorem. Ego autem, etsi dissimili scientia, simili tamen conscientia, sic veneror Beatum confessorem Bernardum, vt laudem, & amem eius sanctitatem; qui nec amem, nec laudem eius præsumptionem in matris Domini Conceptionem.* Ita in principio subdolus, & vafer quod virus concepisset dissimulabar,

c Ibid.

mulabat, quo latiùs postea serperet, atque altiùs mentibus legentium imprimeretur, nam audi, quod subdit.

9. *Sed ne putes me magis pertinaci, quàm bona conscientia dicere, qua dico; audi, quid ab ipsis Cisterciensibus vera religione praditis, & Virginem in veritate diligentibus, acceperim de Sancto Bernardo; quorum nomina abscondo sub modio, ne odiosos faciam fratrum suorum collegio. In Claraualensi Collegio quidam Conuersus bene religiosus in visione noctis vidit Abbatem Bernardum niueis indutum vestibus, quasi ad mammillam pectoris fuluam habere maculam. Quem ex admiratione tristius alloquens, Quid est, inquit, Pater, quod nigram in te maculam video? & ille, Quod de Domina nostrâ Conceptione scripsi non scribenda, signum purgationis mea, maculam in pectore porto. Frater visa Conuentui innotuit, & aliquis fratrum in scriptum redegit. Relatum est in Generali Cisterciensi Capitulo, & de communi consilio scriptum periit incendio; maluitque Abbatum vniuersitas Virginis periclitari gloriam, quàm Sancti Bernardi opinionem.* Hæc Nicolaus in Bernardum, Cisterciúmque, impudenti mendacio, cui nullus crederet; & quod vel discolos, & Cistercio infensos exasperaret.

10. Pro Conceptione, audi aliud figmentum; & quidem petulantius, iudicio Petri. *Iuo* (ait) *venerabilis Carnotensium Episcopus, in chronicis suis scripsit, duodecimo anno atatis sua Virginem ab Archangelo Gabriele salutatam, & ab Spiritu sancto obumbratam; infra quem atatis annum non permittit natura moueri pubescentium genitalia.* Hæc Nicolaus; quasi non ante sensualitatis motus præuenti in Virgine, quam Christum conceperit: aut quasi in carne ab Spiritu sancto præuenta, ne motus carnis inordinatos sentire posset; in anima etiam debuerit præueniri, ne peccatum sentiret, quod imminebat. Concludit tandem in impia verba prorumpens, ni piè nimis velimus exponere ea. *Sicut*, inquit, *in cælo, qualis Pater, talis filius; sic in terra qualis filius, talis mater.* Hæc Nicolaus longa ambage verborum, quæ consultò omitto lectori parcens.

11. Ad quæ è contra Petrus Sancti Remigij, primum irridens de Bernardi macula, ob eam opinionem, inusta, somnium: *Euangelio*, inquit, *non somniis, de ipsa credo*, nempè de Virgine: ob quam Bernardus maculatus ostendebatur: nec quicquam aliud censuit respondendum; ne quod mendacio, ex responso pretium daret. Mox aspernatus indignam, nec Virginem decentem similitudinem (nam puram blasphemiam, indignam etiam habuit, cui satisfaceret.) *Compatior* (ait) *insolentia tua, qui de excellentissimis nostra Virginis motibus ad profundissimam vallem descendisti, ne dicam, corruisti. Licet enim in illa nihil sit verecundum, vbi omnia, & singula eius membra Luna sunt puriora, & Sole clariora: tamen nostra fragilitatis teterrima memoria, cùm audierit nominari genitalia, vix à sua excutietur palude; vix incipiet non solita cogitare. In Virgine igitur talia sacrosanctis cortinis potiùs volo honoranda inuoluere, quàm nudis nominibus, & manibus contrectare.* Demùm de tertio conuersus ad Mariam. *O Domina*, ait, *ignosce dicenti, quod displicet tibi. Nónne tu filij tui, licet mater, tamen ancilla? Nonne sicut oculi ancilla in manibus Domina sua, ita oculi tui in manibus Domini filij tui?* Hæc ex vtriusque epistolis decerpta, satis supérque visum pro instituto: plura qui volet, easdem ad longum videat, nam omnes inter opera Petri circumferuntur.

Cæterùm ex earundem epistolarum serie manifestè constat controuersiam resumptam per hoc tempus, quo dicitur scripsisse Gualterus Daniel; subsequenti agitatam, nempe, ab anno M.C.LXXIV. quo Bernardus Sanctorum numero adscriptus, ad annum M. C. LXXX. vel M. C. LXXXII. quo Petrus ad Pontificatum Carnotensem, assumptus legitur. Nam in epistola Nicolai dicitur, Bernardus pater nuper canonizatus. Petrus verò secundam eidem scripsit Carnotensis electus, ante consecrationem, vt notat titulus. Porrò cùm ante primam Petri epistolam, Nicolaus sæpiùs id ipsum argumentum replicauerit, atque ad plures transmiserit; quod erat hominis ingenium acre, & petulans: Haud dubium, quin pro Bernardo alij scripserint, inter quos Gualterus Daniel fuit, duos libros conscribens de hac materia. Qui vtinam hodiéque manerent, & legerentur. Ergo contra Nicolaum scriptos puto, vt titulus notat, non contra puram Mariæ Conceptionem; aut si contra eam, tantum contra primam, quâ fœtus formatur, in quo sensu Bernardus locutus est, vt suo loco ostendimus; non contra secundam, qua animatur; quam præseruatam à labe originalis, ab ipso sui Exordio, Cisterciensis familia, aut semper coluit, aut saltem nunquam in dubium reuocauit. Sed de his satis, occasione Gualteri operum, parumper antepositis; sed quæ aliàs etiam historia postulabat. 12.

---

1. *Tharasia fundatricis Salceda mors, sepulchrum:* 2. *Vnde interrupta & dilata fabrica templi.* 3. *Dominia temporalia, & sæculares Ecclesia addita nostris,* 4. *Duplici occasione:* 5. *Vnde celebris illa decretalis in capite* Recolentes *de statu Monachorum,* 6. *post multas laudes,* 7. *Cistercio primùm condolens,* 8. *mox etiam pracauens.* 9. *Diuina vltio in Abbatem nimis cupidum.* 10. *Andrea Episcopi Atrebatensis mors.* 11. *Et Calatraua schisma breui extinctum.*

Capvt VII.

1. Fvnestavit hunc annum in Lusitania illustris fundatricis Salcedæ mors, Egeæ Municij coniugis, longa quidem ætate iam prouectæ; sed quæ imperfectum reliquit Ecclesiæ opus; si diutiùs viueret, breui perficiendum. Antiqua Cisterciensium consuetudine, quorum Ecclesiæ Regiis tantùm, aut Sanctorum sepulchris permittebantur; an propria humilitate, sancitum voluit, vt extra fanum, ad introitum eius sepeliretur. Ita Bernardus Brito Lusitanus [a], qui superpositum Epithaphium petræ, hodiéque perseuerans exteris simul, & posteris transmisit. Rude id, & incomptum pro more temporis, sed satis honorificum, non pigebit ad litteram transcribere, [a] Lib. 3. c. 2.

Hoc loco latet, cuius per sæcula latere fama, nequit.
Solita perpetuare bonos fama, mori claros nec morte
Sinit; sed, & ipsa clarorum meritus, viuere semper habet
Multis Domna modis liquit Tharasia famam,
Sanguine, progenie, moribus, ac operis.
Ex Ducibus sanguis, soboles clarissima Regni
Absque nota mores, est opus ista domus.
De bis sexcentis, & denis monade dempta.
Inuenies Æram, quæ sepeliuit eam.

Hactenus Epithaphium Heroinæ.

2. Obiit ipso in feruore crescentis operis, vt citius consummandi, si diu viueret; sic ab ipsius morte retardati, vsque ad annum, M. CC. XXV. quo tandem consecrata Ecclesia legitur, vt superiùs à nobis notatum manet. Tharasiæ erga Salcedam charitatis, neque vulgare, nec leue indicium fuit, quod Egea Muñizio sepulto alibi, ipsa in Salceda voluerit sepeliri: & separati à viro suo elegerit, quantumuis claro, & charo; ne à dilecta Ecclesia vel nondum consummata, separaretur. Illud præterea eandem charitatem manifestauit; dolendum planè nostris, sed non ideo inuoluendum silentij tenebris, tot, tantáque testamento suo legasse dilectæ Domui, in dominiis, in hominibus Vasilitio iure subiectis; vt quæ eatenus alicubi admissa, sed parcè tamen, & velut cum formidine; atque pallianda magis, quàm possidenda; extunc iam plena manu, publicéque, susceperit Cistercium: & semel habitis, quamuis cum scrupulo, fortè & cum scandalo, in habendorum exemplar transeuntibus; deinceps ferè strictioris paupertatis vinculis ruptis, nihil iam recusare, forsan & plura, maioráque ambire licitum reputaret, imo honestum.

3 Sanè hoc ipso anno, si Brito credimus, semel admissis subditis, qui nostris Vassallitio iure subiicerentur, cumulatè exemptiones in Lusitania: nec solùm à tributis, & vectigalibus, sed quod mireris, bellicosa ætate, ab impugnandis hostibus, nisi Rex ipse in Castris versaretur, eximebantur. Quod priuilegium ab Alfonso Rege concessum Ecclesiæ Sancti Ioannis de Tarouca, mox ad alias pertransiens, maximè ad Alcobaciam, Regiam domum, & quæ ab initio Lusitanas opes, ac superbam potentiam præseferebat, & ad Salcedam, illi subæqualem; aliena oppida vacuabat habitatoribus, quos ad terras Cistercij transferebat: & confluebant ciues vndequaque, cupidine exemptionum, cum aliorum iactura; sed cum ingenti augmento vectigalium, atque aliorum redditiuum, crescentium ex contribuentium multitudine. Ergò, quæ dudum creuisset sub paupertate Stephani plantatio; mox sub diuitiis labore comparandis (id est cultura agrorum, & pastu pecorum, ab initio permissis) consetuabatur: cùm primùm ad altiora se extendit æmula principum: tum verò minitari ruinam visa est, quam solis, quibus scatebat, Sanctorum meritis, differre ad tempus potuit, non impedire.

4. Duplex huic malo causa; grauis vtraque, atque vtraque per speciem religionis: Pietas Principum, nil magnum reputantium his, quos vt verè sanctos venerabantur: & reformatio antiquorum Cœnobiorum; quibus olim acquisita iura ægtum dimittere: & neutri contristandi, aut repellendi; illi, ne fructu suæ deuotionis, & largitatis; hi, ne incrementis reformatæ vitæ, & perfectionis quæsitæ defraudarentur. Adeo in hæc vita nihil omnino tutum, neque minus à vitiis timendum est, quæ per speciem virtutis plerumque obrepunt, quàm quæ palam grassantur: Certè nostri superiores omni cupidine, quod de Sanctis illis viris pium est credere, obtentu charitatis, & religionis, succubuere diuitiis, potétiæque, ab earum pondere tandem opprimendi. Vtcumque fuerit. Cum hæc indulgentia (seu laxamentum appellare mauis) latiùs serperet, neque iam Lusitaniæ tantùm domus, quæ aliàs anteierunt, sed plures extra Hispaniam his dominiis frequenter cumulatæ, à primitiuo Cistercio non sine graui nota degenerarent; Alexander, communis Ecclesiæ Pater, sed specialis nostrorum, vt ipse sæpius solebat gloriari, quos præ cæteris filios diligebat, periculi admonuit, præuenitque, litteris datis ad Abbates, & Conuentus Ordinis Cisterciensis, quæ hodieque non solum perseuerant, sed in corpore iuris circunferuntur, sub hoc tenore.

Alexander Episcopus, seruus seruorum Dei, dilectis filiis Abbatibus, & Conuentibus Cisterciensis Ordinis. 5.

Recolentes, qualiter hæc sancta plantatio, hæc vitis fructifera, hæc denique vinea Domini Sabaoth, sub primis Ordinis vestri patribus pullulauit; & palmites longè, latéque producens ad mortifera pellenda circumquaque venena flores protulit, & odores; peruigili custodia studeatis, eorum in omnibus adhærere vestigiis, per quos, cooperante Domino, in deserto mundi huius, flos plantatus est honestatis, his enim paupertatis contenti numeris optimam ponentes in paupertate principium, totius sufficientiæ affecuti sunt complementum: Episcopis, & prælatis accepti, ac in conspectu Regum & Principum fama, & merito gloriosi.

Nunc autem, quod dolentes dicimus, quod etsi non ab omnibus, neque in omnibus, à plerisque tamen, & in pluribus, ab illa sancta institutione dicitur declinatum; in tantum, vt aliqui ex vobis patria institutionis obliti, contra Ordinis vestri regulam, villas, Ecclesias, & altaria possident; fidelitates, & homenia benignè suscipiunt, iustitiarias, & tributarias tenent: & omne studium adhibent, vt termini eorum dilatentur in terris, quorum conuersatio in cælis debet esse. Læditur hinc Ordo penitùs, & vitiatur; nec est hæc mutatio dexteræ Excelsi, sed potius de dextera in sinistram; vt qui relicto sæculo, sub paupertatis habitu Deo militare decreuerunt; negotiis denuò sæcularibus implicentur. 6.

Inde est, quod vobis ac aliis, quæ foris sunt contentiones, & litigia suscitentur; & Abbatibus in causis forensibus occupatis vt plurimum, in commissis domibus, & tepor ordinis, & dissolutio nascitur charitatis; maximè quia cum paupertate charitas plus proficit; & cupiditatis consortio, nisi illa restinguatur, hæc tepescit. Ideòque precibus, & monitis exhortamur, quatenus domus illæ, quæ à prima sui origine in ipso ordine sunt fundatæ constitutis terminis sint contentæ. Nec velint inordinatè ad ea manus extendere, quæ sine laboribus, & periculis multis, & deinde sine criminibus, & magna confusione non poterunt retinere. 7.

Si enim relictis originalibus Ordinis institutis, ad communia volueritis aliorum Monasteriorum iura diuertere, oportebit vos communi iure censeri: quia dignum est, vt qui similem cum aliis vitam suscipiunt, similem sentiant in legibus disciplinam. Cæterùm domus illæ, quæ de aliis institutionibus ad vestrum Ordinem se transtulerint, vestris omninò se satagant vsibus conformare; & relictis possessionibus, vel etiam communitatis, quas institutio vestra non recipit, sic se in omnibus religioni vestræ coaptent, vt quemadmodum gaudent se in societatem Ordinis, & habitus identitatem adsumptas; 8.

adſumptas; ſic etiam in paupertate ſæcularium rerum, ſe latentur veſtris inſtitutionibus cõformatas. Hactenus litteræ Alexandri Papæ, quæ vtinam à noſtris exauditæ primitiuum Ciſtercium reuocaſſent: ſed, ſiue à Principibus, Eccleſiarum, fundatoribus, ſeu tandem Alexandri ipſius permiſſu, caſſæ,& irritæ, malum detegere omnino ſuffecerunt, ſed non curare.

9. Hoc ipſo anno, ſi credimus Iperio, vt Pontificiæ paternæ admonitioni concordaret diuina; atque vtraque ruentes ſpecie zeli, ab ipſo præcipitio reuocaret; Dauid Claro-mariſci tertius Abbas, qui Guillelmo ſucceſſerat; odio, an cupidine, intentatæ inuaſionis contra Bertinicos, Bernardo olim deuotos,& ſibi vicinos, viſibiles, nec leues pœnas luit; confracto crure, in ipſo medio opere, quod contra idẽ Cœnobiũ moliebatur. Verba Iperij tranſcribã, quæ ita habent [b]. *Anno Domini M. C. LXX. Dauid Pater Nicolai militis, tunc nuper in Claromariſco Abbas effectus, dicto præpoſito inſtigante, conatus eſt in mediam terram noſtram de Arkas aquaductus facere. Abbati noſtro, Fratribúſque contradicentibus, arroganter eſt comminatus, ab incæpto opere non deſiſtere, donec illud pro ſuo velle compleret. Sed virga Cæleſtis ira de ſuperbo vindictam ſumpſit. Craſtino enim cùm priſtinum opus aggreſſus eſt, in medio ſuorum operariorum, cum equo calcitrante cecidit, & fracto crure, domum in lectica reportatur.* Ita Iperius, fauore in ſuos forſan; ſed qui vtinam à noſtris audiri eſſent.

b *In Annalibus.*

10. Sub idem tempus in Belgio notatum lego, à Ferreolo Locrio [c], ex Tabulis Eccleſiæ Attrebatenſis, Andreæ obitum, eiuſdem Sedis Epiſcopi, ex Ciſtercio aſſumpti; cuius ſuperius fecimus mentionem. *Andreas*, inquit, *Atrebatenſium Epiſcopus poſt varios labores exantlatos, terra, quod eius eſt, redditur; atque in Eccleſia ſua choro tumulatur.* Conſentit Demochares [d] eundem annum deſignans morti Pontificis; quamuis Aquicintenſis chronographus, & Iperius, quod idem Locrius notat [e], biennio differant. De ſucceſſore variatum ab auctoribus; Demochares Robertum ſuffectum tradit, cui Frumaldus ſucceſſerit: Ferreolus immediatè Frumaldum ſubrogat. Sed hæc parum ad noſtrum inſtitutum. Andræanum obitum Robertus item Claudius refert in hunc annum.

c *In Chron. Belgico.*
d *Ad hunc annum.*
e *tom. 1. c. 15.*

Quod ad militias ſacras attinet, in Calatraua obſeruatu dignum fuit, Martinum de Siones, recèns electum excurſione in Prouinciam Beticam facta, ac multa præda,& captiuis inde abductis; cum poſt victoriam, in eorum iugulum iret, adeò irritaſſe milites, qui cogitaſſent venum cunctos exponere; vt ruptis penitus obedientiæ frænis deponendum cenſerent;& loco illius alium ſubſtituerent, Didacum Garciam, cui, vt Magiſtro, parendum cunctis foret. Et diuiſiſſet militiam emergens ſchiſma; nam & Martinum multi ſequebantur; ſi non rebelles, remordente conſcientia propria, retroceſſiſſent; ac ſe, & pſeudo-magiſtrum à ſe electum, Martino de Siones reconciliaſſent. Hæc ex Andradio [f], qui latius ea proſequitur. 11.

f *Hiſtor. Calatr. c. 21.*

---

1. Chronologia Eccleſiarum, 2. & remiſſiùè de Sancto Sebaſtiano ad Catacumbas. 3. Ferraria primùm fundata in Valle Fontium, 4. Dein Saxa Zagarra, 5. Mox Ferraria. 6. Donatio loci. 7. Et concordatum tempus, 8. ex inſtrumentis. 9. Et ſitus loci Mons Oliueti ignota domus. 10. Dein Naucaria, cum primo eius Abbate. 11. Addita Tomaraes, filia Alcobaciæ.

CAPVT VIII.

1. QVOD attinet ad fundationes Eccleſiarum, quatuor hoc anno tantum notatas lego: in Italia, imò in ipſa vrbe primam: in Hiſpania ſecundam: incertæ hactenus prouinciæ nobis tertiam: & tandem quartam in Sicilia: ſequenti ſerie.

Anno M. C. LXXI. IV. Idus May, fundata eſt Abbatia Sancti Sebaſtiani ad Catacumbas.

Eodem anno III. Idus Maij, Abbatia de Ferraria in Hiſpania.

Eodem anno, Abbatia de Monte Olineti.

Eodem anno, Abbatia de Nucaria in Sicilia. Hactenus Chronologia Eccleſiarum præſentis anni.

2. Celebre Sancti Sebaſtiani Monaſterium ad Catacumbas, in vrbe Roma ſitum, Monachi, ex Falera miſſi reformarunt; dilaturi lineam Pontigniaci, ad quam Falera pertinet, Sancto Sulpitio nata, quæ ſexta Pontigniaci filia connumeratur. Incoluerant Canonici Regulares, vſque ad hunc fermè annum, antiquiſſimam ædem, quippè à temporibus Innocentij Papæ primi, atque ab ipſo dicatam, vt multi putant: tum Catacumbis, & Calixti Cæmeterio, ſic enim nunc vocamus. *Omnium certè Eccleſiarum orbis*, (vt ait Onufrius Panuinus [a]) *deuotiſſimam*, noſtris tandem circa ipſum concedendam. Quamuis non deſint, qui quadriennio anticipant; & anno M. C. LXVII. donatam referant. Nec Canonici in illa per multum tempus; quippè ſub Alexandro Papa admiſſi, ſub eodem expulſi, quantumuis ad hunc annum perdurauerint, quod mihi probabilius, vix quartum decimum pertingere potuerunt. Antea per Clericos, vt puto, ſæculares, gubernabatur. Verum hæc omnia, & quæ alia plura ſubſunt de illuſtriſſimo ferè Sanctuario totius orbis, longè commodiùs ſeorſim tractabuntur ſequenti capite.

a *Lib. de Sept. Eccl. vrbis Romæ.*

3. Eccleſiam Sanctæ Mariæ de Ferraria, ſecundo lapide ab eo, in quo nunc eſt, loco, in Saxa Zagarra (namque id illi nomen) ordinauit Raymundus Verolæ Abbas, cum anteà ex alio loco (de Valle Fontium dicto) tranſlata eſſet. Alterius inſtituti domum, inde coniector, quòd antequam Ciſtercio collum ſubderet, non per Abbatem, ſed per Priorem gubernabatur. Quamuis non negem ſub Ciſtercio prioratus; ſed dependentes plerumque ab Abbatiis; & qui pro membris magis, quàm pro filiis computarentur. Certè, qui primus Saxæ Zagarræ, dein Ferrariæ Abbas, Guilielmus fuit, idem & Vallis Fontium antea Prior; cui, & fratribus cum ipſo Deo ſeruientibus Saxa Zagarra donata ante biennium abs Rege Alfonſo, nulla Ciſtercij facta mentione. Porrò inſtrumentum Regiæ donationis ex Archiuiis eiuſdem domus exceptum hæc habet verba.

4. *IN nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. Amen. Quoniam nihil eſt, quod tantum deceat Regiam maieſtatem, quantum Eccleſiam diligere, & perſonas, eius obſequiis*

obsequiis mancipatas honorare; & piis, ac religiosis locis grata suffragia conferre; idcirco Ego Aldephonsus per Dei gratiam Rex, dono, & concedo vobis Domino Guillelmo Vallis Fontium Priori, & vniuersis fratribus, ibidem Deo seruientibus, præsentibus, atque futuris: pro animabus Aui, & Patris mei; necnon, & Parentum meorum pro salute etiam animæ meæ: hæreditatem illam, quæ vocatur Saxa Zagarra; cum terris, vineis, pratis, pascuis riuis, molendinis, piscariis, cum cultis, & incultis, cum ingressibus, & egressibus, & cum quanto ibi habeo, & habere debeo, iure hæreditario habere in perpetuum. Mandans, & concedens, vt de præfata hæreditate quidquid vobis placuerit, absolutè faciatis, donando, vendendo impignorando, concambiando. Iubeo itaque, vt hæc mea eleemosyna stabilis semper permaneat, & rata. Si quis verò illam ex genere meo, aut alieno, rumpere, aut retractare voluerit; sit à Deo maledictus, & excommunicatus, & cum Iuda Domini traditore in inferno damnatus. Et insuper Regiæ parti centum libras auri, & vobis iam dicta hæreditate in pace dimissa, persoluat. Facta charta apud Tudelam Æra M. C C. V I I. IV. Kalendas Octobris. Regnante Rege Aldephonso in Toleto, Castella, Extrematura. Ego Aldephonsus Rex hanc chartam quam iussi fieri, manu propria roboro, & confirmo, &c.

5. Hoc instrumentum donationis Saxæ Zagarræ, sic enim alij nominant: qua semel acquisita translata domus (nec satis constat vnde, nam Vallis Fontium locus ignotus adhuc) atque hoc anno Abbatia ibi ordinata, iuxta ritum Cistercij: & conseruata memoria ordinationis in libro M. S. perantiquo, in quo inter alia hæc verba reperiuntur. *Anno ab Incarnatione Domini M. C. LXXI. I V. Idus Maij, ordinatum est Cœnobium S. Mariæ de Ferraria, per manum Domini Raymundi Abbatis Verolæ.* Cœnobium, inquam, Sanctæ Mariæ de Ferraria, per anticipationem ita dictum: cùm nondum ad eum locum translatum esset. Post annos quinque ab Abbatia ordinata: idem Alphonsus Rex prouidit Monachis de loco commodiori; pinguiorique, & Ferrariam cum aliis adiacentibus, eidem Guillelmo, & fratribus tribuit, priuilegio expedito, quod ita habet.

6. *IN nomine Domini Amen. Quoniam inter omnia pietatis opera præcipuè commendatur eleemosyna: idcircò Ego Aldephonsus, Dei gratia, Hispaniarum Rex, vnà cum vxore mea Alienor Regina: pro animabus Aui, & Patris mei, necnon, & Parentum meorum, pro salute etiam animæ meæ, dono, & concedo Deo, & vobis Guillelmo de Saxa Abbati, & vniuersis fratribus vestris, tam præsentibus, quàm futuris Ferreram, & Ferrerolam, Formacem, & Arminon, cum Salinis, terris, vineis, pratis, pascuis, riuis, molendinis, piscariis, montibus, fontibus, cum ingressibus, & egressibus, & cum omnibus terminis, & pertinentiis suis, iure hæreditario habere, & possidere in perpetuum. Si quis verò huius meæ donationis paginam in aliquo rumpere tentauerit; iram Dei omnipotentis plenariè incurrat, & centum libras auri Regiæ parti persoluat, & hoc meum donum ratum semper maneat. Facta charta Palentiæ. Æra. M. CC. X I V. Kalendis Septembris.*

7. Credibile est ante expeditum hoc priuilegium, eiusdem Regis assensu, inceptam fabricam, ad quam se Monachi statim transtulêre. Atque id forsan Monasterium fuit, quod ordinauit Raymundus Verolæ Abbas, præsenti anno, disposita Ecclesia, claustris, & officinis, iuxta normam Cistercij, in quarum fabrica quinquennium insumptum fuerit. Certè ante annum M. C. L X X V I I I. ex Saxa Zacharra, in Ferrariam translatam domum, atque à loco Ferrariam nominatam, constat ex alio instrumento donationis eidem Cœnobio factæ, sub hoc tenore.

NOtum sit vniuersis præsentem gratiam inspecturis, quod ego Domina Tharesia simul cum nepotibus meis, videlicet, Martino Esquerra, & Sanctio Esquerra, & Domina Maiore sorore eorum, nos omnes pariter donamus, & concedimus medietatem de Arteaga, tam cultam, quàm incultam domorum, siue agrorum, cum ingressibus, & egressibus, cum aquis, & molendinis, cum pascuis, & montibus, & arboribus, cum omnibus, quæ iure nostro pertinent; Deo, & Sanctæ Mariæ de Ferraria; & vobis Domino Guillelmo Abbati eiusdem loci; cæterisque ibidem Deo seruientibus tam præsentibus, quàm futuris, iure perpetuo possidendam. Hoc donum factum est in Ecclesia Sancti Dominici de Calzada in manu Regis Aldephonsi Castellæ: videntibus & audientibus Dominus Petrus Roderici de Azagra, & Dominus Petrus Roderici de Nagera, & Petrus Arazeri, & innumera multitudo, vti mos est in Regis Curia. Facta charta sub Æra M. CC. X V I. Idibus Octobris. 8. Hactenus donatio, quæ fortè ideò in manu Regis facta, ne domus Regia quid haberet, nisi per Reges.

Ergò ante annum M. C. L X I X. in Valle Fontium: dein vsque ad M. C. L X X I. in Saxa Zagarra, vtrobique Prioratus, inde Abbatia, in eodem loco primùm: mox Ferrariam translata, atque ab ea nomen sumens, neque vlterius mutanda perseuerat, in finibus Riuogiæ Mirandam inter, Farúmque, siue Harum, vtrumque nobile oppidum ad ripas Hiberi: pertinet ad Calagurritanam Diœcesim in qua & in libris Cameræ notatur c. XXII. Florenorum taxa præfixa. Habuit Ferraria nostro, & Patrum sæculo insignes viros, sed inter alios Angelum Victoriam, ipsius domus Abbatem, & Generalem Obseruantiæ Hispanæ, quem æquè præditum pietate, sapientiáque, necnon & donis cælestibus illustrem, Menologium commemorat ad vndecimam diem mensis Aprilis. Mons Oliueti ignota nobis domus, nisi quod pertinet ad lineam Claræuallis, incerta matre. 9

Nucaria sequitur Noaram alij vocant, notior haud dubiè Ecclesia in Regno Siciliæ vel ex primo Abbate Sancto Hugone, quem ab Ecclesia adscriptum Sanctorum Albo, Octauius Caietanus [c], Ferrariúsque [d], & quotquot de Sanctis Italiæ scribunt, testificantur. Monachos ex Hispania missos, & Morerola, in Regno Legionensi, prima Hispana filia Claræuallis, Tabulæ produnt. Haud tamen constat, an Hugo inde transmissus, an conseruatus in præfectura domus, quæ sub alio instituto, atque eius Magisterio præcessisset. Reliqua vitæ eius ignota nobis: neque enim plura Itali; & nec Maurolicus [e], quamuis Cisterciensis, Siculúsque, exactiorem notitiam nobis ministrat: nisi quod conseruari ibidem sepulchum eius, & clarere miraculis affirmat Caietanus in suo Martyrologio, Nouembris X V I I. Natalem eius diem festum commemorat, vocatque Monasterij fundatorem. *In Nucaria, Monasterio Sanctæ Mariæ, depositio Sancti Hugonis, Abbatis, eiúsque Monasterij fundatoris ex Ordine Cisterciensi.* Eadem Hugo Menardus, Henriquézque, & Aubertus Miræus [f], hæc de Sancto. Iacet Cœnobium in Messanensi Diœcesi, iuxta Nouram oppidum, vnde & ipsum Noara vocari solet, de quo 10.

c In idea oper. de Sanct. Sicil.
d De Sanctis Italia.
e In Oceano etc. So
f Lib. 5. Orig. cap. 16.

quo Thomas Fascelius hæc pauca habet. *Noara vicina est Abbatia Beatæ Mariæ eiusdem cognominis, Ordinis Cisterciensis.* In libris Cameræ vocatur de Micaria, per errorem, vt puto, vbi & Monasterium Sancti Vincentij eiusdem domus membrum memoratur. Fuit item eidem Monasterio aggregatum aliud dictum de Stella; anno M. C C C. X. quo aggregatio fuit facta, commemorabimus.

11. Hoc ipso anno teste Bernardo Brito in Lusitania fundatur Monasterium dictum *dos Tomaraes*, sub filiatione Ecclesiæ Arcobaciensis: missis, vt ipse ait, quinque tantum Monachis, qui locum incolerent; & inter eos Gundisaluo Henriquez, quondam milite, illo nimirum, qui vxore amissa Sarracena, quam armis sibi, sed mox consiliis Christo comparauerat; & Monachum induerat, & fundando Cœnobio locum dederat; ad quod non se mittendum existimaret. Tum verò Alphonsus Lusitaniæ Princeps, deuotione in Cistercium & charitate in ipsum Gundisaluum, quem ex Vassallis numerabat inter amicos; quædam alia indulsit Monasterio, priuilegio expedito circa hunc annum eidem Gundisaluo, Monachisque, diuino in eo seruitio mancipatis, Dato Leiriæ V I. Nonas Nouembris, anno M. C. LXXI. Hæc pluribus, qui supra, Bernardus Brito g, & Guillelmus de Passione M. S. in fundatione Cœnobiorum Lusitanorum. Hodie suppressa Abbatiali dignitate, Collegio Conimbriensi vnitum est, interuentu Henrici Cardinalis, Alcobaciæ Abbatis, atque vltimi Lusitani Regis, proximo sæculo. g Lib. 6. c. 1.

---

1. *Basilica Sancti Sebastiani antiquitas*, 2. *locus Sanctorum corporibus refertus*, 3. *in quo & Apostolorum Principes quieuere.* 4. *Qualis eiusdem Cœmeterij exitus?* 5. *Catacumbarum descriptio*, 6. *atque templi, & altarium*, 7. *ac Reliquiarum.* 8. *Qui ante nostros Sanctuarium id possederint.* 9. *Et tandem de nostris.*

CAPVT IX.

1. INSIGNE Sancti Sebastiani Sanctuarium ad Catacumbas, in hoc caput remisimus expeditiùs seorsim describendum. Sunt autem plura, quæ eam ædem illustrant: Religio loci, ditati sacris corporibus Apostolorum Principum, Petri, & Pauli nimirum, priusquam ad loca propriæ quisque passionis, transferrentur: Cœmeterium Calixti, cui plures alij; Catacumbæ, id est, primitiuæ Ecclesiæ fanum terræ infossum; nec tutum à Tyrannis, nisi ex latebris: & tandem templi in eo loco surgentis veneranda antiquitas: quod creditur dicatum sub Innocentio Primo, cùm ritus antea profanos suscepisset. Et quidem, vt ab hoc vltimo incipiam, antiquitatem Templi Onuphrius Panuinus a probat, ex lapidis cuiusdam antiqui superscriptione cuius hæc verba. a Lib. de Sept. Eccl. vrbis Roma.

TEMPORE S. INNOCENTII EPISCOPI, PROCLINVS, ET VRSVS PRESBITERI, TIT. BIZANTII, S. MARTYRI SEBASTIANO, EX VOTO FECERVNT.

Addit vlterius ipse. *Quo fit, vt putem Constantini temporibus & ipsam extructam fuisse Ecclesiam, supra toto terrarum Orbe venerabile Sancti Calixti Papæ Cœmeterium; præsertim cùm parietes, qui eam ambiunt, antiquæ gentilium fabricæ inseruirent, &, vt opinor, militaris statio ibidem esset.*

2. Pergit deinde de loco, quem Templum occupat. *Cæterùm venerationis hæc Ecclesia nobilissimo Sancti Calixti cœmeterio imposita est, via Appia ad secundum ab vrbe lapidem, eodem Cœmeterio, & Catacumbis insignis.* Et paulò inferius, loquens de Cæmeterio, quod Calixto antiquius, ab ipso amplificatum, ex eius nomine deinceps vocatum est. *Multa*, inquit, *Sanctorum Pontificum Romanorum, & aliorum Martyrum corpora aliquando continuit: nunc his omnibus spoliatum est. Sepulta in eo fuere XIV. corpora SS. Pontificum Romanorum, scilicet Aniceti, Soteris, Pontiani, Antheri, Fabiani, Cornelij, Lucij Stephani, Xysti II. Dionysij, Eutychiani, Caij, Eusebij, Melchiadis. Item Sanctorum Sebastiani, Ceciliæ, Tertullini presbyteri, Nemesij Diaconi, Lucillæ filiæ eius, & aliorum innumerabilium Sacerdotum & Martyrum De hoc Cœmeterio loqui puto Prudentium Poëtam Christianum, in carmine ad Valerianum Aquiliensem Episcopum.* Hactenus ibi de SS. millibus, qui requiem sepulturæ habuerunt in eo loco.

3. Cæterùm, & gloriosos Principes terræ, Petrum, Paulúmque ibidem iacuisse, claros miraculis; & qui non inde se auelli permitterent; habemus ex Gregorio Magno, in epistola ad Constantiam Augustam, vbi hæc habet b. *De corporibus verò Beatorum Apostolorum quid ego dicturus? dum constat; quia eo tempore, quo passi sunt, ex Oriente fideles venerunt, qui eorum corpora, sicuti ciuium suorum, repeterent. Quæ ducta vsque ad secundum vrbis milliarium, qui dicitur ad Catacumbas, collocata sunt: sed dum ea deinde leuare omnis eorum multitudo conueniens niteretur, ita eos vis tonitrui, atque fulguris, nimio impetu, terruit, atque dispersit, vt talia denuò nullatenus attentare præsumerent.* Eadem, sed distinctius Damasus Papa qui tandem subdit. *Sanctus Cornelius Papa, rogatus à quadam matrona, Lucina nomine, corpora Beatorum Petri, & Pauli, de Catacumbis leuauit noctu: primùm quidem corpus Beati Pauli, Beata Lucina posuit in prædio suo, via Ostiensi, ad latus, vbi decollatus est: B. verò Petri corpus accepit Beatus Cornelius Episcopus, & posuit iuxta locum, vbi crucifixus est.* b Lib. 3. epist. 30.

Cæterùm in hoc eodem Cœmeterio (inquit Onufrius Panuinus vbi suprà) visuntur sub terra sacella aliquot, à quibus Cryptæ diuersæ exeunt. Totius huius Cœmeterij exitus, est per portam aliam, quæ mediæ Ecclesiæ parieti inest, cui suprascripti sunt hi versiculi. 4.

Visites hic pia mens Sanctorum insta frequenter

In Christo, quorum gloria perpes erit.

Atque hæc satis de Calixti Cœmeterio, quod Sancti Sebastiani domum illustrat: spoliato quidem multis ex his corporibus; at referto innumeris, ex infinita illa multitudine, qua præ cæteris aliis illustrabatur. Iam Catacumbas; venerandam antiquitatem, ex eodem Onuphrio Panuino, qui cuncta isthæc lustrauit, proferamus.

5. *Catacumba porrò, siue Catecumba, est vetustissimum Christianorum, persecutionum tempore, sacellum, in antiquo cuiuspiam nobilis familiæ Romanæ sepulchri hypogeo, à Sancto Calixto Papa fabricatum, quando is corpora Apostolorum Petri, & Pauli transtulit, & Cœmeterium de suo nomine extruxit, vel refecit. Catacumbarum forma est circularis, cum fornice testudineato ad quas triginta gradibus descenditur. Habent quatuor spiracula lumen desuper admittentia, cum sepulchris XIV. circa locatis. Eo loci adhuc supersunt augustissima antiquitatis vestigia. Ibi adhuc est amplum, & vetustissimam antiquitatem referens, marmoreum Altare, sub quo corpora Apostolorum iacuerunt; in quo Romani Pontifices martyrum Missas celebrabant. Ibi in medio adhuc è rudi marmore, humilis, & simplicissimus extat Sanctissimorum illorum Pontificum Calixti, Vrbani, Pontiani, Antheri, Fabiani, Cornelij Martyrum Episcopalis thronus: Ibi extant adhuc Clericorum S. R. E. circumcirca latentia sedilia: ibi extant memiana, siue podia paulò altiora, quibus ob loci angustiam plebs fidelis sacris mysteriis astabat: ibi demum extant in circuitu Martyrum sepulchra quorum sacrosancta memoria erat, tumbarum more facta, & simplicibus aliquot gypseis emblematibus ornata, non sine veneratione visenda, osculanda, adoranda.*

6. Catacumbarum elegantem descriptionem sequitur templi non inelegans, quæ ita habet. *Basilica Sancti Sebastiani in vetustissimo Romanorum Ethnicorum ædificio (vt suprà dixi) constructa, vestibulum ante se, intùs verò aliquot altaria habet. In maiori (quod sanctissimam Eucharistiam continet) sepultum est Corpus Sancti Stephani Papæ, & Martyris, in hoc Cœmeterio occisi. In eadem Ecclesia conditum fuisse Corpus Sancti Eutychij Martyris, testatur hoc Epigramma parieti affixum à Sancto Damaso Papa editum.*

Eutychius Martyr crudelia iussa tyranni
Carnificúmque vias, pariter tunc mille nocendi
Vincere quod potuit, monstrante gloria Christi.
Carceris illuuiem sequitur noua pœna, per artus.
Testarum fragmenta parant, ne somnus adiret:
Bis seni transire dies; alimenta negantur;
Mittitur in barathrum Sanctus, lauat omnia sanguis
Vulnera, quæ intulerat mortis metuenda potestas
Nocte soporifera turbanti insomnia mentem
Ostendit latebra insontis quæ membra tenerent;
Quæritur, inuentus colitur, fouet, omnia præstat.
Expressit Damasus, meritum venerare sepulchrum.

In media Ecclesia fuit olim altare Reliquiarum, quod ante aliquot annos loco illo amotum, læuo basilicæ parieti appositum est. In quo eiusmodi Reliquiæ recondita venerantur. Tabula marmorea cum vestigiis pedum D. N. Iesu Christi, quando apparuit Sancto Petro. Vna de spinis Coronæ, quo fuit coronatus D. N. Iesus Christus. Reliquia Sancti Petri Apostoli, scilicet digitus, dens, costa pars, & alia quadam. Dens Sancti Pauli Apostoli. Brachij S. Andreæ Apostoli frustum. Caput, & brachium Sancti Fabiani Papæ, & Martyris. Capita SS. Calyxti, & Stephani Pontificum: Item Capita SS. Nerei, Achillei, Achoristi, Valentinæ, & Lucinæ martyrum. Brachium Sancti Sebastiani. Columna cui alligatus fuit, dum sagitaretur. Ferrum vnius sagittæ in eum iaculatæ. Hactenus ille. 7.

Porrò per quos administratum fuerit insigne hoc Sanctuarium, antequam Cisterciensium custodiæ committeretur; & tandem qualiter nostris concessum sit, pergit author describere in hunc modum. *Hæc Ecclesia antiquitus per Clericos, postea per Monachos culta fuit. Alexander III. Papa concessit Ioanni Diacono Cardinali, Priori, & fratribus, Canonicis Regularibus Diaconiæ Sanctæ Mariæ Nouæ hanc S. Sebastiani Ecclesiam cum redditibus suis. Quam postea anno M. C. LXVII. D. Hieronymus Diaconus Cardinalis Sanctæ Mariæ Nouæ, consentiente Hugone Priore eiusdem monasterij, donauit Congregationi Cisterciensi cum suis redditibus, præter vineas positas extra portam Apiam, in loco, qui dicitur Sancti Apollinaris, Antoniana, & Montis Albini, cum censu duarum librarum thuris in Assumptione B. Mariæ Virginis. Quam adhuc fratres Cistercienses, ad paucos tamen in ea redactis, tenent cum suo Abbate, omnium certè Orbis Ecclesiarum deuotissimam.* Hactenus Panuinus ex quo cuncta. 8.

Verùm quod ipse non est assequutus addere libet. Qui eius tempore, commendatarum necessitudine, ad paucos redacti, illustre illud Sanctuarium colere cogebantur minus decenter; hodie sub sacra Fulliensi Congregatione, quo paucioribus egent, aut vtuntur, in numerum creuerunt competentem; & parsimonia, indigentiam superantes, abundantiam, dum spernunt, consequuntur. Sed de his suo tempore. Sic & de Altari Sancti Sebastiani ab Honorio tertio summo Pontifice solenniter dicato, sacratóque; Deo dante dicemus sequenti tomo. 9.

IESV CHRISTI ANN. 1172. CISTERCII ANN. 75.

1. Legatorum, & Henrici Regis congressus in Sabigniaco. 2. Et Rex primùm resiliens, 3. sed mox obediens, 4. in cunctis se iurauit pariturum. 5. Tum suspicione purgata de cæde Sancti, 6. acceptata quæcumque illi imposita, 7. & reprobatis antiquis consuetudinibus, 8. Publicè absolutus, 9. Repetita actione semel & iterum. 10. Regis epistola ad Bartholomæum Oxoniensem de restituendis bonis Thomæ coëxulum, 11. Atque alia de pœnitentia sibi iniuncta.

CAPVT I.

1. NAscentis anni septuagesimi, secundi, supra millesimum, centesimúmque, qui fuit Cistercij quintus, & septuagesimus consecrauit initia Conuentus celebris Sabigniaci habitus, quo Cardinales Albertus, & Theodinus ab Alexandro missi, iudicaturi de nece B. Thomæ, cum Rege, & Proceribus Angliæ conuenere. Quippè is locus à cunctis electus est, siue vt Pontificis Cisterciensis causa in Cisterciensi Cœnobio diffiniretur; siue vt Sanctorum, quibus tunc florebat, inter quos Haimo, & Petrus de quibus infra, suffulti orationibus, Deum in cunctis propitium inuenirent, seu tandē vt Alberto morem gererent, qui licèt dudum à Cistercio auulsus, semper tamen Cistercium suspirabat. Ergo cùm primùm Legatos Summi Pontificis aduenire in Northmanniam nouit Henricus Pater, ex Hybernia, ad quam paulò ante transierat, de Episcoporū, & Procerum cōsensu, illius Insulæ Dominium percepturus; in Angliam primum; mox ex Anglia, in Northmanniam transfretauit. Dein Cardinalibus; per honorabiles nuntios, salutatis, inquisiuit ab eis quemnam locum congressui destinarent: quasi qui in omnibus voluntati eorum subiici, atque Alexandri parère mandatis paratus esset. Narrant hæc omnia iidem Cardinales, cum cæteris exinde subsequutis in causa Sancti, ad Gilebertum Patriarcham Rauennatem litteris datis, quas Rogerius adducit totidem verbis.

2. *Venerabili* [a] *in Christo, & dilecto fratri Gileberto, Dei gratia Rauennensi Archiepiscopo, Albertus dignatione diuina tituli S. Laurentij in Lucina, & Theodinus tituli S. Vitalis Presbyteri Cardinales Apostolicæ Sedis Legati, quod promisit Deus diligentibus se.*

[a] Apud Baron. hoc ann.

Quoniam desiderare vos credimus, vt de statu nostro, & de iniunctæ nobis promotione negotij aliquid audiatis, idcirco qualiter nobiscū, & per ministerium mediocritatis nostræ Deus egerit his diebus, fraternitati vestræ, præsenti scripto, duximus indicādum. Noueritis itaque, quod postquam illustris Rex Angliæ venisse nos in regnū suum in veritate cognouerit, totius amoto tarditatis obstaculo, de Hybernia in Angliam, incumbentibus sibi negotiis prætermissis, de Anglia verò ad Northmanniæ partes accessit; atque in continenti plures ad nos nuntios, & honorabiles destinauit, inquirens à nobis, in quo loco potius conuenire cum eo; & loqui vellemus. Placuit tandem ad Sabigniacum Monasterium pro colloquio habēdo, concurrere, vbi religiosorum virorum possemus orationibus adiuuari. Conuenimus illuc; conuenerunt & multæ personæ vtriusque Ordinis de regno suo; & tractauimus, diligentia, quā potuimus, quod ad salutem ipsius, & iniunctam nobis obedientiam pertinebat. Cùm autem non possemus in omnibus conuenire, recessit à nobis velut in Angliam profecturus; & nos expectauimus, sequenti die ad Abrincam ciuitatem ituri.

3. *Postera autem die venerunt ad nos Lexouiensis Episcopus, & duo Archidiaconi; & concesso, quod petebamus, ad prædictam processimus ciuitatem. Ad quam Dominica, quā cantatur,* Vocem iucunditatis, *cōuenimus cum personis plurimis; & ipsi nobiscum. Et cum tanta humilitate, quod fuerat condictum, expleuit, vt illius extitisse opus sine dubitatione credatur, qui respicit terrā, & facit eam tremere. Sanè quàm timoratum Deo, quàm obedientem Ecclesiæ se curauerit exhibere, non est opus præsenti abbreuiatione referre. Satis enim opera illius manifestant, & manifestabunt adhuc plenius; sicut & nobis spes data est in futurū. Primùm itaque super morte sanctæ memoriæ Thomæ, quondam Cantuariensis Archiepiscopi, non de nostra exactione, sed de propria voluntate, tactis sacrosanctis Euangeliis, suam conscientiam expurgauit, iurans scilicet, quòd nec præcepit, nec voluit, quod idem Archiepiscopus occideretur; & quando audiuit, vehementer doluit.*

Quia verò quod factum fuerat, ex sua occasione factum esse timebat: de satisfactione paranda tale præstitit iuramentum. Primò quippè iurauit quod à Domino Papa nostro Alexandro, & eius Catholicis successoribus non recedet, quandiu sicut Catholicum Regem habuerint eum, & Christianum. Et hoc ipsum iurare fecit Filium suum maiorem in charta absolutionis pro morte B. Thomæ. Iurauit etiam & alia Clero, & populo valde necessaria, quæ omnia diligenter, & per ordinem, sicut ea iurauerat, in absolutionis eius charta pernotauimus. Promisit etiam & alia de libera voluntate gerenda, quæ non oportet scripturæ serie denotare. Hæc autem scripsimus, vt cognoscatis ipsum obedientem Deo, atque ad diuinum obsequium multò ampliùs, quàm adhuc fuerit, animatum. Noueritis ad hoc filium suum de prædictis consuetudinibus, pariter cum eo iurasse. Sanè quod ibi factum est, iterato adhuc, ne dubitationis locus alicui remaneret, apud Cadomum in maiori frequentia personarum publicè statuit se acturum. Relaxauit præterea Episcopos de promissione, quam ei fecerant de consuetudinibus conseruandis, & promisit, quod non exiget in futurum. Hactenus Cardinales ad Rauennatem, de gestis in Conuentu Sabigniacensi. 4.

Petrus Blesensis ad Archiepiscopum Panormitanum scribens, seriò affirmat comprobatam innocentiam Regis à Cardinalibus, & totam eius culpā eò recidere, quòd cædes Sancti, quasi in eius obsequium, quod ipse non negabat, patrata fuisset. *Quod autem* (ait [b]) *de morte Martyris quæritis, non in verbo Domini, & in ordine Diaconi vobis dico, me nullo modo habere in conscientia, ipsum huius rei culpabilē extitisse: huiúsque fidem plenissimam vobis facient Dominus Theodinus Portuensis Episcopus, & Dominus Albertus Cancellarius, qui propter hoc in partibus nostris legatione fungentes explorauerunt, & innocentiā viri cognouerunt, atque sub vmbra illius, hoc à quibusdam assentatū fuisse, totámque hanc iniquitatem à Sanctuario processisse. Accepta siquidem ab eis canonica purgatione illius, illi de mandato Summi Pontificis publice sententiauerunt, eum ab hoc crimine coram Deo, & hominibus esse innoxium,* 5.

[b] Epist. 66.

innoxium, & in quosdam magnates, quorum malitiam in hac parte manifestè conuicerant, notam infamiæ retorserunt. Ita Blesensis.

6. Verùm quæ fuerunt iniuncta per Cardinales, quæ Rex primùm respuerit, sed mox meritis Martyris, vt creditur, & monachorum sanctorum orationibus, humilis acceptauerit, narrat alia relatio incerti Authoris, quam ex Codice Vaticano affert Baronius [c], subiunctis capitulis, quæ hic non minùs transcribenda esse putaui. *Dicebat* (ait Rex) *coram omnibus, se intelligere, quod sua causa esset mortis Archiepiscopi; quod quicquid factum est, propter eum factum est; non quòd ipse mandauerit, sed quòd amici, & familiares eius, videntes turbationem vultus eius, & oculorum; & cognoscentes etiam dolorem cordis, & sæpè audientes querula verba de Archiepiscopo; iniuriam eius absque conscientia ipsius vlcisci parabant: & ideò cum omni humilitate, & deuotione ad omnia, quæ Legati iuberent, se expositum asserebat.*

[c] Ad hunc ann.

7. 1 *Tunc nunciatum est ei à Legatis, quòd alet ducentos milites per annum integrum sumptibus suis, videlicet, vnicuique militi dans trecentos aureos in terra Hierosolymitana contra Paganos, secundùm dispositionem Templariorum.*

2 *Secundò quòd praua statuta de Clarendona, vbi vulgata sunt, & omnes malas consuetudines, quæ in diebus suis in Ecclesias Dei inducta sunt, penitùs dimitteret: si quæ autem fuerint malæ ante tempora sua, illas iuxta mandatum Domini Papæ, & Consilio religiosorum virorum temperabit.*

3 *Tertiò, quòd Ecclesiæ Cantuariensi omnem integritatem suam in terris, & in aliis rebus restitueret, sicut fuit anno antequàm Archiepiscopus iram Regis incurreret: & quòd ad omnes, quibus offensus erat propter Archiepiscopum, pacem, & amorem redderet, & possessionum suarum plenitudinem.*

4 *Quartò, quod si necesse fuerit, & Dominus Papa ei mandauerit; ibit in Hispaniam ad liberandam terram illam à Paganis. Iniunxerunt etiam secretiùs ieiunia, & eleemosynas, & alia quædam, quæ ad communem audientiam non peruenerunt.*

Ad hæc omnia Rex benignissimè assensum præbuit; ita quod coram omnibus dixit: Ecce, inquit, Domini Legati, corpus meum, in manu vestra est, scitote pro certo quod quicquid iusseritis, seu proficiscendi Hierosolymam, siue Romam, siue ad Sanctum Iacobum, vel quidquid id sit, paratus sum obtemperare. Ita quòd ferè cuncti, qui aderant, videntes humilitatem, & deuotionem eius, non poterant lachrymas continere.

8. *His expletis, ne quid ad boni consummationem eius deesset, deduxerunt eum Legati ex propria Regis voluntate, extra ostium Ecclesiæ; ibique flexis genibus, non tamen exutis vestibus, neque verberibus appositis, absolutus est, & in Ecclesiam introductus, & vt aliqui de Regno Francorum hæc ita processisse cognoscerent, statuerunt, quòd Archiepiscopus Turonensis, & suffraganei eius coram Rege, & Legatis, præsentiam suam exhiberent apud Cadomum, proxima die Martis, post Ascensionem Domini. Quod Rex iurauit, filius suus Rex manu sua firmauit in manu Domini Alberti Cardinalis, se ex parte sua obseruaturum. Quod si Rex, vel morte, vel alia causa præpeditus pœnitentiam istam complere non potuerit, quod ille perficiet.* Hactenus vetus relatio, ex Vaticano. Cui consonat authenticum scriptum, ad instantiam Henrici, per Cardinales, quod facile in Baronio, ex Rogerio desumptum videri potest. Quibus haud dubiè lector animaduertat, Martyrem sanctum triumphum reportantem, ab inimicis, quos moriens debellauerit. Quippè nihil viuens, aut respuit, aut concupiuit, quod non ab eius morte repulsum, aut impetratum, cui militabat, Ecclesia comparauerit.

De tempore nonnihil dubitatum inter Authores. Namque Rogerius, & quisquis author fuit relationis excerptæ ex Vaticano, omnia ante festum Ascensionis peracta tradunt: alia instrumenta in mensem Septembrem differunt, eadem Acta notantia sub hoc initio [d]. *Henricus Rex Angliæ Pater, & Henricus Rex filius eius, & Rotrodus Rothomagensis Archiepiscopus, & omnes Episcopi, & Abbates Northmanniæ conuenerunt apud Abrineam Ciuitatem in præsentia Theodini, & Alberti Cardinalium. In quorum audientia Rex Angliæ Pater, V. Kalendarum Octobris, feria IV. festo SS. Cosmæ, & Damiani Martyrum, in Ecclesia Sancti Andreæ Apostoli purgauit innocentiam suam coram prædictis Cardinalibus, & omni Clero, & populo, præstito sacramento super Sanctorum Reliquias, & super Sancta Euangelia, quòd ipse, nec præcepit, nec voluit, quod Archiepiscopus Cantuariensis occideretur, &c.* Hæc ibi. Vt non immeritò Cardinalis Baronius putet, repetitam actionem, quò magis in prouinciali Concilio diuulgaretur. 9.

[d] Baron. hoc ann.

Extat epistola eiusdem Henrici Regis ad Bartholomæum Episcopum Exoniensem de restitutione cunctorum, quæ coëxulibus Sancti ablata fuissent; quam à Baronio prætermissam, sicut & aliam de his quæ ipse acceptasset, operæpretium duxi hîc transcribendas. Prima autem est talis. 10.

Henricus [e] *Rex Angliæ, & Dux Northmanniæ, & Aquitaniæ, & Comes Andegauiæ B. Exoniensi Episcopo salutem.*

[e] Epist. 189. inter epistolas. Ioann. Sar.

Sciatis, quod concessi pacem meam omnibus, qui exierunt de Anglia propter Thomam Cantuariensem Archiepiscopum, & omnes res suas, sicut eas melius habuerunt, quando eadem causa exierunt de Anglia, & beneficia, quæ idem Archiepiscopus eis postea contulit. Quare eos securè venire faciatis, & res suas habeant bene, & in pace, salua fidelitate mea, quam mihi facient. Gaufr. Archid. Cant. Ric. Archid. Pict. Ric. de Hum. Const. Bac. de Luci. Reginald. de Curtenai apud Cloce. Hæc prima epistola. Posterior, sibi iniunctam pœnitentiam, atque acceptata mandata succinctè narrat. Quæ ita habet.

Henricus [f] *Rex Angliæ, & Dux Northmaniæ, & Aquitaniæ, Comes Andegauiæ. B. Episcopo Exon. cognato, & fidelissimo salutem.* 11.

[f] Epist. 190.

Sciatis, quòd per gratiam Dei prospera nauigatione applicui in Northmanniam & inueni terram meam cisinarinam in summa pace, & tranquillitate, disponente Deo, constitutam; & homines, ac fideles meos de aduentu meo (vt oportebat) vberiori lætitia perfusos. Accessi deinde ad Dominos Legatos: & quamquam eos in principio duros inuenissem, &, vt videbatur, penitus flecti non possent; tamen contra spem omnium, contra opinionem singulorum, pax denique secuta; & ad honorem Dei, & Ecclesiæ, & meum, & Regni mei, inter nos est reformata, sicut ex sequentibus vobis pleniùs innotescet. Hæc enim sunt, quæ me ad eorum instantiam obseruaturum promisi: quòd scilicet ab instante festo Pentecostes vsque in annum tantam pecuniam dabo, vnde ad arbitrium fratrum templi ducenti milites ad defensionem terræ Hierosolymitanæ per annum valeant teneri; & quod licebit fieri appellationes ad Dominum Papam liberè: ita tamen, vt si quos suspectos habuerim, antequam de regno exeant, iurent, quod in itinere illo, nec malum meum, nec dedecus regni mei perquirent. Et quod

quod consuetudines, quæ tempore meo contra Ecclesias terra mea inducta sunt, dimittam: quas quidem, aut paucas, aut nullas æstimo. Et quòd possessiones Cantuariensis Ecclesiæ, si qua ablata sunt, plenè restituam, sicut habuit vno anno, antequam Archiepiscopus de Anglia egrederetur. Clericis præterea, & laicis vtriusque sexus pacem meam, & possessiones suas restituam, qui occasione prænominati Archiepiscopi destituti fuerunt. Et hoc mihi ex parte Domini Papæ in remissionem omnium peccatorum iniunxerunt obseruandum. Hactenus ibi. Sequenti die Albertus Cardinalis, ne quod suæ legatiæ munus omitteret, celebrauit Concilium Prouinciale cum Collega Theodino, cui omnes Northmanniæ Præsules adfuerunt. Extant, leguntúrque illius Acta à Baronio vulgata ex Vaticano Codice, quæ facilè apud ipsum videri possunt.

---

1. Alexandri ad Legatos mandata, 2. de reconciliatione Ecclesiæ Cantuariensis. 3. Quid statim effectui mancipatum, 4. & de miraculorum Sancti disquisitione. 5. Procurati Pontifices Ecclesiis, 6. absoluti, excommunicati olim à Sancto. 7. Et quid in hoc Guarinus Pontigniacensis. 8. Sancti Vualleni miracula in Meilrosia, 9. crescentia ex obicibus. 10. Et dictum de Politia suaui illius sæculi.

CAPVT II.

1. VACABANT interim in Anglia plures Ecclesiæ viduatæ pastoribus, siue quia mortis debitum soluissent, nullis interim datis successoribus; siue quia declarati per Sanctum Martyrem, antequam pateretur, extra Ecclesiæ consortium retinebantur. Quin ipsa Cantuariensis prima, non solùm vidua, sed suspensa per annum à Dei laudibus, nullis in ea sacris celebratis, ex quo Thomas occubuit; sacrilegæ violationis damna mœrebat, quæ miracula non satis compensabant. Porrò Alexander Pastor Euangelicus, vigilias noctis super gregem Christi custodiens, his malis prouidè censuit occurrendum. Et primum quidem Ecclesiæ Cantuariensis expiationem Legatis commisit; per se, siue per alios exequendam: quibus non minus in mandatis dedit, vt de miraculis, quæ ad sepulchrum Sancti fiebant, exactiùs inquirerent: tum vt Ecclesiarum vacantium electionem rite, & canonicè curarent celebrari. Verum absolutionem Episcoporum, quos S. Martyr Thomas anathematis gladio præcidisset, quia vrgentius instabat; ne Legatis fortasse retardatis, diutiùs innodati detinerentur; non eis solis, sed ante eorum aduentum, Archiepiscopo Bituricensi; aut ipso impedito, Abbati Pontigniaci, illi ratione Pontificiæ dignitatis, huic professionis, Monasteriique; quibus se Thomas, qua potuit alligasset; & Niuernensi Episcopo mandauit, per eosdem quantocyus exequendam. Extant de omnibus instrumenta, litteræve, quæ breuiter sunt nobis adducenda.

2. Ergo, quod attinet ad reconciliationem Ecclesiæ eatenus suspensæ post cædem Sancti, hæc ad eosdem Legatos mandata dedit, quæ Baronius transcripsit ex Vaticano.

a Apud Baron. hoc ann. *Mandamus* [a] *vobis, quatenus Ecclesiam Cantuariensem faciatis reconciliari; ita tamen, vt sacramentum pristinæ dedicationis non debeat iterari. Sed sicut solet fieri in Ecclesia B. Petri, tantùm aqua benedicta aspergatur.* Hæc tantum Alexander ad Cardinales. Porro ipsi, ad ministros Cantuarienses, quæ sequuntur, censuerunt intimanda. Præmissa tamen priùs gratulatione de miraculis Sancti, quibus putant supplendum si quid defuerit ipsius expiationis solennitati.

3. *Lætamur nos, lætatur, & quæ audit congregatio vniuersa iustorum, quòd mortem sanctæ memoriæ Thomæ quondam Archiepiscopi vestri ita in conspectu suo Deus pretiosam ostendit; & venerandam eius memoriã tot miraculis illustrauit; vt virtus eius in Oriente, & Occidente communiter prædicetur; ita vt qui fœlicibus illius actibus, dum viueret, inuidebant, nunc casibus humanis eo exempto, & ad superiorum societatem (vt credimus) fide, ac zelo Sacerdotali promerente, translatoq; venerentur virtutem ipsius; & ei, qui facit mirabilia magna solus, gratiarum referant actionem. Quia igitur videtur idoneum, vt cum magnalia, quæ apud vos facta populorum turba decantet; & gratiarum actio, & vox laudis resonet in communi Ecclesia vestra, quam tanto munere gratia diuina donauit, sub atrocitatis obtentu diutius non debeat à Conditoris laude cessare: reddentes vobis mutua salutationis alloquium, & petitioni vestræ deuoto concurrentes assensu, fraternitati vestræ mandamus, quatenus conuocatis Episcopis, & Abbatibus prouinciæ vestræ, qui vobis ad hoc idonei visi fuerint, cum solennitatis Ecclesiastica, sicut maioribus visum fuerit, moderamine, denuò Ecclesiam vestram consecretis. Si quid minus fuerit in solennitate, diuinorum miraculorum poterit illustratione suppleri. Nos sanè, si aliquid fuerit, quod ad perfectum vestrum, & vestræ Ecclesiæ facere valeamus, quantum cum Deo poterimus, libenti animo faciemus.* Hactenus Cardinales ad Monachos Ecclesiæ Cantuariensis.

Addit Baronius, ex eiusdem Pontificis mandato, 4.
diligentissima facta inquisitione de miraculis Sancti, relationem plenissimam misisse, de cunctis, quæ acciderant, & quæ merita martyris, & gloriam contestabantur. Et tandem subiungit. *Sic igitur quot miraculis, tot diuinis innotuit testimoniis, atque testificationibus patuit, Deo ipsi gratissimam nauare operam, & coronis dignam, non solùm qui pro fide Catholica illibata seruanda persecutoribus exhibent se necandos; sed etiam, qui pro iuribus, bonisque Ecclesiæ conseruandis, & repetendis ablatis, caput satellitibus offerunt præcidendum. Cum eis occasio subeundi Martyrij haud longè ab infidelibus perquirenda, sed vnicuique Episcopo præsens semper immineat, si quod est sui muneris, omnimodis laboret implere. Reuertentes autem Legati intulerunt in vrbem sacra pignora noui Martyris, nempè, quod super Ecclesiæ pauimentum respersum fuit eius capitis cerebrum; necnon eius tunicam, ipsius sanguine cruentatam, quæ hactenus religiosè asseruantur in Basilica Sanctæ mariæ maioris.* Hæc obiter sed grauiter notata, à parente Ecclesiasticæ historiæ nequaquam duxi silentio prætereunda. Porrò, quæ post miraculorum discussionem, & cognitionem causæ sufficientem, canonizatio Sancti sequuta sit, sequenti anno, quo euenit, dicemus.

Iam quantum pro celebrandis electionibus va- 5.
cantium Eccesiarum, per totam Angliam præcipuè Vintoniensis, & Herefordensis, (nam Cantuariensem

sem alia lis inuolueral) iidem Cardinales laborauerint; & quantum profecerint, licèt non ante eorum ad vrbem reditum, quippè vt non impediente, nec suffocante, at saltem retardante fructum malitia temporis; Ioannes Saresberiensis scriptum reliquit, datis ad ipsos litteris, in quibus ista [b]. *Diuina praeunte gratia, spes illuxit Ecclesiae, & in sedibus apud nos vacantibus tandem ritè licuit idoneos ordinare pastores. Vnde & contigit vt Ecclesia Vvintoniensis sibi in Patrem, & Pastorem elegerit virum, quem vt fidelium spes est, ad hoc ante Dominus praelegerat; vtpote ex magna parte talem, qualem Paulus Episcopum praecipit ordinari.* Haec ad Legatos Albertum, & Theodinum. At non minus expressa ad Alexandrum. *Membris* (ait [c]) *est vigor à capite, & à Sancta Romana Ecclesia, post Deum salus est omnium Ecclesiarum. Domini Cardinales Legati vestri, desolatis apud nos compatientes Ecclesiis, districta praesumptione iusserunt, vt postposita omni occasione; & mora, sibi secundum Deum, Patres eligerent, & pastores. Itaque Herefordensis Ecclesia, quae diutiùs luxerat, & languerat, pastore proprio viduata; pari voto, vnanimi consensu, liberè, & secundùm instituta sacrorum Canonum elegit venerabilem virum R. Archid. Oxenford.* Atque haec satis de gestis à Legatis pro electione vacantium Ecclesiarum. Nam quae de successore Cantuariensis; quia ab aliquibus Cisterciensis putatus est, & tenera post electionem nostris addictus, ad sancti antecessoris imitationem, latius à nobis suo loco notanda erunt.

b Epist. 192.

c Epist. 297.

6. Iam quae de absolutione Episcoporum à Sancto Thoma excommunicatorum, quae instantius vrgere videbatur, mandauit Alexander, Bituricensi Niuernensique Episcopis, & in prioris defectu, Pontigniacensi; eisdem, quae Rogerius adducit litteris, ex ipso ad verbum transcriptis, propalemus. Sic autem habent.

Alexander [d] *Episcopus seruus seruorum Dei, Venerabilibus fratribus Bituricensi Archiepiscopo, & Niuernensi Episcopo, salutem, & Apostolicam benedictionem.*

d Apud Rogerr. in Annal. Anglic. hoc ann.

Fraternitati vestrae non credimus esse incognitum, qualiter Sanctae recordationis Thomas, quondam Cantuariensis Archiepiscopus de mandato nostro in Londoniensem, & Saresberiensem Episcopum excommunicationis sententiam promulgauit; quam vtique nos ratam habentes, & firmam, eam authoritate Apostolica curauimus confirmare. Quia verò praedicti Episcopi senio, & debilitate corporis confecti, & alter morbo laborans, ad praesentiam nostram venire non possunt: vobis, de quorum prudentia, & honestate confidimus, absolutionem eorum, pro qua Nuntij Regis Henrici Angliae, & eorundem Episcoporum apud nos vehementiùs instituerunt, duximus committendam. Idcóque fraternitati vestrae per Apostolica scripta mandamus, quatenus infra mensem, postquam iidem Nuntij ad propria redierint de aduentu Legatorum nostrorum, quos ad partes illas pro cognoscenda atrocitate illius facinoris, & sceleris, quod perpetratum est, & reconciliatione Regis dispofuimus transmittere; quod transalpinauerint, vobis non innotuerit: eos, publicè recepto iuramento, secundùm morem Ecclesiae, quòd nostro debeant astare mandato, ab excommunicationis vinculo absoluatis? sententia suspensionis ob eam causam, quâ fuerant vltimò in excommunicationem deducti, in suo robore permanente. Si autem vobis constiterit, quod Saresberiensis Episcopus morbo laborans ad vos venire non possit, illuc in propria persona, quod nobis placeret, accedatis. Aut si accedere non poteritis, personas, de quibus nos, & vos confidere valeamus, transmittatis, quae illum, recepto iuramento, publicè in conspectu Ecclesiae, quòd nostro debeat parere mandato, absoluant. Si autem huic rei, frater Archiepiscope, interesse non poteris, tu, frater Episcope, ipse cum Pontigniacensi Abbate, quae dicta sunt, diligentius exequaris. Data Tusculani VIII Kalendas May. Hactenus litterae Alexandri Summi Pontificis.

Sic tandem reconciliati Ecclesiae sunt, qui Ecclesiam primum, mox se ab ipsa diuiserant, ne à Regio fauore, cui plus nimio adhaerebant, diuiderentur. Haud satis constat, an per Archiepiscopum, an per Abbatem Pontigniacensem fuerint absoluti, imò neque per Legatos Cardinales, qui mandata praeuenerint, aut ante mensem in litteris praefixum subsequerentur. Illud compertum nihil inuito Sanctum expetiisse à Rege, siue ab Episcopis, quod non cumulatissimè obtinuerit: diuina prouidentia disponente, vt sicut Christus Ecclesiam per proprium sanguinem, ita & Thomas per suum: nisi quod ille à potestate daemonis, hic mundi; ille vniuersam, hic Anglicanam tantum redemptum iret. Notauit Arsfeldius, cùm anno sequenti conuenientibus apud Vuest Monasterium Episcopis, canonizatio Sancti ad eos delata esset, proclamatum à cunctis *Te Deum laudamus, ipsosque acres olim eius aduersarios eum studiosè, vt Sanctum Martyrem interpellasse.* Vt vel in hoc Seruatorem Christum redderet, cuius sanguinem salutarem, proficuúmque, vel ipsi etiam effusores, experirentur. Haec de gestis hoc anno in causa Thomae. Sed antequam ab Anglia discedamus, vicina illi Scotia, & quae Meilrosiae reuelationem reliquiarum S. Vvaleni praecessisse noscuntur, dicenda erunt. 7.

Non cedebant recentibus antiqua; nec quae fiebant ad sepulchrum Sancti Vvaleni post duodennium, per miracula Thomae Cantuariensis, quamuis tunc primum coeperint clarescere, quod rarum esse solet, obscurabantur. Agebantur ad sepulchrum eius excubiae, concipiebantur vota, confluebant infirmi; & optata sanitate recepta, lampades, cerei, & donaria suspendebantur. Zelum, an inuidiam Ioscelinus dubitat; & zelum, licèt minùs discretum, mauult fuisse, qui concursum arcuerit, & prohibuerit visitari sepulchrum Sancti. Nam audi, quid de eius successore [e]. *Cum supradicta, & multa alia mirabilia mirabilis Deus in Sancto suo operaretur, ob declaranda serui sui merita, Vvillelmus Abbas, qui in regimine illi successit, cunctos aduentantes infirmos ab ingressu, & accessu ad tumbam Sancti viri, arcebat; non audeo asserere, quod quidam dixerunt, ipsum videlicet talem prohibitionem promulgasse, prae inuidia, quin potius reor, id tantum intendisse, vt Coenobitae Cisterciensis Ordinis, turbarum vndique confluentium carerent immoderata frequentia. Visa est autem pluribus huiusmodi prohibitio praesumptuosa nimis. Vt homo luteo tabernaculo circumdatus, incerto, & lubrico inhaerens, fontem misericordiae auderet obstruere; & gratia caelesti glorificatum, mundóque miraculis manifestum, sub cespite silentij obruere: Iuxta enim Raphaëlis Angeli, loquentis ad Tobiam, testimonium; opera Dei reuelare, & confiteri, honorificum est. Iniungitur, & populis sanctitatem & Sapientiam Sanctorum narrare, & Ecclesiis laudem eorum pronuntiare.* Sic Ioscelinus de facto successoris Sancti Vvaleni, quem non dubito zelo exagitatum; maximè praeeunte exemplo Sancti Gozeuini, qui miracula dudum interdixisset Bernardo mortuo, ne Conuentus adeuntium concursu perturbaretur. 8.

e Lib. 2. c. 13.

Sed, ô altitudo diuitiarum sapientiae, & scientiae Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius! Qui miraculis obex parabatur, conciliauit miracula: 9.

cula: & zelus, velut minùs purus, saltem vt indiscretus punitus est, Vvillelmo deposito, & subrogato discipulo Vvaleni, qui gloriam eius vltro solicitaret. Pergit itaque author de his scribere [f]. *Ad quem effectum præfatus Vvillelmus super interdicto suo peruenit, exitus rei luculenter edocuit. Dum enim contra monita Beati Benedicti plus timeri, quàm amari studuit, & propriam proteruiam in subditos retorquere satagit; potestas prælationis eius, subiectis non solum onerosa, sed & exosa stans, illum exabbatem effecit. Ipsi ergo pastorali curæ cedenti, Domnus Ioscelinus, quem ipse antea in multis grauauerat, successit; qui Sancti Vvalleni dilectus, & dilector extitit.* Hactenus ibi. Porrò qualiter Ioscelini huius industria dilectum corpus Sancti, atque integrum inuentum, & incorruptum, maiora adhuc miracula patrauerit, sequenti anno, quo euenit, dicemus.

f ibidem.

Interim noto Sanctæ illius ætatis sanctos patres, facile, quos infensos subditis nouerant, remouisse prælatos, etiam nullius alterius culpæ conscios. Quippè animabus Christo conciliandis, solam dilectionem mutuam aptam nouerant; neque per vim dominationis duræ, sed per dulcedinem charitatis blandæ, trahendas fore. Quod si nostris temporibus viguisset, haud vnquam temporales prælatias, laxamenta obseruantiæ, atque totius ambitionis thesauros, inuenissemus. Certè Vvaleni in Meilrosia antecessorem S. Guillelmus, successorem Siluanus non minus Sanctus, vterque vtrumque deposuit à præfectura. Neque alia vtriusque facti causa subfuit, nisi quia minus suauis, fratribus vterque erat inuisus. 10.

---

1. Ad Cistercium diuersæ conuersiones miraculosæ. 2. Inter quas prima Magistri Silonis: 3. Atque alterius lasciui adolescentis, 4. Flagellati diuinitus, 5. compunctique, 6. & Monachum induentis in Claraualle. 7. Dictum de iuuene studioso artis Diabolicæ, cum insigni Cistercij commendatione. 8. Relatum item de alio rapto à Dæmone, 9. sed restituto, & ad ordinem conuerso. 10. Quæ non omnino certa comprobantur. 11. Nostrorum in Alphonsum Regem obsequium. 12. Atque eiusdem in nostros retributio magnifica.

CAPVT III.

1. CIRCA hoc tempus, nam annum non ausim dicere, auxere duæ insignes conuersiones Cistercij numerum, vtraque Claramuallem illustrans; & illam quidem Vincentius Beluacensis, hanc author Magni Exordij recensuere. Vtraque nobis hoc caput impletura, vtriusque authoris verbis dicenda erit. Ergo priorem cuiusdam Magistri Parisiensis, Beluacensis Episcopus sic narrat [a]. *Dicitur quod cum quidam scholaris videretur Parisiis mori valde pœnitens, & compunctus; apparuit post mortem magistro suo habens cappam de schedulis conscriptam diuersis sophismatibus; & cum quæreret magister qualiter esset ei? Respondit, quod cappa ista plus ponderaret eum, quam aliqua turris de mundo; & quod intus incomparabiliter vreretur. Et cùm alius diceret: quomodo hoc esset, cum ita mori compunctus visus esset; ait, quod illæ lachrymæ potiùs ex timore mortis, & gehennæ processerant, quam ex amore Dei, vel ex amissione eius. Et cùm diceret magister, quòd non videretur ita torqueri; extendit illi manus suas, & vnam guttam sudoris sui extendit super manum eius, quæ statim perforata est, & ipse euanuit. Tunc ipse dicens.*

Linquo croax ranis, cras coruis, vanáque vanis
Ad Logicam pergo, quæ mortis non timet ergo.

Apud Claramuallem vadens ibi habitum religionis assumpsit; & acta pœnitentia se ibi afflixit. Hactenus Vincentius, in quo tamen timori mortis, vt puto, timor gehennæ additus per errorem amanuensium: aliàs timor gehennæ salubris est, & qui si sacramento perficiatur, valet ab ipsa gehenna liberare: nisi si tamen in gehenna, non pœna damni, sed sola pœna sensus, timori esset.

a In Specul. Moral. 1 par. dist. 26.

2. Eandem conuersionem scripsit Petrus Cantor, tunc Parisiis præsens, qui ipse postea Cistercium professus est, vt suo loco dicemus, ex quo Magnum speculum exemplorum [b], Iacobus de Voragine, & Petrus de Natalibus; nisi quòd tamen religionis nomen reticent, sed exprimunt Magistri, quem Silonem appellant, & quasdam circumstantias leues rei peruertunt. Referam & in gratiam lectoris, eorum verba. *Magister Silo quendam suum scholarem ægrotantem obnixè rogauit, vt post mortem ad se rediret, & statum suum sibi renuntiaret. Post aliquos igitur dies sibi apparuit, cum cappa de purgamento tota de sophismatibus descripta; & flamma ignis tota contecta; qui requisitus à Magistro quinam esset, ait. Ille vtique sum, qui ad te redire promisi: qui de statu suo requisitus, ait. Hæc cappa plus super me ponderat, & plus me premit, quam si vnam turrim super me haberem. Et est mihi data, vt eam portem pro gloria, quam in sophismatibus habui. Porrò flamma ignis, quâ cooperta est, pelles sunt delicatæ, & variæ quas ferebam; quæ flamma me cruciat, & exurit. Sed cùm Magister illam pœnam facilem iudicaret: Dixit ei defunctus, vt manum extenderet, & sic facilitatem suæ pœnæ sentire posset. Cumque manum extendisset, ille guttam vnam sui sudoris demisit, quæ prædicti Magistri manum citiùs perforauit; itaque cruciatum mirabilem sensit, & ait. Talis totus est ignis. Ille ergo Magister ex illius pœnæ acerbitate persentitus, sæculum deliberauit deserere, & religionem intrare: unde mane scholasticis congregatis, hos versus composuit.*

b distinct 8. exempl. 65.

Linquo croax ranis, cras coruis, vanáque vanis
Ad Logicam pergo, quæ mortis non timet ergo.

Et sic sæculum deserens, ad religionem confugit. Hæc de Magistri Silonis conuersione.

Ast alium iuuenem, nobilem, & diuitem, non minor vis ad Claramuallem traxit, per verbera ad diuinam dilectionem; per amorem ad gloriam præparandum; de quo sic in Exordio Magno lego [c]. *Clericum quemdam iuuenem, nobilem, & diuitem, sæculo prona intentione deditum, de voragine voluptatum paterna castigatione (Deus) clementer eripiens, docuit non sperare in incerto diuitiarum, nec lubrica ætatis petulantiam sequi; sed* 3.

c lib. 4. c. 6.

sed per duros labores pœnitentiæ, ad veras diuitias æternæ vitæ peruenire. Hic itaque delicatus adolescens aduertere nolens, ideo Ferias à Sanctis patribus institutas, vt vacarent, & viderent, quoniam Dominus ipse est Deus; non vt schacis, aut aleis, seu quibuslibet Diabolicis nugis intenderent; solebat frequenter cum socis, & sodalibus suis, spectaculis, & ludis variis diem perdere. Quadam igitur vice, cum ad quamdam domum, iocandi causa, multi confluerent, vt theatricis plausibus, & nugis diem ipsum, solito more, consumerent; accessit etiam illic præfatus adolescens, vt & ipse pasceret hædos suos de spectaculo vanitatis. Erant autem illic aleatores quidam cum aleis ludentes. Quos vt melius ex alto prospiceret, super mensam ibidem positam pronus accubabat. Et ecce facta est super eum subitò quasi manus hominis, ipsum inuisibili flagello diutius cædens, qui caput illius, & humeros, ac dorsum totũ, veluti pistillo desuper feriente, crebris ictibus tundebat. Ipse verò iacebat immobilis, quid faceret, vel quo se verteret, ignorans.

4. *Volebat præ nimia doloris angustia, in vocem clamoris, & planctus erumpere: sed præ pudore propter frequentiam circumstantium, & strepentis populi, non est ausus: & ne velut insanus reputaretur, molestiam verberum ægerrimè ferebat. In semetipsum verò reuersus, & mortem quasi iam imminentem præ oculis habens, arguebat se in conspectu Domini, gemens in amaritudine animæ suæ, & dicens. Heu mihi Domine Deus! Nunc inuenerunt me peccata mea: & ecce iam morior, & ad inferos cum dolore descendo, carens pœnitentiæ fructu. O pater misericordiarum Domine Deus meus! si respiciens videris afflictionem peccatoris in angustia constituti, & me licèt indignum de præsenti periculo misericorditer eripueris, promitto, voueo, spondeo, quoniam non ero ingratus beneficiis tuis, sed continuò spretis cunctis, quæ sunt mundi, seruum me tibi tradam sempiternum.*

5. *Dum hæc, & his similia in corde coram Domino loqueretur, facta est vox ad ipsum dicens. Si Claramuallem conuersionis gratia adire volueris; & tu anima, & corpore saluus eris. Ad quam vocem respirans, & à Domino se visitatum intelligens, illico respondit. En trado me seruum Deo, & domui Clarauallis. Adhuc eadem verba in corde voluebat, cùm mox, recedente flagello, totus etiam dolor euanuit. Sentiens autem factam in se misericordiam, continuò non acquieuit carni, & sanguini; & si equitatura ad manum fuisset, ne vnius quidem horæ morulam sustinuisset, quin incontinenti votum, quod vouerat persolueret. Neque enim carnalem vllam cogitationem admisit, vt domum rediret, parentes, & amicos consuleret, domui, familiæque disponeret, redditus, agros, censúsque locaret, sed omnia hæc abrumpens, potius quàm soluens, cuncta propter Christum, vt stercora arbitratus est. Eadem die comparata equitatura in crastinum, summo manè iter arripuit, à facie sæculi tanquam à facie leonis fugiens, vt maneret in solitudine.*

6. *Feruentissimo itaque desiderio veniens in solitudinem Clarauallis, quæ priùs Vallis Absynthialis dicebatur, fratribus quoque modum, & ordinem suæ conuersionis exponens, tanto iucundiori charitate susceptus est, quanto per hæc indicia Domino vitam, conuersionémque suam placere, fratres illi humiliter præsumebant. Susceptus itaque & probatus, Domino quoque donante fidelis inuentus, veterem hominẽ cum suis actibus exuit, & nouum, qui secundum Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis induens, tanta instantia Cisterciensis Ordinis labores arduos vsq; ad finem vitæ suæ complexus est, vt cunctis sanctissimam eius conuersationem intuentibus liquidò pateret, primam illam conuersionis eius vocationem verè ab illo fuisse, qui eos quos amat, arguit, & castigat, omnémque filium, quem recipit, paterna pietate flagellat.* Hactenus admiranda vocatio, conuersióque quam nefas ducerem silentio præterire.

Cæterùm quia de his admirandis conuersionibus, semel dicere cœpimus, referam ex Cæsario Heisterbacensi, duas alias, in Hispania vtramque, alteram adeo certam, adeò probatam, vt non liceat de illa dubitare; alteram, quam vt in cunctis non affirmem, quippè quæ multa continet, quæ ex multiplici narrantium relatione inuerti, aut peruerti etiam potuerunt, nequaquam tamen omittendam mihi persuasit, & dicentis authoritas, & exempli vtilitas; ob quam & ipse censuit scribendã. Vtramque autem Toleti contigisse circa hæc tempora, ex Diabolicæ artis occasione, quam in ea vrbe Sarracenorum reliquiæ conseruabant, idem ipse scriptor his verbis narrat [d]. *Duo iuuenes, sicut didici lectione, non relatione, apud Toletũ studebant in Necromãtia, accidit vt vnus illorũ vsque ad mortem infirmaretur; qui cum moriturus esset, rogauit alter, vt infra viginti dies sibi appareret; & promisit, si tamen sibi concederetur. Sedente eo, die quadam in Ecclesia corã imagine B. Virginis, & psalmos pro anima illius legente, affuit miser ille, miserrimis gemitibus sua indicans tormenta; quem cum interrogasset, vbi esset, vel quomodo haberet; respondit; Væ mihi, quia æternaliter damnatus sum, propter artem, quam didici Diabolicam, quia reuera mors animæ est, sicut titulus eius ostendit. Consulo autem tibi tanquam socio meo vnico, vt ab hac execrabili scientia recedas, & vitam religiosam sectando, Deo pro peccatis satisfacias. Quem cùm viuus interrogasset, vt tutiorem sibi viam viuendi ostenderet, iterum respondit. Non est via securior, quam Ordo Cisterciensis, neque inter omne genus hominum pauciores descendunt ad inferos, quam personæ religionis illius. Retulit ei, & alia plurima, quæ causa breuitatis omitto, eo quod in libro visionum Clareuallis scripta sunt. Iuuenis verò mox renuntians Necromantiæ, factus est nouitius, ac deinde Monachus in Ordine Cisterciensi.* Hactenus Cæsarius: Porrò hunc iuuenem Laurentium fuisse, & in Vrsaria Gallecíæ Monasterio, de quo tomo præterito, habitum induisse; vbi & Abbas post aliquot annos effectus est; & tandem inde translatus ad Claramuallem, ipsa, quæ inferiùs dicemus, manifestabunt. Vt verè de hoc euentu nihil dubitem, vtpote confirmato, non solùm auctoritate Cæsarij, quæ satis firma, sed etiam ex Catalogo Abbatum Claræuallensium, cuius verba transcribam tomo 4. Atque hæc de prima, quam tamen post aliquot annos contigisse, si quis contendat, forsan non negabo. Certè hunc iuuenem post annos XXXIV. nempè M.CC. VI. electum in Abbatem Vrsariæ infrà videbimus. Nunc quæ de simili alia conuersione idem Cæsarius narrat accipiat lector. 7.

d lib. 1. c. 33.

[e] *Retulit mihi Monachus noster Godescalcus de Volmunsteine, quod silere non debeo. Cum die quadam rogaret prædictum Philippum, vt aliqua sibi recitaret de arte sua mirabilia. Respondit ille: dicam vobis rem satis mirabilem, temporibus meis apud Toletum veraciter gestam. Cum plures ex diuersis regionibus scholares in eadem ciuitate studerẽt in arte Necromantica, iuuenes aliqui de Sueuia, & Baioaria stupenda quædam, & incredibilia à Magistro suo audientes, & vtrumnam vera essent, probare volentes,* 8.

e lib. 5. c. 4.

dixerunt

dixerunt illi: Magister volumus, vt ea, quæ doces, oculotenus ostendas, quatenus aliquem ex studio nostro fructum capiamus. Quos cùm auerteret, & non acquiescerent, quod natio illa gens sit mirabilis, hora idonea in campum illos duxit, gladio circa illos circulum fecit, monens sub interminatione mortis, vt infra circulum se cohiberent, & ne aliquid rogantibus darent, vel ab offerentibus reciperent, præcepit. Sedens ab eis paululum, dæmones carminibus suis aduocauit. Mox adsunt illi, in formis militum decenter armatorum, militiæ ludos circa iuuenes exercentes, nunc lapsum simulabant, nunc lanceas, & enses contra eos extendebant, omnibus modis satagentes, vt illos extra circulum extraherent: qui, cùm sic nihil proficerent; in puellas speciosissimas se transformantes, choreas circa illos ducebant, variis infractibus iuuenes inuitantes: ex quibus vna, forma cæteris præstantior, vnum ex scholaribus elegit, ad quem quotiens venisset chorizando, totiens annulum aureũ porrigebat, intus suggerendo, & foris motu corporis ad amorem suum illum inflammando. Quæ cùm per multas vices hoc actitasset victus iuuenis, digitum contra annulum extra circulum porrexit, quem illa mox per eundem extrahens, nusquam comparuit.

9\. *Capta præda, conuentus malignantium in turbinem resoluitur, fit clamor, & strepitus discipulorum, accurrit Magister, de raptu consocij omnes conqueruntur. Quibus ille respondit ego sine causa sum, vos me coegistis, ego vobis prædixeram, non eum à modo videbitis. Ad quod illi: Nisi nobis restituas, interficiemus te. Timens autem vitæ suæ, sciens Baioarios esse furiosos, respondit. Ego tentabo, si spes aliqua sit de illo. Vocánsque Principem Dæmoniorum, fidele suum Ministerium illi ad memoriam reuocans, dixit, disciplinæ eius multum esse derogandum, séque à discipulis occidendum, nisi iuuenis restitueretur. Cui Diabolus compassus respondit; Crastino concilium propter te in tali loco celebrabo, tu esto præsens, & si aliquomodo illum per sententiam obtinere poteritis, gratum habebo. Quid plura? Ad imperium Principis concilium malignantium cogitur, de violentia in discipulum facta à magistro conqueritur, ab aduersario respondetur: Domine, inquit, non illi feci iniuriam, non violentiam, magistro suo inobediens fuit, legem circuli non custodiuit. In hunc modum illis contendentibus, Diabolus Dæmonem quendam sibi collateralem de sententia interrogauit, dicens: Oliuere semper curialis fuisti, contra iustitiam personam non accipis, solue quæstionem huius litis, respondit ille: Ego iuuenem restituendum esse magistro suo, móxque ad aduersarium conuersus ait: Redde illum, quia nimis ei importunus fuisti.*

10\. *Cæteris sententiæ eius assensum præbentibus ad mandatum iudicis, eadem hora scholaris ab inferis reducitur, magistro suo restituitur, consilium soluitur, ad discipulos reducta præda, magister læsus reuertitur. Cuius vultus ita erat macer, & pallidus, color tam immutatus, vt hora eadem à sepulchro videretur resuscitatus: qui sociis apud inferos visa recitans, quàm Deo contraria, & execrabilis foret illa disciplina, magis exemplo, quàm verbo ostendit, & à loco recedens, in quodam Ordinis nostri Monasterio Monachum se fecit.* Hactenus conuersiones duorum iuuenum, quas Toleti obuenientes, maluissem ab Hispano authore haustas, quàm à Germano; ad quam longa intercapedine, facilè res adauctæ, mutatæque (qui mos est hominum) potuerunt peruenire. Nobis vt nihil omittere in cura; sic nec dubia pro certis, nec mirabilibus minùs comprobatis, nostris Annalibus lectores conciliate.

Hoc ipso anno certatum inter nostros, Alphonsúmque Aragonensium Regem pietate, & officiis; ostensúmque profusioni omninò nullas sufficere, etiam ingentes opes: parsimonia, vel paruas redundare. Exhauserat Alphonsus thesauros Regios continuis bellis, neque minus continuis largitionibus; quæ plerumque in Regibus, nec prohiberi possunt, nec, si modum excedant, tolerari. Verum nondum exhausta munificentia, cùm cætera absumpsisset; oppida etiam, & Villas suæ ditionis, vt non penitus venderet, tamen, accepta pecunia, obpignorabat. Id vnum Reges ad extremam inopiam adigit, si necessariis sumptibus oppressi, voluntarios non caueant. Non sunt diuites, qui multos redditus habent, sed qui paucos insumunt: neque homines tenuior substantia, sed maiores expensæ pauperes faciunt. Populetani in multis à Rege aucti, dum non ideo ad maiora se extendunt; dum non ipsa abundantia retardantur à continuo labore, neque inficiantur, quin pro instituto, in sudore vultus sui pane suo vescerentur, quasi non eum aliunde habere possent; supra consuetum diuites inopiæ Alphonsi potuerunt subuenire; grati in benefactorem, pij in Regem, liberales in populum, à quo tandem extorquenda veniunt, quæ desunt Principi. Ergo cùm scirent inter alia multa, haud ignobile Castrum in pignus datum (*Bimbodi* loco nomen) octingentorum marapetinorum accepta summa; exigua hodie, quamuis aurei erant; sed tunc haud dubiè magna: data pecunia primò Castrum redimunt, dein Regi restituunt, non vltra ab eo vt optabant, obpignorandum. Tunc verò Rex quasi se victum dolens, ab ipsa Monachorum munificentia, non pretium pignoris, sed pignus ipsum dedit Cœnobio Populeti, ab eodem perpetuò possidendum. Extat hodie instrumentum donationis hoc ipso anno expeditum, quod in memoriam mutuæ charitatis, & largitatis, atque vtriusque illustre monumentum hic censui ad litteram fore transcribendum. 11.

Ego Alphonsus Aragonensium Rex, &c. Dono Deo, & Monasterio Sanctæ Mariæ Populeti, & tibi Hugoni Abbati eiusdem Monasterij, & successoribus tuis villam quæ appellatur de Bimbodi, cum appendiciis suis. Dono inquam, & laudo pro Allodio Franco, Omnipotenti Deo, & supradicto Monasterio Populeti, quod Pater meus fœlicis memoriæ pro hæreditate sua fundauit, & extruxit, ad honorem Dei, & B. Mariæ, & Ordinis Cisterciensis. Et sit manifestum omnibus quòd tu, Hugo Abbas, & fratres tui redemistis supradictam villam ex octingentis marapetinis bonis, pro quibus illam in pignore miseram Galcerando de Bimbodi. Facta charta apud Barchinonem quinto Kalendas Iulij anno M.C.LXXII. Hactenus instrumentum Alphonsi Regis quod censui omnino dignum his Annalibus. Porrò cùm prædictus Galcerandus, cui in pignus obtigerat, aliquid iuris retinere curaret in illo oppido; siue doleret obtinuisse Monachos, quod ipse possidebat, siue aliàs ægrè à Dominio dimoueretur: eiusdem interuentu Regis effectum est, vt cederet Abbati, Monachísque, & sola prius admissione in amicitiam, mox etiam in fraternitatem Monasterij contentus esset: Cuius rei duo alia instrumenta subsunt, alterum anni M. C. LXXXII. alterum M. C. LXXXIX. Adeò Regi dum vixit in cura fuit, ne beneficium Cœnobio à se collatum, siue priori obsequio emptum ab ipsis Monachis, non solùm deperiret, sed ne aliqua ex parte defraudaretur. 12.

1. Beatus Pontius promotus ad Clarum-montem, 2. Multis fulgens virtutibus. 3. Sanctum Gerardum accepit successorem. 4. Patria viri, & mores, 5. doctrinaque procliuior in exempla. 6. Beati Ioannis sub ipso Prioris sanctitas, 7. & comprobata vtriusque concurrentia. 8. Quid Ioannes in Psalmodia, vigiliisque. 9. Quid in opere manuum, & aliis obseruantiis, 10. & quo fine. 11. Atque incidens horrendum exemplum de luxu vestium.

CAPVT IV.

1. REGEBAT interim Claràuallem Beatus Pontius, signis, reuelationibus, virtutibus, sed præcipuè prudentia, zeloque, dignus planè successor Bernardi Patris. Verum cum fama Sanctitatis eius vndequaque diffusa, exteris etiam in pretio esse inciperet; ad Ecclesiam Clarimontensem vocatus, atque orphanos relinquere compulsus, quos diligebat, filios; tandem discessit, altiori candelabro superponendus. De hac Beati viri promotione, hæc author Exordij magni scripta reliquit [a] *Dum (Beatus Pontius) in Claraualle, vigilanti solicitudine gregi Domini superintenderet, & in prælatione, Domini lucra, non sua quæreret; ne lucerna per Spiritus Sancti benignitatem accensa sub modio lateret; vocante Domino, totiúsque Cleri, & populi electione annuente, in Episcopum Clari-montis assumptus est.* Hæc author ille de electione viri Sanctissimi. At de ipsius electi Pontificatu, cui nec humilitas seueritatem demeret; nec grauitas in fastum inclinaret. Audi, quod sequitur.

[a lib. 1. c. 16.]

2. *Pontificatus verò honore sublimatus, Monachi tamen humilitatem non deseruit. Geminam hanc gratiam mirabiliter in se copulatam ostendens; ita vt Summi Sacerdotij dignitas Monastica humilitatis puritatem commendabiliorem redderet, & rursum religionis vigor, Pontifici auctoritatem tribueret. Sicque verbo, & exemplo populum, cui datus Episcopus fuerat, pascens, & instruens, inter Antistites sui temporis spectabilis apparuit.* Hæc in Exordio Magno. Ad hunc Episcopum Thomas Cisterciensis scripsit luculentam expositionem in Cantica Canticorum, quæ Lugduni, Parisiis, & alibi excussa circumfertur. Porrò ipse Pontius numeratur inter Episcopos Ecclesiæ Clarimontensis, Ordine quinquagesimus, inter Stephanum, Gilebertúmque, alterum, cui successit, alterum, quem post se habuit successorem. De tempore quo præfuit non satis constat. Sed videtur protractum ad multos annos. Quippè ille Thomas, quem ei dicasse diximus Commentarios in Cantica, claruisse fertur [b], circa annum Christi M. CC. XXX. Vt vix ante M. C C. scripsisse credendus sit, vsque ad quem Pontius Pontificatum, & vitam continuauerit. Sed de his iterum nobis dicendum erit. Nunc quem in Claraualle successorem habuerit, ex eodem Exordio describamus.

[b Benedict. Bennes in Comm. vniuers. de Eucharist.]

3. [c] *Assumpto ad Pontificatus apicem Domino Pontio, qui quintus à Sancto Bernardo Claraualllis Abbas extiterat, Beatus Gerardus Fossa Noua Abbas, vir puritate conuersationis, & morum integritate per cuncta laudabilis, senarij numeri perfectionẽ tam in vita, quam in morte sua adimpleturus, sexto loco eiusdem Ecclesiæ Abbas est substitutus. Hic venerabilis Pater, acceptus Deo, & hominibus charus, tanta gratia decoratus erat, vt vniuersitas fraternitatis ipsum tanquam paradisi vernantissimum florem, aspiciens, miro veneraretur affectu. Quem enim Deus perfuderat gratia, necesse erat vt omnibus amaretur.*

[c lib. 2. c. 22.]

Hactenus ex authore Exordij magni, qui statim ad Martyriũ Sancti progreditur, de quo nobis latissimè agendum, sed suo loco. Porrò ex ipsa Gerardi successione, ratio tẽporis, quo ipse ad Claramuallẽ, & Pótius ad Clarum-montẽ promoti sunt, manifestè colligitur: nã constat virũ Martyrij palmã adeptum circa annum Christi M.C. LXXVIII. cùm per sex integros præfuisset Claræuallensibus, quod ibidem ostendam. Qui tamen computus, nequaquam stare potest, nisi hoc anno vterque promotus fuerit.

Gerardum natione Italum ex prouincia Lombardiæ, testantur carmina, quæ hodiéque leguntur in Claraualle. 4.

[d] *Postea Gerardus, Fossæ noua bona nardus,*
Sanguis Lõbardus. Is Martyr, & ad mala tardus.

[d apud Henriquez. Decemb. 7.]

Vt videns facilè, quam sine affectione carnis, & sanguinis, viri sancti eligebant sibi pastores, nihil deferentes affectibus terrenis, nihil ipsi suæ Ecclesiæ, si fortè ex aliis vtiliores inueniebãtur. Quippè paulò ante Pontium, ex Grandi-sylua; nunc Gerardum ex Fossa noua, neutrum Burgundum, vnum post alium in partes adoptarunt. De sanctitate viri multa, & rara, quotquot de ipso scribunt. Varias reuelationes, & miracula, quibus tam ante, quàm post Martyrium claruit, suis locis nos etiam referabimus.

Interim adnoto virum religiosum, exemplis magis, quàm præceptis solitum vti, quæ virtutum præbebat in se ipso; sed vitiorum, diuinæque vltionis, quia non habebat, ab aliis mendicabat. In eodem Exordio notatũ lego aduersùs blasphemos, & contẽptores periuros diuini nominis, solitũ sępè duobus exemplis vti, quorum alteri affuisset, de altero, Cadurcensi Episcopo obtestãti, credere, vt par erat, non dubitaret. Et illo quidem peierantẽ Christi membra, repentè percussum [e], *recenti plaga in dorso eius inuenta, ac si aliqua securis amplissima ibidem illisa esset; ita vt penetralia cordis, hepatis, & pulmonis funditùs apparerent.* Asserebat præterea, hæc & similia de matre blasphemantẽ, repẽte traditũ cruciandum maligno spiritui à quo *durissima passione diu vexatus, atque distortus, oculis, & facie enormiter intumescentibus, linguam abiectam longè ab ore porrigeret; neque priùs potuerit reuocare, quàm infœlicem animam æternis pœnis cruciandam exhalaret.* Sic prouidos, ex aliorum damnis curabat, quos instruebat; doctus bonos amore, monitísque; malos metu, quàm pœna coërcendos. 5.

[e lib. 5. c. 2.]

Sub hoc Abbate in Claraualle floruit insignis ille Prior, nomine Ioannes, quem dulcis memoriæ vocat Exordij author [f]. *De mirabili feruore dulcis memoriæ Domini Ioannis, quondam Prioris Clarauallis.* Et infrà. *Hic itaque strenuus vir, Prioratus officio in Claraualle per plures annos functus, tãta alacritate spiritus, & patientia, corporalis exercitij partem hanc solicitudinis administrauit, vt quasi signaculum videretur posuisse super cor suum sententiam illam, quam Beatus Pater Benedictus Præposito, seu priori Monasterij proponit dicens: Quia* 6.

[f lib. 4. c. 16.]

quantò

quantò plus prælatus est cæteris, tantò eum folicitiùs oportet seruare præcepta Regulæ. Hæc & alia multa de viro, author Exordij, qui omnes eius virtutes latè describit.

7. Porrò floruisse sub Gerardi præfectura, duo concordia conuincunt testimonia, alterum sumptum ex Catalogo Priorum Claræuallensium, vbi annus obitus eius designatur, nempè millesimus, centesimus, septuagesimus, nonus. Quòd si pluribus annis ante mortem Prioris officio functus fuit, vt habet Exordium, consequitur exercuisse id munus sub Gerardo, cui vno tantum constat superuixisse. Quippe Martyrij palma coronato anno M. C. LXXVIII. vt modò dicebamus, & suo loco latius ostendemus. Adde quod in eodem Exordio legitur, cum Prior Ioannes morbo correptus graui, nihilominus declinaret infirmitorium, vbi delicatiores paulisper cibi, molliora culcitra, & cætera pro necessitate infirmorum prouidebantur ε. *Delatum statum ad Reuerendissimum Abbatem Gerardum, à quo vocatum, vix obedientia cogente, infirmitorium intrare compulsus fit, pro qualitate morbi subueniendus.*

ε lib. 4. c. 27.

8. Multa in eodem Exordio de hoc Sancto, inter quæ illud memoria dignum reputo, quod *vt perpetuitatem vigiliarum quasi commonitorio quodam pulsato illibata seruare valeret, lignum quoddam in superiori parte stalli, in quo stabat, sic ingeniosa compositione aptauerat, vt si quando prolixitatem vigiliarum pertæsus, dormitare cœpisset, nutantis capitis inclinationem malleolus repercutiens exciperet, & ad vigilandum repentino ictu suo folicitiorem redderet.* Hæc de vigiliis, cumulata per artem gratia, si ita fari licet; & superata vltra solitum natura. At de opere manuum quotidiano, & parsimonia victus, vestitúsque, & cæterarum carnalium commoditatum, audi, quod sequitur.

9. *Porrò ad opus manuum, cum fortè aliàs exoccupatus esset, frequenter ibat. Haud segnem se in hoc exercitio demonstrans; & pusillanimes non tam voce, quàm exemplo ad tolerantiam laboris exhortans. Præcipuè verò secationis, & messionis tempore, quando B. illi Claræuallenses Martyres velut in frixorio tota die friguntur; adeò tenaciter labori insistebat, vt omnes pariter negligentias aliorum temporum illis laboriosis diebus, quotidiano labore se diluere reputaret. Vt verò peregrinum, & aduenam se esse super terram nec habere hîc manentem ciuitatem, sed futuram inquirere reminisceretur: de substantia mundi, quantum minus poterat accipiebat, sobrietatis, & parsimoniæ decore opus suum castificans. Quoniam virtus animæ in carnis maceratione perficitur. In vestitu quoque eandem modestiam, & humilitatem seruabat: grossos, veteres, & consutos pannos semper appetens, & amplectens; pretiosos verò molles, & subtiles, quasi quandam pestem fugiens. Nam vt de cæteris taceam, ipsum capitale lecti sui; in quo post nocturnas vigilias, & labores diuturnos fessum caput reclinare consueuerat; non patiebatur qualescumque plumas habere; sed fœno, & paleis illud farciens, sic cubabat, non surdus auditor sententiæ, quæ in vitis Patrum legitur, sed à multis quasi dura declinatur. Quoniam abominabilis omnis corporis requies.* Hæc, & alia ibidem de Sancto viro.

Crediderim speciali Dei prouidentia cautum esse, vt tantus Prior sub Abbate Gerardo, Claræuallensi Ecclesiæ concederetur, quo geminata vtriusque præfecti gratia subditorum cumularet fœlicitatem; & auellendi ab ipsis per Martyrium, tristem absentiam, charitas permansuri consolaretur. Habuerat Sancta Domus Claræuallis, à suæ fundationis initiis, priores Sanctos, nempè Gualterum, Humbertum, & tres Gaufridos, Raynerum, & Philippum quondam Episcopum, de quibus suprà; post hos Hugonem, *qui*, vt inquit Cathalogus, *factus est Abbas Longi Pontis, & Gerardum, qui factus est Abbas Eberbaci.* Sed nescio, qua præ aliis prærogatiua, dulcis memoriæ Ioannes, atque inter primitiuos Cistercij Patres, gratia, & decore conspicuus commemoratur. Quin & duo integra Exordij consumit capita, ex quibus quædam nos etiam suis temporibus. 10.

Interim adnoto, quod per hæc eadem tempora, innominatis licèt Cœnobio, Monachóque, sed constat tamen Cisterciense vtrumque, contigit; horrendum satis, formidandúmque, contra superbiam vestium, quam idem Ioannes nimium abhorrebat, & exteriorum ornamentorum, heu! Monachis indignam curiositatem. Referam eiusdem Exordio verbis in eodem capitulo, in quo hæc ipsa politiora, comptioráque, parsimoniæ, & modestiæ Ioannis opponit. *O beata, & potiùs appetenda huius B. viri* (Ioannis) *vilitas, & abiectio sui in humilitate vera; quàm arrogantia illius Abbatis in præsumptione pessima; de quo certa relatione cognouimus, quod in Saxonia Cœnobium quoddam Cisterciensis Ordinis regens, pannis, qui de lana terræ illius fiebant, nequaquam vti dignabatur, sed pretiosos de Flandria pannos, quibus lenociniis voluptatis, & vanitatis satisfacere posset, annuatim sibi comparari faciebat. Quo defuncto, cùm Monachi vestimenta eius inter se partirentur. Prior domus vnam de tunicis eius sibi retinuit. Quam etiam cum quadam solenni nocte, quasi pro reuerentia dicti festi indueret, tanquam si ardentibus laminis candentis æris vreretur, terribiliter exclamauit, & detestabilem vestem longius à se proiecit. Quæ proiecta, velut candens ferrum, scintillas ex se emittere visa est. Attoniti stupore miraculi cæteri, qui de anathemate illo aliquid rapuerant, cum omni velocitate partes singulas in medium proferunt, ac in vnum locum componunt, scintillis creberrimis vndique, quasi de clibano ardenti micantibus. Nec cessauit exitiale prodigium, quousque vicini Abbates in testimonium tam tremendi iudicij Dei superuenerunt.* Hactenus ibi, exemplo cunctis terribili, sed multò magis nostris, quibus, ô vtinam! à memoria nunquam excideret! 11.

1. *Gloriosus abitus Petri Sabigniacensis.* 2. *Pauca de actis,* 3. *& Sancti corporis cum aliis eleuatione.* 4. *Villariensium cum sanctitate, doctrina,* 5. *& consultata per illos Sancta Hildegardis.* 6. *Proposita quaestiones,* 7. *& Sancta Virginis responsa, remissiuè.* 8. *Decessus, successoresque Guillelmi, atque Gualteri:* 9. *& Xenodochium praeparatum Calatrauensibus.*

Caput V.

1. VT Claramuallem Gerardus, Ioannésque; Abbas, & Prior; sic Sauigniacum illustrabant Monachi Sancti, Petrus, & Haymo, Sancti Patris Serlonis olim filij, tunc virtutum haeredes, & breui cohaeredes futuri gloriae; quippè Petrum hic idem annus abstulit, si credimus Seguino, infra citando; Haymone non diu superuicturo. De vita, & morte Petri multa antiqui; sed quae nos hactenus nancisci non potuimus. Qui loco proximus, & lingua familiaris Hugo Menardus [a], faciliùs, certiúsque, ea omnia potuit discere, & docere; haec ex ipsis abundat magis, quàm narrat. *Fuit Beatus Petrus patria Abricensis, Sauigniacensis Monachus. Adeò conscientia puritati studebat, vt minimam labeculam ferre non posset, quin statim ad Sacramentum paenitentia recurreret. Mortuus apparuit Beato Haymoni, confessori suo, immensa luce circumfusus, dicens, se tali gratia à Deo locupletatum ob conscientia puritatem. Eius vita habetur Sauigniaci.* Haec tantum ille. Vtinam nobis nancisci licuisset, viri Dei acta fusius descripturis.

[a] In Martyrolog. Monast. Decemb. 14.

2. Verùm quod ait apparuisse post mortem Beato Haymoni, quem à sacris ipsius confessionibus, in hac vita mortali; vt puritatis, ita & gloriae consortem habere voluit, paulò exactius à Philippo Seguino [b] scriptum, haud dubiè quin & ex eius vita excerptum, quod vnum possumus, ponamus ipsius verbis. *Petrus (inquit) Sauigniaci Monachus, vir religione, & sanctitate conspicuus, multis virtutibus refulgens, foeliciter ad beatam gloriam ascendit. Is cum in terrena Sauigniaci solitudine vitam coenobiticam, ne dicam Angelicam, ageret, apud Deum Optimum, Maximum, cuius fuerit meriti, Dominus ipse seruo suo Haymoni ostendere voluit. De eo siquidem fertur, quod cum quadam die S. Haymo ad praefati Petri, electi Dei, sepulchrum orationi insisteret, repentè in ecstasim raptus, vidit in superioribus huius aëris partibus innumeram Sanctorum multitudinem, insigni gloria, & honore nimio praefulgentem; ipsúmque Petrum in coetu eorum ingenti tripudio exultantem. Cumque vir Dei in eorum contemplatione aciem mentis diligenter figeret, omnis illa Beatorum Caelestis multitudo benignissimè facies suas ad eum conuertit, eique reuerendè admodum inclinauit. Hac reuelatione S. Haymo cognouit praefatum Petrum in Diuorum consortium receptum fuisse. Claruit anno Domini. M.C. LXXII.* Hactenus ille.

[b] lib. 3. c. 22.

3. Crebruisse ad sepulchrum Petri miracula, argumento est, quòd ossa viri Sancti cum aliis aliorum Sanctorum ossibus, Haymonis nimirum, qui Petrum vidit, Vitalísque, Godefridi, & Guillelmi; de quibus supra; eleuata de terra decenti pompa; & Dioecesani, ac aliorum Episcoporum interuentione collocata in sepulchro Venerabili reuerentiae patent, cultuique, qui eis exhibetur ab omni populo: addita anniuersaria processione ex oppidis confinibus, quae ad locum conueniunt; quaecumque postulant, vt piè credunt, & sperant, per intercessionem Sanctorum impetratura. Meminit, tum eleuationis, tum annuae processionis Hugo Menardus in suo Martyrologio totidem verbis. *Horum* (inquit) *Beatorum Abbatum & Monachorum Sauigniacensis Coenobij, corpora honorificè eleuata sunt, & reposita in quodam loco eiusdem Coenobij ab Episcopis Cenomanensi, Abricensi, & Rhedonensi; in cuius memoriam fit quotannis in eodem Coenobio solennis processio Kalendis Maij.* Haec nos tantùm de Beato viro: reliqua, vtinam addat, quicumque nouerit.

Per idem tempus Villarienses Monachos, ligonem inter, & falcem, familiaria instrumenta, sacrarum litterarum studium, intelligentiáque, non minus quam Monastici rigoris, & disciplinae, in qua praeminebant, solicitabat; nec solos viros doctos, & litteratos, sed spirituales; imò hos tantò auidius consulebant, quantò credebant, vnctione magistra magis, quam humana industria, discursúve, coelestem nobis sapientiam prouenire. Eius rei monumentum hodiéque extat, inter opera B. Hildegardis, quam ab aliquibus illius Ecclesiae Monachis, humiliter, sed curiosè consultam, super octo & triginta quaestionibus, epistola Vviberti; atque eius responsio latè demonstrant. Huic cum Abbate (eiusdem, an diuersae domus, incertum) ad Beatam Virginem visitandam perrecturo consultatio commissa, votis communibus: vt quae vnctione magistra, retulisset, tanquam oraculum coeleste venerarentur. Obstitit coeptis casus, fortunáve, atque impeditum iter ad Sanctam Virginem: verum pro nobis magis, quam contra ipsos; vt quaesita, & responsa mandata litteris ad nos vtique valerent peruenire. Itaque, quam Vvibertus verbo non potuit, per epistolam censuit consulendam his planè verbis. 4.

Matri Sanctissima Hildegardi, Vvibertus. 5.

Gaudium, quod de visione, & collocutione tua, cum Abbate nostro tempore Quadragesimali, ad te proficiscendo, diuinitus mihi indultum credideram; ad tempus quidem mihi inuidia (vt puto) diaboli sublatum est. Nam cùm Coloniam vsque processimus, iter nostrum impediente Sathana, & per iniquas carnalium propinquorum suorum suggestiones, propositum Abbatis ad te protendendi conturbante, vlterius destitimus. Sed spero, quia quod ablatum mihi doleo, opportuniori tempore, remotis omnibus impedimentis gratia mihi diuina restituet. Interim tamen de quaestionibus illis, quas per me fratres Villarienses ad te soluendas mittebant,

mittebant, quásque ego reuocatas ab itinere, tibi perferendas, dilecte Baldo, commisi, quid actum sit, vehementer scire cupio. Vtrum videlicet, nec ne, ad te peruenerint. Quod si peruenerunt, obsecramus omnes, nostræ partis amici tui in spiritu, tuis effusi pedibus, vt mare solutionis earum fiducialiter ingrediens, aura Spiritus Sancti vela committere non pertimescas, tali duce freta, sine difficultate, placido portui mox adlapsura. De quibus etiam precor, vt cum præscriptis, litteris Villariensium, & nostris, solutionibus earum præscribas, vt altera ex alteris gratiores fiant, & clariùs elucescant. Hactenus epistola. Nunc referam, quæstiones, quia selectas: Responsa Virginis subobscura nimis, & longa, apud ipsam inueniet, quicumque volet.

6.

d Eccl. 18. e Gen. 1. *I. Quomodo intelligendum est, quod legitur:* Qui viuit in æternum, creauit omnia simul, *cum per sex dies*[e] *opera sua Deus distribuisse, referatur.*

f Gen. 1. *II. Quid est quod scriptum est:*[f] Diuisit Deus aquas, quæ erant sub firmamento, ab his, quæ erant super firmamentum? *Nunc quid credendum est, materiales aquas super firmamentum esse.*

g 1. Cor. 15. *III. Antequam primus homo peccaret, videbat ipse corporeis oculis Deum,*[g] *vel visuri sumus nos eum corporeis oculis, cùm secundùm Apostolum, corpora spiritualia in resurrectione receperimus?*

h Gen. 2. *IV. Quo genere locutionis vsus est Deus,*[h] *& in qua specie primo homini apparuit, cùm præceptum ei dedit? & in qua cùm post peccatum in paradyso, deambulauit?*

i Gen. 3. *V. Quid est, quod Deus dixit:*[i] Ecce Addam quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum, & malum?

k Gen. 3. *VI. Quales oculi primis parentibus aperti sunt, cùm ante peccatum ambo viderent. Vnde dicit:*[k] Vidit lignum mulier, *&c.*

l Gen. 9. *VII. Quid est quod Dominus dicit ad Noe, & ad filios eius:*[l] Sanguinem animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum, & de manu hominis? *Et paulo post:* Quicumque effuderit humanum sanguinem, effundetur sanguis eius?

m Gen. 18. *VIII. Qualia corpora habuerunt Angeli, qui apparuerunt Abrahæ,*[m] *quibus similam, vitulum, butyrum, & lac apposuit, & comederunt.*

n Gen. 24. & 48. *IX. Cur Abraham, & Iacob, ille seruo, iste filio, præceperunt, vt iuraturi, manus suas sub femoribus eorum ponerent?*

o Gen. 23. *X. Quare in spelunca duplici, quam emit Abraham à filiis Heth, Sancti Patriarchæ tanto desiderio sepeliri voluerunt?*

p Exo. 3. q Exo. 19. r Actor. 2. *XI. Fuitne verus ignis, qui Moysi in rubo apparuit,*[p] *& rubum non combussit, vel qui in monte Sinai resplenduit,*[q] *vel qui in die Pentecostes super Discipulos in linguarum modum cecidit?*[r] *vel qui super caput B. Martini Sacramenta celebrantis apparuit?*

s 3. Reg. 8. t Hebr. 8. *XII. Quid est, quod in libro Regum*[s] *de Arca dicitur:* in Arca non aliud est, nisi tabulæ testamenti? *& in epistola ad Hebreos*[t] *legitur,* Post velamentum aliud tabernaculum, quod dicitur Sancta Sanctorum, aureum habens thuribulum, & Arcam testamenti omni parte ex auro, in qua vrna aurea habens, manna, & virgam Aaron, quæ fronduerat, & tabula testamenti?

u 1. Reg. 28. *XIII. Nunquid verè credendus est Samuël*[u] *ad inuocationem Phytonissæ reuocatus?*

XIV. Quid est, quod Paulus[x] *dicit:* si linguis hominum, & Angelorum loquar? *Quæ sunt linguæ Angelorum?* x 1. Cor. 13.

XV. Quæ est longitudo, & latitudo, & sublimitas, & profundum, *quæ Paulus*[y] *optat Ephesios* comprehendere cum omnibus Sanctis? y Ephes. 3.

XVI. Quid est, quod Apostolus[z] *dicit:* In ipso viuimus, mouemur, & sumus? z Actor. 17.

XVII. Quid est, quod idem dicit:[a] Nocte, & die in profundo maris fui? a 2. Cor. 11.

XVIII. Quid est, quod[b] dicit: Ego minimus Apostolorum, *cùm plus omnibus laborauerit.* b 1. Cor. 15.

XIX. Quid est, quod dicit:[c] omne peccatum, quodcumque fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat? c 1. Cor. 6.

XX. A die resurrectionis, vsque ad diem Ascensionis, quando Dominus inter discipulos non erat, vbi fuisse, credendus est?

XXI. Quid est, quod de Domino scriptum est:[d] Et accesserunt Angeli, & ministrabant ei? *In quo ministrauerunt? vel quale ministerium exhibuerunt ei?* d Matth. 4.

XXII. Cum noua anima de nihilo nouiter creata, prouidentia Creatoris, in vteris matrum, corpusculis paruulorum infundi credantur; qua ratione originalis peccati maculam contrahunt, & qua iustitia puniuntur?

XXIII. Cum Dominus in Euangelio de seipso dicat: Ego ex Deo processi, & veni: *& de Spiritu Sancto dicatur*[f]: Spiritus: qui à Patre procedit, *inter processionem filij, & processionem Spiritus Sancti, quæ differentia est, vt ille dicatur filius; quod dici non debet, nec rectè dici potest Spiritus Sanctus? Inter generationem filij, & processionem Spiritus Sancti, quæ distinctio, cùm vtraque ex Patre sit?* e Ioann. 8. f Ioann. 15.

XXIV. Quid est, quod Paulus dicit,[g] *se in paradysum, & vsque in tertium cœlum raptum, nescire siue in corpore, siue extra corpus hoc factum sit, vtrum è corpore, cùm anima eius ad ista raperetur, exiuit, an in corpore manens, & illud viuificans, ad ista peruenit?* g 2. Cor. 12.

XXV. Gratia Dei, & liberum arbitrium, quid habent commune? quid proprium?

XXVI. Quomodo intelligendum est, quod dicitur:[h] Omnia in pondere, & mensura, & numero constituisti? h Sapien. 11.

XXVII. Quæ, & qualis est harmonia illa elementorum, de qua dicitur:[i] *In se elementa, dum conuertuntur, sicut in organo qualitatis sonus immutatur, & omnia suum sonum custodiunt? Nunquid ad hoc pertinet, quod Dominus dicit:*[k] Et concentum cœli quis dormire faciet? i Sapien. 19. k Iob 38.

XXVIII. Quomodo intelligendum est:[l] Fons ascendebat de terra, irrigans vniuersam superficiem terræ? l Gen. 2.

XXIX. Cum Enoch,[m] *& Helias in terreno paradiso corporaliter translati esse credantur, nunquid in loco tantæ fœlicitatis corporeo cibo, & indumento agere credendi sunt?* m Gen. 5.

XXX. Quid est, quod de Ionatha[n] *dicitur:* cùm comedisset de melle, illuminati sunt oculi eius? n 1. Reg. 14.

XXXI. Cum ex corde humano cogitationes malæ frequenter exeant, quomodo sciri possunt, quæ ex corruptione nostra prauitatis oriantur, vel quæ malorum Angelorum immissione moueantur? Matth. 15. Psalm. 77.

Corinth. 4. *XXXII. Nunquid spiritualibus oculis corporalia videntur? & è diuerso, corporalibus oculis aliqua spiritalia cognoscuntur?*

XXXIII. Ignis gehennæ corporeus est, an incorporeus? Si autem (vt sentiunt multi fideles) corporeus est, nunquid de materia quarta elementorum credendus est?

Luc. 10. *XXXIV. Sancti in cœlo, & impij in inferno, nunquid sciunt ea, quæ aguntur in terris?*

Matth. 21. & 25. *XXXV. Parabolæ, quæ in Euangelius multifariè referuntur, sicut est de eo, qui incidit in latrones, de Rege, qui fecit nuptias filio suo, de decem virginibus, & alia. Nunquid secundùm rei gestæ veritatem contigerunt, an tantùm ad ostendendum aliud sola similitudine proponuntur?*

Luc. 16. *XXXVI. Cum secundùm animam Abraham, & Lazarus in refrigerio, & diues sit in inferno, quid Abrahæ sinus, quid Lazari digitus, & quid lingua diuitis credenda est?*

XXXVII. Quid specialis meriti significat, quod sicut in libro Gregorij Turonensis Episcopi inuenitur, quòd Sanctus Martinus totus in specie ignis ostensus sit?

XXXVIII. In quali corpore B. Nicolaus, vigilantibus nautis, & dormientibus, tam Constantino quàm Præfecto apparuit, cùm id proprio corpore non fecerit? Sed Petrus, & Paulus, & cæteri Sancti, quorum corpora in terra sepulta sunt, cum dormientibus, vel vigilantibus visibiles fiunt, in quo, vel quali corpore veniunt?

7. Hæ quæstiones Villariensium ad Hildegardem, subtiles, & graues. Responsa Virginis apud ipsam legat, quicumque volet. Epistolam incœpit sub his verbis. *Charitas, quæ cum abstinentia peccatorum fidem instruit, & castitatem cum potentia ædificat; columna, quæ quatuor partes domus sustinet, similis est.* In fine autem post alia ad Vvibertum, & in ipso ad omnes consultatores. *Mentis tuæ seueritatem, cum vigilantibus oculis Deo omnipotenti, ne in dubio dormire incipias, iterum, atque iterum commenda, & esto probus, & dilectus miles veri Salomonis, quem pro victoria quotidiana pugna diligit, & coronat. Spiritus Sanctus igne sui amoris te accendat, vt in amore seruitij sui indeficiens perseueres, quatenus viuus lapis cælestis Hierusalem quandoque fieri merearis.* Sic Virgo Sancta. Et responsiones quidem graues, & vtiles, si modò clariores, non dubitamus. Sed nostræ haud dubium ignorantiæ dandum, quod minùs claræ nobis: & Villarienses spirituales viros intellexisse cuncta, atque ex eis instructiores euasisse, piè credimus.

Eodem anno tristis, & sæua mors Vvillelmum Abbatem Spinæ abstulit, Thomam alij vocant, & forsan Thomas Vvillelmus nominabatur. Præfuerat Cœnobio annos duodecim, non sine laude. Eius obitum Martyrologium Spinæ notat ad vigesimam secundam diem mensis Martij. Vvillelmum excepit Ioannes huius nominis primus, Ferdinando Legionensi Regi charus, atque ob insignem pietatem animi, & morum suauitatem reuerendus. Legitur priuilegium eiusdem Regis expeditum Tauri, VIII. Idus Septembris. Æra M. CC. XXIII. cuius hæc superscriptio. *Ego Ferdinandus Rex Legionis, & Gallecia, &c. Deo, & Monasterio S. Petri de Spina, & dilecto nostro Domino Ioanni eiusdem Monasterij Reuerendo Abbati, &c.* Eodem anno obiisse Galterium in Carraceto succedente Amico affirmant Tabulæ eiusdem Monasterij, sed quas dudum, productis instrumentis, falsitatis arguimus; & Galterium, vt minimum, vltra annum M. C. LXXVI. vitam produxisse, ex transactione cum Abbate S. Claudij, ab eodem firmata, comprobauimus. 8.

Demum quod ad Militias sacras attinet, Martinum de Siones Calatrauæ Magistrum hoc anno lego Xenodochium, pro curandis fratribus, sauciisque, in Castro Guadalherza, propè Yebenes, paterna prouidentia, construxisse: quod Rex Alphonsus, qua pietate, & munificentia decorabatur, non multò pòst, ad aurei Tagi ripam, iuxta Aceeam, vineis & pratis, pascuisque dotauit: sic si qui inter præliandum vulnerabantur, nec Calatrauam redire, distantem longius, nec castra sequi, vtrumque cum periculo vitæ, compellebantur. Eodem anno, irruptione facta in Mauros, sub Aragonum Rege, ingentem prædam, ex hoste reportarunt. 9.

---

1. Chronologia Ecclesiarum, 2. & dictum breuiter de quibusdam ignotioribus, 3. atque item de aliis: 4. Bugeti in Diœcesi Burgensi fundatores, 5. & primus Abbas. 6. Demum alia notitia eiusdem domus. 7. Consecrata Ecclesia Burgeriensis, & miraculum à Sancto Petro ibi patratum.

CAPVT VI.

1. CHRONOLOGIA vndecim recenset cœnobia, hoc anno nata, ex quibus duo Hispana, sed quorum alterum dictum priori tomo, (reliqua penè ignota) alterum in præsenti dicendum erit. Series eorum habet in hunc modum.

Anno M. C. LXXII. Kalendas May, fundata est Abbatia de Bona requie.

Eodem anno, & eodem die, Abbatia Vallis Paradisi in Hispania.

Eodem anno VIII. Kalendas Iunij, Abbatia de Baliagis.

Eodem anno VII. Kalendas Iulij, Abbatia de Dargon.

Eodem anno VI. Kalendas Iulij, Abbatia de Imphonia.

Eodem anno VI. Kalendas Iulij, Abbatia de Insula Dei.

Eodem anno VI. Idus Iulij Abbatia de Pola.

Eodem anno. V. Kalendas Octobris, Abbatia de Benedona in Anglia.

Eodem anno III. Idus Nouembris, Abbatia S. Bartholomæi.

Eodem anno, & eodem die, Abbatia Loci Benedicti de Vvalbei.

Eodem anno Abbatia de Buxeto in Hispania.

Hactenus

Hactenus ibi.

2. Bonam requiem in Britannia sitam domum, Corisopitensis Diœcesis, Cisterciensis Ordinis, libri Cameræ notant, ac sex, & sexaginta florenis taxant. In tabulis Ecclesiarum Cistercij, filia Bochian dicitur. Vnde corrigendus venit Henriquez, qui cum Cistercij lineam auxisse tradat, filiam de Re ait, crasso errore, cum Re ad Cistercij lineam non pertineat. Abbati, & conuentui de Bona requie, Cisterciensis Ordinis, Corisopitensis Diœcesis, scribit Alexander IV. Neapoli, III. Nonas Maij, Pontificatus eius anno I. De Valle-Paradisi domo Hispana, in primo tomo satis, superque dictum, & forsan hic sub secundo nomine ponitur, quæ antea sub priori Bellifontis notata erat. Deest tamen in quibusdam exemplaribus, substituto Cœnobio de Nucalibus, cuius nos in hoc tomo etiam meminimus. Ballagis ignota nobis domus, nec Dargon multo notior; nisi quod filia Doberi designatur in Tabulis, adaugens lineam Morimundi in Sclauonia. Imphioniam ob eandem causam transeo; atque Insulam Dei: Quamuis hanc constat in Lucionensi Diœcesi, Busaij filiam, adeóque auxisse lineam Claræuallis. Claudius Robertus [a] aliàs Nigrum Monasterium vocari tradit. *Insula Dei*, ait, *Ordinis Cisterciensis Lucionensis Diœcesis, quod & Nigrum Monasterium, filia Busay, sub Claraualle.* In Tabulis Ecclesiarum Claræuallensium mendum irrepsit, & pro Nigro, Nouum Monasterium scriptum video.

[a] In Gallia Christi.

3. In eadem Claræuallis linea notatur Pola, aliàs de Strata Merghil, filia Blancha Landæ, quam suprà ante biennium memorauimus. Arsfeldius Polam fortè ideo non nominat, vel quia eandem cum Strata Marcelli esse noscebat; aut domum eam binomiam non cognouerat. Benedona in Genesi Ecclesiarum, Cistercium auget, filia Fordæ; quam vt existimo, sub Balduino Abbate protulit, non multo post, ad Vvigoniensem primum, dein ad Cantuariensem Ecclesiam promouendo. Domum in Anglia sitam; vt Chronologia, sic & Tabulæ produnt: sed nulla Diœcesi certa designata, quæ neque ex Nicolao Atsfeldio deduci potest, cum prorsus omittat, aut sub alio diuerso nomine ponat. Sanctus Bartholomæus numeratur inter Ecclesias de linea Claræuallis, incerta matre inter quas etiam locus Sancti Benedicti: nam locum benedictum non inuenio.

4. Bugetum sequitur, parua Hispaniæ Domus, in veteri Castella. Burgensis Diœcesis, quarto lapide ab ipsa Regia vrbe; quam Scalam Dei nonam ordine filiam sed in Hispania sextam procreauit. Quippe Montem salutis, & sacra mœnia, in vtraque Castella, Oliuã & Fiterium in Nauarra; in Aragonia Verolam ante genuerat, de quibus omnibus à nobis superius dictum. Fundator domus Gomecius Gundisaluus, dictus de Maranon, & Maior, vxor eius, illustres Comites, qui & dote non exigua locupletarunt. Ita Tabulæ antiquæ Monasterij. Concordat instrumentum satis antiquum, in quo eadem Maior Comitissa, Sanctimonialium Monasterium fundans post annos decem, ac Bugeto subiiciens, hæc inter alia. *Dein statuo, vt hoc Monasterium subiiciatur semper, & expectet Monasterio Beatæ Mariæ de Bugeto, quod maritus meus Gomez Gundisaluus de Marañon, & ego fundauimus; & de hereditatibus, & rebus nostris pro posse nostro compleuimus.*

5. Primus Abbas Cœnobij Fortunatus, ex Scala Dei missus, quem constat produxisse vitam vltra decennium. Quippe anno M. C. LXXXII. donationi prædicti Monasterij testis assistit. *Ego Fortunatus Abbas Bugeti testis. Ego Antonius Prior Bugeti testis, &c.* Idem anno M. C. LXXXVII. acceptat donationem quarumdam possessionum factam à Fundatoribus, augendæ doti sui Monasterij: circa quod tempus, nec constat, qua de causa, in sororem insurgens, Montis salutis Ecclesiæ litem mouit, coram communi vtriusque Cœnobij patre, Abbate Scalæ Dei ingenti super (quam dudum possidebat) hæreditate: & designati in Hispania vtrique iudices, è Scala Dei filiis, Petrus Sacrorum mœnium, & Guillelmus Fiterij, vterque Abbas, à quibus pro Cœnobio Montis salutis sententia lata, assistentibus testibus, forsan, & consiliariis, seu assessoribus B. Oliuæ. R. Verolæ, & R. Rotæ Abbatibus, qui omnes quinque sententiæ subscripserunt.

Fortunato successit Hispanus Abbas, cui multa donata à successoribus fundatorum Comitum, præcipuè à Petro, secundo natu filio, atque Egydio nepote, quæ si non periissent iniuria temporum, aut Abbatum incuria, idem Cœnobium potuissent locupletare. Certè in priuilegio Gregorij Papæ IX. dato Perusij X. Kalend. Iunij. Indictione VIII. anno Incarnationis Dominicæ M. CC. XXXV. Pontificatus verò eiusdem Domini Gregorij anno IX. nec exigua, nec pauca recenset Pontifex, quæ duxit exprimenda propriis nominibus. *Locum ipsum de Bugeto, in quo prædictum Monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis: Grangiam de Atia veteri; grangiam quam habetis in Valle salutis cum omnibus pertinentiis earundem: Grangiam de Varscors, grangiam de Cubellis, cum omnibus pertinentiis suis; domos & possessiones, quas habetis in Sancta Cruce, domos, & possessiones, quas habetis in Palatiolis, cum pratis, vineis, terris, nemoribus, vsuagiis, in pascuis, in bosco, & plano, in aquis, & molendinis, in viis, & semitis, & omnibus libertatibus, & immunitatibus suis.* Hæc olim bona Monasterij Bugetensis, quod hodie ex minoribus est totius Castellæ. De Monasterio Monialium sub eius cura, tomo sequenti nobis dicendum erit. 6.

Hoc ipso anno consecratam lego Burgeriensem Ecclesiam, in Eduensi Diœcesi, cuius superius fecimus mentionem. Celebris ea dedicatio præ aliis fuit, tum ex dedicatore; tum ex miraculis; illo sanctissimo, gloriosoque Pontifice Petro Tarantasiensi, Cisterciensi & ipso: his multiplicibus, multiplicatisque, non solum in personis, sed in incommodis. Annum, & diem celebratæ solennitatis Claudius Robertus [b] notat ex monumentis antiquis eiusdem domus. *Dedicatur* (ait) *XIX. die mensis Septembris, anno M. C. LXXII. à Domino Petro, Sanctissimo Tarantasiensi Archiepiscopo, &c.* Verùm miracula, & sensus restitutos, non vni tantùm; Gaufredus, Altæcumbæ Abbas longè antiquior: [c] *In dedicatione* (inquit) *Oratorij de Busseria, quod est Cœnobium Cisterciensis Ordinis in Eduensi Diœcesi constitutum, puer annorum circiter nouem surdus & mutus, ad Orationem viri Dei, & manus impositionem, auditum pariter, & loquelam recepit. Duo etiam fratres, alter surdus, & mutus, ab eisdem incommodis ambo liberati sunt. Sed & Monachus eiusdem Monasterij per annos septem oculos habens opertos albugine, & omninò cæcus, audiuit. Ne timeas fili in proximo est, vt à Deo* 7.

[b] vbi suprà.

[c] Apud Surium, c. 19.

Deo curaris. Et factum est ita. Siquidem intra dies viginti aduenit Clericus, qui tandem detraxit albuginem: & deinceps clarè vidit. His mirabilibus Præsul venerabilis illustrabat Ecclesiam, quò iam morti proximior, gloriosior.

IESV CHRISTI ANN. 1173. CISTERCII ANN. 76.

1. *Littera canonizationis B. Thomæ*, 2. *ad omnes Ecclesias*, 3. *sed ad Cantuariensem speciliores*, 4. *ad verbum reddita*: 5. *& remissiuè aliæ, de sacri corporis solenniori eleuatione.* 6. *Multorum ad sepulchrum eius accessus*, 7. *ex epistola Stephani Tornacensis,* 8. *ad Ioannem Pictauiensem*: 9. *quæ explicata obiter*, 10. *atque alia Petri Cellensis ad Monachos Ecclesiæ Cantuariensis.* 11. *Sydus immensum fulgens, hoc anno visum.*

CAPVT I.

1. ANNVS sequitur centesimus septuagesimus tertius supra millesimum, Cistercij sextus & septuagesimus eidem Cistercio, Ecclesiæque illustris canonizatione S. Martyris Thomæ, quem Alexander Pontifex in die Purificationis B. Virginis, quæ tunc coincidit cum capite ieiunij, adscribendum decreuit sanctorum numero. Cum enim Cardinales Albertus, & Theodinus, ex Anglia reuersi, quæ dudum de miraculis illius diligentissima inuestigatione cognouerant, renuntiassent Pontifici; ille quo zelo erga Dei gloriam pollebat, qua pietate in Thomam afficiebatur, tum totius Ecclesiæ Gallicanæ, quæ enixè hoc exposcebat, commotus precibus; communicato consilio cum Cardinalibus; neque minùs, tum vita B. Præsulis, tum morte, & causa mortis altè discussis; solenni ritu, cum Signiæ moraretur sanctorum Fastis censuit adscribendum. Extat totius facti notitia certa in Actis Alexandri, in Vaticano, ex quibus Cardinalis ista decerpsit.[a] *Interea, cum illustrator Anglorum Beatissimus Thomas in multa coruscatione miraculorum refulgeret; & non solum amici, sed etiam persecutores veniam postularent peccatorum: atque salutis veniam petituri ad eius Ecclesiam incessanter accederent: Romanus Pontifex ad instantiam populi, & Cleri Gallicani, eundem Martyrem canonizauit, Apostolica authoritate; & inter cæteros Sanctos conscribi præcepit. In die namque Purificationis B. Mariæ, conuocatis Episcopis, & Abbatibus Campaniæ apud Signiam ad honorem ipsius specialiter Missarum solennia celebrauit; & passionis eiusdem IV. Kalendas Ianuarij memoriam perpetuò agi debere constituit.* Hactenus ibi. Sed adducendæ à nobis sunt eiusdem Papæ litteræ, ad vniuersos Christi fideles, de eadem canonizatione, Datæ sub hoc tenore.

a Ad hunc ann.

2. [b] *Redolet Anglia fragrantia, & virtute signorum, quæ per merita illius Sancti, & venerandi viri Thomæ, quondam Cantuariensis Archiepiscopi, omnipotens Deus operatur; & vniuersa vbique lætatur Fidelium Christiana Religio pro eo, quod ille, qui est mirabilis, & gloriosus in sanctis, sanctum suum post mortem clarificauit, cuius vita laudabilis multa fulsit gloria meritorum; & tandem martyrio consummata est certaminis gloriosi. Quamuis autem de sanctitate ipsius dubitare non possit, qui eius, & laudabilem conuersationem attendit, & gloriosam considerat passionem; voluit tamen Redemptor, atque Saluator noster eius sanctitatis insignia magnificis radiare miraculis: vt qui pro Christo insuperabilis virtutis constantia necessitates, & pericula pertulit; sui laboris, & certaminis in æterna beatitudine cognoscatur ab omnibus, percepisse triumphum. Nos verò auditis innumeris, & magnis miraculis, quæ ingiter per sancti illius viri merita fieri vniuersitas narrat Fidelium; & super his non sine magno gaudio per dilectos fratres nostros Albertum tituli Sancti Laurentij in Lucina; & Theodinum tituli Sancti Vitalis, presbyteros Cardinales, atque Apostolicæ sedis Legatos, qui eadem miracula tantò perspicacius didicerunt, quantò amplius sunt loco vicini, præcipuè certiores effecti; & plurium aliarum personarum testimonio fidem, sicut debuimus, adhibentes; prædictum Archiepiscopum solenniter in Ecclesia, magno ibidem Clericorum, & laicorum collegio præsente, in Capite Ieiunij, deliberato fratrum nostrorum consilio canonizauimus; ipsùmque decreuimus Sanctorum Cathalogo adscribendum. Vniuersitatem itaque vestram monemus, & authoritate, qua fungimur, districtè præcipimus, vt natalem prædicti gloriosi Martyris diem passionis suæ solenniter annis singulis celebretis; & apud ipsum votiuis orationibus satagatis veniam promereri: vt qui pro Christo in vita exilium, & in morte virtute constantia, passionis martyrium pertulit, Fidelium ingi supplicatione pulsatus, pro nobis apud Dominum intercedat. Datum Signiæ, IV. Idus Martij.*

b Ibidem.

Hæc Alexander ad omnes Christi fideles; quo etiam tenore in Codice Vaticano, vt Baronius[b] affirmat, sequuntur aliæ litteræ ad Auersanum Episcopum; eædemque patentes, & circulares, hoc est, ad Episcopos omnes Christiani Orbis. 3. Cæterùm ad Monachos Ecclesiæ Cantuariensis, quibus Sanctus præfuisset, & quos pretioso sanguine effuso, & sacri corporis exuuiis gloriosissimis, ac continuis miraculis, singularius præ aliis illustraret; specialius intimari curauit, quæ erga Sanctum facta; iniungens obiter, vt sacrum eius corpus eleuarent decentius, aut in Altari reuerenter collocarent. Inde pro Ecclesia, & populo Christiano, iram Dei efficaciùs placaturos. Extant, leguntúrque eædem litteræ, quas non licet silentio præterire.

Alexander Episcopus, seruus seruorum Dei, dilectis filiis Priori, & Monachis Cantuariensis Ecclesiæ, salutem, & Apostolicam benedictionem. 4.

c Apud Baron.

Gaudendum est vniuersitati Fidelium de mirabilibus illius sancti, & reuerendi viri Thomæ Archiepiscopi vestri. Sed vos exinde tanto ampliori gaudio,

gaudio, & exultatione debetis repleri, quanto ipsius miracula occulta fide sæpius intuemini: & eius sanctissimo corpore Ecclesia vestra specialius meruit illustrari. Nos autem considerata gloria meritorum eius, quibus in vita sua magnanimiter claruit, & de miraculis eius non solum communi, & celebri fama, sed & dilectorum filiorum nostrorum Alberti, tituli S. Laurentij in Lucina; & Theodini tituli S. Vitalis presbyterorum Cardinalium, Apostolicæ sedis Legatorum, & aliarum plurium personarum testimonio, certitudinem plenam habentes, præfatum Archiepiscopum in Capite Ieiunij, multitudine Clericorum, & laicorum præsente, in Ecclesia, deliberato cum fratribus nostris consilio, solenniter canonizauimus; eumque decreuimus Sanctorum Martyrum Collegio annumerandum: vobis, & vniuersitati Fidelium de Anglia Apostolica authoritate mandantes, vt natalem eius diem, quo vitam suam gloriosa passione finiuit annis singulis solemniter celebretis. Quoniam igitur dignum est, & vobis plurimum expedit, vt sanctum corpus eius cum ea, qua decet reuerentia, & honore condatur: discretioni vestræ Apostolica authoritate mandamus, quatenus corpus eius, deuotè, & reuerenter facta solenni processione aliquo solenni die, congregato Clero, & populo, in altari honorificè recondatis: aut ipsum in aliqua decenti capsa ponentes; prout conuenit, eleuetis in altum; & patrocinium eius pro salute Fidelium, & pace vniuersalis Ecclesiæ satagatis apud Dominum vestris piis orationibus impetrare. Valete. Dat. Signiæ IV. Idus Martij.

5\. Hactenus Alexander ad Cantuarienses, quos tamen vt id obiter addamus, his, quæ Baronius tradit, eleuationem sacrarum Reliquiarum, aut omnino omisisse, aut minori decentia factitasse, argumento est, quod temporibus Honorij Papæ Tertij: quem Innocentio huius nominis tertio, successisse, post annos tres & quadraginta constat, plus minusve, Cantuariensi Archiepiscopo iniungitur, tunc Romanæ Ecclesiæ Cardinali, *Vt sacratissimum corpus eius* (Thomæ) *subleuare de terra, ipsúmque translatum honorabilius collocare procuret. Datum Laterani VII. Kalendas Februarij, Pontificatus ipsius anno III.* Quas quidem litteras, cum aliis eiusdem Pontificis, quæ eandem concernunt eleuationem, atque celebrationem eius festiuam, & lætam cunctis, suo tempore pleniùs referemus.

6\. Cæterùm quamuis nondum eleuatum, sed minùs decenter locatum, quàm pro meritis sancti; corpus Pontificis, crebris visitationibus Fidelium, neque solùm ex Anglia, sed ex Scotia, & Gallia, cæterísque prouinciis remotioribus, ex toto orbe Christiano, venerabatur. Deuotione adeuntium sacram tumbam noua in dies miracula eliciente; & miraculis crebris, & maioribus conciliantibus nouam deuotionem. De quibus hæc in Actis Alexandri summi Pontificis. *Occidentalis Ecclesia exultauit in gaudio magno, & gloriosi Martyris nomen augebatur in ostensione virtutum; ita vt ab extraneis etiam gentibus ex celebri, celebrius haberetur. Per ipsius merita Omnipotens Deus euidenter mortuos suscitauit, cæcis quoque visum, surdis auditum, & claudis reddidit gressum; mundauit leprosos, sanauit infirmos, dæmoniacos liberauit, & alia multa per eum mirabilia nihilominus Deus voluit mirabiliter operari. Ideóque plurimi Fidelium in honorem ipsius, ad laudem, & gloriam Creatoris nostri Ecclesias construxerunt, & possessionibus, & donis ditauerunt.* Hactenus ibi.

Peregrinationum ad sepulchrum Martyris sancti, præter Reges, & Principes, Angliæ, præcipuè & Galliæ, quos suis locis inferius adducemus, extant pleraque illustria monumenta in epistolis Ioannis Sarisberiensis, & vtriusque Petri, Cellensis nimirum Blesensisque. Verum præ aliis, breuitate commendatum, & elegantia, Stephani Tornacensis vnum adducam, ad Ioannem Pictauiensem Episcopum, quod vidisse lectorem nequaquam pigeat. Is ergo redeunti de Anglia Præsuli, has graues, pias, & sancto zelo plenas litteras dedit. 7.

[d] *Ioanni Pictauensi Episcopo salutem, & quam mundus dare non potest pacem.* 8. d Epist. 33.

Peregrinationem vestram, absentia tanti patris, mihi fecerat grauem; deuotio tanti Martyris, gratiosam. Redeunti, summa gratiarum actione lætus occurro, quem summa orationum instantia tristis fueram prosequutus. Reditum desiderabam communi saluti, pro pace Principis minus solicitus, quia minus solitus exorare. Cumulatius accessit votis meis salutationis officium, & pacis signum, quod osculo oris sui vobis à Principe datum leui mihi nunciauit chartula, grauis lingua. Crescat in dies, obsecro, gratia, quæ tantùm gratiarum non displiceat authori; neque dulia, quæ in quibusdam nostri temporis sacerdotibus latriam exclusit, vestram audeat opinionem tentare. Communem patronum, & minus sapiens dicam, olim Dominum, & amicum, Sanctum Thomam precor, vt sacris solicitetis precibus, ne post gloriam Martyrij sui me tanquam indignum reijciat, quem ante colloquio simul, & consortio suo dignum aliquando indicabat. Hæc Stephanus de Sancta Genouefa, sic enim dictus, antequam ad Tornacensem Ecclesiam assumeretur.

Cæterùm, vt & id obiter notem, ne lector hæreat, quod duliam, latriæ velut opponit, & vnam ab alia excludi, aut dolet, aut timet; non de vera dulia intelligendum, quæ exhibita sanctis propter Deum, latriam coronat, potius, quam enervet. Sed de abusiua, & principibus sæculi solita exhiberi, etiam per sacerdotes, reuerentia; quæ multos dum gloriam mundi cœlesti præferunt, à cultu, & timore Dei arcere solet; quod ab Episcopis Angliæ olim admissum, assentatione in Regem; ne Pictauiensem, occasione noui fauoris, nimirum osculi ab eodem Rege suscepti, solicitaret, amicè timuit, & prudenter admonuit. Quod ego sic intelligendum puto, corrigere paratus, si melius doceat. 9.

Proferam & fragmentum aliud Petri Cellensis, pariter excusantis, & accusantis, quod non posset adire sepulchrum Sancti. [e] *Miserum, ait, certè me iudico de inertia, quæ detinet senectutem meam, à visitatione quondam amici, nunc Domini, patris, & patroni nostri, S. Thomæ pretiosi Martyris Dei. Hinc arguit me conscientia, inde excusat. Si viueret in corpore Archiepiscopus Thomas, nonne, inquit, conscientia, ires, & visitares illum? nónne & marina pericula postponeres, & omnem à te torporem excuteres, vt amicum visitares, & mutua conferres colloquia? E contra iterum talia refert: sed Monachus es, sed Abbas, sed senex, sed corpore inualidus. Monachi est, non egredi de castris Domini, imo de claustris Monasterij: Abbatis est, procurare curā suā temporalem, & regularem solicitudinem: senis est, inniti baculo suo sub oliua, & ficu, & vite sua, & cogitare dies antiquos, & annos æternos in mente habere. Inualidi est, conuerti in ærumna sua, dum configitur* 10. e li.7.ep.20.

configitur spina, & dicere quotidie: Quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum. Et cætera, quæ latè ibi prosequitur.

11. Demum non censeo silentio prætereundum id, quod Hector Boëtius adnotauit, quo anno Thomas in numerum. SS. per Alexandrum Papam conscriptus est, ingens Sydus in cœlo apparuisse, circumcinctum stellis, quæ Occidentem suo lumine irradiarent. Sed eius verba præstat, audiamus. f lib.13. fol. mihi 272. [f] *Hoc anno* (id est, post mortem eius) *Alexandro Pontifice authore, diuorum cathalogo adscriptus est Sanctus Thomas. Eodem anno portentum in cœlo apparuit, Sydus immensum, plurimis circum stellis, paulo rubicundius fulgentibus, noctem, diemque perpetuò in Occidentem fixum tenuit.* Hactenus ille. Nec dubito contingere potuisse sine miraculo: sed siue opus naturæ, siue gratiæ, cum canonizatione sancti cohærens, nequaquam duxi silentio prætermittendum.

---

1. *Richardus Cantuariensis olim Monachus in Archiepiscopum Cantuariensem electus,* 2. *Cistercium induit,* 3. *Dein Capitulo Generali scribit;* 4. *cui se obnoxium perhibet, ex professionis eiusdem communione.* 5. (*Ex his obiter correctus Ioannes Busæus.*) 6. *Familia eius, qualis, & quam docta,* 7. *vtriusque Petri epistolis ostensum.* 8. *Constantia viri, & Zelus pro Ecclesia, vnde & ipse impugnatus abs Rege filio.* 9. *Consecratio, & pallium,* 10. *ac mira virtus in eo clanes sequuta.*

CAPVT II.

1. HOc tandem anno Ecclesia Cantuariensis, post cædem Thomæ, pupilla, viduáque sponsum simul, Patrémque suscepit, Richardum eiusdem Ecclesiæ quondam Monachum, tunc Douerensem Priorem; pro quo Oddo Prior, totusque Conuentus, post longa dissidia, quæ non est huius loci recensere, ad Alexandrum Pontificem scripsere hæc inter alia. a apud Ioan. Sarisber. epist. 299. [a] *Conuenimus ergo, sæpius, accitis Episcopis prouincialibus, & aliis ad quos electio pertinebat; & tandem Deo dirigente gressus nostros in beneplacito suo, factum est omnibus cor vnum, & anima vna: quod sine nutu diuino non potuit accidisse, vt tam dissona voluntates in adimplenda sacrorum Canonum forma tam facilè vnirentur. Praeunte ergo desiderio, & prece populi, pari voto, vnanimi consensu conuenimus in virum, de quo Dominus videtur dixisse nobis: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum eligite: quoniam eum martyri meo, quem ipse pro me patientem, in veritate dilexit, deuotè coluit: & in domo mea ab ineunte ætate fideliter conuersatus est, præeligi vicarium, & ordinari præcipio successorem. Is est R. Ecclesiæ nostræ ab adolescentia sua Monachus, & apud nos ad omnes promotus Ordines, Prior Monasterij Douerensis, morum honestate, & litterarum eruditione conspicuus; modestus in verbo, prouidus in consiliis, discretus in opere, in habitu, & gestu veram temperati animi exprimens formam.* Hæc inter alia de electione electóque Cantuariensis conuentus ad Alexandrum. Quibus similia b Epist. 300. Ioannem Sarisberiensem [b] ad eundem Pontificem, c Epist. 301. itemque ad Bosonem [c] Cardinalem, & ad d Epist. 302. Vuillelmum [d] Senonensem Archiepiscopum scripsisse, aliæ eius epistolæ demonstrant, quæ inter fortiuntur vltimum locum.

2. Porrò Richardus electus in Archiepiscopum, quò S. Thomæ locum, vt non dignè, saltem minus indignè detineret, quam semel obseruandam suscepisset, regulæ sanctæ, Cistercienfia instituta, & obseruantias ad eiusdem exemplum superaddidit. Non satis liquet, cui se Cœnobio addixerit. Constat, quò humilis inciperet implere, quod deuotus promiserat, voluisse adire Cisterciensem Synodum, hoc anno ex more Cistercij celebrandam. Verùm cum præpedientibus retardatæ per triennium electionis, occupationibus, minus sibi liceret ab Anglia egredi, has ad Capitulum litteras dedisse, indices animi, & testimonium susceptæ professionis.

[e] *Venerabilibus, & Sanctis Patribus in Cisterciensi capitulo congregatis, Richardus Dei permissione Cantuariensis Ecclesiæ minister, salutem in authore salutis.* 3. e Inter epist. Petri Blesensis epist. 94.

Inter desiderabilia huiusmodi, præcipuum apud me versabatur in votis, vestræ sanctitatis Conuentui præsentialiter interesse; sed noua vocationis occupatio, & incumbens negotiorum prolixitas fructum optatæ iucunditatis inuidet mihi; nec me castris fœlicibus ad tempus interesse permittit. O castra optabilia! O congregatio veneranda! O Cistercium, quàm magna est domus tua! quàm fœcunda in filiis! quàm magnifica in linguis! quàm gloriosa in populis! Testis est mihi Deus, quomodo cupiam vos in visceribus Iesu Christi fouens affectionem inuicem in visceribus charitatis; non deserens collectionem vestram, quam per præsentiam spiritus amplector in Christo, memor communionis vestræ, cuius obliuisci non possum. Vos enim estis gloria mea, & gaudium, honor capitis mei, & corona. Ille, qui iuxta verbum Iob [f] ponit humiles in sublimi: *ille* [g], qui vocat ea, quæ non sunt tanquam ea, quæ sunt, *ipse ad onus, mihi importabile, me vocauit.* f Iob. 5. g Rom. 4.

Ego autem vir videns paupertatem meam, & insufficientiam meam, considerans etiam, qualiter ex simili causa gemant gigantes sub aquis, & curuantur qui portant orbem; à pusillanimitate Spiritus, & tempestate subuerterer, nisi in lapide adiutorij, & orationum vestrarum suffragio fiduciam concepissem. Nam iuxta verbum Iob [h], quæ est fortitudo mea, vt sustineam? Ecce non est auxilium mihi in me; *sed infirmitas, & defectus. Vereor ne offensus mihi Dominus hanc iniunxerit solicitudinem multorum, qui non sufficiebam propria salutis procurare negotium. Sed posuit mihi Dominus in vobis verbum reconciliationis, vt si offensus mihi est, se propitium vestra oratione mihi exhibeat, meumque suppleat imperfectum. Nam potens est omnia facere superabundantiùs, quàm petimus, & intelligimus. Si qua ergo vobis consolatio est in Christo, si quod solatium charitatis, si qua societas spiritus, si qua viscera miserationis, implete gaudium meum.* 4. h Iob. 6.

Gaudij

Gaudij namque plenitudinem post Deum in orationibus vestris pono; vt vestrarum beneficio precum in hac administratione mihi commissa velit misericordia Domini meum supportare defectum. Nam Apostolus licèt vas electionis factus, & virtute indutus ex alto, Sanctorum tamen orationes sibi ad doctrinam gentium necessarias indicans: obsecro, inquit, vos per Dominum Iesum Christum, & per charitatem Spiritus sancti, vt adiuuetis me orationibus vestris apud Dominum. Nos igitur infirmi, & fragiles, deuotè, & humiliter supplicamus, vt per pias affectiones vestras circa nos excitet vinculum fraternitatis, professionis communio, charitatis debitum, subiectorum necessitas, & deuotio supplicantis. Hactenus ad Capitulum Cistercij recens quidem electus, sed adhuc post electionem recentior Cistercij Monachus.

5. Atque ex his obiter corrigendus venit Ioannes Busæus, seu quis ille fuit, qui epistolis Petri Blesensis argumenta præfixit; qui dum Richardum fraternitatis vinculo, & professionis communione nostris coniunctum legit, ex Monacho Cisterciensi assumptum, ad Cantuariensem Ecclesiam asseuerat. *Richardus*, ait, *ex Monacho Cisterciensi, ad Episcopatum Cantuariensem electus commendat se orationibus Patrum Cistercij congregatorum.* Et nihilominus, non ex Cisterciensi, sed ex Benedictino Cantuariensis Ecclesiæ Monacho, & Priore Douerensi assumptum; ex epistola Monachorum Cantuariensium ad Alexandrum superius recensita, liquidò constat. Vocatum tamen ad Cistercij ritus, & professionem, sequuturus, quà posset, cum primum Thomæ successor est designatus. Hæc prima laus Richardi recens electi.

6. Proxima, quod ad Cathedram euectus, familiaribus, & Ministris doctis, & sanctis vsus; quos ex Gallia, & aliunde congregauit. De quibus vnus ex eis, Petrus Blesensis [i], hæc ad Magistrum Radulfum Beluacensem. *Causamini, quod inaniter expendam dies meos, qui in castris scholaribus poteram fructificare quamplurimis. Magister bone, castra Dei sunt hæc, in quibus habitamus, & sciatis, quia non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta cæli. In domo Domini mei Cantuariensis Archiepiscopi, viri litteratissimi sunt, apud quos omnis inuenitur rectitudo iustitia, omnis cautela prouidentia, omnis forma doctrina. Illi post orationem, & ante comestionem, in lectione, in disputatione, in causarum decisione iugiter se exercent. Omnes quæstiones regni nodosæ referuntur ad nos: quæ cùm inter socios nostros in commune auditorium deducuntur, vnusquisque secundùm ordinem suum sine lite, & obtrectante, ad bene dicendum mentem suam acuit, & quod ei consiliosius videtur, & sanius, de vena subtiliori producit. Quòd si Deus minori, quæ potiora sunt, reuelauerit, eius sententiæ, sine omni inuidia, & deprauatione vniuersitas acquiescit.* Hæc familiæ Richardi forma, & facies; nec dubium, quin præeunte cunctis, qui cunctis præerat, & cunctos congregauerat.

7. Extant epistolæ aliæ alterius Petri, ex Cellensi Conuentu, ad regimen assumpti Sancti Remigij, ad eundem Richardum, Magistrum G. petentem sibi transmitti [k]. *Maximum argumentum est honestatis, & religionis, ad se vocare, & iuxta se statuere alumnos, & cultores bonæ conuersationis. Probata namque virtus, consimili gaudet reclinatorio; vires quotidianis resumens incrementis, non solum de natiuo germine, sed & de vterina propagine. Inde est, Pater Sancte, quod ad commendationem non modicam vestri nominis Magistrum G. aduocatis, & mundanis destitutum copiis, in spe bona sub aliis vestris, vt audiuimus, nidificare compellitis. Nouimus eum non transitoria, aut aduentitia familiaritate, sed longa & diuturna vicinitate, ac beneficiorum nostrorum communicatione.* Et paulò inferiùs, in eiusdem Magistri, à Richardo vocati, commendationem. *Raros ei similes apud nos habemus, quos sic tam ornat doctrina, quàm vita. Dignus est latere Sacerdotali, qui sua non inquinat vestimenta, qui sæcularia lenocinia postponit pro vera philosophia*, &c.

Hæ laudes hominis verè religiosi, Richardum loquor, quem sola Doctorum, & sanctorum commercia solicitarent. Addam & aliud, Catholicæ constantiæ, & zeli religiosi firmum indicium, ac dignæ post Beatum Thomam successionis, quam Polidorus Virgilius, & post eum Arsfeldius adnotarunt [l]: *Eundem, cum pro more terra antiquo, fidem Regi obstringeret, addidisse cautionem Martyris Sancti*, nimirum saluo, & illæso Ordine suo: *nulla de regni consuetudinibus mentione adspersa.* Nec satis constat, an hac, vel alia causa, impugnata electio, abs Rege filio, misso Magistro Bertero ad Alexandrum, à quo, quandiu ab alio non posset, infringeretur. Extat de his Rogerij testimonium, authoris coæui, qui & Richardum non prius sacratum docet, quàm Alexandro, de obiectis responsurus præsentaretur [m]. *Interim Richardus Cantuariensis electus, & Reginaldus Bathoniensis electus Romam profecti sunt, pro electione sua, & aliorum electorum Angliæ confirmanda. Contra quos Henricus Rex filius misit Romam Magistrum Berterum Aurelianensem.* Ita Rogerius. At quàm parum impugnatio ea profecerit: simul & progressum inaugurationis Richardi, idem, qui Romam cum ipso profectus est, Reginaldus electus Bathoniensis [n], Henrico patri scripsit, totidem verbis. 8.

Henrico illustri Angliæ Regi, & Duci Northmanniæ, & Aquitaniæ, Comiti Andegauiæ, charissimo Domino suo; Reginaldus Dei gratia Bathoniensis electus, salutem in eo, qui dat salutem Regibus. 9.

Nouerit vestra prudentia maiestatis, nos in curia Domini Papæ duros de regno Francorum, & de terra vestra duriores aduersarios inuenisse: ideòque nos ibi multa pati, & moram oportuit facere tædiosam. Tandémque ad instantiam nostram, diuina cooperante gratia, Domini Papæ adeo est emollita voluntas, quod Domini Cantuariensis electi electionem solemniter in præsentia omnium confirmauit: eúmque etiam confirmatum, Dominica sequenti consecrauit; consecrato, pallium tertia die dedit; & modici temporis spatio excurrente, Primatum addidit. Nos præterea desiderantes ipsum habere plenariam potestatem, vindictam Ecclesiasticam exercendi in homines regni vestri, qui contra innocentiam vestram nequiter, & proditoriè sua malitia calcaneum extulerunt: multa solicitudine obtinuimus, quod Dominus Papa eidem prouinciæ suæ legationem indulsit. His Reginaldus ad Henricum patrem scribens, processum, & progressum Richardi per Alexandrum, aduersus Iuniores Henrici procuratores, succinctè, sed distinctè complexus est.

Addam & quartam illius prærogatiuam, nam laudem non appellem, quæ potuit sine merito obuenire; 10.

[i] Epist. 6.
[k] lib. 7. ep. 21.
[l] Sæcul. 18. cap. ..
[m] apud Bar.
[n] apud Rog.

uenire;mirandam planè,ac timendam, sed gloriosam;quam latiùs ex Petro Blesensi infrà adducam. *Non vnquam aliquem ab eo excommunicatum, qui aut non mereretur in proximo, aut cuius non operiret faciem subita,& ignominiosa confusio.* Hæc summa rerum viri Cistercio additi. Hæc illius promotio, atque hæc fausta primordia Pontificatus. Nam anteriora minus nota nobis:posteriora in sequentibus dicemus.

1. *Diuina manus vltrix pro D. Thoma:* 2. *& rebellans in patrem Henricus filius.* 3. *Qui consilio, & auxilio Regis Franciæ,* 4. *etiam matrem, & fratres in ipsum armat.* 5. *cum quibus multi alij coniurarunt.* 6. *Modus supplicij culpæ correspondens,* 7. *tum senior Rex ad Alexandrum scribens,* 8. *Ecclesiæ fauorem humilis implorat.* 9. *Ast Alexander damnat anathemate,* 10. *atque ex eius præcepto,etiam Richardus, quoscumque regni illius perturbatores.*

Capvt III.

1. Vix Sanctus Martyr adscriptus Sanctorum Canoni per vniuersam Ecclesiam, Catholico,id est,vniuersali,atque omnino infallibili cultu venerabatur: cùm ecce vindicante sanguinem eius cœlesti Numine,Regnum Angliæ diuisum,& quam coronam in iniuriam Cantuariensis, Henricus filius,nec iurata Ecclesiæ libertate, & repetitis iniquis consuetudinibus(quæ totius mali causa)ab alio,quàm ab ipso suscepisset, in patrem armans;vt criminis occasio,materiáque;sic supplicij minister, & auctor fuit. Et quæ fortè in contemptum Sancti inuenta coronatio filij viuente patre, in vltionem assumpta;vtrumque penè Regem pessumdedit:obruendos omnino mutuis dissidiis, nisi aufugissent ad aras Martyris Sancti; vt sicut vtriusque malitia pœnam ex culpa:sic Dei bonitas, misericordiáque,ex causa morbi, eliceret medicinam. Ergo quæ hoc ipso anno mala in Anglia cœperunt,occasione eiusdem coronationis, Guillelmus Neubricensis, eius temporis author, his verbis narrat.[a]

[a] lib. 2. c. 27.

2. *Anno à partu Virginis M.C.LXXIII. qui fuit Regis Henrici secundi vicesimus, cum idem Rex in Angliam reuersus ex Hybernia, in Northmanniam post modicum transijsset ex Anglia; facta est execrabilis & fœda dissensio inter ipsum, & filium eius Henricum tertium;quem ante biennium, vt superius dictum est, in Regem fecerat solemniter consecrari. Cùm enim idem creuisset, & pubes iam factus,vellet cum sacramento,& nomine,rem sacramenti,& nominis obtinere, & patri saltem conregnare; cum solus,vt ei à quibusdam insusurrabatur, de iure regnare deberet;quasi eo coronato, regnum expirasset paternum: indignans maximè expensas regiè faciendas sibi à patre, parcius ministrari; contra patrem intumuit,atque infremuit;clámque ad socerum suum Regem Francorum,patri tadium moliturus, profugit. A quo nimirum gratè susceptus, non tam quia gener erat,quàm quia à genitore desciuerat, eius se in omnibus consilio credidit.*

3. *Francorum ergo virulentissimis adhortationibus animatus,atque instigatus in patrem, quominus ius violaret naturæ, exemplo non est territus scelestissimi Absalonis. Pater verò filij auersione comperta;& quò profugisset, agnoscens: misit ad Regem Francorum viros honoratos, cum verbis pacificis, filium paterno iure reposcens; & si quid circa illum emendandum videretur,eiusdem se Regis consilio maturè emendaturum pollicens. Ad hoc ille;factum est, inquit, Rex Anglorum ecce adest; per vos mihi nihil mandat. Si autem Patrem huius,olim Anglorum Regem,etiam nunc Regem appellatis,scitote, quia ille Rex mortuus est. Porrò quod adhuc pro Rege se gerit, cum regnum filio mundo teste,resignauerit, maturè emendabitur. Sic delusi responsales ad Dominum suum rediere.*

Mox idem Henricus iunior Francorum consilio, malum patri vndecumque moliens, partes Aquitaniæ clam adiit;& duos fratres impuberes, ibidem cum matre consistentes, Richardum scilicet, & Gaufridum,sollicitatos,conniuente, (vt dicitur) matre, in Franciam secum traduxit. Alteri enim Aquitaniam, alteri Britaniam suo tempore possidendas Pater concesserat;& propterea per illum Aquitanos, per hunc verò Britones procliuius suis partibus applicandos, Francis docentibus, intelligebat. Comitem quoque Flandrensem patris sui consobrinum, virum magnarum virium, & innumera, bellicosaque,cui præerat, gentis,fiducia, in immensum gloriantem, grandibus promissis, annitente Rege Francorum, sibi adiunxit. Tunc multi potentes,& nobiles,tam in Anglia, quàm in partibus transmarinis,vel mero odio catenus dissimulato impulsi,vel verissimis pollicitationibus sollicitati:à patre ad filiū paulatim cœperūt deficere,& ad motus se bellicos modis omnibus præparare. Comes scilicet Leicestrensis, Comes Cestrensis, Hugo Bigotus,Rodulphus de Fougeriis, aliique complures, amplitudine opum, & firmitate munitionum terribiles. Multi etiam suis rebus,viribusque minus confidentes,ne nihil agerent,concedendo in Franciam,hostilem animum declararunt. 4.

His accessit hostis truculentior Rex Scotorum, immites populos,& neque sexui,neque ætati parcituros, finibus immissurus Anglorum. Cum ergo tot, tantíque Proceres à Rege seniore desciuissent, omnésque contra eum,tanquam pro anima sua se gererent: admodum pauci erant, qui ei fideliter, & firmiter adhærerent:cæteris circa eum pendulè fluitantibus, dum à Regis iunioris absorberi victoria scrupulosius formidarent. Tunc demum vidit Rex senior (sic enim vulgò dicebatur) quàm inconsultè, imò quàm stultè egerit,prematurè creando sibi successorem, minùs attendens,quod nouarum rerum occupatores Regem procliuius sequerentur iuniorem. Turbatis ergo rebus anxius,dum hostes interni, externique vrgerent; his quoque,qui sibi adhærere videbantur, in gratiam filij remissiùs agentibus, minùs se credens; stipendiarias Brabantionum copias, quas Rutas vocant, accersiuit, eo quod de thesauris Regis, quibus in tali articulo parcendum non esset, pecunia copiosa suppeteret. Ita ad verbum Guillelmus Neubricensis, quem clariùs,breuiúsque omnia complectentem, præ cæteris elegi,quem hîc transcriberem. 5.

Ergo

6. Ergo qui olim Thomam à Regno exulem in cognatis, affinibus, amicis (horrendum impietatis genus) torquere præsumpserat ; diuina vltione vindictam retribuente ; non solum in cognatis, amicisve, sed in filiis, & coniuge ; & quod longè inhumanius ; ab eisdem ; & per eosdem, etiam ab extraneis ad vltimam penè miseriam perductus fuit ; in quem noti, & ignoti, alieni, & sui, amici, & inimici coniurarent. Et qui in vnica filij coronatione, prærogatiuas Primatis Cantuariensis cœcus infregerat, Ecclesiastici status iura retuderat : & quas vocabat *auitas* consuetudines, pro quibus Thomas passus, quantum maximè potuit stabilierat : eandem sibi in perniciem expertus, vnde peccauit, inde pœnas luit, à quibus non nisi per S. Martyrem, quem humilis adiret, liberaretur; quod anno sequenti oratum, obtentúmque eodem etiam, nos fusiùs perpendamus. Interim noto, quod ab aliis omissum video, has ipsas pœnas, non statim inflictas à morte Sancti; quin prospera alia immediatè sequuta sunt; atque addita Hybernia sceptris Henrici : sed post declarationem Summi Pontificis, atque ipsum Thomam solenniter adscriptum Martyrum Canoni; siue vt non tam vnius hominis causam, quantumuis Sancti, quam Catholicæ Ecclesiæ iudicium, sententiámque executio vindictæ sequeretur: siue vt ostenderet principum delicta, nequaquam publicè fore castiganda, quandiu possunt in dubium reuocari : & nec à Deo, quem latere nequeunt, solita corrigi, quoad vsque constat caruisse excusatione.

7. Tum verò Senior Henricus ad se reuersus, & vexatione intellectum dante, compunctus, contra quam desæuierat, Ecclesiæ humilis tandem auxilium implorauit, his ad Alexandrum Papam datis litteris ; quibus Angliam agnoscit Ecclesiæ feudum, qui modò Ecclesias omnes Anglicanas feudatarias habere, quo iure, qua iniuria solicitauerat.

Sanctissimo Domino suo Alexandro D.G. Catholicæ Ecclesiæ Summo Pontifici, Henricus Rex Angliæ, Dux Northmanniæ, & Aquitaniæ, Comes Andegauensis, & Canomanensis salutem, & deuota subiectionis obsequium.

In magnorum discriminum angustiis, vbi domestica consilia remedium non inueniunt, eorum suffragia implorantur, quorum prudentiam in altioribus negotiis experientia diuturnior approbauit. Longè, latéque diuulgata est filiorum meorum malitia, quos ita in exitium patris spiritus iniquitatis armauit, vt gloriam reputent, & triumphum, patrem persequi, & filiales affectus in omnibus diffiteri, praueniente meorum exigentia delictorum, vbi pleniorem voluptatem contulerat mihi Dominus, ibi grauius me flagellat : & quod sine lachrymis non dico, contra sanguinem meum, & viscera mea cogor odium mortale concipere, & extraneos meos quærere successores. Illud præterea sub silentio præterire non possum, quòd amici mei recesserunt à me ; & domestici mei quærunt animam meam. Sic enim familiarium meorum animos intoxicauit clandestina coniuratio, vt obseruantia proditoria conspirationis vniuersa posthabeant. Malunt namque meis adhærere filiis contra me transfugæ, & mendici ; quam regnare mecum, & in amplissimis dignitatibus præfulgere.

8. *Quoniam igitur vos extulit Deus in eminentiam officij pastoralis, ad dandam scientiam salutis plebi eius, licèt absens corpore, præsens tamen animo me vestris aduoluo genibus, consilium salutare deposcens. Vestræ iurisdictionis est Regnum Angliæ; & quantum ad feudatarij iuris obligationem, vobis dumtaxat obnoxius teneor, & astringor. Experiatur Anglia, quid possit Romanus Pontifex ; & quia materialibus armis non vtitur, patrimonium B. Petri Spirituali gladio tueatur. Contumeliam filiorum poteram armis rebellibus propulsare, sed patrem non possum exuere. Nam & Ieremia testante, nudauerunt lamia mammas suas, lactauerunt catulos suos. Et licèt errata eorum quasi mentis efferatæ me fecerint ; retineo paternos affectus, & quandam violentiam diligendi eos mihi conditio naturalis importat. Vtinam saperent, & intelligerent, & nouissima prouiderent. Lactant filios meos domestici hostes, & occasione malignandi habita non desistunt, quousque redigatur virtus eorum in puluerem, & conuerso capite in caudam, serui eorum dominentur eis, iuxta verbum illud Salomonis : Seruus astutus filio dominabitur imprudenti. Excitet ergo prudentiam vestram Spiritus consilij, vt conuertatis corda filiorum ad patrem. Cor enim patris pro beneplacito vestro conuertetur ad filios ; & in fide illius, per quem Reges regnant, vestræ magnitudini promitto, me dispositioni vestræ in omnibus pariturum. Vos Ecclesiæ suæ, Pater Sancte, diu Christus seruet incolumem.* Hæc supplex tunc Henricus ad Alexandrum.

At Summus Pastor afflicto Regi condolens, & contra ipsius perturbatores exerens, quem habebat, Ecclesiæ gladium ; primum omnes subiecit anathemati : dein Episcopis, sed Richardo præcipuè Primati scripsit, vt pro ipso pugnarent ; nec quid omitterent, quo pacem Angliæ redderent : & rebelles tum subditos, tum filios, ad eius obedientiam reuocarent. Meritò vtrosque in Henricum surrexisse, qui in Thomam surrexerat, cui vt patri spirituali subdi debuerat : nec fortè immeritò ab Ecclesia reiiciendum tyrannum quondam Regem, quem aduersarium, quem impugnatorem, quem suæ immunitatis oppressorem perpessa esset. Sed nihilominus veram Christi sponsam, miseriam edoctam ab ipso Christo, nunquam malum pro malo reddere solitam, neque mortem peccatorum velle, sed conuersionem. Et Henricum conuersum, & pœnitentem, defendendum venire, vel si supplicium adhuc mereatur ; at non per impietatem filiorum, non per perfidiam rebellium exequendum. His & similibus Richardum Alexander; Richardus inde cæteros Episcopos armauere pro Rege : subsequuta obedientia singulorum, de qua qui tunc viuebat Petrus Blesensis [b] ad Rodulphum Andegauensem ita scribit, 9.

Nouum siquidem, à Domino Papa noueritis emanasse mandatum, vt quicumque pacem Domini Regis turbant, appellatione remota, excommunicationis vinculo astringantur. Hac authoritate fretus Dominus Cantuariensis, omnes Domini Regis impugnatores apud Cadomum nuper excommunicauit ; nec Regi iuniori, nec aliis exceptionis gratiam fecit. Illud autem certissimè teneatis ipsum nunquam aliquem excommunicasse, qui aut non moreretur in proximo, aut cuius non operiret faciem subita, & ignominiosa confusio. Exeratis itaque gladium Petri, vt ad debita fidelitatis obseruantiam compellantur inuiti, qui spontanea voluntate pro salute Principis se morti, & carceri debuerant obiecisse. Hactenus Petrus Blesensis de Alexandri mandato, & de Richardi (noui Cisterciensis) eiusdem Pontificij mandati executione. 10.

b In epist. ad Rodulf.

tione. In quibus tamen, vt verùm fatear, illud me mouet, quòd in ipso ingressu Pontificatus Cantuariensis Ecclesiæ, mira efficacia excommunicationum à Richardo latarum cognosceretur. Nisi fortè in Prioratu Douerensi potestatem exercuit, cum clauium sibi indulta iurisdictione. Verùm hæc à Blesensi pressiùs dicta, latiùs nos ex epistola Richardi ad Henricum iuniorem, quæ anathema præcessit, describamus.

---

1. *Richardus prouinciale Concilium celebrat,* 2. *ipse deinde iuniori Henrico scribit.* 3. *De exhibendo parentibus honore,* 4. *multa vtrinque,* 5. *& vtilia exempla congerens.* 6. *Dein rationes validas,* 7. *& imminentia pericula proponit:* 8. *bona obedientia, & pacis cunctis optata:* 9. *ac demùm anathema indicit, ni resipiscat,* 10. *Baronius ex eadem epistola correctus.*

CAPVT IV.

1. ACCEPTIS Alexandri Papæ mandatis, prouinciale Concilium, atque Episcopos omnes suffraganeos, quantò potuit celeriùs congregauit. Actum in eo de reformanda pace; & rebellibus, per monita salubria, precésque, vt decebat Episcopos; sin minùs per censuras coërcendis: Henricum iuuenem monendum ante omnes, pro dignitate Regia reuerenter; sed pro flagitij in patrem enormitate, ni resipiscat, acrius increpandum. Id Richardo præcipuè munus incumbere, vt dignitate, sic authoritate, cæteris præeminenti; vnde & dicendis efficacia maior, & faciendis constantia; ad vltimum, seu gratia ad attrahendum, siue ad resistendum potentia superaddatur. Sed nihilominus scribendum Concilij nomine, & intimanda mandata Summi Pontificis; quò acceptata à cunctis, & intimata, nequaquam dubitet per cunctos exequenda. Ergo Richardus, quod sui muneris erat, adimplens gnauiter, has ad Henricum iuniorem, in ipso rebellionis initio litteras dedit: prolixas sanè, vt aliæ Petri Blesensis, cuius calamo scriptæ; sed dignas, quæ inserantur nostris Annalibus.

2. [a] *Henrico III. Dei gratia Regi Angliæ, & Domini Regis filio Richardus Cantuar. Ecclesiæ humilis Minister spiritum consilij cum salute.*

a Inter epist. Petri Blesens. ep. 47.

Si quid durum tibi locuturi sumus, illustrissime Princeps sustine patienter. Nam ex abundantia cordis & vehementia doloris os loquitur: non feras molestè, si rogamus, quæ ad pacem sunt; si operam damus, vt conuertantur corda filiorum ad patrem. Dolemus, doloremque dissimulare non possumus, quia patrem tuum persequeris, terram quæ ipsius est, quam ad sanguinis effusionem tueri debueras, turpem das in direptionem, & prædam. Et vnde hoc tibi, quòd Brebantionum factus es Ductor, gentique excommunicatæ, & perditissimæ adhæsisti, vt perderes deuotissimam tibi gentem? In quo offendit, in quo gratiam tuam demeruit pater tuus? Nunquam tibi exhibuit se Dominum, aut Regem, sed quasi procuratorem Regni tui; & in rerum tuarum administratione fidelissimum seruientem. Tibi etiam, non sibi viuit. Tuum est, quodcumque possidet, quicquid facit, quicquid congregat, quicquid habet. Vbi est filialis affectio? Vbi est reuerentia patris? Vbi est lex naturæ? Vbi est timor Dei? Vbi Sacramenta illa, quæ patri tuo coram multis corporaliter præstitisti? Vbi est interdictio illa, quâ nos, & alios Episcopos terræ huius cum ipso te anathematis vinculo obligasti? Putas ne Deo illudere? Ipse est Rex Regum [b], *terribilis apud Reges terræ, & qui aufert Spiritum Principum.*

b Psal. 75.

3. *Dilige, & honora, fili charissime, Patrem tuum, vt pro honore exhibito Patri tibi sit longitudo dierum. Honora patrem tuum, & matrem tuam, dicit Dominus, vt sis longæuus super terram. Filius qui maledicit patri, aut matri, in lege Domini lapidatur. Cùm ergo malè agere sit longè grauius, quàm maledicere, meritò pœna subiacet grauiori, qui patrem, aut matrem contumeliis afficit, aut molestat iniuriis. Teste Salomone,*[c] gloria patris est filius sapiens: Deo verò abominabilis est, qui contumeliam facit patri. *Quàm grata, quàm fauorabilis, quàm suauis, quàm amabilis, quàm Deo accepta sit erga parentes affectio filialis; quàm verò execrabilis, & damnata, atque pœnalibus exterminanda suppliciis irreuerentia in parentes, multis docemur exemplis.*

c Prou. 13.

Multa legimus quæ te, & alios ad paternæ reuerentiæ obseruantiam efficaciter exhortantur. Philippus inter Romanos Princeps primus fuit fidei Christianæ professor. Philippum filium habuit; qui cum esset patre viuente, & consentiente in imperialem apicem sublimatus, summa sibi gloria adscribebat, quod patrem haberet superstitem, cuius imperio non minùs humiliter obediebat Imperator, quàm miles deuotus, viuens in omnibus, quæ habebat, ad patrem, non vt Imperator, sed vt filius. Hermes, Anthoclai Regis filius, cùm pater eius ageret in extremis, & à populo postularetur in Regem, respondit, se regni officium non debere præsumere, quandiu pater eius viuere speraretur, cuius prudentia erat in administratione Reipublicæ approbata. Decius Imperator, cùm Decium filium suum imperiali diademate proponeret insignire, renuit dicens minor Decius. Vereor, ne, si fiam Imperator, dediscam esse filius: malo tamen non esse Imperator: & humilis filius, quàm esse Imperator, & filius indeuotus. Imperet pater meus, meum imperium sit, parere humiliter imperanti. Volusianus Imperator Galli Imp. filius, licèt cum patre suo imperaret, nihil tamen se commune habere cum patre proposuit, nisi, quòd cùm pater eius occideretur ab hostibus, se pro eo, & cum eo permisit occidi. 4.

Valerianus Imperator, de cuius tyrannide Beati Martyres Sixtus, & Laurentius felici triumphauere martyrio, quia patrem suum quadam die atrociter verberauit, à Sapore Rege Persarum captus, apud eum adeò ignominiosa seruitute consenuit, quod quoties Rex erat ascensurus in equum, Valerianum humi acclinis eum in scala dorso, non manibus attollebat, vitamque in hac propria seruitute finiuit. De Absalon taceo, cuius historia nota est vniuersis. Adramelech & Sarasar filii Sennacherib, quia persequuti sunt patrem suum, à regno extrusi, dati sunt in captiuitatem, & in opprobrium, & in mortem. Demetrius, 5.

filius

filius Demetrij regis, patrem suum crudelissimè persecutus, vagus, & profugus super terram vitam miseram in exilio, & opprobrio terminauit. Aristobulus, quia matrem suam regnantem vinculis carceralibus mancipauit, in morte, & sanguine fratris sui Antigoni, quem super omnia diligebat, miserabiliter expirauit. His, & aliis innumerabilibus exemplis intelligere potes fili charissimè, quantùm sit apud Deum, & homines commendabilis exhibita patri reuerentia, quantùm sit execrabilis, & infaustis damnata euentibus, iniuria parentibus irrogata.

6. *Porrò mihi videtur degenerare filius, cuius voluntas à paterna voluntate dissentit. Nam eius caro, & sanguis est; & de patris essentia suam essentiam mutuauit. Auelle à Sole Solis radium, & non lucet: riuum à fonte, & arescit: ramum ab arbore, & siccatur: membrum à corpore, & putrescit. Separa filium à deuotione paterna, & iam non est filius, sed frater, & collega eorum, quibus dicitur: Vos ex patre diabolo estis. In principio Isaiæ legitur:* Filios enutriui, & exaltaui: ipsi autem spreuerunt me. *Vltimum autem verbum eiusdem prophetæ est: Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Probitatem tuam, prudentiam, liberalitatem, constantiam, pulchritudinem, atque alias gratiarum dotes, quibus te natura multipliciter illustrauit, mundus prædicat vniuersus. Verumtamen, si erga patrem tuum humilitatem, & dilectionem in veritate non exhibes, quantò celebrior est laus tua, tantò in maius, & communius opprobrium conuertetur.*

7. *Nouisti, quia pater tuus, homo est, qui sola humilitate sibi exhibita mansuescit. Sis ergo ei subiectus, & ipse suam tibi per omnia subiiciet voluntatem. Exhibe te patri in vera humilitate filium, & ipse tibi se non solùm patrem exhibebit, sed famulum. Eris Rex Regis, & Dominus Domini tui, quia ad hoc tibi viuit, & sibi moritur, vt post mortem ipsius magnificè viuas, regnúmque tuum, & solium cum multis laboribus, & expensis corroborat, & confirmat, vt ipsum futuris temporibus barbara hostilitatis persecutio non subuertat. Heres tui patris, & successor in Regno, de hæreditaria successione securus, & certus sustinere, non festines. Quia teste Salomone, hæreditas, ad quam in principio festinatur, in nouissimis benedictione carebit. Nimis damnabiliter te seducit adulatorum suggestio, qui tibi submurmurant, & suadent, vt certam in regno tibi vendices portionem: porrò isti non tantum honorem tibi, quantum sibi honorum, & honorum distributionem desiderant, & vt in populum miserum suum exerceant dominatum. Nonne consultius tibi est per prudentiam fidelissimi patris in pace populum conseruare, quam per adulatores infidos quietem, & pacem commissi tibi populi conturbare?*

Sanè cum multis violentiis, & peccatis non posset de regno Francorum summa illa pecunia extorqueri, quam nunc sine labore, & crimine tuo tibi liberalitas paterna largitur. Vtinam scires, quàm dulce, quàm iucundum sit habere, & habitos venerari parentes. Hæc suauissima iucunditas, & frequenter dum parentes viuunt, ignoratur, & ex sola parentum amissione cognoscitur. Adhuc, amantissime fili, deuotè, & humiliter supplicamus, quatenus facias, & loquaris pacem in plebem tuam, & derelicta societate illius excommunicata, & perdita gentis, quæ te in deuium malitia trahit, reuertaris ad patrem. 8.

Nos autem ita honori, & commoditati tuæ studebimus prouidere, quod ampliùs obtinebis pacis beneficio, quàm possis per ignem, & gladium extorquere. Quod si nostro, & suffraganeorum nostrorum consilio, qui super hoc generaliter tibi scribunt, acquiescere, & consentire detrectas, scias nos recepisse à Summo Pontifice in mandatis, vt te, & omnes, qui pacem Domini tui turbant, sublato appellationis remedio, excommunicationis vinculo innodemus, nósque mandatum nobis iniunctum, licet inuiti, & dolentes, prompto effectu, & debita reuerentia, nisi infra quindecim dies resipueris, plenissimè prosequemur. Hactenus ad Henricum III. successor Thomæ, quem nihilominus nequaquam exauditum, sicut nec suffraganeos, inde constat, quod idemmet Blesensis loco supra anathema prolatum in turbatores, & neque Regi iuniori parcitum tradat. 9.

Hinc obiter corrigendus venit Baronius, qui Richardi Archiepiscopi inaugurationem in annum sequentem differt; cum visitato sepulchro D. Thomæ per Henricum seniorem, ira Dei auersa, & iam omnia peccata cognoscerentur; sed præcessisse tempestatis obortæ turbinem hæc epistola patenter manifestat. Porrò quanto periculo suffuerit, idem Henricus senior, ex filiorum, cum matre, & Rege Franciæ, atque aliorum consortium coniuratione, quod sola D. Thomæ intercessione gloriosè euaserit, anno sequenti latiùs expediemus. 10.

---

1. Reseratum sepulchrum Sancti Vualleni, 2. & illæsum inuentum corpus, vestésque, 3. excepto quodam panno, quem aliis conseruandis superiniecerant. 4. Varia in corpore Sancto experimenta, 5. prorumpentibus cunctis in vocem laudis: 6. sed non audentibus corpus aliò transferre. 7. Operta marmore sacra sepultura, 8. & sequuta miracula 9. terra, marique, 10. Beato Thoma remittente infirmos ad Vuallenum: 11. & dictum remissiuè de Ioscelino.

CAPVT V.

1. REGEBAT interim Meilrosiam Ioscelinus & quæ olim antecessor eius Guillelmus impedire præsumpserat, ad Sancti Vualleni sepulchrum crebra miracula, pia è conuerso deuotione, in gloriam Dei, & Sancti sollicitabat. Et reserata per ipsum sepultura, competenti concursu, solemnitatéque; quò pretiosus thesaurus corporis sacri, lapide decentiori, nam id solum tentatum, custodiretur. Porrò hanc apertionem sancti sarcophagi, atque admirandam inuentionem corporis, post annos tredecim, non solum incorrupti, sed omnino illæsi; ac dormienti, quàm mortuo similioris, cum reliquis, quæ exinde contigerunt, quia in hunc annum noscuntur incidisse: (quippè à morte Vualeni tertium decimum) verbis mutuatis ex actis vitæ ipsius in hoc capite censui transcribenda:

ſcribenda : Igitur Ioſcelinus,qui ea ſcripſit, de Ioſcelino Abbate,quæ ſuprà à nobis dicta, ita proſe-
a lib.2.c.14. quitur [a].

2. *Abbas verò Ioſcelinus memor ſanctitatis, & ingenuitatis viri Dei*(Vvaleni)*lapidem ſepulchro eius ſuperimpoſitum mutare,& alium de marmore decentiorem acquiſitum illi ſubrogare decernens ; ad hoc peragendum diem præfixit. Domnum Ingelramum Diœceſanum Epiſcopum , & vicinos Abbates , & Priores, die conſtituto conuenire fecit. Igitur conuenientibus in vnum,Pontifice, cum quatuor Abbatibus (inter quos erat Ardredus Abbas de Handro vir magnæ religionis , & ſanctæ opinionis) & aliis pluribus prælatis diuerſæ religionis , adſtante conuentu de Meilros , lapis amouetur ; & ecce corpus , quod in puluerem redactum putabatur , vt pote tertiodecimo anno deceſſus,& ſepulturæ eius,incorruptum, & integrum , multo ſimilius dormienti,quam mortuo reperitur : panni quoque, quibus obuoluebatur in eadem incorruptione , atque venuſtate , qua in die ſepulturæ eius fuerant ; illæſi cernuntur:excepto illo panno incerato in ſuperiori libello memorato , qui penitùs incineratus inuenitur.* Hæc Ioſcelinus de inuentione glorioſa corporis ſacri.

3. Cæterum , quod de panno incerato , atque eo ſolo in cineres conuerſo ,nec illæſo inuento, ibidem dicitur : eo,ni fallor,reſpexiſſe videtur,vt miraculum incorruptionis corporis, veſtimentorúmque , omnibus inde clariùs innoteſceret. Quippè corrupto,& in cineres redacto,quòd in eorum aliqualem conſeruationem humana prouidentia , veluti permanentius , condiuiſſet , ea è contra incorrupta inuenta ſunt, quæ illo veluti defenſiuo egere
b lib.2.vlt. iudicabantur. Certè qui [b] *panno incerato corpus tunicatum,& cucullatum inuoluiſſent.* Quod ſuo loco diximus ; velut ab eo aliquandiu præſeruandum ; dum ſolum pannum corruptum experiuntur,cætera integra ; manifeſtè cognoſcunt diuinam ibi manum operari , non ceræ naturam; quæ neque pannum ipſum,cui adhærebat , à corruptione potuiſſet præſeruare. Aduertit id Ingelramus Epiſcopus,& tali experimento confidens,adiecit alia,quæ pergit author ſcribere in hunc modum.

4. *Accedens Antiſtes* (ſcilicet Ingelramus) *propius , & pannos prius palpans,deinde pectus, & ſcapulas; poſtea caput,& reliqua membra fortius attrectabat:& omnia integra,& artus flexibiles,& compagines in ſuo ſtatu inueniebantur. Adſtans autem Cantor,Petrus nomine,Domine,inquit, Epiſcope,ſalua reuerentia veſtra , durius,quam decet,Sancti viri corpus attrectas. Hoc autem quidam alij dicebant ſubmuſſitando; ad quos Epiſcopus , nolite,inquit, filioli mei ægrè ferre,quod feci ad laudem Dei, & honorem Sancti patris veſtri , quoniam argumento ſatis probabili oſtendi , vos vobiſcum habere ſocium Sancti Cuthberti quondam Meilroſenſis Monachi; miraculum nihilominus magis concreſcit, dum contra Ordinis veſtri inſtituta vſurpatus pannus incineratur,aliis incorruptis exiſtentibus.*

5. Hactenus quæ inuenta miraculoſa in venerando corpore:mox qualiter profuſi omnes in lachrymas , in gratiarum actionem eruperunt, & vocem laudis,idem qui ſupra,author ita proſequitur. *Hæc & alia in hanc formam Abbas de Helchu replicando ſubiunxit. Sonet ergo gratiarum actio,& vox laudis in ore circunſtantium hæc videntium.* Ergo ſolenniter ab omnibus cantatur Hymnus SS.Ambroſij,& Auguſtini ; atque vnoquoque pro ſua deuotione paſcente oculos , adſpectu corporis ſancti , quem Magiſtrum,quem patrem habuiſſent ; aduocatum; & interceſſorem ad Deum quantò fidentiùs,efficaciùs inuocabant.

Tunc verò conſultatum de ſacro corpore,an ſolùm contegendum lapide decentiori,quem præparauerant ; an collocandum in loco eleuatiori , pro 6.
exigentia ſignorum:Nam quis lucernam,accenſam per tot miracula,permitteret latere ſub modio poſitam ? Quis talentum à Deo ſibi collatum, effoſſa terra,abſconditum teneret? An reſiſtendum diuinæ voluntati,ſublimanti Vvalenum; & gloriam , quâ gauderet in cœlis,manifeſtanti ? Deus qui exaltat, quis eſt,qui humiliet?Deus qui manifeſtat,quis eſt, qui occultet?aut quis humana iudicia præſtoletur, vbi diuina ſuppetunt ? Vt nos per verba,ſic Deum per miracula conceptus nobis promere , nec aliud eſſe miraculis non credere; quàm diſcredere Diuinæ locutioni. Hæc, & ſimilia pro corpore eleuando. *Communi tamen conſilio*(ait Ioſcelinus)*decretum eſt,vt in loco,quo ſepultus hactenus iacuit,quieſceret, donec authoritate Summi Pontificis, vel conſenſu, & conceſſu Capituli Ciſtercienſis aliud ſanciretur.*Ea reuerentia Romanæ Eccleſiæ debita:ſed & ea habebatur Ciſtercij Synodo,vt ipſius iudicium , etiam à Diœceſanis ſuſpiceretur.

Reducendo ad ſepulchrum corpori ſancto, filij, 7.
& fratres deuoti cohærebant ; & quidam manus, alij audaciùs caput,& reſperſam veneranda canicie faciem. *Plures* (vt verbis eiuſdem Auctoris loquar) *Sancti patris pedes oſculantes, vix tandem à ſe auelli paſſi ſunt. Sicque lapis ille pretioſus ſuper aurum , & lapidem pretioſum multum,ſub lapide pretioſo reconditur. Sed eius ſanctitas includi non valens , ſignis præclaris coruſcantibus, multipliciter mundo manifeſtatur.* Hæc de apertione venerabilis ſepulchri, & recollocatione corporis ſacri. Pergunt Acta miracula narrare , quæ plura ex tunc ad ſepulchrum ſancti facta , longum eſſet in præſenti recenſere. Ergo cæteris aliis prætermiſſis , vnum tamen , aut alterum tranſcribam. Quæ ita habent [c]. c lib.2.c.15.

8. *Quidam oppidanus de Rethsburc rebus erat locuples , ſalutis inops, Bernulus nomine : cuius filium vidi Monachum in Meilroſenſi Cœnobio. Hic diutiſſima , ac grauiſſima infirmitate detentus , à ſuis , & cum ſuis amicis Meilros eſt perductus : petita poſtmodum , & impetrata licentia, ante Sancti Abbatis tumbam excubauit. Mane facto integra ſoſpitate recepta,& gratiarum actionibus redditis, cum ſuis comitibus domum reuerſus,cognatos, & vicinos ſua ſanitatis adeptione lætificauit. Hoc miraculum ferè cunctis in Scotia degentibus innotuit , eò quod perſona diues in celebri loco manſerit ; & multorum corda , & linguas in laudes Dei , & venerationem viri Sancti excitauit.Referam aliud eiſdem Actorum verbis* [d]. d lib.2.c.17.

9. *Quidam breui-gerulus* (id eſt,ex Romana Curia Bullas , quas Breues dicunt , ad Scotiam portans) *Henricus nomine , dum vectus equo tranſire tentaret quoddam flumen , quod inundatio fluuialis intranſmeabile fecerat , aquis interceptus , mergi cœpit : ex merſione illa, dum inuocaret adiutorium Domini ſibi adeſſe per Sancti Vvaleni meritum,emergens repentè de flumine,neſciens, quomodo in vlteriorem ripam inuenit ſe tranſpoſitum. Extrahens verò pyxidem Breuia continentem omnia ſicca,& illæſa conſpexit. Deo, & ſancto Vvaleno deuotè gratias reddidit. Hæc idem Henricus,quæ in ſe expertus eſt,mihi retulit,cuius niuea barba,& cygneum caput,ab ore eius mendacium exulare compellit.*

Addam

10. Addam,& tertium miraculum prædictis, quod Sancti Thomæ Cantuariensis interuentu, atque reuelatione præuia patratum lego. *Quidam Clericus de VVesthenland multis, ac magnis agritudinibus vexatus adire disposuit Cantuariam, suam miseriam ploraturus, ac imploraturus auxilium ante S. Thoma memoriam. Nocte verò pracedenti, qua se esset ad iter pracincturus propositum, quidam Pontificalibus indutus apparuit ei insomnis, & quo gressus maturare dispeneret, inquisiuit. Quo respondente: versùs Cantuariam visere Sancti Thoma memoriam. Respondit dicens. Ego sum Thomas cuius monumentum affectas visitare. Iter istud intercide; & vade Meilros visitare sepulchrum dilecti Deo, & Sancta Maria, matri eius, Sancti Uvaleni Abbatis, & consequenter absque dubio tua petitionis consequeris effectum. Crede mihi, quod venient dies, in quibus nomen eius celeberrimum habebitur; & ipse sicut vnus de pracipuis Sanctis confessoribus circumcirca honorabitur. Hac proferentis visio, & colloquutio recessit; & Clericus somnum excutiens, & somnium mente pertractans, in crastinum itinere mutato, versus Meilros gressus accelerauit. Quò perueniens, accepta licentia capitulum introiuit, precum, & lachrymarum hostias super tumbam Sancti immolauit, & continuò salutem, quam petebat se nactum esse cum gratiarum actione, & deuotis praconiis, laudans, & latabundus, in multorum notitiam propalauit. Quod autem à Sancto Thoma sibi reuelatum fuit, pluribus, & precipuè cuidam grandaeuo viro, sibi noto, veridico relatu luculenter edocuit, ac sanus, & incolumis in propria repedauit.* Hæc satis sunt de miraculis patratis ab Vvaleno, post inuentionem incorrupti corporis sancti.

De Ioscelino Meilrosiæ tunc Abbate, mox in Episcopum Glasenensem promoto, atque post mortem inter Sanctos relato, infra dicemus. Id tamen obiter modò dicendum venit, cum ab authore Actorum vitæ Sancti, laudetur in multis, in eo tamen non leuiter reprehendi, [c] *quod Vvallenum, qui specialiter illum dilexit, erexit, & prouexit, canonizare non sategit.* Hæc alter Ioscelinus de Ioscelino. Sed an Vvalenus tempore Laurentij, quem Ioscelino subrogatum dicam, vel successorum eius, Canoni Sanctorum Confessorum per Romanam Ecclesiam adscriptus sit, nequaquam lego notatum ab anthoribus. Id solum constat (dicendum suo tempore) quod cum eiusdem Vvaleni sepultura post annos adhuc quatuor, & triginta, nempe ab ortu Christi M. CC. VII. Denuò reseraretur; corpus sanctum non minus illæsum, integrúmque, & vestes incorruptas; atque omnia suauissimo odore fragrantia reperta esse: tum eius transitus, eleuationísque festa, olim Meilrosiæ celebrata; atque à Demstero, & aliis in Martyrologiis Scotiæ commemorari. Sed de his dictum supra, atque tomo sequenti, si Deus dederit. 11.

c lib. 2. c. 14.

1. Victoria in Ægypto parta per Amalricum. 2. Bernardi pro ipso, & suis solicitudo. 3. Tum Amalricus, dum Barbaros persequitur, 4. resistendus ab eis. 5. Bernardum in somnis videt: à quo, & periculi, victoriaque admonetur: 6. comprobante visionem ipso euentu. 7. Et tunc demum Crux missa ad Claramuallem. 8. Vbi hodiéque, 9. exornat argenteam tabulam. 10. Ratio temporis vtcumque demonstrata.

CAPVT VI.

1. HVNC item annum memorandum nostris effecit mors Amalrici Hierosolymitani Regis: atque ingens donum missum ad Claramuallem, cum per reuelationem Bernardi Patris, quam in somnis vidisset, audisśetque, de Sarracenis victor euasisset: & periculo exemptus, seruatusque incolumis ad propria remeasset. Tunc enim crucem de ligno Crucis Christi, ab eodem Bernardo benedictam (adipiscendæ victoriæ egregium pignus simul, & instrumentum) Claræualli transmisit, iuxta insinuatum magis, quàm expressum præceptum Sancti. Et conseruatur hodie, visiturque, Tabulæ argenteæ inclusa, multis sacris exuuiis longè præeminens, quæ ibidem reconditæ, exprimuntur in inuentario Reliquiarum Claræuallis. Nos Amalrici expeditionem primum aduersus Turcas; dein apparitionem Sancti, præceptumque; mox conflictum, partámque victoriam; ad vltimum Regis obedientiam, transmissa cruce; atque Claræuallensium religionem, decenti cultu, ornatúque exhibito, omnia ex antiquis, fideliter reddemus. Ergo quod ad totius historiæ seriem attinet, in additis ad vitam Bernardi Patris, quæ ex peruetusto M.S. Barbelliano vulgauit Picardus,[a] & paucis ab hinc annis inter opera eius vbique prodeunt; hæc in aliquibus locis manca, & mutila; sed facilè ex Gundissaluo de Sylua, Lusitano, qui eadem, ante centum annos, idiomate vulgari, publicauit, supplenda, scripta inuenio.

a De Bern. mirac. fol. mihi 1300.

2. *In memoria aterna ipsius Domini* (Bernardus) *constitutus, suorum non negligit memoriam filiorum; post mortem peragens miraculis, quod suis adhuc viuens, oraculis pradicebat. Cernitur in operibus virtutis eius sermo ille viuus, & efficax, & testamentum fidele, quod disposuit dilectis suis. Agam (inquit) assiduè Claraeuallensis familia curam; & plantationem meam continua foueho benedictionis irriguo; sic me prasentem beneficiis exhibebo, vt inde non videar aliquando recessisse. Vndique nobis materiam consolationis exquirit: Ita vt in ipsis nuper partibus transmarinis, nostris inuentus sit inhiare subsidiis. Factum est enim post annos plurimos ab obitu Sancti huius, vt sanctitatis sua signa de Crucis signaculo radiarent; & quàm pia cupiditate virtutem viuifica Crucis ambiret, ipse Crucis consecrator ostendit.*

3. *Cùm enim Sarracon Dux Turcarum vrbem Alexandriam, & adiacentem Ægypti prouinciam disposuisset inuadere, suaque ditioni subiicere: Rex Hierusalem Christianissimus Amalricus requisitus à Sarracenis Ægypti, repentino impetu in prasidia accingitur; timens videlicet, & pracauens in futurum, ne si fortè Turcas in Ægypto dominari contingeret, maiorem in Christianos agerent, pro locorum vicinitate, perniciem; & ipse interim ex Ægypto tributariam perderet functionem. Electis ergo militibus, & instructo progressus exercitu, in occursum properat Sarracenis; vadens, & progrediens vsque ad alueum Nili fluminis, quod de Paradisi fonte dissiliens,*

aridas Ægyptiorum irrigat nationes. Cúmque venissent ad flumen, fecit illud nauium ponte meabile; & relinquens in custodia pontis, ex vtraque parte fluminis, milites, peditésque; ipse cum trecentis equitibus fugientem Sarraconem insequitur, persequens eum, & exercitum eius grandem, quatuordecim millia Turcarum, & tria millia pugnatorum Arabum continentem.

4\. *Illis autem itinere vnius diei ante Regis impetum fugientibus, non deerant hinc inde Nuncij de Media concurrentes, quorum alij suggerebant Regi, vt multitudinem illam territam, & fame, & lassitudine dissolutam, iam iam consumpturus perueniret: alij è contrario Turcas hortabantur vt starent; facilè admodum ferè concludi paucos, in manu tanta multitudinis affirmantes. Committitur ergo Sarraconis exercitus; & expectato Rege in partibus aptioribus instruuntur ad pugnam, qui prius ferebantur pracipites in fugam. Adueniente autem nocte, castrametati sunt iuxta aquas, qua vtrumque exercitum stricto satis alueo, dirimebant.*

5 *Cumque obdormiisset Rex, in ipso clypei sui concauo requiescens; confestim sibi in somnis B. Bernardus apparuit, & exprobrans, & improperans ei peccata sua, & quod non esset dignus viuifica Crucis lignum, quod de consuetudine appensum collo gestabat, in illo certamine conferre. Statimque Rex territus, & turbatus, veniam petit, & sancto, qui loquebatur ad eum, peccata sua flebiliter confitetur. Tunc B. Bernardus, admota propria manu, Crucem sanctam, qua collo Regis dependebat, accepit; & benedicens: & trino signaculo sancta Crucis impresso, consolabatur eum dicens: confide Rex, in hoc signo vinces; & in periculo timoris magni, quale numquam hactenus expertus es, sine lasione tui, hostiles incursus euades. Cùm hoc dixisset, voluit discedere, Crucem, quam à collo Regis acceperat, portans secum. Rex autem apprehendens eum, ait: Non dimittam te, nisi Crucem dimiseris mihi. Ad quem Sanctus dixit: Noli, inquit, noli Rex; alios filios habeo, quos oportet huius Crucis signaculo benedici. Et his dictis, somnus abiit, & fulgor matutinus illuxit.*

6\. *Facta copia splendoris, & lucis, vterque exercitus sibi inuicem ad ineunda certamina apropinquauit. Aggreditur Regis cuneus multitudinem copiosam, & in medio eius, quasi in pelago maris absorptus, inimicos Crucis Christi, sub Crucis vexillo, prosternit; caduntque à latere suo mille, & multa millia à dextris suis: discurrunt vndique triumphantes in Christi nomine, Christiani: ita vt dum illi diuersis pugna partibus diuiduntur, Rex ipse solus in quodam congesti sabuli tumulo remaneret, iam morti, & Turcis proximus, quam longè erat suorum omnium solatio destitutus. Cernebat, ex imminenti stationis sua loco, Turcas vndique concurrentes: & iam, iamque imminentem sibi spectabat interitum, nisi quia in eo quodammodo confidebat, quod se illis non ignorabat ignotum. Recordatus est illico visionis, & pia inter se vota conficiens, pollicitus est Domino, & B. Bernardo, quod si de manu inimicorum viuus euaderet, crucem quam Sanctus petierat, filiis eius Claraualensibus destinaret.*

7\. *Continuò ergo triginta de militibus suis Regem ipsum à longè cognoscentes, acriori in se, certamine Turcas prouocant ad pugnandum, vt conuersa in illos fortitudine tota conflictus, Rex interim ab hostibus, & ignotus persisteret, & securus. Quod cum quindecim milites de sacra Templi militia conspexissent; per confortissimos hostes violenter irrumpunt persequentes, iuxta quod scriptum est, vnus mille, & duo fugantes decem millia in millibus suis. Associati ergo aliis triginta militibus, diuisis, & casis occurrentibus inimicis, ad Regem suum cum lætitia, & victoria peruenerunt. Sicque impletum est, quod & Rex iuxta verbum sanctissimi patris nostri, de beneficio sancta Crucis, triumphator ascendit; & Claraeuallensis Ecclesia de beneficio Regis, viuifica Crucis donum eiusdem Sancti patris meritis apprehendit. Porro huius ordinem visionis idem ipse Rex Richero Abbati Saluationis, ore proprio diligenter exposuit: qui eam postmodum in Gallicanis partibus fideliter nuntiauit: homo vtique boni testimonij, & conuersationis honesta, tam à mendacij suspicione remotus, quàm à vita corruptionibus alienus.* Hactenus Barbellianum exemplar Ioannis Picardi, in multis locis, nō mutilum tantum, & lacunis refertum, sed corruptum: ast correctum à nobis, ex Gundisaluo [b], qui verbo ad verbum Lusitanè cuncta reddiderat. b *lib. 7. c. 53.*

Quanto cum gaudio fratres, filiique sacrum pignus susceperint, quamuis non legam scriptum ab authoribus, nequaquam licèt in dubium reuocari. Venerabantur donum, quia diuinum; extollebant, vt regium, sed nescio, quâ dulcedine speciali sensibilius amabant, quia paternum; & in vno, eodémque munere, Deum, Regem, Bernardum, humanam, diuinámque potentiam; terrena, cœlestia, cuncta sibi propitia experiebantur. Auro, an argento exceperint, non constat; quo fortè adhuc carebant; atque ô vtinam semper caruissent! Certè post annos aliquot, locatum in superiori parte quadratæ tabulæ argenteæ, aureæque, plures aliæ nobilitant Sacræ Christi, & Sanctorum eius exuuiæ, inuentarium reliquiarum Claræuallis memoriæ prodit, totidem verbis. 8.

*Secundo loco est tabula argentea continens nouem marchas argenti, & vnam auri; quam fieri fecit Dominus Hugo pradictus. In cuius tabula medio, tamen eminentiori parte, posita est Crux, quam miraculosè misit Amalricus Rex Hierosolymitanus in Claramuallem, post plurimos annos à transitu D. Bernardi; ab eodem in somnis admonitus, sicut in tractatu de eadem plenius continetur. Eidem Cruci adiuncta sunt circumquaque portiones Ligni Domini, quas attulit Nonus Artandus frater militia Templi; postea Monachus, & Cellerarius Claraualli*s, &c. Nam pergit plures Reliquias commemorare, de quarum aliquibus infrà dicendum erit. 9.

Non me latet Amalrici Regis victoriam de Sarracenis in Ægypto partam, atque Crucis virtutem in ipso liberando præostensam, ante hunc annum haud dubiè contigisse; adeóque & Sancti patris apparitionem, tum & oraculum: quippè eam ipsâ puto fuisse, de quâ Guillelmus Tyrius [c] in sua Orientali historia multa commemorat: & quæ sexennio plus minùs præcessit Regium funus. Verùm cùm videam hæc omnia commemorari, quasi plurimis annis subsequuta obitum Sancti Patris, coniector saltem Crucis transmissionem dilatam ad hunc annum; quo tandem Amalricus, instante morte, quod donum viuens, ne ipso priuaretur, retardauisset, testamento legauerit, & iusserit perferendum ad Claramuallem. Certè hoc anno, viginti numerantur, ex quo Bernardus obiit: & nec pauciores, appellari plurimi, potuisse videntur: neque hoc anno Amalrico de viuis rapto, plures iam nobis licuit expectare. 10. c *li. 19. c. 24.*

I. *Mors*

1. *Mors Henrici Cardinalis*, 2. *ad quem epistola Arnulfi Lexouiensis*, 3. *Chronologia*, 4. *& Sancti Spiritus ad Panormum fundatio*. 5. *Celebre templum*, 6. *Regiæ donationes*, 7. *atque ipso inchoationis die, omen*. 8. *Dictum breuiter de cæteris Cœnobiis*, 9. *Demum de Valle-Bona Cœnobio Virginum*. 10. *In quo huic secundo Tomo finem damus*.

CAPVT VII.

1. AD hunc fermè annum peruenisse creditur Henricus Pisanus, tituli SS. Nerei, & Achillei Presbyter Cardinalis, ab Eugenio creatus, quem eius dignitatis insigne decus, egregiúmque ornamentum, Baronius vocat, cum in eadem post quadringentos annos successisset. Certè non vltra memoria Henrici extenditur: quamuis Ferdinandus Hugellus in suis Tabulis, nec constat quo authore, insignis viri mortem sexennio differat. Zelo, an doctrina maior, in dubio est; authoritate apud omnes, an prudentia? queis Ecclesia Romana frequenter vsa, ad grauiora negotia pertractanda. Omisit Menologio suo inserere insigne primitiui Cistercij Iubar, Chrysostomus Henriquez: nec certum quare: Nisi quod tamen, successione proxima alterius Henrici, ex Abbate Claræuallis, Cardinalis Episcopi Albanensis, confudit vtrumque, & pro eodem habet, quod aliis etiam video contigisse. Et Chrysostomus [a], cum de Albanensi loquitur, Arnoldum Bonæ-vallis Abbatem citat, in vita S. Bernardi: vbi tamen de Henrico Pisano constat loquutum, qui solus floruit, Bernardo adhuc viuente: non de Henrico Albanensi, qui longè ab eius morte Monachum induit.

[a] Iulij 14.

2. Extant Arnulfi Episcopi Lexouiensis, ad Henricum Cardinalem Pisanum duæ epistolæ, ex ipsis argumentis satis notabiles; altera magna ex parte aduersus medicos, queis familiare [b] *Vt arti suæ reuerentiam, sola seueritatis exhibitione conquirant, & quasi de benignitate vilesceret, infamant omnia, quacumque miseri patientis appetitus exposcit. Adhuc defectum imperitiæ suæ, culpæ semper ægrotantis adscribunt; vt æger, & inedia pereat, & calumnia contumelia crucietur. Denique ad mercedis augmentum sententiosis sermonibus incedentes, gratiam sibi misericordia diuina præripiunt; vt quam salutem eadem nobis contulit, de eorum videatur diligentia prouenisse*, &c. Altera contra cultos; sic nostri vocant, qui per circuitus ambagésque verborum [c], ea scribere satagunt, aut loqui, quæ homines mirentur, non quæ intelligant. *Summa*, inquit, *eius* (& loquitur de Ennodio) *intentio est, aliter omnia dixisse, quam cæteri: ideóque totum, quod loquitur, exquisita quadam intricatione complicat, & innodat; vt rectius, innodius, quam Ennodius debeat appellari.* Hæc obiter, quia ad Henricum scripta, notare volui, placitura lectoribus, vel ex dicacitate velox sententia. Locum mortis Henrici, ac sepulturæ, ignotum nobis hactenus, addant, ô vtinam! alij quicumque nouerint.

[b] Epist. 4.

[c] Epist. 33.

3. Claudant annum ex more fundationes, quas quinque tantum recenset Chronologia; seu mauis, quatuor, nam demenda Curatij superius dicta. Porrò series illarum talis est.

Anno M.C.LXXIII. IX. Kalend. Iulij fundata est Abbatia S. Spiritus de Panormo.

Eodem anno. Pridie Kalend. Septembris, Abbatia de Sylua Regali.

Eodem anno IV. Kalendas Decembris Abbatia Loci Dei in Dacia.

Eodem anno, Abbatia de Curatio. Hæc Chronologia, Cistercium in Curatio postponens vt iam ostendimus.

Ergo prima fundatio præsentis anni Spiritui Sancto sacrata est, si sub alio instituto non præcessit, quod probabilius censeo, prima quæ ab initio Cisterciensis Virginem non agnouit, quamuis reuera in melius commutauit. Concessum id fortasse fundatoribus, & eorum pietati; nec reputatum displicere Virgini, quòd S. Spiritus pro ea subrogaretur. Abbatia in regno Siciliæ sita iuxta Panormum, Authorem habuit Vualterum Archiepiscopum eiusdem vrbis, promotorem Guillelmum Regem Siculum; Monachos ex Sambucina vocatos, qui nouum Monasterium permagnificè structum inhabitarent. De situ loci, fundatoribusque, ita Thomas Fascellius de rebus Siculis. [d] *Tertia porta* (scilicet Panormi) *à S. Agatha* (*cuius ædicula ad passus circiter CC. ab ea dissidet*) *nomen accepit. Quam deinde sequitur templum Spiritui Sancto sacrum, & Cœnobium Cisterciensis Ordinis illi annexum: præclarum quidem, & à Gualtero Panormitano Archiepiscopo ad ripam fluminis, quod Sarracenis eo tempore Habes nominabatur, gratia, & fauore Guillelmi II. Siculi Regis conditum, vt in suo priuilegio dato Panormi, mense Nouembri anno salutis M.C.LXXIII. Guillelmus ipse testatur.* Hæc ibi; quæ eadem confirmat sequenti decade, præfigens tempus, & distantiam loci ab vrbe. [e] *Sub idem tempus* (sed triennio postponit domum) *Gualterus Panormitanus Archiepiscopus, Guillelmi Regis auxilio templum maximum Panormi, & Cœnobium Sancti Spiritus Cisterciensis Ordinis* (*quod Panormo ad quingentos passus meridiem versus distat*) *condidit.* Ita Fascellius. 4.

[d] Decad. 1. lib. 8. c. 1.

[e] lib. 7. c. 5.

Celebre est templum Monasterij S. Spiritus, non solùm in Sicilia, sed in Italia, imò in tota Europa duplici titulo; altero ob fabricæ ingentem magnificentiam, cui construendæ, dum prima fundamenta iacerentur, inuentum siue à Deo oblatum thesaurum, pródunt, quem Vualterus insumpserit, non aliter tantum opus consummaturus. [f] *Cuius* (idem qui suprà Thomas ait) *Cementarij, dum fundamenta fodiunt ex improuiso in thesaurum ingentem incidunt: quo postea Gualterum templum maximum tota Italia celeberrimum, breui alioquin temporis interstitio, si opus conferas, perfecisse, Annales Siculorum referunt.* Hæc prima causa, secunda, atq; celebrior ob eas; quas vulgò vocant, Vesperas Siculas celebratas ibidem post annos centum, multo Gallorum sanguine effuso, violatæ Religionis, & pudicitiæ, acri vindicta sumpta, de qua nos latè in tempore dicemus. 5.

[f] Decad. 1. lib. 10. c. 1.

Cæterùm quæ de regia donatione Ecclesiæ Sancti Spiritus ab Vvillelmo Rege facta, narrat idem Thomas anno M.C.LXXIII. paulò ante enucleatius 6.

cleatius explicauerat, templum & pagos memorans, quæ Guillelmus indulsit, & quibus Monasterium dotatum voluit. *Adhærebat*, ait, *arci, quà portus fluctibus alluitur, templum vetustum D. Ioannis Baptistæ à Normanis quidem Principibus ditatum, sed à Guillelmo secundo Siciliæ Rege, Cœnobio Sancti Spiritus, ab Archiepiscopo Panormitano, eius tempore condito, cum suis pagis concessum: quod eius diplomate, Dato Panormi anno salutis M.C.LXXVIII. mense Nouembri, constat.* Addit hac tempestate templum illud (intellige vetustum S. Ioannis) ad muniendam arcem deletum funditus, & iuxta ædem D. Mariæ à Catenna restitutum fuisse. Hæc ex authore Siculo de celebri Abbatia sub Cistercio incepta, sed non sub ipso ad finem permansura.

7. Refert & idem Auctor historia dignum, prima die inchoatæ Cœnobij fabricæ, solem Eclypsim passum, quod Siculi omnes annales testificantur. Porrò, si id ad portentum referamus, non abs re erit, vt defectum Solis, futurum in ea domo Cisterciensis instituti defectum interpretemur. Quippe eandem, post plura licet sæcula, ad Montioliuetanos transiisse, hodie magno Panormi Nosochomio in Rocho Pyrrho, [g] aliis recentioribus vnitam lego: quod tamen qua occasione gestum sit, suis tempore, & loco, dicendum erit: Memoratur Abbatia Sancti Spiritus de Panormo in libris Cameræ; in Archiepiscopatu Panormitano: nec nisi tribus & triginta tantum Florenis diuitem aliàs domum taxatam video.

g lib. 1. c. 1.

8. Sequuntur aliæ Ecclesiæ minus notæ, quæ breuiter sunt nobis recensendæ. Sylua Regalis Claræuallis lineam auget; incerta tamen matre Diœcesique, quam in Tabulis vtramque prætermissam aliunde mutuare non potuimus. Locum Dei in Dacia Ripensis Diœcesis Herbiadum produxit, siue Eriuandam, de linea Cistercij: haud dubiè quin Eskyllo complacente in suæ fundationis fœcunditate sic Morimundum propagauit Vallis-honesta, quam Aqua Bella intra propriam diœcesim Claromontensem genuit, vt habent Tabulæ Ecclesiarum Morimundensium. Verum est tamen esse & aliam Ecclesiam eiusdem nominis, in Vngaria sitam, Quinque Ecclesiensis Diœcesis, quam protulit Borsan, adeóque aucturam lineam Claræuallis; nec quæ illarum notetur in Chronologia, facilè liquet. Nisi quod tamen Borsan nondum exorta ante annum M.C.LXXXV. plus minúsve, non potuit filiam hoc anno procreare. Abbati Vallis-honestæ de Posseja, Cisterciensis Ordinis Quinque Ecclesiensis Diœcesis, scribit Innocentius Papa III. Laterani, IV. Idus Maij, Pontificatus eius anno VIII. De Curatio iam supra à nobis dictum, ostensumque antiquiorem multò domum etiam sub Cistercio, ex Ioachimo Abbate, ex contextu historiæ, ex instrumentis.

Hoc ipso anno Christi nimirum M.C.LXXIII. 9.
ait Antonius Beuter fundatum fuit Monasterium h lib. 2. c. 13.
Vallis-bonæ in Regno Aragonum, pro sacris Virginibus, institutum Cistercij obseruaturis. Fundator domus S. Eremita nomine Petrus, dictus de Valle-bona, à quo & Cœnobium ipsum mutuauit. Instigatrix, & promotrix totius operis, nobilis matrona Berengaria Ceruera, iam tunc vidua; quæ inter primas Moniales, vna cum filia Eluira, sacrata dicitur. Virgines & Nauarra vocatas Beuter [k] tradit, puto ex Cœnobio dicto de Tulebras, (in Hispania fœcundo præ cunctis aliis) sub Abbatissa Orga, quæ prima Vallis-bonæ domum administrauit: succedentibus Hermesenda de Ruuione, Berengaria, & Eluira, matre, & filia; atque aliis, ex prima Regni nobilitate; neque inferioribus pietate, & religione. Illustrant Domum Regia Mausolea Eleonoræ Infantis filiæ Regis Iacobi, consummatæ ante nuptias fœlici morte; [l] & Violantis Reginæ, eiusdem Regis Iacobi secundæ coniugis, Andreæ Vngariæ filiæ, & S. Elisabethæ sororis, de quibus nos in tempore dicemus.

i lib. 2. c. 22.

k lib. 2. c. 50.

Sed sisto gradum, & secundo huic Tomo finem 10.
facio, Tertium à Canonizatione Bernardi Patris, atque obitu Petri Tarantasiensis, glorioso vtroque initio, auspicaturus. Dies annorum peregrinationis Tomi huius pauci, sed boni, saltem ex materia: & qui præ nimia gestorum abundantia non peruenerunt ad annos prioris tomi. Quippe in illo initia tenuiora, hunc incrementa vberrima fœcundant; & quod mireris, status eisdem similis, atque interdiutius permansurus. Nec dubium mihi multis multa superflua: quod tamen æquè feram, dum nihil omnibus. Similes sunt Annales (Baronius ait) sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti. Ex omni, inquam, vt inueniant singuli, alij, quæ prosint, alij, quæ delectent, alij quæ erudiant. Nobis scholasticarum disputationum, quibus quotidie præpedimur, tædium, aliqua saltem parte subleuasse, pro præmio erit, si quod fortè meruimus: sin minus, eædem veniam impetrabunt. Quippè tot, támque aliis distracto curis, vel iuueni parcendum, nedum seni, & cui quiescendi magis tempus instabat, quam nouo antiquum labore cumulandi. Sed rete adhuc in capturam nouorum piscium, quamuis quassatum integrum, iterum, Deo dante, in pelagus historiæ mittendum erit.

in Præfat. Tom. 11.

Finis secundi Tomi Annalium Cistercij.

APPENDIX

APPENDIX
AD SECVNDVM
ANNALIVM
CISTERCIENSIVM
TOMVM.

QVOD præcedenti Tomo quatuor primis, & communi omnium matri, Cistercio, dedimus, idest, Ecclesiis Galliæ principalioribus: id Hispanis, Hispanos nos debere, saltem in hoc secundo, inficiatur nullus; siue res patrias chariores cunctis agnoscat, siue notiores: adeóque cuique libentiùs aggrediendas, &, quod magis est, exactiùs consummandas, exactiùs inquam, pro qualitate rerum, temporúmque, quæ inter nostros obscura, & inuoluta; tunc primùm, quæ fecissent, paratos scribere, cùm facere cessarunt scribi digna. Imò nec tunc, cùm parentum, memoria recens ministrabat materiam filiis, vel degeneribus: sed cùm per turbines communium laxamentorum, & commendarum, oblitterata omnia; & neque prima elementa Cistercij, ab his, qui requirebant, cognoscebantur. Itaque primos modestia scribere vetuit; posteriores pudor; medios incuria, & segnities retardarunt. Vt solis instrumentis adhæsuris (ex quibus multa amissa, vitiata alia, maximè in annorum, seu frequentiori Hispanis currentium tunc Ærarum computatione) parcendum sit, si quando contingat labi: & siue plures, ex diuersitate nominum, siue pauciores, defectu instrumentorum, numerare Abbates: aut gesta vnius alteri tribuere; quod in Regestis, & dignitate magis quàm ex nomine proprio, etsi non semper, multoties designati: ex solo tempore veniunt distinguendi. Illud constanter, & certo asseueramus, nihil scienter à nobis imputatum, additum nihil, nec quicquam omisisse, quò veriora, & certiora detegeremus. Porrò ex Monasticis, tres Ecclesias tantùm Alcobaciam, Hortam, *&* Populetum *(iuxta tria regna* Hispaniæ *principaliora; Castellam, Aragoniam, & Lusitaniam; & iuxta triplicem in eisdem regnis Cisterciensis familiæ congregationem) dare in præsenti visum; omnes eas pertinentes ad hunc Tomum:* Populetum, *Alcobaciámque, quod longè aliis præmineant in suis tractibus:* Hortam, *siue quod in Castella etiam præmineat, siue quod propriam matrem, piaculum filio esset, si præteriret. Ex militiis Auisium tantùm recenseo; non quia antiquiorem, sed quia tolerantiorem iugi monastici; quod Calatraua à Rodulpho Abbate excussit, vsque ad annum* 1187. *Alcantara vsque ad ann.* 1214. *quo ad locum illum transiit, non admisit. Quare illa nobis latiùs* 3. *Tom. hæc quarto Deo dante dicenda erunt.*

SERIES ABBATVM ECCLESIÆ ALCOBACIENSIS.

I.

RANVLPHVS.

RANVLPHVS, aliis MARTINVS, cum suo Conuentu missus ex Claraualle, cum Rex Alphonsus votum Deo vouisset, & Bernardo Parenti: DATVRVM SE ORDINI CISTERCIENSI, QVÆ OCVLIS CERNERE POSSET DECVRRENTIBVS AQVIS AD MARE, SI MERITIS SANCTI VRBEM CEPISSET. anno 1147. Veterem Abbatiam, vt vocant, *Sancta Maria à Vella*. Cœpit construere: ann. 1152. acceptauit Alphonsi donationem, non tamen ipsi, sed Bernardo Parenti factam, cùm de ea domo longè ante prædixisset (ita scriptum inuenio) diuidendam coronam à Lusitanis, cum redditus illius diuiderentur. Ranulphus porrò ab Alphonso multa obtinuit: gratia apud ipsum pollens, titulo eleemosynarij eius maioris, Consiliariique, *apud Brandonium, & Britum*, cohonestatus. Certè qui Regiis priuilegiis subscriberet immediatè post Episcopos, antè omnes alios, non solùm Ecclesiasticos Prælatos, sed etiam Principes Curiæ sæcularis: Cum Ranulpho, aut Martino, Desiderius in Hispaniam à Bernardo Patre missus, multis fertur miraculis claruisse: memoratus in Menologio Cisterciensi ad 12. diem mensis Iulij. In Alcobacia aliquando habitasse Monachos mille (vel saltem vno minus) traditio est: & succedentibus centuriis eorumdem diuinas laudes in choro continuasse die, ac nocte. Sed neque constat quo tempore id inceperit, neque quandiu durauerit: nec capacitas domus, quantumuis ingens, ea esse videtur, quæ fidem conciliet antiquæ traditioni.

II.

FERDINANDVS I.

Incertum quo anno electus: sed qui creditur anno 1159. fœcundasse Alcobaciam suscepta prole, adoptato nimirum Monasterio S. Mariæ de Bouro, quod antea Cluniacensibus subfuisset, præcedenti miraculo haud vulgati, atque Regis Alphonsi largitione. Biennio post, sanctam Mariam de Stella, cum imagine Virginis matris miraculosa, ab Egea Munizio in loco olim reperta, consummata per Laurentium filium fabrica, de manu ipsius accepit: & Monachos sub Abbate Mendo transmisit, obsequio Virginis ibidem mancipandos.

III.

MARTINVS I.

Martinus, huius nominis primus, aliis secundus. Cuius tempore, vltra ipsum, inueniuntur Alcobacienses Monachi assistentes Alphonso, & Regiis priuilegiis subscribentes inter Episcopos: *apud Brandaonium lib.* 10. *cap.* 44. Auisiensis militiæ, tunc nouæ dictæ, primordiis stabiliendis pro Abbate Cistercij, cum B. Ioanne Zirita interest: anno 1162.

Quo & Abbates Galterius, Guillelmúſque, ille Moretolæ, hic Bonæ-Vallis, ex commiſſione Godefridi Claræuallenſis Luſitaniam viſitant. *Apud eundem ibid.* Biennio poſt, S Michaelis dictam *del Ala* nouam aliam Militiam Ciſtercienſem, ab Alphonſo inſtitutam ſub obedientia Abbatis Alcobaciæ; & in ea vniuerſos Luſitaniæ proceres ſuſcipit. Ingens haud dubiè incrementum Chriſtiani Orbis, ſi diutius permanſiſſet. Sed magna initia dùm progredi non poſſunt, facilè retrocedunt, aut euaneſcunt. In Alcobacia florebat Ranulphus, in diuinis litteris Magiſter, Alphonſo Regi in magno pretio habitus, vt ipſe litteris ſuis teſtificatur.

I V.

MARTINVS II.

Martinus, huius nominis ſecundus, aliis tertius, præerat anno 1169. Quo Gundiſaluus Hermiguez, cognomento *Traga Moros*, inſigni viro, ad habitum ſuſcepto, eximiè Alcobaciæ profecit vtriuſque bonis. Additum etiam Cœnobium iuxta Eboram Virginum Ciſtercienſium ſub S. Patris Benedicti vulgò *San Bento de Caſtres* aduocatione: vt Alcobacia vtraque prole aucta, in plures inde filias, atque ex filiabus neptes dilataretur, emiſſa intra biennium noua alia *Sancta Maria dos Tamaraes*, in loco accepto à Gundiſaluo Hermiguez, atque eo illuc tranſmiſſo, qui multa alia ab Alphonſo Rege obtinuit. Cœptum de Alcobacia nouum cœnobium, fabrica Alphonſo digna ad an. 1178. & dedicatum cæmeterium eodem anno. vt habent monumenta antiqua eiuſdem domus. Aliter hos Abbates recenſet Antonius Brandaonius lib. 11. Monarch. Luſitanæ cap. 15. ſed nos antiqua Alcobaciæ monumenta ſequuti ſumus. Sub Martini huius fœlici præfectura habitum in Alcobacia induit, atque hominem exuit Petrus Alphonſus, Alphonſi Regis frater (aliis filius) ex Magiſtro Militiæ, quæ tempore anteceſſoris eius inceperat, de quo iterum infrà, & in ſerie Magiſtrorum Auiſienſium.

V.

MENDVS.

Mendus; ſub quo Alcobacia mater æquè fœcunda, Manzanariam, vulgò *Mazerandam*, ann. 1186. intra nouennium Ceizam etiam protulit, ſeu verius, adoptauit vtramque domum, cùm priùs diu vixiſſet ſub nigro habitu: atque vtramque poſt mortem Alphonſi Regis, qui ann. 1185 ſublatus fuerat, & ſepultus Conimbricæ ad S. Crucem, quod nondum Eccleſia Alcobaciæ conſtructa eſſet. Accepit tamen multa à ſucceſſore, Rege Sanctio primo, quæ etiam à Celeſtino Papa, qui ei ſuper his ſcribit, firmari fecit. Manſit Mendum, & filios in Alcobacia illuſtris planè exitus, felixque irrumpentibus Cœnobium Sarracenis, atque omnes martyrio coronantibus: *apud Rogerium Ovvedenium in Annal. an.* 1195. quod 3. Tom nos latius referemus.

V I.

FERDINANDVS II.

Ferdinandus, huius nominis ſecundus, cognomento *Mendez*, ann. 1197. nouis ad habitum Monachis admiſſis, pro his, qui in cælis glorioſi iam triumphabant, donationem à Sanctio & Dulcia Regibus, forte in gratiam tyrannorum factam, ſuſcipit. *Conſiderantes* (inquiunt) *multa, & bona ſeruitia, quæ nobis fecerunt D. Ferdinandus, & nepos eius Ferdinandus Gomez Monachi Alcobaciæ, &c.* Conimbricenſi Epiſcopo cum Portugalenſi litiganti Idibus Maij; & cum Canonicis S Crucis Conimbricenſis 3. Kalend. Iunij, ab Innoc. III. iudex datur, Pontificatus ipſius anno 1. qui incidit in Chriſti 1198. ſequenti ſuper hac eadem cauſa eiuſdem Innocentij litteras ſuſcepit, datas Laterani 3. Nonas Nouembris, Pontificatus eius anno 2. Sanctio primo Luſitaniæ Regi charus; cui & quaſdam penſiones relaxandi Conimbricenſi Epiſcopo, & Priori, & Conuentui ſanctæ Crucis author extitit, in die natalis Domini, Æra 1248. Quo anno ab eodem Rege deſignatur vltimæ ſuæ voluntatis executor: *apud Brandaonium lib.* 12. *cap.* 34. Et vna cum Archiepiſcopo Bracharenſi iuramentum ab Alphonſo filio ſuſcipit: accepta interim ſumma non vulgari ad conſtruendum xenodochium pro infirmis pauperibus, & Monaſterium pro ſacratis Deo Virginibus; vtrumque ſub ipſius viſitatione. Eodem anno, donationi, ab Alphonſo

phonſo Rege factæ Auiſienſi militiæ, ſubſcribit. Eidem multa, grauiáque commiſit Innocentius Papa III. & memoratur in cap. *Cum olim* 14. de priuilegiis. Et iterum cum aliis duobus Monachis eiuſdem Monaſterij: & habetur in cap. *Venerabili* 22. de verb. ſignif. Clarueruntt & ſub ipſo in Alcobacia viri illuſtres, Menendus, & Petrus, & qui Prioris officio fungebatur, nobis anonymus; quibus multa alia, & grauia, comiſiſſe, ex primo, & ſecundo libris Regeſtorum ipſius, eſt manifeſtum.

VII.

PETRVS I.

Petrus, dictus *Egeas*, electus anno 1215. ætatis 30. ingentis animi, nec minoris prudentiæ vir; quo naufragorum arma ſolicitante, qui caſu illuc appulerant vt olim Vlyſſippo, ſic tunc Alcobriga, vulgo *Alcazar do ſal* à Sarracenis expugnata legitur, anno 1217. Inſigne Monaſterium S Crucis apud Conimbricam, ſi Pontifex conſentiat, reformari ad Ciſtercium à Rege impetrat, an. 1220. Quo & Stellæ deſerto Monaſterio, iterum habitando Monachos mittit. Eccleſiam Alcobaciæ ante quatuor, & quadraginta annos inceptam, & ſumptuoſam domum illi contiguam, nullis impenſis parcens, conſummauit, & dedicari fecit, ann. 1222. per Aluarum Vlyſſipponenſem, & Egeam Conimbricenſem Epiſcopos. Sequenti anno 1223. Conuentum ex veteri Abbatia in nouam tranſtulit: in qua & funus Alphonſi ſecundi Regis, & Vrracæ Reginæ, triſtis excepit; cum Sanctus Pater, ob nondum conſummatam adhuc Eccleſiam, cum auo Alphonſo Conimbricæ accepiſſet ſepulchri locum. Fuit Petrus primus inter teſtamenti executores eiuſdem Regis: *Apud Brandaon. lib.* 13. *cap.* 26. Eodem anno compoſitioni Regis cum Archiepiſcopo Bracharenſi interuenit: *apud eundem lib.* 14. *cap.* 2. Sanctiam Reginam, & Sanctimonialem, dilectam filiam ante ſe in cælum præmittit ann. 1229. Petro ſcribit Honorius Papa III. & cum multa iniunxiſſet, tandem indulget, ne ipſi, aut filij eius Alcobacienſes, ad decidendas ſæcularium cauſas à proprio Monaſterio extrahi poſſent. Tandem cum 18. annis præfuiſſet, ſanctè obdormit, ann. 1233. ſepultus in capitulo cum aliis, ſed præ aliis diſtinctius memoratur.

ANNO AB INCARNATIONE DOMINI M.CC.XXXII. ÆRA M.CC.LXXI. DIE S. SPIRITVS INCIPIENTE AVRA XI. KAL. IVNII BONÆ MEMORIÆ DOMNVS PETRVS EGEÆ VII. ABBAS ALCOBACIÆ FŒLICITER MIGRAVIT AD DOMINVM, POSTQVAM SVPRADICTVM LOCVM XVIII. ANNIS, ET XI. MENSIBVS SALVBRITER GVBERNAVIT. VIXIT XVIII. ANNIS, IN SÆCVLO. XII. CÆTERIS IN ORDINE CISTERCIENSI. ANIMA EIVS REQVIESCAT IN PACE. AMEN.

VIII.

PETRVS II.

Petrus ſecundus, dictus *Gundiſalui*, vulgò *Gonzalez*, electus anno 1233. Alphonſo III. Regi eximiè charus, à quo multa obtinuit; necnon & à Gregorio Papa IX. Ei etiam, & Priori Alcobaciæ ſcribit Innocentius IV. Lugduni 9. Kalend. Februarij, Pontificatus ipſius anno 2. qui incidit in Chriſti 1244. & ſucceſſori pridie Idus Octobris, anno 8. Chriſti 1250. Paij Alphonſi, & Maioris, nobilium coniugum donationem acceptat anno 1253. addita clauſula: *Quod ego dictus Paius Alphonſi in Monaſterio de Alcobaca, & dicta vxor mea, Domna Maior, cum Dominabus de Coz, vel ſumpto habitu Ordinis, Vlyſſippone de Abbatis licentia poterit habitare.* Tandem cum annis 13. præfuiſſet, ſanctè obdormiit, an. 1246. ſepultus in capitulo cum tali inſcriptione.

ANNO DOMINICÆ INCARNATIONIS M.CC.XLVI. IX. KALENDAS MAII, BONÆ MEMORIÆ DOMNVS PETRVS GVNDISALVI VIII. ABBAS ALCOBACIÆ, FOELICITER MIGRAVIT AD DOMINVM. ANIMA EIVS REQVIESCAT IN PACE. AMEN.

IX.

EGEAS.

Egeas, ſiue *Egas*, electus an. 1246. cuius tempore, ex multis, qui florebant in Alcobacia, tenella adhuc familia S. Franciſci ſanctum virum accepit, Antonium nomine, clarum meritis, illuſtrem reuelationibus, cuius Annales ipſius mentionem faciunt ad annum 1248. Taraſiæ, Sanctij primi Regis filiæ, & ipſi olim Reginæ Legionenſi; mox humili Ciſtercienſi ſanctimoniali charus, vel inter paucos, reuelationum conſcius, & cuius creditur interfuiſſe glorioſo obitui, anno 1250. Nec multò poſt Mafaldæ ſororis eius, Caſtellæ olim Reginæ, Henrici viduæ, ſed vt creditur Virgini, cum idem inſtitutum non ſine inſigni opinione ſanctitatis per multos annos in Aroucæ Cœnobio, quod Ciſtercio acquiſiuit, profeſſa eſſet: nempe ab ann. 1224. vſque ad 1257. Idem Egeas, Alphonſum, huius nominis tertium, Alphonſi ſecundi Regis filium, Bononiæ Comitem, qui Sanctium cognomento Capellum, ob innatam ſocordiam regno expulerat, cum vno & triginta annos regnaſſet, excepit ſepulchro ad annum 1278. Sanctio poſt ſpolium defuncto apud Toletum, neque aſportato ad Alcobaciam funere, quamuis id teſtamento ſuo ſanxiſſet. Sed quis ſpoliato vel viuo obſequeretur? Excepit & Beatricem regni conſortem, Regis Caſtellæ filiam, quæ dotis nomine, Turdetanos veteres, vulgo *los Algarues*, non vulgare incrementum regno addiderat. Egeas ſexennio præfectura functus, deceſſit menſe Decembri, an. 1252.

X.

B. DOMINICVS.

B. Dominicus, cognomento *Martini*, electus an. 1253. Neque enim extincto anteceſſore menſe Decembris an. 1252. facilè potuit antea ſucceſſiſſe. Sanctitate conſpicuus vſque ad miracula; & cuius in antiquis monumentis tale extat elogium in Alcobacia. *Abbas hic fertur fuiſſe ſanctus, de quo celebrat alma Eborenſis Eccleſia.* Geſta viri, quo in cæleſtibus clariora, eò in terris occulta magis habentur: adeò, vt ne tempus, quo præfuit, nobis conſtet, aliquibus vnum tantum annum, imò vnum menſem, aliis 41. illi tribuentibus. Quippe in lapide ipſius ſepulchrali obiiſſe dicitur, Æra. 1291. quæ incidit in annum 1253. menſe Ianuario: quod ſi verum eſſet, vix vnum menſem tenuiſſe baculum poſſet. At in ſepulchro venerabilis Petri Alphonſi, cuius corpus ad ſacellum maius ipſe tranſtulit, viuere perhibetur Æra. 1331. quæ incidit in annum 1293. vt non minori, quàm quadraginta annorum interuallo, non ſolum diſtent ſententiæ, ſed inſcriptiones; concordandæ fortaſſis, aut ad paruum diſſidium reducendæ, ſi in propria S. Viri ſepultura Æram pro anno ſcriptam, quod Luſitanis frequens, exiſtimemus. Sed obſtant alia publica inſtrumenta, quæ anno 1277. ſucceſſiſſe iam Petrum teſtificantur. Mihi facilius inſcriptiones ipſas tranſcribere; reliqua aliis diſcutienda reſeruare. Petri Alphonſi inſcriptio ita habet.

HIC REQVIESCIT DOMINVS PETRVS ALPHONSVS, ALCOBACIÆ MONACHVS, FRATER DOMINI ALPHONSI, PRIMI REGIS PORTVGALIÆ, CVIVS LABORE, ET INDVSTRIA LOCVS ISTE CISTERCIENSI ORDINI FVIT DATVS, ÆRA M.C.LXXXV. QVO ANNO CEPIT REX ALPHONSVS SANTARENAM. QVEM DOMINVM PETRVM ALPHONSVM DE CLAVSTRO ALCOBACIÆ, VBI PRIVS FVERAT SEPVLTVS, DOMINICVS ABBAS TRANSTVLIT AD HVNC LOCVM IN DIE S. IOANNIS BAPTISTÆ. ÆRA M.CCC.XXXI.

Hæc ad Petri ſepulchrum ex Bernardo Brito. In B. vero Dominici Sarcophago pauciora ſcripta Brandaonius teſtificatur.

ÆRA. M.CC.XCI. VI. KALEND. FEBRVARII, OBIIT DOMINICVS MARTINI. X. ABBAS ALCOBACIÆ.

Dominico an ſucceſſori, ſcribit Vrbanus IV. apud vrbem Veterem, 4. Kalend. Decemb.

Pontificatus

Pontificatus ann. 3. Chriſti. 1264. Memoratur Dominicus Martini in Martyrologio 4. die Auguſti, vnde ad 27. Ianuarij transferendus. Dominico, vt apparet, præſidente, legitur viſitaſſe Alcobaciam, & reliqua cœnobia Luſitaniæ Michaël Diacius, Valliſparadiſi in Caſtella Abbas XI. niſi tabulæ fallunt, cum Monachis tranſmiſſis ex Claraualle; cuius rei inſtrumentum hodiéque extat in Tabulario Aroucæ ſub hoc initio. *Nos frat. Michael Diacius, Abbas Valliſparadiſi, &c.* Et concludit. *Datum ſub anno Domini* 1257. *tempore viſitationis, præſentibus Monachis Clarauallis, Ægidio, & Petro,* &c.

XI.

STEPHANVS I.

Stephanus, cognomento *Martini*, in catalogo Abbatum prætermiſſus, fortè quod, abdicatis infulis, mortuus non inter alios Abbates ſepultus fuerit. Regebat tamen Eccleſiam Alcobaciæ anno 1261. Quo tempore (incertum quam ob cauſam) ſimul Vlyſſiponenſem Eccleſiam adminiſtrabat: etenim in Comitiis Alphonſi Regis, Conimbricæ eo anno celebratis, poſt Epiſcopos immediatè ita ſubſcribit. *Stephanus, Abbas Alcobaciæ, Vicarius Vlixbonenſis in temporalibus, & ſpiritualibus, de mandato Domini Papæ.* Sacræ paginæ Cathedram, perpetuis temporibus legendam in Alcobacia, pro publica totius regni vtilitate (in quo nondum florebant ſtudia publica) inſtituit, dotauítque Æra 1307. quæ incidit in annum 1269. exemplo Regibus, quod ſtatim ſunt ſequuti. Eodem anno inuenitur nominatus Stephanus Abbas Alcobaciæ, & maior eleemoſynarius Domini Regis. Ei ſcribunt poſt annos adhuc ſex Gregorius Papa X. & Cardinalis Epiſcopus Tuſculanus: quorum præcepto Monaſterium Sanctimonialium ſub aduocatione Parentis Benedicti ad vrbem Eboram, inſtituendum, regendúmque ſuſcepit, litteris de his expeditis ſub hoc initio. *Frater Stephanus Abbas Alcobaciæ, & conuentus eiuſdem loci, &c. Datum Alcobaciæ* 4 *Idus Ianuarij Æra* 1313. Quæ incidit in annum 1275. Ceſſiſſe tamen breui poſtea, conuincitur, quando anno 1277. iam Petrum Nuñez habebat ſucceſſorem. Ipſe interim cum Rege Alphonſo manſit, deputatus illius confeſſionibus. Et anno 1279. moribundum abſoluit, cum prius ſe Eccleſiæ pariturum, nec quid detrectaturum promiſiſſet. Cuius inſtrumentum hodiéque extat in archiuiis Eccleſiæ Vlyſſipponenſis, ſub tali fine. *Facta ſunt hæc apud Vlixbonam in domibus dicti Domini Regis, die ſupradicta menſis Ianuarij, in Æra* 1317. *Qui præſentes fuerunt vocati à dicto Domino Rege: Domnus Stephanus, quondam Abbas Alcobaciæ, qui dictum Regem abſoluit, in dicto mortis articulo conſtitutum, &c.* Mox Rege mortuo priuatam vitam egit in Alcobacia: vbi tandem defunctus, in clauſtro iuxta ingreſſum Eccleſiæ ſepultus eſt, ſuprapoſita lapidi inſcriptione.

ÆRA M.CCC.XXII. XV. KALENDAS OCTOBRIS, OBIIT DOMINVS STEPHANVS MARTINI, QVI ABBATIZAVIT IN ALCOBACIA ANNIS XXV. ET IX. MENSIBVS, ET VIXIT IN ORDINE LI. LAVDABILITER, ET HONESTE.

XII.

PETRVS III.

Cedenti Stephano *Petrus* ſubrogatur, cognomento *Nuñez*, non multo poſt: quippe anno 1277. cum Regi Alphonſo rebelli aduerſus Eccleſiam mandata Pontificia intimarentur, inter proceres alios teſtes aſſiſtunt. *Petrus Abbas Alcobaciæ.* & paucis interiectis. *Stephanus Martini, quondam Abbas Alcobaciæ, cum aliis duobus Monachis eiuſdem Monaſterij.* Quin idem Petrus ad inſtantiam Apoſtolici legati, geſtorum, tum ab ipſo, tum à Rege, perhibet teſtimonium; *apud Brandaonium lib.* 15. *cap.* 42. Et poſt biennium, eundem Regem Alphonſúm, & iam, vt dicebamus pœnitentem, & abſolutum, ſepultura donauit in Alcobacia; vbi hodiéque ſepulchrum illius viſitur. Reliquit Alphonſus ædificando clauſtro Monaſterij Alcobaciæ tria millia marapetinorum auri, quæ tamen diu dilata, vt plerumque legata Regum ſolent, Petrus nihilominus aſſequutus eſt, protrahens præfecturam ſimul cum vita, vſque ad annum 1308. Quo Dionyſius Rex Alphonſi filius paternæ tandem voluntati obſequens ingens, & ſumptuoſum opus incepit 8. Idus Aprilis, vt habent tabulæ Eccleſiæ Alcobacienſis. Inde vſque ad annum 1311. quo menſe

Septembris, in die Sanctorum Prothi, & Iacynthi ſub eodem Abbate finem dedit. Quo ipſo anno, cùm Prioratus vacaſſet menſibus ſex, notatum lego in antiquo manuſcripto. *Pridie nonas Decembr. Dominus Apparitius, vir in diuinis ſcripturis eximiè doctus, & pietate conſpicuus à ſupradicto Abbate, cunctis fauentibus, in Priorem Monaſterij fuit aſſumptus.* Cæterùm, quod attinet ad clauſtrum Alcobaciæ, alibi lego conſtructum à Dionyſio impoſita ſibi pœnitentia *quod quoſdam criminoſos, ab Eccleſia extractos, occidi iuſſerit.*

XIII.

JOANNES I.

Ioannes cognomento *Martini*, ſub quo Dionyſius, Luſitaniæ Rex, ex bonis Templariorum militiam Ciſtercienſem inſtitui voluit, ſub fauſta Ieſu Chriſti aduocatione; & petiuit à Ioanne XXII. Pontifice Romano, obtinuítque: addita clauſula, ſeptima inter alias, quæ tam Magiſtrum, quàm Militiam vniuerſam Alcobacienſi Abbati ſubiiceret, in omnibus, & per omnia parituros in hunc tenorem. *In prædicto autem Ordine per nos, vt præmittitur, nouiter inſtituto, dilectus filius Abbas Monaſterij de Alcobaca Ciſtercienſis Ordinis, Vlixbonenſis Diœceſis; qui eſt, & erit pro tempore; viſitationis, & correctionis officium, tam in capite, quàm in membris, quoties expedierit, debeat exhibere: corrigens, & reformans in eo futuris temporibus, quæ correctionis, & reformationis auxilio indigere proſpexerit; quacumque licet Ordini Ciſtercienſi in Ordine Calatrauenſi; contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, &c. Datum Auinionij, Idibus Martij, Pontificatus noſtri anno* 3 qui incidit in annum Chriſti 1318. Primus Magiſter Ægidius Martini, ex Magiſtro Auiſij promotus authoritate Ioannis XXII. In Alcobacia florebat Bartholomæus, inde in Epiſcopum Algarbiorum aſſumptus. *Ex lib. 1. donationum Alcobaciæ fol.* 45.

XIV.

VINCENTIVS.

Vincentius, cognomento *Gerardi*, vulgò *Gerardez*, Odiuelas, inſigne Monaſterium ſacrarum Virginum Vlyſſipponem iuxta, ſub ſancti Dionyſij aduocatione, à Rege Dionyſio fundatum, atque in ſuam, & coniugis Eliſabethæ ſepulturam electum, Alcobacia relicta, an. 1295. inſtrumento ſubſcribens, altius dolet: lenientibus tamen curam ſanctimonialibus, æquè ſub ſignis Ciſtercij militaturis. Et potuit credi Dionyſius in principio, non tam ſibi ſepulchrum fabricare, quàm Mariæ filiæ, ibidem Deo ſacrandæ, habitationem. Ab ipſo tamen Rege multa accepit, neque pauca ab Alphonſo ſucceſſore; quamuis & hic, poſthabita Alcobacia, atque S. Dionyſio de Odiuelas, Vlyſſippone vita, & regno defunctus, in cathedrali illius vrbis Eccleſia, vnà cum Regina Beatrice ſepultus fuerit. Vincentius ipſe cum Abbate Ceizæ primum lapidem ponere iubetur in Monaſterio Ciſtercienſium Virginum apud Almoſter an. 1335. Nec multo poſt legitur præſediſſe generali capitulo, vt vocant, militiæ Ieſu Chriſti, atque electioni Magiſtri celebrandæ: *ex libro Magiſtratuum, Luſit. & ex lib. Alcobac. fol.* 3.

XV.

MARTINVS III.

Martinus tertius, aliis quartus, fœlicior in hac parte ſub Rege Petro, quo Regnum ineunte, inſignem fœminam, ſubæqualem fortuna; ſed dotibus tum corporis, tum animi, nulli inferiorem, Agnetem dictam de Caſtro, nimium ſibi dilectam heu! quondam coniugem, ſed violenter occiſam (zelo, an inuidia, quis audeat iudicare?) Conimbrica Alcobaciam adduci vidit apparatu ſuperbo; vbi & ratificatis poſt mortem nuptiis, quas cum viuente dudum contraxiſſet, & diademate regni illi impoſito, in ſumptuoſo ſepulchro corpus locauit, an. 1357. cum decederet ibidem ſepeliendus. Multa, dum vixit, Monaſterio contulit, inter quæ viſitur hodie calix aureus confectus *ex armillis, & iocalibus eiuſdem Agnetis, pro cuius etiam anima donauit Monaſterio Villam de Paredes.* Moriens multa legauit, Martinum ſemper habens inter chariores, quem etiam teſtamenti executorem dicitur inter alios reliquiſſe. Ipſe Martinus excepit Regium funus in Alcobacia; an. 1367. Quo & Petrus extinctus, in ſepulchro, quod ſibi præparauerat Agnetem iuxta poſitus, præſtolatur extremum iudicij diem.

XVI.

JOANNES II.

Ioannes, huius nominis ſecundus, dictus *Dornellas*, viſitator Generalis per Luſitaniam; *apud Brandaonium lib.* 10.*cap.* 32. & Ferdinando Regi, cuius etiam eleemoſynarius maior inſcribitur, Petri filio, inter chariores habitus (quamuis in morte, poſthabita Alcobacia, ipſe inter Franciſcanos ad vrbem Scalabim: vxor Valliſoleti in Monaſterio S. Mariæ de Mercede, Redemptionis captiuorum, ſepulti fuerint) in prælio celebri ad Alzubarotam Regi Ioanni adhærens, ex oppidanis, Vaſſalitio iure ſubiectis Eccleſiæ Alcobacienſi mille milites duxit propriis expenſis, ſub ſignis Monaſterij militaturos, anno 1385. Tum multis ſpoliis ab eodem Rege donatus poſt partam victoriam, cuius ipſe Ioannes magna pars fuit, cùm inter milites plura diuiſiſſet, ad Alcobaciam illuſtriora reportauit, quæ hodiéque ſeruantur, & perſeuerant. Victoriam Luſitani nunc in Deiparam, nunc etiam in Bernardum Parentem referunt, cuius opem Rex Ioannes flagitauerit, & ipſo in prælio viſibiliter expertus ſit; integra adhuc memoria in libro veteri, Alcobaciæ ſeruato, in quo hæc inter alia ſcripta leguntur. *Hunc librum donauit Dominus Ioannes primus Rex huic Monaſterio de Alcobacia, crucémque argentéam, & criſtallinam; & alia pretioſa quæque reperta in papilione Regis Caſtellanorum, ſancto Bernardo, prout in conflictu vouerat, dedicauit: quo die, feſtiuitatem eius celebraturus, quintum, poſt victoriam, diem ad hanc domum peruenit: publicéque pro corona regni ſui iurauit, ſenſiſſe ſe miram diuini auxilij præſentiam, dum in maximo periculo poſitus D. Patris noſtri Bernardi nomen, & auxilium, imploraret: Et iuxta tentorium Regis Caſtellanorum vidiſſe baculum erectum in aëre cum rubro paludamento. Donauit etiam ad ſeruitium huius Monaſterij multa alia vaſa ænea, & grandem caldeiram, &c.* Viſitur cacabus ingentis magnitudinis in clauſtro Monaſterij: nec de victoria, & ſpoliis dubium ſubeſt; ſed Mariam, aut Bernardum fauiſſe Ioanni, cum ius haud dubiè ſtaret pro aduerſario, non de facili audeam affirmare. Viſuntur adhuc in archiuiis Alcobaciæ multa, neque vulgaria priuilegia, Monaſterio indulta à Rege Ioanne, cum tam ab hoc Abbate, quàm ab eius ſucceſſore gubernaretur. Ioanni Dornellas Domino ſuo, & amico ſcribit Archiepiſcopus Bracharenſis Laurentius, longam epiſtolam, ſuper victoria, ad Alzubarotam parta, quæ hodiéque Alcobaciæ perſeuerat. Dicitur & Ioannes Dornellas conſummaſſe arcem Alcobaciæ, ſatis munitam: *apud Bernard. Brit. hiſt. Ciſt. lib.* 5.*cap.* 12. atque alia feciſſe memoria digna. Viuebat anno 1393. Quo, cùm ipſe non poſſet perſonaliter, Ferdinando Abbati Superadi in regno Galleciæ, & Petro de Cella, Alcobacienſi Monacho, committit viſitanda Monaſteria Ciſtercienſia per Luſitaniam, quæ ipſius correctioni ſubiiciebantur.

XVII.

STEPHANVS II.

Stephanus, cognomento *Martini*, quem ab aliquibus cum vndecimo Abbate confundi video, & nimium commendari ſub eius nomine. Sed neque illius notitia ſubeſt, nec quæ de ipſo dicuntur ſatis cum tempore valent concordari, quin temporis exigui Abbas probatur, ſi anteceſſorem ſucceſſori eius componas.

XVIII.

PETRVS IV.

Petrus, aliis *Marcus*, fortè vtrumque anno 1395. ſcribit Ciſtercienſibus Abbatibus, ſubſcribítque. *Fr. Marcus Domn. Abbas Alcobaciæ, eleemoſynarius maior Domini Regis. inſtrument. Alcobac. fol.* 42. Quem item titulum iterum præponit chartæ viſitationis, quam anno 1403. fecit in ſancto Dionyſio ad Odiuellas, extátque in tabulario eiuſdem domus. Cætera ignota, ſicut & ſucceſſoris: quippe inuoluta Ciſtercienſis occaſus tenebris.

XIX.

STEPHANVS III.

Stephanus de Guiat: quamuis in quodam manuſcripto Alcobacienſi, vitas, paſſionéſque Sanctorum Apoſtolorum continente, non Stephanus vocatur, ſed Ferdinandus, qui erat à Conſiliis Regis, & eleemoſynarius eius maior.

XX.

GVNDISALVVS.

Gundiſaluus, cuius mihi non alia notitia ſubeſt, niſi fortè ſit idem cum Ferdinando dicto *del Quintal*, qui anno 1425. 4. die Maij cum Petro, illuſtri Infante Portugaliæ, filio Ioannis I I. publicè tranſigit. Lego & in quodam Alcobaciæ manuſcripto Gundiſaluum, cognomento Cerreyra, Alcobaciæ Abbatem per hæc tempora.

XXI.

RODERICVS.

Rodericus, à Nicolao Papa V. creatus Viſitator Generalis per Luſitaniam, non ſolum Ciſtercienſium, ſed etiam Benedictinorum Monaſteriorum vtriuſque ſexus, ídque ad inſtantiam Alphonſi V. Regis; quod munus ipſe, atque eius ſucceſſores pro tempore exiſtentes exequerentur. *Dilecto filio Abbati Monaſterij Alcobaciæ, Ciſtercienſis Ordinis Vlyſſipponenſis diœceſis, nunc & pro tempore exiſtenti; quæcumque Monaſteria, ſeu loca regularia, tam virorum, quàm mulierum, SS. Bernardi, & Benedicti, Ordinum exempta, & non exempta, in dicto regno conſiſtentia, viſitandi, & de quibuſuis exceſſibus inquirendi, puniendi, corrigendi; & vbi exceſſus, & demerita id exegerint, à quibuſuis officiis, & dignitatibus amouendi, conſuetudines, ſi quæ damnoſæ fuerint, reformandi, euellendi; atque alias vtiles & ſtatuta noua plantandi, &c. Inuocato etiam, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis, plenam, & liberam authoritate Apoſtolica concedimus facultatem. Datum 4. Kalendas Iunij Pontificatus noſtri anno 6. Incarnationis verò Dominicæ an.* 1452. eiuſdem, an ſucceſſoris tempore, nouo orbe in Oriente detecto, ſubactóque per milites militiæ Ieſu Chriſti, ſub Abbate Alcobaciæ, ad inſtantiam Infantis Henrici eius Magiſtri, & nepotis illius, Alphonſi Regis, Calixtus III. militiæ eidem indulget, vt in toto illo tractu tantam, & talem habeat poteſtatem, quantam in ſuo Cœnobio de Thomar (quod caput Ordinis eſt) habere dignoſcitur ſub data 4. Idus Ianuarij anno 1458.

XXII.

NICOLAVS.

Nicolaus, anno 1471. ita ſubſcribit. *Nicolao Don Abbad de Alcobaza Eſmoler mor Do Rey*, & an. 1473. addit. *Et viſitator omnium Monaſteriorum, tam Ciſtercienſium, quàm Benedictinorum vtriuſque ſexus authoritate Apoſtolica.* Sed nihilominus cùm eius viſitatio non ſatis vtilis ipſa experientia magiſtra comprobaretur, & iam vigeret in vicino Regno Caſtellæ obſeruantia Hiſpaniæ, quam Martinus de Vargas, Petræ Monachus, ante quinquaginta annos inchoauerat; ad inſtantiam Ioannis ſecundi, Luſitanorum Regis, inſignis pietate, & doctrina vir, Petrus dictus Serranus, ex Monaſterio Petræ adductus eſt, ann 1482. qui Alcobaciam, & alia Ciſtercienſia cœnobia, in regno Luſitaniæ reformaret.

XXIII.

ISIDORVS.

Nominatur eleemoſynarius maior Regis, & viſitator Monaſteriorum omnium vtriuſque ſexus, ſub regula S. Benedicti militantium, in inſtrumento 6. Kalend. Maij, an. 1488. Eius tempore, necnon conſilio, & auxilio, initium ſumpſit Ordo Sanctimonialium, in honorem immaculatæ Conceptionis ſub Ciſtercienſium legibus, per illuſtrem Virginem Beatricem de Sylua Luſitanam, anno 1489. Eidem ſcribit Ioannes II. Rex epiſtolam, inſcriptam

inſcriptam in hunc tenorem. *Ao venerable Padre Iſidoro, Don Abbade de Alcobaza, de meu conſello.* Conimbricæ 29. Auguſti, an. 1491. viuebat anno 1504. Quo Rex Emanuel tunc recens inſtitutam Theologiæ cathedram Fratri Ioanni, cognomento Claro, Monacho Alcobacienſi, tanquam viro totius regni doctiſſimo, regendam tradit. Vlyſſippone 5. die Ianuarij 1504.

XXIV.

GEORGIVS I.

Senſit & commendarum peſtem Alcobacia, & vigeſimum quartum in ordine Abbatem Georgium, ſacræ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem, Luſitanum natione, dicitur habuiſſe commendatarium: nec quicquam aliud in ipſis Tabulis lego. *Dominus Georgius, Luſitaniæ Cardinalis commendatarius.* Et tamen per hæc tempora nullus omnino Georgius Cardinalis à Chaconio, aut Additionatoribus eius, commemoratur. Fuit ante plures annos Georgius quidam, natione Luſitanus, & Cardinalis, tituli S. Anaſtaſiæ à Fælice IV. aliàs Amædeo, Sabaudiæ Duce, Antipapa, creatus Baſileæ, anno 1440. Verum tam longa temporis intercapedine, nequaquam auſim eundem affirmare. Nec maior nobis de his rebus notitia, quàm Luſitanis, Alcobacienſibúſque Brito, & aliis, qui de eis confusè adeo ſcripſerunt, haberi potuit.

XXV.

GEORGIVS II.

Sequitur *Georgius* alius, dictus *de Melo*, qui non commendatarius, ſed ex Monachis electus fuiſſe putatur. Extat illius adhuc memoria duplex in Eccleſia Alcobaciæ, eius induſtria aucta, ornatáque, ann. 1514. altera in Monaſterio Sanctimonialium ad Vrbem Tauiram ſub inuocatione S. Mariæ de Pietate, ex annuis Franſciſcanorum Clauſtralium redditibus, cùm ſuæ regulæ obſeruantiam, & ſtrictiorem paupertatem profeſſi eſſent, primum pro Clariſſis conſtrui iuſſo, inde interuentu Epiſcopi Algarbienſis & propinquarum eius, ibidem ſacrandarum, Ciſtercienſibus tradito, ſub Abbatis Georgij & ſucceſſorum illius, viſitatione: & tertia tandem in alio Monaſterio Sanctimonialium ad oppidum *Portalegre*, quod ipſe conſtruxit, cum in Epiſcopum Guardiæ promotus eſſet, vbi ſepultus iacet ſuperbo tumulo.

XXVI.

ALPHONSVS.

Alphonſus ſequitur, Emanuelis Regis filius, S. R. E. Cardinalis, titulo S. Luciæ in ſeptifolio, vt habet Chaconius, creatus à Leone Papa X. anno 1517. Charitate in Alcobaciam Abbas, titulo Commendatarius, cuius ibidem extat talis memoria. *Anno Domini* 1540. *migrauit ab hac vita D. Dominus illuſtris Alphonſus Infans, filius Emmanuelis XIV. Regis Portugaliæ: qui cum Romæ Cardinalis fuiſſet tituli SS. Ioannis & Pauli, fuit Vlixbonenſis Archiepiſcopus, & Eborenſis perpetuus adminiſtrator: pariter & huius Cœnobij commendatarius. Cuius anima requieſcat in pace, pro tot, tantiſque beneficiis, quæ Alcobacia ab eo ſuſcepit: nam chorus ſuo tempore initium ſumpſit, & finem ad vſque perductus eſt: necnon & domus ſacraria hæc, vulgo ſacriſtia, ſuis diebus fuit conſtructa, & calix aureus, mirificè elaboratus. Studia quoque litterarum ipſe introduxit, & infirmitorium fieri iuſſit.* Monaſterio de Coz, hactenus informi, & veluti precario viuenti, annuos redditus in futurum aſſignauit, anno 1532. nec multo poſt, anno ſcilicet 1534. impetrauit à Paulo Papa III. vt Monachi Alcobaciæ, qui 22. annum attigerint, omnes ordines maiores etiam Preſbyteratum, valeant ſuſcipere, non obſtantibus decretis in contrarium. Viſitatores ex Monaſterio Petræ Bernardum dela Fuente, & Thomam de Langa, non ſolum pro Alcobacia, & Ciſtercienſibus, ſed & pro Benedictinis Abbatiis reformandis, adduxit, an. 1536. Demum multa alia, memoria digna, fecit, quæ hodiéque perſeuerant in Alcobacia. Sub ipſo Gundiſaluus de Sylua, Prior Alcobaciæ, ſeptem libros vitæ S. P. Bernardi Luſitanos fecit ex Gallis, ad inſtantiam Monialium de Odiuellas, circa annum Chriſti 1541. Quos poſtea inclyta Regina Catharina, Philippi Pulchri, Hiſpaniarum Regis, filia Ioannis III. Luſitani vxor, & Bernardo, Ciſtercióque addictiſſima, in bonum publicum vulgari procurauit.

XXVII.

XXVII.

HENRICVS.

Henricus, Emanuelis Regis filius, Alphonſi, anteceſſoris ſui, frater, S. R. E. Cardinalis, tituli SS. quatuor Coronatorum, vt habet Chaconius, creatus à Leone Papa X. an. 1546. cum Alcobaciam in commendam accepiſſet à morte fratris. Eccleſiæ Bracharenſis gubernaculis præfectus; Eborenſis, ac deinde Vlyſſipponenſis Archiepiſcopus: ſub Iulio III. & Pio IV. Luſitaniæ Legatus, & Regis Sebaſtiani primum tutor, mox in Regno ſucceſſor. Sed inter tot, & tam ingentes curas, functionéſque, Alcobaciæ ſupra omnes alias deditus, vt charitate in noſtros, non ſolùm Regulares æquaret, ſed anteiret, Ciſtercienſia Cœnobia vtriuſque ſexus in Luſitaniæ Regnis conſiſtentia, ad congregationem redegit: &, quò longius abeſſent à commendis, per Abbates Triennales adminiſtrari, & iure filiationum prorſus extincto, Abbati Alcobacienſi ſubeſſe, veluti Generali congregationis, à Pontifice obtinuit, anno 1500. ſeptem capitula, vt vocant, celebrauit, in quibus ipſe præfuit: tribus per ſeipſum anno 1567. 1572. & 1576. Quatuor reliquis per ſuos Commiſſarios. Collegium in Conimbricenſi Academia, celebri in Luſitania, pro Monachis totius congregationis *propriis ſumptibus* (ſic habent Bullæ Pontificis) *erigi, & ædificari curauit.* an. 1550. Et poſt quinquennium, Monaſterium S. Pauli, ex cuius redditibus dotaretur, illi vniuit. Illuſtrium ſororum, Taraſiæ, Sanctiæque, creſcentibus miraculis, canonizationem, vt vocant, ſolicitauit, de quo plures hodiéque eius extant epiſtolæ. Cùm Ioannem III. Luſitaniæ Regem, etſi in aliis propitium, tamen in abdicanda præſentatione Abbatis Alcobaciæ (quæ dignitas ſupra Epiſcopales ambiebatur) durum experiretur, diuiſit redditus poteſtatéſque: vt ſæcularia omnia, vrbes, portus maritimi, & ſimilia, aliáque cum parte redditutum, quæ ad duodecim millia aureorum ſummam pertingit; commendatario: Eccleſiaſtica, ſpiritualiáque, cum multo adhuc maiori reddituum parte, Conuentui cederent, per Conuentualem Abbatem adminiſtranda. Implenda ex tunc Bernardi prophetia, quam ante quadringentos annos prædixerat, in diuiſione reddituum Alcobaciæ, diuidendam à Luſitanis Coronam regni. Quippe ipſo Henrico, poſt Sebaſtiani mortem ſuccedente in regno, neque diu ſuperſtite, ad Philippum II. Hiſpaniæ Regem, indéque ad eius tranſiit ſucceſſores. Perlata fuit ad Henricum mors nepotis, atque ipſius in regnum eius ſucceſſio, Alcobaciæ exiſtentem an. 1578. Inde coronam accepit Vlyſſippone pluſquàm ſeptuagenarius, eóque breui in ſolio permanſurus. Vixit tamen biennio Rex, & Abbas, neque ideo minus Abbas, quia ſimul Rex. Sequenti anno 1579. Alcobaciæ Capitulum celebrauit, cui cum integrè aſſiſtere non poſſet, inſignem pietate virum pro ſe ſubſtituit, fratrem Guillelmum, dictum à Paſſione, cui omnes vices ſuas ſubdelegauit: in quo Capitulo, cum S. Pauli redditus Collegio Conimbricenſi non ſufficerent, Abbatia de Stella illi vnita, dotem eius adauxit, dum tertia adhuc Abbatia de Tomaraes eidem ſuſtentando deputabatur. Obiit Henricus anno 1580. ex quo cœpere Abbates triennales, per ſuffragia eligendi congregationis. Sub Henrico floruit Franciſcus cognomento Machado, Doctor Sorbonicus ex Monacho Alcobaciæ Abbas Tomarienſis cuius duo volumina extare contra Iudæos didici ex manuſcriptis Alcobacienſibus. Leguntur & quædam alia eius opuſcula, apud Bernardum Britum, quorum Henriquez, & alij meminere.

ABBATES TRIENNALES.

I.

LAVRENTIVS.

Laurentius *ab Spiritu ſancto*, ex Triennalibus primus, electus an. 1580. ſacræ Theologiæ Doctor, *apud Britum lib.3.cap.22.* & dignus, qui fundandæ nouæ fabricæ primus lapis ab aliis deſignaretur. Decretum fuit, vt Abbates generales alternis vicibus ex Alcobacia, & ex reliquis Cœnobiis eligerentur.

II.

I I.

GERARDVS I.

Gerardus, dictus *Do Rego*, electus anno 1583. vir æquè pollens zelo,prudentiáque; ſed qui terminum vitæ habuit prius, quàm muneris, intra biennium extinctus, non ſine lachrymis totius congregationis. Bernardus Britus Raphaelem à ſancta Cruce ſede vacante res adminiſtraſſe prodit.

I I I.

BERNARDVS I.

Bernardus, dictus *de ſancta Maria*, electus anno 1585. ſub ipſo floruit eximiæ pietatis, nec contemnendæ eruditionis vir, Chriſtophorus à Viſitatione: qui ſuper verbis, quæ legitur loquuta Maria Virgo, elegans ſatis volumen publicauit, cuius Poſſeuinus, & alij meminere.

I V.

GVILLELMVS.

Guillelmus, dictus *à Paſſione*, electus anno 1588. quem anno 1579. Capitulo Generali, ſub Henrico iam Rege, celebrato, præfuiſſe diximus. Philippo II. Luſitaniæ Regi charus, atque eius deſignatione, atque Apoſtolica authoritate viſitator, vt aiunt, Franciſcanorum, quos tertij Ordinis vocant in Luſitania: *apud Britum vbi ſuprà*.

V.

GERARDVS II.

Gerardus, dictus *à Plagis*, ſacræ Theologiæ Doctor, electus anno 1591. cuius tempore, à Philippo II. miſſi ex Caſtella inſignes viri Petrus de Villalobos Hortenſis, qui poſtea Generalis Caſtellæ fuit, & Lupus Legionenſis Vallis-paradiſi, Alcobaciam, & vniuerſam Luſitaniæ congregationem authoritate Apoſtolica viſitarunt. Impetrauit à Clemente VIII aureas litteras (atque, ô vtinam, ab omnibus ſeruandas!) ne quis per ſe, vel per interpoſitam perſonam, directè, aut indirectè, ſibi vel aliis, ſolicitet ſuffragia, quouis prætextu, pro capeſcendis Ordinis functionibus, ſub pœna excommunicationis, ipſo facto incurrendæ, ſoli Pontifici reſeruata abſolutione.

V I.

FRANCISCVS.

Franciſcus, dictus *à ſancta Clara*, electus anno 1594.

V I I.

Laurentius ab Spiritu ſancto, qui primus Triennalis; cum Alcobaciæ, & totius Congregationis præfecturam ſortitus fuerat, iterum electus an. 1597. Præfuit electioni eius atque capitulo Illuſtriſſimus Epiſcopus Conimbricenſis: & tantæ congregationis Zelum, doctrinámque, ac pietatem cum laude celebrauit. Inquiſitionem ſuper miraculis ſanctarum Sanctiæ, & Taraſiæ diligenter fieri iuſſit, & multa comprobauit. *apud Brandaon, lib.* 15. *Monarch. Luſit cap.* 10.

V I I I.

ALPHONSVS.

Alphonſus, dictus *à Cruce*, electus an. 1600.

I X.

PLACIDVS.

Placidus, dictus *à Spiritu Sancto*, electus anno 1603.

X.
ADEO-DATVS.

Adeo-Datus, dictus *ab Aſſumptione*, vir pius, ac feruens zelo Religionis, electus anno 1606 ſequenti 1607. Conimbricæ capitulum congregat in Collegio Conimbricenſi, deputaturus domum, in qua regula Parentis Benedicti cum Ciſtercij obſeruantiis ad amuſſim obſeruaretur. Et deſignatum Ceizæ Monaſterium, quod tamen iterum anno ſubſequenti in Manzanariam, vulgò *Mazeradam*, tranſlatum lego; nec conſtat, quem euentum res habuerit, hac tempeſtate exequi difficilior, quàm imperari.

XI.
ANTONIVS.

Antonius, dictus *à Conceptione*, electus anno 1609. Florebant hoc tempore ex Alcobacia duo inſignes Doctores inter complures, Bernardus Brito, Philippi III. Regis in regnis Luſitaniæ Archi-Hiſtoriographus, qui duos Tomos Monarchiæ Luſitanæ, à Luſitanis in admiratione habitos: effigies Regum Luſitaniæ, Chronicon Ciſtercienſe, libros ſex, lingua vulgari; Latinâ, Commentaria in Michæam Prophetam: & alia æquè erudita publicauit; & Franciſcus Carreyro, ſacræ Theologiæ in Academia Conimbricenſi publicus Anteceſſor, qui, vel docente ibidem Franciſco Suarez (noſtri ſæculi oraculo) inter primarios meruit numerari.

XII.
GEORGIVS.

Georgius, dictus *à Sanctis*, electus an. 1612. Cuius tempore inſignes haud dubiè viri, Ludouicus Bernaldo de Quiros, obſeruantiæ Hiſpanæ iam tunc Generalis emeritus, & in Salmanticenſi Academia Sacrorum Bibliorum publicus Anteceſſor: & Michaël de Sada, tunc Salmantini Collegij Abbas, mox Oliuæ perpetuus, ex Catholici Regis præſentatione: Luſitanam prouinciam viſitarunt; celebrato capitulo Conimbricæ, anno 1614. & multis in eo ſalubriter diſpoſitis ad incrementum illius congregationis. Georgius porrò cum multa diligentia ſuper miraculis ſanctarum Sanctiæ, Taraſiæque ſub venerabili Laurentio *à Spiritu Sancto*, cui fuerat à ſecretis, inquiſiuiſſet; ipſe rerum potitus, maiori cura inquiſitionem eandem continuauit; multa per ſe, per Frat. Antonium à Conceptione, qui tunc Conimbricenſi Collegio præerat, (poſt Luſitanæ congregationis Generalem) & per Fratr. Bernardum Britum, multa comprobans, quorum traſſumptum habuiſſe ſe teſtatur Antonius Brandaonius, lib. 15. Monarch. Luſit. cap. 10.

XIII.
GREGORIVS.

Gregorius, dictus *de Caruallo*, electus an. 1615. præſidente electioni atque capitulo, legato Apoſtolico, quem Luſitani Collectorem vulgò appellant. Quo tempore ædificari cœpit ſuperba fabrica apud Vlyſſipponem, regni caput, ſub aduocatione S. Mariæ exulis, fugientis in Ægyptum, vulgò *del Deſtierro*, quæſtibus totius congregationis: & impoſita Eccleſiæ temporariæ, dum permanſura ſurgat, imago Deiparæ, quæ, tum ſuæ familiæ, tum Regiæ vrbis feruenti deuotioni velut congratulans, miraculis frequentibus clareſcit, quæ in dies, dum populi deuotionem accendunt multiplicantur.

XIV.
REMIGIVS.

Remigius ab Aſſumptione, ſacræ Theologiæ Doctor, electus an. 1618. Quo & tranſlatio Parentis Bernardi à Clara-Valle in Auenionem, à Luſitanis authoribus recepta; ſed ignorata Gallis, noſtriſque, celebrari iubetur, 17 die menſis Maij, eius an anteceſſoris tempore, Beatiſſimæ Reginæ, Monialiſque ad Lourbanum Taraſiæ (ſicut & Sanctiæ ſororis) detectum ſepulchrum, poſt 400. annos, integrum corpus, fragrans, viuidúmque, gloriam animæ ſanctæ præſetulit.

XV.
ARSENIVS.

Arſenius, dictus *à Paſſione*, electus an. 1621.

XVI.

XVI.

DOMINICVS.

Dominicus, dictus *de Cabral*, electus anno 1624.

XVII.

FOELICIANVS.

Fœlicianus, dictus *Coëllo*, Doctor Theologus, electus anno 1627. Florebat Antonius Brandaonius, Doctor Theologus, Philippi IV. in regnis Lusitanæ Archi-Historiographus, qui duos tomos Monarchiæ Lusitaniæ, plena fide, & industria, Bernardum Britum sequens, publicauit: Abbas sanctæ Mariæ Vlyssipponensis, mox Alcobaciensis, & totius congregationis.

XVIII.

BERNARDVS II.

Bernardus cognomento *Atayde*, electus anno 1630. Neque vltra annum electioni suæ superstes, longiori licet imperio dignus esset, successorem accepit Stephanum Mimossum.

XIX.

STEPHANVS.

Stephanus Mimossus, qui anno 1533. quo nos res Alcobaciæ lustratum misimus prudentissimè, sanctissiméque, vt accepimus, congregationis, & Alcobaciæ res administrabat.

Explicit series Abbatum Alcobaciæ.

SERIES ABBATVM ECCLESIÆ REGALIS SANCTÆ MARIÆ DE HORTA.

I.

RADVLPHVS.

EX Ecclesia Berdonarum de linea Morimundi (Sancto Patre Bernardo adhuc superstite, & duobus Raynaldis præsidentibus, altero Cistercij, Bernardi filio, altero Morimundi, secundùm carnem Tullensis Comitis fratre) ad Hispaniam cum Conuentu suo transmissus, locum de Cantabos in finibus Castellæ, ab Imperatore Alphonso dono accepit Æra 1189. salutis anno 1151. Hortam ad quinque millia passuum distantem emit (pretio, vt creditur ab Imperatore accepto) an. 1152. quo & Monasterium, atque vtramque possessionem ab Eugenio III. confirmari, & sub protectione Apostolicæ Sedis recipi impetrat. Obiit circa annum 1156. opinione Sanctitatis illustris, ac Menologio Cisterciensi adscriptus ad 27. diem mensis Iunij.

II.

BLASIVS (aliùs Belascus.)

Electus anno 1156. Post biennium 1158. defuncto Imperatore, confirmationem loci, bonorúmque, ab eius filio Sanctio, & quædam alia suis indulta impetrat mense Februario: intra bimestre, offerente Sanctia matre, S. Martinum ad habitum admittit, & cum eo pinguem hæreditatem, dictam *de Boñizes*, ad tres leucas distantem à Monasterio. Quibus incrementis auctus, atque importunitatē loci considerans, Conuentum transfert de Cantabos in Hortam anno vt creditur, 1162. Ei scribit Alexander Papa III. multa Hortæ indulgens Datis Senonis 7. Kalend. Octob. an. 1164. Demùm plenus dierum sanctè obdormit eodem anno. Menologio adscriptus ad 25. diem mensis Martij.

III.

S. MARTINVS I.

In Cantabos admissus, Hortæ eligitur an 1164. Biennio post 1166. Monasterium intra fines Castellæ situm, atque à Castellæ Regibus fundatum, sub protectione nihilominus Regum Aragonẽsium suscipit, & multa ab eis priuilegia impetrat. Sequenti 1167. filiorum numero auctus, Arandelam, opportunum satis locum, nouæ Ecclesiæ fundandæ, de manu Hermesendis, Amalrici, Narbonæ Ducis filiæ, hæredísque; atque vi i Amalrici, Molinæ Comitis, cum sponsione pretij; ad constructionem domus acceptat: & multa alias aliorum donationes ex Regnis Aragonum, Nauarræ, Castellæque; ea solùm petita conditione, vt Hortæ inter Sanctos, qui ibidem morabantur, sepelirentur. Amalrici Hermesendis prædictæ viri corpus, ante annum defuncti, Hortæ deponit; aut transferendum in nouum Monasterium, si construatur, aut ibidem cum coniuge mansurum. Sequenti anno 1158. Cum Ioanne Episcopo, & Capitulo Oxomensi componit super decimis de Boñizes, & Clerico ab Abbate ibi instituendo. Nec multò post, anno 1169. confirmationem translationis domus, per Blasium factæ ab Alphonso, Castellæ Rege, Imperatoris nepote, firmari, atque terminos Hortæ præscribi, & Regio priuilegio muniri facit. Hermesendis donationem *de Arandelá*, quod filiis inconsultis facta esset, fortasse minùs firmam, ab Amalrico, Petróque Comitibus, illo Narbonæ, hoc Molinæ (quæ hodie ditiones in Reges Franciæ, & Hispaniæ transiere) confirmat, an. 1172. Quo & ab Alphonso illustri Castellæ Rege, possessione opima *de Esteuilla*, donatur. Sequenti verò 1173. ab eodem Comite Petro medietate Salinarum de *Terceguela* propè Molinam: & pòst biennium 1175. integro puteo salinarum ad Augustobrigam, vulgo *Medina Cali*, ab Alphonso, Castellæ Rege; quarta parte concessa mense Maio, reliquis tribus Iulio subsequenti. Quo ipso anno, exemptionem decimarum de eisdem Salinis à Ioscelino Episcopo, & capitulo Seguntinæ Ecclesiæ obtinet; & super decimis frugum, & vinearum cum eisdem componit, tribus marapetinis constitutis, ab Horta persoluendis per annos singulos in die S. Martini; quos vsque hodie Seguntina Ecclesia percipit Eodem anno S. Martini frater Munius Sanctius summam auri, nec modicam; & vicesimam partem bonorum omnium, quæ siue in bello ab hostibus, siue in pace, largitate Alphonsi Regis acquireret, in fabricam dormitorij largitus est, quæ inde sumptuosa surgere potuit. Subscribunt autem chartis circa hunc annum Bonus homo Prior, Vitalis Supprior, Arnaldus Maior domus, Armenius Cellerarius, Saturninus Sacrista, & Senior Cantor. Anno 1176. legitur composuisse cum vrbe Soria (Antiquis Numantia) super quibusdam obortis quæstionibus: atque ab Alphonso Rege exemptionem omnimodam tam pro pascendis gregibus, quàm pro asportandis quibúsque necessariis, vendendísque, aut emendis, Hortæ impetrat. Sequenti anno 1179. Alphonsus Rex, Aleonoráque Regina, Hortam adeuntes, nouæ fabricæ effossis fundamentis, primum lapidem cum Abbate Martino ponunt; largita insuper pingui dotatione pro complemento operis; & Regia, tum pietate tum largitione, instrumento firmatis, sub hoc initio. *Ego Alphonsus, Dei gratia, Rex Castellæ, & Toleti, &c. vnà cum vxore mea Aleonor Regina, facio Monasterium sanctæ Mariæ de Horta, & pono primum lapidem in fundamento, & Abbas Martinus mecum: & vt hoc Monasterium plenissimè compleatur, dono, & concedo, &c. Facta charta apud Hortam Æra* 1217. *anno* 3. *ex quo idem serenissimus Rex Alphonsus Concham cepit.* Eodem anno Martini frater Munius ex acquisitis in prælio iuxta Valeriam (quæ & ipsa ab Alphonso Concha dicitur) possessionem opimam fratri dedit, *de Albaladejo* dictam, iuxta factam Cœnobio promissionem. Nec multò pòst, anno nimirum 1180. Alphonsum, inclytum Aragonensium Regem, venientem ad Hortam, atque in capituli medio constitutum, in fratrem primùm; mox ab ab eo priuilegia noua suscipit, Biennio elapso, an. 1182. decimarum exemptionem, compositionémque, sub Ioscelino indultam, ab Alderico illius successore, atque vniuerso Seguntino Clero confirmat. Tum post triennium, 1185. ipsius matre Sanctia adhuc viuente, quasi parum ex Patre, parum à fratre Munio, Horta accepisset, maternam hæreditatem diuidi curat; quæ partita inter fratres, nobile pagum, *de Albalate* dictum, possessionibus Hortæ superaddidit; confirmante eodem anno partitionem Capitulo Oxomensi (incertum quam ob causam) nec multò pòst Alphonso, Castellæ Rege. Quo item anno vtrique Alphonso charus, atque æquè vtrique regno gloriosus, in Episcopum Seguntinum promotus est, communi omnium, ad quos electio pertinebat, acclamatione.

MARTI

MARTINVS EPISCOPVS SEGVNTINVS.

Sacratum Rex Alphonsus inter chariores, & primos regni habuit, quo præ aliis frequenter vteretur. Eius interuentione multa nostris; sed Quintanasuatensibus præcipuè, atque Ouilensibus, fertur indulsisse. Construendo Huelguensi Monasterio (Regiæ potentiæ ostento in vrbe Regia) ab ipso præfectus anno 1187. sacrarum Virginum Monarchiam in eo fundat, Cistercij per omnia æmulam: & capitulo prouinciali Sanctimonialium (fortè primo in orbe) ibidem celebrato assistit anno 1189. Quo item anno à Clemente Papa III. aduersus Clericorum percussores indultum impetrat: quod post corpori iuris insertum est in cap. *Peruenit.* 2. de Testibus cogendis. Eodémque insignis virago Sanctia, eiusdem mater è viuis excessit: Hortæ ab ipso sepulta in cæmeterio retro altare maius, cum Pater ad sanctum Dominicum Silanum conditus esset. Biennium post 1191. inter Seguntinam, Ouilensémque Ecclesias, acriter litigantes, pacificè componit: & multa eidem Monasterio donat. Demum anno 1194 ingenti donatione præmissa loci *de Algondron*, exuens Pontificem, reuertitur, in Hortam, parentaturus matri, & vitæ reliquum in quiete peracturus.

MARTINVS EXEPISCOPVS.

Superuixit abdicationi suæ Martinus annos 19. exteris admirandus, & reuerendus; Hortensibus imitandus magis, amandúsque, quem sibi in vitæ, morúmque exemplar, & virtutum subsidium omnes proponerent. Anno 1197. à Petro Aragonensi, recens rerum potito, visitatur; ab Alphonso Castellæ longè frequentiùs: sed frequentissimè à Roderico Ximenio, mox Toletano Præsule, & iam tunc specimen futuræ dignitatis præseferente: qui Martinum, vt Patrem, vt Magistrum, & propter eum Hortam, Hortenséſque, ab ipsis rudimentis prosequebatur. Anno 1206. Munionem, siue Munium fratrem Hortæ condidit. Et tandem ipse post alios septem annos, dum ex Ouila ad Hortam reuerteretur, media via decessit, sequutis signis, quæ statim eius gloriam manifestarunt. Corpus ad Hortam cum lachrymis deductum, atque in maiori sacello, veluti corpus Sancti, sepultum est iuxta aram maximam: vbi ab anno 1213. vsque ad 1560. per 348. integros mansit. Cæterùm prædicto anno 1560. crescente ex signis filiorum deuotione, reseratum sepulchrum, & corpus incorruptum inuentum, fragránsque, sed acephalum tamen, in loco eleuatiori est collocatum, ad latus Epistolæ, in quo hodie perseuerat. Caput ministerio Angelorum à multo tempore ad Seguntiam delatum, vt magni Sacerdotis, qui ad illam Ecclesiam pertineret, traditio est; ipsa inuentione corporis acephali altius radicata cunctorum animis. Et Seguntiæ celebratur festum illius Pontificis, cuius caput obseruant, ad diem 5. Maij; qua etiam in Martyrologio Romano commemoratur: nec facilè assignatur alius Sacerdos, cui caput illud possit adaptari. Redeo ad Abbates.

IV.

ARMENIVS.

S. Martinum in Episcopum promotum excepit *Armenius* anno 1185. ille nimirum, qui sub Martino Cellerarium agebat. Ei scribit Clemens Papa III. Laterani 7. Idus Iulij an. 1188 atque inter cæteras possessiones Hortæ confirmat. *Boñizes, & Albalate cum pertinentiis suis, sicut venerabilis frater noster Martinus, quondam Abbas vester, de patrimonio suo eidem Monasterio noscitur contulisse.* Tum omnia, & singula concessa Cisterciensibus, specialiter & expressè, Hortæ indulget. Nec dissimiliter Celestinus III. ad eundem Armenium, datis Laterani, nonis Nouembris, anno 1191. Eius tempore, sancti Martini mater, Hortæ sepulta, & confirmata donatio Munionis fratris ad vrbem Valeriam, priuilegio Alphonsi, Regis Castellæ: vtrumque ad annum 1189. Demum plenus diebus nec vacuus meritis ad Patres suos apponitur. an. 1192 vt creditur. Sepultus in Capitulo: sed sine vlla notitia sepulturæ; sicut neque antecessorum, præter Martinum.

V.

GERARDVS.

Gerardus, sequitur trium tantùm annorum Abbas: neque alia re illustris, nisi quod anno 1194. Sanctum Martinum abdicatis infulis, &, quam tradiderat Cœnobio, possessio-

nem, dictam *de Algondron*, 1 …uerenter, gratantérque suscepit. Curauítque confirmari partitionem, ipsum inter, & fratres suos factam, Regio Alphonsi diplomate. Facta charta apud Agredam Æra 123;. quæ incidit in annum 1195. quo & Gerardus ipse migrasse creditur.

V I.

SEMENVS, siue, *EGIMENVS*.

Illustrior *Semenus*, siue, *Egimenus*, notiórque, electus anno 1196. Quo & cum Garsia Episcopo, & Capitulo Turiasonensi componit super decimis: ídque ad instantiam Alphonti Aragonensis, cum morti appropinquaret, affectuosissimè commendantis Garsiæ Hortam. Amplissima exemptio concessa est pro vno marapetino, annuatim in die omnium Sanctorum persoluendo. Sequenti anno 1197. à Petro, nouo Aragonensium Rege, cognomento Catholico, visitatus, rogatúsque eundem in familiarem, & fratrem Hortæ suscipit, expedito instrumento sub his verbis. *Notum sit omnibus, qualiter ego Petrus Rex, &c. veniens ad Monasterium de Horta, ab Abbate Egemento, & cunctis fratribus, in eorum societatem, & participationem, in Capitulo eorum receptus sum, tam ego, quàm omnis generatio mea, per sæcula cuncta, &c.* Biennio post 1199. quæ tunc non aduenisset, Regina Sanctia, Hortam & ipsa visitat, occurrentibus illi Castellæ Regibus cum omni sua curia; quod hodiéque testatur priuilegium, Semeno ipsi indultum, vetera nouis cumulans: *Facta charta in Monasterio de Horta Æra 1237. ea die, qua ego supradictus Rex Alphonsus, & filius meus Fernandus, & vxor mea Eleonor, & Domina Sanctia, Aragonensium Regina, in simul fuimus in prædicto Monasterio.* Sequenti anno Christi 1200. consummato fortassis dormitorio, vel aliàs consummādo Regiis expensis, quo se Munioni gratum exhiberet, hæreditatis acceptæ iuxta Valeriam fructus sponte obstringit donatoribu, quandiu viuant ab ipsis possidendos. Eodem anno, quibusdam super dubiis cum B. Verolæ Abbate componit: sequentíque à Claro Hispaniæ lumine, Roderico Ximenio, promissionem acceptat, instrumento, firmatam, quod Hortæ & non alibi, etiam si eum episcopari contingat sepeliretur. Et subsequenti 1202. illustrem Comitem, Petrum Manriquium, à quo tot, ac tanta cœnobium accepisset, cum nouum aliud apud Arandelam non fundaretur, Hortæ sepelit; vbi & iacet cum vxore sua Sanctia, Garsiæ, Regis Nauarræ, filia, & Roderici cognomento *Cidis*, nepte, inciso lapidi epitaphio breui, quod Petrum memorat.

LVX PATRIÆ, CLYPEVS POPVLI, GLADIVSQVE MALORVM
SVB PETRA PETRVS TEGITVR COMES INCLYTVS ISTA.
OBIIT IV. IDVS IVNII ÆRA M. CC.XL.

Vixisse creditur Semenus anno altero: & tandem 1203. à fundatione Hortæ 52. suæ præfecturæ 8. nondum completo, præsentem vitam cum morte commutasse.

V I I.

BERNARDVS I.

Bernardus huius nominis primus subrogatur Semeno, anno 1203. Fælici præfectura functus magna ex parte, cui Martini, per decennium ferè superstitis, neque exempla deessent, neque consilia Anno 1206. eiusdem sancti fratrem Munium sepelit. Multa obtinuit ab vtriusque Regni principibus, Alphonso, Petróque: quin à Iacobo Magno, Petri filio: atque (ipso in puerili adhuc ætate nondum maturo sceptris) à Ferdinando patruo, ex Monacho Cisterciensi Populetano, tutore nepotis, atque totius Regni procuratore. Bernardi præfecturam (dum funestat) illustrat, & coronat sancti Martini mors, Hortensium omnium Patris, atque cunctorum incrementorum Hortæ originis, qui ex hac vita fæliciter migrauit anno, vt diximus, 1213. quo & miraculis cœpit coruscare. Sequenti anno Alphonsi fundatoris Regis mors Hortensibus præ aliis acerba fuit; destitutis clarissimo patrono, potentissimóque, neque ditandis exuuiis illius corporis. Credendus tamen Bernardus adiisse Burgos, & procurasse funus: quod nec si viueret Martinus, omisisset. Bernardus ipse protraxisse vitam creditur ad annum 1217.

VIII.

VIII.

GVNDISALVVS.

Gundisaluus (qui & *Ioannes* in aliis instrumentis nominatur,vt credam facilè Ioannem Gundisalui iuxta morem Hispaniæ dictum fuisse)subrogatur Bernardo,anno 12 7 Cuius tempore Comes alius Petrus Manrique, præcedentis propinquus, impetrata ab enormis magnitudinis, neque inæqualis roboris Saraceno, victoria (Zafra viro nomen) ad sanctæ Virginis Hortensis inuocationem;cum multa Monasterio contulisset,inter quæ turrim celebrem,Sarraceni illius olim, quæ hodie vulgò *del Monge*, nuncupatur: tandem defunctus,Hortæ sepelitur anno 1232. consepulta vxore post annos aliquot: sed iussa inde amoueri per Alphonsum,quod, post mortem mariti minus castè vixisse credita esset. Et patuit vacuum sepulchrum per multos annos, quoad vsque Carolus V Imperator, cum Hortam aduenisset,reduci iussit,quasi iam satis pœnitentiæ datum: & separata à viro publica nota vltra trecentos annos,aut purgasset infamiam aut vel conuicta peccatum luisse posset. Eodem anno, Monasterio obligato pro multis debitis, à Venerabili D Episcopo Placentino, florenos mille accepit, tradita interim ad Valeriam vrbem Grangia dicta *de Albaladejo*, ipsius vsui cessura quandiu viueret; instrumento confecto Hortæ in die S.P.Benedicti an. 1223. & confirmato per Abbatem Berdonarum triennio post, cum idem Abbas Hortam authoritate paterna visitaret. Curauit confirmari priuilegia à Ferdinando, cognomento Sancto, Castellæ Rege, & noua quædam ab eo etiam obtinuit an 1225. Demum,cum decem annis præfuisset,obiisse creditur an. 1227. vltra quem nulla extat eius memoria.

IX.

BERNARDVS II.

Bernardus, huius nominis secundus, electus anno 1227. & longa præfectura vsus fœliciter,intra quadraginta annos, quibus præfuisse legitur(quantumuis & hoc aliqualiter suspectum, interpolante Petro, qui anno 1243. commemoratur) Hortensem Ecclesiam eximiè dilatauit. Rodericum Ximenium, iam dudum Toletanum Archiepiscopum, Hispaniæ Primatem habuit inter charissimos, à quo & antiquum Cœnobium Bonifontis, Canonicorum Regularium olim, ex tunc tradendum Cistercienfibus Virginibus sub Abbate Hortensi, à iurisdictione diœcesani exemptum,atque interuentu Reginæ Berengariæ Regium effectum; anno 1241. per manum Abbatis Morimundi & iterum 1243. per Sanctiam Comitissam; Bliecos iuxta Boñizes insigne pagum, cum aula permagnifica, anno 1244. atque eius interuentu sequenti anno decimationes eiusdem loci,liberas; mox ipso Præsule in fata concedente, quod maius cunctis, sanctum eius corpus, quod dicitur miraculis claruisse; & Bibliothecam, refertam pluribus libris, cum ipso suæ prototypo historiæ, propria manu exarato, anno 1247. cum aliis duorum Martyrum corporibus, quæ ab vrbe adduxerat, accepit: accepturus & plura, si, præter se, præter libros, præter Sanctos, præter Ecclesias,præter possessiones, aliud habuisset ille,quod posset tradere.Roderici corpus, non secus ac Martini statim occupauit sacellum maius,clamantibus miraculis,velut Sancti in Ecclesia sepeliendum.Nunc eleuatius sepulchrum eius cernitur intra ferreos crates, ad latus Euangelij, carminibus appensis de eius vita, qualia etiam Martinus appensa habet; atque hoc epitaphio illis subiecto.

CONTINET HÆC FOSSA RODERICI CORPVS, ET OSSA:
DE CVIVS MORTE SOLI BENE CONTIGIT HORTÆ.
PONTIFICVM GEMMA, TOTIVS GLORIA GENTIS,
LAVS,DECVS HISPANIÆ,VERVS FONS,ARCA SOPHIÆ.
ET PIVS, ET MITIS, CVNCTIS VBERRIMA VITIS
EXTITIT ALVMNIS; CARVIT SVA VITA CALVMNIIS.
MATER NAVARRA, NVTRIX CASTELLA, TOLETVM
SEDES, PARISIVS STVDIVM, MORS RHODANVS, HORTA
MAVSOLEVM, COELVM REQVIES, NOMEN RODERICVS.

ANNO DOMINI M.CC.XLVII. OBIIT ARCHIEPISCOPVS TOLETANVS IV. IDVS IVNII.

Hinc corrigendus venit Mariana, atque alij authores, qui mutilum, & mancum hoc ipsum donant. Hæc incrementa Hortæ sub Bernardo ex Roderico Ximenio Toletano: ab aliis non exigua: licèt cuncta minora esse putamus. Iacobus Rex quinquaginta Alfoncinos aureos Monasterio concessit anno 1242. ad Bilbilim annuatim percipiendos: nec multo post insigni donauit oppido, Turri pulchræ illi nomen, vulgò *de Torre hermosa*, altero ab Horta lapide, sed intra terminos Aragoniæ sito; quod pleno iure Abbati subiectum esset: quin & habitatores eiusdem oppidi exemptos esse voluit, quò plures confluerent; neque vnquam in desertum redigi posset. A Ferdinando, & Alphonso Castellæ Regibus, plura an. 1250. 1255. & 1260. Ab Episcopo, & Ecclesia Seguntina noua alia iura, & nouam decimarum exemptionem cum integra Ecclesia ad Alcardenchem obtinuit, ann. 1265. Demum, si solum Martinum de medio tollas, non vllus alius præfuisse hactenus legitur, sub quo tanta incrementa Horta habuerit. Monasterium Bonifontis, Monialibus ex Casuis adductis, primus instituit, iuxta Capituli generalis factam per Abbatem Pontigniacensem ordinationem, an. 1246. cùm priùs illud vacuum habitatoribus per manum Abbatis Morimundi susceptum, quinquennio administrasset, ac cuncta necessaria præparasset sacris Virginibus. Illustrauit & eius præfecturam, omni cum reuerentia nominandus, Garsias de Vera, genere clarus, opibus prædiues, in armis strenuus; & qui Iacobo Regi diu militans, ingentes triumphos comparasset ex Saracenis. Sed nihilominus maiores ex seipso, difficilioresque, quinquaginta annos natus, Monachum induens, militiam sæcularem spirituali; & sanctam vitam anteponens deliciis sæculi an. 1255. Iacet in tumulo eleuato è terra ad ostium capituli versibus exaratis, qui virum memorant.

HÆC METRA GARSIÆ DE VERA SCRIBERE CONOR,
PER QVEM CREVIT HONOR EQVITVM, CVLTVSQVE SOPHIÆ.
MAGNANIMVS MAGNIS FVIT, ET FERVS HOSTIBVS HOSTIS,
ET VELVTI NOSTIS, VT LEO, PLACABILIS AGNVS.
CONSILIO FRETVS PACIS, VEL TEMPORE GVERRÆ,
ASPERA PRÆFERRE DIDICIT, VEL PROSPERA LÆTIS.
HORTA VIRVM TALEM, TANTVM, PROCVL EXVLE SORDE.
COMPVNCTVM CORDE, CVLTVM TVLIT AD MONACHALEM.
RVGIT IN HAC TVMBA LEO TRVX, ET BLANDA COLVMBA.
TRVX LEO LASCIVIS, SED BLANDIS VTPOTE CIVIS
ERGO TVVM FILIVM DIGNARE PIA VIRGO EXORARE,
NE SE TERRENTEM, SED PIVM LEO SENTIAT ISTE.

Bernardi tempore, Hortæ conuenere Iacobus primus, Ferdinandúsque, Aragonensium, & Castellæ inclyti Reges: *apud Hieronym. Zoritam in Indicibus, ad ann.* 1234. Necnon & sepulturam Hortæ accepit illustris Amalricus, Molinæ Comes, & Narbonæ Dux, Comitis Petri, & Infantis Sanctiæ filius, Garsiæ, Nauarræ Regis nepos, & Roderici, cognomento *Cidis*, pronepos; qui obiit ann. 1245. Accepere & illustres Einojosoz, S. Martini propinqui secundum carnem; Martinus Pater, & duo illius filij, qui post multas victorias, partas à Saracenis sub Ferdinando Rege, atque constructam ex earum trophæis in ipso Monasterio ingentem fabricam (cui nulla, vt puto, in Hispania tota similis) ad refectionem fratrum; tandem in prælio super stragem hostium, ab ipsis occisorum, ceciderunt & ipsi, omnes tres simul, anno 1250. memoriam sui cum laude, & digna imitatione, mandantes posteris. Hæc sub Bernardo. Ipse verò quadraginta annis expletis in præfectura, inter manus filiorum expirauit, an. 1267. præmium laborum in cœlo recepturus. Atque hæc quidem omnia, vt in se certa; sic de Bernardo dubia: nam Bonum-fontem; non ei, sed Petro traditum, instrumenta confirmant, vt coniectari liceat, duos Bernardos, inter quos Petrus Hortam gubernauerit, hos quadraginta annos impleuisse. Sed coniectari tantùm; non affirmare.

X

PETRVS I.

Bernardo successisse constat *Petrum*, cognomento *Liquetium*, anno 1267. quo Reges Aragoniæ, Castellæque, Iacobus, & Alphonsus socer, & gener, Hortæ conueniunt. *apud Antonium Beuter lib. 2. cap.* 50. Nec dedignati hospitium, & loci sanctitatem amplexantes,

biennio

biennio post an. 1269. præsidente eodem Petro, Iacobus perrecturus in Syriam, Hortam repetit, imploraturus fauorem Virginis Matris; & Reginæ Violanti, atque nepotibus, vale ibidem facturus ante discessum: *apud eund. cap.52.* & *Marian.lib.13.cap.18.* Et creditur concessum orationibus Sanctorum Monachorum, quod Rex traiicere, vt voluit, non potuerit: *apud Beuter. suprà.* si traiecisset, haud dubiè periturus. Post quadriennium, anno 1273. illustris Ferdinandi Regis signifer, vulgò tunc *Señalero*, hodie, *Alferez mayor*, Nunius Martini, post multa, & illustria facinora, patrata sub Ferdinando & sub filio eius Alphonso, in senecta bona tandem mortuus, Hortam deductus, ibidem sepultus est in claustro capituli, ferè è regione Narbonæ, & Molinæ Principum. Petro Liquetio Iacobus Aragonius, & Alphonsus, Castellæ Reges, scribunt, & priuilegia indulgent, anno alter 1274. alter 1279. Ipse verò 16. annis exactis in præfectura, aut decessit, aut cessit (neque enim constat) anno 1283.

X I.

ALVARVS II.

Aluarus, cognomento *de Leon*, subrogatur eodem anno Petro, breuis Præsul, quippè sublatus anno 1285. cum biennio, nec vltra, tenuisset clauum: neque aliam hactenus notitiam eius inueni.

XII.

PETRVS II.

Aluaro Petrus, huius nominis secundus, cognomento *Peretius*, suffectus est, an 1285. Biennio exacto, duos intra menses, à Sanctio Castellæ, Alphonsi filio, tria priuilegia obtinet; primum in Almazan, sexto lapide ab Horta, Aprilis 16. secundum & tertium, Burgis, Maij alterum 5. alterum 7. omnia Æra. 1325. quæ incidit in annum 1287. Impetrauit & aliud post biennium pro gregibus Cœnobij, liberè, atque indemnè, pascendis per totum regnum; cum aliis accessoriis: Datum Burgis 25. die mensis Februarij Æra 1327. Protraxit præfecturam per duodennium; & anno 1297. cum vita (an ante? dubium) deposuit pedum.

XIII.

JOANNES I.

In locum Petri subrogatur *Ioannes*, huius nominis primus, electus anno 1297. Ei scribit Bonifacius Papa V. Romæ apud S. Petrum 12. Kalend. Martij Pontificatus ipsius anno 5. qui incidit in 1298. A Ferdinando Castellæ Rege, duo priuilegia obtinuit, alterum datum in Castris, in obsidione super Palentiam, die 6. Nouembris, Æra 1336. quæ incidit in annum 1299. alterum ad Berlangam 15. Octobr. Æra 1338. idest anno Christi 1300. Præfuisse dicitur annis tantum 8. quamuis in hoc non satis memoriæ constent; & quædam instrumenta longiorem illi tribuant præfecturam.

XIV.

MARTINVS II.

Martinus, sequitur, cognomento *de Aranda*, quem habemus præfuisse 20. annis nempè à 1305. vsque ad 1325. Affuisse dicitur institutioni Huelguensis Monasterij apud Vallisoletum, iussu Mariæ Reginæ fundatricis; & sunt, qui putent, ab eò etiam adductas ex Cœnobio Boni-fontis Sanctimoniales pro noua plantatione quamuis non videam confirmari per instrumenta. Certè fundatrix, Infantis Blanchæ soror: & Blancham contulisse Bono-fonti pagos, & oppida (adeò vt secunda fundatrix habeatur) quæ Maria confirmauit, & rata voluit, sicut Blancha testamento suo legasset, constat ex instrumento, dato apud Astudillum. Februar. Æra 1342. anno Christi 1304. hodiéque seruatur in Bonofonte: vt non sit mirum; si Regina soror incipiendo cœnobio, quod construebat, ex antiquiori sororis Monasterio, matrisque (nam Berengaria per matrem Hortæ tradiderat) asciuerit Moniales, per quas ibi Cistercium instituerctur. Idem Martinus impetrasse multa legitur Abbatiæ Bonifontis à Regibus Castellæ, nec non & aliqua ab Aragonensibus, ab ipso

ipſo ſui regiminis initio; quæ non parum auxere illud Cœnobium. Reliqua actionum eius ignota. Creditur depoſuiſſe præfecturam (ſed ignoratur an ſimul cum vita) circa annum 1325.

XV.

MARCVS.

Martino *Marcus* ſubrogatus legitur, dictus *de Roa*, ipſo, quo anteceſſor deſiit, anno: cuius tempore floruiſſe Hortam ſingulari obſeruantia, vt primitiua tempora Ciſtercij, non ſolum ſequeretur, ſed ſuperaret, inuenio in monumentis eiuſdem domus. Viſuntur & nonnulla priuilegia, ſub eius præfectura Hortæ indulta tam à Pontificibus Ioanne XXII. & Benedicto XII. quàm ab Alphonſo XI. Caſtellæ Rege, quæ eximiè laudant Hortenſium Sanctitatem. Præfuiſſe creditur ann. 22. & obiiſſe ad annum 1357. quo ſucceſſoris notitia prima ſubeſt.

XVI.

MARTINVS II. vel *III.*

Iterum ſequitur *Martius de Aranda*, dubium an idem qui & quartus decimus: qui cùm ceſſiſſet, & vacaſſet annos 21. iterum eſt electus, decennio adhuc Hortæ præfecturus. Eius nulla alia nobis notitia ſubeſt, niſi quòd obiit anno 1357.

XVII.

MARTINVS III. vel *IV.*

Eodem ſubrogatur *Martinus* alius, huius nominis tertius, quartúſve, cognomento *Perecius*, qui ſexennio res Hortæ adminiſtrauit.

XVIII.

ANDRÆAS.

Andræas, dictus *de Algora* electus, vt ferunt, ann. 1363. cuius tempore Horta multa paſſa ab inteſtinis bellis, tam, quæ inter Reges Aragoniæ, Caſtellæque, quàm inter fratres Petrum, & Henricum. Et extat adhuc Petri priuilegium, Hortæ conceſſum, ob detrimenta, à militibus illata; proptérque impenſas factas à Monaſterio, cum Rex vterque, Aragoniæ, Caſtellæque conueniſſent ibidem; datum apud Soriam, an. 1366. Quo item tempore, cùm omnia turbata eſſent, & neque decimales exemptiones, neque ipſæ poſſeſſiones Hortæ conſtarent, ab Epiſcopo Seguntino, Ioanne vtrumque recepit: primum ſententia in Seguntinum clerum lata pro Monaſterio, ann. 1369. ſecundum, promulgato anathemate aduerſus detentores poſſeſſionum; à quo non prius ſolutos eſſe voluit, etiam poſt mortem Petri, quàm cuncta Monaſterio reſtituerentur. Nec multo poſt, illuſtris Galliæ Princeps, Gaſto Bearnenſis, abs Rege Franciæ cum aliis dudum miſſus, pro Henrico in Petrum pugnaturus; Henrico tandem in Regem coronato poſt cædem Petri, Eliſabetham dictam *dela Cerda*, Hiſpaniæ Infantem, ducens (nauatæ operæ præmium) & lilia Gallica, leonibus & Caſtellis Hiſpanis iungens, Auguſtobrigæ) Ecæleſtem alij dicunt) vulgò *Medina celi*, Ducum clariſſimæ familiæ initium dedit; electa in Regia domo ſepultura, vxori tantæ debita, quaſi veræ, & legitimæ propagini vtriuſque Alphonſi, qui Hortam condidiſſet. Hanc poſteris plerumque continuatam, ante paucos annos, qui modò ſupereſt, Antonius Ludouicus, ratam, & firmam voluit, addita noua, & pingui dotatione permiſſu Regio. Certè qui Eccleſias priuatas priuati habeant, atque eas illuſtres: multi in Hiſpania Principes. Qui Regiam, præter ipſos, in Caſtella, fortè non alius poſſit inueniri. Protraxit præfecturam cum vita Andræas ad annum 1391.

XIX.

DOMINICVS.

Dominicus ſubrogatur Andrææ an. 1391. cuius non alia nobis notitia ſubeſt: niſi quòd ad hoc tempus in Catalogo Abbatum commemoratu

XX.

X X.

MARCVS II.

Marcus, huius nominis secundus, in Catalogo Abbatum prætermissus; sed addendus haud dubiè; & qui vtinam Hortæ non præfuisset; quippè, qui vita nonnihil solutiori profanáque, perdidit (inquiunt monumenta antiqua domus) vniuersam substantiam, & possessiones, alienando, vendendo, impignorando, quascumque poterat: & si quas non poterat, omninò relinquendo sine cultura; adeo, vt Petrus de Luna Cardinalis, qui tunc se pro Pontifice gerebat Benedicto XIII. Abbatem Petræ, vicinæ Hortæ Ecclesiæ, Ordinis Cisterciensis, cum Decano Ecclesiæ Seguntinæ, Clerico sæculari (adeò iam pessum omnia cœperant ire) ad Hortam miserit, visitaturos domum, & de prodigentia, & excessibus Abbatis adhibito remedio, cogituros. Extant, leguntúrque Bullæ Pseudo-Pontificis, datæ Perpiniani 4. Kalend. Aprilis, an. 1414. Dum ibi ferè totius Hispaniæ Episcopi, nec pauci Galliæ congregati essent. Non constat de remedio tunc adhibito: & diutiùs protractum infra constabit. Et Marcus, tum Henrico, Ioannique, Castellæ Regibus, tum Ferdinando Aragonensi, charus, facilè damnationem potuit euadere. Interfuit Segouiæ confirmationi Henrici, Magistri Calatrauæ, per Ioannem Morimundi Abbatem factæ an 1407. & Cæsaraugustæ coronationi Ferdinandi Regis, vnus ex sex Prælatis, qui à Regina Castellæ, eius sorore, ad eam solemnitatem missi fuerant. Hi sunt Episcopi, Segouiensis, Legionensis, Salmanticensis, & Zamorensis, & Abbates, de Horta, & Palatiolis: (Cisterciensis vterque) *In Histor. Ioannis Reg. II.* 2. *part.cap.*208. Ioannem multis diebus Hortæ excepit, cùm castra circum circa, excepturus, & aggressurus hostes, metatus esset: *In ead. Histor.cap.*136. *&* 137. & eo solùm excusari potuit eius profusio, quòd Hortæ non omnino ingloria fuit.

X X I.

JOANNES II.

Sequitur *Ioannes*, huius nominis secundus, dictus *de Medina* (nam *del Collado*, quem Tabulæ anteponunt, posteriorem fuisse infrà videbimus) cuius tempore Ioannes item II. Castellæ Rex, insignis domus paupertatem miseratus, priuilegio indulsit, vt apud Bliecos, oppidum fundarent, multis immunitatibus indultis, exemptionibúsque, his qui ad inhabitandum conuenirent Datum Burgis 8. Kalend. Maij an.1419. Neque eius temporis alia, quam nos habeamus, notitia subest; nisi quod tamen, sub schismate, & sub bellis, atque Abbate prophano, Monastica disciplina contemnebatur.

X X I I.

JOANNES GVNDISALVVS DE HEREDIA III.

Sequitur schisma, & in schismate turbatio, quæ humana, diuina, profana, sacra Monachos, Moniales pessum dedit. Ioannes de Horta, & Ioannes Gundisaluus, dictus de Heredia, partiti suffragia: & credebatur secundus iure potior; sed primus audacior, & largitione, promissisque potentior, æmulum per vim expulit. Quin vt fautores suos remuneraret (quid non tentet ambitio?) Moniales relegauit à Bono-fonte (incertum quo colore) vt Monachos, & Abbatem illic induceret: & malè sibi collatam Abbatiam atrociori electione compensaret. Extat authenticum Ioannis *del Collado*, siue *Coëllo*, vtriusque successoris inter alia asserentis in hæc verba. *Quod Monasterium Boni-fontis iuxta suorum fundatorum institutionem, per* 200. *ferè annos Moniales habuisset diuino in eo seruitio mancipatas; nihilominus D. Ioannes* de la Huerta *Abbas intrusus Hortæ Ioanne Gundisaluo de Heredia, vero Abbate Hortensi, antecessore nostro, violenter expulso, easdem item Moniales illinc expulit; & introductis Monachis, quendam ex eis Antonium de Medina Abbatem instituit. Datum in Monasterio Boni-fontis, die Dominica, quinta mensis Maij, anno* 1451. Hic status rerum sub schismate gementium in Bono-fonte, nec pacatior in Horta; nisi quod tamen restitutus verus Abbas, Moniales restituit. Adeò in hac vita, etiam qui iustiores, plerumque nobis laboramus magis, quàm Deo.

XXIII.

JOANNES IV.

Ioannem Gundiſaluum de Heredia *Ioannes Coëllo* (aliis *del Collado*) ſacræ Theologiæ Magiſter, inordinata, nec concordi electione ſequutus: quippè inconſulto Abbate Berdonarum, ad quem ſpectabat electioni præſidere: & reclamantibus Priore, & Suppriore, qui ſtatim appellarunt Patrem Abbatem. Præcellebat Ioannes pietate, doctrináque; neque perſona electa, ſed modus electionis accuſabatur. Caſſata hæc per Abbatem Berdonarum, Arnoldum nomine: ſed nihilominus deuoluto ad ſe iure pro illa vice propter inobedientiam, ad inſtantiam Conuentus, aliorúmque, maximè illuſtrium Ducum Auguſtobrigæ, nominauit eundem, litteris datis in Monaſterio Berdonarum, die 5. menſis Iulij, anno 1451. Quo ipſe Ioannes Bonifonti condolens, cum diſperſas Moniales vellet reducere, Anderquinam, ſiue Henriquinam, Gomeziam de Mendoza, illuſtrem fœminam, ex Monaſterio de Cañas illis præfecit laudabili conatu; ſed tamen irrito: quippè, qui tunc Bonum fontem poſſidebant, renitentibus Monachis, vel Antonio Medina Abbate mortuo, reducere Moniales nunquam præualuit. Cætera bonus Paſtor pro illo ſæculo, in quo non reliqua, ſi quæ erant, profudiſſe pro laude fuit.

XXIV.

PETRVS III.

Reſtabat adhuc ſubeunda afflictæ domui vltima miſeriarum, commendari: ſed quæ in fœlicitate miſeriam paſſa, Deo adiuuante, in miſeria fælicior fuit. Illuſtri viro Petro Gundiſalui *de Mendoza*, Epiſcopo Calaguritano, in commendam conceſſa eſt, quo non alium habere breuioris temporis, & vix meliorem potuit, ſeu qui facilius commendam abdicaret. Conſtat præfuiſſe ad annum 1465. per diuerſa inſtrumenta, ex quibus procuraſſe poſſeſſiones, ſaltem non impediſſe, quominus Monachi eas procurarent, colligi poteſt. Conſtat etiam ceſſiſſe, cùm primùm iuſſus; & ſucceſſori, Ciſtercienſem profeſſo ordinem, Abbatiam reſignaſſe ſine querela.

XXV.

GARSIAS.

Garſias Legionenſis, vulgò *de Leon*, natione Hiſpanus, profeſſione Monachus & Ciſtercium profeſſus, dubium an Hortæ; cùm eſſet cubicularius Pauli II. Romani Pontificis, ſeu miſeratus domum, ſeu concupiſcens, impetrauit ab ipſo, vt abſoluto Epiſcopo à commenda; verus ipſe, & legitimus ſponſus ſubrogaretur. Extant litteræ, corroſæ licèt ſatis, vetuſtæque, Pontificatus illius ann. 5. Chriſt. 1469. ſequenti anno 1470. Hortæ ſuſceptus, cum reformatio aliarum Eccleſiarum, iam tunc per regna Caſtellæ, atque Legionis, ſub temporalibus Abbatibus eximio cum fructu propagaretur: vigilanter incubuit, vt nihil minus ſub ipſo Horta floreret: perpetuò quidem, ſed non minus intento; aut ſi quid omiſiſſet, temporis diuturnitate compenſaturo. Amiſſas poſſeſſiones à tempore Abbatis Marci, multas recepit, redemit pignora, ædificia inſtaurauit, ornauit Eccleſiam, altariáque: nec voluit poſteros latere quæ feciſſet, ſuperpoſitis ſingulis operibus, propriis inſignibus, quæ ad noſtrum vſque tempus permanſere. Vnum fuit tamen, quod noluit reſtituere Cœnobium Boni-fontis (adeo aſſuetudine, mala non putamus; quæ in principio exhorruimus) neque ſolùm conſeruatis in eo Monachis ſed (à quo anteceſſores eius abſtinuiſſent poſt mortem Antonij) conſtituto Abbate Michaële Romero; & promulgatis cenſuris in Anderquinam, & quaſcumque alias ſocias, ſi non deſiſterent ab illius procuratione. Extant hucvſque litteræ authenticæ in domo Boni-fontis, datæ Hortæ 20. Septembr. anni 1477. præualuit nihilominus iuſtitia, potentiáque, quæ vtraque Anderquinæ ſuffragabatur: & reſtitutæ Moniales Boni-fonti, quæ hodiéque ibidem perſeuerant ſub omnimoda Abbatis Hortenſis diſpoſitione.

XXVI.

ALVARVS II.

Garsiam excepit nepos eius *Aluarus*, *Legionensis* & ipse cognominatus, Monachus professione, sed nigri habitus; quem non mutauit, fortè quòd semper voluerit resignare. Inuenitur Abbas anno 1489. quo & sacras vestes Sacerdotis, & ministrorum ad Missæ sacrificium offerendum (Hispani *Terno* dicimus) ex Italia ab antecessore eius adductas, neque minùs ex arte pretiosas, quàm ex materia, Ferdinando Hispaniarum Regi, cognomento Catholico sibi concupiscenti, dono dedit, in Regiam expugnatæ ab eo vrbis Granatæ capellam, in qua erat sepeliendus, asportandas. Et perseuerant adhuc, & ostenduntur sub nomine Hortensium inter eiusdem capellæ pretiosiores. Haud tamen mansit irremuneratum obsequium Hortæ. Eodem anno Hortensibus concessi mille, & triginta argentei ad arbitrium eorum percipiendi per annos singulos: & electa Molina, loco proxima, super cuius gabellis consignati, si hactenus percepti numerentur, ad millia quindecim aureorum ferè pertingunt, vltra eos, qui restant persoluendi. Florente interim magis, magisque obseruantia in Hispania, & multis per Castellam, Legionémque, quin etiam & Galleciam reformatis cœnobiis, deerat Horta, ingens haud dubiè incrementum additum tenellæ adhuc, nec adultæ congregationi. Sexennio ferè Aluarus dubius mansit in abdicanda præfectura domus: & video anno 1498. (quo & Collegia erigere Monachis obseruantiæ concessum est *Tom. 2. Priuileg. 16.* celebratum Capitulum ibidem, quasi in domo obseruanti, atque editas leges, vtiles satis, duodecim capitulis distinctas, quæ in antiquis Regestis congregationis secundum locum habent; in quibus etiam Hortæ, vt reformatæ annuæ, vt aliis imponuntur contributiones. At non dimisit præfecturam Aluarus vsque ad annum 1502. quo, ad Bliecos oppidum assignatis sibi redditibus pro congrua, triennalibus cessit, iuxta obseruantiæ leges substituendis.

ABBATES TRIENNALES.

I.

SEBASTIANVS.

TEmporalium Abbatum primus fuit *D. Sebastianus*, dictus *de Campuzano*, electus anno 1502. huic, ipso in limine, cum Augustobrigensibus, tam Regulis, quam ciuibus, acriter decertatum; quippè inuadentibus Grangias, possessiones, atque vsurpantibus (vt fit in rebus turbidis) per vim dominationis Cœnobij iura. Semel, & iterum implorato fauore Regis Catholici, cum minus proficeret, ad Reginam recurrit; & proiecisse cœnobij claues fertur Elisabethæ in gremio; obtestans perituram Regiam domum, ni ipsa subueniat: sibi non imputandum, qui nihil vltra debeat, cum nihil possit. Sensit onus imperij fœmina prudens; & misso iudice, Duces primum compulit componere per arbitros, cùm multa priùs cœnobio restituissent: mox Augustobrigenses quosdam ciues ex primoribus vrbis, nudis pedibus, discoopertis capitibus, & funibus ad colla circumflexis, absoluendos ad ianuas Hortæ Duci; compensaturos damna; neque vltra in domo Virginis, & Regia vtramque maiestatem, diuinam, & humanam, prouocaturos. Non multò post opimas possessiones quas ad vrbem Valeriam ab antiquo possidebat cœnobium, Petri Manrique Comitis, & Michaëlis Muñozij S. Martini fratris, largitate; nobilibus quibusdam in censum dedit, pro certa summa argenti, annuatim Monasterio persoluenda: maiori haud dubiè quietis, & pacis zelo, quam prudentia huius sæculi; quippè pro tribus ducatorum millibus, quæ annuatim percipiunt, vix ducentos persoluunt, qui hodie possident: & tantorum virorum beneficia debuissent, vel infructuosa, perseuerare.

II.

PETRVS I.

Mediaueritne alius, qui ignoretur, an præfecturam per reelectionem (quæ tunc permissa) Sebastianus protraxerit? in dubio est. Primus, cuius post ipsum notitia subest, *Petrus Liquetius*, dictus ad annum 1511. commemoratur. Alienatum iam olim à multo tempore oppidum Turris-pulchræ in Aragonia, pro quibusdam redemit possessionibus, ingenti animo, atque iuris antiqui (quod ô vtinam omnes attendissent!) plusquàm vtilitatis reuerentiori.

III.

MARTINVS.

Martinus sequitur, dictus *de Oñate* qui ad annum 1516. præfecturam tenuisse memoratur.

IV.

BERNARDVS I.

Hunc excepit *Bernardus*, dictus *Cornejo*, ex Abbate Vallis-Ecclesiarum, & Procuratore Generali Obseruantiæ in Curia Romana. Memoratur in ipsius priuilegiis: *Tom.* 2. *priuileg.* 31. Præfuisse legitur Monasterio Hortæ ab anno 1520. vsque ad 1523.

V.

FRANCISCVS I.

Franciscus, dictus *de Castill de Tierra* electus anno 1523. cuius tempore multa passi Monachi ab oppidanis Arci, vulgo *de Ariza*, vsque ad verbera, & plagas, carcerémque vniuersa, patientia, deinde etiam constantia superarunt. Et luêre flagitium, qui perpetrarunt, publica sibi iniuncta pœnitentia, atque multa indicta, quæ alios deterreret, ipsos purgaret.

VI.

DIDACVS.

Didacus, dictus *de Saluatierra* electus anno 1526. & triennio administrans sed cuius nulla alia notitia subest, sicut & quatuor illius successorum.

VII.

BARTHOLOMÆVS.

Bartholomæus, dictus *de la Spina*, fortè quia Monachus eiusdem Monasterij, electus ann. 1529.

VIII.

BERNARDVS I.

Bernardus, dictus *de Spinosa*, electus anno 1532.

IX.

IGNATIVS.

Ignatius, dictus *de Collantes* electus anno 1535.

X.

PLACIDVS I.

Placidus, dictus *de Ocampo*, electus anno 1538.

XI.

FRANCISCVS II.

Franciscus, dictus *de Villanueua* electus anno 1541. cum multis aliis functionibus impositus, multis deinceps esset præficiendus. Inclyti Methinensis Ducis Ioannis, cognomento *de la Cerda* vltimo anno suæ præfecturæ funus excepit, atque in Regia Ecclesia sepeliuit Regum propaginem.

XII.

BERNARDVS II.

Bernardus cognomento *Barrantes*, electus anno 1544. quo & Maria, cognomento *de Sylua* Ioannis vxor, vt in vita, ita & in morte sequuta virum, Hortam adducta est, cum ipso sepelienda, mense Augusto, cùm Ioannes funestasset Ianuarium eiusdem anni.

Monialibus

Monialibus Boni-fontis assensum præbuit, vt propter inclementiam terræ, & aëris, impetrarent à Iulio Papa III. vt matutinas horas sub noctis initium in choro psallere possent.

XIII.

ILDEPHONSVS.

Ildephonsus, dictus *de Huete*, electus anno 1547.

XIV.

PAVLVS.

Paulus, cognomento *Suarez* ex Abbate Vallis-bonæ electus an. 1550. Præfuisse legitur quatuor annos integros (incertum quâ occasione) Eo Hortæ, præsidente in Arandela fodinæ aluminis inuentæ, cultæque an. 1551. non parum Monasterio fructificarunt Eodem anno Methinensis Dux Gasto, eius nominis III. defunctus est, 30. die mensis Decembr. Cuius funus solemni, & digna pompa ad Hortam deductum, ante maius altare sepultum est; vbi & in pauimento plano lapidem habet, sicut alij ipsius antecessores. Paulus ex Horta, incertum quò translatus, infra biennium vniuersæ congregationi præfectus est Reformator Generalis, electus an. 1558.

XV.

BERNARDVS III.

Bernardus de Ayala, electus an. 1554. cuius tempore Ludouicus de Estrada Monachus Hortæ, & verbi Dei egregius concionator, Carolo Principi, Philippi II. filio, hæredique, atque eiusdem Philippi Regis fratri, Ioanni Austriaco charus, vel inter paucos, S. Ignatij Loyolæ fausta germina (Societatem Iesu) tunc recens orta, atque Cæsaraugustæ, dum propagari in vrbe sancta cupiunt, repulsam passa; potenter restituit; atque humiliter & gratanter suscipi facit, concione ad populum, & primores vrbis habita, quæ facilè emolliuit animos omnium. Extat cum aliis eiusdem viri opusculis atque eleganti epistola, in morte patris scripta ad filios orphanos, ad vniuersam, inquam, Societatem, in morte S. Ignatij, digna haud dubiè, quæ Annalibus eiusdem insereretur.

XVI.

LVDOVICVS.

Ludouicus de Estrada, de quo suprà, electus ann 1557. transtulit, & religiosus collocauit Sanctorum corpora, Roderici & Martini, non sine ingenti Monachorum Hortæ, atque Hortam circunstantium populorum, eo thesauro gaudentium, consolatione. Quippe post annos 300. plus minúsue, incorrupta, & viuida, ac miram spirantia fragrantiam, inuenta sunt; quæ non solùm replesse totam domum sed in ea permansisse per longum tempus perhibentur. Quin vestes integræ vtrique, illæsæque, ac si ante mensem, aut infra sepulti essent. Tum verò acephalum B. Martini corpus, nam truncum habebatur, & sine capite, traditionem à Patribus acceptam altius radicauit cordibus omnium; delatum, ferè à sancti viri morte, ministerio Angelorum, Seguntiam caput (quo neutra Ecclesia fraudaretur parente claro) esséque illud, quod sub nomine S. Sacerdotis in ea colitur annua celebritate, quæ etiam in Martyrologio Romano commemoratur. Ludouicus, triennio suo expleto, Complutum transfertur, collegium ibi fœlicibus auspiciis Monachis Obseruantiæ fundaturus Eo Hortæ præsidente sacratum cœmeterium in sepulturam peregrinorum, atque translata Finojosarum ossa ad nobile sepulchrum ad eius ianuam, tali inscriptione sepulchro superposita, certa in rebus, in computis non multum à vero distans.

ANNO VIRGINEI PARTVS M.D.LVIII. TRANSLATIONIS VERO HORTÆ CCC.LXXXVI SACRATVM EST AB EPISCOPO COEMETERIVM HOC IN HONOREM S.CRVCIS ET IN SEPVLCHRVM PEREGRINORVM. QVO TEMPORE ABBAS, ET CONVENTVS, OPTIMO PARENTI, ET FILIIS GENEROSIS, MAGNI REFECTORII, MAGNIS QVONDAM FVNDATORIBVS, HAS COLVMNAS EREXERE, ET NOBILE HOC MAVSOLEVM DEDICARVNT; AB EORVM OBITV CCC. VIII.

XVII.

MICHAEL I.

Michaël, dictus *de Buendia*, electus anno 1560. Cuius extat memoria non contemnenda in ædificiis domus, quam muro è lapide cinxit longo circuitu; atque in receptis quibusdam possessionibus.

XVIII.

FROILANVS I.

Froilanus de Tordehumos electus an. 1563. quo & sanctos martyres Iustum, & Pastorem, dum sacra corpora Complutum adducerentur, Horta hospites habuit; & hospitij mercede potita est, miraculo ab eis ibi patrato, quod Ambrosius Morales memoriæ prodit. Froilanus ipse infra annum extinctus est, primus, & vsque ad hoc tempus etiam vltimus, ex triennalibus, qui legitur deposuisse vitam, antequam baculum.

XIX.

MICHAEL II.

Michael dictus *Velazquez*, suffectus est, qui reliquum triennij continuaret. Is anno 1564. cum putei salinarum ad Augustobrigam, quos Rex Alphonsus Monasterio dederat, à Ducibus illius vrbis (incertum quà occasione) detinerentur; litem super his mouit, quæ longo tempore tenuit vtrasque partes. Excepit hospitio Apostolicæ sedis legatum, Hugonem Boncompañum, Hortæ addictissimum, qui postea summus Pontifex creatus Gregorius XIII. multa vltronea dona Hortæ indulsit.

XX.

MARCVS.

Marcus dictus *del Barrio*, electus an. 1566. qui postea præfuit vniuersæ congregationi. Vir sanctitatis opinione celebris, & cuius hodie corpus in oppido *Magaz*, vbi sepultum est, ab incolis in venerationem habetur; & creditur indultum ipsius meritis, quod eius loci pagi, frugésque, extunc à grandine, atque omni tempestate immunes extiterunt.

XXI.

MICHAEL III.

Michaël Angelus, electus an. 1569. vltimus omnium, qui ex aliis Ecclesiæ, siue cœnobiis, Hortensem præfecturam administrarunt: cum hactenus promiscuè, nunc ex Horta, nunc aliunde in Abbates assumpti essent. Instante iam sententia super salinis, cum Methinensibus Ducibus composuit pro octingentis aureis, per annos singulos Hortæ persoluendis. Et concordiæ trassumpta recondi iussa in Archiuiis Ecclesiæ Toletanæ, & sancti Benedicti Vallisoleti.

XXII.

LVDOVICVS I.

Ludouicus de Strada, secundo electus an 1572 cum interim Complutense Collegium, multorum, atque insignium virorum parens, nostris fundasset, siue è Salmantica Complutum transtulisset.

XXIII.

LVDOVICVS II.

Ludouicus de Ribera, electus anno 1575. Dormitorium quod hodie vetus vocant erexit, atque alia quædam gessit, quibus meruit reassumi post annos aliquot. Ei scribit Gregorius Papa XIII. & thesaurum immensum reliquiarũ sancti Zenonis, sociorúmque; annuas indulgentias, & altare, quod vocant priuilegiatum, atque alia transmittit, memor hospitij, & sanctitatem domus veneratus, vt ipse ait: *Ex inuentario reliquiarum eiusdem domus.*

XXIV.

XXIV.

LVDOVICVS.

Ludouicus de Estrada, tertiò electus anno 1575. iam ferè senio fractus,& impeditus; sed rerum agendarum longa peritia, & sanctimonia vitæ venerandus: quique adeò à filiis diligeretur, vt regeret ad nutum; neque iubere indigeret, sed indicare.

XXV.

JOANNES I.

Ioannes, dictus *de Cruce*, electus anno 1581. cuius tempore prolixa satis lis inter Arcianos Regulos, vulgò *de Hariza*, Cœnobiúmque, post multas tandem violentias, sortita finem, terminos suos cœnobio adiudicauit. Non vnquam hactenus à multis retrò annis aratrum sine lancea; sine gladio ligonem mouere licuit Hortæ agricolis: neque puluerem terræ fatigare, quin ipsi tormentario, quo vndique petebantur, fatigarentur. Sed vicit tandem constantia, iustitiáque; & parta bello pax, vsque hodie inconcussa perseuerat. Obiit venerabilis, & verè sanctus vir Ludouicus de Estrada 4. Nonas Iunij an. 1581. sepultus Hortæ infra gradus sacelli maximi, sub modesto epitaphio, quod ita habet.

FRATER LVDOVICVS DE ESTRADA, HVIVS SACRI COENOBII MONACHVS, ET ABBAS, SACRORVM BIBLIORVM SCRVTATOR DILIGENS, ET DIVINI VERBI ADMIRABILIS PRÆDICATOR. OBIIT IV. NONAS IVNII ANNI M.D.LXXXI.

Adscripsit virum Chrysostomus Henriquez Menologio Cisterciensi eadem die: ipsúmque memorant debita cum laude Petrus Calzolarius, & Nicolaus Orlandinus authores Itali; Aubertus Miræus, Belga; Carolus de Iapia, Hispanus; & plures alij. Circumferuntur & scripta eius nonnulla, quæ recenset Henriquez in Phœnice 2.*part. tit.*50. Ioannes antiqua quædam ædificia solo æquauit, atque alia incepit ipso in cœnobij ingressu, quæ tardè licet, suasores continuauere.

XXVI.

PETRVS II.

Petrus, dictus *de Villalobos*, electus anno 1584. statura pusillus, sed magno animo, & qui post Hortæ exactam præfecturam Visitator, vt vocant, Generalis per Lusitaniam à Philippo II. Dein suffragiis totius congregationis Generalis obseruantiæ creatus est anno 1593. Primus ex Hortensibus, qui ad illud munus meruit sublimari. Extinctus vltimo anno sui triennij, qui fuit Christi 1596. atque in Monasterio Palatiolensi sepultus eodem anno.

XXVII.

GREGORIVS.

Gregorius, dictus *de Sanctiago*, electus ann. 1587. sub quo Arcianis iterum rebellibus concordia noua inita, pacem iam dudum partam confirmauit.

XXVIII.

LVDOVICVS.

Ludouicus de Ribera secundò electus ann. 1590. cum interim multis aliis functus muneribus, ab aliquibus Generalis etiam acclamaretur. Subterraneos meatus aquis fecit, quæ domum infestabant, opus egregium: ex quo aër à vaporibus purior, subtiliórque, reddidit salubriorem habitationem. Vir planè doctus, & qui aliqua scripsit non contemnenda, ob quæ inter scriptores commemoratur à Chrysostomo Henriquez; quamuis ea, dum vixit, non publicauit. Huius vltimo anno indigni nos ad habitum admissi, atque in eodem Cœnobio professi sumus.

XXIX

BERNARDVS.

Bernardus Gutierrez, dictus *de Nagera*, ante Monachatum Vicarius Generalis Archiepiscopi Toletani in Curia Archiepiscopali Complutensi: post Monachatum, ex Procuratore generali Romanæ Curiæ, vbi multa, & illustria nostris obtinuit (inter quæ illam extensionem generalissimam, cuius se nullam similem vidisse testatur Emanuel Rodericus Tom. 1. quæst. regul. quæst. 55 art. 7. electus anno 1593. Cum Petrus, cognomento *Villalobos*, Hortensis Monachus totius obseruantiæ habenas moderaretur. Dormitorium, quod hodie vocant nouum (opus magnificum) à fundamentis erexit, & consummauit: possessiones non paucas acquisiuit, alias dudum amissas restitui fecit. Triennio expleto in Abbatem Riui sicci assumptus, Monasterium Sanctimonialium Augustinianarum, fundatricibus ex Burgensi S. Ildefonsi cœnobio adductis, condidit in oppido *Medina de Pomar*. Inde cum visitatorem generalem ageret, in Monasterio Nucalensi defunctus est an. 1607. scripsit elegans, & verè aureum opus, compendium indultorum nostræ familiæ, quod eruditis illustrauit adnotationibus, excussum Romæ an. 1588. atque item opus magnum de priuilegiis in genere, & in specie, quod vtinam vulgasset, ingenti vsui futurum Christiano orbi.

XXX.

JOSEPHVS.

Iosephus de Zuñiga ex abbate Collegij Complutensis, electus anno 1596. simúlque Visitator (nam tunc compatiebantur) Congregationis; corporis forma, proceritatéque, & comitate morum, dignus Imperio: nec deerat claritudo sanguinis, quæ omnes viri actiones commendaret. Cætera inæqualia: nisi quod tamen, vitæ integritate poterat alios defectus compensare. Turrim pulchram alienauit à Monasterio an. 1597. contra multorum placitum; tædio frequentium litium, an cupidine maioris vtilitatis.

XXXI.

MATTHÆVS.

Matthæus de Naua, ex Abbate Ferrariæ, & Sancti Prudentij, electus anno 1599. Temporalium administrationi supra Abbatem aptus, intentúsque: spiritualibus, aut sufficiens aut non ineptus. Sacrarium (Sacristia Hispani dicimus) capitulúmque, & scholam, miræ vniuersa pulchritudinis, magnitudinísque, superædificauit antiquis muris; sumptuosa ædificia, & quæ inter prima valeant numerari totius regni. Triennio expleto in Abbatem Montis salutis promotus, ibi etiam egregiam reliquit sui memoriam. Decessit Hortæ anno 1600.

XXXII.

MALACHIAS.

Malachias de Otalora, ex Doctore Sacræ Theologiæ Collegij Complutensis electus anno 1602. candore animi præstantior, quàm industria: quandiu non præfuit inter digniores habitus: ex quo præfuit, inferior præfectura: profusus vltra modum, & qui domum, aliàs pinguem, exhausit, & multis obligatam reliquis debitis: sed charitate in subditos cæteros omnes defectus compensabat. Ex Abbate ad studia sacra reuersus, in Palatiolensi Collegio iterum docuit, perseuerans ad finem vsque vitæ, quem habuit anno 1609.

XXXIII.

LAVRENTIVS.

Magister *Laurentius de Zamora*, scriptis suis satis, supérque notus Hispaniæ & orbi, ex professore sacrarum litterarum assumptus an. 1605. Præfuit egregiè & profuit suo tempore: nec temporalium administratione aut animarum cura, sacrarum litterarum studia interrupit, quibus magis intentus, adiutúsque, hanc fouere solebat, lenire illam. Construxit

struxit inter claustrum & chorum, domum Capituli, ex fœnore librorum, quos publicabat: elegans opus. Eius tempore ad superos migrauit venerabilis Malachias Assus ex Hortæ Monacho Episcopus Iacensis in Aragonia, vir Pontificia dignitate dignus, cum annos 11. egregiè administrasset. Sepultus ante summum altare Ecclesiæ Cathedralis eiusdem vrbis, quod nulli hactenus ex antecessoribus eius concessum fuerat. Meminit eius cum eximia laude Vincentiu Blascus in historia Ecclesiastica Aragoniæ lib. 4. cap. 4. Et memoratur à Chrysostomo Henriquez in Menologio 28. die mensis Augusti. Laurentius porrò, triennio suo expleto, à Philippo III. ad Catalauniam missus vnà cum Ioanne Aluaro, tunc Abbate Verolæ, mox Solsonensi Episcopo, Regium Populeti Cœnobium visitauit, iterum inde ab Hortensibus vocandus, etsi irrito conatu, vt mox videbimus.

XXXIV.

JOSEPHVS.

Iosephus ab Stunica. iterum electus an. 1608. pronis in ipsum electorum animis, quod parem rebus, nec supra esse concupiscerent. Quo item titulo non defuere plures, qui summæ eum præfecturæ destinarent, quasi qui ita triennio præfecturus speraretur, vt non vltra ambiret: sed nec tunc quicquam sine ipsis ageret, qui eum præficerent; nonunquam alios ducturus, nisi ducendus.

XXXV.

LAVRENTIVS.

Magister *Laurentius de Zamora*, secundò electus anno 1611. cum interim in Cataluniæ principatu Philippi III. Populetum, & sanctas Cruces, illustres sanè Ecclesias, visitaret, diu expectatus, nec venire præualens ante confirmationem, successorem accepit Vincentium Gueuaram ex Priore Collegij Complutensis electum eodem anno. Qui post administratam Hortam non sine laude, multis aliis functionibus præfectus, fidelem se administrum, & dignum super alia constitui semper ostendit. Laurentius porrò, expleto suo munere, & longa continui laboris maceratione, defectus viribus, Hortæ primum, dein Compluti inter molestas sobres nunquam otiosu, & semper alia, & alia in lucem edens, cum cathedram sacrorum Bibliorum Complutensis Academiæ, sponte oblatam, ob nimiam debilitatem, non acceptasset, Compluti obiit: anno 1614. in Collegio nostro sepultus sub hoc disticho.

SERMONIS SACRI CONSCRIPTA VOLVMINA DICVNT:
NON LATVIT MODIO, QVI LATET HOC TVMVLO.

Scripta eius latissimè recenset Chrysostomus Henriquez in Phænice: quæ vulgari sermone, adeo vulgata, multiplicatis eorum editionibus, vt non egeant à nobis recenseri. Insigne longum, & grauem Commentarium in Cantica Canticorum, quem penè absolutum iam reliquit, sed nondum typis mandatus, incuriæ, atque oscitantiæ nostros incusat.

XXXV.

VINCENTIVS.

Vincentius, cognomento *Gueuara*, ex Priore Collegij Complutensis, electus ann. 1611. Triennio expleto, in Abbatem Hoyæ, Meyræ, Montis Rami, atque Sancti Martini de Castañeda; & bis in Diffinitorem promotus successu temporis: tandem hoc anno 1641. in Generalem totius Obseruantiæ Reformatorem, summo cum omnium plausu assumptus est; & laudabiliter habenas moderatur totius Ordinis.

XXXVI.

JOANNES II.

Ioannes Maldonado, ex Abbate Bellimontis in Asturicis, electus an. 1614. industria, & rerum gerendarum peritia paucis inferior; religiosus, & doctus, & dubio procul, dignus præfectura, si non austeritate nimia in filios multas alias virtutes maculasset. Domum tamen multo ære alieno oppressam à tempore Malachiæ exemit à debitis; & si quæ habuit, mala transierunt cum eius præfectura: quæ bona, permanent, atque eis fruuntur successores.

XXXVII.

DIDACVS.

Didacus de Dueñas, ex Abbate Matitensi electus anno 1617 Hospitij domum ingentem, perpulchrámque, quatuor distinctam angulis, ante annos 35. à Ioanne de Cruce olim inceptam, ex lapide quadrato continuauit, perficiens primum angulum, atque reliquis modum, & formam præbens. Post Visitator Generalis Congregationis, atque Ouilæ Abbas. Demum quieti vacans, Hortæ sepultus anno 1638.

XXXVIII.

JOANNES III.

Ioannes Maldonado, iterum electus anno 1620. Adeò nimiam in filios securitatem aliis dotibus compensabat. Insignem Bibliothecam inter vtrumque claustrum, vt vocamus, pulchrè concameratam, nec minùs pulchris armariis fabrefactis eleganter distinctam, omnique suppellectili librorum amplè refertam, construxit, ornauitque; quam postea nos ex cathedræ prouentibus, cui tunc præeramus, de licentia capituli Generalis, annuis redditibus, vt potuimus, dotauimus. Ipse deinceps denuò Diffinitor; tandem omni cura abdicata defunctus est Hortæ anno 1627. Eius tempore Reuerendiss. in Christo P. Petrus de Ouiedo, ex Monacho Hortensi, & Complutensi Theologo, cathedræque Vespertinæ Antecessore, in Archiepiscopum Hispaniolæ primùm, vulgò *Sancto Domingo*, assumptus est; inde in Quitensem Pontificem promotus, pietate, & doctrina, vniuersum Peruanum Orbem illustrat.

XXXIX.

CHRYSOSTOMVS.

Chrysostomus Ruicius, electus anno 1623. sed antequam in Abbatem confirmaretur suborta lite, cassatáque electione, per sententiam deponitur nullis ipsius demeritis; &, si electores ei suffragarentur, iterum eligibilis, quod ipsamet sententia declarauit. Sed facere faciliùs, quàm reficere, comprobauit euentus; nam quem concordes priùs elegissent, penè etiam concordes reprobarunt.

XXXIX.

DOMINICVS.

Dominicus, cognomento *de Aldaue*, in Chrysostomi Ruicij loco sufficitur ex professore Collegij Salmantini; vir planè doctus, neque aptior docere, quàm imperare. Inde in Diffinitorem electus, atque interim Theologiam iterum docens, non multò post in Palatiolensi Academia defunctus est, anno 1628.

XL.

PLACIDVS.

Placidus, cognomento *Lupetius*, ex Abbate sancti Petri Gumielensis, & Priore Collegij Salmantini, electus anno 1626. Quo & nos ad Obseruantiæ regimen assumpti, inter Hortenses meruimus numerari. Hospitij domum cœptam à multo tempore, tribus angulis additis perfecit, ingens, & pulchrum opus. Ædificia antiqua, nouis aptauit, atque submotis angustis mansionibus à veteri hospitio, sumptuosiori aulæ initia dedit, quæ postea refectioni fratrum deputata, vix aliam in Hispania similem habet. Ipse deinde Azebeyri in Gallecia Præsul, mox abdicatis maioribus functionibus, in Albalate, hæreditate olim sancti Martini, moritur, anno 1635. ingens sui desiderium relinquens fratribus; qui vix in tanta industria, tantam dulcedinem, in tanta pietate, nunquam tantam industriam, & rerum gerendarum peritiam experti fuerant.

XLI.

FROILANVS.

Froilanus, cognomento *de Vrosa*, ex Priore Palatiolensi, cum nos, ex ea domo, vniuersæ Obseruantiæ

Obseruantiæ præsideremus, electus anno 1629. dignus laudari, & fortè suprà alios, si non viueret adhuc; si non in ore amici laudes, vel post decessum, suspectæ essent. Sacrarium ingens, & pulchrum ædificium, sed carens ornatu, pictis & fabrefactis ornauit tabulis, vt nihil sit in eo, quod non cohæreat. Scalam item in medio domus posuit in duas partes vergentem, qua vix quid pulchrius, certè nihil vtilius fieri potuit. Quæ dudum Augustobrigæ iacuissent in Collegiata Ecclesia, corpora Ducum, translata ad Hortam, excepit solemni pompa; ducente funus, & piè parentante suorum Manibus, Excellentissimo Duce Antonio Ioanne, qui paulò pòst, sepulturam, permissam hactenùs, iure communis sanguinis cum Regibus Castellæ; debitam etiam fecit, dotauítque Regia munificentia; annuente, atque robur pactis addente, Philippo IV. an 1630. Froilanus, triennio expleto, Visitator Generalis, mox Diffinitor, & fugientem honores semper sequuntur. Libellum aureum pro tyronum ad Ordinem venientium educatione, capituli Generalis iussu vulgauit, an. 1635 cui etiam secundum alium Tomum addidit Meditationum, ex S P Bernardo collectarum, atque ipsius scriptis, non tyronibus solùm profecturum, sed vniuersis, qui aspirant ad perfectionem.

XLII.

EMANVEL.

Emanuel Cereceda, ex Abbate Sacrorum-Mænium electus anno 1632. Cuius tempore collaterales vt vocant, Ecclesiæ naues, augustiores effectæ, non parum illi gratiæ conciliarunt. Præest hodie Oliuensi Ecclesiæ in Regno Nauarræ, ex Catholici Regis præsentatione.

XLIII.

FRANCISCVS III.

Franciscus de Neyla, ex Abbate Montis Ramorum, & S. Claudij in regno Gallecíæ, electus an. 1635. Vir planè probus magis, quàm industrius, sed suorum filiorum amantissimus, & verè Pater. Inceptam dudum à Placido Lupercio aulam in veteris hospitij habitatione, eleganter absoluit, & refectioni fratrum deputauit, pulchris subselliis additis, atque omni ornatu, qui ædificio perpulchro responderet. Eius tempore Venerabilis Sacerdos, & verè primitiui Cistercij Monachus, Rodericus à Cruce, cum annos quinquaginta, plus, minúsue, temporalium administrationi præfectus, non minus ideò inter externas curas (quantum ex actibus, eius cognosci poterat) interiùs Deo, sibíque vacaret; missione tandem impetrata sub finem vitæ, & sanctissimè exacta, longum iter expleuit felici exitu. Corpus porrò deductum ad Capitulum, vbi inter preces fratrum, designatam sepulturæ horam præstolaretur, inusitata, & mirifica fragrantia repleuit domum, quæ funus mox sequuta, in Capitulo etiam per triduum perseuerauit.

XLIV.

BALTHASAR.

Balthasar, cognomento *de Arteaga*, Petri de Ouiedo, Episcopi Quitensis, Patruelis, nec minus ei prudentia, & bonis dotibus, quàm sanguine coniunctus, ex Abbate Armentariæ, cum variis aliis functionibus præfuisset, electus anno 1638. Ecclesiæ pauimentum strauit quadrato lapide; quo & aliis operibus memoriam sui posteris relinquens, triennio expleto, in Abbatem S. Claudij promotus est, vbi hodiéque præest non sine laude.

XLV.

FROILANVS II.

Froilanus, cognomento *de Vrosa*, iterùm electus hoc anno 1641. cum Vincentius Gueuara, Hortensis Monachus, & quondam noster in probatione socius, totius Obseruantiæ bono, atque Hortæ incrementis, Generalis Reformatoris officio fungitur; & fungatur Deo propitio.

Explicit series Abbatum Ecclesiæ S. Mariæ de Horta.

SERIES

SERIES ABBATVM MONASTERII POPVLETANI.

I.

GERARDVS.

GERARDVS, ex Ecclesia Fontis-frigidi, filiæ Grandis-syluæ, & neptis Claræuallis, cum Conuentu suo egressus anno 1153. locum à Sancto Eremita olim inhabitatum, atque ab ipso vocatum de Populeto (quamuis alij alia tradant) de manu Raymundi Berengarij, Barchinonensis Comitis, & Petronillæ Aragonensium Reginæ, coniugum, suscipit, in die Natiuitatis Mariæ Virginis, decima-nona à Bernardi Parentis obitu cùm nondum ei Robertus suffectus est. Interfuit Sanctius, Abbas Fontis-frigidi, qui & loci acceptauit donationem. Gerardus, breui præfectura functus, intra annum moritur, ingens sui desiderium relinquens filiis.

II.

GRIMOALDVS.

Grimoaldus, electus annó 1154. Hametum, Carletensis Reguli filium, per miraculum ad cœnobium appulsum, primum in fide instruit, mox sacro fonte, atque Bernardi nomine, & tandem Monachatu donat, anno 1156. Initia conuersionis eius, atque tenellæ domus eximiè promouet, & sexennio peracto in præfectura, sanctè obdormit. ann. 1160.

III.

STEPHANVS.

Dubium ex Fonte-frigido, an ex ipso Cœnobio Populetano, electus anno 1160. Sequenti 1161. locum & circumadiacentes, à Raymundo confirmat: & post biennium 1163. Sanctum Bernardum, Carletani Reguli filium, diu probatum, neque solùm Sanctum inuentum, sed prudentem, & prouidum, cellerarium instituit. Inde cum profusionis argueretur, quasi in pauperes omnia dissiparet, ad quorundam zelantium petitionem, dati, & accepti rationem reddere iubet: ille se, quid insumpserit, nescire; scire, nihil perdidisse, aut neglexisse, respondet humiliter; reliqua in apothecis, cadis, & horreis; atque ibi inuenienda, quæ non insumpsit. Tunc Stephanus recurrens ad officinas, dum plenas omnes inuenit, etiam vltra acceptum; manum Dei cum Bernardo esse agnouit, & veneratus est, liberam illi cunctorum relinquens curam. Ipse verò post sexennium expletum in præfectura, non sine manifestis incrementis bonorum, sanctitatis, & doctrinæ fama conspicuus, in Episcopum Oscensem promouetur an. 1166. Quo ipso inuenio subscripsisse transactioni inter Ecclesias Montis Aragonis, Oliuæque, cum iam ipse, Oscæ successor, Populeto præsideret. Obiisse dicitur 29. Decembris; sed annum à Populetanis prætermissum, nondum potuimus ab Oscensibus mutuari.

IV.

HVGO.

Hugo subrogatus Stephano anno 1166. Quo & idem instrumento translationis, cui Stephanus promotus in Episcopum, ipse iam Abbas subscribit Populetanus. Oppignoratum ab Alphonso Rege oppidum, dictum *de Bimbodi*, vltro redemit an. 1172. redemptúmque, cum Regi tradidisset, ab eo accipit, perpetuo à Populeto possidendum. Potuit intendere solis spiritualibus, occupato in externis sancto Bernardo, cui ea cura incubuit, non sine manifestis incrementis, miraculisque, vsque ad annum 1178. quo tandem senex, & salutis suorum auidus, missionem ab Hugone Patre obtinuit: ipse ad Ilerdam, materteram conuertit ex Saracena, ingenti ab ea donatus possessione, quæ Monasterio cederet; & hodiéque sub ipso perseuerat. Post biennium Hugo Abbas, eundem sanctum ad fratrem, Carletensem Regulum, mittit, prædicaturum Christum populo terræ; & fratrem ipsum, sororésque,

sororésque, si posset; sin, quos posset, ad fidem conuersurum. Interim ipse, dum præstolatur exitum, & pro Bernardo ad Deum preces fundit, ad potiora conscendit, præmium laborum in cælis recepturus. Obiit anno 1180. cum 14. annos præfuisset tenellæ domui.

V.

STEPHANVS.

Stephanus huius nominis secundus, cognomento *Droch*, electus an. 1180. Quo S Bernardus ad Carletum prædicans, duas sorores Virgines Zoraydam & Zaydam ante Baptismum, post Mariam, & Gratiam, à Paganismo ad Christi fidem traxit; & mox cum ipsis pro Christo martyr occubuit, transfixus frontem clauo, cum illæ iugulis gladios excepissent. Sæuiebat in fraternum sanguinem frater; atque in Bernardo deceptas, vt putabat ipse, sorores, in sororibus abnegatum Mahometismum, & constantiam in fide vindicabat. Stephanus dum Deo gratias refert pro martyrum Victoriis, quas saltem diuulgante fama cognouit, corpora abscondita potiùs, quàm humata, Saracenorum metu ad Populetum omisit reportare. Decennio administrata Ecclesia defunctus est, Augusti die 10. an. 1190.

VI.

PETRVS I.

Eodem anno subrogatus *Petrus*, huius nominis primus, atque eodem substractus: vix vllam aliam memoriam sui reliquit.

VII.

PETRVS II.

Petro primo suffectus *Petrus secundus*, dictus *de Massaneto*, anno 1191. diuturnioris nonnihil æui præsul, notiorísque, ex Pettensi Abbatia in Aragonia, quarto à Bilbili lapide, quam Populetum sub ipso propagauit, locum donante, possessionésque Alphonso Rege, in arce eiusdem nominis antiqua, an. 1194. & Petro transmittente illuc Conuentum sub Abbate Gaufrido, qui breui tempore in ingentem Ecclesiam creuit. Certè quæ viris, doctis, Sanctis, illustribus, atque inchoatæ obseruantiæ Hispanæ laude, nec matri cedere, & multis aliis debeat anteponi. Porrò ipse Petrus, tantæ prolis parens, obiisse legitur 26. die mensis Aprilis, anno 1196.

VIII.

ARNALDVS.

Arnaldus, dictus *Amalricus*, doctrina, pietate, prudentiáque, inter primos, quos habuit sæculum illud; quem communem parentem vniuersum Cistercium; Romana Ecclesia, primum hæreticæ prauitatis Inquisitorem, Narbonensis, illustrem Archiepiscopum; & Rex Castellæ Alphonsus, fidum coadiutorem aduersùs Saracenos, præstolabatur. Electus anno 1196. Quo & inclytum Alphonsum, Aragonensium Regem, Raymundi fundatoris filium; atque ipsum fundatorem nominatum, quod multa largitus, ædificia Cœnobij consummasset; primum Regum Populeti sepelit, vbi & cum coniuge Sanctia humatus iacet, & filium Ferdinandum Infantem habitu donat: *apud Marianam lib.* 11. *cap.* 19. Arnaldi tempore floruit in Populeto Monachus ille in Mariam obsequiosus, atque affatim ab ipsa remuneratus, cum morti appropinquaret, de quo Cæsarius lib. 7. dialog. cap. 51. mutato quamuis, amanuensium errore, nomine Monasterij, & Pomanum, siue Poperanum dictum, pro Populeto. Præfuit eidem Ecclesiæ tribus annis, iam tunc quæ cum manebant præseferens; atque anno 1199. in Abbatem Grandis-syluæ promotus est, inde in Abbatem Cistercij promouendus. Reliqua viri illustris vel inter paucos, habes in catalogo Abbatum Cisterciensium.

IX.

PETRVS III.

Suffectus *Petrus*, tertius huius nominis, dictus *de Conchabella*, cuius minor notitia, electus

ctus anno 1199. Triennio post antecessorem vidit vniuerso Cistercio præsidentem, & post biennium, cum duobus Monachis ex Ecclesia matrice Frigidi fontis, causis fidei præfectum ab Innocentio. Ipse quinquennio in præfectura exacto, Petro Regi inter charos, in pace migrat salutis anno 1204.

X.

PETRVS IV.

Subrogatur eidem alius *Petrus*, dictus *de Curta cans*, eodem anno electus. Ei scribit Innocentius Papa III. graui, & ardua causa aduersum Vicensem Episcopum, vnà cum Archiepiscopo Tarraconensi, illi commissa: & habetur in cap. *Cum oporteat*, de Accusationibus. Extant & aliæ Innocentij Decretales ad ipsum, & ad Priorem Populeti, quem instituerat. Præfuisse legitur 10. annis circiter, atque anno 1214. die 16. mensis Maij, occisus, optata sepultura caruit simul cum vita.

XI.

ARNALDVS II.

Arnaldus sequitur, secundus huius nominis, dictus *de Filella*, electus anno 1214. Interfuit auspicato exordio sacræ familiæ, quam sub aduocatione S. Mariæ de Mercede, pro Christianis captiuis redimendis, instituit Iacobus Aragonensium Rex, an. 1218. Quo & Hospitalariis, Templariisque, longa lite diuisis, & contendentibus, ab Honorio iudex datus est cum Oscensi Episcopo, litteris datis Laterani 14. Kalend. Aprilis, Pontificatus an. 11. extant & aliæ eiusdem Honorij litteræ ad ipsum, & Priorem Scalæ Dei. Datæ Viterbij, pridie nonas Iunij, Pontificatus ipsius anno 4. Præfuit Arnaldus laudabiliter annos 6. & quietis adpetens, præfecturam abdicauit anno 1220.

XII.

RAYMVNDVS I.

Raymundus, dictus *de Ostalrich*, electus an. 1220. post biennium 1222. ab Honorio III. litteras impetrat, absoluentes à decimis, siue ex proprio labore, sumptibúsue, seu per colonos partis. Datis Laterani 10. Kalend. Iunij Pontificatus ipsius anno 6. Porro ipse Raymundus post quadriennium exactum in Populeto, in Elnensem Episcopum promotus est, circa annum Christi 1224. vt laudabiliter priorem Ecclesiam rexerat, ita in secunda sanctè consummatur. Dies obitus eius fuisse dicitur 11. Septembr. Annus ex Elnensi Ecclesia petendus erit.

XIII.

RAYMVNDVS II.

Raymundus de Ceruera, illi sufficitur, anno 1224. (aliis 1225. Regi Iacobo charus: sub quo illustris Guillelmus *de Ceruera*, eius propinquus, post quàm inclyti Petri Aragonensis, Iacobi Regis Patris, diu, & fœliciter, exercitus duxisset, generosiorem militiam, id est Monasticam, professus in Populeto, longè clariores triumphos reportauit. Hic ille magnus Guillelmus *de Ceruera*, quem Alphonso, tum filio, tum hæredi, Iacobus Rex tutorem designauit cum tribus aliis primis totius regni, vt in 15. Abbate infrà dicemus.

XIV.

ARNOLDVS III.

Arnoldus, huius nominis tertius, cognomento *Gallard*, electus an 1229. sequenti 1230. Iacobum Regem, victorem redeuntem ex Balearibus excipit Populeti, deuotas grates Deo, Virginique acturum pro Victoria; atque inde ad omnes vrbes, & Ecclesias, vt referrent impensius scripturum: *apud Bernardinum de Miedes lib. 7.* Barchinonensi Ecclesiæ, de Sede Episcopali cum Balearicarum maiore decertanti, vnà cum Abbate Sanctarum Crucium iudex datur: *apud eundem, & Hieron. Zoritam*, & anno 1231. promotus in Episcopum, in vna ex Ecclesiis Galliæ Narbonensis (nec mihi constat qualis) vbi post annos aliquot exactos, cum Capitulum generale Cistercij, etiam post infulas, ex more frequentaret, in eodem Archi-cœnobio obiisse dicitur 22. mensis Septembris, incerti anni.

XV.

XV.

VITALIS I.

Arnaldo *Vitalis*, dictus *de Algueyre*, substituitur ann. 1232. Quo Iacobus, Aragonensium Rex Alphonso filio hæredi declarato, tutores designat, Archiepiscopum Tarraconensem, regni Primatem, duos Magistros, Templi, & Hospitalis, & Guillelmum Ceruetam Populetanum, cuius superius fecimus mentionem: *apud Hieronym. Zorit. in Indicibus.* Post triennium Ecclesia Populeti sub Vitali secundo etiam fœcunda, secundam filiam vltra mare genuit, quam à Iacobo Rege fundatore, Regalem dictam, Monachis cum Abbate transmissis propagauit, ann. 1235. Vitali scribit Gregorius Papa IX. litteras datas Laterani 7. Kalendas Maij, Pontificatus eius anno 7. Demum præfectura quadriennio administrata, non sine insigni opinione pietatis; & gratia apud Iacobum Regem præ aliis validus, pertæsus curas, & solius quietis adpetens, cessisse legitur anno 1236. Quo tempore Iacobus expugnationem Valentiæ maturabat.

XVI.

RAYMVNDVS III.

Raymundus huius nominis tertius, dictus *de Ciscar*, electus anno 1236. sequenti 1237. capta Vrbe Valentia, fundando Prioratui locum accipit extra mænia vrbis: eum, inquam, locum, in quo inclytus Martyr Sanctus Vincentius tot ante annos passus, suo sanguine Hispaniam illustrauerat. Inde Sancti Vincentij Cœnobium dictum, portæ Vrbis, & vico, nomen dedit. Raymundus opinione Sapientiæ, & vitæ, clarus, cum triennio præfuisset Populetanis, in Episcopum Ilerdensem assumptus est ann. 1239. Præfuit Ilerdæ deinceps 9. annis; & cum in Gallias pro negotiis regni legatus iisset, Lugduni infirmitate præuentus, obiit die 20. Augusti, anno 1248. Corpus ad Populetum delatum est, atque honorifica donatum sepultura; à qua tamen translatum, atque vnà cum Carolo, Sancto Vianæ Principe (incertum qua occasione?) locatum lego.

XVII.

RAYMVNDVS IV.

Raymundo *Ciscar* in Episcopum promoto *Raymundus* alius 4. suffectus est, cognomento *Donatus*, ad annum 1239. qui tamen breui, baculo abdicato, nullam aliam reliquit sui memoriam.

XVIII.

VITALIS II.

Vitalis secundus, sub quo, in antecessore, nam id dubium, Populetum adhuc tertiam filiam genuit, Bonifazanum, in regno Valentiæ; iniuncta fundatione Iacobo Regi, expiando flagitio, quod in Gerundensem Pontificem patrasset: ob reuelatam namque confessionem, vt asserebat Rex, linguam illi præcidi fecit sacrilegè. Sic factum est, vt præter Monasterium S. Vincentij, quod membrum Populeti magis, quàm germen, nec Abbatiæ, sed Prioratus tantùm titulo gaudet, in tribus regnis, Iacobo Regi subiectis, tres Populeto Ecclesiæ subditæ essent, Petra, Regalis, & Benifazanum. in Aragonia, in Maiorica, in Valentia, prima ab Alphonso Rege dudum condita, quia in Regno antiquo; posteriores ab ipso, tunc ferè primum, cum regna ipsa accessere Christiano nomini. Vitalis creditur obiisse intra biennium; sed neque dies obitus, neque annus, in Monumentis antiquis designantur.

XIX.

DOMINICVS.

Dominicus Semenus substituitur, breuis & ipse temporis Præsul; nisi quòd tamen inter hos tres vltimos ad annum 1245. dicuntur pertigisse. Neque Dominicus per mortem sublatus filiis, sed sponte cessisse memoratur.

XX.

BERENGARIVS.

Berengarius, cognomento *Castellot*, electus an. 1245. A Violante Regina repulsam passus, dum se non Populeti sepeliri, condito testamento, sed in Valle-bona, Cisterciensium Monialium Conuentu, iubet; Iacobo Regi sepulchrum vacuum praeuenit; vt quod in vita diu esse non licuit, in morte aeternum foret: & solus ex his, qui in Populeto iacent, Aragonensium Regibus, Monachum praeseferret sepulchro celebri. Doluit tamen omitti suam Ecclesiam ab inclyta Regina; & doluisset amplius, si non dolorem incrementa temperassent sororis Ecclesiae; & quam ex delegatione Abbatum Cistercij, plerumque, etiam visitabat. Berengarius cum septennio praefuisset migrauit in pace anno 1252. 17. die mensis Nouembr Huic, puto, scripsit Innocentius Papa IV. in cap *Abbate sanè* 3. de sententia, & re iudicata; cum super quadam opima possessione in regno Valentiae (Roselis loco nomen) cum Benifazano, Coenobio eiusdem Ordinis, ex Populeto nato (namque ita corrigendum) litigaret.

XXI.

ANDRÆAS I.

Andraeas, dictus *de Praxanes*, ex Abbate Petrensi in Aragonia, quae est Ecclesia filia Populeti, electus an. 1252. cuius consilio, interuentionéque, Monasterium Gratiae Dei, aliàs *de la Zaidia*, in vrbe Valentiae, à Iacobo Aragonio Rege conditum, Monialibus adductis ex Valle-bona, Cisterciensi coenobio, Tarasiam Ægidiam Vidauram, illustrem aliàs foeminam, ex Regia pellice (cum iam vxorem, victa, deposuisset) sponsam Christi factam, & longa poenitentia velut dotatam, Caelis tandem, inuexit: demonstrata eius gloria per multa signa, & corporis humati incorruptionem, quae hodiéque post 400. fermè annos perseuerat. Praefuit tribus annis, & 1255. velut gradatim ascendens, à filiabus ad matres praeficitur coenobio Fontis-frigidi: mortuus, vt habent Populetanae Tabulae 14. die mensis Ianuarij, ignoto anno.

XXII.

ARNALDVS IV.

Arnaldus, huius nominis quartus electus anno 1255. De quo tamen non constat, quot annis praefuit? vt magni Regis Iacobi Aragonensis, sceptro deposito, ad habitum, & solemnia vota admissi, supra caeteras alias insignis gloria, inter eundem, & successorem dubia, illustraret vtrumque, neutrum opprimeret.

XXIII.

BERNARDVS I.

Bernardus, cognomento *de Ceruera*, sequutus est, qui Populetum vsque ad ann. 1293. administrauit. Eius igitur, an antecessoris tempore, Iacobus Rex, cum 63. annos regnasset, nec minùs dilatata gestorum fama, quàm diuturno imperio, cùm trigesies cum inimicis crucis, quos solos hostes habuit, collato praelio, semper de eis victoriam reportasset, vnde & ei Praeliatoris nomen accessit; cùm vero Deo templa ad duo millia (sic memorant historiae) aut construxisset, aut expiata à Mahomerana superstitione ritu Christiano pius dedicasset; cum sub foelici, & fausta aduocatione S. Mariae de Mercede Religiosam familiam pro redimendis captiuis instituisset; cum regna integra Ecclesiae comparasset: cùm nulli Regum in toto Orbe Christiano haberetur secundus, forte & secundum ipse vir haberet; vltimam tandem victoriam de se ipso reportauit foeliciùs, gloriosiúsque, quâ illustrem vitam coronauit morte illustrissima. Ad Algeziram oppidum febre correptus anno 1276. Petrum filiorum suorum natu maximum, & Populeti Abbatem ad se vocat: aduenientibus, Petro filio, regnum, cui sponte cessit; seipsum, Populeti Abbati tradit; & sacra Cisterciensi veste accepta, Monachum induit; certus ad Populetum reliquum vitae, atque votis obstrictus peracturus: Obiit tamen, dum illuc ferretur, ipso in itinere (fortè ingrauata febre ex eius motu) in vrbe Valentia, die 27. mensis Iulij, assistentibus Monachis, quos dudum sibi in fratres cooptasset. Corpus ad Populetum delatum duplici titulo, & Regis, & Monachi, inter vtrosque accepit sepulturam.

XXIV.

XXIV.

GVILLELMVS I.

Bernardo mortuo ad annum 1293. eodem subrogatus est Guillelmus. Præfuit quinquennio, & anno 1298, cùm Abbas Monasterij Fontis-frigidi Populeti Ecclesiam visitaret paterno iure, iussus, aut sponte cessit, priuatam vitam curis anteponens.

XXV.

ÆGIDIVS.

Ægidius Guillelmo suffectus anno 1298. Præfuit annos 5. & anno 1303. vitam simul cum baculo deposuit.

XXVI.

PETRVS V.

Petrus huius nominis quintus, dictus *de Alferibe*, substituitur anno 1303. Nouennio præfuit, & eo expleto obiit anno 1312. Iacet in Capitulo, vt fermè omnes eius antecessores; verum primus ex illis, cuius sepulchro lapis superpositus, sepulti nobis nomen manifestat, & dignitatem.

XXVII.

ANDRÆAS II.

Andræas secundus huius nominis, dictus *de Timor*, triennio præfuit, & obiit Ianuarij 4. anno 1315.

XXVIII.

PONTIVS.

Pontius Campans, electus Maij 20. anno 1315. Quo tempore, vix Regibus inferior, Raymundus Cardona, Populeti inter Reges sepelitur, inscriptione Hispana, sed singulari, atque omni memoria digna.

Aquien esta piedra esconde,
Por ser varon de su ley,
Entre los Reyes es Conde,
Y entre los Condes es Rey.

Por hazaña se ñalada,
Gano el Conde esta Corona:
Por do queda coronada
La Real Casa de Cardona.

Obiit Barchinone anno 1320. Et post biennium ad Populetum translatum corpus tali sepulchro à Pontio est honestatum. Eius tempore (quod hactenus non visum, fortè neque videndum) cùm corpus Sanctæ Eulaliæ Barchinone solenni ritu, & pompa transferretur; non duo, aut quatuor ex Populetani Monachis, sed integer Conuentus, iussu Regis, Barchinonem aduenit, tantæ solemnitatis diem celebraturus. Porrò cum octo Episcopi, & sex Abbates, translationi assisterent: duo Episcopi Tarraconensis nimirum, & Ilerdensis, & Abbas Populeti, electi sunt, qui publicè in ea celebrarent: *ex Hist. Comitum Barch. lib. 3. cap.* 18. Reliquit Pontius gloriosam sui memoriam in multis ædificiis, & permagnificis, in vestibus & vasibus pretiosis ad cultum templi; inter quæ eminet Deiparæ imago, ex nimio argenti pondere, neque arte cedente materiæ pretio. Ex Colonia Sanctæ Columbinæ Virginis corpus asportari curauit, cui & vsque Parisios obuiam procedens argentea item, neque minùs pretiosa effigie inclusit: quæ omnia Populetum hodie conseruat. Protraxit præfecturæ suæ tempus ad annum 1348 quo sæua peste grassante per Catalauniam, præcipuè ad Populetum ipsum, & successorem 59 Monachos, & 30. Conuersos, periisse Tabulæ produnt: vt facilè coniectari liceat, quanta tunc Populeti Ecclesia, quæ tantæ stragi superstes, non succubuit. Pontij tempore floruére in Populeto viri insignes doctrina, & pietate; inter quos fuit Iacobus Richardi, qui anno 1316. Expugnandis libris Arnaldi Villa noua, cum aliis viris doctis, præfectus legitur: *Apud Eymericum in direttor Inquisit. quæstione* 11. *diagum. lib.* 1. *cap.* 1; Ipse etiam Pontius apud eosdem dicitur interfuisse Gerundæ, vna cum Iacobo Rege filiisque, & duobus Episcopis, cum Petrus Durandus insignis hæresiarcha contumax traderetur flammis vltricibus. Obiit Pontius 29. die mensis Iulij.

XXIX

BERNARDVS II.

In eius loco subrogatur *Bernardus secundus*, die 8. Augusti; sed qui 8. diebus vix expletis, antecessorem suum sequutus est 16. eiusdem mensis, & anni.

XXX.

ARNALDVS V.

Substitutus *Arnaldus quintus*, non sine metu, sed auspiciis haud dubiè fœlicioribus. Nisi quòd tamen infœlicior illum pestis manebat perniciosæ doctrinæ per Berengarium (Beningerum alij vocant) Monachum Populeti, sub specie pietatis, in partibus Aragoniæ latè diffusa: *In direct. Inq. 2.part.quæst* 11. *num.* 8. quod nullum prorsus opus bonum esset nisi ex amore Dei expresse fieret: spes vitæ æternæ, metus gehennæ, atque alia motiua inferiora, damnanda forent. Nec prius obuiari potuit grassanti malo, quam latè serpsisset, in quo viriliter Arnaldus laborauit. Protraxit vitam, præfecturámque ad annum 1360. atque multis ad habitum susceptis exactæ pestis damna reparauit.

XXXI.

GVILLELMVS II.

Guillelmus, dictus *de Agull*, electus anno 1360. & longa præfectura Regibus charus, illustre priuilegium sibi, & successoribus suis abs Petro, cognomento *ceremonioso*, impetrat, anno 1375. vt Abbates Populetani perpetuis temporibus eleemosynarij maiores Regum Aragonensium haberentur. Quod idem priuilegium à Ioanne filio anno 1387. quo Petro successit, confirmari curauit, addita clausula; vt id munus implere per se, aut per duos Monachos, ab ipsis substituendos, Abbates possent. Eodem anno Petrum ipsum Regem sepultura donauit in Populeto, cum quo & tres eius coniuges Maria vnica, & duplex Eleonora, Regum Nauarræ, Lusitaniæ, & Siciliæ filiæ, sepultæ iacent. Infantem, eiusdem Regis, ex Maria vxore filiam, Sanctimonialem induit, mox sepeliendam adducit ad Populetum. Monasterium muro firmo, & stabili, etiam aduersus impetus hostiles, quadrato è lapide cinxit. Vsum Pontificalium primus obtinuit, ac multis aliis titulis, cum laude, & reuerentia recolendus viuere desiit, anno 1393. die 13. mensis Iulij. Sepultus in capitulo, vbi & eius memoria perseuerat.

XXXII.

VINCENTIVS.

Vincentius Ferrerius, , patria Valentinus, in sacra Theologia Magister, & Sancti Vincentij Ferrerij Dominicani secundùm carnem propinquus, quique illi inter charos haberetur, ex Priore eiusdem domus sub Guillelmo, electus anno 1393. calamitosa tempora assequutus, quibus Ecclesia laborabat, sub longo schismate. Ioannem primum Aragonensium Regem, repentina morte substractum, dum feras sequitur, anno 1396. in Populeto sepelit: vbi & cum duabus vxoribus, quas habuit, hodiéque iacet, Violante, atque Mathæa, illa Burgundiæ Ducum inclyto germine, hac Comitum Armeniæ clara prole. Ioannam, cui iuuenis desponsatus fuerat, Francorum Regum filiam, abstulit mors prius, quàm ad virum posset peruenire. Interfuit Vincentius Concilio Perpinianensi sub Benedicto XIII anno 1409. vbi & senex, & longum schisma pertæsus, baculum abdicauit in manibus Cardinalis de Sancto Georgio, qui tunc agebat legatum Pseudo-Pontificis. Abdicationi biennio adhuc superstes, obiit anno 1411. Iacet in claustro ante ipsum ostium capituli sub lapide plano, hac superposita inscriptione:

MISERERE MEI DEVS.

XXXIII.

XXXIII.

IACOBVS.

Iacobus, cognomento *Carbc*, seu *Carbonel* ex Vice-eleemosynario maiore Martini Regis ab antecessore Vincentio deputato; vtriusque interuentu, seu veriùs à Benedicto XIII. aliàs Petro *de Luna*, institutus, die 4. mensis Martij, anno 1410 Quo tempore egregia indolis Monachus, Petrus *Marginet* dictus, ex oppido vicino, subiectóque (Vallis clara illi nomen) tentationibus grauibus permissus, diuturnis cedens, in apostasiam primùm, mox in omne flagitium præceps labitur: sacrilegus, adulter, prædóque; terror, & scandalum confinium populorum. Iacobus ipse non multò pòst in eiusdem Benedicti XIII. manus resignat (incertum quâ occasione) maximè cùm post baculum depositum eligi se in Regali passus sit Monasterio ab Iacobo Rege fundato in Insula Balearij, de quo superiùs. Sed neque filia magis quàm matre fruitus, obiisse dicitur Barchinone, anno 1413. sepultus ad Prioratum Nazareth eiusdem vrbis, Ordinis Cisterciensis sub Populeto.

XXXIV.

JOANNES I.

Ioannes Martini, dictus *de Menguxo*, à Benedicto XIII constitutus anno 1412. sed nihilominus eundem auersatus, postquam in Concilio Pisano anno 1415 secundò damnatus, atque schismaticus declaratus est. Affuisse creditur Concilio Constantiensi, vbi à Martino V. vero Pontifice denuò institutus Abbas, & munere pœnitentiariæ donatus, ad Hispaniam remittitur; vnus ex duobus Magistris, & Abbatibus Ordinis Cisterciensis legatis à Concilio Martinóque ad Benedictum XIII *in Histor. Henrici III. Castellæ Reg. cap.* 48. procuraturis Romanæ Ecclesiæ pacem, & fœdum schisma, tam ipsi Benedicto, quàm Cardinalibus eius, dissuasuris. Anno 1416 Ferdinandum, huius nominis primum, Regem Aragonensium, cum aliis sepelit, vbi & vxor ipsius Eleonora, ad quam Regnum deuenerat, cum sine liberis Martinus decessisset, sepulta iacet. Successori Alphonso eximie charus & toto præfecturæ suæ tempore, Vice-Abbatis Cistercij visitator in Hispaniarum regnis; sub quo specialiter, & expresse nominato, quæ modò viget, obseruantia Castellæ cœpit, anno 1425. Martini Papæ V. authoritate. Hic vt apostatam, Petrum Marginetum, ab inceptis flagitiis reuocaret, nihil omittens; dum de salute ipsius penè desperans, orationem vniuerso cœtui iniungit iuxta præceptum regulæ, ex Saulo in Paulum mirabiliter conuertit, spontaneè reducem; & primo Monachum eximiè penitentem, mox de licentia Ioannis eremitam, multis clarum miraculis; nec pauciores suo exemplo conuersurum, quàm scandalo peruerterat; demum Angelis socium dedit, & ciuem cœlis. Quo item tempore, anno 1430.. sanctè obdormit illustrissima Virago Eleonora, Vrgelitani Comitis filia, cum annos plurimos in arcta pœnitentia, & continua oratione, sub eiusdem eremitæ magisterio, vitam duxisset: & anima ad Cælos ab eodem sancto Patre manibus Angelorum portari visa: corpus ad Populetum sepultum est vt ipsa prælegerat: vbi hodiéque sepulchrum eius cernitur, superpositis diuersis instrumentis Cilicinis, & ferreis, quibus, dum viueret, macerabat, atque dirè cruciabat tenerum corpus. Ioannes XXII. annis exactis viuere desiit salutis anno 1433. atque eiusdem anni die penultima.

XXXV.

GVILLELMVS III.

Guillelmus tertius ex nobili Peraltarum familia vir super alios probus, prudénsque, inuitus assumitur an. 1434 Nec consensurus, nisi sancti Petri Margineti, tum precibus, tum consiliis adductus esset Eodem anno, ab Eugenio Papa IV. dirimendis quæstionibus, si quæ inter obseruantes Castellæ incidant, nominatim præficitur. Clauum tenuit biennio cum magna laude: & fine anni 1435. cum multarum ægritudinum pondere penè succumberet, ad quietem optatam reuersus est, resignata dignitate in manibus Eugenij IV summi Pontificis, nec constat quot annos superuixit.

XXXVI.

MICHAEL I.

Michaël, cognomento *de Rovres* sequutus est, ab ipso Eugenio IV constitutus initio anni 1436. breuis & ipse futurus temporis Præsul; quippè Valentiæ dicitur obiisse 15 die mensis Ianuarij, an. 1437. Quo & sacra obseruantia recens orta, ab eius potestate prorsus eximitur, & soli Abbati Cistercij, personaliter tamen, & indelegabiliter subiecta manet. Corpus ad Populetum deductum est, cùm posset ad sanctum Vincentium sepeliri.

XXXVII.

BARTHOLOMÆVS.

Bartholomæus Conill, insignis pietatis vir, quem multis ferunt miraculis claruisse assumptus anno 1437. cum ex Medico Regio, dudùm Monachus, medendis animabus adhuc peritior, longa præmissa experientia probatus esset; & hic inuitus ad regimen vocatus, neque Blanchæ Reginæ, atque aliorum Principum precibus acceptare acquieuit, donec ab Eugenio ipso iussus est, ad eiusdem Reginæ petitionem. Extant ad eum epistolæ non paucæ Alphonsi Regis, cognomento Magnanimi, ex Calabria scriptæ; quibus nihil sine eius consilio tentatum à pio Principe, nihil sine eius ad Deum interuentione prouenisse, vt putabat, facile sanè videat, quicumque legat. Præter trinum officium quotidianum, nostris in vsu, Psalterium integrum recitauit dum vixit, per dies singulos. Inter miracula, quibus claruisse dicitur, mortuum quendam suscitasse memoratur. Fuit etiam celebris eius præfectura morte Petri Margineti, vt ex monacho, apostatæ; sic ex apostata, insignis pœnitentis, de quo superius: quem post multos in antro annos exactos; post longam, admirandámque pœnitentiam; post crebra miracula; tandem anno 1440. sub Abbate Bartholomæo, sanctum sub sancto ad superos transiisse, eius Ecclesiæ monumenta testificantur. Vt palam fiat Cistercium Deo curæ, quod, vel in media temporum malitia, his viris sanctis voluit illustrare. Iacobus item, Barchinonensis Præsul, & Nuntius Apostolicus Nicolai Papæ V. ad Populetum sub eodem Abbate moritur: ibidem tumulatus 18. Decembris anno 1456. Bartholomæus ipse, virtutibus, an signis clarior? dubium, 15. annis exactis in præfectura anno 1458. aufertur filiis, æterna vt creditur, gloria coronandus.

XXXVIII.

MICHAEL II.

Michaël, cognomento *Delgado*, ex Vice-eleemosinario maiori Regis Alphonsi cognomento Magnanimi, à Bartholomæo antecessore deputata assumptus, anno 1458. Nicolao V. & Calixto III. quandiu in Italia egit, eximiè charus, à quibus etiam xeniis donatus dicitur: in Hispania Ioanni Regi pernecessarius, & in cuius obsequium, cum bella in Aragonia feruerent, multa insumpsit: ab eodem Legatus ad Pontificem, dubium Pium II. Paulúmve, quamuis hoc vltimum probet ratio temporis. Mox deputatus ad negotia publica Regni, atque aliis titulis functionibúsque necdum cohonestatus pro dignitate. Martini Aragonensis Regis corpus ac Vallem-Virginum (Puellarum alij nominant) Cisterciense Cœnobium ante annos 50. vita defuncti, hactenus in Cathedrali Barchinonensi depositum, honorificè ad Populetum transtulit, an. 1460. & cum duabus vxoribus, quas habuit, Violante, atque Maria, collocauit: sequenti 1461. Carolum Vianæ, Principem Ioannis II. & Blanchæ Regum filium, & Caroli Nauarræ Regis, nepotem hæredémque, vel in lubrica ætate clarum miraculis, sed in ipsa defunctum, inter aliorum Regum sepulchra locat, præciso brachio dextro, quod ego vidi, & vsque hodie miracula patrare, populorum deuotio, & Monachorum testimonia satis confirmant. Quin & integrum corpus permanere, incorruptúmque, cum nullis medicamentis conditum fuerit. Illustrauit & eius præfecturam venerabilis Ioannes, cognomento *Zerdan*, Populetanus Monachus, non minùs clarus opinione doctrinæ, quàm pietatis, atque ob vtramque in Episcopum Barchinonensem assumptus; tandem consummatur fælici obitu, nec sine multa opinione sanctitatis, an. 1468. Cuius corpus delatum ad Populetum condigno tumulo nec minus pietatem, quàm dignitatem viri præseferente sepelitur. Michaël tandem, cum annos fermè 20. eximia cum laude præfuisset ad patres suos apponitur, anno 1478. die 26. mensis Nouembris.

XXXIX.

IOANNES II.

Ioannes huius nominis secundus, cognomento *de España*, subrogatur, incertum an Monachorum electione, anno 1479. Constat præfuisse menses 16. sed nondum benedictum, quin intendentem vt ferunt, renunciare in fauorem cuiusdam Ioannis Ruycij, Magistri in sacra pagina, & Monachi professi eiusdem domus: nec displicuisse eam abdicationem Ferdinando Regi Catholico, si non per Monachos, ex Populeto missos instructus esset, plurimum derogari publico bono, si non per electionem Monachorum Abbates Populeti subrogarentur. Ergo ad vtrumque Ioannem litteras dedit; alteri vt in nullius fauorem cederet, si cedere decretum; alteri, vt cederet iuri, si quod habebat ex intentata in fauorem eius resignatione. Breui, quo præfuit, tempore excepit sepulchro Ioannem II. Aragonensium Regem, Caroli primi supra nominati ex prima vxore, & Ferdinandi Catholici Parentem, defunctum anno 1479 cum quo Ioannam Henriquiam, eius vxorem, ante decennium raptam, ex Tarracone adductam sepeliuit.

XL.

IOANNES III.

Cedenti liberè Ioann: *de España*, Ioannes alter, non Ruicius, vt voluerat, sed Payus, cognomento *Coëllus*, suffragiis Monachorum suffectus est, ex Vice eleemosynario, Regis Catholici, quem pro se antecessor substituisset. Fertur fuisse patria Zamorensis, Regi Catholico charus vel inter paucos: & cuius nutu deputatus negotiis publicis totius Comitatus Barchinonensis, adeo prudenter cuncta administrauit; vt idem Rex frequenter dictitaret nullam ad se querelam delatam esse de factis, cum Populeti Abbas assisteret: si fortè abesset, vix decerni quicquàm, quod non per eum veniret emendandum. Præfuisse dicitur annis 19. Et tandem anno 1499. 19. Maij debitum concessisse mortalitati.

XLI.

ANTONIVS.

Antonius sequitur, cognomento *de Buada*, electus anno 1499. Quo tempore, cum de temporalibus Abbatibus, in Regnis Aragoniæ introducendis, instar eorum, quos dudum in Castella reformasse Cisterciu experiebantur, confirmationem distulit, certus resignandi præfixo tempore, si id ab Apostolica Sede concederetur: & misit Romam Dominicum *de Puerta*, virum doctum, & Magistrum in sacra pagina, qui apud Pontificem negotium promoueret Interim tamen, triennio suo exacto, vita excedit anno 1502.

XLII.

DOMINICVS.

Tum verò Monachi in eius locum subrogant, quem Romæ habebant pro temporalibus Prælatis impetrandis procuratorem; quasi non alius, aut certius consentiret, aut facilius indultum reportaret. Sed ô facile hominum ingenium, & pro affecto varium? Qui subfuturus temporales solicitabat; præfuturus perpetuus esse ambiuit; atque impetrata perpetua concessione, benedictioneque ab Alexandro VI. ad Hispaniã reuersus, quæcumque antea tractasset, retractauit. Præfuisse tamen cum laude memoratur, & Populetum ingenti ære alieno oppressum non solùm debitis cunctis liberasse, sed ditauisse. Eius tempore in B. Petri *Marginet* sepulchro audita commotio superuenturam pressuram annunciauit, anno 1503. Quod iterum, imminente peste Cœnobio, legitur contigisse ad annum 1529. Sub ipso etiam floruit in Catalaunia omni cum reuerentia nominandus, Ioannes Enguerra, ex Cisterciensi Monacho, &, vt aliqui volunt, Populetano, Regi Catholico à sacris confessionibus, atque ab ipso legatus ad Regem Franciæ, Reginæ germanæ nuptiis conciliandis: Hæreticæ prauitatis Inquisitor, (vt vocant) generalis in Aragonia, Episcopus Vicensis prius, mox Ilerdensis; de quo multa Mariana, Zuritáque, vterque ad annum 1505. & subsequentes. Sub eo etiam Ferdinando Rege Catholico ad Granatam sepulto, & regno Aragonensi vnito regno Castellæ,

desiere

desiere Reges sepeliri in Populeto; nisi quod tamen Ferdinandi filius, & Reginæ germanæ, in infantia defunctus, illic iacet. Reliqua Segorbenses Duces continuant, Regum clara progenies, & quibus iure debebantur auorum tumuli. Vergente in senium Dominico Abbate, Magister quidam, dictus de Minorica, vt eius coadiutor esset, cum impetrasset; ipse constanter restitit; & liberam Monachis relinquendam electionem, non solum procurauit, sed obtinuit. Extat ad eum epistola Caroli V. gloriosissimi Romanorum Imperatoris, Hispaniæ Regis, ex Vvormacia scripta, gratulans de zelo, & securum esse iubens, ipsius patrocinio defendendum. Demum cùm annis 24 præfuisset, & priuilegia omnia suæ Ecclesiæ, atque eleemosynarij maioris munus, Abbatibus annexum ab eodem Imperatore Carolo V. confirmari fecisset, plenus dierum, & iam octuagenarius, & suprà, obiit die 23. mensis Maij, anno 1526.

XLIII.

PETRVS V.

Petrus, huius nominis quintus, cognomento *Quixal*, electus anno 1526. Quo & venerabilia ossa B. Petri Margineti ad instantiam Gnomaræ infantis, ob miraculorum frequentiam, de terra leuat. Sculptas alabastro lapidi effigies, ingens, & pulchrum opus, quod aram maximam Populetani Templi illustrat, atque alia ædificia fecit memoria digna. Haud æquè in cæteris laudandus, cùm annos quinque, plus minus præfuisset, per sententiam generalis Capituli deponitur, salutis anno 1531. & mancipatus carceri in regno Valentiæ, obiit non multò pòst. Sepultus in Monasterio Montis Sancti, Monialium olim, hodie Monachorum sub Abbate Vallis dignæ. Eius tempore pestis in Populeto diu, & multùm grassata, anno 1529. frigore magno, & crebris percussionibus ad Beati Petri Margineti tumulum, prædicta legitur.

XLIV.

FERDINANDVS.

Ferdinandus Lerin, electus in die Sancti Edmundi, anno 1531. doctrinæ, atque prudentiæ laude illustris: sed cuius nulla alia memoria subest: nisi quod, cum præfuisset annis 14. obiisse fertur anno 1545.

XLV.

GABRIEL.

Breuioris temporis successor illius fuit, dictus Gabriel *Foxes*: vir, vt ferunt, versatus in sacris litteris; sed qui intra annum, cum ad Valentiam vrbem perexisset, Sancti Vincentij Prioratum visitaturus, ibidem obiit, nono ab electionis suæ mense, anno 1546. 16. die mensis Septembris delatus ad Populetum, atque ibidem sepultus inter Abbates.

XLVI.

PETRVS VI.

Petrus, huius nominis sextus, dictus *Boques*, electus anno 1546. die 27. Septembris id est vndecima à morte antecessoris; insignem medicum, Ioannem *de la Peña* cum 44 annos, partim in habitu sæculari degens, & partim Monachus, sanctissimè exegisset in Populeto, vt piè credimus, ad superos transmisit, & sepeliuit. anno 1558 domum contractis debitis oppressit, non profusus, sed magis fortè auarus; nouis nimirum compararis oppidis, qui Populeto Vasallitio iure subiicerentur. Et erat Populeti Abbas in temporalibus secundus Princeps in tota Catalaunia, qui solus Dux Cardonæ præferri posset. Visitauit Cisterciensis Abbatis vice Cistercienses Ecclesias in regnis Aragoniæ, Nauarræque: & cum 18. annis præfuisset, tandem appositus est ad Patres suos, die 26. mensis Octobris, anno 1564.

XLVII.

IOANNES IV.

Ioannes huius nominis quartus, dictus de *Guimeran*, sacræ Theologiæ Magister, & comissarius

ſarius Reuerendiſſimi Ciſtercienſis in Regnis Aragonum, Nauarræque; & in regno Valentiæ, ſemel, & iterum deputatus negotiis regni. Præfuit annis 18. deceſſitque die tertia Ianuarij, intrante anno 1583.

XLVIII.

FRANCISCVS.

Franciſcus Oliuerius, Oliuerienſis Vice-Comitis filius, communibus ſuffragiis, nullo diſcrepante, electus die 14. Ianuarij, an. 1583. ab obitu anteceſſoris die 11. Bis publicis negotiis regni Valentiæ, & bis negotiis Comitatus Barchinonenſis publicè deputatus; cuius hodiéque in ipſa Barchinone, & domibus, quas vocant *Deputationis*, ſumptuoſo ædificio extat illuſtre nomen. Ad Philippum II. Regem Catholicum, pro eiſdem negotiis miſſus ſemel, & iterum, atque ab eo benigniſſimè ſuſceptus, à quo etiam in mandatis multa accepit: Reuerendiſſimi Ciſtercienſis, ſicut & alij illius anteceſſores, in regnis Aragonum vices tenens. Præfuit annis 15. Tandem cum in dies promouendus expectaretur, ad potiora tranſiuit, ingenti cum totius coronæ luctu, nedum ſuorum, die 17. menſis Maij. anno 1598.

XLIX.

JOANNES V.

Ioannes, huius nominis quintus, cognomento *Terros*, ſacræ Theologiæ Magiſter electus 28. menſis Maij 11. ab anteceſſoris obitu, anno 1598. Fœlix ſecunda inuentione ſacrorum corporum S. Bernardi martyris, atque ipſius ſororum, Mariæ, & Gratiæ, quæ anno elapſo ab eius electione, crebris glorioſa ſignis, Valentiæ regnum, Hiſpaniam vniuerſam, Ciſterciúmque; ſed longe magis eiuſdem Sancti, olim fratres; ſed dudum filios, Monachos, Populeti, lætificauit. Salutis anno 1599. Philippum III. Hiſpaniarum Regem Catholicum Dianij adiit; à quo & benignè, gratantérque ſuſceptus, impetrat priuilegium, omnium, quæ hactenus habuiſſet Populetum, confirmationem Reuerendiſſimi Ciſtercienſis Vicarius in regnis Aragoniæ, Nauarræ, & magnæ haud dubiè vir expectationis, ſi non paucos intra annos ab electione, immatura nimium morte præuentus eſſet Populeti, die 11. menſis Decembris, anno 1602.

L.

SIMON.

Simon, cognomento *Trilla*, electus die Decembris 23. 12. ab anteceſſoris obitu anni 1602. Quo & ſacras reliquias Sanctorum martyrum, Bernardi, atque ſororum, crus Sancti integrum, & ſororum fruſta non modica, ex Algezira religioſè reportat ad Populetum. Reuerendiſſimum Edmundum *à Cruce*, Ciſtercienſem Abbatem, Barchinonæ defunctum Auguſti 21. anno 1604. intra biduum ad eandem Eccleſiam transfert, ibique ſepultura condigna donat. Nec multò poſt, ſubortis diſſenſionibus in eadem Eccleſia, ſeu zelo renouandæ congregationis, quæ iam obſoleuiſſet, iuſſu Philippi, Hiſpaniarum Regis Catholici viſitatores accipit, Verolenſem Abbatem, Ioannem Aluarum, mox Solſonæ Epiſcopum: & magnum virum Laurentium de Zamora, Hortenſem emeritum quem tot, ac tanta ſcripta reddunt illuſtrem: à quibus magno in honore habitus eſt. Eius nos tempore, anno 1609. illuſtre Monaſterium illud inuiſimus, atque hæc omnia, vt potuimus, colluſtrauimus, dum à ſancta Barchinonenſi Eccleſia ad opus prædicationis vocati ad propria multis beneficiis onerati reuerteremur. Eodem gubernante Populetum, quæ dudum procurata, non ſucceſſerat, congregatio Eccleſiarum illius tractus, effectum ſortita, authoritate Pauli Papæ V. & Nicolai Boucheratij, Ciſtercienſis Abbatis, ad inſtantiam Philippi III. Regis, ſumpſit exordium, anno 1617. admiſſis Abbatiis quadriennalibus, atque inſtituto Abbate Verolenſi, Vicario generali; & Simone *de Trilla*, Populeti, Sebaſtiano *de Ciſneros*, Petrenſi, & Andræa *de Cabrera*, Benifazano, diffinitoribus.

Explicit ſeries Abbatum perilluſtris Cœnobij Populetani.

SERIES MAGISTRORVM INCLYTÆ AVISIENSIS MILITIÆ IN REGNO LVSITANIÆ.

I.

PETRVS ALPHONSVS.

PETRVS ALPHONSVS, Alphonſi, primi Luſitaniæ Regis, frater, aliis filius: Nouæ Militiæ à fratre, aut Patre præfectus, anno 1162. cùm Sant-Iulianæa, Calatrauenſiſque, altera in Monachatu, altera ſaltem ad Ciſtercij normam, & leges, in Caſtella florerent ab annis quatuor. Inſtitutioni affuiſſe, velut authores, B. Ioannes Zirita, Guiſcardúſque, ille Abbas, hic Monachus, vterque Monaſterij Taroucenſis. Forma obedientiæ militibus præſcripta ſub hoc tenore: *Viuant ſub obedientia Abbatis Ciſtercij. Si quis grauamen de Magiſtro ſenſerit, ad Abbatem deſignatum à Domino Ciſtercienſi recurret: & apud illum deponet querimoniam de Magiſtro, & expectabit ſententiam, de qua ſolus Romanus Pontifex, aut eius à latere legatus, poterit cognoſcere, ſeu Reuerendiſſimus Abbas Ciſtercij, aut eius ad hoc nominatus viſitator & perſonaliter Abbas Claræ-vallis. In electionibus verò Magiſtri, & aliorum officiorum, ſeruabitur ordo, qui in diffinitionibus Ciſtercij conſtituitur. Nouiter verò electus ſuſcipiat inſignia Magiſterij ſui de manu alicuius Abbatis: & in manibus eius præſtabit obedientiam in hac forma. Ego N. nouiter electus in Magiſtrum militiæ Sancti Benedicti Ciſtercienſis Ordinis, nomine meo, & huius militiæ, iuro, & promitto obedientiam Romano Pontifici, & Domino meo Regi Portugaliæ, & vobis Patri Abbati nomine Ciſtercienſis, omnibúſque ſucceſſoribus ſuis, in perpetuum futuris*, &c. *Ex Regul. Auiſ. cap.* 2. At Petrus breui temporalem militiam pertæſus, ſpirituali adhæſit in Alcobacia, vbi ſanctiſſimè vixit, deceſſitque, vt quidam volunt anno, 1165. *Vide in Catalog. Abbatum Alcobacienſium, in Abbate* 10.

II.

GVNDISALVVS.

Gundiſaluus, cognomento *Viegas*, filius Ægeæ Muñicij, electus, vt ferunt, ann. 1163. Eboram cum Alphonſo Rege expugnat, & in ea locum militiæ ſuæ accipit, anno 1166. à qua de Ebora dicta per longum tempus. A Regibus Alphonſo, & Sanctio filio, multa accepit, arcem eiuſdem vrbis, anno 1176. Mafram 1183. Alpedrizium, Alcaneden, & Ierumenhan, anno 187. Eboræ Xenodochium ædificauit, atque alia vtilia fecit, gratam ſui memoriam relinquens poſteris. Tenellam, & infirmam adhuc militiam florenti iam militiæ Calatrauæ vltrò ſubiicit (errat Rades, qui oppoſitum ſcribit, Hiſtor. Calatrau. cap. 16. per quam Ciſtercij ritus inter caſtra, vt hactenus in clauſtris, edoceretur. De anno id vnum nobis conſtare poteſt, præceſſiſſe adoptionem anno 1202. in eo namque ab Innocentio Papa III. militia Eboræ Ordinem Calatrauæ profeſſa commemoratur.

III.

FERDINANDVS I.

Ferdinandus, cognomento *Ioannis*, vulgò *Yañez*, militauit ſub Rege Sanctio primo, & Alphonſo ſecundo, à quo & Auiſij loco donatus eſt, facta, charta apud Conimbricam pridie Kalendas Iulij, Æra 1249. quæ incidit in annum 1211. ſiue id loco nomen ab antiquo, quod verius cenſeo; ſeu tunc ab aquilis, illic apparentibus, fœlicibus auſpiciis mutuatum ſit; quod video traditione acceptà à Patribus altiùs radicatum cordibus omnium. Creditur ædificaſſe ibidem Caſtrum, à loco, *de Auis*, dictum, datúmque vniuerſæ militiæ nomen: cuius rei monumentum hodiéque extat Auiſienſibus ianuis ſuperſcriptum, ſub hoc tenore.

FERDI

FERDINANDVS, MAGISTER DEI GRATIA, ORDINIS CALATRAVENSIS IN PORTVGALIA CVM SVO CONVENTV PLANTAVIT AVIS IN FESTIVITATE ASSVMPTIONIS S.MARIÆ. ÆRA M.CC.XXII. STEPHANVS MARTINI SCRIPSIT. PATER NOSTER PRO ANIMA EIVS.

De Æræ numero lis est inter authores; & quidam ad annum 1218. quidam ad 1223. putant referendum. Quocumque surrexerit, ædificata dicitur pro-spectantibus vicinis Saracenis, sed qui per ramos arborum decepti, non prius fabricam cœptam, quàm consummatam, & tormentis munitam super se viderint.

IV.

FERDINANDVS II.

Ferdinandus secundus, cognomento *Monteyro*, cui sunt qui tribuant fundationem arcis Auisij, & vt minimum transtulisse conuentum ad illum locum, antiqui authores & recentes testificantur: vnde & primus Auisij Magister dictus est, cum antecessores eius Petrus Alphonsus, Nouæ; duo reliqui, Eboræ militiæ Magistri esse dicantur. Præfuit sub Alphonso II. & Sanctio, cognomento Capello, sub quo decessit. Sepultus primum iuxta portam sacrarij noui conuentus: inde primum à Magistro Georgio, Ioannis II. Lusitaniæ Regis filio, translatus ad portam claustri iuxta altare Sancti Antonij, marmoreo tumulo: & tali illi incisa superscriptione.

AQVI YAZ DON FERNANDO ROIZ MONTEYRO, PRIMERO MAESTRE, QVE FOY DESTA ORDEN, ET CAVALLERIA DE AVIS, QVE ESTA TERRA GANOV AOS MOVROS.

Mox anno 1609. ad sancti Benedicti sacellum, vbi nunc iacet. Verum quod dicitur Ferdinandum expugnasse terram à Saracenis, de conuicina intelligendum censeo; non de loco Auisij, quem magis habuit Regia largitate.

V.

MARTINVS I.

Martinus, cognomento *Ferdinandi*, electus vt creditur, anno 1230. & confirmatus, visitatúsque à Magistro Calatrauæ, Martino Ruicio, ann. 1238. Ferdinando cognomento Sancto, Castellæ Regi, Hispalim expugnanti, suppetias tulit, anno 1248. à quo & non modicæ quantitatis censum (nauatæ operæ pretium) dono accepit. Albufeyram Saracenis eripuit; & ereptam firmauit suæ militiæ, anno 1250. & confirmari ab Alphonso, Castellæ Rege, fecit, cognomento Sapienti, ann. 1257. Ab Alphonso, eius nominis tertio, Lusitanorum Rege, multa accepit, an 1260. obiisse creditur in senectute bona non multo post, quamuis annus incertus habeatur.

VI.

SIMON.

Simon, cognomento *Suarij*, inuenitur Magister per instrumenta ab anno 1270. vsque ad 1280. inter quos cum Episcopo, & capitulo Eborensi dicitur composuisse, simúlque confirmasse donationes, quas à Rege Alphonso Lusitano Martinus prædecessor accepisset.

VII.

EGEAS.

Egeas, siue *Egas*, cognomento *Martini*, vulgò *Miz* cuius extat memoria ab an. 1280. ad vsque 1291. tempore Dionysij, Regis Lusitani. Neque alia eius in indice Auisiensium Magistrorum notitia extat.

VIII.

JOANNES I.

Ioannes, cognomento *Petri*, aliàs, *Piz*, breuis temporis Magiſter: quippè, qui non extendit præfecturam vltra biennium: nempè ab anno 1292. vſque ad 1294. legitur tamen compoſuiſſe cum vrbe Scalabi interuentu Dionyſij, qui tunc regnabat.

IX.

LAVRENTIVS.

Laurentius, cognomento *Alphonſus*, ab anno 1295. vſque ad 1310. Dionyſio, Portugaliæ Regi, aduerſùs Ferdinandum Caſtellanum acriter decertanti, maiori virtute adfuit, quàm fortuna: ſuperatus ab Alphonſo Guzmanio ad ripas Anæ fluuij (nos *Guadiana*) dicimus) anno 1300. plus, minúſve. Remuneratus, non ſecus, ac ſi vixiſſet, à magnanimo Rege Luſitano; merita quippè ex animo penſante, non ex euentu. Eccleſias Sanctæ Mariæ de Oliuenza de Alcazaua ad Eluas, *do Castello*, ad Portalegrem, & alias plures: quin etiam arces, oppida, & iura patronatus, & dominij multa accepit, diuerſis diplomatibus, quæ hodie leguntur, & perſeuerant.

X.

GARSIAS.

Garſias, cognomento *Petri*, vulgo *Piz*, anno 1311. vſque ad annum 1315. Neque alia eius notitia ſuppetit nobis.

XI.

ÆGIDIVS.

Ægidius, cognomento *Martini*, vulgo *Miz*, electus anno 1316. Biennio rexit, & anno 1318. Noua militia, à Dionyſio Rege fundata, à Ieſu Chriſto dicta, ex bonis Templariorum, ſub legibus Ciſtercij, & Abbatis Alcobaciæ viſitatione in Magiſtrum illius promotus eſt: non tam maioris dignitatis ergò, quàm vt tyrones veteranus ipſe doceret, & ritus militares Ciſtercienſes, vt olim Auiſienſes, Calatraua, ſic nouos milites, ipſe poſſet inſtruere.

XII.

VASCVS.

Vaſcus, cognomento, *Alphonſus*, quem ab anno 1320. plus minúſue, vſque, 1330. præfuiſſe conſtat, ingentis apud Regem Dionyſium authoritatis, & quo ſæpè vteretur, Alphonſi Principis iuuentæ compeſcendæ. Priuilegia, & iura ab ipſo plura accepit, paſſus eſt tamen externam viſitationem Bracharenſis Archiepiſcopi, Ioannis Papæ XXII. authoritate; Calatrauenſi, cui ſe vltro ſubdiderat, Auiſienſis militia, & Ciſtercienſi, ſub quâ ab initio cœperat; prætermiſſis omnino, quod contra ipſum impetratum à militibus, inde coniector, quod video in ea ipſa viſitatione vltrò ceſſiſſe in manibus Archiepiſcopi, priuatam ex tunc vitam peracturum.

XIII.

ÆGIDIVS.

Ægidius, cognomento *Petri*, vulgò *Perez*, præſidente eodem Archiepiſcopo ſubrogatus pro Vaſco, anno 1330. Nec præfecturam prolatans vltra biennium, quam tenuit ſub Alphonſo IV. Rege; qui Dionyſio Parenti iam ſucceſſerat.

XIV.

ALPHONSVS I.

Alphonſus, cognomento *Mendez*, quem ad annum Chriſti 1334. Magiſterium tenuiſſe ſacræ militiæ: nec quicquam aliud de eo nobis conſtare potuit.

XV.

X V.

GVNDISALVVS

Gundiſaluus, cognomento *Vaz* ſub eodem Alphonſo I V. res adminiſtrans, atque ab ipſo ad Caſtellam legatus miſſus, filio ſuo Petro nuptiis conciliandis, ad annum 1338. Breui & ipſe temporis Magiſter, vt à ceſſione Vaſci quatuor ſucceſſerint, quorum vix vllus triennium conſummauerit.

X V I.

STEPHANVS.

Stephanus Gundiſalui, dictus *Laiċtam* ſub eodem Alphonſo I V. Rege cum quo & Caſtellæ Regi manus cum Saracenis conſerturo, ad fluuium Salſum adfuit, anno 1340. atque inſignis illius victoriæ, vulgò *del Salado*, de Mahometanis partæ, magna pars fuit. Reginaldum Abbatem Morimundi, viſitatorem, & reformatorem habuit. Nec conſtat, an Ciſtercienſis Abbatis gerentem vices, an vt præpoſitum militiæ Calatrauæ. Illud compertum, promulgaſſe leges, quæ hodiéque dicuntur extare: *In Regula, cap.* 8. quamuis tempus ſexennio, plus, minúſve differat.

X V I I.

IOANNES II.

Ioannes Roderici, cognomento *Pimentel*, cuius electioni D Fra. Laurentius Iañez, Calatrauenſis miles, & Maquedæ, vt vocamus, commendatarius, Calatrauæ Magiſtri vice, præfuit ad annum 1342 Ideo forſan longioris præfecturæ (nam nouennio rexit) quod non ſub extraneis, ſed ſub ſuæ militiæ Prælatis ſuffectus fuerit.

X V I I I.

IOANNES III.

Ioannes, cognomento *Alphonſus*, quem anno 1354. tenuiſſe clauum ſub eodem Alphonſo I V. Rege, conſtat ex inſtrumentorum ſubſcriptionibus.

X I X.

DIDACVS.

Didacus, cognomento Garzias, dubium militiæ Magiſter, an viſitator tranſmiſſus à Magiſtro Calatrauæ, nam vlla eius mentio per inſtrumenta; & aliàs viſitaſſe Didacum Garſiam, à Calatraua miſſum, indices rerum Auiſienſium teſtificantur. In Regula, quam vocant Magiſtri D. Georgij, ad annum 1356. Magiſter Auiſienſis commemoratur.

X X.

MARTINVS II.

Martinus dictus *de Auellar*, cuius ab anno 1357. vſque ad 1363. notitia, ſed nulla geſta extant; memoria digna.

X X I.

IOANNES IV.

Ioannes, Petri Luſitaniæ Regis nothus, ſeptennis, ſiue, vt aliis placet, nouennis electus, & in Conuentu, & militia ſacra educatus, egregiæ indolis ſpecimen præſetulit. Adultus Ferdinando fratri charus, & fidus, ipſo defuncto, adminiſtrator regni primum, dein Rex acclamatur à Luſitanis circa annum 1385. Quo victoria ad Aliubarotam parta de Caſtellanis, coronam illi, & regnum confirmauit. Magiſter diſſipauit militiæ bona, dum coronæ inſiſteret: ſed quæ Rex poſtea largè compenſauit, aut compenſare voluit; nam non omnia, quæ dedit, manſere firma. Expugnauit Ceutam; ab inſtrumentis aboleuit Cæſaris Æram; & annum Chriſti inſtituit numerari: multáque alia fecit, per quæ docuit, nonnunquam etiam iniuſtè poſſeſſa regna laudabiliter poſſe adminiſtrari. In loco prælij, cui coronam debuit,

Monasterium struxit opulentum non minus, quàm sumptuosum, quod *la batalla* ab occasione fundationis cognominauit. In eo sepultus iacet celebri tumulo, ab anno 1434. quo magno cunctorum luctu obiit, ætatis anno 77. regni 49.

XXII.

FERDINANDVS III.

Ferdinandus Ruycius, dictus *de Sequeira*, ex commendatario maximo, vt vocant, subrogatus ann. 1389. & confirmatus ab Vrbano Papa VI. qui tunc Ecclesiæ præerat, cum eius antecessor à multo tempore defectionem intentans à Calatraua, priuilegium exemptionis se à Pontifice habere (veréne, an falsò? dubium; neque enim ostendebat) contestaretur. Illud compertum, aduenienti Magistro Calatrauensi exhibitum hospitium valdè honorificum; sed obedientiam omnino denegatam à Ferdinando: nec suscepisse illius visitationem, quantumuis ipse, atque omnes eius milites, velut conspiratores, & diras incurrisse omnes declararentur. Multa obtinuisse à Summis Pontificibus, multa à Ioanne Rege, traditio est: à quo & regni totius administrator relictus, dum ipse Ceutam in Africa expugnauit. Tandem plenus dierum, laudúmque, piè obdormit anno 1433. cum sacram militiam 44. administrasset. Sepultus Auisij in tumulo marmoreo è cuius regione, hæc, & alia illius gesta leguntur. Eius tempore Bonifacius Papa IX. Auisiensibus militibus dicitur indulsisse viuæ vocis oraculo, vt scapulare breue cum capucio, quod hactenus gestasset pro Religionis habitu, in crucem albam, & rubram commutarent: quod eius successor Innocentius VII. priuilegio expedito anno 1404. Pontificatus eius primo, confirmauit.

XXIII.

FERDINANDVS IV.

Ferdinandus, Ioannis primi, Lusitaniæ Regis (quondam Auisiensis militiæ Magistri) filius, quem tamen Regula Vlyssippone excussa anno 1631. administratorem, non Magistrum fuisse putat: sed puto immeritò, quippè cui electio per suffragia defuit, non professio obseruantiæ regularis; designatus ab Eugenio Papa IV. anno 1434. Tangiæ, seu Tingis arcis, & portus Africæ cum fratre Henrico expugnationem aggressus; post longum satis, sed infœlix prælium, obses remansit, non nisi tradita Ceuta redimendus. Sed Ceuta Saracenis nunquam tradita, quod & ipse probabat consulebátque, publici boni adpetentior, quam propriæ vitæ: in misera seruitute, sed admiranda patientia constantiáque, tandem occubuit, miraculis in morte, & post mortem clarus; atque inter Sanctos, tum Cistercienses, tum Hispanos, relatus ab Arnoldo Vvionio, Chrysostomo Henriquez, Hugone Menardo, & aliis, Iunij 17 Stephano Lusignano, Petro Calzolario, Antonio Vasconcellos, & aliis, variis tractatibus. Corpus eius ex Africa in Hispaniam delatum, atque in Monasterio, dicto *de la batalla*, quod pater fundauerat, honorificè collocatum est. Extat illius vita scripta sub tali titulo. *Vida do Sancto Infante Don Fernando*.

XXIV.

PETRVS.

Petrus, Petri Infantis filius, & Ioannis I. Regis nepos, administrator subrogatus auunculo, simúlque Lusitaniæ Comestabilis. Cuius tempore, ne obseruantia regularis sub sæculari administratore languesceret, eius visitationem Pius II. Abbati Morimundi specialiter commendauit, anno 1460. Ædificauit, quam vocant Hominij, turrim, vulgò *del Omenage*, in Auisiensi arce, simul & aulam, quæ turrim ipsam à conuentu diuidit: sacras exuuias, tum de ligno crucis Dominicæ, tum de ossibus Apostolorum, Petri, & Pauli, conuentui intulit, & in arca argentea collocauit, quæ hodiéque memoriam eius conseruat. Castellæ Regi aduersus Aragoniæ Infantes suppetias cum ingenti manu tulit. Inde à Catalanis contra Ioannem secundum Aragonium Rex acclamatus, coronatúsque (nam ex Elisabetha, Petri 4. Aragoniæ Regis, nepte, natus fuerat) tandem veneno extinctus, breui obiit, vix prius sceptrum acquirens, quàm vitam perdens.

XXV.

JOANNES V.

Ioannes, Alphonsi V. Regis filius, mox etiam hæres, anno 1470. Celebrauit capitulum, cui loco filij Pater Alphonsus præfuit. Porrò in eo & in alio, quod congregauit post annos 18. cum iam regnaret, multa instituit, quæ regularem obseruantiam, tum clericorum, tum etiam militum possent promouere. Quæ gessit Rex Annales Hispaniæ implent. Auisiensis militiæ gubernationem cessit Alphonso filio, hæredique, si non Patri viuenti substractus esset.

XXVI.

ALPHONSVS II.

Alphonsus, Ioannis secundi, Lusitaniæ Regis, atque Auisiensis administratoris filius, qui anno ætatis suæ 16. ipso, quo Elisabetham, Catholicorum Regum filiam vxorem duxerat, infœlici, & violenta morte præreptus, quod ad Auisium attinet, nullam aliam sui reliquit memoriam.

XXVII.

GEORGIVS.

Georgius, Alphonsi frater ex adulterio, sed Patri Ioanni charus, vel quia dignus, vel quia post Alphonsi decessum, vnicus fuit. Præfuit simul militiæ Sancti Iacobi in regno Lusitaniæ, Conimbricensis Dux, à quo & Duces *de Aueiro*, atque *de Torres nouas* ducunt originem, Auisiensi militiæ multa obtinuit: salutaria, an nociua? certè permissa, & fortè conducentia pro modo temporis: vt clerici, cunctorum quæ possiderent, sub certa pensione, condere testamentum, & milites vxores ducere possent Abbati Morimundi in Auisienses potestatem omnimodam, qualem in Calatraua obtinebat à Iulio Papa II. confirmari fecit, litteris datis Romæ apud Sanctum Petrum 6. Kalendas Decembri anno 1503. & rursus aliis, 3. Kalendas Septembris anno 1505. Nec minùs ipse intendit negotiis ordinis: anno millesimo quingentesimo quinto, celebrauit capitulum, in quo & multa instituit, & Regulam cum breui chronologia, quæ ab ipso appellantur *Adiunctorum notitia*, vulgari voluit. Sacrarium, & capitulum ædificari fecit, atque Prioribus insignia Pontificalia à Leone Papa X. impetrauit. Demum cum ipse sæcularis esset, tam religiosè militiam administrauit, vt facilè Regularis credi potuisset, si non eum coniugatum legeremus, antequam cæteros; cùm adhuc votum castitatis absolutæ milites æquè, atque alios obligaret.

XXVIII.

JOANNES VI.

Ioannes huius nominis tertius Lusitaniæ Rex, Administrator Auisij designatus à Iulio Papa III. an. 1550. Nec multò pòst ab eodem Pontifice impetrauit, vt Magistratus, iure hæreditario Regibus Lusitanis aggregaretur. Suscepit tamen Auisiensis militiæ habitum Vlyssippone, nec prius voluit successores administrare, quàm iura, & leges eius obseruare, iuramento firmarent; vt vel sic saltem ad illas constringerentur.

XXLX.

SEBASTIANVS.

Sebastianus, eius nominis vnicus Portugaliæ Rex, administrator, sed affectu plusquam Magister. Multa in fauorem Ordinis obtinuit à Pio Papa II, anno 1568. Nequis non expressè professus sacram militiam, atque habitum eius præseferens, bona illius qualiacumque posset acquirere, siue alias acquisita detinere Rursus de commendatorum successione, déque nobilitate cunctorum militum leges sanctissimas anno 1570. quas mox Gregorius XIII confirmauit anno 1573. Super antiquis militiæ priuilegiis, quæ sacro Trid. concilio contrariabantur, dicitur consuluisse viros doctos, & conclusisse nequaquam derogata: quod tamen ad scrupula tollenda confirmari ab eodem Gregorio XIII. non solum petiisse, sed impetrasse, an. 1575. testatur Regula vulgata Vlyssippone an. 163 . Reliqua Sebastiani Regis nota, & præcipitis zeli, ardentisque infelix exitus, orbi lachrymabilis.

XXX.

XXX.

HENRICVS.

Henricus S.R.E. Cardinalis, de quo in cathalogo Abbatum Alcobaciensium; Fabricam Auisiensis Ecclesiæ ad eam formam, quam hodie habet, composuit. Exemptionem Ecclesiarum militiæ ab ordinariis stabiliuit; & cathechismum Rectoribus illarum, per quem instituerentur, cudi curauit, atque alia vtilia fecit, multo plura facturus, si minùs senex administrationem capessiuisset. Obiit anno 1580.

XXXI.

PHILIPPVS I.

Philippus huius nominis in Lusitania primus, in Hispania secundus, Caroli V. Imperatoris filius, Hispaniarum, & Indiarum Rex, cognomento PRVDENS. Henrico in administratione succedens, sicut in regno, nomine suo, & successorum suorum iurauit leges, exemptiones, & priuilegia sacræ militiæ. Reuocauit quascumque antecessores Episcopis dedissent facultates visitandi Ecclesias, illi subiectas; visitandas per solos ministros Ordinis: & quædam alia clericis indulsit, propter quæ grata extat eius memoria. Sub ipso floruit Frat. Antonius Barreyros, ex Priore Conuentus Episcopus Brasiliæ, atque totius Prouinciæ administrator; quam eximia cum laude procurauit.

XXXII.

PHILIPPVS II.

Philippus, Lusitanis secundus, Hispanis III. cognomento BONVS: redditus trium pinguium commendarum applicauit Conuentui, atque alios fabricæ, ex quibus ædificia in nouam, & pulchram formam reficerentur. Beneficia simplicia Regularibus, qui degerent in claustris, non sæcularibus, vt antea consueuissent, conferri iussit. Pro reformandis si quæ deformia erant, tam in ipso Conuentu, quàm in militibus, septem viros egregios deputauit, an. 1612. post quorum varias, longásque sessiones, Regulam tandem, quæ hodie extat, constituit, & confirmauit, publicauitque in Capitulo generali, quod celebrauit anno 1619.

XXXIII.

PHILIPPVS III.

Philippus, Lusitanis III. Hispanis IV. quem Deus militiæ, & Ecclesiæ seruet incolumen. Cuius tempore, vacante Prioratu totius Ordinis per mortem Fr. Emanuelis Bardi, dignitas in suspenso; & redditus applicati fabricæ manent. Eius mandato eadem ipsa Regula, Vlyssippone cussa, anno 1631. publicè prodiit.

FINIS

INDEX

INDEX
RERVM, QVÆ HOC SECVNDO Annalium Cistercienſium Tomo continentur.

A.

Index Rerum.

Alio

Index Rerum.

A rias

B

Bellab-

Index Rerum.

Opere

Index Rerum.

Eidem

Petrosam,

Eius

C

Quis

Canonizationes Sanctorum.

Loce

In

Index Rerum.

Contra-

Decanus

E

Epistolæ B. P. Bernardi.

Epistolæ Eugenij Papæ III.

Ad

Epitaphia.

Errores in fide.

Errores historici.

Enan

Falsatio

F

Popule

Ordinis

Vide

Habitus

H

Pro

De

S.Thomæ

I.

Index Rerum.

Sancta

Index Rerum.

L

S Leo

Nuntium,

Cum

Miracula Sanctorum.

Mortes pauendæ.

Ab

Obacine

Peralense

Illis

B.Alqui

Cister

Q

Eius

Militiæ

Reclu

Rodul

S.

Saleya

Senex

Cam

Quod

T

Vrbe

Ponti

Turel

Transla

Visiones.

D.Vrra

Reconci

F I N I S.